II. Utrùm Judex debeat condemnare victum victori in expenſis, ſive hæ fuerint petitæ, ſive non? 406
III. Quid nomine expenſarum intelligatur, & quotuplices ſint? 407
IV. Utrùm ſententiæ ſuper expenſis poſſint eſſe incertæ: & qualiter hæ ſint probandæ? 408
V. Utrum non ſolùm appellans, ſed etiam appellatus, ſi in cauſa appellationis ſuccumbat, in expenſis condemnandus ſit? ibid.
VI. Quid dicendum de ſententiis, per duos Judices contraria pronunciantes datis? 409

TITULUS XXVIII.

De Appellationibus, Recuſationibus, & Relationibus.

§. I.

*De Appellatione, Supplicatione, ac Oppoſitione nullitatis Sententiæ, harumque differentiis.*

Quæſtio I. Quid, & quotuplex ſit Appellatio? 410
II. Quid ſit Supplicatio, & quomodo differat ab Appellatione? 411
III. Quid ſit Oppoſitio nullitatis ſententiæ, & quomodo differat ab Appellatione? ibid.

§. II.

*Qui, & à quibus Judicibus, appellare poſſint.*

Quæſtio I. An omnibus ſit permiſſum appellare, vel appellans faciat injuriam Judici *à quo*? 413
II. Utrum excommunicatus, vel utraque pars, aut etiam aliquis tertius appellare poſſit à judiciali ſententia? ibid.
III. An à quibuslibet Judicibus appellare liceat? ibid.

§. III.

*De Judice* Ad quem *appellationis.*

Quæſtio I. Utrùm appellatio gradatim ſit inſtituenda ad proximum Judicem ſuperiorem: & quando ſecus? 415
II. Quid juris, ſi uterque litigantium appellet, ſed ad diverſos Judices, v.g. unus ad Papam, alter ad inferiorem; aut unus ad Epiſcopum, alter vi conſuetudinis eo omiſſo ad Archiepiſcopum? 416
III. An appellatio à Judice ſæculari ad Papam interpoſita teneat? ibid.

§. IV.

*Coram quibus, & quo modo, proponi debeat Appellatio?*

Quæſtio I. Coram quo Judice appellatio ſit proponenda? 418
II. Utrùm valida ſit appellatio generalis ſuper omni cauſa vel gravamine? ibid.
III. Utrùm appellans teneatur exprimere cauſam appellationis in ſpecie? ibid.
IV. An appellatio debeat neceſſariò fieri in ſcriptis, vel etiam aliis modis fieri poſſit? 420

V.

*De Apoſtolis, ſeu Libellis dimiſſoriis Appellationum.*

Quæſtio I. Quid, & quotuplices ſint Apoſtoli? 421
II. Intra quod tempus, & quo modo petendi, dandique ſint Apoſtoli? 422
III. Cujus expenſis Apoſtoli concedantur, & an in eorum conceſſione poſſit Judex *à quo* præfigere appellanti terminum ad ſe præſentandum cum Apoſtolis coram Judice *ad quem*? ibid.
IV. Quid juris, ſi Apoſtoli debitè petantur, aut petiti non dentur a Judice *à quo*? 423

§. VI.

*De Fatalibus Appellationum.*

Quæſtio I. Quid ſint, & quotuplicia Fatalia appellationum? ibid.
II. Quæ ſint Fatalia interponendæ appellationis, & qualiter computentur? 424
III. Quid ſit ſentiendum de Fatalibus introducendæ coram Superiore appellationis? ibid.
IV. Quæ ſint Fatalia proſequendæ, ac finiendæ appellationis? 425
V. An, & per quem, terminus Fatalium à Jure conceſſorum poſſit reſtringi? 426
VI. Quis ſit judex in cauſa deſertæ appellationis ob lapſum Fatalium? 427

§. VII.

*De effectibus Appellationum: ac præſertim de harum effectu ſuſpenſivo, & revocatione ſententiæ.*

Quæſtio I. Qui ſint effectus appellationis? 428
II. Quando appellatio à ſententia diffinitiva habeat, vel non habeat effectum ſuſpenſivum? ibid.
III. An pariter appellatio à ſententia interlocutoria, vel gravamine, habeat effectum ſuſpenſivum? 429
IV. Utrùm poſt interpoſitam appellationem Judex *à quo* poſſit revocare ſententiam à ſe latam? 430

§. VIII.

*De effectu devolutivo Appellationum: ubi & de transportatione Actorum, ac Decreto Sac. Congregationis circa materiam Appellationum.*

Quæſtio I. Quid ſentiendum ſit de effectu devolutivo Appellationis? 431
II. Utrùm executio ſententiæ in cauſa appellationis ſpectet ad Judicem *ad quem*, vel *à quo*? ibid.
III. A quo, cujuſque expenſis, acta prioris inſtantiæ transportanda ſint ad Judicem appellationis? 431

§. IX.

*De attentatis appellatione pendente, horumque revocatione.*

Quæſtio I. Quid intelligatur nomine *Attentatorum*, præſertim appellatione pendente? 432
II. Utrùm attentata pendente appellatione ſint nulla, & qualiter revocentur? 433
III. Per quem Judicem attentata pendente appellatione ſint revocanda? 434
IV. Quid cenſendum ſit de Decreto Sac. Congregationis circa materiam appellationum emanato? ibid.

§. X

*De Caſibus, in quibus Jura prohibent appellare: ubi plura de clauſula*, Appellatione remota.

Quæſtio I. An, & qui ſint caſus illi, in quibus Jure prohibente appellari nequit? 435
II. Quomodò intelligendi ſint ſinguli caſus excepti, atque in relatis verſiculis comprehenſi? Ibid.
III. Quos effectus operetur clauſula *appellatione remota*? 436
IV. Utrùm clauſula illa, *appellatione remota*, operetur effectus ſuos in omnibus caſibus: & quando caſus? Ibid.
V. Quale remedium competat illi, qui per ſententiam Judicis dati cum clauſula, *appellatione remota*, ſentit ſeſe injuſtè gravatum? 437

§. XI.

*Declarantur alii caſus, in quibus appellare non licet.*

Non habet Quæſtiones.

§. XII.

*De Recuſationibus, & Relationibus.*

Quæſtio I. Quid ſit Recuſatio, & quomodo differat ab Appellatione? 440
II. Quando, & quomodo fieri debeat Recuſatio Judicis ſuſpecti? ibid.
III. Quis ſit effectus Recuſationis Judicis? ibid.
IV. Quid ſit Relatio. 441

TITULUS XXIX.

De Clericis Peregrinantibus.

Non habet Paragrafos, neque Quæſtiones.

TITULUS XXX.

*De Confirmatione utili, vel inutili.*

Quæſtio I. Quid & quotuplex ſit Confirmatio? 442
II. Utrùm, ſi a lege, vel alia diſpoſitione fiat mentio de Confirmatione, in dubio cenſeatur, eam eſſe in forma ſpeciali, vel communi? 443
III. Utrum de Confirmatione per Papam facta poſſit Judex inferior cognoſcere? ibid.
IV. Quid ſentiendum ſit de Innovatione Privilegiorum, aliorumque Inſtrumentorum? 444

IURIS



# JURIS CANONICI UNIVERSI CLARA METHODO JUXTA TITULOS QUINQUE LIBRORUM DECRETALIUM

In quæſtiones diſtributi, ſolidiſque reſponſionibus, & objectionum ſolutionibus dilucidati

# LIBER SECUNDUS.

## PRÆFATIO.

POſtquam Libro primo Decretalium de Perſonis Eccleſiaſticis atque Iudicibus, horumque Officiis & poteſtate dictum fuit, ſimulque circa finem de Præparatoriis Iudiciorum, queis videlicet vel res controverſæ amicabiliter aut tranſigendo componuntur, ſeu per Arbitros definiuntur, vel certe Proceſſui judiciario ſternitur via: nunc Compilator Iuris Canonici, recedens ab ordine Iuris Civilis, in quo poſt perſonas agitur de rebus, pulcherrima methodo tractat de Iudiciis ipſis, ſeu toto ordine ac Proceſſu judiciario. Itaque pro objecto hujus Secundi Decretalium Libri ſtatui poteſt *Ordo judiciarius*: qui cùm tria principalia membra, ſeu partes contineat, videlicet principium, medium, & finem, *Auth. Ad hæc. C. de Iudiciis*, de ſingulis per ordinem in præſenti Libro tractatur. Principium ſiquidem Iudicii, ſive Proceſſus judiciarii (ut ex communi tradit Iaſon *ad Rubricam, Titul. Cod. de Iudiciis num. 4.*) durat à citatione, ſive libelli oblatione, uſque ad litis conteſtationem incluſive; nam conteſtatio litis, eſt judicii (ordinarii) fundamentum, lapiſque angularis, ſecundum Baldum *in c. un. de litis conteſt.* Et de hoc judicii, ſeu Proceſſus judiciarii principio tractant priores Tituli uſque ad ſextum. Medium Proceſſus judiciarii quod durat à conteſtatione litis excluſive uſque ad concluſionem in cauſa incluſive, explicatur à Titulo ſeptimo, qui agit *de Iuramento calumniæ*, uſque ad Titulum vigeſimum ſextum. Finis tandem Iudicii conſiſtit in ſententia diffinitiva, ejuſque executione, quæ à Iudice proferri debet poſt probationes, & exceptiones partium abſolutas, factamque ab ipſis concluſionem in cauſa; qua ſive expreſſe, ſive tacite, ulteriori probationi renunciant, ſeque ad ſententiam ſubmittunt: & de hoc Iudicii fine agitur à Titulo vigeſimo ſeptimo uſque ad finem. Nos, Deo favente, utiliores materias breviter, quantùm licuerit, explicabimus.

## TITULUS I.

### De Judiciis.

*1 Ratio ordinis Rubricarum.*

1 QUoniam in ſecundo Libro Decretalium agitur de Iudiciis, ſeu Proceſſu judiciario, præſertim in cauſis civilibus obſervando (nam de criminalibus ex profeſſo tractatur Libro quinto Decretalium) meritò Compilator præmiſit generalem *de Iudiciis* Rubricam. Unde ſit

§. I.

Præmittuntur generalia de Judiciis.

*SUMMARIUM.*

*2 Iudicii nomen varias habet acceptationes; & quas?*
*3 Quomodo ſumatur in propoſito?*
*Ejuſque definitio per gloſſam data. Ibid.*

4 *Objectio contra hanc, ejuſque ſolutio. Et nu. ſeqq.*
5 *In Judicio ſemper intervenit Actor, vel verè, vel ficte.*
6 *Refertur alia Judicii definitio.*
7 *Ad hoc conſtituendum requiruntur tres perſonæ principales; nempe*
8 *Actor,*
9 *Reus, &*
10 *Judex: & unde ſic dicantur?*
11 *Dantur in judiciis aliæ perſonæ acceſſoriæ; & quæ?*
12 *Quid ſint, & quomodo differant hæc quatuor? nempe Judicium, ſeu Proceſſus,*
13 *Inſtantia,*
14 *Lis,*
15 *Et cauſa?*
16 *Quæſtio facti, & quæſtio juris, quid; & quomodo differat à Cauſa? Et nu. præced.*
17 *Quodnam dicatur Litis exordium? Et nu. ſeqq.*
18 *Judicium ordinarium propriè incipit à Litis conteſtatione. Et nu. præced.*
19 *Litis conteſtatio eſt lapis angularis; & fundamentum judicii.*
20 21 & 22 *Judicium incipit à Citatione quoad tres effectus; & quales? Et nu. 17.*
23 *Et quoad faciendam rem litigioſam ab oblatione Libelli.*
24 *Confeſſio, vel alia res, quando cenſeatur facta in judicio.*
25 *Judicium incipit tum à litis conteſtatione, tum à citatione, ſed diverſimode.*
26 *Dividitur in tres partes; & quales?*
27 *Inſtantia cauſarum, quando finiatur.*
28 *Hæc perit duobus modis.*
29 & 30 *Referuntur caſus, in quibus perit Inſtantia per abſolutionem ab obſervatione judicii.*
31 *De Iure Civili hæc etiam perimitur ex lapſu triennii.*
32 *Secus, ſpectato Iure Canonico.*

2 QUæritur I. Quid ſit Judicium, quibuſque ex perſonis conſtituatur? Ubi prænotandum, quod nomen *Judicii* ſit æquivocum, pluresque habeat ſignificationes. Quandoque enim ſumitur pro diſcretione, ſeu uſu rationis: in quo ſenſu infans, & furioſus, dicuntur carere judicio; *c. ex par. 3. de Corpor. vitiat.* & alibi. Quandoque pro examinatione, ſeu deliberatione; ut *can. 2. diſt. 39.* ibi: *Quod oportet diſtricti ſemper eſſe judicii*; id eſt, magnæ deliberationis. Quandoque pro pœna: ut *c. Et purgabit. diſt. 50.* ibi: *Tempus* [illegible] *ut judicium incipiat à Domo Dei.* Taceantur aliæ Judicii acceptationes, quarum quindecim refert Gloſſa *c. In Iudiciis de Reg. Iur. in 6.* cum ad propoſitum non ſerviant. His præmiſſis

3 Reſp. I. *Iudicium* in propoſito ſumitur pro cauſæ diſcuſſione, quæ coram Judice pro Tribunali ſedente fit. Et dicitur *Judicium quaſi juriſdictio*, quia nimirum ibi, quid juris ſit, diſcutitur, ac ferendo ſententiam dicitur; prout notat Iſidorus, relatus in *c. Forus 10. de Verb. ſignif.* Atque in hac acceptione definitur illud à Gloſſa *ibid. ℣. Iudicium*, taliter: *Iudicium eſt legitimus actus duarum perſonarum, Actoris & Rei, ſuper eadem quæſtione ſub eodem Iudice contracta.*

4 Dices. Datur quandoque Judicium ſine Actore: ut ſi Judex prævia infamia ex officio procedit per inquiſitionem, juxta *c. Qualiter & quando 24. de Accuſation.* Quandoque etiam Judex procedit ſine Reo: ut cùm de crimine notorio, cujus Author ignoratur, inquirit in genere, quis illud fecerit, ut *L. 1. § Qui quæſtionem ff. de quæſtion.* Ergo allata definitio non videtur eſſe bona, cùm non ſit convertibilis cum definito. Reſp. neg. conſequent. Quidquid non pauci contra dicant, rejicientes præmiſſam Judicii definitionem, & aliam ſubſtituentes; ut videre eſt apud Abbatem *ad Rubricam h. t. num. 1. & 2.* ſubjungentem, quod *Iudicium ſit cauſæ diſcuſſio, quæ coram Iudice juridice fit.*

5 Ad primam inſtantiam dicitur, quod in Judicio ſemper interveniant dictæ tres perſonæ (videlicet Actor, Reus, & Judex) vel verè, vel ſaltem fictè. Siquidem fama, ſeu infamia prærequiſita ad inquiſitionem ſpecialem, habetur loco Actoris, ſeu accuſatoris, *arg. cit. c. Qualiter & quando de Accuſation.* ibi: *Sed quaſi denunciante fama, vel deferente clamore.*

6 Ad alteram reſpondetur, quamvis ibi necdum adſit Reus certus quoad judicem, adeſſe tamen Reum certum in ſe, atque coram Judice ex futuro inquiſitionis eventu certificandum: quamquam etiam dici poſſit, dum adhuc inquiritur, non eſſe verum judicium, Pirhing *h. t. nu. 2.* quamvis ipſe pro majori claritate addat aliam Judicii definitionem, dicendo: *Iudicium eſt legitima controverſiæ apud judicem tractatio & dijudicatio.*

7 Reſp II. Tres ſunt perſonæ principales, quæ ad conſtituendum Judicium requiruntur; videlicet Actor, Reus, & Judex. Patet hoc ex S. Iſidoro *lib. 18 Etymolog. relato in c. Forus 10. §. In omni de Verb. ſignif.*

8 Porrò *Actor*, ab *agendo* dictus, eſt ille, qui actionem intentat contra alium; id eſt, qui agit & pulſat, ſeu provocat alium, rem quampiam ab eo petens in judicio. Quod ſi quis agat contra alium criminaliter, ſeu ad publicam vindictam pro crimine infligendam, is ſpeciali nomine dicitur *Accuſator.*

9 *Reus* à *re*, ſuper qua convenitur, appellationem accepit: eſtque ille, contra quem in judicio agitur. Hinc *in cit. cap. Forus de Verb. ſignif.* dicitur: *Reus à re, quæ petitur, nuncupatur: quia quamvis ſceleris conſcius non ſit, reus tamen dicitur, quamdiu in judicio pro re aliqua petitur.*

10 *Judex* tandem ſic dictus eſt, *quaſi jus dicens populo*: prout notatur in *cit. c. Forus*. Verùm de Judice plura cum in propriis Titulis Libri primi Decretalium, cum in progreſſu.

11 Additur notanter in data *nu. 7.* Concluſione, *Tres ſunt perſonæ principales &c.* Dantur enim in Judiciis quandoque aliæ perſonæ acceſſoriæ, ſeu minùs principales; ut ſunt Teſtes, Advocatus, Procurator, Aſſeſſor, Tabellio, & aliæ nonnullæ, veluti Miniſtri Juſtitiæ. Verumtamen hæ non ſunt principales in judicio perſonæ, quamvis ad legitimam ejus adminiſtrationem plerumque adhibeantur, ſicque inter perſonas ipſius acceſſorias meritò connumerentur.

12 Quæritur II. Quomodo hæc quatuor, videlicet *Judicium, Inſtantia, Cauſa & Lis* inter ſe differant? Reſp. cum Jaſone *in l. Poſtquam liti num. 10. C. de Pactis*. Maranta *in Speculo Aureo, part. 5. num. 1. & 2. & 63. & ſeqq.* Pirhing *h. t. num 4.* & aliis, differre in his: quia *Judicium*, quod ſumpſit denominationem à Judice tanquam à digniori, eſt tota illa cauſæ diſcuſſio, quæ fit à citatione, duratque uſque ad ſententiam incluſive. Et cum Judicio taliter accepto, coincidit *Proceſſus judiciarius*: haud obſtante, quod Judicium ordinarium propriè à litis conteſtatione primùm incipiat, juxta dicenda *num. 17. & ſeqq.*

13 *Inſtantia* eſt actualis excitatio judicii, incipiens à litis conteſtatione uſque ad ſententiam, vel ſaltem uſque ad finem triennii: tunc enim, ſpectato Jure Civili (quidquid ſit de Canonico, juxta *c. Venerabilis 20. h. t.* & Abbatem *ibid. num. 1. & 4.* ac dicenda inferius *nu. 32.*) perit inſtantia, exceptis cauſis Fiſcalibus, & publicarum actionum, *l. Properandum §. 1. C. de Iudiciis*. Unde inquit Jaſon *loc. cit.* poſt Paulum de Caſtro, & Pirhing *tit. de Foro compet. n. 212.* quod hæc ſit differentia inter Inſtantiam, & Proceſſum: quia Inſtantia propriè incipit à litis conteſtatione, ſed Proceſſus à citatione. Accedunt dicenda inferius *nu. 25. & 26.*

14 *Lis* eſt nomen magis generale, & quandoque ponitur pro inſtantia cauſæ; ut *cit. l. Properandum, C. de Iudiciis: Properandum nobis viſum eſt, ne lites fiant pene immortales*. Quandoque verò non ſolùm inſtantiam, ſed etiam ejus principale, ſive cauſam in judicium deductam ſignificat; ut *l. Litis nomen 36. ff. de Verb. ſignif.* ibi: *Litis nomen omnem actionem ſignificat, ſive in rem, ſive in perſonam ſit.*

15 *Cauſa* tandem propriè dicitur ipſa res controverſia, quæ in judicium deducitur. Et differt à Lite, quod Lis propriè dicatur poſt litem conteſtatam; Cauſa verò ante & poſt. Jaſon *cit. n. 10.* Differt etiam Cauſa à Quæſtione, quod hæc tam intra, quam extra judicium dicatur; Cauſa verò propriè ſolùm in judicio. Pirhing, *ubi ſupra.*

16 Porrò duplex diſtinguitur Quæſtio; una juris, alia facti. *Quæſtio facti* eſt, cùm de facto ipſo, aut ejus circumſtantiis quæritur, vel lis movetur: puta, an Cajus hominem occiderit, quomodo, quo loco, quo tempore, quibus inſtrumentis &c. *Quæſtio juris* eſt quando de facti merito quæritur: puta, quid de tali facto Jura conſtituant? an Cajus jure occiderit hominem, nec ne? qua pœna ſit afficiendus? & hujuſmodi.



17 Quæritur III. Quando Judicium cenſeatur incipere, ſive (ut alii loquuntur) quodnam dicatur Litis exordium? Reſp. Quamvis Judicium ordinarium proprie incipiat à litis conteſtatione, & hæc communiter dicatur *Litis exordium*; nihilominus, quantum ad certos effectus, illud quandoque incipit à citatione, & aliquando ab oblatione Libelli. Ita Gloſſa *in c. Super quæſtionum 27 ℣. Litis exordium de Offic. Delegat.* Jaſon *ad Rubric. C. De in jus vocando.* Gailus *lib. 1. Practic. Obſervat. 74. per tot.* Pirhing *tit. de Foro compet. nu. 212.* eſtque in re communis.

18 Prima pars ex eo patet: quia omiſſa litis conteſtatione, Proceſſus judiciarius eſt ipſo jure nullus; ut *cap. unic. de Litis conteſt.* Neque ante eam regulariter teſtes recipi poſſunt, *tot. tit. Ut lite non conteſtata non procedatur ad teſtium receptionem*. Hinc ante litem conteſtatam propriè non dicitur *judicium*, juxta Abbatem *ad Rubr. h. t. n. 2.* Et ea, quæ procedunt lite non conteſtata, propriè non dicuntur Acta judicii, ſed præparatoria ejus. Gailus *loc. cit. n. 2.*

19 Unde meritò Litis conteſtatio appellatur *Lapis angularis, & fundamentum judicii*; ut loquitur Jaſon *ad Rubric. C. de judiciis nu. 4.* & Baldus *in cap. un. nu. 2. de Litis conteſtat.* Idque deſumitur tum ex *cit. cap. un. de Litis conteſt.* tum ex *Auth. de Litigioſis, §. Omnem, Collat.* 8 ubi Gloſſa, *verſ. Initium*, ampliùs hoc probat. Quamquam iſtud ſolummodò locum habeat in Judicio ordinario: quia in ſummario non eſt neceſſaria litis conteſtatio, *Clem. Sæpe contig. de Verb. ſignif.*

20 Altera pars Concluſionis, nempe quod Judicium quoad certos effectus incipiat à citatione, probatur inductione. Nam imprimis Judicium incipit à citatione quoad tres effectus, quos enumerat Jaſon *in Rubric. C. de in jus vocando n. 1.* Primò quidem quoad perpetuandam juriſdictionem delegatam: quia ſi Delegatus ante mortem Delegantis propoſuit citationis Edictum, cenſetur res non amplius integra; jamque eſt perpetuata Delegati juriſdictio, lite primùm poſt mortem Delegantis conteſtata; ut *c. Licet 30. & cap. Gratum 22. de Offic. Delegat. & cap. ult. de Offic. Legat.* eſtque communis Doctorum.

21 Secundò, quoad interrumpendam in cauſis civilibus præſcriptionem merè odioſam, ſeu quæ currit ex ſola negligentia non petentis. Ad hanc enim interrumpendam ſufficit ſola citatio, ad petitionem partis anteà negligentis facta, *l. Sicut in rem* juncta Gloſſa *℣. Per executorem C. de Præſcript. 30. ann.* Et meritò: quia per citationem jam ceſſat negligentia, quæ eſt cauſa illius præſcriptionis. Bartolus *l. Ex hoc edicto nu. 1. & 2. ff. de eo, per quem factum erit, &c.* oppoſitum docens de præſcriptione merè favorabili, ſeu uſucapione.

22 Tertiò, Incipit Judicium à citatione quantum ad interrumpendam præſcriptionem in cauſis criminalibus; *ut l. Mariti §. Quinquennium ff. Ad legem Juliam de Adulteriis*, & ampliùs tradit Jaſon, *ubi ſupra*.

23 Tertia tandem pars Concluſionis, nempe quod Judicium quoad certos effectus aliquando incipiat ab oblatione Libelli, patet ex eo: quia quoad faciendam rem litigioſam (ita ut ampliùs alienari non poſſit; & ſi alienetur, alienatio ſit irrita, & alienans variis pœnis ſubjaceat, *L. 1. & ſeqq. C. de Litig.*) Litis exordium cenſetur eſſe oblatio Libelli, Reo ſufficienter inſinuata; prout clarè habetur *in Auth. Litigioſas res C. de Litigioſis*, ibi: *Litigioſa res eſt, de cujus dominio cauſa movetur inter poſſeſſorem, & petitorem judiciaria conventione, vel precibus Principi oblatis, & judici inſinuatis, & per eum futuro reo cognitis.* Concordat *Auth. de Litigioſis. Collat.* 8. unde prior eſt deſumpta: & ampliùs ſingula patebunt ex dicendis infra *Tit. 16. Ut lite pendente &c. §. 1. n. 2. & ſeqq. & §. 2. n. 23. & ſeqq.*

24 Tacetur, quod ad hoc, ut confeſſio, vel alia res, dicatur facta in judicio, ſatis ſit, quod Judex ſedeat in loco judicii (id eſt, jus dicendi vel reddendi gratia) quantumcunque lis non ſit conteſtata; *l. Volut. ff. de Interrogatoriis actionib.* ac notat Abbas *ad Rubric. h. t. nu. 2.* citans Innocentium *in c. Qualiter, & quando, il 2. ℣. Non negamus de Accuſat.* & Bartolum; quamquam Gloſſa *in L. un. verſ. Confeſſos, C. de Confeſſis*, videatur ad id requirere præviam litis conteſtationem, dum verba illa, *Confeſſos in jure*, explicando ſubjungit: *Lite conteſtata; & in loco ubi redditur jus, & apud Præſidem.*

25 Dices. Principium inſtituendi judicii coram legitimo Judice, ſumitur à citatione; *§. Citatio. Inſtit. de Pœna temerè litigant.* ibi: *Citatio, prima pars judicii dicitur*: juncto *c. Quoniam 11. de Probation.* ubi citatio inter actus judiciales primo loco ponitur; ergo illud non ſumitur ullo modo à Litis conteſtatione. Reſp. neg. conſequent. Imò judicium incipit ab utroque, ſed diverſimode. Nam à Litis conteſtatione ita incipit judicium, quod partes litigantes obligentur inſtantiæ, ſimulque ampliùs non poſſint regulariter Judicem recuſare, ſed teneantur coram eo, ubi lis conteſtata fuit, judicium finire, *l. Ubi cæptum ff. de judiciis*, & alibi. Econtrà per citationem ita incipit judicium, ut tamen Reus necdum obligetur inſtantiæ; imò poſſit libere, etiam Actore invito, ab eo deſiſtere; atque inſuper ex juſta cauſa adhuc poſſit recuſare talem Judicem, & coram alio litigare.

26 Unde ſequitur, quod Inſtantia propriè incipiat à litis conteſtatione; Proceſſus judiciarius vero à citatione, ut jam dictum *n. 12. & 13.* Et dictis concordat illa recepta doctrina Bartoli *in L. 2. § quæro quemadoff de Furtis*, & aliorum dicentium, quod Judicium dividatur in tres partes, ſcilicet in principium, medium, & finem: ex quibus principium durat uſque ad conteſtationem litis incluſivè, medium verò uſque ad concluſionem in cauſa, & finis poſt concluſionem in cauſa uſque ad ſententiam incluſive; prout jam ſuprà *in Præfatione hujus Libri* dictum fuit.

27 Quæritur IV. Quibus modis pereat, ſeu perimatur Inſtantia cauſarum? Et dicitur notanter, *pereat*: nam quod poſt latam ſententiam Judicis finiatur Inſtantia, patet ex ejus definitione *n. 13.* allata: & proin, ſi ab ejuſmodi ſententia appellari contingat, jam nova, ſeu ſecunda Inſtantia fieri cenſetur, & prior intelligitur finita, non autem proprie perempta; eo quod non fuerit viribus ſuis evacuata, ſed effectum ſententiæ judicialis obtinuerit. Quo prænotato

28 Reſp. I. Inſtantia cauſarum generatim perit, ſeu evaneſcit, duobus modis: nempe per lapſum temporis; ſi videlicet cauſa non finiatur intra tempus à Jure præſcriptum, de quo proximè: & per abſolutionem ab obſervatione judicii. Ita Maranta *in Spec. Aureo par. 5. n. 49.* Pirhing *h. t. n. 144.* & communis.

29 Exemplum hujus poſterioris eſt: quando in progreſſu judicii apparet, quod intentio, ſeu petitio Actoris, in Libello fuerit inepte propoſita: puta, quia ex eo conſtat, Actori actionem non competere; vel quia ipſemet Libellus fuit ineptus ex defectu alicujus ſolemnitatis ſubſtantialis. Tunc enim nequit ferri ſententia valida: ac proin Judex pronunciat proceſſum nullum, & abſolvit Reum ab obſervatione judicii, reſervato tamen Actori jure iterùm agendi, ac libellum, petitionemque ſuam aliter & apte formandi, ſi voluerit. Textus eſt *in c. Examinata*, juncta Gloſſa *fin.* & Abbate *ibid. nu. 2. h. t.* Maranta *cit. n. 49. & ſeqq.* Sannig *h. t. cap. 5. n. 6.* & alii.

30 Alius caſus, in quo poteſt ferri ſententia abſolutoria ab obſervatione judicii, eſt ille, ſi videlicet Actor lite conteſtata ſe abſentat, & non proſequitur cauſam. Quia tunc in poteſtate Rei eſt, vel proſequi cauſam, ſuaſque probationes ac exceptiones proponere uſque ad ſententiam diffinitivam: vel petere, ut reſtitutis ſibi ab Actore expenſis litis, abſolvatur ab obſervatione judicii; prout ampliùs habetur *l. Properandum §. Et ſi quidem C. de judiciis*. Taceantur alii caſus, in quibus poteſt peti abſolutio ab inſtantia judicii, de quibus Maranta *cit. n. 49. & ſeqq.*

31 Reſp. II. De Jure Civili perimitur inſtantia judicii ex lapſu biennii in criminalibus, & ex lapſu triennii in cauſis civilibus, ſi cauſa intra præfatum tempus, à litis conteſtatione computandum, non finiatur: exceptis duntaxat cauſis Fiſcalibus, & publicarum Actionum. Patet hoc ex *cit. l. Properandum §. 1. C. de judiciis*: ubi ita ſtatutum legitur, ne lites fiant pene immortales, & vitæ hominum modum non excedant.

32 Reſp. III. Nihilominus ſpectato Jure Canonico Inſtantia judicii non perit per lapſum triennii, ſed eſt perpetua. Ita deſumitur ex *cap. Venerabilis 20. h. t.* ac notat Gloſſa *ibid. ℣. Non obſtante*, & Abbas *n. 6.* & Barboſa *n. 2.* citans plures alios. Ratio eſt: quia, ut inquit Abbas *loc. cit.* Jus Civile quoad propoſitum non fuit moribus receptum in Foro Eccleſiaſtico. Sic enim jam anteà *in c. cum olim. 14. §. Judices de Privilegiis*, legitur, factam eſſe

ſe condemnationem in expenſis per quadriennium, quo judicium duravit: & in c. Tum ex litteris 5. de in integr. reſtitut. lis duravit longè ultra triennium; prout declarat Gloſſa ibid. ℣. Sententia. Accedit ratio congruentiæ, ac diſparitatis. Siquidem ſecundùm Jus Civile appellari tantùm poteſt à ſententia diffinitiva, L. penult. C. de Appell. econtra ſecundùm Jus Canonicum (intellige antiquum: ſecus attento noviſſimo Jure Concilii Trident. Seſſ. 24. cap. 20. de Reformat.) appellari poterat à ſententia interlocutoria, & à quocunque gravamine, cap. Super eod. 12. de Appellat. Unde ſæpius Judex Eccleſiaſticus, ob intervenientes plures appellationes, non potuiſſet intra triennium decidere cauſam principalem; ſicque haud immeritò rigor Juris Civilis, quantum ad propoſitum, per Sacros Canones non fuit uſu receptus; ſed juxta hos inſtantia judicii eſt perpetua, ut loquitur in d. c. Venerabilis, num. 2. h. t. ſolvens contraria.

## §. II.

## De multiplici diviſione Judiciorum: ubi plura de Judicio Summario.

### S U M M A R I U M.

33 *Judicium dividitur juxta quatuor cauſarum genera, nempe.*
34 *A cauſa efficiente, in Sæculare, & Eccleſiaſticum.*
35 *A cauſa finali, in Civile &*
36 *Criminale; & in*
37 *Judicium mixtum.*
38 *A cauſa materiali, in petitorium, & poſſeſſorium.*
39 *Et à cauſa formali, in Ordinarium,*
40 *Ac Summarium; & quid?*
41 & 42 *Judicium, ſeu Proceſſus ſummarius, in quo conſiſtat.*
43 *In hoc poſſunt omitti ſolemnitates juris poſitivi: non item in judicio ordinario.*
44 *In Summario tamen non poſſunt omitti ea, quæ requiruntur de jure naturali, vel gentium ad cauſæ deciſionem.*
45 *Judicium ſummarium, de quibus cauſis inſtitui ſoleat? Et nu. ſeqq.*
*Inſtituitur in cauſis celerem expeditionem requirentibus. Ibid.*
46 & 47 *Et quæ ſint iſtæ?*
48 *Item ſummarie tractantur cauſæ pauperum, perſonarum miſerabilium &c. & Religioſorum.*
49 *Judicium ſummarium etiam inſtituitur ob modicitatem cauſarum.*
50 *Cauſæ modicæ, quæ cenſeantur?*
51 *In cauſis ſummarie tractandis poteſt obſervari Proceſſus ordinarius; & ſub quo rigore?*
52 *Judicii civilis quatuor ſunt ſpecies; & quæ? & n. ſeqq.*
53 *Judicia univerſalia,*
54 *Eorumque ſpecies, quæ?*
55 *Judicia generalia,*
56 *Eorumque differentia ab univerſalibus.*
57 *Judicia ſpecialia, ſeu particularia, &*
58 *Judicia communia, quæ?*
59 *Judicium criminale ſubdividitur in capitale, & non capitale.*
60 & 61 *Et in publicum, ac privatum; & quid?*
62 *Judicia publica, & privata, cur ſic dicantur? & num. præced.*

33 QUæritur I. Quæ ſit præcipua Judiciorum diviſio? Reſp. I. Rubrica præſentis Tituli notanter inſcribitur, De Judiciis; ſiquidem Judicium eſt multiplex. Præcipua verò ejus diviſio eſt illa, qua ipſum juxta quatuor cauſarum genera dividitur in Sæculare & Eccleſiaſticum, in civile, & criminale, in petitorium, & poſſeſſorium, ac tandem in ordinarium, & ſummarium. Unde

34 Reſp. II. A cauſa efficiente; ſeu ratione Judicis illud peragentis, dividitur Judicium in Sæculare, & Eccleſiaſticum. Judicium Eccleſiaſticum dicitur illud, in quo dirimuntur cauſæ ad Forum Eccleſiaſticum pertinentes; ſive, cui præeſt Clericus poteſtate ab Eccleſia ſibi facta. Judicium Sæculare econtrà eſt, cui præeſt Laicus, vel etiam Clericus ratione patrimonii, territorii, aut alterius rei & poteſtatis ſæcularis.

Reſp. III. A cauſa finali, ſeu ratione finis, ob quem Proceſſus judicialis inſtituitur, dividitur Judicium in civile, & criminale. Judicium civile eſt, quando non agitur ſuper crimine, ſed ſuper re aliqua, ſive jure-debito; vel ſi quidem agatur ſuper crimine, non tamen ad publicam vindictam, ſed ad intereſſe privatum. Et hujuſmodi Judicium civile non ſolùm in rebus & cauſis merè civilibus, ſive ſæcularibus, ſed etiam in Eccleſiaſticis locum habet, quotieſcunque non agitur ſuper crimine ad publicam vindictam. 35

Judicium criminale econtrà eſt, quando agitur ſuper crimine ad publicam vindictam; id eſt, eo fine, ut reus criminis publice, ſeu juridice, puniatur. Uno verbo: Judicium civile principaliter inſtituitur ad commodum privatum: Criminale verò ad commodum publicum, ſeu vindictam publicam. Et de hoc Judicio criminali, quantum attinet ad Forum Eccleſiaſticum, ex profeſſo tractat Liber Quintus Decretalium. 36

Addunt Doctores tertium membrum, videlicet Judicium mixtum, in quo partim civiliter, partim criminaliter agitur: ut dum de crimine aliquo, v. g. furto, vel injuria, agitur ad intereſſe partis, & ſimul ad vindictam publicam; prout explicat Vallenſis h. t. n. 6. Aliud exemplum habetur in c. Tuæ 5. de Proc. ubi vir legitur accuſaſſe uxorem de crimine adulterii; & quatenus agebatur ad ſeparationem thori, hoc reſpectu videbatur criminaliter agi; quatenus verò à marito petebatur lucrum dotis (nam mulier propter adulterium perdit dotem, l. Conſenſu, C. de repudiis) illa ratione videbatur agi civiliter. Qua de cauſa accuſatio illa ibidem declaratur eſſe mixta, his verbis: Quoniam hujuſmodi accuſatio, etſi de crimine fiat, non eſt tamen criminalis, ſed mixta inter civilem, & criminalem. 37

Reſp. IV. A cauſa materiali, ſeu ratione materiæ controverſæ, Judicium dividitur in petitorium, & poſſeſſorium. Judicium petitorium dicitur in quo principaliter diſceptatur de proprietate, dominio, ſeu alio jure cujuſpiam rei, extra poſſeſſionem vel quaſi poſſeſſionem: ut ſi res vendicetur, hæreditas petatur, actio empti, depoſiti, vel comodati, aut alia ſimilis intentetur. Judicium poſſeſſorium viciſſim eſt, in quo de poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione contenditur, ſive adipiſcenda, ſive retinenda, ſive recuperanda: de quo plura inferius tit. 12. de cauſa poſſeſſionis, & proprietatis, per totum. 38

Reſp. V. Tandem à cauſa formali, ſeu ratione formæ in ipſo ſervatæ, dividitur Judicium in ordinarium, & ſummarium. Judicium ordinarium (quod & plenarium appellant, atque ſolemne) dicitur illud, in quo Judex cum ordinaria figura & ſtrepitu judicii, ac ſervatis ejus ſolemnitatibus, procedit juxta præſcriptum Juris. Et de hoc Judicio ordinario, ejuſque figura, præcipuè loquitur totus ſecundus Liber Decretalium. 39

Judicium ſummarium econtra eſt, in quo proceditur ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & forma judicii: id eſt non obſervatis ad amuſſim ordinariis judiciorum ſolemnitatibus, ambagibus, & terminis judicialibus. Et hoc Judicium ſummarium alio nomine appellatur extraordinarium, eo quod in ipſo non uſquequaque ſervetur ordo Juris. Fatendum tamen, quod in alia acceptione Judicium extraordinarium etiam dicatur illud, quod fit coram Judice delegato, arg. l. Si quando C. de Dilationib. ubi Delegatus vocatur Judex extraordinarius. Quin etiam interdum Judicium appellatur extraordinarium quando non proceditur in figura judicii, ſed Judex procedit ex officio ſuo in modum inquiſitionis, vel denunciationis; uti notat Gloſſa in c. quoniam 11. ℣. extraordinario, de probat. & amplius Abbas ad rubr. h. t. n. 3. Verùm pro meliori intelligentia Judicii ſummarii 40

Quæritur II. In quo conſiſtat Judicium ſummarium, quibuſque in cauſis locum habeat? Reſp. I. Judicium, ſive Proceſſus ſummarius, conſiſtit in hoc, quod in ipſo ad præcavendas litium prolixitates omitti poſſint pleræque ſolemnitates, quæ Jure ſolùm poſitivo requiruntur; non item illæ, quæ Jure naturali, aut gentium, ad legitimam cauſæ deciſionem ſunt neceſſariæ. Ita deſumitur ex Clem. Sæpe contingit, de Verb. ſignif. & tradit Barboſa ibid. num. 1. & ſeqq. Maranta part. 4. Speculi Aurei, diſt. 9. n. 8. 9. & ſeqq. poſt Alexandrum conſil. 6. nu. 1. vol. 3. Bartolum in Extravag. Ad reprimendum verſ. Sine figur. & alios communiter. 41



42 Prior pars probatur inductione, allegando verba cit. Clem. Sæpe contingit, ubi Pontifex declarans, quid importet clauſula illa, quandoque inſerta judicialibus cauſarum commiſſionibus, ut in ipſis Simpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſed ſummariè procedatur, ſubjungit: Judex, cui taliter cauſam committimus, neceſſariò libellum non exigat; litis conteſtationem non poſtulet; tempore etiam Feriarum, ob neceſſitates hominum indultarum à Jure, procedere valeat: amputet dilationum materiam, litem quantum poterit, faciat breviorem, exceptiones, appellationes dilatorias, & fruſtatorias repellendo: partium Advocatorum, & Procuratorum contentiones & jurgia, teſtiumque ſuperfluam multitudinem refrænando. Et infrà, interjectis aliis, ſubditur, quod Judex ſententiam diffinitivam (citatis ad id, licèt non peremptoriè, partibus) in ſcriptis, & (prout magis ſibi placuerit) ſtans, vel ſedens proferat: etiam (ſi ei videbitur) concluſione non facta, prout ex petitione, & probatione, & aliis actitatis in cauſa fuerit faciendum. Si tamen in præmiſſis caſibus ſolemnis ordo judiciarius in toto, vel in parte, non contradicentibus partibus obſervetur, non erit proceſſus propter hoc irritus, nec irritandus. Hæc Pontifex.

43 Patet proinde, quòd in Judicio, ſeu Proceſſu ſummario, ſolemnitates Juris poſitivi (quales ſunt enumeratæ) poſſint omitti, quamvis ſi adhibeantur, proceſſum non vitient. Secùs eſt in Judiciis ordinariis, quibus tela judiciaria, ſeu ſolemnitas in Jure præſcripta (quam alii explicant ſub nomine Obligationis ſervandis terminos ſubſtantiales) adeò connaturalis eſt, ut non ſolùm neceſſariò ſit ſervanda, ſed etiam ſententia ſine ejuſmodi ſolemnitatibus lata, nulla ſit & invalida. Card. de Luca Tom. 3. diſcurſ. 1. de judiciis nu. 11. & 12. & alii.

44 Altera pars Concluſionis, videlicet in Judicio, ſeu Proceſſu ſummario, non poſſe omitti ea, quæ de Jure naturali, aut gentium, ſunt neceſſaria ad legitimam cauſæ deciſionem, ſimiliter patet ex cit. Clem. Sæpe contingit, de Verb. ſignif. dum Pontifex ibidem inter alia ſic loquitur: Non ſic tamen Judex litem abbreviet, quin probationes neceſſariæ, & defenſiones legitimæ admittantur. Citationem verò, ac præſtationem juramenti de calumnia, vel malitia, ſive de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commiſſionem hujuſmodi intelligimus non excludi. Hæc ibi, poſtmodum ſubjungendo, quod etiam petitio pro parte Actoris, imò & Rei, ſi quid petere voluerit, in ipſo litis exordio, ſive in ſcriptis, ſive verbo, Actis tamen continuò inſerenda, fieri debeat; cum juxta eam pronunciatio, ſive ſententia Judicis, ſequi debeat. Et his de cauſis Judex pariter tenetur interrogare partes, ſive ad earum inſtantiam, ſive ex officio, ubicunque hoc æquitas ſuadebit. Et meritò: nam talia de Jure naturali requiruntur ad legitimam cauſæ deciſionem, hoc ipſo, quod alioquin veritas occultaretur, ſicque competens ſententia ſequi non poſſet. Taceantur alia ibidem expreſſa.

45 Reſp. II. Judicium ſummarium, ſeu Proceſſus ſummarius ex duplici potiſſimum ratione inſtitui ſolet. Prima eſt, quando cauſæ ſunt tales, quæ celerem requirunt expeditionem: tunc enim, ne ex ſubtili ordinis judiciarii obſervatione diſpendioſa litium prorogatio proveniat, ſummariter ac de plano eſt procedendum Clem. Diſpendioſam 2. h. t. Maranta par. 4. Speculi Aurei, diſt. 9. n. 42. Pirhing h. t. n. 101. & alii.

46 Porrò inter cauſas celerem expeditionem requirentes, ac proin ſummariè tractandas, vel maxime connumerantur illæ, quæ recenſentur in cit. Clem. 2. h. t. Et ſunt ſequentes; videlicet, cauſæ Eccleſiaſticæ, in quibus agitur ſuper Electionibus, Poſtulationibus, vel Proviſionibus, an videlicet ſint validæ, nec-ne. Item cauſæ ſuper Dignitatibus, Perſonatibus, Officiis, Canonicatibus, vel Præbendis, ſeu quibuſvis Beneficiis Eccleſiaſticis; quando videlicet agitur de Titulo Beneficii, ut quia ſunt duo, qui litigant ad invicem de collatione ſibi facta: tunc enim diuturna litis prorogatio ipſi Eccleſiæ, utpote legitimo Rectore deſtitutæ, præjudicium afferret. Secùs, ſi ageretur de proprietate Eccleſiæ, quam duo, v. g. Eſcopi, contendunt eſſe de ſua Diœceſi. Maranta cit. diſt. 9. n. 42. allegans plures alios.



Huc etiam pertinent cauſæ ſuper Decimis, nec non ſuper matrimoniis, vel uſuris, & eas quoquo modo tangentibus, ventilandæ, per textum expreſſum in cit. Clem. Diſpendioſam h. t. Quia etiam tales cauſæ celerem requirunt expeditionem, ne lite longius protracta illinc decimæ pereant; hinc autem immineat periculum incontinentiæ ex matrimonio diutiùs ſuſpenſo, aut in uſuris, periculum damnificandi eos, quibus de jure debentur. 47

Atque ob eandem rationem in bene conſtitutis Tribunalibus, ſummariè, ac de plano, tractantur cauſæ Pauperum, Pupillorum, Viduarum, Carceratorum aliorumque Miſerabilium perſonarum, Auth. de Mandatis Principum §. Sit tibi quoque Collat. 3. Item cauſæ alimentorum, L. 2. ff. de Feriis. Sicut & cauſæ Spolii, Depoſiti, Mercedis, & Forenſium ſeu peregrinorum. Engel h. t. n. 12. poſt Suting. in Proceſſu judiciario, Obſerv. 3. Maranta par. 4. Speculi Aurei, diſt. 9. præſertim à n. 166. uſque ad n. 201. plures alias cauſas ſummarie tractandas enumerans. Inter has etiam ſunt cauſæ Religioſos concernentes: nam in eorum cauſis procedendum eſſe de plano, & abſque ſtrepitu judiciorum, cùm talibus non deceat Servos Dei involvi, textus eſt in c. Olim 26. de Accuſationib. Maranta loc. cit. n. 170. & 171. & alii. 48

Altera ratio, ob quam Judicium ſummarium inſtitui, ac ſimpliciter & de plano procedi ſolet, eſt modicitas cauſarum: ſive, quando agitur de rebus levis momenti, vel in quibus controvertitur de præjudicio facilè reparabili. Auth. Niſi breves, & ibi Gloſſa, Bartolus, Baldus C. de Sent. ex brevicul. recitand. Maranta, ubi ſuprà n. 188. 49

Cæterùm, quænam cauſæ cenſeantur modicæ, ut poſſint ſummarie tractari, variant Doctores; uti videre eſt apud Gloſſam in cit. Auth. ℣. Niſi brevis, referentem diverſas ſententias. Harum una cenſet, cauſam eſſe levem, quæ eſt uſque ad quinquaginta aureos, L. 1. C. de Defenſorib. Civit. Alia, quæ eſt uſque ad trecentos aureos, Auth. de Defenſor. Civit. §. Et judicare Collat. 3. Vel uſque ad decem libras auri; ut Auth. de appellationib. §. Illud, Collat. 3. Verùm melior præ cæteris eſt ſententia eorum, qui illud, inſpecta qualitate perſonarum, dijudicandum exiſtimant prudenti arbitrio Judicis; uti notat Gloſſa, & Bartolus, ubi ſupra. Sic quippe cauſa, v. g. centum aureorum, inter duos Principes, vel valdè divites reputatur modica, quæ inter homines mediocris fortunæ cenſeretur magna. Maranta d. diſt. 9. num. 189. citans plures alios. 50

Solummodò adde, cùm nihil impediat, quin in cauſis ſummariè tractandis obſervetur Proceſſus ordinarius; Clem. Sæpe contingit, de Verb. ſignif. quod tunc Judicium, quod ex ſui natura fuiſſet ſummarium, ita reddatur ordinarium, ut ſententia non obſervatis ſolemnitatibus Juris prolata, nulla ſit & invalida: Sibi enim imputet Actor, qui cùm poſſet tenere Proceſſum ſummarium, eligit & adhibet ordinarium. Card. de Luca tom. 3. diſcurſ. 1. de judiciis nu. 12. & 13. 51

Quæritur III. Utrùm, & qua ratione ſubdividatur Judicium civile, & criminale? Reſp. I. Judicii civilis quatuor ſunt ſpecies; nam alia ſunt Judicia univerſalia, alia generalia, alia ſpecialia ſeu particularia, & alia communia. Ita Speculator tit. de judiciis, in Rubrica, & quatuor ſeqq. paragraphis, ubi de ſingulis hiſce Judicii ſpeciebus ex profeſſo tractat. Gloſſa magna in c. 2. & Abbas ibid. n. 18. de Libelli oblation. & communis. Et quidem 52

Judicia univerſalia (ſeu Actiones univerſales) ſunt ea, quæ dantur ad aliquid, quod de ſua ſignificatione multa in ſe univerſaliter continet: Horum quatuor ſunt ſpecies, de quibus Jura faciunt mentionem: videlicet, Petitio hæreditatis; Familiæ herciſcundæ; Actio ex teſtamento, quæ datur pro hæreditate ex S. C. Trebelliano reſtituenda; & Actio ex empto, quæ datur, quoties hæreditas tota emitur, L. 2. & ſeqq. ff. de Hæredit. vendit. Speculator tit. de Actione, ſeu Petitione §. Sequitur nu. 44. Abbas c. 2. n. 18. de Libelli oblat. citans Innocentium in c. Conquerente de Offic. Ordin. Nam qui petit hæreditatem, aut ejus diviſionem, qualis petitur per actionem Familiæ herciſcundæ (hoc eſt, hæreditatis dividundæ, ut explicat Gloſſa in Rubrica ff. Familiæ herciſcundæ) intelligitur petere pro toto, vel parte ſibi competente, ſucceſſionem in univerſum jus, quod defunctus habuit, l. Nihil eſt aliud, 24. ff. de Verb. ſignif. 53

54 Additur notanter, *Horum quatuor ſunt ſpecies, de quibus Jura mentionem faciunt*. Nam pluresaliæ actiones poſſunt dici univerſales, ad ſimilitudinem illarum quatuor: ut, quando petitur Villa, ſeu Caſtrum, una cum juribus, & attinentiis ſuis, *l. Lucius*, juncta Gloſſa *fin. ff. de Fundo inſtruct.* & notat Abbas *cit. n.* 18. Aut, ſi petatur Eccleſia una cum poſſeſſionibus, & pertinentiis ſuis; ut *c. cùm ad Sedem*, & Gloſſa *ibid. verſ. Et pertinentiis*, *de Reſtitut. ſpoliat.* Verùm de his Jura ſpecialem mentionem in propriis Titulis non faciunt.

55 *Judicia generalia* (ſeu *Actiones generales*) dicuntur, quæ competunt ad id, quod ſub ſe continet plura capitula, non tamen univerſum jus; prout accidit, ubicunque agitur ratione adminiſtrationis, quam quis geſſit: ut eſt Actio negotiorum geſtorum, Tutelæ, pro ſocio, & hujuſmodi, ubi judicialiter petitur, ut quis condemnetur ad reddendam rationem de geſta ſua adminiſtratione, & ad reliqua reſtituenda. Talis enim actio generaliter quidem ſe extendit ad omnia capitula adminiſtrationem concernentia, non verò ad univerſum jus: ſimulque, ubi actum eſt ad unam ſpeciem adminiſtrationis, v. g. ſalis, non venit, quod in alia ſpecie adminiſtrationis continetur, etiamſi utraque ab eodem ſit geſta.

56 Ac per hoc cum primis differt Judicium generale ab univerſali: nam iſtud ſecundùm propriam naturam actionis datur ad declarandum univerſum jus Actoris, v. g. reſpectu hæreditatis. Atque ideò in Judicio univerſali non eſt neceſſe, ut Actor exprimat, ſeu ſpecificet res ſingulares, contentas v. g. in hæreditate, ſed ſolùm, ut declaretur eſſe hæres: quo facto per Officium Judicis, aut executorem teſtamenti, debet ipſi ſolvi, quidquid detractis debitis, ac funeris expenſis, in tali hæreditate continetur: Secus eſt in Judicio generali: iſtud enim datur ad Reum condemnandum ratione male geſtæ adminiſtrationis, tutelæ, negotiorum geſtorum &c. & quia in ejuſmodi generali adminiſtratione plura continentur negotia implicita, ideò debet per Actorem exprimi, & probari id, ad quod vel qualem quantitatem Actor petit ſibi Reum condemnari; ut *l. Licet C. de judiciis* Gloſſa *in L. 1. §. Ut proinde*, & Bartolus *ibid. ff. de Edendo*. Speculator *tit. de judiciis*, §. 1. *&* 2. & alii.

57 *Judicia ſpecialia*, ſeu *particularia* (ſeu *Actiones ſpeciales*, aut *ſingulares*) dicuntur, in quibus agitur ad res aliquas ſpeciales, ſeu ſingulares, non verò ad aliquid univerſum, vel generale: prout fit tum in actione reali, ſeu in rei vendicatione; quando v. g. ago ad acquirendum, vel recuperandum meum equum, agrum, veſtem, aut aliam rem, vel res particulares, quæ proin ſingulariter deſignari debent. Tum in actione perſonali, quæ proxime competit in perſonam, nobis obligatam ex contractu, aut delicto, ad aliquid particulare dandum, vel agendum; ut ſi à te peto decem, quæ tibi mutuavi. Abbas *in cit. c. 2. n. 18. de Libelli oblation.* ubi idcircò addit, quod Actionum ſpecialium aliæ dicantur reales, quia nimirum competunt ad rem, non verò in perſonam nobis obligatam; aliæ verò perſonales, quia non ad rem, ſed in perſonam diriguntur.

58 *Judicia communia*, ſeu *duplicia*, tandem dicuntur, in quibus uterque litigantium vices duorum ſuſtinet, Actoris nimirum, & Rei; ut *c. Ex litteris 3. de Probationib.* Et talia Judicia communia ſunt tria, videlicet Finium regundorum, Familiæ herciſcundæ, & Communi dividundo, *l. In tribus ff h. t.* & notat Speculator *cit. tit. de Judiciis §. Sequitur n.* 1. cum aliis.

59 Reſp. II. Judicium criminale ſubdividitur imprimis in capitale, & non capitale. Ita communis. Et quidem *judicium capitale* eſt, in quo agitur de crimine capitali, pro quo videlicet imponenda eſt pœna capitalis. Cujuſmodi pœna de Jure Civili, juxta textum *in L. 2. §. 1. ff. de Pœnis*, eſt triplex; videlicet *Mors*, *vel Civitatis amiſſio*, *vel ſervitus*. Ibi enim intervenit mors naturalis, in aliis duobus verò mors civilis: nam Civitatis amiſſio alio nomine appellatur *Exilium*, *L. 2. ff. de Publicis judiciis*: Servitus autem propemodum mortalitati comparatur, *l. Servitutem ff. de Reg. Jur.* Econtrà *judicium non capitale* eſt, in quo non venit imponenda aliqua ex proxime dictis tribus pœnis, ſed alia mitior; puta, pœna pecuniaria, vel incarceratio, fuſtigatio, aut alia hujuſmodi.

60 Reſp. III. Inſuper Judicium criminale dividitur in publicum, & privatum. Ita liquet *ex L. 1. ff. de Public. jud.* ubi dicitur, non omnia judicia, in quibus crimen vertitur, publica eſſe, ſed ea tantùm, quæ ex Legibus publicorum judiciorum veniunt. Et hujuſmodi Leges ibidem per ordinem enumerantur, quæ ſunt ſequentes: videlicet, *Lex Julia Maieſtatis*. *Julia de adulteriis*. *Cornelia di Sicariis, & beneficiis*. *Pompeja de parricidiis*. *Julia Peculatus*. *Cornelia de teſtamentis* (intellige, *falſis*, ut explicat Gloſſa) *Julia de vi publica*. *Julia de vi privata*. *Julia ambitus*. *Julia repetundarum*. *Julia de annona*. Hæc ibi. Itaque

61 *Judicium publicum* eſt, quod ex Legibus publicorum judiciorum venit: ſive, ad cujus executionem, ſeu criminalem accuſationem, quivis è Populo plerumque admittitur *§. 1. Inſtit. de Public. Judic.* Econtrà *Judicium privatum* dicitur, quod non venit ex Legibus publicorum judiciorum; ſive, in quo agere nemo poteſt, niſi ad quem res propriè atque omnino pertinet: ut in furto, injuria, & aliis criminibus privatis accidit.

62 Aliam hujus diviſionis, atque appellationis, rationem reddit Mynſinger *in §. Publica judicia n. 8. Inſt. de Public. Judic* aſſerens cum aliis, quod *publica judicia* (quæ non niſi ob crimina Reipublicæ perquam pernicioſa inſtituebantur) videantur ſic dicta ex eo: quia olim in publico Foro, & coram frequenti populo, hæc judicia exercebantur ſuper certis criminibus, Reipublicæ admodùm pernicioſis: ut eſt crimen læſæ Majeſtatis, adulterium, parricidium, & hujuſmodi. Alia verò *Judicia privata* dicta ſint, quia extra ordinem, privatimque apud Præſidem conſtituebantur. Verùm de his plura Juriſtæ.

## §. III.

## De Judice in cauſis ſpiritualibus, nec non civilibus Eccleſiarum, perſonarumque Eccleſiaſticarum.

*SUMMARIUM.*

63 *Ratio agendi nunc de judice.*
64 *Cauſa criminalis merè civilis, & Eccleſiaſtica, quæ?*
65 *Res ſpiritualis, quæ?*
66 *Cauſarum ſpiritualium cognitio ad ſolos judices Eccleſiaſticos pertinet.*
67 *Et Judex ſæcularis harum cognitioni ſe immiſcere prohibetur ſub cenſuris.*
68 *Laicus nec principaliter, nec incidenter poteſt cognoſcere de cauſa ſpirituali.*
69 *Idque nec ex commiſſione Epiſcopi, vel alterius Prælati Papa inferioris.*
70 *Nec una cum Clerico ſibi per Epiſcopum adjuncto.*
71 *Quamvis auctoritate Epiſcopi poſſit de cauſa ſpirituali compromitti in Clericum, & Laicum ſimul, ut in arbitrum: & quæ ratio diſparitatis?*
72 *Poſſunt tamen Laici in cauſis ſpiritualibus adhiberi Aſſeſſores.*
73 *Etiam cauſarum ſpiritualibus connexarum cognitio ſpectat ad ſolum Judicem Eccleſiaſticum. Et nu. ſeqq. Ut cognitio de jure patronatus. Ibid.*
74 *Et de jure ſepulturæ in loco ſacro.*
75 *Cur Laicus poſſit tale jus poſſidere, non autem de eo cognoſcere?*
76 *Judex Laicus poteſt acceſſoriè ac ſecundariò de jure patronatus cognoſcere, licet non per ſe principaliter.*
77 *Poſſunt Laici negotia merè temporalia Eccleſiarum, perſonarumque Eccleſiaſticarum tractare. Et nu. ſeqq.*
78 *Ac hujus congruentia.*
79 *Non tamen poſſunt habere generalem adminiſtrationem omnium bonorum Eccleſiæ.*
80 *Nec ut habeant quandam ſuper Clericos præeminentiam. Et num. 77.*
81 *Neque poſſunt cognoſcere cauſas merè civiles, quæ contra Eccleſias vel Clericos intentantur, præſertim ſeclusâ ſpeciali commiſſione Epiſcopi.*
82 *Quid ſi acceſſerit talis commiſſio Epiſcopi? An Judex ſecularis poſſit ſupplere negligentiam Judicis Eccleſiaſtici in cauſis Clericorum. Remiſſive. Ibid.*

Quo-



63 QUoniam ad conſtituendum Judicium tres requiruntur principales perſonæ, videlicet Actor, Reus, & Judex, *c. Forus 10. de Verb. ſignif.* eſtque jam dictum ſuperius *§. 1. n. 7. & ſeqq.* Viſa multiplici ejus diviſione expedit de hiſce principalibus ejus perſonis nonnulla ſubjungere: illis tamen ſuppoſitis, quæ de Officio, & poteſtate Judicis, tum Delegati, tum Ordinarii, in *Lib. 1. à Tit. 29. uſque ad Tit. 32.* fuſius explicata fuerunt; & quæ de Foro Competenti, *in Titul. ſeqq.* ſpecialiter tractanda ſunt. Unde incipiendo à Judice, veluti perſona cæteris digniore

64 Quæritur I. Utrùm, & qualiter cauſæ ſpirituales ad Judicem Eccleſiaſticum diſcutiendæ pertineant? Ubi prænotandum cum Gloſſa *cauſ. 11. q. 1 in Summa* Abbate *in c. decernimus nu. 3. h. t.* & aliis, quòd cauſa alia eſt merè civilis, alia ſpiritualis, & alia criminalis. Hæc eſt, ubi de crimine agitur; de qua procedunt dicta *§. præc. n. 36. & n. 59. & ſeqq.* Porrò *Cauſa mere civilis* dicitur, in qua agitur de rebus merè temporalibus, puta de poſſeſſionibus, pecunia, & juribus eas concernentibus. *Cauſa ſpiritualis* verò, in qua tractatur de rebus ſpiritualibus.

65 Porrò per *Res ſpirituales* non ſolùm illa intelliguntur, quæ per ſe, ac eſſentiam ſuam ſunt ſpiritualia; ut gratiæ, ac virtutes, aliaque dona ſupernaturalia: ſed etiam illa omnia, quæ vel cauſant ſpiritualia; ut Sacramenta, quæ digne recipientibus conferunt gratiam ſupernaturalem: vel ſaltem ad Dei cultum, & pios uſus, ſive ad ſpiritualem ſalutem animarum, & ad peccati præſervationem ordinantur; ſicque ratione finis ſpiritualia cenſentur, & propriè pertinent ad ſpirituale regimen Prælatorum Eccleſiæ: uti ſunt Profeſſio religioſa, votum, juramentum, Beneficia Eccleſiaſtica, & Electiones ad ea, Primitiæ, Decimæ, & hujuſmodi, una cum deſuper motis quæſtionibus de valore Profeſſionis, voti, aut juramenti, cauſiſque Beneficialibus, decimalibus &c. Quo prænotato

66 Reſp. I. Generaliter loquendo cauſarum Eccleſiaſticarum, ſeu ſpiritualium cognitio ad ſolos Eccleſiæ Prælatos, ſeu Judices Eccleſiaſticos pertinet; ita ut talibus Laici ſeſe intromittere nec poſſint, nec debeant. Patet hoc *ex cap. 2. h. t.* ubi abſolute decernitur, *ut Laici Eccleſiaſtica tractare negotia non præſumant*: ac notat Gloſſa, Abbas, & Barboſa *ibid.* communi. Concordat *c. Conting. 8. de Arbitris*, ubi, quod plus eſt, etiam prohibetur, ne ſuper rebus ſpiritualibus in Laicum compromittatur, veluti in arbitrum. Et noviſſime Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. can. 12.* illis verbis: *Si quis dixerit, cauſas matrimoniales non ſpectare ad Judices Eccleſiaſticos, anathema ſit.*

67 Quinimò, ſi Judex ſæcularis de facto ſe immiſcuerit cognitioni cauſæ Eccleſiaſticæ, poterit ipſi per Eccleſiaſticum fieri inhibitio etiam ſub cenſuris. Martha *de Juriſdict. par 2. cap. 42.* Engel *tit de Foro compet. nu. 61.* Et ſi concurrat violatio Eccleſiaſticæ libertatis, ejuſmodi Judex laicus ipſo facto excommunicationem incurrit, *c. Noverit 49. de Sent. excomm* etiam Papæ reſervatam in Bulla Cœnæ Domini, quæ quoad propoſitum optime eſt notanda. Accedit ratio: quia Laicis, quamvis Religioſis, diſponendi de Eccleſiis, rebus & perſonis Eccleſiaſticis, nulla eſt attributa poteſtas; quos obſequendi manet neceſſitas, non authoritas imperandi, *can. Bene quidem diſt. 96. & cap. Eccleſia S. Mariæ 10. de Conſtit. & cap. ult. de Rebus Eccleſ. non alienand.*

68 Reſp. II. Adeò verum eſt, quod Laici de cauſis ſpiritualibus judicare nequeant, ut iſtud nullo modo poſſint, nec principaliter, nec incidenter. Ita Gloſſa *in d. cap. Contingit. in fin. de Arbitris*, & communis. Idque patet *ex cap. Lator 5. & cap. Cauſam quæ inter 7. Qui filii legitim.* ubi proin quæſtio legitimæ nativitatis, quæ opponebatur petenti hæreditatem coram Judice ſæculari, remiſſa fuit ad Judicem Eccleſiaſticum. Unde Abbas *in cit cap. Lator num. 3.* & alii communiter docent, quod ſi quæſtio ſpiritualis, v. g de legitimitate matrimonii parentum, incidat coram ſæculari; ea ad Judicem Eccleſiaſticum remitti debeat ac interim in cauſa principali per Judicem ſæcularem ſit ſuperſedendum, donec incidens illa quæſtio per Eccleſiaſticum fuerit terminata; prout amplius infrà *Tit 10. de Ordine Cognitionum numer. 31. & ſeqq.* declarabitur.

69 Ampliatur Concluſio, ut etiam ex commiſſione ſeu delegatione Epiſcopi, aut alterius Papa inferioris Prælati, non poſſint Laici cognoſcere ſuper cauſa ſpirituali: ſecùs dicendum de Summo Pontifice, utpote qui ejuſmodi cauſas Laico utputa cuipiam Regi, bene poteſt delegare; prout amplius dictum eſt ſupra *Lib. 1. Decretalium Tit. 29. de Officio, & Poteſt. Judicis Delegati §. 4. n. 88. & ſeqq.*



70 Ampliatur ulterius Concluſio, ut Laicos etiam cum Clerico, ſibi per epiſcopum adjuncto, non poſſit cognoſcere, ſeu judicem agere, de cauſa ſpirituali. Abbas *in c. Contingit nu. 1. & 4. de Arbitris*. Laym. *lib. 3. tract. 6. cap. 1. nu. 2* & alii.

71 Nec obſtat, quòd authoritate epiſcopi, imò & Delegati, poſſit de cauſa ſpirituali compromitti in Clericum & Laicum ſimul, ut in arbitrum; prout habetur *c. Per tuas §. fin. de Arbitr.* Reſp. enim, diſparitatem eſſe: quia ipſum *arbitrari* de re ſpirituali, non eſt actus juriſdictionis ſpiritualis; benè tamen *judicare*, eſt actus juriſdictionis ſpiritualis. Quia igitur Laicus non eſt capax juris ſpiritualis, etiam aſſociato ſibi Clerico; ut *cap. Maſſana 56.* juncta Gloſſa *verſ. Per Laicos, de Election.* non mirum, quod authoritate epiſcopi, vel alterius Papa inferioris, Laicus non poſſit judicare ſuper cauſa ſpirituali una cum Clerico, etſi poſſit una cum ipſo ſuper ea arbitrari. Abbas *cit. n. 4.* poſt Jo: Andream.

72 Reſp. III. Nihilominus benè poſſunt Laici in cauſis ſpiritualibus, ac Eccleſiaſticis diſcutiendis, adhiberi Aſſeſſores. Ita patet per textum notabilem in *c. Statutum 11. §. Aſſeſſorem de reſcriptis in 6.* Accedit ratio: quia Aſſeſſores nullam habent juriſdictionem, *L. 2. C. de Aſſeſſorib.* ſed potius ſunt Conſiliarii Judicum, atque ad ſupplendam horum imperitiam, ſeu indigentiam inventi. Angelus *Conſil. 274.* Abbas *in c. decernimus n. 13. h. t.* & alii.

73 Quæritur II. An etiam cognitio cauſarum ſpiritualibus connexarum, ſpectet ad ſolum Judicem Eccleſiaſticum? Reſp. Affirmative; prout tenet Abbas *in c. Quanto nu. 3.* & Barboſa *ibid. nu. 3. & 4. h. t.* & alii ad hoc citati. Idipſum deſumitur ex *d. cap. Quanto 3. h. t.* ubi legitur deciſum, quod cauſa juriſpatronatus, utpote conjuncta & connexa ſpiritualibus cauſis, non niſi Eccleſiaſtico judicio valeat definiri. Idem ergo dicendum de aliis cauſis, quæ ſpiritualibus ſunt connexæ; idque ob paritatem rationis, & quia de ſimilibus idem judicium eſt habendum, *c. Inter corporalia de Translat. Epiſcop.* Accedit ratio: tum quia connexorum idem eſt judicium, *c. Tranſlata* juncta Gloſſa, *ibid. de Conſtit.* & latè probat Barboſa *Axiomat. 51. nuoi. 1.* Tum quia juriſpatronatus eſt quodammodo mixtum ex ſpirituali, & temporali: atqui in mixtis magis dignum trahit ad ſe minùs dignum, *c. Quod in dubiis, de Conſecrat. Eccleſ.* Et quæ religioſis adhærent, religioſa ſunt, *l. Quæ religioſis ff. de Rei vendicat.*

74 Et his iiſdem de cauſis, ad Judicem Eccleſiaſticum privative pertinet cognoſcere, ac judicare de jure ſepulturæ in loco ſacro, puta in Cœmeterio, exiſtentis: nam etiam iſtud eſt annexum ſpirituali, ſicque ſubjicitur juriſdictioni Eccleſiæ. Abbas *in cit. c. Quanto num. 10. & 11. h. t.* Et licèt Laicus tale jus ſepulchri propriè non poſſideat, nec quaſi poſſideat, cùm ſit in Cœmeterio ſacrato, ſicque ſpirituali annexum: nihilominùs in tali poſſeſſione, & facultate funerandi, toleratur ex ſpeciali conceſſione & gratia Eccleſiæ; prout etiam de jure patronatus dici ſolet.

75 Nec dicas. Poteſt Laicus ex conceſſione Eccleſiæ poſſidere jus patronatus, & jus funerandi; ergo etiam de tali jure poteſt Judex laicus cognoſcere. Negatur enim & conſequentia: quia Eccleſia ex quadam indulgentia, & ſpeciali gratia, ſuſtinet quidem Laicos in ejuſmodi jure patronatus, aut jure funerandi; non tamen idcircò illud jus Laicorum judicio, aut juriſdictioni ſubjecit, ſed ſibi ſubjectum reliquit. Atqui conceſſio, & gratia illa Laicis facta, utpote exorbitans à Jure communi, non eſt extendenda, nec ad conſequentiam trahenda, juxta *Reg. 28. Juris in 6.* multò minus retorquenda in præjudicium ipſiuſmet Eccleſiæ, illud gratiosè concedentis. Abbas *ubi ſupra nu. 8.*

76 Cæterum hactenus dicta, videlicet quod Judex laicus nequeat cognoſcere de jurepatronatus, & hujuſmodi, intellige de per ſe, ac principaliter judicando: nam acceſſoriè ac ſecundario poteſt, utputa, judicando ſuper Caſtro, cui annexum eſt jus patronatus. Pirhing *h. t. nu. 53.* Sicut à



pari,

pari, licet jus patronatus per ſe vendi non poſſit, *cap. De jure 16. de Jurepatronat.* poteſt tamen vendi per venditionem univerſitatis; cui inſeparabiliter adhæret; *cap. cùm ſæculum 13. eod.*

77 Quæritur III. Utrùm temporalia negotia, cauſæque civiles Eccleſiarum, perſonarumque Eccleſiaſticarum ad ſolum Judicem Eccleſiaſticum pertineant?

Reſp. I. Poſſunt quidem Laici negotia mere temporalia Eccleſiarum, perſonarumque Eccleſiaſticarum tractare: ſed ita duntaxat, ut nulla eis ſuper Eccleſias, vel Clericos poteſtas, ſeu præeminentia conferatur. Ita Abbas *in cap. decernimus n. 9. & 10 h. t.* ubi poſt Gaſpar. Calderinum inde infert, quod Laicus poſſit in temporalibus conſtitui Oeconomus Eccleſiæ vacantis; & multò magis, ſi non vacat. Vivianus *in Rationali cap. 2. § 1. h. t.* citans Felinum *in c. Apoſtolicæ col. 4. de Exceptionib.* Summa Angelica; *℣. Laicus n. 1.* Pirhing *h. t. nu. 55.* & in re communis. Sic quippe Laicus poteſt eſſe Syndicus rerum temporalium ad Monaſterium ſpectantium, *cap. un. de Syndico.* Item Procurator non ſolùm ad gerenda negotia temporalia, ſed etiam ad agendum, vel defendendum in judicio ſuper cauſis ſpiritualibus, *cap. 1. §. 1. de Procuratorib. in 6.* haud obſtante, quod ipſos actus ſpirituales exercere, aut ſpiritualia negotia tractare non poſſint, *cap. decernimus h. t.* Nam Procuratoris munus eſt vile, & oneroſum, non ſic poteſtas tractandi negotia ſpiritualia.

78 Accedit ratio: quia ex una parte Laici circa gerenda negotia merè temporalia, ſolent eſſe magis inſtructi, & practici: ex altera verò parte expedit, ut Clerici, veluti in ſortem Domini ſpecialiter vocati, à tractandis negotiis temporalibus magis ſint abſtracti, *arg. cit. cap. un. de Syndico.* Ergo non ſolùm nihil impedit, ſed etiam conveniens eſt, ut Laici adminiſtrent negotia mere temporalia Eccleſiarum, & Clericorum: dummodò nullam in hos exerceant poteſtatem, ac præeminentiam, ſed nudum exhibeant miniſterium, ipſorum nomine res ſuas temporales adminiſtrando.

79 Dices. *In can. In nona 16. q. 7.* expreſſe prohibetur, ne Epiſcopi Laicos conſtituant ſuos Oeconomos, ſed hos ex proprio Clero ſibi aſſumant; ergo. Reſp. In præallegato Canone per *Oeconomos*, intelligi Vicarium Epiſcopi in rebus Divinis; prout liquet ex textu. Unde ibidem notanter ſubditur ratio dictæ prohibitionis, illis verbis: *Indecorum eſt enim, Laicum Vicarium eſſe Epiſcopi, & ſæculares in Eccleſia judicare.* Unde Abbas *in cit. cap. decernimus nu. 9. & ſeqq.* rectè inquit, quòd Laicus non poſſit eſſe Oeconomus; Id eſt, non poſſit habere generalem adminiſtrationem omnium bonorum Eccleſiæ, temporalium, & ſpiritualium, ut ſic præſit omnibus; *cap. Ex ratione 2. de Ætate & qualitat. præfic.* bene tamen poſſit Laicis committi cura rerum temporalium, ubi habent purum & nudum miniſterium, tenenturque alicui perſonæ Eccleſiaſticæ reddere rationem; prout obſervat quaſi conſuetudo totius Orbis.

80 Additur notanter in Concluſione, *ſed ita duntaxat, ut nulla eis ſuper Clericos poteſtas, ſeu præeminentia conferatur.* Hoc enim aperte repugnaret dignitati Status Clericalis, atque privilegio exemptionis Clericorum à juriſdictione Laicali; & meritò reprobatur *in d. c. Ex ratione 2. de Ætate & qualitat. præficiend. & can. Indicatum eſt diſt. 89.*

81 Reſp. II. Non tamen poſſunt Laici, præſertim ſecluſa ſpeciali commiſſione ſeu delegatione Epiſcopi, aut alterius Prælati Eccleſiaſtici, cognoſcere cauſas judiciarias, etiam pecuniarias, aliaſve mere civiles, quæ vel inter duos Clericos, vel à ſæcularibus contra Eccleſias vel Clericos intentatur. Concluſio ſic prolata eſt certa; & patet ex *can. Inclita & ſeqq. 11. q. 1. & c. Si quis contra 4. & c. Si diligenti 12. de Foro compet.* cum ſimilibus. Accedit ratio: quia Laici ſuper Eccleſiis, rebus, & perſonis Eccleſiaſticis, nullam habent poteſtatem ſeu juriſdictionem, *can. Bene quidem diſt. 96. & c. Eccleſia S. Mariæ 10. de Conſtit.* cum ſimilibus. Atqui nemo poteſt authoritate propria, & abſque commiſſione ſeu delegatione Superioris judicare, niſi de rebus, & perſonis ſuæ juriſdictioni ſubjectis; nam ſententia à non ſuo Judice lata non valet; *c. At ſi Clerici 4. h. t. & c. Ad noſtram audientiam 3. de conſuetud.* cum ſimilibus; ergo

82 Additur autem, *præſertim ſecluſa ſpeciali commiſſione &c.* Nam, quod ex commiſſione Epiſcopi, alteriuſve Prælati, poſſit Laicus cognoſcere cauſas merè civiles Clericorum, tenet Gloſſa *in c. decernimus §. Non præſumant.* & ibi Abbas *nu. 4* & Felinus *nu. 1.* & Barboſa *n. 6. & 7. h. t.* citans alios; quamvis plures horum id limitent: Dummodò non adſint Clerici idonei, nec fiat commiſſio generalis ad omnes cauſas civiles; ut videre eſt apud Felinum, & Barboſam *loc. cit.* Verùm oppoſitam ſententiam eſſe probabiliorem, videlicet non poſſe Epiſcopum, aut alium Prælatum Papa inferiorem committere Laico cauſam Clericorum temporalem judicialiter cognoſcendam, jam dictum eſt ſuprà *Lib. 1. Tit. 29 de Officio & poteſtat. Judicis Delegati §. 4. nu. 88. & ſeqq.* Utrum autem Judex ſæcularis poſſit ſupplere negligentiam Judicis Eccleſiaſtici in cauſis realibus, & perſonalibus Clericorum, pariter jam dictum eſt *Lib. 1. Tit 10. De ſupplenda negligentia Prælatorum §. 3. n. 44. 45. & ſeqq.*

## §. IV.

## De Judice in cauſis Criminalibus Clericorum.

*S U M M A R I U M.*

83 *Clericus de omni crimine debet coram judice Eccleſiaſtico conveniri, non coram Laico.*
84 *Adeò, ut Laicus nec principaliter, nec incidenter, poſſit Clericum de crimine judicare, & punire. Et nu. ſeqq.*
*Etiamſi Clericus eſſet calumniator in accuſando Laicum coram judice ſæculari. Ibid.*
85 *Sed is coram Eccleſiaſtico judice eſt conveniendus, abeoque puniendus.*
86 *Nec valet conſuetudo contraria, etiam immemorialis.*
87 *Ex commiſſione tamen Papæ poſſet Laicus eſſe judex in cauſa criminali Clericorum.*
88 *Clericus coram judice ſæculari convictus, aut confeſſus, non idcircò poteſt à ſuo Epiſcopo condemnari, & puniri.*
89 *Habet tamen ejuſmodi confeſſio quoſdam alios effectus non judiciales; & quales?*
90 *Judex Eccleſiaſticus, coram quo Clericus delinquens conveniri debet, eſt proprius ejus Epiſcopus.*
91 *Non Epiſcopus alterius Diœceſis, nec ſæcularis.*
92 *Epiſcopus proprius Clerici conveniendi cenſetur quis pluribus modis. Et nu. ſeqq. Videlicet.*
*I. Ratione domicilii. Ibid.*
93 *II. Ratione Beneficii.*
94 *Atque hoc ampliùs declaratur.*
95 *III. Ratione contractus, delicti, rei ſitæ in ejus Epiſcopatu &c.*
96 *Epiſcopi appellatione, qui omnes hic veniant?*
97 *Epiſcopus eſt ordinarius judex Clericorum, ita ut etiam Clerici Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum, in prima inſtantia coram eo ſint conveniendi.*
98 *Niſi tales habeant ſpeciale privilegium, aut conſuetudinem in contrarium.*
99 *Decani Eccleſiarum Cathedralium Germaniæ de conſuetudine habent juriſdictionem in Canonicos & ...*
100 *Clericus una cum Laico delinquens, privativè convenitur coram judice Eccleſiaſtico.*
101 *An coram hoc etiam Laicus ille ſit conveniendus, abeoque puniendus? Et nu. ſeqq.*
*Proponitur ratio dubitandi, & affirmativam tenendi. Ibid.*
102 *Et qui Authores hanc teneant?*
103 *Sententia negativa eſt probabilior, ac in praxi recepta.*
104 *Ejuſque rationes.*
105 *Quæ limitatur, dummodò judex Eccleſiaſticus in capturâ Laici non præveniat.*
106 *Laicus cum Clerico delinquens, nequit declinare judicium ſæculare.*
107 *Judex Eccleſiaſticus, quando poſſit Clericum criminoſum tradere Curiæ ſæculari? Et nu. ſeqq.*
108 *Contra Clericum criminoſum ſunt obſervandi quatuor gradus pœnarum.*

109 Sed



109 *Sed alius eſt ordo procedendi contra Clericum, quando pœna incipit à crimine: alius, quando à contumacia.*
110 *Probabilius eſt, quod Clericus ob nullum crimen poſſit tradi Curiæ ſæculari, niſi in caſu incorrigibilitatis, aliiſque ſpecialiter exceptis.*
111 *Idque amplius probatur. Et n. ſeqq.*
112 *Referuntur caſus ſpeciales, tum de jure communi.*
113 *Tum per diverſas conſtitutiones Apoſtolicas excepti, in quibus Clerici criminoſi ſtatim traduntur Curiæ ſæculari.*
114 *Proponuntur, &*
115 116 117 *Solvuntur contraria.*

83 Quæritur I. Quis ſit Judex ordinarius in cauſis criminalibus Clericorum? Reſp. I. Clericus de omni crimine debet coram Eccleſiaſtico Judice conveniri; adeòque Laicus non poteſt in cauſis criminalibus eſſe Judex ordinarius Clericorum, haud obſtante quacunque conſuetudine contraria. Patet hoc *ex can. Nullus judicium & ſeqq. 11. q. 1. & ex c. Clerici 8. h. t.* ubi Gloſſa, Abbas, Vivianus, Barboſa: & *Aut. ut Clerici apud proprios Epiſcopos Collat. 6.* eſtque communis. Accedit ratio: quia Judex ſæcularis nullam habet juriſdictionem in Clericos, utpote gaudentes privilegio Fori, ſicque exemptos ab ejus juriſdictione, *c. Eccleſia ſanctæ Mariæ 10. de conſtit. & can. Nullus judicium & can. Relatum 11 q. 1.* cum ſimilibus. Idque vel maxime procedit in cauſis criminalibus: cederet enim in grave dedecus, & contemptum Status Clericalis, ſi Judices ſæculares, qui ſtatu ſunt inferiores, Clericorum crimina cognoſcerent, & punirent; ſicque alios majores, & digniores ſe, in judicium adducerent, *arg. c. Si diligenti 12. de foro compet.* Atqui ſententia in non ſubditum lata, non tenet, *c. At ſi Clerici h. t.* cum concordantiis, ergo.

84 Atque hoc adeò verum eſt, ut Judex laicus nec principaliter, nec incidenter, poſſit Clericum de crimine judicare, eumque punire. Farinacius *tom. 1. lib. 1. de Inquiſitione tit. 1. q. 8. n. 26.* cum aliis, inde concludens, quod Clericus calumniator in accuſando Laicum coram Judice ſæculari, non poſſit ab eodem ſæculari Judice puniri: Et meritò: nam Statuta Conciliorum Generalium, Sacrique Canones, & Imperatoriæ Sanctiones eò tendunt, ut in omnibus cauſis criminalibus Clerici pleniſſimo Fori privilegio gaudeant; idque ob dignitatem, atque excellentiam Status Clericalis.

85 Ne autem Clericorum crimina remaneant impunita, contra *c. Ut famæ 35. de Sentent. excom.* conſequens eſt: quòd iidem ſuper commiſſis criminibus coram Judice Eccleſiaſtico, ſeu Prælato ſuo ſint conveniendi, abeoque puniendi, *cit. c. Clerici h. t. & can. Placuit, ut quiſquis, 11. qu. 1.* cum ſimilibus: Atque etiam, ubi incidenter coram Judice ſæculari movetur quæſtio ſuper crimine Clerici, quod is ab hujus diſcuſſione ſuperſedere, ejuſque cognitionem ad Judicem Eccleſiaſticum remittere teneatur, *arg. c. Lator. 5. Qui filii ſint legitimi*, eſtque in ſimili dictum ſuprà *§. præc. n. 58.*

86 Nec obſtat conſuetudo contraria, quantocunque tempore obtenta fuerit. Quia nulla conſuetudo, etiam immemorialis, prævalere poteſt contra libertatem Eccleſiaſticam, *c. Cùm terra 14. de elect. & c. Cùm inter. 5. conſuet.* Irrogaret enim injuriam Eccleſiæ Dei, *c. 2. de foro comp.* ac proinde ut corruptela venit extirpanda, *can. Mala diſt. 8. & c. Noverit. 49. de Sent. excom.* ubi inſuper excommunicantur omnes illi, qui de cætero ſervari fecerint ſtatuta, & conſuetudines contra Eccleſiæ libertatem introductas, aut ſecundum eas præſumpſerint judicare. Idem ampliùs probatur ex dictis ſuprà *lib. 1. tit. 4. de conſuetud. §. 3. nu. 61. & ſeqq.*

87 Additur notanter n. 83. *Judex ordinarius.* Nam quod ex ſpeciali commiſſione Summi Pontificis (non item Epiſcopi, vel alterius Papa inferioris) poſſit Laicus eſſe Judex delegatus in aliquibus cauſis criminalibus Clericorum; tradit Gloſſa communiter recepta *in c. Decernimus ℣ Non præſumant. h. t.* eſtque uberiùs dictum ſuprà *lib. 1 tit 29. de officio & poteſtate Judicis delegati §. 4. n. 88. & 92. & ſeq.* Ibi videatur.

88 Reſp. II. Adeò neceſſe eſt, quod Clericus in cauſa criminali conveniatur coram Judice Eccleſiaſtico, ut etiam convictus, vel confeſſus coram Judice ſæculari, non idcircò poſſit à ſuo Epiſcopo condemnari, ac puniri. Textus eſt *in c. At ſi Clerici 4. h. t.* ubi Abbas, Vivianus, Barboſa, & communis. Ratio eſt: quia ſicut ſententia à non ſuo Judice lata non tenet, *c. Ad noſtram audientiam 3. de Conſuetud. & L. ult. C. Si à non compet. judic.* ita nec tenet facta coram ipſo confeſſio; ut in textu *cit. c. At ſi Clerici.*

89 Fatendum tamen, quod, licèt ex tali confeſſione, coram Judice incompetente facta, Clericus à ſuo Epiſcopo condemnari, & puniri nequeat, ut dictum, nihilominùs ejuſmodi confeſſio quoſdam alios effectus non judiciales habere poſſit. Nam imprimis ipſa habet vim confeſſionis extrajudicialis, quando non per vim, vel metum tormentorum, nec per errorem ſed ſponte, ac ſcienter facta fuit: unde cauſat legitimum judicium, ac præſumptionem criminis; ita ut à ſuo Judice poſſit capi, & judicialiter examinari, imò & torturæ ſubjici. Abbas *in cit. c. At ſi Clerici n. 14. h. t.* ex profeſſo hoc punctum examinans & Pirhing. *eod. n. 89.* Deinde ex tali confeſſione criminis, à Clerico coram Judice ſæculari facta, quandoque gravatur, & valdè læditur ejus bona exiſtimatio: unde ad tollendam infamiam, & ſcandalum aliorum poteſt ipſi indici purgatio canonica; & ſi ſe purgare nequeat, debet puniri quaſi convictus interpretativè. Gloſſa *in d. c. At ſi Clerici ℣. Condemnandi*, id probans ex *c. cùm P. 7. de Purgat. canon.* cum ſimilibus.

90 Quæritur II. Coram quo Judice Eccleſiaſtico Clericus in criminalibus ſit conveniendus? Reſp. I. Judex ille Eccleſiaſticus, coram quo Clericus delinquens conveniri debet, eſt proprius ejus Epiſcopus. Ita communis; & habetur deciſum *in c. Si quis contra 4. de Foro compet.* illis verbis: *Si quis contra Clericum cauſam habuerit, Epiſcopum ipſius adeat &c.* Ubi Fagnanus *n. 15. & ſeqq.* cum aliis obſervat regulam hanc procedere, ſive Clericus conveniatur à Clerico, ſive à Laico: Actor enim ſequitur Forum Rei, *c. Ætum generale, de Foro comp.* At in cauſis tam civilibus, quam criminalibus, *can. Inclita, & ſeqq. 11. q. 1. & Auth. Ut Clerici apud proprios Epiſcopos. Collat. 6.*

91 Et notanter in præallegato textu dicitur, *Epiſcopum ipſius adeat.* Idque tum ob excluſionem Epiſcopi alterius Diœceſis, utpotè qui non debet mittere falcem in meſſem alienam, *can. ſcriptum eſt, 6. q. 3.* Nec alterius Parochianum judicare, *c. Nullus 3. de Parochiis.* Cum ad excluſionem Judicis ſæcularis, *can Si quis cum Clerico, & ſeqq. 11. q. 1. & c. Si diligenti, 12. de Foro competent.* Tum etiam ad excluſionem inferioris Prælati: ſiquidem de Jure communi Epiſcopus ſolus habet fundatam intentionem ſuper juriſdictione ordinaria in tota Diœceſi, *cap. cum Epiſcopus, 7.* juncta Gloſſa *ibid. verſic. In tota ſua, & verſic. Habere, de Offic. Ordin. in 6.* cum Concordantiis: quidquid ex ſpeciali privilegio, vel conſuetudine, alicubi in contrarium fiat, juxta proximè dicenda *num. 96.*

92 Reſp. II. Epiſcopus proprius Clerici conveniendi cenſetur quis pluribus modis. Primò, ratione domicilii: qua ratione ille dicitur proprius Epiſcopus, in cujus Diœceſi Clericus domicilium habet, ut *c. Dilecti, 17. de Foro compet.* ubi Gloſſa *℣. Ubi Domicilium*, & DD. communiter; & *l. Si fideicommiſſum. § Sed & reſcriptum, ff. de Judiciis.* Forus enim domicilii, eſt verus, & ordinarius ac generalis forus: adeò, ut quis poſſit ibi conveniri de omnibus, etiam alibi geſtis. Abbas *in c. ult. n. 38. de Foro comp.* & ampliùs dicetur *tit ſeqq. §. 2. n. 28. & ſeqq.*

93 Secundò, ratione Beneficii: ſic enim Epiſcopus proprius dicitur ille, in cujus Diœceſi Clericus habet beneficium Eccleſiaſticum, licèt cæteroquin ſit alterius Diœceſis, *c. cum nullus, de Temporib. Ordinat. in 6.* Etſi enim ibi ſit ſermo de proprio Epiſcopo reſpectu Ordinis conferendi, tamen idem eſt dicendum reſpectu juriſdictionis: quia qui poteſt ordinare, poteſt etiam judicare, *arg. can. Nullus Primas 9. q. 2. & c. 3. de Parochiis.*

94 Ubi tamen notandum, quod ſi Beneficium perſonalem reſidentiam non requirit, Clericus in loco Beneficii ſolummodò poſſit conveniri: quando agitur de illo Beneficio (quia tunc ratione rei, de qua agitur, ſortitur ibi Forum) non autem de aliis, *arg. c. Dilectus filius, 29. de Reſcript.* juncta Gloſſa *ib. ℣. Domicilium.* Si verò Beneficium illud perſonalem reſidentiam requirat, tunc Rector beneficii cenſetur ibi domicilium contrahere (nam reſidentia

dentia illa, ſeu neceſſitas reſidendi eſt, quæ facit ſortiri domicilium; prout poſt Innocentium *in c. Ex ore, de Privileg.* ſentit Abbas *c. Poſtulaſti, n. 4 de Foro comp.* (ſicque poteſt ibi conveniri ſuper omnibus, etiam alibi geſtis, juxta dicta *n. 92.* & notat Fagnanus *in c. Si quis, n. 11. de Foro compet.*

95 Tertiò, in ordine ad dictum effectum conveniendi Clericum, Epiſcopus proprius ipſius dicitur quis etiam ratione contractus initi, delicti commiſſi, aut rei ſitæ in ejus Epiſcopatu, ut *c. ult. de foro comp.* Et generaliter omnibus aliis modis, quibus forum [illegible] ſortitur, de quibus ex profeſſo agetur *tit ſeqq. §. 2. & ſeqq.* Fagnanus *loc. cit. num. 14.*

96 Tandem ſciendum, quod *Epiſcopi* appellatione, quantum ad propoſitum, etiam veniant inferiores Prælati, habentes in loco juriſdictionem quaſi Epiſcopalem ex privilegio, vel conſuetudine. Patet hoc ex *c. cùm contingat in fin. 13. de foro comp.* ubi Abbas *n. 18.* & Barboſa *n. 1.* citans plurimos alios. Concordat *c. Auditis, 15. de præſcr.* ubi dicitur, Prælatum inferiorem poſſe præſcribere in certis Eccleſiis jus Epiſcopale; & Fagnanus *cit. n. 14.* inde concludens, quod ſecundum omnes enumeratas acceptiones ſtet regula, ut Clericus coram proprio Epiſcopo conveniri debeat.

97 Reſp. III. Adeò verum eſt, quod Epiſcopus ſit ordinarius Judex Clericorum ſuæ Diœceſis, ut etiam Clerici illi, qui inſerviunt Capitulis Cathedralibus, vel Eccleſiis Collegiatis, ut aliis Clericis ejuſdem Diœceſis, in prima Inſtantia ſint conveniendi coram Epiſcopo tanquam Ordinario loci, & non coram illis, quibus inſerviunt: niſi his forſan id competat ex ſpeciali privilegio, vel conſuetudine legitimè præſcripta. Ita habetur deciſum *in c. cum contingat 13. de Foro comp.* ubi Abbas *in Summario*, Innocentius, Felinus, & Barboſa *nu. 1.* citans plurimos alios, ſi quidem, ſpectato Jure communi, ſolus Epiſcopus eſt ordinarius judex Clericorum ſuæ Diœceſis, *can. de perſona 11. q. 1.* ubi Gregorius Papa, quantùm ad hoc, approbat *Auth. de Sanctiſſimis Epiſcopis, §. Si quis contra, Collat. 9.* cum ſimilibus.

98 Hinc *in c. Irrefragabilis, 13. §. Exceſſus, de offic. ord.* ſolummodò permittitur, ut exceſſus Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ corrigantur per Capitulum, vel ejus Decanum (ut loquitur Gloſſa ibidem) in illis Eccleſiis, quæ talem hactenùs conſuetudinem habuerunt. Secùs ergo dicendum ſecluſa tali conſuetudine, ac ſpeciali privilegio in contrarium conceſſo.

99 Ejuſmodi autem conſuetudo (inquit Pirhing. *tit. de foro comp. n. 74.*) eſt in Germania: ubi Decani Eccleſiarum Cathedralium juriſdictionem habent in Canonicos, & Clericos Capitulo deſervientes, quorum correctioni Epiſcopi non ſe immiſcent, niſi Decani ſint negligentes, & officio ſuo deſint, juxta *cit. §. Exceſſus.*

100 Quæritur III. An, ſi Clericus una cum Laico crimen committat, uterque in Foro Eccleſiaſtico ſit conveniendus, & puniendus? Reſp. I. Certum eſt, quod Clericus, etiamſi cum Laico crimen commiſerit (ut ſi cum Sempronio laico furtum perpetrarit, aut cum fœmina fornicatus ſit) nihilominùs ſuper eo privativè coram Judice Eccleſiaſtico ſit conveniendus, & puniendus. Siquidem textus Juris, Clericum à juriſdictione ſæculari eximentes, generaliter, & indiſtinctè loquuntur; ergo etiam procedunt in caſu, quo Clericus eſt ſocius Laici in crimine.

101 Major difficultas eſt: utrum non etiam in tali caſu Laicus (puta, Sempronius, vel ejuſmodi fœmina) cum Clerico delinquens, coram Judice Eccleſiaſtico ſit conveniendus, ab eoque puniendus? Ratio dubitandi, & affirmativam tenendi eſt: Tum quia ratione connexitatis delicti, hujuſmodi cauſa criminalis non videtur dividenda, *arg. l. Nulli C. de Judiciis*, cum ſimilibus; ſicque uterque delinquens ab eodem Judice dijudicandus, & crimine probato puniendus. Tum quia magis dignum trahit ad ſe minùs dignum, *c. quod in dubiis, de Conſecr. Eccl.* ſicque in eadem cauſa Clericus videtur Laicum, ſecum delinquentem, trahere ad Forum Eccleſiaſticum, & non econtrà. Tum tandem, quia poteſt quis ſortiri, ac retinere privilegium ratione ſocii, quod per ſe non poteſt; *ut l. Si communem ff. Quemadmodum ſervit. amit.* ergo etiam Laicus poteſt ſortiri privilegium Fori Eccleſiaſtici ratione Clerici in crimine ſocii, licet per ſe id non poſſit.

Atque ob haſce rationes non pauci doctores volunt, ſi Clericus cum Laico delictum perpetret, cauſam hanc eſſe ab uno duntaxat Judice decidendam, & quidem Eccleſiaſtico veluti digniore; prout ſentit Maranta *p. 4. Speculi Aurei diſt. 11. n. 22.* Menochius *de Arbitr. judic. lib. 2. caſ. 371. n. 13.* qui addunt, hoc dictum originaliter fuiſſe Antonii de Prato *in L. 1. in fin. ff. quæ ſent. ſine appellat. reſcind.* aliique plures ab ipſis citati. Veruntamen his non obſtantibus 102

Reſp. II. Probabilius eſt, atque in praxi magis receptum, quod in tali caſu Clericus quidem ſit conveniendus, & puniendus à Judice Eccleſiaſtico, ut dictum; Laicus autem à Judice ſæculari. Ita Covarruvias *Practicar. quæſt. 34. n. 1. propè fin.* Fachineus *lib. 9 Controverſ. in c. 31.* Zoeſius *tit. de foro comp. n. 18.* Julius Clarus *lib. 5 practicæ Criminalis §. fin. q. 36. n. 46.* tandem concludens, quod ab hac communi obſervantia non ſit recedendum in practica. Farinacius *lib. 1. tit. 1. de Inquiſitione, quæſtion. 8. num 151. V. Contrarium*, poſt Rebuſſum, Gomez, & plures alios. 103

Ratio hujus ſententiæ eſt; quia, licet in individuis (ſeu ita communibus, ut nulla poſſit fieri congrua diviſio inter ſocios, quorum alter habet privilegium fori) tota cauſa ſit tractanda coram Judice ejus, qui gaudet dicto privilegio Fori; uti notat Bartolus *in l. Præcipimus §. eodem obſervando C. de Appel.* & benè probant rationes [illegible] adductæ: ſecùs tamen eſt dicendum de dividuis, ſeu commodè ab invicem ſeparabilibus. Covarruvias, & Farinacius *ubi ſuprà*, cùm aliis. Atqui in propoſito caſu quæſtio eſt de re, ſeu cauſa dividua; quia facilè poteſt Judex Eccleſiaſticus Clericum punire, & Judex ſæcularis Laicum, abſque ulla utriuſque juriſdictionis læſione; ergo. Accedit textus apertus *in l. Si quis uxori §. 1. ff. de Furtis*; ubi ſi quis furtum cum uxore in rebus [illegible] mariti fecerit, furti actione tenetur; cum tamen ipſa uxor furti non teneatur, ſed rerum amotarum, & conſequenter in delictis ſocius criminis minimè gaudet privilegio ſocii, cum res ſit dividua. Atque per hoc patet ad fundamenta prioris ſententiæ *n. 101* allata. Nam procedunt in cauſa individua; ſecus, in dividua. 104

Cæterum per hactenus dicta neutiquam negatur, quin Laicus unà cum Clerico delinquens; poſſit à Judice Eccleſiaſtico puniri, ſi hic in captura præveniat, prout rectè limitat hanc ſententiam Farinacius *cit. n. 151* [illegible] *nem* aſſerens, illud à DD. hujus ſententiæ non negari. Siquidem quoad crimina mixti fori locus eſt præventioni; & Judex Eccleſiaſticus poteſt procedere ſuper quolibet criminali peccato, *c. Novit. 13. §. Licèt autem h. t.* 105

Benè tamen ex dictis ſequitur, quod Laicus una cum Clerico delinquens idcircò non poſſit ſæculare Judicium declinare; & ſi captus fuerit à Judice Laico neutiquam valeat exceptionem declinatoriam fori proponere ad effugiendam criminis punitionem Covarruvias, *ubi ſuprà n. 1.* Quamquam iſtud ſequeretur ex oppoſita Marantæ, & aliorum ſententia. 106

Quæritur IV. Utrùm, & quando Judex Eccleſiaſticus poſſit Clericum crimino ſum tradere curiæ ſæculari? Reſp. I. De hoc extat celebris Conſtitutio *in c. cum non ab homine, 10 h. t.* ubi Cœleſtinus III. circa proceſſum, contra Clericos in gravibus criminibus deprehenſos obſervandum, decrevit in hæc verba: *Reſpondemus, quod ſi Clericus in quocunque Ordine conſtitutus, in furto, vel homicidio, vel perjurio, ſeu alio crimine fuerit deprehenſus legitimè atque convictus; ab Eccleſiaſtico Ordine deponendus eſt. Quòd ſi depoſitus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet: deinde contumacia creſcente anathematis mucrone feriri: poſtmodum verò, ſi in profundum malorum veniens contempſerit, cum Eccleſia non habeat ultrà quid faciat, ne poſſit eſſe ultrà perditio plurimorum, per ſæcularem comprimendus eſt Poteſtatem, ita quod ei deputetur exilium, vel alia legitima pœna inferatur.* Hæc ibi. 107

Ex quibus verbis liquet contra Clericum crimino ſum obſervandos eſſe diverſos pœnarum gradus: Imprimis enim conſtito de delicto, ſi illud eſt depoſitione dignum, Clericus deponitur: & hic eſt, primus gradus pœnæ infligendæ: Et ſi ſe corrigat, quia non iterat: nec continuat delicta, & depoſitionem ſervat pœnitentiamque adimplet 108



injunctam, non proceditur ulteriùs, ſed, ſi ſit incorrigibilis, prædicta non ſervando, ac ſimilia, vel deteriora crimina perpetrando, tunc excommunicatur: & hic eſt ſecundus gradus. Creſcente verò contumacia anathematizatur; quod ad terrorem cæterorum peragitur cum certis cœremoniis, *in can. Debent 11. q. 3.* præſcriptis: & hic eſt tertius. Denique, ſi adhuc non reſipuerit, quin potiùs in profundum malorum venerit, cùm Eccleſia non habeat ultrà quid faciat, relinquit eum comprimendum per ſæcularem Poteſtatem, ſeu tradit ipſum Curiæ ſæculari qui eſt quartus gradus pœnæ infligendæ. Fagnanus *in c. cùm non ab homine n. 34. h. t.* & alii.

109 Ubi tamen pro concordandis aliis Juribus, mox citandis, notandum eſt cum Gloſſa *fin. in cit. c. cum non ab homine* & Fagnano *ib. n. 35. h. t.* & aliis, quod prædictus ordo procedendi contra Clericum, tunc locum habeat, quando pœna incipit à crimine; ſive quando contra Clericum proceditur propter crimen depoſitione dignum, v. g propter homicidium, aut hujuſmodi. Secùs, quando pœna incipit à contumacia: nam Clericus contumax, ſeu nolens parere mandatis Superiorum, aut Judicis, primo ſuſpenditur, ſecundo excommunicatur, tertiò deponitur: & ultimò traditur Curiæ ſæculari: ut *can. Honoratus diſt. 74.* juncta Gloſſa *ib. V. Adhuc, & can. Fortè 23. qu. 4. & can. Quorundam diſt. 34. & c. quoniam §. fin. Ut lite non conteſtata & c.* Nam aliud eſt, non obedire, quod conſiſtit in omittendo, ut facit ſimplex contumax; aliud contemnere, quod conſiſtit in committendo, ut facit incorrigibilis: atque ideò mitius contra illud proceditur, quam contra iſtum; prout in ſimili contingit in *c. Ad falſariorum. §. fin. de crimine falſi.*

110 Reſp. II. Probabilius eſt, Jurique magis conforme, quod Clericus ob nullum crimen, licèt graviſſimum, poſſit degradari, & Curiæ ſæculari tradi, niſi in caſu incorrigibilitatis, aliiſque caſibus in Jure, aut per Conſtitutiones Apoſtolicas, ſpecialiter expreſſis. Ita Covarruvias *lib. 2. var. reſ. c. 20. n. 7.* Iulius Clarus *lib. 5. Praxis Criminalis §. fin. q. 36. n. 40.* hanc opinionem appellans communem; & Fagnanus *loc. cit. n. 38. & n. 95. & ſeq.* iſtam ſententiam ex profeſſo propugnans, ac plurimos alios pro ea allegans, quamvis non pauci etiam oppoſitum teneant. Fundamentalis ratio noſtræ Concluſionis eſt: quia certum eſt, quod Clerici gaudeant privilegio fori, ſicque nequeant trahi ad judicium ſæculare. *can. Nullus judicum 11. q. 1. & c. At ſi Clerici 4. h. t.* cum ſimilibus: ergo in poſſeſſione hujus privilegii ſunt manutenendi, donec in jure, aut Conſtitutionibus Apoſtolicis, inveniantur eodem privati; etiamſi cæteroquin crimen ipſorum ſit graviſſimum, ut puta homicidium proditorium, occiſio ſacrilega Sacerdotis, furtum ſacrilegum, aut hujuſmodi.

111 Accedit textus jam allegatus ex *c. cùm non ab homine h. t.* ubi Clericus non tantùm ob furtum, vel perjurium, aut homicidium, ſed etiam in alio crimine deprehenſus (ut loquitur textus) tunc primùm tradendus Curiæ ſæculari dicitur, quando perſeverante malitia ſuccedit ejus incorrigibilitas; eo quod *Eccleſia non habeat ultra, quid faciat:* idem ergo dicendum de omnibus criminibus, quantumvis gravibus ac ſpecialiter in jure non exceptis. Probatur conſequentia. Tum quia textus allegatus loquitur indiſtinctè de *aliis criminibus*: tum quia quoad iſta ſemper habet Eccleſia ultrà, quid faciat videlicet excommunicando, & anathematizando, donec hæc omnia incorrigibilis contempſerit. Unde *in c. Clerici 4. de Exceſſib. Prælat.* ob crimen Sodomiæ, utique graviſſimum (imo hodie exceptum) Clericus non illico traditur Curiæ ſæculari: ſed dejicitur à Clero, & in arctum Monaſterium (cui hodie ſuccedit carcer) ad agendam pœnitentiam detruditur. Quo eodem modo Clerici *in latrociniis, vel aliis magnis ſceleribus deprehenſi*, puniri jubentur *in c. Tuæ diſcretionis 6. de pœnis*: ſicque clarè liquet, Clericos etiam pro magnis ſceleribus non illicò poſſe tradi Curiæ ſæculari, niſi ſint incorrigibiles, aut crimina illa ſpecialiter ſint exceptuata.

112 Confirmatur. Quia Iura, & diverſæ Conſtitutiones Apoſtolicæ, ſucceſſivè plures caſus exceperunt, in quibus Clerici crimino ſi illicò degradari, & Curiæ ſæculari tradi jubentur; ergo (cum exceptio firmet regulam in cauſibus non exceptis, ut in *can. Dominus 32. q. 7.* juncta Gloſſa ibidem) illud in aliis criminibus, quantumvis gravibus fieri nequit, niſi acceſſerit incorrigibilitas. Antecedens probatur inductione. Sic enim de jure communi Clericus degradari, & Curiæ ſæculari tradi jubetur. I. ob crimen Hæreſis, præſertim ob reincidentiam in illud, *c. Ad abolendam 9. §. præſenti & §. Illos, quoque de Hæret. & c. Super eo q. eod. in 6.* II. Ob falſificationem Litterarum Apoſtolicarum, *c. Ad falſariorum 7. de Crimine falſi.* III. Ob conſpirationem in proprium Epiſcopum; *can. Si quis Sacerdotum 11. q. 1.* & tradit Gloſſa *in d. c. ad abolendam V. relinquatur de Hæret.* IV. ob crimen Aſſaſſinii, *c. 1. de Homicid. in 6.* ubi Clericus hujus criminis reus, declaratur eſſe à toto Chriſtiano populo perpetuò diffidatus; ita videlicet, ut poſſit à quocunque impunè offendi, etiam abſque alia ſolemni degradatione; dummodò juxta Conſtitutionem 37. Clementis VIII. *Æqua & circumſpecta* (quæ refertur *Tom. 3 Bullarii Romani*) ſecuta ſit ſententia declaratoria, qua Iudex Eccleſiaſticus pronunciavit ipſum eſſe aſſaſſinum. Iulius Clarus *cit. §. fin. q. 36. n. 29. & ſeqq.* Fagnanus *loc. cit. n 72. & ſeqq.* cum communi.

V. Iuxta poſteriores Conſtitutiones Apoſtolicas, ac extra Ius Commune vagantes, Clericus poteſt illico degradari, & Curiæ ſæculari tradi, ob crimen nefandum, ſive Sodomiam: ut decrevit B. Pius, in ſua Conſtitutione 72. *Horrendum illud ſcelus*; ac refertur *Tom. 2. Bullarii Romani*. VI. & VII. Clerici, qui ad Ordinem Presbyteratus non promoti, Miſſarum celebrationem uſurpaſſe vel Sacramentalem confeſſionem audiviſſe convicti ſunt, degradantur, & ſtatim curiæ ſæculari traduntur juxta Conſtitutionem 81. Clementis VIII. *Etſi aliàs*, quæ refertur *Tom. 3. Bullarii Romani* VIII. Clerici monetarii, ſeu monetam fabricantes, tondentes, vel adulterantes, in Italia duntaxat, prævia degradatione Curiæ ſæculari puniendi traduntur, juxta conſtitutionem 74. Urbani VIII. *In ſuprema*, quæ refertur *Tom. 4. ejuſdem Bullarii Romani*. Tot igitur caſuum exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis, quod videlicet ob alia crimina, quamtumvis enormia, non poſſit Clericus delinquens tradi curiæ ſæculari, niſi ſit incorrigibilis, juxta *cit. c. cum non ab homine h. t.* 113

Dices. Textus *in d. c. cum non ab homine h. t.* facit mentionem tantùm de furto, periurio, & ſimplici homicidio; ergo in criminibus atrociſſimis, v. g. in homicidio ſacrilego Sacerdotis, vel parricidio, aliud eſt obſervandum, poteſque Clericus reus tradi curiæ ſæculari. Probatur conſequentia: quia æquitati naturali conſentaneum eſt, ut *pro menſura peccati ſit & plagarum modus*, Deuteronom. cap. 25. ſicque non idem ſit modus procedendi in criminibus atrociſſimis, qui ſervatur in ſimplicibus delictis. Confirmatur id ipſum ex *can. Sunt quædam. 23. qu 2.* ubi dicitur, eſſe quædam enormia flagitia, quæ priùs per mundi Iudices, quam per Antiſtites, & Rectores Eccleſiarum vindicentur. Quinimò *in c. Novimus 26. de Verb. ſignif.* dicitur, quod Clericus, qui *propter hoc* (crimen falſi) *vel aliud flagitium grave, non ſolùm damnabile, ſed damnoſum, fuerit degradatus, ſæculari foro per conſequentiam applicetur*; ſicque is pro omni crimine damnoſo videtur poſſe tradi curiæ ſæculari. Accedit authoritas Ancharani *in d. c. cum non ab homine n. 10. & ſeqq.* & Abbatis *ib. num. 6.* & ampliùs *in c. At ſi Clerici n. 39. h. t.* Felini, Decii, pluriumque aliorum oppoſitam ſententiam tenentium: quam etiam amplexa eſt praxis plurium Tribunalium; uti refert Covarruvias *cit. lib. 2. Var. reſol. c. 20. n. 7.* & Fagnanus *ubi ſuprà n. 37.* 110

Reſp. Ad primum, neg. anteced. Quia *in cit. c. cum non ab homine h. t.* generaliter ſubditur clauſula illa, *ſeu alio crimine*; ſicque non tantùm loquitur de ſimplici homicidio, ſed univerſim de omnibus aliis criminibus ſpecialiter non exceptis. Accedit *c. Tuæ diſcretionis, de Pœnis*, expreſsè loquens de *Latrociniis, & aliis magnis ſceleribus*, junctis aliis in probationem noſtræ concluſionis adductis. Unde, quia Iura adeò clarè loquuntur, nihil urgent, quæ in probationem conſequentiæ afferuntur: præterquam, quod *c. 25. Deuter.* expreſsè loquatur, non de modo procedendi contra crimino ſos; ſed de modo, ſeu menſura plagarum. Poteſt autem Eccleſia aliis modis pœnam commenſurare delictis, v. g. pro atrociſſimis delictis perpetuos, ac ærumnoſiſſimos carceres determinando, ad Reum *pane doloris, & aqua anguſtiæ ſuſtentandum*, 116

dum, prout loquitur textus *in c. Novimus §. fin. de verb. ſignif.* Vel mittendo Clericum reum ad triremes, aut aliis modis pœnas exaſperando, juxta gravitatem culpæ; cum enim ſervitus morti fermè comparetur, *l. Servitutem ff. de Reg. Jur.* multò magis id ſentiendum de perpetuis atrociſſimis carceribus.

116 Ad confirmationem reſpondetur, *cum ſunt quædam 23. q. 2.* Loqui de Laicis, quorum enormia crimina potiùs per Judices mundi, quam per Rectores Eccleſiarum puniendа cenſetur, quamvis ſint delicta mixti fori. Ad c. *Novimus de Verb. ſignif.* patet reſponſio ex terminis: quia loquitur de illis gravibus criminibus, ob quæ Clerici fuerunt degradati, ſicque per conſequentiam jubentur Curiæ ſæculari tradi: non autem dicit, quod ob quælibet gravia crimina poſſit Clericus degradari. Unde ſic explicata textu, negatur conſequentia.

117 Ad authoritatem Ancharani, Abbatis, aliorumque Doctorum, contrariam ſententiam tenentium, reſpondetur, opponendo ipſis communiorem cæterorum Doctorum opinionem, junctis validioribus Juris fundamentis, hactenus jam allegatis. Ad praxin quorundam Tribunalium dicitur, attendendum imprimis eſſe, utrum non talia in caſibus particularibus geſta fuerint ex ſpeciali conceſſione Pontificia, ſeu diſpenſatione per Summum Pontificem in Jure communi facta ex certis circumſtantiis tunc occurrentibus. Sin minùs: patet *ex l. Nemo C. de Sent. & interlocut. omn. judic.* Quia *Non exemplis, ſed legibus judicandum ſit.*

## §. V.

## De Judice cauſarum Feudalium.

### SUMMARIUM.

118 *Plures hic diſtinguuntur caſus.*

119 *Quando inter ipſos vaſallos ejuſdem Domini agitur cauſa feudi, hujus cognitio ſpectat ad Dominum.*

120 *Idque amplius probatur.*

121 *Et procedit, ſive agatur petitorio, ſive poſſeſſorio.*

122 *Ac etiam reſpectu Eccleſiarum, & Clericorum, feudum à Laico habentium.*

123 *Non obſtante, quod cæteroquin gaudeant privilegio fori; & cur?*

124 *Aſſertur ulterior hujus ratio.*

125 *Si tamen Dominus feudi nolit, vel non poſſit juſtitiam exhibere, tunc devolvitur juriſdictio ejus in alium.*

126 *Nempe in judicem ordinarium Rei conveniendi.*

127 *Aut in Superiorem Domini feudi, ſi eum habuerit.*

128 *De cauſis feudum non concernentibus Dominus feudi non judicat, ſed Judex ordinarius Rei.*

129 *Idem dicendum, quando extraneus, etiam ſuper re feudali, cum Vaſallo habet litem.*

130 *Quæ conditiones requirantur, ut Domino feudi competat juriſdictio in Vaſſallos.*

131 & 132 *Quis ſit judex, quando quæſtio feudalis agitatur inter Dominum & Vaſallum de dominio directo.*

133 *Vaſallus negans feudum, cadit à jure feudi; & quando.*

134 *Si inter Dominum & Vaſallum oriatur quæſtio circa feudum ſuper dominio utili cognoſcunt Pares Curiæ.*

135 *Pares Curiæ, qui?*

136 *Qualiter ab utraque parte ſint eligendi?*

137 *Quid, ſi Dominus feudi non habeat Pares Curiæ? Alicubi in horum locum ſucceſſit Judex ordinarius. Ib.*

138 *Dominus feudi nequit cognoſcere ſuper crimine Clerici Vaſalli.*

139 *Benè tamen ſuper delictis impropriè dictis, quæ poſt ſe Feloniam trahunt.*

140 *An dominus feudi poſſit Clerico feudum auferre ob crimen, de quo per Judicem Eccleſiaſticum eſt condemnatus?*

141 & 142 *Etiam injiciendo manus in Clericum vaſallum, qui reſiſtit, nec vult poſſeſſionem feudi relinquere.*

143 *Quando feudum eſt Eccleſiæ, an & qualiter ob crimen Clerici feudum ipſi auferatur.*

118 Quæritur I. Quis ſit Judex competens in cauſis feudalibus inter Vaſallos agitatis? Et notanter additur, *inter Vaſſalos agitatis*: plures enim circa materiam Judicis cauſarum feudalium poſſunt diſtingui caſus. I. Quando agitur de cauſa feudi inter Vaſallos ejuſdem Domini directi ſuper jure feudi; & hoc, ſive feudum illud ſit ſæculare, ſive Eccleſiaſticum. II. Quando extraneus habet litem cum Vaſallo ſuper re feudali. III. Quando agitatur quæſtio feudi inter Dominum, & Vaſallum. Et hoc adhuc contingit dupliciter: vel enim agitur de dominio directo ipſius; ut quia Actor aſſerit, ſe eſſe dominum feudi, & reus negat; dicendo, rem eſſe allodialem. Vel agitur de dominio utili duntaxat, ſeu de alio jure ſpectante ad Vaſallum; puta, an feudum ſit devolutum, & Vaſalus illud perdere debeat, ſeu an Vaſallus ratione feudi debeat tributum, aut quid ſimile. Atque hi omnes caſus diſtinctis Concluſionibus ſunt reſolvendi, unde

119 Reſp. I. Quando inter ipſos Vaſallos ejuſdem Domini agitatur cauſa feudi, ſive Eccleſiaſtici, ſive ſæcularis, tunc cognitio ejus pertinet ad Dominum feudi: dummodò Dominus ejuſmodi poſſit, & paratus ſit, juſtitiam exhibere. Ita communis; & patet ex *c. Cæterum 5. h.t.* ubi Abbas, Baldus, & Barboſa *nu. 1.* citans alios. Concordat textus expreſſus *in c. Ex tranſmiſſa 6. de foro comp.* Ubi Papa deſuper conſultus Epiſcopo Trecenſi reſpondet in hæc verba: *Per dominum feudi cauſam jubeas terminari: & ſi ipſe malitiosè diſtulerit, tu ei debitum finem imponas.* Idipſum reperitur, atque de quæſtione feudi tum Eccleſiaſtici tum ſæcularis declaratur, *in cap. verum. 7. eod.* juxta Gloſſa *ib. V. Cognitionem.* Unde ulterius habetur, quod Dominus feudi hujuſmodi cauſas alibi etiam coram Judice Eccleſiaſtico agitatas, poſſit ad ſe avocare, ipſis quoque partibus invitis; prout accidit *in dict. c. ex tranſmiſſa.*

120 Accedit ratio: quia unuſquiſq; coram proprio judice eſt conveniendus; nam generale eſt, quod Actor ſequatur forum Rei, *c. cùm ſit generale de foro comp.* Atqui Dominus feudi eſt judex proprius, & ordinarius ſuper Vaſallos ſuos reſpectu cauſarum feudalium: habet enim juriſdictionem ordinariam ex Uſibus feudorum, ipſaque Lege ſibi conceſſam, reſpectu cauſarum feudum concernentium; ut patet ex *c. Imperialem l. 2. feud. tit. 55. De prohibita feudi alienat. per Frideric. §. fin.* ubi dicitur, *Præterea, ſi inter duos Vaſallos de feudo ſit controverſia, domini ſit cognitio, & per eum controverſia terminetur.*

121 Atque præſens Concluſio procedit, ſive inter duos Vaſallos agatur petitorio de proprietate ipſius feudi, ſive poſſeſſorio, videlicet de ſola feudi poſſeſſione, ſecundum communem ſententiam, de qua teſtatur Julius Clarus in *§. feudum q. 90. V. quæ quidem communis opinio,* & Farinacius *tom. 1. criminalium l. 1. tit. 1. q. 8. n. 22.* ac ſequitur Barboſa *l. 1. Jur. Eccl. univ. c. 39. §. 2. n. 132.* citans alios: quidquid in contrarium docuerit Gloſſa in *c. c. Cæter. V. Quondam h.t.* aſſerens, in poſſeſſorio poſſe agi coram Ordinario: cui nonnihil favet Fagnanus *in d. c. Cæterum nu. 26. & ſeqq.* Siquidem hanc Gloſſæ doctrinam communiter reprobant alii Doctores, volentes, per Jura proximè allegata, utpote indiſtinctè loquentia, etiam in poſſeſſorio eſſe agendum coram Domino feudi, teſte Baldo in *d. cap. cæterum n. 2.* & Decio, & Aretino *ib. h. t.* & ſequitur Farinacius *cit. n. 22.* cum aliis.

122 Reſp. II. Dicta in Concluſione præcedenti etiam locum habent reſpectu Eccleſiarum, & Clericorum quorumcunque, feudum à Laico, ſeu Principe aut alio Domino ſæculari habentium: adeò, ut coram iſto etiam conveniendus ſit Clericus, vel Eccleſia, contra quem, vel quam à Convaſallo movetur lis ſuper jure feudi; non autem coram Epiſcopo, nec coram Judice ordinario loci, in cujus territorio res feudalis ſita eſt: dummodo Dominus Feudi paratus ſit juſtitiam exhibere. Ita habetur deciſum *in cit. c. Cæterum 5. h. t.* & notat ibidem Abbas *num. 6.* Baldus *num. 1. & 2.* citans plurimos alios; & concordat jam *cit. cap. Ex tranſmiſſa, & cap. Verùm, de foro comp.* Ex hiſce ſiquidem Juribus clarè habetur, quod Conſvetudines, ſeu Leges feudorum, utpote cum origine feudis annexæ, etiam locum habeant in Eccleſiis, & Eccleſiaſticis perſonis; ac proinde Eccleſiæ, & Clerici, ſubjiciantur Domino ſæculari ratione Feudi ab eodem recepti; utpote



pote cui dominium directum in ejuſmodi feudo ſemper retinenti juramentum fidelitatis præſtiterunt.

123 Nec obſtat, quod Eccleſiæ, & Clerici gaudeant privilegio fori, nec niſi coram proprio Epiſcopo conveniri poſſint, *c. An ſi Clerici, 4. h.t.* cum concordantiis. Fallit enim data regula in cauſis feudalibus: non quidem virtute Legis, ſeu Poteſtatis Civilis, ſed ex approbatione Eccleſiæ univerſalis, ac virtute Conſtitutionum Apoſtolicarum, quæ conformiter Uſibus, ſeu Libris feudorum, ne penitus Eccleſiæ & Clerici carere cogantur emolumentis feudorum ſæcularium, ſucceſſivè per Romanos Pontifices factæ fuerunt, & in præallegatis Juribus expreſſæ. Abbas *in d. c. Cæterum n. 6.* & Vivianus *ib. in Rationali §. 1. h.t.* id ulterius probans *ex c. Eccl. S. Mariæ de conſt.*

124 Idipſum confirmatur ex eo: quia feuda, quando conceduntur, ſub ea conditione conceduntur, ut accipiens ſit Vaſſallus concedentis, fungaturque jure privati; ergo etiam Eccleſia, vel Clericus, quando à Principe ſæculari accipit feudum, fit Vaſallus ejus, fungiturque jure privati: ideòque, quando Dominus feudi circa cauſam feudalem procedit contra Eccleſiam, vel Clericum feudatarium, procedit contra ipſum, non tanquam contra perſonam Eccleſiaſticam, ſed veluti contra Ducem, Marchionem, Baronem &c. in feudis majoribus, ſicque talis feudatarius Eccleſiaſticus tenetur ad forum Domini directi, ſicut tenetur Laicus. Accedit, quod iſthæc conſuetudo, videlicet ut Convaſalli inter ſe litigantes debeant adire Dominum feudi, ſit de natura ipſius feudi, utpote cùm ab origine ejus ſit feudo annexa, *cit. c. Imperialem §. quoniam de prohibita feudi alienat. per Frideric. lib. 2. feud.* ac notat Baldus *in cap. Cæterùm num. 2. h. t.* Unde non mirum, quod etiam reſpectu Eccleſiarum, & Clericorum feudum à Laico recipientium, locum habeat.

125 Additur notanter tum in hac, tum in præcedenti concluſione. *Dummodo Dominus feudi paratus ſit juſtitiam exhibere.* Alioquin enim, ſi Dominus feudi malitiosè id facere recuſaret, aut in exhibenda juſtitia omnino negligens foret, vel ſaltem non eſſet potens pro ea adminiſtranda: tunc, ne deſit, qui ſubditis jus reddat, in defectum talis Domini, feudi transfertur, ſeu devolvitur juriſdictio ejus in alium *c. Ex tranſmiſſa 6. & c. Licet 10. & c. ex tenore 11. de foro comp.*

126 Et ſi petas, qualis ſit ille Judex, qui in defectum Domini feudi adiri poſſit? Reſpondetur, hunc eſſe Judicem ordinarium Rei conveniendi; prout deſumitur ex *c. cæterum 5. h.t.* ac notat Summarium, & Abbas *ib. n. 12.* poſt Gloſſam, & DD. *in cit. c. Imperialem §. Præterea lib. 2. feud. tit. 55. De prohibita feud. alien. per Frederic.* Concordat *c. Ex tranſmiſſa, 6. de foro comp.* juncta Gloſſa *fin.* id ulteriùs probante *ex cap. Significavit, 6. de Offic. Ordin.* ubi in ſimili ob deſidiam, vel malitiam Delegati, Judex ordinarius procedit. Et meritò: nam res de facili revertitur ad ſuam primævam naturam; *l. Si unus, §. Pactus ne peteret, ff. de Pactis.*

127 Intellige tamen iſtud, niſi Dominus feudi, negligens in exhibenda juſtitia, habeat Superiorem in feudo. Si enim talem habuerit, tunc vel Vaſallus Actor poterit eum facere compelli à majori illo Judice, ſub quo exiſtit, ad exhibendam juſtitiam; ut inquit Gloſſa *in cit. §. præterea*, id probans *ex l. 1. & 3. §. 1. ff. de Receptis arbitr.* Vel per dictum Superiorem jure devolutionis erit ſupplenda negligentia inferioris Domini feudi; non autem per Judicem ordinarium Rei; ut tenet Abbas *in cit. n. 12.* id colligens *ex c. Ex tranſmiſſa 6. de foro comp.* ſecundum unum intellectum.

128 Quæritur II. Quis ſit Judex competens, quando extraneus, ſeu non vaſallus, habet litem cum vaſallo? Reſp. I. Loquendo de cauſis feudum non concernentibus, putà de actionibus tum civilibus, tum criminalibus à feudo independentibus, certum eſt ſecundùm omnes, quod Dominus feudi de illis non judicet, ſed Judex ordinarius Rei ſit adeundus. Ita Abbas *in cit. c. cæterum n. 13. h.t.* Ratio eſt, quia Lex duntaxat tribuit Domino feudi juriſdictionem ſuper vaſallos, in quantùm agitur de feudo, utpote cujus ipſe retinet dominium directum, *cit. c. Imperialem §. præterea*, ibi: *Si inter duos vaſallos de feudo ſit controverſia &c.* Ac proindè reliqui caſus remanent ſub juriſdictione Judicis ordinarii.

129 Reſp. II. Inſuper, quando extraneus, ſeu non vaſallus, habet litem cum vaſallo etiam ſuper re feudali, non cognoſcit Dominus feudi, ſed tunc cognitio talis cauſæ pertinet ad Judicem ordinarium Rei. Ita Gloſſa *fin. in cit. c. cæterum*, & Abbas *ib. n. 13. h.t.* Pirhing. *de foro comp. n. 150.* & alii. Ratio eſt: tum quia Jura ſolummodò tribuunt Domino feudi juriſdictionem ſuper ſuos vaſallos, non item inter extraneos; haud obſtante, quod de feudo ſit controverſia; ut liquet ex *cit. c. præterea*, ibi: *Si inter duos vaſallos de feudo ſit controverſia.* Tum quia, ſi Dominus contra extraneum poſſet cognoſcere de feudo, hoc ipſo foret judex in propria cauſa, contra *L. un. C. ne quis in ſua cauſa &c.*

130 Infertur proinde, ad hoc, ut Domino feudi competat juriſdictio in vaſallos, conformiter dictis *nu. 119 & ſeqq.* duas requiri conditiones. Primò, ut controverſia ſit ſuper feudo, vel jure feudali, ita ut lis ex Legibus, ſeu conſuetudinibus feudorum decidenda ſit: nam in cæteris cauſis Judex ordinarius Rei erit adeundus. Secundo, ut uterque litigantium recognoſcat Dominum feudi; hoc eſt, fateatur, ſe ejuſdem eſſe vaſallum: ſive dein id fiat reſpectu ejuſdem feudi, & quilibet velit oſtendere de jure ſuo; ſive ipſi ſint vaſalli ejuſdem reſpectu diverſorum feudorum, & contendant ad invicem ſuper aliqua quæſtione feudali. Et hæ duæ conditiones clare deſumuntur ex *cit. §. præterea*, junctis illis, quæ in præcedentibus duabus Concluſionibus continentur.

131 Quæritur III. Quis ſit Judex, quando quæſtio feudalis oritur inter Dominum & vaſallum? Reſp. I. Si quæſtio feudalis agitetur inter Dominum & vaſallum de dominio directo; dum videlicet Actor aſſerit, ſe eſſe dominum feudi, Reus verò negat, dicendo rem eſſe allodialem, tunc Judex ordinarius Rei habebit cognitionem; & quidem Eccleſiaſticus: ſi Reus ſit Clericus, aut ſæcularis, ſi Reus fuerit Laicus. Ita Abbas *in d. c. cæterum h. 20.* & Fagnanus *ib. n. 13. & ſeqq. h.t.* citans inſuper Innocentium, Jo: Andream, & alios communiter. Idque meritò. Neque enim tunc poteſt cognoſcere ille, qui dicit, ſe eſſe dominum feudi; quia foret judex in propria cauſa, contra *cit. L. un. C. ne quis in ſua cauſa &c.* Nec poſſunt cognoſcere Pares Curiæ: quia, qui negat Dominum feudi, negat etiam Pares Curiæ.

132 Accedit, quod negato dominio directo, pariter negetur, cauſam eſſe feudalem: unde ejuſmodi quæſtio, veluti præjudicialis, ante omnia alia erit examinanda, & terminanda. Et quia iſtud ab alio fieri nequit, ut dictum; remanet, quod ejuſmodi quæſtio de dominio directo, ſit cognoſcenda, & definienda, à Judice ordinario Rei, *arg. c. Tua 3. de ordine cognit.* Et ſi is judicaverit, dominium directum pertinere ad Dominum feudi, ſicque rem eſſe feudalem, remittat cauſam ad eundem Dominum feudi.

133 Ubi tamen ſciendum; quod vaſallus negans feudum, ſi convincatur, cadat à jure feudi, ipſoque in pœnam ſuæ inficiationis privandus exiſtat, *L. ult. ff. de rei vindic. & l. 2. feudor. tit. 26. Si de feudo defuncti §. Vaſallus ſi.* Quamquam hoc procedat ſolùm, ſi quis prorsùs negavit, feudum ſpectare ad Dominum, ac deſuper fuit convictus: ſecùs, ſi dubitanter dixit, ſe neſcire; neque fraudulenter hoc ipſum ſciens, ſeu cùm ſcire potuiſſet, ac debuiſſet, negaverit; prout eſt expreſſum *in cit. lib. 2. feud. tit. 34. de Lege Corradi §. Si fuerit*, ac notat Abbas *in d. c. Cæterùm, nu. 21. h.t.*

134 Reſp. III. Si autem inter Dominum & vaſallum oriatur quæſtio duntaxat ſuper dominio utili, vel alio jure feudum concernente; puta, an feudum ſit devolutum nec ne; utrum ex eo debeatur tributum, aut hujuſmodi: tunc in tali caſu cognoſcunt Pares Curiæ, ſi hos Dominus habuerit. Ita Gloſſa *fin. in c. c. Cæterùm*, & Innocentius *ib. n. 1.* & Fagnanus *n. 17. & ſeqq. h.t.* & alii. Idque habetur expreſſum *in cit. c. Imperialem l. 2. de feud. tit. 55. De prohibita feudi alienat. per Frideric. §. præterea*, illis verbis: *Si verò inter Dominum, & Vaſallum lis oriatur, per Pares Curiæ, à Domino ſub fidelitatis debito conjuratos, terminetur.*

135 Ubi per *Pares Curiæ*, intelliguntur alii vaſalli ejuſdem Domini. Et dicuntur *Pares*, à paritate feudorum; quia debent habere ab illo Domino conſimilia feuda: ut ſi eſt cauſa Comitum, tunc alii Comites, vaſalli erunt judices; ſi cauſa inferiorum, tunc inferiores vaſalli judicabunt,

bunt, & ſic de aliis. Abbas *in c. cæterum n. 14.* poſt Innocentium *ib. n. 3.* & Fagnanus *n. 19. h. t.* Vel, quia ſunt vaſalli ejuſdem Domini directi, habentes ab ipſo feudum in eodem territorio; ut inquit Pirhing *h. t. n. 152.* poſt Mynſinger *Cent. 4. obſerv. 89. in fin.*

136 Et hujuſmodi Pares Curiæ ab utraque parte concorditer ſunt eligendi: vel ſi erit diſſenſio, tunc Dominus ſuo nomine debet eligere primo loco, quem, aut quos voluerit; deinde vaſallus cum ipſo litigans ſimiliter ſuo nomine eliget, quem, vel quos voluerit, ſecundùm numerum à Domino approbatum; ita ut numeri æqualitas inter utroſque obſervetur. Textus eſt *in l. 2. feud. tit. 16. de controverſia feudi apud Pares terminanda.*

137 Additur notanter in Concluſione, *Si hos Dominus habuerit.* Nam ſi Dominus feudi Pares Curiæ non habeat, tunc quæſtio ejuſmodi vel apud Arbitros communi partium conſenſu electos, vel apud Judicem ordinarium Rei ſeu in cujus territorio res ſita eſt, tractanda & terminanda erit. Nam, ex quo non poteſt ſervari modus à Lege ſpecialiter inductus, debet res atque juriſdictio redire ad naturam ſuam primævam: atqui cæteroquin generale eſt, quod Actor ſequatur forum Rei *c. 5. & 8. de foro comp.* ergo hoc ipſum in tali caſu (niſi adhibeantur Arbitri) eſt obſervandum. Gloſſa *in cit. c. Imperialem, lib. 2. feud. §. præterea ℣. per pares.* Abbas *c. cæterùm, n. 14. h. t.* Engel *tit. de feudis num. 51. circa finem*, citans alios. Quinimò alicubi (prout de Patria noſtra, imò ferè de tota Europa, teſtantur Commentarii ad jus Bavaricum Illuſtriſs. & Excellentiſs. D. Gaſpari Schmid. *p. m. Tom. 1. in Semicenturia 2. controv. 10. n. 9.*) in locum Parium Curiæ ſucceſſit Judex Ordinarius.

138 Quæritur IV. Utrùm ſuper crimine Clerici vaſalli delinquentis poſſit Dominus laicus feudi cognoſcere, eumque punire, ac feudo privare? Reſp. I. Quando contra Clericum vaſallum agitur criminaliter, vel civiliter, ſuper crimine ad amiſſionem feudi, v. gr. an ſi is ſit reus proditionis, aut alterius delicti, ob quod mereatur feudum amittere; nequit de hujuſmodi crimine cognoſcere ſæcularis Judex, aut Dominus feudi, ſed remittenda eſt cognitio hujus ad proprium Judicem Eccleſiaſticum Clerici Rei. Ita Abbas *in c. verùm n. 17. de foro comp.* poſt Innocentium. Barboſa *lib. 1. Jur. Eccl. univ. c. 39. §. 2. n. 135. & ſeqq.* Farinacius *tom. 1. pract. criminal. lib. 1. tit. 1. q. 8. nu. 22.* & alii ab his citati. Ratio eſt: quia de omni crimine Clericus non niſi coram Eccleſiaſtico Judice conveniri debet, *can. Nullus judicum, & ſeqq. 11. q. 1. & c. Clerici 8. h. t.* ubi etiam reprobatur omnis conſuetudo in contrarium (quale conſuetudinarium eſt Jus feudale) eſtque ampliùs dictum ſuprà *§. 4. n. 83. & ſeqq.*

139 Dices. Poteſt Judex ſæcularis cognoſcere ſuper delictis, quæ poſt ſe Feloniam trahunt: ut ſi vaſallus omittat petere inveſtituram legitimo tempore: ſi feudum irrequiſito Domino alienet; ſi Domino periculum non denunciet, aut illi non ſuccurrat, & hujuſmodi; ergo. Reſp. Hæc non tam eſſe delicta, quam cauſas privationis feudi ex contractu feudali deſcendentes: unde non mirum eſt, quod de his, quæ non niſi impropriè delicta vocantur; cognoſcere poſſit Judex laicus: nam qui conſentit in contractum feudi, conſentit etiam ex pacto & conventione in ea, quæ feudum ſecum fert. Secùs dicendum de criminibus, ſeu delictis propriè dictis: qualia ſunt, quæ Jure naturali, Divino, ac Eccleſiaſtico illicita ſunt, aut prohibita: ut eſt proditio, parricidium, violentia, vel ſtuprum perſonæ Domini, aut uxori, ſeu filiæ ipſius illatum, & hujuſmodi.

140 Reſp. II. Quod ſi Judex Eccleſiaſticus condemnaverit Clericum Vaſallum Domini laici de crimine, ob quod debeat is feudum amittere; tunc Dominus ille laicus, ſi velit, poteſt Clerico feudum auferre: ſecùs, ſi Clericus vaſallus per ſuum Prælatum fuerit abſolutus à crimine. Ita Jo. Andreas *in c. verùm n. 4.* & Abbas *ib. num. 17. de foro comp.* citans Innocentium, & alii. Nam quia Laicus nequit cognoſcere ſuper criminibus Clericorum, ſed horum cognitio ad ſolum Judicem Eccleſiaſticum pertinet, ut dictum; ergo etiam privatio feudi ob crimen, non niſi juxta ſententiam Judicis Eccleſiaſtici, regulanda venit.

141 Dices. Si poteſt Dominus feudi exequi ſententiam Judicis Eccleſiaſtici, Clericum vaſallum condemnantis, ſicque ipſe feudum auferre; ergo, quando Clericus vaſallus reſiſteret, nolletque poſſeſſionem feudi relinquere, poterit etiam Dominus feudi in eum manus injicere, ac vi à poſſeſſione feudi expellere: atqui hoc non videtur dicendum, cùm repugnet *can. Si quis ſuadente, 17. q. 4.* ergo. Reſp. neg. ſequel. Etſi enim Innocentius id totum conceſſerit, aſſerens hoc eſſe ſpeciale in feudo; ejus tamen opinio communiter non approbatur.

Dicendum proinde, quòd Dominus feudi poſſit ſententiam ejuſmodi mandare executioni, non quidem tangendo perſonam Clerici (in hanc enim, utpote ſpecialiter conſecratam, & exemptam, vi feudi juriſdictionem non habet) ſed compellendo eam aliis mediis, putà, terrore armorum, aut Colonos, pro ipſo feudum detinentes, vi inde repellendo: per hoc enim non agitur contra *d. can. Si quis ſuadente.* Quod ſi verò Clericus condemnatus perſonaliter feudum detineat, neque illud relinquere velit: tunc, ſicut cognitio de crimine, ac ſententia fieri debuit per Judicem Eccleſiaſticum, ita per eundem fieri debebit etiam compulſio; abſque eo, quod Laicus vim inferat in perſonam Clerici vaſalli. Abbas *in d. c. verùm, n. 23. & 24. de foro comp.* poſt Jo. Andream, & alios, & hanc ſententiam appellans tutiorem, & veriorem. 142

Cæterùm hactenus dicta potiſſimùm procedunt, quando feudum eſt paternum, ſeu ſpectans ad Clericum vaſallum: tali enim feudo Clericus criminoſus, ob proprium crimen privari meretur. Quod ſi autem feudum ſit Eccleſiæ, tunc quia delictum perſonæ non debet redundare in detrimentum Eccleſiæ, utpote quæ non peccavit juxta *Reg. 76. juris in 6.* tali feudo non privatur Eccleſia, ſaltem non perpetuò. Quod ultimum notanter additur: nam vivente Clerico vaſallo criminoſo aufertur quidem feudum ab Eccleſia, ac pertinet ad Dominum directum; verùm Clerico illo mortuo revertitur feudum ad Eccleſiam, ſicque ſucceſſor in Beneficio recuperat feudum. Textus eſt *in lib. 2. feud. tit.* [illegible] *de Capitulis Corradi §.* [illegible] Plura de Feudis tum Civiliſtæ, tum Canoniſtæ in lib. 3. *Decretalium tit. 20. de feudis inſcripto.* 143

## §. VI.

## De illis, qui poſſunt ut Actores vel Rei, ſtare in judicio.

*S U M M A R I U M.*

144 *Generaliter omnes poſſunt ſtare in judicio, qui nullo jure prohibentur.*
145 *Sunt tamen plures perſonæ ſic prohibitæ. Et n. ſeqq.*
146 *Excommunicatus, an, & qualiter in judicio ſtare prohibeatur?*
147 *Filiusfamilias abſque patris conſenſu in judicio ſtare nequit.*
148 *Exceptis certis caſibus.*
149 *Furioſus, Prodigus, & Servus, non poſſunt ſtare in judicio.*
150 & 151 *Mulieres invitæ in cauſis civilibus ad judicium perſonaliter evocari nequeunt.*
152 *At volentes poſſunt perſonaliter venire in judicium, demptis Monialibus.*
153 *In cauſis criminalibus coguntur mulieres etiam invitæ ad perſonaliter comparendum.*
154 & 155 *Pupillus abſque Tutoris authoritate.*
156 *Sicut & Minorennis abſque authoritate Curatoris, non habent legitimam perſonam ſtandi in judicio.*
157 *Minori petenti dandus eſt Curator ad litem. Et quid, ſi hunc nolit petere?*
158 *Cum authoritate Curatoris, & Tutoris, tùm Minor, tum Pupillus poteſt ſtare in judicio.*
159 *An Minor in cauſis criminalibus ſine Curatore poſſit in judicio ſtare.*
160 *Quid, ſi impetravit veniam ætatis?*
161 *Vel ſi agatur judicio poſſeſſorio?*
162 *Aut ſententia pro ipſo lata fuit?*
163 *In cauſis beneficialibus, & ſpiritualibus, Minor poteſt agere, ac reſpondere in judicio abſque Curatore.*
164 *Atqui hoc procedit etiam de Laicis minoribus reſpectu cauſarum ſpiritualium, ac dependentium ab eis.*

Quæ-



144 Quæritur I. Qui omnes poſſint ut Actores, vel Rei, ſtare in judicio? Reſp. I. Generatim loquendo omnes illi poſſunt in judicio ſtare ut Actores, & Rei, qui nullo jure prohibentur. Ita Speculator *tit. de Actore §. 1. nu. 1* & communis. Nam hoc ipſo, quod quis nullo jure ſit prohibitus, cenſetur habere legitimam perſonam ſtandi in judicio; prout in ſimili dicitur *l. Mutus ff. de Procuratorib. & c. cum apud ſedem 23. de Sponſalibus* ſicque & agere & conveniri poteſt. Æquitati ſiquidem, Jurique naturali conſentaneum eſt, quod quilibet jus ſuum privatum, aut publicum Reipublicæ, defendere poſſit; vel ſub perſona Actoris petendo, quod ſuum, aut Reipublicæ eſt, vel ſub perſona Rei repellendo injuſtas actiones ſibi intentatas; niſi à Legibus ſpecialiter arceatur.

145 Reſp. II. Plures nihilominus ſunt perſonæ, quæ in judicio ſtare prohibentur; ſicque agere, aut conveniri non poſſunt, vel ſaltem non ſine alterius conſenſu. Ita communis, ac præſertim Speculator *cit. tit. de Actore & tit. de Reo*, ubi fuſiſſimè præſentem materiam examinat, & reſolvit; quæ etiam declaratur inductione.

146 Sic imprimis Excommunicatus excommunicatione majori, tanquam Actor in judicio ſtare non poteſt: quamquam conveniri poſſit, & conventus in judicio per alium reſpondere teneatur; ne alioquin, ſi conveniri non poſſet, de ſua malitia commodum reportare videretur, *c. Intelleximus 7. h. t.* ubi Gloſſa, & DD. communiter. Fatendum tamen, quod excommunicatus, ubi ſe injuſtè gravatum, ac condemnatum exiſtimat; excipere, appellare, & omnem juſtam defenſionem (excepta poteſtate reconveniendi) facere non prohibeatur, *c. cùm inter 5. de exceptionib.* Imò etiam ſuper cauſa excommunicationis quam contendit ſibi eſſe injuſtè inflictam, ac etiam appellationis, poſſit Reſcriptum Apoſtolicum impetrare, *c. 1. de reſcript. in 6.* eſtque uberius dictum ſuprà *L. 1. tit. 3. De reſcriptis §. 2. n. 43. & ſeqq. & tit. 38. de procuratoribus §. 2. n. 30. & ſeqq.*

147 Deinde Filiusfamilias abſque patris conſenſu, in judicio regulariter ſtare non poteſt, *c. ult. §. fin. h. t. in 6.* Et ſi ſecùs fiat, atque filius in poteſtate patris conſtitutus, licet ſit majorennis, abſque patris conſenſu contra quemlibet extraneum agat, vel ab eo judicialiter conveniatur, judicium eſt nullum, *l. cùm non ſolùm §. Sancimus C. de Bonis quæ liberis &c. & L. 1. §. fin. C. de Annali exception.* ac notat Speculator *in cit. tit. de Actore, §. 1. n. 22.* aſſerens, conſenſum patris hîc exigi ad ſolemnitatem.

148 Additur verò, *regulariter ſtare non poteſt.* Nam imprimis Filiusfamilias ſine patris aſſenſu poteſt ſtare in judicio quoad cauſas beneficiales, & ſpirituales, ac dependentes ab ipſis, *cit. c. ult. h. t. in 6.* Deinde quoad bona ſua caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia: in his enim etiam contra patrem agit, *l. Lis nulla, ff. de judiciis*, juncta Gloſſa *fin. ib.* Tertiò, quando Filiusfamilias non ſuo, ſed alterius nomine agit, *c. Quid generaliter 5. §. Nec dum, de Procuratorib. in 6.* ubi Filiusfamilias poteſt fieri procurator alterius, etiam ad judicia, abſque patris aſſenſu. Tacentur alii caſus, de quibus Gloſſa *in d. c. ult. ℣. Regulariter, h. t. in 6.*

149 Tertiò, Furioſus, vel mente captus, ſicut & Prodigus, cui bonis per Judicem interdictum eſt, non niſi per Curatorem, qui eorum nomine agat, vel reſpondeat, poſſunt ſtare in judicio. *L. 1. C. de Curatore furioſ. & prod.* Sed nec Servus, ſeu Mancipium in judicio intereſſe poteſt ut Actor, Reus, vel Judex. *l. Servus C. de Judiciis*: nam quod actus judiciales ſervi pro nullis, ſeu pro mortuis habentur, *l. quod attinet, ff. de Reg. Jur.* Tacentur nunc alii in progreſſu enumerandi.

150 Quæritur II. An Mulieres poſſint perſonaliter ſtare in judicio, atque ad hoc compelli? Reſp. I. Quantùm ad propoſitum; Bonifacius VIII. *c. 2. h. t. in 6.* decrevit in hæc verba: *Mulieres (quas vagari non convenit, nec virorum cœtibus immiſceri) authoritate litterarum Sedis Apoſtolicæ, vel Legatorum ipſius, aut alia quacunque* (putà ordinaria, vel delegata ab eo, ut explicat Gloſſa ibidem) *Ad judicium perſonaliter evocari, vel trahi invitas, cauſa ferendi teſtimonii, aut alia qualibet, quæ in Jure non exprimitur, prohibemus.* Hæc Pontifex. Concordat textus *in l. Sancimus C. de Receptis Arbitris.* Unde

Infertur primò, quod mulieres invitæ in cauſis civilibus, vel etiam criminalibus civiliter intentatis, non poſſint compelli ad perſonaliter comparendum in judicio; idque nec cauſa ferendi teſtimonii, ſed nec ex quacunque alia cauſa: ac proinde, ſi mulieres conveniantur in judicio, perſonaliter illuc accedere neutiquam coguntur, ſed ſufficit, ſi reſpondeant per procuratorem. Quod ſi autem earum teſtimonium fuerit neceſſarium, Judex vel per Tabellionem, expenſis partis producentis miſſum, illud exquiret; vel etiam, ceſſante fraude, ipſemet Judex eas accedet pro audiendo teſtimonio: prout loquitur in textu *cit. c. 2. h. t. in 6.* 151

Additur notanter, *Invitæ.* Nam in dictis cauſis mulieres, ſi voluerint, benè poſſunt perſonaliter venire in judicium, argumento à ſenſu contrario deſumpto; ac notat Gloſſa *ib. ℣. Invitas.* Dummodò hinc excipiantur fœminæ religioſæ, ſeu Moniales: nam hæ, etiam volentes, extra ſuum Monaſterium, vel clauſuram, non ſunt perſonaliter evocandæ ad judicium. Quod ſi ſecùs quidquam attentetur, illud ipſo jure irritum eſt ac inane; prout ſubjungitur *in cit. c. 2. §. fin. h. t. in 6.* 152

Infertur ulterius, quod in cauſis criminalibus criminaliter intentatis benè poſſint mulieres, etiam invitæ, cogi ad perſonaliter comparendum in judicio; ſicque ipſæ ob commiſſa crimina perſonaliter citari, imò & capi, atque incarcerari. Nam textus *n. 150* allegatus prohibet ſolùm, ne mulieres invitæ cogantur perſonaliter venire in judicium *ex qualibet cauſa, quæ in Jure non exprimitur.* Atqui cauſa criminalis criminaliter intentata habetur in Jure expreſſa, ſeu excepta *in c. 1. h. t. in 6.* juncta Gloſſa *ib. ℣. criminalis*, cum concordantiis. Nam quod in cauſa criminali non poſſit intervenire procurator, jam dictum eſt ſuprà *Lib. 1. tit. 38. de procuratoribus*, *§. 3. n. 62. & ſeqq.* 153

Quæritur III. Utrùm Pupilli, ac Minores viginti-quinque annis, habeant legitimam perſonam ſtandi in judicio Reſp. I. Pupillus, ſive maſculus ante quatuordecim annos, ex defectu ætatis non habet perſonam ſtandi in judicio; adeoque is neque agere, neque conveniri poteſt in judicio abſque Tutoris authoritate: & ſi ſecùs fiat, ſententia lata contra Pupillum ipſo jure non tenet. Patet hoc ex *L. 1. C. qui legitimam perſonam ſtandi in judicio habeant*, juncta Gloſſa *fin.* & Bartolo *ib.* qui tamen hoc intelligunt de ſententia diffinitiva, non de interlocutoria. Concordat textus *in c. Si annum, §. Si verò h. t. in 6.* ubi minor quatuordecim annis etiam in cauſis Beneficialibus, aliiſque ſpiritualibus, per ſeipſum, & abſque Curatore, in judicio agere, vel defendere prohibetur. 154

Igitur emergente aliqua lite neceſſe eſt, ut Tutor ipſius pro Pupillo agat, ac reſpondeat; ita tamen, ut ſi Pupillus eſt ultra ſeptennium, ſimulque præſens (nam pro abſente, vel minore ſeptem annis, ſemper Tutor in judicio ſtabit) ipſe authoritatem ad hoc ſuo Tutori præſtet. Textus eſt *in L. 1. & 2. ff. de Adminiſtr. tutor.* juncta *L. 2. C. qui legitimam perſonam &c. & cit. c. Si annum, h. t. in 6.* 155

Reſp. II. Inſuper ex defectu ætatis legitimam perſonam ſtandi in judicio non habent Minorennes, ſeu minores viginti quinque annis, abſque authoritate Curatoris; idque procedit tum in civilibus, *l. cum & minores C. Si adverſus rem judicatam &c.* tum in minoribus cauſis criminalibus, *l. Clarum C. de Authoritate præſt.* Quo poſteriori in loco hujus ratio inter alia redditur, illis verbis: Ne Minores alioquin *ex ſua imperitia, vel juvenili calore aliquid vel dicant vel taceant, quod ſi fuiſſet prolatum, vel non expreſſum, prodeſſe eis poterat.* Gailus *lib. 2. pract. obſervat. 108. num. 1. & ſeqq.* citans Bartolum, & alios. 156

Unde minori petenti dandus eſt Curator ad litem, qui ejus nomine judicium exerceat, *L. 1. §. fin. ff. de Minorib. & l. acta §. fin. de re judicat.* Et ſi Minor de induſtria, atque in fraudem Actoris, nolit petere ſibi dari Curatorem, ut hac ratione judicium non ſortiatur effectum (nam contra Minores indefenſos, vel Curatorem non habentes, nulla ſententia proferenda eſt, *l. Acta §. fin. ff. de re judicat.*) tunc Judex ad inſtantiam Actoris debet mandare Minori ut intra certum tempus compareat, nominaturus Curatorem ad litem. Et ſi is non compareat, neque Curatorem nominet, tunc Judex ex officio illum dabit, ne ex mora & contumacia Minoris, judicium, magno Actoris incommodo, diu maneat in ſuſpenſo; ut *L. 3. §. Si pupillus, ff. de Tutel. & L. 1. C. qui petant tutor. vel curator.* Maranta *p. 4. Spe-* 157

4. *Speculi Aurei*, *diſt.* 16. *num.* 36. Gailus *cit. Obſervat.* 108. *n.* 3. allegans alios.

158 Dicitur notanter in data *n.* 156. Concluſione, *abſque authoritate Curatoris*. Nam id, quod dici ſolet, Minorem non habere legitimam perſonam ſtandi in judicio, fallit imprimis, ſi habeat Curatorem, hujuſque conſenſus accedat. Tunc enim non ſolùm Minor, verùm etiam Pupillus; cum authoritate Tutoris vel Curatoris, rectè in judicio agere, & conveniri poteſt; textu claro *L. 2. C. qui legitimam perſonam*. Gailus *loc. cit. n.* 8. cum aliis.

159 Et additur cit. nu. 156. *In minoribus cauſis criminalibus*. Nam de his expreſsè loquitur dicta *l. Clarum C. de Author. præſt.* Alioquin quippe in criminibus Minores ætatis ſuffragio non juvantur: etenim malorum mores non excuſat ætatis infirmitas, niſi ex juris ignorantia; vel aliàs ſine doſo delictum acciderit, *L. 1. C. Si adverſus delictum*. Concordat textus *in l. Si quis te reum C. ad l. Cornel. de Sicariis*: quamquam interdum miſeratio ætatis ad mitiorem pœnam infligendam ſoleat Judicem perducere, *l. Auxilium §. In delictis*, *ff. de Minorib.* Et quidquid ſit de Jure, ſeu diſpoſitione dictæ *l. Clarum*, quod in pratica non ſoleat dari Curator Minoribus, quando inquiruntur, ſeu examinantur in criminalibus; ac propterea horum confeſſio de conſuetudine valeat, etiam ſine authoritate Curatoris, teſtatur Julius Clarus *lib. 5. §. fin. quæſt.* 50. *num.* 2. & Farinacius *Tom. 3. Criminal. quæſt.* 81. *nu.* 370. citans alios.

160 Fallit inſuper data Concluſio in caſu, quo Minor poſt expletum vigeſimum vitæ ſuæ annum, veniam ætatis impetravit: ut *l. Omnes C. de his qui veniam ætatis*, & *l. Ea quæ C. de Temporib. in integrum reſtitut.*

161 Fallit item in judicio poſſeſſorio; ſeu quando agitur de recuperanda, vel retinenda poſſeſſione; *L. ult. C. qui legitimam perſonam &c.* juncta Gloſſa, & Bartolo *ibid.* & aliis. Nam in judicio poſſeſſorio agitur de minori præjudicio, utpote quod, ſi contingat, in petitorio reparari poteſt: ac proinde ibi auditur Minor etiam ſine authoritate Tutoris, vel Curatoris.

162 Quin etiam in cæteris cauſis, quando minor abſque authoritate Curatoris, vel Pupillus ſine interventu Tutoris, agere tentavit, etſi ſententia contra ipſum lata ipſo iure non valeat, *L. 1. & 2. C. qui legitimam perſonam &c.* valet tamen, ſi pro ipſo lata eſt. Textus eſt *in l. Non eò minùs C. de procuratorib.* addita illa notabili ratione: *Minoribus enim ætas in damnis ſubvenire, non in rebus proſperè geſtis obeſſe conſuevit*.

163 Fallit inſuper data *nu.* 156. Concluſio in cauſis beneficialibus, aliiſque ſpiritualibus, & dependentibus ab eiſdem. Siquidem Clericus minorennis in cauſis Beneficialibus (imò & Laicus reſpectu cauſarum ſpiritualium, vel dependentium ab iſtis, v. g. in cauſa matrimoniali, vel jurispatronatus) ſi eſt maior quatuordecim annis, vel per ſe, vel per procuratorem ſuum, abſque alio Curatoris interventu, in iudicio agere, & reſpondere poteſt, non minùs, ac ſi eſſet maior viginti quinque annis; prout eſt textus expreſſus *in c. Si annum 3. h. t. in 6.* juncta Gloſſa *ib.* ℣. *Ac ſi major.* & concordat quoad cauſam matrimonialem textus *in c. Ex p.* 14. *de reſt. ſpoliat.* Ex quibus iuribus liquet, quod Minorennis, ſi eſt maior quatuordecim annis, in beneficialibus, aliiſque ſpiritualibus cauſis, habeatur pro maiori Gloſſ. *in cit. c. Ex parte* ℣. *Quamvis minor.* Barboſa *in d. c. Si annum*, *n. 2. h. t. in 6.* Flaminius Pariſius *l. 3. de reſignatione beneficiorum q. 7. n. 3.* & alii. Quamquam, ſi contigerit, eiuſmodi Minorem in actibus iudicialibus graviter lædi; is non prohibeatur poſtmodum petere reſtitutionem in integrum. Barboſa *loc. c. n.* 2. Pirhing. *h. t. n.* 15. & alii. Alioquin quippe privilegium ipſi conceſſum, in eius præiudicium retorqueretur, contra *reg.* 61. *juris in 6.*

164 Atque iſtud reſpectu cauſarum ſpiritualium, v. g. matrimonialium, & dependentium ab eis, ut eſt ius patronatus, ac huiuſmodi; etiam procedit de Laicis natu minoribus, quando ſunt puberes, ſeu decimum quartum ætatis annum exceſſerunt. Nam textus *in cit. c. Si annum, h. t. in 6.* generaliter loquitur non ſolum de beneficialibus, ſed etiam *de aliis cauſis ſpiritualibus, nec non & dependentibus ab eiſdem*: non diſtinguendo, num Minor ſit Clericus, vel Laicus. Concordat *c. ex p. 14. de reſt. ſpoliat.* ubi mulier quamvis minor cauſam matrimonii per procuratorem agebat ubi Gloſſa ℣. *quamvis minor.* pluribus hoc exequitur. Pirhing. *h. t. n.* 15.

### §. VII.

## An, & qualiter Religioſi, ac Prælati, poſſint agere, & conveniri in judicio?

*SUMMARIUM.*

165 *Religioſi ſubditi nequeunt agere, vel conveniri in judicio abſque licentia ſui Prælati.*

166 *Niſi pro reformatione Monaſterii excuſando Prælatum.*

167 *Aut niſi de licentia Abbatis exiſtant extra Monaſterium in loco remoto.*

168 *Vel niſi habeant Beneficium de conſenſu ſui Superioris.*

169 *Qui præficitur alicui adminiſtrationi, obtinet eo ipſo facultatem agendi ſuper juribus ejus.*

170 *Religioſus poteſt agere ſuper juribus ſpiritualibus, quorum eſt capax.*

171 *Bona Eccleſiarum quandoque ſunt communia inter Prælatum, & Capitulum, ſeu Conventum: quandoque diſcreta, & quomodo?*

172 *Quando bona Eccleſiæ ſunt communia, tunc Prælatus, etiam Regularis, ſe ſolo, & abſque conſenſu Capituli poteſt de ipſis in judicio ſtare.*

173 & 174 *Idque probatur multipliciter.*

175 *Dummodo cauſa non ſit ardua, & magni præjudicii.*

176 *Eſt tamen in his attendenda ſpecialis Eccleſiarum conſuetudo.*

177 *De bonis communibus Capitulum, ſeu Conventus nunquam poteſt agere ſine conſenſu Prælati.*

178 *Niſi quando vult agere pro malè alienatis per Prælatum.*

179 *Poſſunt tamen geſta per ſolum Capitulum poſteà ratificari à Prælato, ſi ita expedire viderit.*

180 *De bonis omnino diſcretis poteſt Capitulum, ſeu conventus agere ſine ulteriori conſenſu Prælati.*

181 *Niſi cauſa foret ardua, magnique præjudicii.*

182 *Ille non poteſt agere, qui non poteſt rem alienare, an & quando verificetur?*

183 *In cauſis civilibus non eſt conveniendus Religioſus, ſed Monaſterium.*

184 *Secùs in cauſis criminalibus, ſeu quando convenitur Religioſus ex delicto.*

QUæritur I. Utrùm Monachi, aliique Religioſi poſ- 165
ſint agere, & conveniri in iudicio? Reſp. Regulariter loquendo Religioſi ſubditi nequeunt agere, vel conveniri in iudicio, ſine licentia ſui Prælati. Ita Gloſſa *in can. Non dicatis 12. q. 1.* ℣. *poſſidere.* Speculator *tit. de Actore*, *n.* 28. Navarrus *Comment. 2. de Regularib. nu.* 64 communis aliorum. Idque clarè patet ex *can. Monachi à Monaſterio 16 q 1.* cum ſimi[illegible]s. Etenim Religioſus non eſt ſui iuris; cum velle & nolle non habeat, *c. Si religioſus, de elect. in 6.* Nec etiam habet dominium bonorum temporalium; cum propter Deum omnia reliquerit, omneque eorum ius in Monaſterium tranſtulerit, *c. In præſentia. 8. de probation.* & *can. Si qua mulier 19. q. 3.* Unde conſequens eſt, quod nec agere poſſit ſine conſenſu ſui Superioris, nec conveniri ſuper iiſdem bonis, ſed potiùs conveniendum ſit Monaſterium.

Additur in Concluſione, *regulariter loquendo*. Nam 166
imprimis, ne Monaſterii reformatio valeat retardari, ab ipſomet Jure, & non petita alia Superioris licentia, permiſſum eſt Monachis ſuos Prælatos accuſare, etiam de bonis Monaſterii faciendo neceſſarias expenſas litis, *c. Ex p. 11. & c. Olim 26. de Accuſat.* Speculator *cit. n.* 48. Navarrus, *ubi ſuprà n.* 65.

Deinde, licèt Monachi non poſſint alios accuſare, ni- 167
ſi interſit Monaſterii, atque accedat licentia Prælati, *cit. c. Ex parte*, juncta Gloſſa, ℣. *Licèt alios*, *de accuſation.* cum ſimilibus: hoc ipſum tamen limitatur, niſi Monachus de licentia Abbatis exiſtat extra Monaſterium in loco remoto, v. g. in ſtudiis. Tunc enim, ſi fuerit in contractu læſus, aut injuria laceſſitus, poteſt ſtare in judicio, & contra aliũm agere, ſeque defendere, non petita alia licentia Prælati. Ita Gloſſa *fin. in c. Cùm dilecta*, 22. *de Reſcript.* quam Abbas *ibid. n.* 14. reputat ſingularem, ad hoc, quòd Religioſus ſpoliatus poſſit petere reſtitutionem in abſentia ſui Superioris; ac poſteà ſubjungit datam doctrinam de Monacho in ſtudiis exiſtente. Specul. *l. c. n.* 50. Engel *h. t. n.* 4. Sannig *eod. c. 3. n.* 7. & alii. Nam ex quo Monachus habet licentiam ſtandi extra Monaſterium in loco remoto, v. gr. in ſtudiis, videtur hoc ipſo per conſequens, ſaltem tacitè, habere licentiam ad acceſſoria; videlicet faciendi ea, ſine quibus ibi commodè ſtare non poſſit: utputà, quòd cauſa ſtudiorum poſſit contractum neceſſarium inire, & contra lædentes, ſeu injuriam inferentes agere, ſeque in judicio defendere, ut *c. Præterea*, 5. & *c. Ex litteris*, 29. *de Offic. Delegat.* & *l. Si longius*, *§. 2. ff. de Iudiciis*, cum ſimilibus.



168 Tertiò, quando Religioſus de conſenſu ſui Superioris habet aliquod Beneficium; putà Prioratum, Parochiam, vel aliam adminiſtrationem in titulum Beneficiarium, ſaltem manualem ac revocabilem: tunc ſuper juribus ejus poteſt per ſe agere, vel ſaltem (quod convenientius eſt juxta *cap. un. de Syndico*) per conſtitutum à ſe procuratorem. Deſumitur hoc *ex c. Cùm deputati*, 16. *h. t.* ubi Præceptores Templi, qui fuerunt Religioſi quidam in Italia, pro domibus ſuis agere, & defendere poterant.

169 Ex quo proinde de Capitulo Abbas *ibid. n.* 1. infert pro generali regula, quòd eo ipſo, quòd quis præficitur alicui adminiſtrationi, adipiſcatur atque obtineat facultatem agendi ſuper juribus ejus, etiamſi adminiſtratio illa ſit manualis, & ad nutum avocabilis. Concordat textus *in Clement. 1. de Reſcript.* juncta Gloſſa *ibid.* ℣. *Liceret*, poſt Innocentium, & Hoſtienſem. Navarrus *cit. Comment. 2. de Regularibus*, *num.* 64. Qui tamen hinc excipit ſimplicem adminiſtrationem, quam habet Religioſus ſine ullo titulo etiam Manuali: ut ſi quis prædia, vel villas gubernet mandato ſui Prælati, atque impenſis Monaſterii.

170 Quartò poteſt Religioſus injuſtè gravatus, non petita alia Prælati licentia, agere ſuper juribus ſpiritualibus, quorum eſt capax: ut ſuper jure manendi in Monaſterio, vel ſi inde injuſtè ſeſe ejectum eſſe conqueritur, ſuper reſtitutione in illud; item ſuper jure competente ſibi per profeſſionem, vel electionem canonicè factam, ac alio quovis titulo, cujus eſt capax, *arg. c. Cùm dilecta*, 22. *de Reſcriptis*, ac notat Gloſſa *fin.* & Abbas *ibid. num.* 13. & ampliùs Navarrus *in d. Comment. 2. de Regularib. num.* 64. apud quem plura de his.

171 Quæritur II. Utrùm Prælatus, præſertim Regularis, poſſit agere, vel conveniri ſuper rebus Eccleſiæ aut Monaſterii, abſque conſenſu Capituli, ſeu Conventus; & econtrà? Ubi prænotandum cum Abbate *in c. Edoceri*, 21. *n. 3. de Reſcriptis*, quòd Bona Eccleſiarum, quandoque ſint communia inter Prælatum & Capitulum, ſeu Conventum: & hoc adhuc dupliciter; nam aliqua ſunt prorsùs communia Prælato & Conventui; alia verò, licèt ſint diviſa quoad rem (ut quia certa bona ſunt deputata pro menſa Capituli, ſeu Conventus, & certa pro menſa Prælati) non tamen ſunt diviſa quoad adminiſtrationem, ſed ea omnia adminiſtrat Prælatus, ac ſi bona ex toto eſſent communia. Quandoque autem bona Eccleſiarum ſunt omnino diſcreta, ſive inter Epiſcopum & Capitulum, vel inter Prælatum Regularem & Conventum diviſa tam quoad rem, quàm quoad adminiſtrationem: ut quia Conventus per ſe, vel per alium à ſe deputatum, adminiſtrat bona ſibi attributa; & idem facit Prælatus de ſuis. Hoc prænotato

172 Reſp. I. Quando bona Eccleſiæ ſunt communia, ſive quoad rem, ſive ſaltem quoad adminiſtrationem, tunc Prælatus, etiam Regularis ſe ſolo, & abſque conſenſu Capituli ſeu Conventus, poteſt de ipſis in judicio agere, & cõveniri: dummodò cauſa non ſit ardua, & magni præjudicii. Ita Abbas *in cit. c. Edoceri*, *n.* 6. & Felinus *ibid. n. 2. & 3. de Reſcript.* Speculator *tit. de Actore n.* 77. Pirhing *h. t. n.* 44. Engel *eod. n.* 5. & alii contra Gloſſam *in d. c. Edoceri.* ℣. *Debeant.* & *cap. 1.* ℣. *legaliter*, *de procuratorib.* Quamquàm ob hanc Gloſſæ authoritatem Curia non admittat de facili Prælatum ad agendum ſine conſenſu Conventus; uti fatetur ipſemet Abbas *cit. n.* 6. Niſi dicere velis, iſtud accidere ex eo: quia in Curia Romana non præſumuntur tractari negotia, niſi ardua & magni præjudicii, ut proinde ibidem ſubintret ultima pars datæ Concluſionis.

Prior pars probatur ex eo: quia habens legitimam ad- 173
miniſtrationem, poteſt agere ſine conſenſu alterius ut *L. ult. ff. Quod cujuſque univerſitat. nomin.* & *l. Cùm & judices. §. Quod obſervari. C. de Iure jurand. propt. calumn.* Sed quilibet Prælatus habet legitimam adminiſtrationem rerum ſuæ Eccleſiæ, *c. Cùm nobis*, 19. *§. fin. de Election.* Sicut & Abbas habet totam poteſtatem tam circa Cultum Divinum, quàm circa alias res Monaſterii ſui, *can. Nullam*, 18. *q.* 2. cum ſimilibus ergo.

Accedit, quòd Procurator generaliter ad negotia con- 174
ſtitutus poſſit agere, atque experiri in judicio, abſque alio ſpeciali mandato; niſi caſus ſit de ſpecialiter exceptis, *c. Qui generaliter*, *§. 1. de Procuratorib. in 6.* Idem ergo, & quidem à fortiori, dicendum eſt de Prælato reſpectu rerum ſuæ Eccleſiæ, ſeu Monaſterii (dummodò excipiantur cauſæ arduæ, & magni præjudicii) cùm is non ſit ſimplex procurator, ſed habeat titulum honorabilem, & dignitatem, imò & liberam ac generalem adminiſtrationem in bonis Eccleſiæ, juxta Gloſſam magnam *in can. Quia Epiſcopus q.* 3.

Altera pars probatur *ex c. Humilis*, 17. *de Majorit. &* 175
*obed.* & *c. Novit.* 4. & *c. Quantò*, 5. *De his quæ fiunt à Prælat.* Ex quibus Juribus deſumitur generalis regula, quòd in arduis Prælatus nihil debet agere ſine conſenſu Capituli. Unde etiam Epiſcopus non poteſt poſſeſſiones Eccleſiæ minùs utiles, alienare pro utilioribus, niſi de conſenſu Capituli; *cap. Ut ſuper*, 8. *de Rebus Eccleſ. non alienand.*

Atque in hoc ſenſu poteſt intelligi *c. 1. de Procuratorib.* 176
quòd videlicet procedat in arduis; ut notat Abbas *loc. cit. n.* 6. Speculator, *tit. de Actore*, *n.* 77. ubi tamen rectè addit, quòd in his etiam attendenda ſit ſpecialis Eccleſiarum conſuetudo. Nam quòd conſuetudine induci poſſit, ut Prælatus ſolus non poſſit agere ſuper his, quæ pertinent ad Conventum, ſeu Capitulum; patet *ex c. Cùm Eccleſia Vulterana*, 31. *de elect.* & *c. Irrefragabili. §. Exceſſus*, *de Offic. ordin.* & *c. Cùm contingat*, 13. *de Foro compet.* cum ſimilibus, ac latè tradit Federicus de Senis *Conſil.* 160.

Reſp. II. Nihilominùs Capitulum, ſeu Conventus Ec- 177
cleſiæ tum Regularis, tum ſæcularis, nunquam poteſt agere, nec in judicio reſpondere de bonis, ſeu cauſis communibus, abſque conſenſu Prælati. Ita Felinus *in c. Edoceri*, *n. 4. de Reſcript.* & Abbas *ibid. n.* 7. ac rurſus *in c. Cauſam quæ 9. h. t.* ubi Gloſſa *un.* & Barboſa *n.* 3. citans alios. Et meritò; nam Prælati ex officio ſuo tenentur Congregationum ſuarum negotia procurare, & non econtrà, *cit. c. Edoceri. §. fin. de Reſcript.* & *can. Nullam*, 18. *q.* 3. Idipſum probatur *ex c. Cauſam quæ. 9. h. t.* ubi Papa reſpondet, quòd Fratres Dulmenſis Monaſterii contra Monachos S. Albani non aliter ſint permittendi ingredi negotium, ſive cauſam judiciariam, niſi *cum authoritate & aſſenſu Epiſcopi ſui*, qui ſimul fuerat Abbas dicti Monaſterii ut patet ex littera frequenti, ac notat Abbas *ibid. n* 8. Idque ex ea ratione: *Ne ſi Fratres S. Albani obtineant Epiſcopus idem, Abbatem Monaſterii ſe proponens, litem ſopitam valeat ſuſcitare.* Hæc enim ratio non ſubſiſteret, ſi Conventus abſque aſſenſu Prælati ſuper rebus communibus in judicio agere poſſet.

Limita tamen datam Concluſionem in caſu notabili, 178
videlicet quando Conventus ſolus vult agere pro rebus malè alienatis per Prælatum. Nam ſi Prælatus, qui nunc eſt, malè alienavit, ac repetere negligit, vel ſi ejus Succeſſor eſt negligens in recuperando, poteſt Conventus ſolus agere pro recuperatione malè alienatorum, etiam abſque conſenſu Prælati. Idque probatur per textum notabilem *in c. Si quis Presbyterorum. De rebus Eccleſ. non alienand.* ubi cuilibet Clerico conceditur, ut poſſit contradicere alienationi rerum Eccleſiaſticarum, eaſque malè alienatas cum fructibus repetere: multo magis igitur id poterit totus Conventus contra ſuum Prælatum. Abbas *in cit. c. Edoceri. n. 7. de Reſcript.* & Felinus *ibid. n.* 4. & alii.

Inſuper eſt notandum, quòd geſta per ſolum Capitu- 179
lum, ſive Conventum, poſſint poſtmodùm ratificari à Prælato, ſi ita Eccleſiæ, ſeu Monaſterio expedire viderit: unde ſi Conventus egit in judicio abſque conſenſu Prælati, & cauſâ obtinuit, poteſt ſententia in ejus favorē lata ratificari

cari à Prælato per ſubſequentem conſenſum. Gloſſa in d. c. Edoceri. ℣. Debeant. & Abbas ibid. n. 12. & Felinus n. 8. de Reſcript. & Pirhing. h. t. n. 28. & alii. Idque probatur ex can. Si qua de rebus, n. 12. q. 2. ubi alienationem factam per Capitulum etiam Sede vacante, poteſt Epiſcopus poſteà creatus ratam habere; ſi expedierit Eccleſiæ. Concordat c. Cùm nos jam pridem, 3. De his quæ fiunt à Prælat. &c. ubi dicitur, quòd defectus conſenſus per ſubſequentem ratihabitionem poſſit ſuppleri.

180 Reſp. III. Loquendo nunc de bonis omnino diſcretis, ſeu quæ inter Prælatum & Conventum tam quoad rem, quàm quoad adminiſtrationem ſunt diviſa, dicendum eſt, quòd de his Capitulum, ſive Conventus poſſit agere, ac reſpondere in judicio, non requiſito ulteriori conſenſu Prælati; niſi cauſa foret ardua, magnique præjudicii. Ita Abb. in cit. c. edoceri, n. 5. & Felinus ibid. n. 3. ℣. Ampliaetiam, de Reſcript. Pirhing n. 26. & alii. Nam regula eſt, quòd habens legitimam adminiſtrationem, poſſit agere ſine conſenſu alterius; ut poſt Innocentium loquitur Abbas loc. cit. n. 6. ad hoc allegans L. ult. ff. Quòd cujuſque univerſit. nomin. Atqui circa bona omnino diſcreta, Capitulum ſeu Conventus habet legitimam adminiſtrationem; alioquin enim illa non eſſent quoad adminiſtrationem diviſa; ergo

181 Additur notanter Niſi cauſa foret gravis &c. Quia in arduis negotiis, ſicut Prælatus nihil poteſt agere ſine conſenſu Capituli, ſeu Conventus, haud obſtante, quòd ipſe ſit Caput, ac de jure habeat adminiſtrationem: ita multo magis Capitulum, ſeu Conventus, in cauſa ardua non poteſt agere ſine conſenſu Prælati, haud obſtante adminiſtratione ſibi cæteroquin conceſſa. Iſtud enim exigit communio, atque unitas Corporis myſtici, quæ eſt inter Prælatum & Capitulum, ſive Conventum; cit. c. Novit. 4. De his quæ fiunt à Prælatis &c. & c. Requiſiviſti, 15. de Teſtament.

182 Dices. Ille non poteſt agere in judicio ſuper re aliqua, qui non poteſt hanc alienare; ut l. Ait Prætor, ff. de Iure deliberand. ibi: Eſt enim abſurdum, ei cui alienatio interdicitur, permitti actiones exercere. Atqui Conventus nequit alienare ſine conſenſu Prælati, imò nec Prælatus ſine ejus conſenſu; ergo nec agere. Reſp. Majorem non eſſe indiſtinctè veram, ut inquit Abbas in cit. c. Edoceri, 6. de reſcript. nam Procurator ſimplex poteſt agere in judicio, c. Qui generaliter de Procuratorib. in 6. & tamen non poteſt alienare, niſi habeat liberam adminiſtrationem, l. Procurator tutorum, ff. eod. Similiter pater ſuper bonis adventitiis filii agere poteſt, & tamen non poteſt alienare, l. cùm non ſolùm, C. de Bonis quæ liberis &c. & L. 1. C. de Bonis maternis: Unde dicendum, quòd is, qui non poteſt alienare, nec etiam poſſit agere nomine proprio, ut eſt caſus in cit. l. Ait Prætor. Secùs, ſi agat nomine alieno: prout Prælatus, vel Conventus circa bona omninò diſcreta, agit nomine Eccleſiæ, ſeu Monaſterii.

183 Quæritur III. Utrùm habens actionem contra Religioſum, debeat ipſum convenire, vel potiùs Monaſterium ejus? Reſp. I. In cauſis civilibus non eſt conveniendus Religioſus; ſed Monaſterium ipſius. Ita Gloſſa in can. de perſona, 11. q. 1. ℣. aut Monachum, & Archidiaconus ib. n. 6. Speculator tit. de Reo, n. 19. & alii. Ratio eſt clara: quia Monachus, aut Religioſus ſolemniter profeſſus, nihil habet proprium, can. non dicatis, 12. qu. 1. ſed quidquid acquirit, putà ratione ſucceſſionis ab inteſtato, aut hujuſmodi, acquirit Monaſterio; Auth. Ingreſſi. C. de Epiſcop. & Cleric. & can. quia ingredientibus, 19. q. 3. & c. Quanto, 7. de Offic. Ordinar. & c. Cùm ad Monaſterium, 6 de Statu Monach. ergo in cauſis civilibus non ipſe, ſed Monaſterium conveniri poterit; ac debebit.

184 Reſp. II. Nihilominùs in cauſa criminali, ſive ex delicto, convenitur ipſe Religioſus, non verò Monaſterium. Ita Archidiaconus cit. n. 8. Jo. Andreas in c. Mulieres, nu. 2. h. t. n. 6. poſt Innocentium cap. Cùm olim, 12. de Privileg. Speculator, ubi ſuprà, id limitans, dummodò non agatur contra Monachum quoad pœnam pecuniariam, eò quòd proprio careat: & alii. Deſumitur hoc ex c. Dilectus filius. A 3. de Simonia, ubi contra Religioſo, qui labe ſimoniæ fuerunt maculati, accuſatio poteſt canonicè inſtitui. Acceditratio: quia hoc ipſum videtur exigere ſanctitas Locorum ſacrorum, ſive Monaſteriorum; quæ proin ex delicto Monachi non tenentur, niſi forſan aliquid ad ipſa inde perveniſſet, aut in eorundem utilitatem converſum fuiſſet, c. Quibuſdam, de Fidejuſſorib. Unde ex delicto, ſeu hæretica doctrina Joachim Abbatis, nullatenus tenetur Monaſterium Florenſe, c. Damnams, §. In nullo, de Summa Trinit. Nam, ut habet Reg. 76. Juris in 6. Delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare.

## §. VIII.

## Reſolvuntur aliæ notabiles Quæſtiones circa materiam præſentis Tituli.

*S U M M A R I U M.*

185 Acta judicii, & Acta cauſæ, quid, & in quo differant?
186 Perempta inſtantia, pereunt Acta judicii.
187 Acta cauſæ in uno judicio fidem faciunt in alio &c. Et n. ſeqq.
188 Quandò inter eaſdem perſonas.
189 Atque in ordine ad eundem effectum producuntur. Et n. ſeqq.
190 Acta coram Judice Eccleſiaſtico fidem faciunt coram ſæculari, & econtrà, ut unus adjuvet alterum in compeſcendo malos.
Judex Eccleſiaſticus poteſt implorare Brachium ſæculare, etiam per cenſuras. Ibid.
191 Acta probatoria in Judicio ſummario, fidem non faciunt in ordinario; & cur?
192 Hoc tamen limitatur.
193 Similiter Acta probatoria in Judicio civili, fidem non faciunt in criminali: benè tamen econtrà.
194 Acta in judicio inducunt notorium, & quomodo?
195 Res judicata, pro veritate accipitur, quomodo?
196 Utrùm valeant geſta per Judicem putativum? Et ratio dubitandi, ac negativam tenendi.
197 Valent geſta per Judicem putativum, qui reverà talis non eſt, ſi concurrant certæ conditiones.
198 I. Ut interveniat error communis.
199 II. Quod Iudex ejuſmodi ſit in poſſeſſione ſui Officii ex aliquo titulo colorato.
Idque exemplificatur. Ibid.
200 Acta Iudicis intruſi non valent.
201 Solvuntur rationes dubitandi.
202 Parochus communiter exiſtimatus, qui nunquam eſt ordinatus in Sacerdotem, invalidè abſolvit pœnitentes.
203 Secùs, ſi fuerit Sacerdos.
204 Regula eſt, quòd nemo ſit judex in propria cauſa.
205 Adeò, ut Iudex habens ut privatus conſimilem cauſam, poſſit recuſari ut ſuſpectus.
206 Data regula fallit in ſupremis Iudicibus, ut Papa, Imperatore &c.
207 Item in notoria injuria Iudici, vel Prælato irrogata: quia is poteſt imponere pœnam à Iure taxatam.
208 Imò & arbitrariam, quando injuria notoriè illata eſt Judicitus judici, ſeu ratione officii ſui.
209 Dummodò pœna tendat ad vindictam publicam, & non ad privatum intereſſe illius Iudicis.
210 Regula eadem fallit, quando oppoſitum cuipiam conceditur à Lege.
211 Idque exemplificatur. Et num. præced.
212 Iudex regulariter non poteſt cogere partes ad perſonaliter comparendum.
213 Idque procedit tum in Delegato, etiam Papæ; tum in ordinario. Et num. præced.
214 Niſi Delegatus Papæ mandatum receperit ſpeciale.
215 Vel niſi fuerit cauſa criminalis.
216 & 217 Referuntur alii caſus, in quibus Iudex poteſt partes compellere ad perſonaliter comparendum.
218 Mulieres non ſunt invitæ perſonaliter in judicium trahendæ.
219 Partes litigantes tenentur in judicio per ſeipſas factum proponere, niſi ſint indiſcretæ. Et num. ſeqq.
220 Advocatus reſpondens in his, quæ ſunt facti, nemine contradicente, præjudicat parti.
221 Advocatorum officium, circa quæ verſetur?



222 Solvuntur Jura in contrarium.
223 Præparatoria judiciorum, &
224 Deciſoria judiciorum, quæ?
225 In præparatoriis eorum attenduntur conſuetudines Fori, ubi litigatur.
226 Idque exemplificatur, & ampliùs probatur.
227 Econtrà quoad deciſoria litis attenduntur conſuetudines, & ſtatuta litigantium.
228 Atque hoc variè exemplificatur.

185 Quæritur I. Utrùm Acta unius judicii habeant ſuum effectum, fidemque faciant in alio? Ubi prænotandum cum Gloſſa in Clement. Sæpè contingit. ℣. Defenſiones, de Verb. Signif. Abbate in c. Venerabilis, n. 14. h. t. Bartolo in l. Is apud quem. §. Secundo caſu. C. de Edendo. Maranta in Speculo Aureo. p. 5. n. 55. & aliis, quòd alia ſint Acta judicii; alia verò Acta cauſæ, ſeu litis. Acta judicii dicuntur illa, quæ reſpiciunt, ſeu concernunt ordinationem judicii; ut ſunt libellus, litis conteſtatio, terminus peremptorius, ſatiſdatio, & alii ſimiles actus judiciales, qui tendunt ad ordinandum Proceſſum judiciarium, ejuſque ſolemnitates obſervandas. Acta cauſæ econtrà vocantur illa, quæ concernunt indagationem veritatis, juſtamque litis deciſionem reſpiciunt: prout ſunt depoſitiones teſtium, inſtrumenta, confeſſiones, & alia hujuſmodi Acta probatoria, utpote quæ tendunt, atque ordinantur ad juſtam deciſionem litis. Quo prænotato

186 Reſp. I. Perempta inſtantia pereunt Acta judicii, ſicque non habent ſuum effectum in alia inſtantia. Ita Abbas cit. n. 14. poſt Innocentium in c. Cauſam quæ. de Teſtibus. Bartolus, ubi ſuprà, Jaſon l. Is apud quem num. 19. C. de Edendo. Maranta cit. n. 55. & alii. Idque deſumitur ex l. Cùm lite mortua, ff. Judicatum ſolvi: ubi dicitur, quòd lite mortua (ſeu perempta inſtantia per lapſum triennii, aut abſolutionem ab ejus obſervantia) nulla res ſit: ſicque non valent prima Acta, ut inquit Gloſſa ur. ibid. allegans ad hoc etiam l. Properandum. §. 1. C. de Judiciis.

187 Reſp. II. Acta cauſæ, ſeu Acta probatoria coram legitimo Judice in uno judicio, fidem faciunt in alio judicio, quando inter eaſdem perſonas, atque in ordine ad eundem effectum producuntur: dummodò non varietur modus agendi. Ita Abbas in c. At ſi Clerici, n. 12. h. t. & ampliùs in c. Cauſam quæ. n. 1. & ſeqq. de Teſtibus, Gailus l. 1. Practic. Obſervat. 103. n. 1. & ſeq. Pirhing h. t. n. 96. poſt Decium in d. c. At ſi Clerici, n. 15. & Alexandrum de Nevo ibid. n. 33. Sannig h. t. cap. 5. num 3. & alii. Idque deſumitur tum ex cit. c. Cauſam quæ. 11. de Teſtib. ubi atteſtationes in uno judicio receptæ, faciunt fidem in eadem cauſa, & inter eaſdem perſonas coram alio Judice. Tum etiam ex cap. 2. de Exceptionib. in 6. ubi Summarium habet, quòd exceptio rei judicatæ per Eccleſiaſticum Judicem, admitti debet in Foro ſæculari, & econverſò. Hoc enim non procederet, niſi Acta cauſæ, in uno judicio, fidem facerent in alio; ſaltem quando inter eaſdem perſonas, & ad eundem effectum producuntur.

188 Additur notanter, quando inter eaſdem perſonas &c. Alioquin enim, ſicut res inter alios judicata aliis non nocet, L. 1. & ſeqq. C. Quibus res judicata non nocet: ita nec Acta cauſæ inter certas perſonas præjudicant aliis. Dummodò hi non mandaverint, nec Acta illa ratificaverint; prout limitatur in cit. L. 1. C. Quibus res judicata. Et dummodò illæ plures perſonæ non habeantur loco unius. Bartolus cit. l. Is apud quem. §. Quandoque. C. de Edendo, id probans ex l. Hæredes, ff. Familiæ herciſcundæ. Quamquàm per hoc negetur, quòd ejuſmodi Acta probatoria, etiam inter perſonas alias producta, aliqualem præſumptionem faciant, licèt non plenam fidem. Abbas d. cap. Cauſam quæ. n. 4. de Teſtib. & Bartolus l. A ſententia, ff. de Appellat. & favet textus in l. Si duo patroni. §. 1. ff. de Jurejurand.

189 Additur ulteriùs, & ad eundem effectum &c. Prout v. g. teſtes in prima inſtantia recepti, publicatis ſemel eorum atteſtationibus, fidem faciunt in ſecunda inſtantia; ut c. Præſentata, 50. juncta Gloſſa, ℣. Acta. de Teſtib & L. ult. C. eod. ut notat Gailus cit. lib. 1. Obſervat. 103. nu. 2. hanc appellans communem opinionem. Nam utraque inſtantia tendit ad eundem effectum.

190 Similiter Acta coram Judice Eccleſiaſtico, fidem faciunt coram Judice ſæculari, & econtrà, ut unus adjuvet alterum in compeſcendo malos, & defendendo bonos: nam utraque Poteſtas, Eccleſiaſtica videlicet ac Regalis, mutuò ſeſe juvare debent, can. Principes, & ſeqq. 23. q. 5. & can. Cùm ad verum, diſt. 69. Unde, ſi opus fuerit, poteſt Judex Eccleſiaſticus implorare Publicum auxilium, ſive Brachium ſæculare, cap. 1. de Offic. Ordinarii. Imò poteſt Judicem ſæcularem ad hoc compellere, cap. 2. §. Per temporalem, de Maledicis. Etiam per cenſuram Eccleſiaſticam, can. Adminiſtratores, 23. q. 5. ac notat Gloſſa in cit. cap. 1. ℣. Publicum, de Offic. Ordin. & ibi Abbas nu. 11. ampliùs hoc declarans.



191 Additur tandem in data n. 187. Concluſione, Dummodò non varietur modus agendi. Sic enim Acta probatoria, ſeu atteſtationes receptæ in Judicio ſummario, fidem non faciunt in Judicio ordinario, c. Veniens. 38. de Teſtibus. Variatur enim modus agendi: quia in Judicio ſummario ſufficiunt probationes ſummariter factæ, etiam lite non conteſtata. Clem. Sæpè contingit. de Verb. ſignif. non item in Judicio ordinario, c. un. de Litis conteſtat. Abbas in d. c. Cauſam quæ. n. 6. de Teſtib. citans Innocentium.

192 Quòd ſi autem teſtes in Judicio ſummario ritè, ac ſervatis omnibus ſolemnitatibus Juris, tanquam in plenario producti, & examinati fuiſſent; tunc eorum atteſtationes etiam in Judicio ordinario fidem facerent. Gailus lib. 1. Pract. Obſervat. 104. numer. 4. citans Paulum de Caſtro Conſil. 3. n. 1. Anton. de Butrio in c. Fraternitatis, de Teſtib. & Alexandrum in L. 2. C. de Edendo, ac alios. Et favet textus in cit. c. Veniens. 38. de Teſtib. ubi ideò non valent atteſtationes in Judicio ſummario receptæ, quia fuerunt lite non conteſtata receptæ. Secùs ergò dicendum, quando prævia litis conteſtatione, ac ſervatis aliis Juris ſolemnitatibus, receptæ fuiſſent: ſic enim non variaretur modus agendi.

193 Similiter Acta probatoria in Judicio civili, fidem non faciunt in Judicio criminali. Gloſſa l. ſi quis ad ſe fundum. ℣. Deſtinatus. C. Ad Legem Juliam de vi publica. Abbas cit. n. 6. & alii. Et ratio eſt: quia in criminalibus requiruntur probationes luce meridiana clariores, L. ult. C. de Probationib. non autem in civilibus. Secùs dicendum, quando probationes ſunt factæ in cauſa criminali: tales enim à fortiori fidem faciunt in cauſa civili inter eaſdem perſonas, juxta Abbatem loc. cit.

194 Dices. Acta in Judicio inducunt notorium, cap. ult. de Cohabitat. Cleric. & cap. Cùm olim, 24. de Verb. ſignif. ergo Acta in uno judicio, ſecuta ſententia diffinitiva, ſemper fidem faciunt in alio. Nec obſtat, quòd ſint aliæ & aliæ perſonæ, aut quòd ad alium finem agatur; uti nonnulli diſtinguunt. Nam contrà eſt: quia veritas non eſt opprimenda, & anguſtianda talibus vanis ſubtilitatibus: arg. can. Ecce autem, 24. q. 3. & c. Abbate ſanè, circa fin. de Sent. & re judicat. in 6. Atqui Acta in judicio poſt ſententiam diffinitivam, à qua non extitit appellatum, ſunt manifeſtè vera; ergò Reſp. negand. conſequent. Nam, quòd Acta in judicio inducant notorium, ſolummodò procedit de Notorio juris: unde hoc iſta ſpecies Notorii debet habere validitatem, quæ in jure conſiſtit, ut inquit Baldus in c. Veſtra, n. 1. & Fagnanus ibid. n. 73. de Cohabitat. Cleric. Atqui Jus ipſum diſpoſuit, atque decrevit, ut Acta unius judicii fidem non faciant in alio quando variatur modus agendi, juxta hactenus dicta; & conſequenter iſthæc Acta non habent validitatem in Jure conſiſtentem.

195 Ad confirmationem negatur minor. Licèt enim res judicata pro veritate accipiatur, per textum in l. Res judicata, ff. de reg. jur. id tamen ſolùm fit per quandam præſumptionem juris; ſive ex eo, quòd propter authoritatem judiciariam omnia præſumantur ritè ac rectè geſta, unde oritur præſumptio tam reſpectu rectitudinis proceſſus, quàm juſtitiæ. Non tamen ſemper res judicata eſt manifeſtè vera: quia ſæpè non deficit jus, ſed probatio, ut dicitur l. Duo ſunt Titii, ff. de teſtament. tutel. Et facilè contingere poteſt, quòd ſuccumbens in cauſa civili non appellet, ſed ob tædium diuturnioris litis ultrò ſolvat id, ad quod condemnatus fuit: qui tamen meritò appellare potuiſſet; imò & ad evitandum gravius præjudicium appellaſſet, ſi crediſſet, quòd exinde etiam criminaliter contra ipſum procedi valeret.

196 Quæritur II. Utrùm geſta per Judicem communiter exiſtimatum, qui reverà talis non eſt, ſint valida? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi, eſt: quia ſententia à non

ſuo judice lata, non tenet. *c. At ſi Clerici*, 4. *h. t. & l. ult. C. Si à non competente judice &c.* Atqui Judex merè exiſtimatus, reverà non eſt judex; ergo. Nec juvat recurrere ad communem errorem. Nam contrà eſt: quia ex una parte *privatorum conſenſus judicem non facit eum, qui nulli præeſt juriſdictioni*, ut dicitur in *l. Privatorum. C. de Juriſdict. omn. judic.* Ex altera verò parte nec Superior cenſetur cum inhabili diſpenſare, aut ipſi juriſdictionem conferre: vel enim diſpenſare non poteſt, vel ſaltem diſpenſare non intendit; *cùm nullus ſit errantis conſenſus*, l. Non idcircò. C. de Juris & facti ignorantia. His tamen non obſtantibus

197 Reſp. I. Geſta per Judicem putativum, qui reverà ex aliquo defectu legitimus non eſt, valida ſunt, dummodò concurrant certæ conditiones, proximè enumerandæ. Concluſio ſic propoſita, eſt communis; atque clarè habetur deciſa *in l. Barbarius, ff. de Offic. Prætor.* ubi occaſione Barbarii (qui, cùm ſervus fugitivus eſſet, Romæ Præturam petiit, & Prætor deſignatus eſt) quæritur de validitate ſuorum Actuum judicialium, ac reſolvitur in hæc verba: *Si ſervus, quamdiu latuit, dignitate Prætoria functus ſit, quid dicemus? An quæ dixit, quæ decrevit, nullius fore momenti? an fore, propter utilitatem eorum, qui apud eum egerunt, vel lege, vel quo alio jure? Et verum puto, nihil eorum reprobari: hoc enim humanius eſt, cùm Populus Romanus etiam ſervo potuiſſet decernere hanc poteſtatem.* Hæc ibi: Concordat *L. 2. C. de Sentent. & Interlocut. omn. jud. & can. Infamis perſona. 3. q. 7. §. Interdum.* Accedit ratio: quia ob communem utilitatem, atque ad tollendum graviſſima incommoda & ſcandala, quæ cæteroquin ſequerentur, Jus utrumque decrevit, ſtante communi errore geſta per putativum Judicem eſſe valida, ac ſi verus Judex exiſteret. Unde Gloſſa *in cit. l. Barbarius. ℣. Reprobari*; inde concludit, quòd *circa factum error communis jus facit*.

198 Reſp. II. Inter conditiones requiſitas ad hoc ut Acta Judicis putativi valeant, ea eſt præcipua, quòd interveniat error communis: hoc eſt, quòd talis communiter exiſtimetur eſſe legitimus Judex. Unde non ſufficit error unius, aut alterius, coram Judice merè putativo litigantis, ſi cæteri communiter norunt ejus incompetentiam: nam Jura allegata fundant ſe in errore communi; ut *cit. l. Barbarius*, ibi: *Si ſervus, quamdiu latuit*, cum ſimilibus. Accedit, quòd Leges ad ea potiùs aptentur, quæ frequenter contingunt: nam, quæ ſemel aut bis accidunt, ut error particularis unius vel alterius, contemnunt Legiſlatores, *l. Nam ad ea, & l. Quoniam, ff. de Legib.* Neque enim ex errore particulari ſequuntur ea incommoda & ſcandala, quæ ex errore communi oriri ſolent, quibuſque Jus commune occurrere voluit confirmando Acta Judicis communiter exiſtimati. Concordant dicta ſuperiùs *l. 1. tit. 28. De Officio Vicarii, §. 4. n. 100.* ubi cum aliis notatur, valere Acta Vicarii poſt mortem ſui Epiſcopi longè diſtantis, quando hujus mors non à ſolo Vicario, ſed communiter ab aliis ignoratur.

199 Altera conditio requiſita ad hoc, ut Acta Judicis putativi valeant, eſt illa: quòd ejuſmodi Judex ſit in poſſeſſione ſui officii ex aliquo titulo colorato; qui licèt ob occultum vitium ſit invalidus, ac proin merè putativus; nihilominùs ipſi collatus eſt à legitimo Superiore habente cæteroquin authoritatem conferendi, ſeu inſtituendi in in tali officio. Unde ſequitur, quòd non valeant Acta illius, qui ſe gerebat pro judice, nec tamen erat in poſſeſſione officii judicis; *arg. c. Conſultationibus, 19. de Jurepatronat.* ac notat Abbas *in c. nihil n. 11. de Electionib.*

200 Similiter non valent Acta Judicis intruſi; hoc eſt, illius, qui aſſumpſit officium judicis abſque authoritate Superioris habentis poteſtatem illud conferendi. Nam Jura allegata, quæ valere volunt geſta per Judicem putativum, fundant ſe in hoc quòd ille habeat titulum coloratum, à legitimo Superiore habente poteſtatem inſtituendi in tali officio ſibi collatum; quamvis hìc & nunc ob aliquod occultum vitium ſit invalidus, aut jam revocatus: ut patet *ex cit. c. Barbarius, ff. de Offic. Prætor.* ubi Barbarius anteà à Populo Romano deſignatus erat Prætor, invalidè tamen, cùm eſſet ſervus. Et *cit. l. 2. C. de Sent. & interloc.* ubi ſermo eſt de eo, qui fuit judex, ſeu *Arbiter datus à Magiſtratibus*; quamvis poſteà inventus fuerit ſervus, ut explicat Gloſſa *ibid. ℣. Depulſus.* Ita Abbas *in cit. c. Nihil. n. 11.* & Jo. Andreas *ibid. n. 28. de Election.* Speculator *tit. de Inſtrumentorum editione. §. Reſtat, n. 32.* Sanchez *l. 3. de Matr. diſp. 22. n. 49. & ſeq.* plurimos alios pro hac ſententia allegans; quamvis nonnulli ſufficere velint quemcumque communem errorem cum officii poſſeſſione, etiam abſque alio titulo per Superiorem collato, quorum ſententiam idem Sanchez *loc. cit. n. 48.* adducit.

201 Et conformiter dictis facilis eſt reſponſio ad rationes dubitandi, *n. 196.* allatas. Imprimis enim *c. At ſi Clerici, h. t.* cum ſimilibus procedit, quando conſtat, quòd quis non ſit ſuus judex: ſecùs, ubi intervenit error communis per Jura allegata. Ad alteram, ſeu replicam hujus reſponſionis dicitur, quòd ſtante communi errore, ſimulque accedente titulo, ſaltem colorato, tali Judici putativo conferatur juriſdictio, non à conſenſu partium neque à Superiore (utpote cùm nullus horum ſciat illum defectum) ſed ab ipſomet Jure communi, quod ita decrevit ob bonum commune, & tollenda graviſſima incommoda cæteroquin exoritura.

202 Intellige, dummodò Jus commune talem defectum ſupplere, dictamque juriſdictionem conferre poſſit; prout innuitur in allegata *l. Barbarius, ff. de Offic. Prætor.* illis verbis: *Cùm Populus Romanus etiam ſervo potuiſſet decernere hanc poteſtatem.* Nam ſecùs dicendum ubi quid deficit Jure Divino requiſitum: ut ſi quis communiter exiſtimetur eſſe Parochus, qui tamen nunquam fuit ordinatus in Sacerdotem. Talis enim invalidè confert abſolutionem Sacramentalem, haud obſtante communi errore: nam poteſtas Ordinis, Jure Divino ex parte Miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ requiſita, non poteſt Jure humano ſuppleri.

203 Quòd ſi verò quiſpiam Sacerdos communi errore reputetur Parochus, præſertim quando habet titulum coloratum quoad hoc (ut quia à legitimo Superiore fuit inſtitutus, inſtitutio tamen ſua ob occultum impedimentum ipſo jure fuit nulla) valent geſta per ipſum, neque Confeſſiones Sacramentales eidem factæ neceſſariò ſunt reiterandæ: quia ſuppoſita ſemel poteſtate Ordinis, poteſt ſupplere, atque ſtante communi errore ſupplet Eccleſia poteſtatem juriſdictionis. Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 22. num. 13.* citans alios.

204 Quæritur III. Utrùm aliquis poſſit eſſe judex in propria cauſa? Reſp. I. Regula eſt, quòd nemo eſt judex in cauſa propria, *L. un. C. Ne quis in ſua cauſa judicet.* Ubi hujus ratio in æquitatem naturalem refunditur, illis verbis: *In re enim propria iniquum admodùm eſt, alicui licentiam tribuere ſententiæ.* Unde etiam in ſimili, nullus idoneus teſtis in re ſua intelligitur, *l. Nullus, ff. de Teſtib. & l. Omnibus. C. eod.*

205 Atque hoc adeò verum eſt, ut ſi Judex ut privatus habeat penè conſimilem cauſam, quam habet ut judex, poſſit recuſari ut ſuſpectus, atque à judicando removeri, *c. Cauſam quæ, 18. h. t.* Idque meritò: quia Judex debet omni ſuſpicione ſiniſtra carere, *can. Quòd ſuſpecti, 3. q. 5.* Atqui hoc in dicto caſu non fieret: ſiquidem ejuſmodi Judex nimis videretur favorabilis parti illi, quæ coram ipſo petit penè idem, quod ipſe petit coram alio; nam qua ratione is putat æquum, quod petit ut pars, putabit pariter æquum, quod judicat ut judex. Textus, & Vivianus *in cit. c. Cauſam quæ, h. t.*

206 Reſp II. Data regula, quòd nemo poſſit eſſe Judex in propria cauſa, procedit quidem regulariter, patitur tamen nonnullas fallentias, ſeu limitationes. Et primò fallit ipſa in ſupremis Judicibus, qui non recognoſcunt Superiorem in terris; ut Papa, Imperator, Rex. Nam hoc ipſo, quòd tales ſuperiorem non recognoſcant, inferiori autem ſeſe ſubmittere nullo jure cogantur, poſſunt judicare in cauſa propria. Gloſſa *un in c. Cùm veniſſent*, & Abbas *ibid n. 6. h. t.* Bartolus *in cit. L. un C. Ne quis in ſua cauſa &c.* idque probans *ex l. Et hoc Titus, ff. de Hæredit. inſtituend.* ubi Titus Tiberius in propria cauſa ſententiam dixiſſe legitur. Card. Tuſchus *Litt. I. Concl. 403. nu. 1. & ſeqq.* & alii. Quamquàm conſultius, ipſique Juri naturali conformius ſit, ac de honeſtate expediat, ut non ipſemet talis Princeps judicet in cauſa propria, v. g. inter ipſum ac ſubditum ſuum exorta; ſed hanc aliis dijudicandam committat, *arg. can. Nos ſi incompetenter, 2. q. 7.* ac notat Gloſſa, & Bartolus, *ubi ſuprà.* Antonellus *de Regim. Eccleſ. l. 6 c. 13. §. 3. n. 12.* poſt Graſſium *Deciſ. caſ. conſcient. part. 2. lib. 3. cap 4. num. 5.* id ulteriùs probans ex *c. 1. de Maledic.* ubi Pontifex injurioſa verba in ſe prolata non per ſeipſum punit, ſed ea ad terrorem aliorum compeſcenda committit cuipiam inferiori. Concordat textus *in L. 1. & 2. C. Si adverſus fiſcum &c.* ubi Imperator in cauſa fiſcali dat Procuratores.



207 Deinde fallit allata regula in notoriis. Nam, quando factum, v. g. injuria Judici, aut Prælato irrogata, notorium eſt, poteſt is incontinenti, ac ſine alio proceſſu, punire delinquentem, infligendo pœnam à Jure taxatam. Neque enim in notoriis opus eſt alio accuſatore, *c. Evidentia, 9. de Accuſationib. & c. Cùm ſit Romana, 5. §. fin. De Appellat.* Accedit, quòd ubi factum ſit notorium, ſeu injuria manifeſta, huicque certa pœna eſt à Jure impoſita, tunc ipſe potiùs eſt executor Juris, quàm Judex; haud obſtante, quòd cæteroquin procedat in cauſa propria. Abbas *in cit. c. Cùm veniſſent, n. 8. h. t.* Pirhing *eod. n. 75.* iſtud intelligentes in caſu, quando pœna certa in Jure eſt expreſſa. Secùs, ubi venit pœna imponenda arbitrio judicis. Quia enim tunc non procederet ut merus executor, ſed ut judex; ſimulque ob affectum propriæ cauſæ facilè poſſet in arbitrando excedere modum: hinc licitum foret, ipſum ut ſuſpectum recuſare, *arg. can. Quòd ſuſpecti, 3. q. 5.* ac notat Archidiaconus *ibid. n. 7.* & Jo. Andreas *c. Cùm ſpeciali, n. 10. de Appellat.* cum aliis.

208 Quinimò ſi injuria fuit illata Judici ut judici, ſeu ratione officii ſui quod gerit, ſimulque injuria illa eſt notoria (putà, ſi quis Judicem pro Tribunali ſedentem convitietur, vel aliqua in depreſſionem ſui officii injuria coram aliis palàm afficiat) poteſt talis pro qualitate perſonæ; & delicti magnitudine, incontinenti; ac prætermiſſo juris ordine puniri, etiam imponendo pœnam extraordinariam & arbitrariam, ubi pœnam à Jure non eſt determinata, *arg. can. Salonitanæ, diſt. 63.* juncta *L. ult. ff. de Injur.* Gailus *lib. 1. Practic. Obſervat. 39. num. 1. & 3.* citans alios, idque exemplificans in caſu, quo quis litteras injuriarum plenas miſit ad Senatum, ob quas ab eodem Senatu conjectus fuit in carcerem. Idipſum patet *cap. 1. de Pœnis in 6.* ubi Archiepiſcopus viſitans Provinciam, & in ſe vel ſuis manifeſtas offenſas paſſus, propria authoritate punit notorios injuriantes ſe, aut familiam ſuam. Accedit ratio: quia Judex ut judex injuriatus; & injuriantem puniens, non tam in ſuo, quàm alieno, ſeu Reipublicæ negotio procedere, & condemnare cenſetur, *arg. l. Si pater familias, §. Qui duos, ff. de Adoption.* Poteſt enim, & debet Judex pœnalibus mandatis juriſdictionem ſuam defendere, *L. 1. §. 1. ff. Si quis jus dicenti, &c.* junctis dicendis *Tit. ſeq. §. 1. numer. 11. & 12.*

209 Hoc tamen intellige, dummodò pœna tendat ad vindictam publicam, ſicque ad terrorem aliorum, & commodum Reipublicæ, ob cujus officium læſus fuit: ſecùs, ſi Judex injuriam paſſus vellet agere ad privatam vindictam, ſeu proprium intereſſe, putà ad pecuniariam pœnam ſibi applicandam; quia tunc contra eum oriretur ſuſpicio. Abbas *c. Si quis contra, n. 11. & 17. de Foro compet.* Gailus *cit. Obſervat. 39. num. 3.* Antonellus *ubi ſuprà, numer. 12.*

210 Tertiò allata regula, quòd nemo eſt judex in propria cauſa, procedit, niſi illud ſibi concedatur à Lege; prout limitat Jaſon *in L. 2. nu. 107. C. de Jure Emphyteut.* Nam mens ejus eſt prohibere, ne quis propria authoritate ſibi jus dicat: ſecùs, ubi id fit authoritate Legis. Speculator *tit. de Actore. n. 55.* novemdecim tales caſus enumerans. Sic enim Judex tum ordinarius, tum delegatus, poteſt procedere contra eos, qui impediunt juriſdictionem ipſius, illoſque diſtrictione Eccleſiaſtica coercere: ut *cap. 1. de Offic. Delegat. & cit. cap. 1. de Pœnis, in 6.* Deinde *in l. Si quis ex aliena. ff. de Judiciis*, expreſsè conceditur Judici poteſtas ferendi judicium de juriſdictione ſibi competenie, ibi: *Prætoris enim eſt exiſtimare, an ſua ſit juriſdictio.* Concordat *c. Super litteris, 20. §. fin. de Reſcript. & c. Significantibus, 38. de Offic. Delegat.* ubi pariter Judex delegatus exiſtimare, ac pronunciare poteſt, num ſibi competat juriſdictio reſpectu cauſæ, nec ne.

211 Inſuper poteſt Dominus propria authoritate ejicere Emphiteutam, ſive Colonum, ſi penſionem ſtatuto tempore non ſolverit, *c. Propter, & c. Potuit, de Locato, & L. 2. C. de Jure emphyteut.* & cum aliis notat Jaſon *loc. cit. n. 100. & 105* Quamvis nonnulli requirant ad hoc authoritatem Judicis, de quo alibi. Ulterius Tutor, ſi creditor fuit patris Pupilli, poteſt ſibi ſolvere ex bonis Pupilli, *l. Quoties. §. Sicut, ff. de Adminiſtrat. Tutor.* Idemque à pari dicendum de Procuratore; & negotiorum Geſtore, qui poſſunt uti retentione expenſarum, quas fecerent, niſi Dominus ei ſolvere paratus ſit; *l. Quæ omnia, §. fin. & l. ſeq. ff. de Procuratorib.* Taceantur ſimilia apud Speculatorem *loc. cit. num. 55. 56. & 57.* videnda.

212 Quæritur IV. Utrùm Judex poſſit cogere partes, ut perſonaliter in judicio compareant? Reſp I Regulariter loquendo id fieri non poteſt: adeò, ut Judex, etiam Delegatus Papæ, non poſſit jubere, ſeu alterutram partium invitam compellere ad perſonaliter comparendum in judicio: niſi à Sede Apoſtolica mandatum ad hoc receperit ſpeciale, aut niſi cauſa fuerit criminalis, vel niſi pro veritate dicenda, vel pro juramento calumniæ faciendo, vel alliàs juris neceſſitas partes coram eo exegerit perſonaliter præſentari, eſt *in cap. 1. h. t. in 6.*

213 Nec obſtat, quòd hìc ex profeſſo ſermo ſit de Judice delegato Papæ. Iſtud enim contingit ex eo: quia de Delegato Papæ major poterat eſſe ratio dubitandi, cùm videretur poſſe idem, quod Papa, reſpectu cauſæ ſibi commiſſæ: nihilominùs hoc ipſum, & quidem à fortiori, procedere etiam de Judice ordinario, rectè notat Gloſſa *ib. ℣. Iudicem delegatum*, ac Vivianus *in Rationali, ibid.* iſtud confirmans *ex L. ult. C. de Procurat.* Accedit ratio: quia liberum eſt cuilibet, præter caſus ſpecialiter in Jure exceptos, per ſe, vel per procuratorem legitimè conſtitutum, ac informatum, in judicio reſpondere, *L. 1. ff. de Procurat. & L. ult. C. eod.* cum ſimilibus. Atqui beneficium juris nemini invito eſt auferendum, juxta *Reg. 17. Iuris in 6.* cum ſimilibus; ergo.

214 Excipitur primò, ſi quis à Sede Apoſtolica mandatum receperit ſpeciale. Nam, ſicut Papa poteſt partes perſonaliter citare, atque ad comparendum cogere; ita & Delegatus Papæ de ejus ſpeciali commiſſione. Secùs, ſi id non exprimatur: quia ex ſimplici delegatione non cenſentur omnia Delegato Pontificio conceſſa, quæ ipſemet Papa poteſt; ſed ſolùm ea, ſine quibus cauſa ipſi conceſſa expediri non poteſt; *c. Præterea, 5. de Offic. Delegat.*

215 Excipitur ſecundò cauſa criminalis. Siquidem in hac criminaliter intentata, ſaltem ubi agitur de pœna capitis, vel alia, quæ ſit gravior relegatione, non poteſt intervenire procurator, ſed tenentur partes perſonaliter comparere: ne, ſi pars ſuccumbens poſtmodùm aufugerit, judicium reddatur eluſorium; prout ampliùs dictum eſt *Lib. 1. Tit. 38. de Procuratoribus, §. 3. num. 62. & ſeqq.*

216 Excipiuntur ulteriùs alii duo caſus, in quibus Judex poteſt partes compellere ad perſonaliter comparendum: videlicet *pro veritate dicenda*; hoc eſt, ad præſtandum juramentum de dicenda veritate, atque ad perſonaliter reſpondendum ad poſitiones & articulos, aliaque interrogatoria. Ad hæc enim plurimum juvat corporalis præſentia partium, utpote de propriis geſtis, & particularibus circumſtantiis, exactiorem notitiam habentium; ut *cap. Dudum, 54. §. Partibus, de Election.* Item *pro juramento calumniæ faciendo*: niſi forſan Procurator habeat ſpeciale mandatum ad jurandum de calumnia in animam ſui Principalis; de quo tamen ex profeſſo agetur inferiùs in Titulo VII. *De Iuramento calumniæ, §. 2. n. 35. & ſeqq.*

217 Excipitur tandem quæcunque alia *juris neceſſitas*, quæ partes coram Judice exigit perſonaliter præſentari. Ut ſic, quando Principalis ſtatum controverſiæ totamque rei veritatem magis perſpectam habet, quàm ejus Procurator; aut ſi verior, & legalior eſt perſona Domini, & non ita rixoſa, *arg. l. ult. C. de Procuratorib.* & notat Gloſſa *ibid. ℣. Iuſtiores*. Idem accidit, quando oportet ſpecialiter examinare qualitatem perſonæ, maturitatem ætatis, ſeu diſcretionem judicii: aut quando contra Reum adſunt vehementia indicia; eo enim præſente, atque conſiderato ipſius vultu, & quam conſtanter reſpondeat, vel trepidè, faciliùs poterit veritas deprehendi, ſicque ipſemet compelli ad perſonaliter comparendum. Ancharanus *in cit. c. 1. h. t. in 6. notab. 4.* Pirhing *eod. num. 44.* & alii.

218 Reſp. II. Singulariter mulieres, quacunque ex cauſa in Jure non expreſſa, invitæ perſonaliter in judicium trahendæ non ſunt: & ſi aliquando neceſſarium fuerit ipſarum teſtimonium, Judex (expenſis partis producentis) pro excipiendo earundem teſtimonio mittat ad ipſas tabellionem, aut aliam perſonam idoneam; vel, ſi aliter fieri nequeat,

ipſemet Judex omni fraude ceſſante perſonaliter ipſas accedat. Mulieres religioſæ verò, etiam volentes, extra ſuum Monaſterium, vel clauſuram non vocentur ad judicium, vel trahantur ex quavis cauſa perſonaliter: ſi ſecùs fuerit attentatum, illud ipſo jure irritum eſt, ac inane. Textus eſt *in c. Mulieres*, *2. h. t. in 6.* eſtque ampliùs dictum ſuprà §. 6. *num. 150. & ſeqq.*

219 Quæritur V. Utrùm partes litigantes teneantur in judicio per ſeipſas factum proponere? Reſp. Affirmativè; niſi forſan ſint perſonæ indiſcretæ, ſeu tales, quæ ſe benè regere neſciunt propter ſimplicitatem, ſive quia perfectam rationis diſcretionem non habent. Ita habetur *in c. Paſtoralis*, & notant ibidem Abbas, aliique DD. *h. t.* ubi Pontifex inquit: *Statuimus præterea, ut principales perſonæ, non per advocatos, ſed per ſe ipſas factum proponant: Niſi forte ſint adeò indiſcretæ, ut earum defectus, de Judicis licentia, per alios ſuppleatur.* Hæc ibi. Concordat *l. Si ſervum. §. fin. ff. de Interrogat. action.* ubi interrogatus, an fundum poſſideat, tenetur reſpondere, ac dicere, pro quota parte poſſideat. Et meritò: nam unuſquiſque præſumitur de facto ſuo meliùs ſcire veritatem, quàm ſciant Advocati, vel alii extranei, *c. Ab excommunicato. 41.* juncta Gloſſa *V. De facto ſuo*, *de Reſcript.* Ac proinde ea, quæ in facto conſiſtunt, non per Advocatos, ſed per ſeipſas debent partes proponere, ipſumque factum referre: niſi ob earum indiſcretionem, ſeu ineptitudinem, aliud Judici videatur expedire.

220 Quòd ſi tamen Advocatus reſpondeat etiam in his, quæ ſunt facti, Judice, & parte adverſa non contradicentibus: tunc talis confeſſio præjudicat parti, utpote quæ in ſui præjudicium conſenſit. Abbas in *d. c. Paſtoralis, n. 4* & Vivianus *in Rationali, ibid. h. t.* atque deſumitur *ex c. Cùm cauſam, 62. de appellat* & *L. 1. & 3. C. de Errore Advocat.*

221 Dices. Etiamſi partes non ſint indiſcretæ, poteſt per alium proponi factum in judicio, juxta textum *in l. Non ſolùm, ff. de Procuratorib. & l. 1. ff. Quod cujuſque univerſit. nomin.* ergo. Reſp. neg. anteced. Nam officium Advocatorum non verſatur circa proponenda ea, quæ ſunt facti, ne ſubtilibus cavillationibus avertant Clientulos à propalanda veritate: ſed eorum officium verſatur in his, quæ ſunt juris; utputa, qua ratione libellus ſit concipiendus, & lis conteſtanda, qualiter ponendæ poſitiones, ſeu interrogatoria formanda, ac reſponſiones ad ea, ne Clientulus capiatur; item quomodo ſit proponenda exceptio, ac hujuſmodi. Abbas *in cit. c. Paſtoralis, n. 7. h. t.*

222 Ad Jura allegata, & imprimis *ad cit. l. Non ſolùm*, dicitur, ibi ſermonem eſſe, non de Advocato, ſed de Procuratore ad litem conſtituto. Quia enim Procurator per litis conteſtationem fit dominus litis, *cap. 1. de Procuratorib. in 6.* eſtque jam dictum *Lib. 1. Tit. 38. §. 5. n. 105.* hoc ipſo cenſetur eſſe perſona principalis, ſicque per ſeipſum reſpondere, ſeu factum proponere poteſt, ac debet. Secùs eſt in Advocato: nam iſte nunquam efficitur dominus litis, ejuſque officium ſolummodò verſatur in ordinandis iis, quæ ſunt juris, ut proximè dictum. Ad *L. 1. ff. Quod cujuſque univerſit. nomin.* reſpondetur per idem: quia Univerſitates per ſuos Syndicos, ſeu Procuratores, in judicio agere ſolent, *cap. un. de Syndico*, & alibi.

223 Quæritur VI. Utrùm in Præparatoriis, ac Deciſoriis Judiciorum, attendendæ ſint leges & conſuetudines Fori, ubi litigatur? Eſt hic prænotandum; quòd *Præparatoria judiciorum* dicantur ea, quæ pertinent ad ordinem procedendi in judicio: ut ſunt oblatio libelli, conteſtatio litis, terminus peremptorius, receptio teſtium, ac diverſa Statuta & conſuetudines particulares locorum, quæ circa præmiſſa, & alia hujuſmodi dantur; nam iſthæc non ubilibet ſunt uniformia, ſed variantur multoties pro diverſitate Fori ac Tribunalium.

224 *Deciſoria judiciorum* econtrà dicuntur, quæ pertinent ad deciſionem cauſæ: ut ſunt Leges, Statuta & conſuetudines laudabiles, non ſolùm Juris communis, ſed etiam particularium locorum, quæ in Republica, ipſoque convictu humano, ac variis contractibus obſervari præcipiuntur, atque juxta diverſitatem locorum aliarumque circumſtantiarum non rarò varia exiſtunt. Quæſtio proinde remanet, utrùm ſi in iſtis reperiatur difformitas inter Forum Actoris & Rei, aut Judicii, ſint attendendæ leges & conſuetudines Judicis, ſeu Fori ubi litigatur, ita ut juxta has Judex procedere, ac ſententiare teneatur, nec ne. Quo prænotato

225 Reſp. I. Quoad Præparatoria judicii attendendæ ſunt leges, & laudabiles conſuetudines Fori, ubi litigatur. Ita Gloſſa *un. in c. Quod Clericis*, & Abbas *ibid. n. 10. de Foro compet. & c. Licèt ex ſuſcepto, n. 14. eod.* Bartolus *in l. Conſuetudinis, quæſt. 34. C. Quæ ſit longa conſuetudo.* Maſcardus *de Probation. Concl. 423. n. 9.* Alexander Sperellus *Deciſion. 10. Fori Eccleſiaſt. n. 22. & ſeqq.* Barboſa *in cit. c. Quod Clericis, n. 8. & 9* & communis. Idque deſumitur ex *l. Teſtium. §. fin. ff. de Teſtib.* ubi Judex circa evocationem teſtium (qualis utique connumeratur inter Præparatoria judicii) jubetur *explorare, quæ conſuetudo in ea Provincia, in qua judicat, fuerit.* Unde Bartolus *ibid. in Summario*, generaliter infert, quòd in his, quæ ſpectant ad litis ordinationem, debemus inſpicere conſuetudinem loci, ubi agitur.

226 Infertur proinde, quòd ſi Clericus conveniat Laicum coram Judice ſæculari, ipſe quantùm ad litis ordinationem, utputa quoad libelli oblationem, conteſtationem litis, ipſumque modum ac ordinem procedendi in judicio, teneatur ſervare leges, & conſuetudines, cæteroquin tamen rationabiles, illius Fori ſæcularis, ubi agitatur cauſa. Nam hujuſmodi leges, ſtatuta & conſuetudines, non concernunt perſonam litigantium, ſed cauſam ipſam, quæ ſubjicitur illi Foro: ſimulque, dum Jus Canonicum conſentit, Clericos certis in caſibus coram ſæculari Judice litigare, hoc ipſo tacitè conſentire cenſetur, ut juxta illius Fori modum agant. Sperellus *loc. cit. n. 24. & 25.* Et viciſſim, ſi Laicus agat contra Clericum in Foro Eccleſiaſtico, etiam is debet obſervare conſtitutiones, & conſuetudines hujus Fori quoad ea, quæ pertinent ad modum procedendi in judicio. Abbas *cit. n. 10.* Pirhing *tit. de Foro compet. n. 146.* & alii.

227 Reſp. II. Econtrà verò quoad Deciſoria litis, quando intervenit aliqua diſcrepantia inter leges ſeu conſuetudines Fori litigantium ac judicii, tunc Judex debet judicare ſecundùm conſuetudinem litigantium, eorumque ſtatuta, non autem ſecundùm ſua. Ita Abbas *in c. Eccleſia ſanctæ Mariæ, n. 41. & 42. de Conſtitut. in ſolemni Repetit.* Bartolus *cit. quæſt. 34.* Maſcardus, Sperellus, & Barboſa, *ubi ſuprà*, & alii. Concluſio hæc probatur ex *c. cum veniſſent, 3. De eo qui mittitur in poſſeſſ.* ubi legitur commiſſam fuiſſe cauſam Judicibus, *ſecundùm jus & bonam terræ conſuetudinem terminandam.* Concordat textus *in L. 1. ff. de Uſuris, & l. Si fundus, ff. de Eviction.* in quo poſteriori in loco Gloſſa generaliter infert, quòd inſpiciatur conſuetudo loci, ubi contractum eſt: idem ergo dicendum in cæteris cauſis quoad ea, quæ ſpectant ad deciſionem litis.

228 Hinc in *c. Conſtitutus, 8. De in integrum reſtitut.* judicatur ſecundùm approbatam conſuetudinem loci, ubi contractus venditionis celebrabatur. Item, ſi agitur ratione delicti, conſideratur jus loci, ubi delictum commiſſum eſt, *c. Ut animarum, de Conſtitut. in 6. & Auth. Qua in provincia. C. Ubi de crimin. agi oport.* Similiter, quando agitur ſuper re aliqua, tunc ſervanda ſunt jura atque laudabiles conſuetudines illius loci, ubi res ſita exiſtit; ut *c. Rajnutius, 16. de Teſtament. & l. An in totum. C. de Ædificiis privat.* Abbas *in c. Quod Clericis, n. 11. de Foro compet.* Atque hæc procedunt non ſolùm, quando laicus agit contra Laicum, ſed etiam quando Clericus in Foro ſæculari agit contra Laicum. Pirhing *tit. de Foro compet. numer. 147.* & alii.





# TITULUS II.

## De Foro Competenti.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*

1 VISo de Judiciis ut ſic, procedit Compilator Juris Canonici ad tractandum de ſingulis partibus, & actibus Judicii: & quia ante omnem alium actum judicialem debet diſcuti de competentia Fori, utpote de qua Rei in judicium vocati non rarò excipiunt, meritò cæteris ſubſequentibus præſens Rubrica præmittitur. Hinc ſit

### §. I.

### Generalia de Foro, ejuſque competentia præmittuntur.

*SUMMARIUM.*

2 *Nomen* Fori *quandoque ſumitur in maſculino, quandoque in neutro.*
3 *In neutro acceptum, quid ſignificet? Et n. præced.*
4 *Et quid in maſculino?*
5 *Forus competens, quid?*
6 *Si Reus habet multiplicem forum, in electione Actoris eſt, eum in quo maluerit foro, convenire.*
7 *Reus coram incompetente Judice conventus impunè non comparet, opponendo exceptionem declinatoriam fori.*
*Hæc exceptio eſt proponenda mox ab initio, ante litis ingreſſum. Ibid.*
8 *Solvitur inſtantia; ſimulque hoc ampliùs declaratur.*
9 *Quid, ſi de competentia, vel incompetentia Judicis, liquido conſtet?*
10 *In dubio de incompetentia fori tenetur citatus venire, ſuamque exceptionem probare.*
11 *Et tunc ipſemet Judex cognoſcit, an ſua ſit juriſdictio, nec ne.*
12 *Nec obſtat, quòd nemo ſit judex in propria cauſa. Et n. ſeqq.*
*Propria cauſa, quæ cenſeatur eſſe? Ibid.*
13 *Orta quæſtione de competentia Fori inter Judicem Eccleſiaſticum, & Laicum, debet cognoſcere Eccleſiaſticus.*
14 *Competentia fori pluribus modis oritur. Et num. ſeqq.*
15 *Modi ordinarii ac ſpeciales, & extraordinarii ſeu generales ſortiendi forum, qui?*

2 QUæritur I. Quid intelligatur nomine Fori, præſertim competentis? Reſp. I. Nomen *Fori* varias habet ſignificationes, & quandoque in maſculino, quandoque in neutro genere ponitur. Atque imprimis *Forum* in neutro poſitum, ſignificat locum deputatum ad emendum, vel vendendum res quaſpiam: quæ tamen acceptio ad propoſitum non facit.

3 Aliter igitur *Forum* in neutro poſitum, accipitur pro diſtrictu, ſeu territorio cujuſque Judicis, intra quod in facinoroſos animadvertere poteſt, *arg. l. Pupillus. §. Territorium, ff. de Verb. ſignif.* & notat Abbas *ad Rubric. h. t.* poſt Hoſtienſem. Sic omnes Baſilicæ intra fines ſuæ Diœceſis conſtructæ, dicuntur eſſe de territorio, ſeu foro Epiſcopi, *canon. omnes Baſilicæ, 16. q. 7.* Sic etiam procedit illud vulgatum: *Extra territorium jus dicenti, impunè non paretur*; ac refertur *c. ult. de Conſtitut. in 6. & l. fin. ff. de Juriſdict. omn. judic.*

4 *Forus* in maſculino genere poſitus *eſt exercendarum litium locus: à fando dictus, ſive à Foroneo Rege, qui primus Græcis legem dedit*; prout legitur *in c. Forus, de Verb. ſignif.* Atque alio nomine dicitur Tribunal, ut *L. 1. ff. de Judiciis.* Item Auditorium, *l. Contra pupillum ff. de Re judicat.* vel Aditorium; ac reſpectu Papæ, *Conſiſtorium.*

5 Reſp. II. *Forus competens*, de quo loquitur in Rubrica præſentis Tituli, idem eſt, ac Tribunal Judicis, cujus juriſdictioni Reus, qui convenitur, ſubjectus exiſtit. Et notanter hæc definitio ponitur in ordine ad Reum: quia generale eſt, ut Actor forum ſequatur Rei, *cap. 5. & c. 8. h. t. & L. ult. C. Ubi in rem actio &c.* ſicque competentia Fori non niſi in ordine ad Judicem, cujus juriſdictioni Reus ſubjectus eſt, deſumi poteſt. Et conformiter dictis, *Judex competens* cenſetur ille, cujus juriſdictioni Reus ſubjicitur.

6 Reſp. III. Si Reus conveniendus multiplicem Forum ſortiatur (prout frequenter contingit ex cauſis in progreſſu enumerandis) in electione Actoris erit, convenire Reum, in quo maluerit foro. Ita Gloſſa *in c. Dilecti. verſ. Ubi domicilium, h. t. & l. ult. C. Ubi in rem actio &c.* id probans *ex L. 2. §. Planè, ſi perfecta, ff. de Judiciis*; eſtque communis Canoniſtarum, teſte Fagnano *in c. Licèt, n. 40 h. t.*

7 Quæritur II. Quid juris, ſi Reus conveniatur coram incompetente Judice, aut de hujus competentia dubium oriatur? Reſp. I. Reus coram Judice incompetente conventus, impunè non comparet, opponendo exceptionem declinatoriam fori: hæc tamen mox ab initio ante litis ingreſſum, ſeu ante litis conteſtationem, imò & ante alias exceptiones declinatorias proponenda eſt; ne ſi Reo ſciente, & connivente, procedatur ad alia, videatur is in talem Judicem conſenſiſſe, ejuſque perſonam approbaſſe, ac juriſdictionem prorogaſſe, *l. Conſenſiſſe, §. 1. ff. de Judiciis*: ſicque non poſſit poſtmodùm ejus judicium declinare. Patet hoc *ex L. ult. C. de Exceptionib* & ampliùs declarat Gloſſa *in c. Exceptionem. verſ. In dilatoriis*, & Abbas *ibid. n. 11. de Exceptionib.*

8 Dices. Sententia à non ſuo judice lata, eſt ipſo jure nulla; ut *c. At ſi Clerici, h. t. & L. 1. ac ſeqq. C. Si à non competente judice &c.* ergo non eſt neceſſe, exceptionem declinatoriam fori opponere ante ingreſſum litis; imò poterit ipſa quocunque tempore, etiam poſt latam ſententiam opponi, ſicut & nullitas ſententiæ. Reſp. neg. conſeq. Licèt enim exceptio declinatoria fori quandoque poſſit proponi quocunque tempore, etiam poſt ſententiam latam: prout accidit, quando ſententia lata fuit ab eo, qui nullo modo eſt judex competens, ne quidem ex conſenſu partium; quia videlicet alterutra partium ignoravit ejus incompetentiam; vel quia ex defectu aliarum conditionum ad prorogationem juriſdictionis requiſitarum, de quibus infrà §. 6. *n. 129. & ſeqq.* in ipſum conſentire non potuit. Nihilominùs regulariter exceptio declinatoria fori debet proponi ante omnia alia, atque ante ipſum ingreſſum litis: alioquin enim ſcienter litigans coram judice cæteroquin incompetenti, hoc ipſo cenſeretur in ejus perſonam conſenſiſſe, ipſiuſque juriſdictionem in ſe prorogaſſe; qua ratione is ex incompetente fieret Judex competens, qualis poſteà ampliùs recuſari non poſſet. Julius Clarus *libr. 5. Practicæ Crimin §. fin. quæſt. 35. in Addit. n. 1. & 2.* citans Beroum *in cap. 1. n. 16. de Accuſation.*

9 Reſp. II. Quando de incompetentia judicis aliundè liquidò conſtat, citatus venire non tenetur, *L. ult. ff. de Juriſdict. omn. judic.* Gloſſa *in L. 2. verſ. Sciatur, ff. Si quis in jus vocatus &c.* & communis. Secùs, quando certum eſt, citatum eſſe de juriſdictione citantis: quia tunc venire debet, alioquin punitur, *L. 1. ff. Si quis jus dicenti non obtemp.*

Reſp. III. Si verò de incompetentia fori, ſeu juriſdictione citantis certò non conſtet, ſed dubium exiſtat, adhuc tenetur citatus comparere; atque allegando privilegium exemptionis, aut aliam legitimam cauſam opponendo, docere de incompetentia judicis. Patet hoc *ex c. Cùm perſonæ, 7. de Privileg. in 6. & l. Si quis ex aliena.* juncta Gloſſa *verſ. Exiſtimare, ff. de Judiciis.* Ubi & hujus ratio redditur illis verbis. *Prætoris enim eſt exiſtimare, an ſua ſit juriſdictio: vocati autem eſt, non contemnere authoritatem Prætoris.* Concordat *L. 2. ff. de in jus vocando*, ubi pariter citatus venire tenetur, haud obſtante dubio de juriſdictione citantis: *Ut hoc ipſum* (inquit textus) *ſciatur, an juriſdictionis ejus ſit.* Idque meritò ſtatutum fuit: alioquin

enim perverſi quique facilè eluderent omnem Judicis authoritatem, allegando ex cauſis quandoque frivolis hujus incompetentiam, ſi ſtante dubio non tenerentur comparere, & incompetentiam fori probare.

11 Atque ex his formatur generalis regula communiter inter DD. recepta, quòd ubi quæritur de ipſa fori competentia, quilibet Judex, ſive ordinarius, ſive delegatus, cognoſcere poſſit, an ſua ſit juriſdictio, *juxta cit. l. Si quis ex aliena. ff. de Judic.* Idque verificatur non tantùm, ſi ad inſtantiam partis, ſed etiam ſi ex officio judicis proceditur: nam Jura allegata loquuntur indiſtinctè. Abbas *in c. Super literis, n. 10. §. Nunquid judex, de Reſcript.* Engel *h. t. n. 96.* Quinimò iſtud procedit etiam in Judice cæteroquin incompetente, utputa, dato per Reſcriptum ſubreptitie obtentum: nam & talis habet poteſtatem cognoſcendi in dubio, an ipſe ſit judex, nec ne; prout uberiùs dictum eſt *Lib. 1. Tit. 29. de Officio, & Poteſtate Judicis Delegati. §. 6. n. 130. & 133.*

12 Dices. Nemo poteſt eſſe Judex in propria cauſa; ergo nec talis Judex poterit cognoſcere, an ſua ſit juriſdictio. Reſp. Regulam in antecedenti poſitam limitari inter alia, quando iſtud à Lege fuit conceſſum Judici: prout accidit in præmiſſo caſu vi citatæ Legis, *Si quis ex aliena*, cum concordantiis ſuprà *Tit. præced. §. 8. n. 210. & nu. 207. & 208.* allatis, ubi plura de hoc. Accedit, quòd re penitius inſpecta, Judex judicans de ſua juriſdictione, non ſit judex in propria cauſa quantùm ad utilitatem: unde non mirum, quòd poſſit ſuper ea pronunciare; uti notat Gloſſa, & Bartolus *in cit. l. Si quis ex aliena. ff. de Judiciis* Idque declaratur ex eo: quia Judex pronunciando, quòd ſua ſit juriſdictio, nullum inde emolumentum ſuo nomine recipit, ſed tantùm ampliatur juriſdictio ſui officii. Atqui ea duntaxat cenſetur *propria eſſe cauſa, cujus emolumentum vel damnum, ad aliquem ſuo nomine pertinet*; ut loquitur textus notabilis *in L. 1. §. In propria, ff. Quando appellandum ſit*; ergo

13 Reſp. IV. Quòd ſi tandem inter Judicem Eccleſiaſticum & Laicum oriatur quæſtio ſuper competentia Fori in caſu ſpeciali, utroque pro ſe juriſdictionem prætendente tunc ipſi non conjunguntur, nec uterque agnoſcit; ſed Judex Eccleſiaſticus propter majorem authoritatem, & prærogativam Fori Eccleſiaſtici præ ſæculari, ſemper præfertur, debetque cognoſcere, an ſua ſit juriſdictio, nec ne. Ita deſumitur *ex c. Si judex*, 12 juncta Gloſſa, & DD. *ibid. de Sentent. excomm. in 6.* ubi loquendo de maleſactore, qui captus à Judice ſæculari dicit ſe eſſe Clericum, iſtud clarè habetur deciſum; prout ampliùs infrà *§. ult. n. 273. & ſeqq. h. t.* dicetur. Idipſum ſuadet major authoritas Poteſtatis Eccleſiaſticæ præ Civili, quæ quantò præſtat aurum, ſi comparetur ad plumbi metallum, tantò præcedit Poteſtatem ſæcularem, *can. Duo ſunt, diſt. 96.* Et quanta eſt differentia inter Solem & Lunam, ita major eſt authoritas Eccleſiaſtica, quæ præeſt diebus, id eſt; ſpiritualibus, ac altera, quæ præeſt carnalibus, *c. Solitæ, 6. de Majorit. & obedient* cum ſimilibus. Atque ideò datam Concluſionem tenet Felinus *in c. Paſtoralis, n. 4. de Reſcript.* monens Lectorem, ut hujus nunquam ſit oblitus. Covarruvias *Pract. Quæſt. cap. 33. num. 1.* Sperellus *Deciſ. 8. Fori Eccleſiaſt. num. 23. & Deciſ. 24. num. 59.* allegans alios. Jaſon *in l. Ex quacunque, numer. 19. ff. Si quis in jus vocatus, &c.* poſt Anton. de Butrio *in cap. Cæterum, col. 4. de Judic.* & Jo. de Imola *ibid.* ſubjungens, quòd hoc communiter tenetur. Julius Clarus *libr. 5. Practic. Crimin. §. fin. q. 36. nu. 21.* Farinacius *in Appendice de Immunit. Eccleſ. n. 367. & lib. 1. Praxis Criminal. q. 8. n. 33.* citans plurimos alios.

14 Quæritur III. Quibus modis generatim inducatur competentia Fori? Reſp. I. Etſi pluribus modis oriatur competentia fori, adeò ut Speculator *tit. de Competentis Judicis additione*, quinquaginta duos modos ſortiendi forum enumeret: nihilominùs generatim loquendo fori competentia deducitur ex tribus potiſſimum principiis. I. *Ex perſona Judicis*: ut quia eſt Ordinarius, vel Delegatus, aut quia prorogata eſt ejus juriſdictio. II. Ex *perſona Rei*: ut quia hic alicubi habet domicilium, vel ibi contraxit, aut deliquit, vel ſaltem res ejus in territorio talis judicis ſita eſt: item quia habet privilegium Fori, adeò ut alibi conveniri nequeat, & hujuſmodi. III. Ex *qualitate cauſæ*: ut quia eſt cauſa Eccleſiaſtica, vel ſæcularis, aut feudalis, & hujuſmodi. Engel *h. t. n. 1.* atque ampliùs patebit ex dicendis.

15 Reſp. II. Modi ordinarii, ſeu ſpeciales ſortiendi forum, ſunt quatuor, qui enumerantur *in cap. ult. h. t.* illis verbis: *Ratione delicti, ſeu contractus, aut domicilii, ſive rei, de qua contra poſſeſſorem cauſa movetur, forum regulariter quis ſortitur.* Alii verò modi ſortiendi forum dicuntur extraordinarii, ſimulque generales, utpote cùm non ſint reſtricti ad certam ſpeciem, ſed indifferenter poſſint competere reſpectu delictorum, contractuum, rerumque ipſarum. Ita Abbas *in cap. ult. n. 2. h. t.* Pirhing *eod. n. 5. & 6.* Sannig *cap. 1. n. 6. & 7.* ac alii. Atque de præcipuis ipſorum ſigillatim loquendo, ſit

## §. II.

## De modo ordinario ſortiendi Forum ratione Domicilii.

### S U M M A R I U M.


16 *Domicilium generatim, quid, & quotuplex?*
17 *Domicilium habitationis, quid?*
*De hoc ſemper intelligitur nomen* Domicilii *abſolutè poſitum. Ibid.*
18 *Poteſt quis in pluribus locis domicilium habere, licèt hoc ſit difficile.*
19 Peregrinari, *ac* Eſſe ſine domicilio, *quis dicatur?*
20 *Domicilium originis, quod?*
21 *Ad hoc non ſufficit, quod quis fortuitò alicubi natus fuerit.*
22 *Quaſi domicilium, quid?*
23 *Et qualis habitatio ad iſtud requiratur?*
24 *Ratione domicilii ( habitationis ) certum eſt, acquiri forum.*
*Iſte eſt verus & naturalis forus. Ibid. Et n. 102.*
25 *Appellatione* ſuæ Diœceſis, *in dubio intelligitur Diœceſis domicilii.*
26 *Et appellatione* Subditi, *ſubditus ratione Domicilii. Et num. 103.*
27 *Et largè ſolùm appellatur quis ſubditus ratione delicti, contractus, &c.*
28 *Forus domicilii concurrit cum quolibet alio Foro; adeò, ut Reus ibidem poſſit conveniri ſuper rebus, & delictis etiam alibi geſtis. Et num. ſeqq.*
29 *Judex domicilii poteſt procedere contra Subditum præſentem, ac etiam citare abſentem, quoad omnes effectus. Et num. ſeqq.*
30 *Nec obſtat, quòd nuntius exequatur citationem extra ejus territorium; & cur?*
31 *Præcipuus citationis effectus, eſt comparitio.*
32 & 33 *Judex domicilii, quomodo procedere poſſit contra ſubditum abſentem citatum, & contumacem in comparendo.*
34 *Spectato Jure communi ſortitur quis forum ratione Domicilii originis, poteſtque conveniri in loco originis.*
35 *Et quid de conſuetudine?*
36 *Certum eſt, quòd in loco quaſi Domicilii poſſit quis conveniri ſuper contractibus, ac delictis ibidem geſtis.*
37 *An autem ratione quaſi Domicilii ita quis ſortiatur forum, ut poſſit ibi conveniri ſuper alibi geſtis, variant DD.*
38 *Negativa ſententia, ejuſque ratio refertur.*
39 & 40 *Affirmativa eſt probabilior, ejuſque fundamenta.*
41 *Solvitur fundamentum prioris ſententiæ.*
42 *Habens æqualiter domicilium in duobus locis, ſortitur ibi utrocque forum.*
43 *Domicilii permutatio non perimit inſtantiam, coram Judice ejus jam cæptam.*
44 *Vagabundi, qui?*
45 *An talis ſit, qui pergit ad locum, in quo domicilium eſt collocaturus.*
46 *Vagabundi ſortiuntur forum, ubi reperiuntur.*


16 QUæritur I. Quid, & quotuplex ſit Domicilium? Reſp. I. *Domicilium* in genere, dici poteſt locus habitationis diuturnæ, ſeu longi temporis, ut explicat



plicat Calepinus *V. Domicilium.* Atque iſtud juxta Doctores communiter dividitur in Domicilium habitationis, Domicilium originis, & in quaſi Domicilium. Ludov. Engel *h. t. n. 1.* & alii in progreſſu enumerandi.

17 Reſp. II. *Domicilium habitationis* dicitur locus ille, in quo quis larem habet, aut majorem fortunarum ſuarum partem conſtituit, animo ibidem perpetuò commorandi. Ita in re communis; atque deſumitur *ex l. Senatores. C. de Senatorib. & l. Cives. C. de Incolis, lib. 10.* Siquidem verum domicilium non nuda voluntate, & aſſertione, ſed animo & facto ſimul conſtituitur, *l. Domicilium. C. ad municipalem*, eſtque ampliùs dictum ſuprà *Libro 1. Tit. 11. de Temporibus Ordinationum, §. 4. n. 86.* Et de hoc Domicilio habitationis ſemper intelligi debet, ubi fit mentio de domicilio abſolutè poſito, juxta Gloſſam *in c. Statutum. V. Unam dietam. de Reſcript. in 6.* & Innocentium *in cap. ult. h. t.*

18 Poteſt autem contingere, quòd quis nedum in uno, ſed etiam in pluribus locis, ejuſmodi domicilium habeat: ut ſi quis in duobus locis domum conſtituerit, ibique æqualiter moretur, per textum notabilem *in l. Aſſumptio. §. Juris prudentibus, ff. Ad municipalem.* concordat *c. Ex parte*, 19. juncta Gloſſa, *V. Andegavenſi.* & Abbate *ibid. n. 8. h. t.* atque ampliùs declarat alia Gloſſa *in c. Dilectus, 29. V. Domicilium, de Reſcript.* Quamvis difficile eſſe, quòd quis in duobus locis habeat domicilium, ultrò fateatur Juris Conſultus *in l. Ejus qui manumiſit, §. Celſus, ff. Ad municipalem.*

19 Quòd ſi quis aliorſum profectus fuerit, animo tamen revertendi, tunc is *peregrinari* dicitur, *l. Cives. C. de Incolis, l. 10.* Si autem quis domicilio relicto naviget, aut iter faciat, quærens quò ſe conferat, aut ubi conſiſtat; tunc talis cenſetur eſſe ſine domicilio, *cit. §. Celſus, ff. Ad municipalem.* Hoſtienſis *in Summa, h. t. n. 4.* & alii.

20 Reſp. III. *Domicilium originis* dicitur illud, ubi tempore ſuæ originis, ſeu nativitatis, parentes cujuſpiam ſtabilem ſedem habuerunt. Et de hoc fit mentio *in l. Senatores, ff. de Senatorib.* illis verbis. *Tamen & ibi, ubi oriundi ſunt, habere domicilium intelligitur.* Gloſſa *in c. Statutum. V. Unam dietam. de Reſcript. in 6.* Jaſon *l. Cunctos populos, n. 25. C. de Summa Trinitat.* Pirhing. *h. t. n. 10.* & alii.

21 Notanter tamen additur in Concluſione, *ſtabilem ſedem habuerunt.* Nam ad domicilium originis non ſufficit, quòd quis alicubi fortuitò natus fuerit, putà à parentibus ibidem in itinere, vel negotiorum cauſa conſtitutis: ſed requiritur, quòd tempore nativitatis ſuæ, parentes ipſius ibidem ſtabilem ſedem ſive domicilium habuerint. Abbas *in c. Rodulphus n. 9. de reſcript.* Bartolus *l. Filios, n. 4. C. de Municipib.* & alii; atque dictum eſt ſuprà *Libro 1 Tit. 11. de Temporibus Ordinationum. §. 4. n. 77. & ſeqq.*

22 Reſp. IV Per *quaſi domicilium* intelligitur habitatio duntaxat temporalis, longior tamen, ſeu per majorem anni partem, vel etiam plures annos alicubi continuata, abſque animo ibi perpetuò commorandi. Ita communis Sic v. g Studioſi in Academiis ſtudiorum cauſa diutiùs commorantes, & famuli in ſervitiis dominorum ſuorum occupati per annum, aut majorem ejus partem, cenſentur ibidem quaſi domicilium contrahere, *arg. L. 2. C. Ubi de criminib.* juncta Gloſſa, *ibid. V. Degit.*

23 Additur notanter, *habitatio longior, ſeu per majorem anni partem.* Nam ſi quis aliorſum ſe conferat, animo ad breve duntaxat tempus ibidem permanendi, utputa recreationis cauſa, vel ut ruralia in villa exerceat; is non cenſetur ibidem quaſi domicilium adipiſci, *arg. c. Is qui de Sepultur. in 6.* neque intelligitur ibidem habitare, ſed potiùs hoſpitari, *L. 1. §. Habitare, ff. De iis, qui dejecerunt.* Secùs, ſi quis ſtudiorum, aut negotiorum cauſa aliorſum pergat, animo per majorem anni partem ibidem conſiſtendi: talis enim ibi acquirit quaſi domicilium.

24 Quæritur II. An, & qualiter ratione Domicilii forum quis ſortiatur? Reſp. I. Certum eſt, quòd ratione Domicilii ( habitationis videlicet ) quis forum conſequatur, ita ut ibidem conveniri valeat; quinimò iſte propriè dicitur verus, & naturalis forus. Patet hoc *ex c. Licèt, 20. ſeu ult. h. t.* & tradunt ibidem Innocentius *num. 3.* Butrius *num. 16.* & Fagnanus *numer. 9* cum aliis, hunc propriè appellantes verum & naturalem forum. Concordat textus *in l. Cives. C. de Incolis, lib. 10.* ubi dicitur, quòd *Cives quidem origo, manumiſſio, allectio, vel adoptio; Incolas verò domicilium facit.* Unde conſequens eſt, quòd forus Domicilii, rectè dicatur verus, & naturalis forus.

25 Hinc etiam fit, quòd appellatione *ſuæ Diœceſis*, in dubio intelligatur Diœceſis domicilii; non autem originis, vel alia. Gloſſa ſingularis *in cap. Statutum. V. Unam dietam. de reſcript. in 6.* aſſerens, ſic ſervari in Curia Romana. Felinus *in c. Licèt ratione delicti, n. 23. h. t.* citans alios, & Fagnanus *loc. cit. n. 10.*

26 Hinc ulteriùs appellatione *Subditi*, in dubio venit duntaxat Subditus ratione domicilii. *arg. l. Cives. C. de Incolis, lib. 10.* Ibi: *Incolas verò domicilium facit.* At verò ſubjecti ex alio foro, putà contractus, delicti, vel rei ſitæ, licèt ſortiantur forum quoad caſum illum; nihilominùs non dicuntur propriè Subditi, ſed ſolùm iſti ſubditi ex domicilio. Gloſſa *in Clem. 1. V. Subditus, h. t.* Abbas *in c. Propoſuiſti. n. 2. h. t.* aſſerens, hoc eſſe notandum propter Statuta facientia mentionem de Subditis, quæ cùm ſint ſtricti juris, ſtrictè ſunt interpretanda, ſicque intelligenda de Subditis ratione domicilii. Felinus, & Fagnanus, *ubi ſuprà*, cum communi, ac rurſùs dicetur infrà *§. 4. n. 103.*

27 Nec obſtat *c. A nobis, 21. de Sentent. excomm.* ubi generalis excommunicatio per Epiſcopum contra furtum committentes lata, non obligat niſi ſubditos; & tamen etiam comprehendit eos, qui aliunde advenientes in ejus Diœceſi furtum committunt; prout notat Gloſſa magna ibidem. Reſp. enim cum alia Gloſſa. *in c. Nuper, 29. V. Tunc erit, eod.* quòd *in cit. c. A nobis*, largè appelletur quis Subditus ratione delicti: quamquàm hoc jam ſufficiat ad incurrendam ejuſmodi excommunicationem, cùm ratione delicti ſortiatur quis forum.

28 Reſp. II. Forus domicilii eſt ordinarius, ac univerſalior cæteris, concurrens cum quolibet alio Foro; in tantùm, ut Reus poſſit ibidem conveniri etiam pro contractibus alibi geſtis, ac pro delictis alibi commiſſis, ac ſuper rebus alibi ſitis. Ita Abbas *in cap. 1. n. 6. & c. Cùm contingat, n. 7. & cap. ult. num. 38. h. t.* Felinus *cit. n. 23.* Fagnanus, *ubi ſuprà, n. 12.* & alii. Sic quippè poteſt quis in foro domicilii conveniri de contractu alibi geſto, *c. Dilecti, 17. h. t.* Sicut & de re alibi exiſtente, *L. ult. C. de Præſcript. long. tempor.* Ac etiam de crimine alibi commiſſo, *l. Sciens. Auth. Qua in provincia. C. Ubi de criminib. agi oportet.* Accedit ratio: quia ſi in foro domicilii non poſſet Reus conveniri de alibi geſtis, commiſſis, aut exiſtentibus, tunc iſte forus ſuperflueret: atqui hoc non eſt dicendum; ergo iſte forus eſt ordinarius, ac generalis ad omnia, ut inquit Calderinus *c. 1. de raptorib.* cujus dictum laudat Abbas *cit. num. 38.*

29 Reſp. III. Judex domicilii non ſolùm poteſt procedere contra ſubditum, quando hic eſt præſens, omnimodam juriſdictionem in ipſum exercendo; ſed inſuper poteſt ſubditum domicilii citare abſentem, & ubicunque exiſtentem; etiam quoad omnes effectus. Ita Abbas *in d. c. ult. num. 41. h. t.* Felinus *cit. n. 23. V. Et ſcias.* Fagnanus *c. Licèt, n. 12 h. t.* & communis aliorum. Ratio eſt: quia, ubicunque quis exiſtat, remanet ſubditus Judicis domicilii, hoc ipſo, quòd domicilium non mutet, ſed retineat; ſimulque citatio decernitur in proprio territorio ipſius Judicis.

30 Nec obſtat, quòd Nuntius talem citationem exequatur extra territorium Judicis citantis. Nam actus Nuntii citationem exequentis, ut citatus futuræ litis notitiam habere valeat, nudum duntaxat miniſterium executionis eſt, non actus juriſdictionis; *arg. c. Romana. V. Contrahentes*, juncta Gloſſa *h. t. in 6. & l. Omnes, V. Verùm ſi apparitor. C. de Epiſc. & Cleric.* ac notat Gailus *lib. 1. Practic. Obſervat. 56. n. 3.* Abbas Fagnanus, *ubi ſuprà*; & alii.

31 Quòd autem Judex domicilii poſſit citare abſentem quoad omnes effectus, declaratur inductione. Nam imprimis præcipuus citationis effectus, eſt comparitio. Gailus *cit. lib. 1. Obſervat. 51. n. 8.* Atqui abſens citatus à Judice domicilii, tenetur comparere, ſub pœnis illicò referendis.

32 Deinde, quando abſens citatus, eſt contumax in comparendo, poteſt contra ipſum Judex domicilii procedere per miſſionem Actoris in poſſeſſione bonorum ipſius, ut tædio affectus Reus veniat reſponſurus, *capit. ult. §. In aliis, & §. Si autem. Ut lite non conteſtata &c* Vel ſi Reus contumax bona mobilia, aut immobilia non habeat, in quorum poſſeſſionem Actor mitti poſſit, tunc ipſe pro merito

rito

rito ſuæ contumaciæ poteſt excommunicari, aut alia Ecclesiaſtica cenſura innodari; ut *cit. §. Si autem, cod.* Abbas *loc. cit. n. 42.* poſt Gloſſam *in can. Epiſcopum, 9. qu. 2.* ℣. *Ordinandum*, & alios communiter, paucis exceptis: idemque tenet Feder. de Senis *Conſil.* 16. & Fagn. *ubi ſuprà nu.* 14. Ad idem favet textus *in c. Veritatis, 8. de Dolo & contum. & c. Cùm ſit Romana, 5. §. fin. de Appellat.* cum ſimilibus.

33 Tertiò Judex domicilii poteſt contra ſubditum abſentem citatum, & contumacem in comparendo, etiam procedere ad condemnationem, quando ſtatus cauſæ id patitur. Nam, quòd contra abſentem poſſit ferri ſententia condemnatoria, ſi eſt contumax, & altera pars de ſuo jure ſufficienter docuerit; clarè liquet *ex cit. c. Veritatis, 8. de Dolo & contum. & c. Ex tua, §. 1. de Cleric. non reſid. & l. Properandum. §. Et ſi quidem. C. de Judiciis.* Abbas, *ubi ſuprà, n. 41.*

34 Quæritur III. Utrùm quis forum ſortiatur, & conveniri valeat ratione Domicilii originis? Reſp. Affirmativè; ut proinde ſpectato Jure communi poſſit quis conveniri in loco originis, dummodò ibi reperiatur. Ita Abbas *in c. 1. n. 6. h. t.* & Bartolus *in l. Aſſumptio, §. Filius. verſ. Videamus, ff. Ad municipalem.* citans Jacob. de Aretio. Pirhing. *h. t. n.* 10. & alii. Concluſio hæc deſumitur *ex l. Incola & iis, ff. Ad municipalem*, juncta Gloſſa, *verſ. Juriſdictioni*. Concordat textus *in l. Hæres abſens §. 1. ff. de Judiciis*: ubi dicitur, quòd hæres ibi ſit *conveniendus, ubi defunctus debuit, ſi ibi reperiatur*: ſecùs ergo, ſi ibi non reperiatur. Quamquàm Julius Clarus *lib. 5. Criminalium, §. fin. quæſt. 39. num. 1.* hoc ultimum aſſerat ſolummodò procedere in cauſis civilibus.

35 Notat tamen Engel *h. t. n. 6.* Reum quidem indubitanter conveniri in loco originis, quando tempore inſtitutæ actionis ibidem habitat; tunc enim domicilium habitationis concurrit cum domicilio originis. Quòd ſi verò Reus habitationem ſuam aliò tranſtulerit, tunc jus conveniendi aliquem in loco originis, ab uſu receſſiſſe; ut tradit Colerius *in Tract. de Proceſſ. execut. part. 2. cap. 2. n.* 17. & Mathias Stephanus *de Offic. Judic. p. 1. l. 1. c. 8. n.* 28. Unde de Domicilio originis non oportet fuſiùs differere.

36 Quæritur IV. Utrùm, & qualiter ratione quaſi domicilii ſortiatur quis forum, ita ut ibidem conveniri valeat? Reſp. I. Certum eſt, quòd in loco quaſi domicilii, ſeu diuturnioris habitationis, poſſit quis conveniri ſuper contractibus, ac delictis ibidem geſtis, ſeu commiſſis. Ratio eſt clara. Quia tunc, ſi non ratione quaſi domicilii (de quo proximè) ſaltem ratione delicti, aut contractus ibidem geſti, ſortitur quis forum, *cap. ult. h. t.*

37 Reſp. II. An autem ratione quaſi domicilii, ſeu diuturnioris habitationis in loco, ita quis ſortiatur forum, ut ibidem etiam conveniri valeat ſuper contractibus, & delictis alibi geſtis, aut perpetratis; major eſt difficultas, & diverſæ extant ſententiæ Doctorum, quorum plures in utramque partem allegat Felinus *in c. Dilectus, il 2. n. 2. de Reſcript.*

38 Negativam tenet Bartolus in *l. Hæres abſens, §. Proinde, ff. de Judiciis*: ubi in fine docet, quod Scholaſtici ratione ſtudii ſortiantur forum, ut ſi ibi contrahant, poſſint ibi conveniri: non autem, quòd pro contractibus, vel obligationibus anteà factis, ibi conveniri poſſint. Idem tenet Hoſtienſis *in c. Quod Clericis h. t.* Engel *h. t. num.* 10. hanc ſententiam amplectens in caſu, quo quis alibi habet verum domicilium, & non nimis remotum. Ratio hujus ſententiæ eſt: quia Jura ſtatuentia, quod quis poſſit alicubi conveniri ratione domicilii, loquuntur de vero domicilio; nam in dubio à verborum proprietate recedendum non eſt, *l. Non aliter, ff. de Legat. II.* Atqui quaſi domicilium, non eſt verum domicilium: ut *l. Cives. C. de Incolis, lib.* 10. ergo

39 Affirmativam, ſimulque probabiliorem ſententiam, videlicet in loco quaſi domicilii poſſe quempiam conveniri etiam ſuper contractibus, & delictis alibi geſtis; ex profeſſo tradit Abbas *in c. Quod Clericis, n. 5. h. t.* Felinus *in d. c. Dilectus, il 2. n. 12. de Reſcript.* Pirhing *h. t. n.* 18. & alii plures, quos citant. Deſumitur hæc ſententia *ex L. 2. C. Ubi de criminibus &c.* nam competens judex ibidem cenſetur ille, ubi Reus *degit*; hoc eſt (ut inter alia loquitur Gloſſa finalis) *converſatur, ut Scholaris in ſcholis, licèt domicilium non habeat ante decennium*. Accedit ratio: quia abſurdum videtur, quod quis diutiùs in loco moraretur, & nollet ibi reſpondere de alibi geſtis: ſic enim quaſi domicilium, ſeu diuturna converſatio in loco, parùm operatur; prout ampliùs urget Felinus *loc. cit.*

Confirmatur: quia ex quaſi domicilio alicubi conſtituto (dum videlicet quis locum acceſſit animo longiùs, ſaltem per majorem anni partem, ibi commorandi) acquiritur jus Parochiæ pro Foro interno; ita ut quis non ſolum Sacramentum Pœnitentiæ, ſed etiam omnia alia Sacramenta (excepto Sacramento Ordinis) poſſit ab Epiſcopo, vel Parocho illius loci recipere: prout fusè oſtendit Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 22. n. 12. & ſeqq.* Cùm igitur hoc ipſum non ſit admittendum pro Foro externo? Præſertim, cùm iſtud ſuadeant Jura, rationes & authoritates, cùm hactenus allatæ, tum uberiùs apud Abbatem *loc. cit.* & alios videndæ. 40

Atque ex his ſatisfit fundamento prioris ſententiæ. Negatur enim major ſic univerſaliter prolata, per Jura, & rationes nunc allatas. Quamquàm idcircò non negetur, quin particularis locorum conſuetudo, quantùm ad propoſitum, multùm operetur, ac in praxi vel maximè ſit attendenda. 41

Quæritur V. Quid juris, ſi quis in duobus locis domicilium habeat, aut inchoata lite prius dimiſerit? Reſp. I. Si quis obtineat domicilium habitationis in duobus locis, eò quòd utrobique æqualiter ſit inſtructus, æqualiterque per anni decurſum commoretur, tunc in utroque loco cenſentur ſortiri forum, poteſtque conveniri. Ita deſumitur *ex c. Ex parte, 15. h. t.* juncta Gloſſa: *verſ. Ambiguitas*, & Abbate *n.* 8. & DD ibidem. Concordat textus *in l. Labeo, & l. Aſſumptio, §. fi. 1. ff. Ad municipalem.* 42

Reſp. II. Mutatio domicilii non perimit inſtantiam coram Judice illius domicilii jam cæptam: unde legitimè citatus tenetur coram hujuſmodi Judice citante cauſam proſequi non obſtante, quòd poſt citationem mutaverit domicilium. Patet hoc *ex c. Propoſuiſti, 19. h. t.* eſtque communis. Accedit ratio: quia per citationem legitimè factam prævenitur, ac perpetuatur juriſdictio Judicis citantis; ſicque citatus, haud obſtante mutatione domicilii, *jus revocandi forum non habet, quaſi ab altero jam præventus*, ut loquitur textus ibidem. 43

Quæritur VI. Qui cenſeantur Vagabundi, & ubi forum ſortiantur ratione domicilii? Reſp. I. *Vagabundi* cenſentur illi, qui nullibi certam & ſtabilem ſedem, ſeu domicilium habent, ſed hinc inde vagantur. Ita Abbas *in cap. ult. n. 13. h. t.* Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 25. n. 1.* & alii. Atque deſumitur ex *l. ejus qui manumiſit. §. Celſus, ff. Ad municipalem*, ubi dicitur: *Si quis domicilium non habet, atque ubi conſiſtit, vel iter faciat quærens quò ſe conferat, atque ubi conſiſtit; nam tunc primùm puto ſine domicilio eſſe*, ſicque cenſebitur vagabundus. 44

Nec obſtat, quòd quis relicto priori domicilio, ac in itinere conſtitutus, jam animo deſtinaverit locum, in quo domicilium ſit collocaturus. Adhuc enim talis cenſetur vagabundus; dum eſt in via; cùm careat pro tunc domicilio. Prius enim domicilium (uti ſupponitur) re, & facto deſeruit: alterum verò nondum obtinuit; quia domicilium re & facto transfertur, non nuda conteſtatione, ſeu animi deſtinatione, *l. Domicilium, ff. Ad municipalem.* Sanchez *cit. diſp. 25. n.* 3. 45

Reſp. II. Vagabundi, qui certum domicilium, vel habitationem non habent, ſortiuntur forum, ubi reperiuntur; adeò, ut ibi poſſint conveniri etiam ratione contractus, vel delicti alibi commiſſi, ſeu celebrati. Ita Gloſſa marginalis *in cap. ult. verſ. Aut domicilii, h. t.* dum ait, quòd vagabundus ibi dicitur domicilium habere, ubi invenitur. Et Gloſſa *in l. Hæres abſens. §. Proinde. verſ. Debebit, ff. de Judiciis*, dicens, quòd ſi debitor vagari cœperit per orbem, nec alicubi certum domicilium habeat, poſſit conveniri, ubicunque reperiatur, ne alioquin creditor jus ſuum perdat. Quam Gloſſam, pluribus jam Juribus firmatam, approbat Bartolus *ibid. §. Quæro quid ſi debitor*, ſubjungens, quòd juxta ipſam multi Ribaldi ſuſpenduntur in Civitatibus, & Caſtris; cùm non habeant alicubi ſedem. Fagnanus *c. Licèt, n. 26. h. t.* Pirhing *eod. n.* 15. Sanchez *l. 3. de Matrim. diſp. 25. n. 5.* citans alios. Idque deſumitur *ex l. 1. c. Ubi quis de Curiali &c. & l. 1. C. Ubi de criminibus &c.* juncta Gloſſa *fin.* de talibus vagabundis illud vulgatum allegante: *Ubi te invenero, ibi te judicabo*, & amplius firmat Jo. Andreas *c. ult. n. 11. h. t.* 46

§. III.



## §. III.

## De modo ordinario ſortiendi Forum ratione Delicti.

### S U M M A R I U M.

47 *Certum eſt, quòd ratione delicti alicubi commiſſi quis ibi forum ſortiatur.*

48 *Delinquens, ſi adhuc eſt in loco delicti tam reſpectu perſonæ, quàm reſpectu bonorum, etiam alibi exiſtentium eſt de juriſdictione judicis delicti.*

*Quid juris, quando clericus in una Diœceſi habens Beneficium, committit in alia crimen dignum privatione ejus? Ib. & n. ſeqq.*

49 & 50 *Expenditur intellectus* c. Poſtulaſti, 14. h. t. *Et n. ſeqq.*

51 *Titulus Beneficii inhæret oſſibus Clerici, ſicut & alia jura incorporalia oſſibus dominorum.*

52 *Quando Judex, in cujus territorio bona condemnati exiſtunt, poſſit exequi ſententiam à Judice delicti prolatam?*

53 *Quid, ſi talis ſententia ſit nulla?*

54 *Et quid, ſi Judex ejuſmodi debitè requiſitus nolit exequi ſententiam ab altero latam?*

55 *Judex delicti, quid poſſit contra Reum criminoſum, non ampliùs exiſtentem in loco delicti, ſed citatione præventum?*

56 & 57 *Vel non præventum citatione? Et n. ſeqq.*

58 *Citatus à Judice delicti extra territorium, non cenſetur contumax, etſi non compareat.*

59 *Poteſt tamen ita citari ad effectum aſtringendi bona ejus, niſi comparuerit.*

60 *Diſparitas inter Judicem domicilii, & Judicem delicti, quoad poteſtatem citandi abſentem.*

61 *Reus, qui fugit, an ſit remittendus ad locum delicti? Et n. ſeq.*

*Poteſt ejus remiſſio debitè per litteras requiri? Ib.*

62 *Ac de rigore Juris fieri debet; & cur?*

63 *Idque non ſolùm ex urbanitate, ſed etiam ex neceſſitate.*

64 *Requiruntur tamen ad hoc plures conditiones.*

65 *I. Ut petatur per publicas Litteras requiſitorias.*

66 *II. Ut delictum ſit grave, & commiſſum in territorio Judicis petentis remiſſionem.*

67 *III. Ut res adhuc ſit integra, nec ab altero Judice tractari cœpta.*

68 *IV. Ut Litteris requiſitoriis inſeratur ſummaria criminis cognitio.*

69 *V. Ut uterque Judex ſit ſub eodem Principe, à quo requiſitus puniri poſſit, niſi Reum remittat.*

70 *Remiſſiones reorum de facto variùs practicantur vel non niſi ſub Litteris Reverſalibus; & cur?*

71 *Ut Judex poſſit remiſſionem Rei facere, debet (juxta aliquos) in ipſum juriſdictionem habere.*

72 *Oppoſita ſententia probatur.*

73 *Et reſolvuntur rationes prioris ſententiæ.*

74 *A quo judice poſſit puniri delictum in confinio territoriorum commiſſum, & conſummatum?*

75 *Aut in uno territorio inchoatum, in altero conſummatum? Et n. ſeqq.*

76 *Homicidium, unde ſic dictum?*

77 *Ex duobus conjunctis potentius trahit ad ſe minùs potens Et n. 79.*

78 *Unum delictum plures perſonas tangens, cuique attribuatur in ſolidum.*

79 *Solvuntur rationes ſententiæ, volentis, quòd tunc ſolus ille ſit Judex competens, in cujus territorio conſummatum eſt delictum.*

47 QUæritur I. An, & qualiter ratione Delicti quis ſortiatur forum? Reſp. I. Certum eſt, quòd ratione delicti alicubi commiſſi quis ibi ſortiatur forum; adeò, ut in cujus territorio quis delinquit, ejus juriſdictioni ſubjiciatur, ab eoque puniri poſſit, licèt aliàs eidem ſubditus non ſit. Patet hoc *ex c. Poſtulaſti, 14. & c. ult. h. t. & can. Placuit, 6. q. 3. & cap. 1. de Raptorib.* cum ſimilibus. Concordat *Auth. Qua in provincia. C. Ubi de criminibus agi oportet*, ibi: *Qua in provincia quis deliquit, aut in qua pecuniarum, aut criminum reus ſit, illic etiam juri ſubjaceat.* Et meritò ſcelera in eo loco puniri præcipiuntur, ubi commiſſa ſunt; partim ad exemplum, ſeu terrorem aliorum; partim ut per publicam vindictam ſatisfiat illi Reipublicæ, quæ per crimen extranei læſa eſt. Accedit, quòd in loco delicti faciliùs inquiri poſſit de authore criminis, ac delictum probari.

Reſp. II. Quando delinquens adhuc reperitur in loco delicti, tunc ipſe quoad omnes effectus tam reſpectu perſonæ, quàm reſpectu bonorum, etiam alibi exiſtentium, eſt de juriſdictione Judicis delicti; hoc eſt Judicis illius loci, in quo delictum perpetratum fuit. Ita deſumitur *ex c. Poſtulandi, 14. h. t.* & tradit ibidem Gloſſa *fin.* & Abbas *nu.* 7. ac Barboſa *num.* 1. & Vivianus *in Rationali §.* 1. Pirhing *h. t. n.* 23. & alii. Siquidem *in cit. cap.* juxta probabiliorem ejus intellectum, deciſum habetur, quòd quando Clericus habet Beneficium in una Diœceſi, in alia verò delinquit committendo crimen dignum privatione Beneficii; tunc Epiſcopus delicti condemnet Clericum de delicto (ſic exercendo juriſdictionem reſpectu perſonæ ejus) atque ipſum etiam privet Beneficio, pronunciando ſententiam privationis ſuper hoc (qua ratione exercet juriſdictionem reſpectu bonorum ejus, ſeu Beneficii alibi exiſtentis) quamvis executio realis fiat poſtmodùm ab Epiſcopo loci, ubi Beneficium illud ſitum eſt. Ad idem facit *cap. 1. de Offic. Judic. Ordinar.* 48

Nec obſtat quòd Gloſſa *in cit. c. Poſtulaſti.* ℣. *Deliquit, h. t.* & nonnulli alii, textum illius Capituli aliter eſſe intelligendum putent, ita videlicet, ut Epiſcopus delicti proferat ſententiam ſuper crimine ſolùm, Epiſcopus Beneficii autem poſteà ferat ſententiam privationis Beneficii, hancque exequatur. Alioquin enim (inquiunt) Epiſcopus delicti, ſi per ſuam ſententiam privaret Clericum Beneficio alibi exiſtente, videretur ponere falcem in meſſem alienam, contra *c. Venerabilem, 34. de Election. & c. Novit 13. de Judiciis.* Imò ejus ſententia non teneret: nam *extra territorium jus dicenti, impunè non paretur*, ut dicitur *c. ult. de Conſtitut. in 6. & L. ult. ff. de Juriſdict. omn. judic.* 49

Non obſtat, inquam. Quia hic intellectus *cit. c. Poſtulaſti*, eſt minus probabilis, minuſque concordans litteræ; unde etiam relinquitur à Gloſſa *fin. ibid.* & à Speculatore *tit. De Executione ſententiæ. §. Nunc dicendum, nu. 13.* ℣. *Item facit.* ubi inquit, quòd dictus *intellectus non placet*. Concordat Abbas *cit. n.* 7 aſſerens, quòd textus ibidem *apertiſſimè* importat priorem intellectum, in Concluſione approbatum, *non cavillando litteram*; eſtque communior aliorum. Atque idem in ſimile traditur *in c. Romana, §. Contrahentes, h. t. in 6.* ubi unus Epiſcopus decernit miſſionem faciendam in bona, quæ Reus contumax in alia etiam Diœceſi noſcitur obtinere, quam deinde ad illius requiſitionem alter Epiſcopus exequitur. 50

Nec urgent rationes *n.* 49. in oppoſitum allatæ. Quia, cùm titulus Beneficii, v. g. reſideat penes perſonam ipſius Clerici, atque inhæreat oſſibus ejus: ſicut de aliis juribus incorporalibus dici ſolet, ac notat Gloſſa *in L. 3.* ℣. *Ea verò, ff. Profecto.* Jam hoc ipſo, quòd ratione delicti perſona delinquentis ſit Judici illi ſubjecta, poteſt ipſe hujuſmodi jus, utpote perſonæ inhærens, abdicare ab illa perſona, hancque in pœnam delicti eodem ſententialiter privare. Et ſic non fert ſententia in rem ſibi non ſubjectam, neque jus dicit extra territorium: cùm perſona delinquens ſit ſibi ſubjecta. Lata autem ſententia privationis vacat Beneficium alibi exiſtens; ſicque quoad hoc executio facienda eſt per Judicem, ſive Epiſcopum, in cujus Diœceſi Beneficium exiſtit. Abbas *cit. n.* 7. 51

Reſp. III. Nihilominùs, ut Judex ille, in cujus territorio bona condemnati exiſtunt, exequatur ſententiam à Judice delicti prolatam, requiritur, ut ab hoc ad illum directæ fuerint Litteræ requiſitoriæ ſuper executione ſuæ ſententiæ; prout in ſimili ſtatuitur *c. Romana, §. Contrahentes, in fin. h. t. in 6. & l. Properandum. §. Sin autem.* juncta Gloſſa, ℣. *Ad majorem. C. de Judiciis.* Alioquin enim Judex alterius Tribunalis, non poſſet ſe intromittere ſine voluntate primi judicantis; ut *L. 1. ff. de Offic. Conſult.* Niſi forſan eſſet talis Judex, ad quem de Jure communi, vel municipali, ſpectat executio, & eſt ordinarius reſpectu 52

ſpecta Delegati, l. A Divo Pio, §. 1. ff. de Re judicat. Vel niſi ex officio deberet procedere; ut fit in Beneficialibus, arg. c. Cùm dilectus, 32. §. Nos verò, de Electión. & cap. Conſtitutus, 45. de Appellation. Vel niſi Reus eſſet excommunicatus: nam excommunicatio ſecum trahit executionem, c. Paſtoralis, 53. de Appellat. Aut niſi Reus foret exbannitus in perſonam; nam in talem, quicunque eum primò caperet, ille poſſet facere executionem. Speculator tit. de Execution. ſententiæ, §. Nunc dicendum, n. 14. Bartolus in l. A Divo Pio, §. Sententiam Romæ, ff. de Re judicat. Abbas in cit. c. Poſtulaſti, num. 18. ubi pluribus hanc materiam examinant, & adhibitis aliis diſtinctionibus ſolidè reſolvunt.

53 Reſp IV. Inſuper hactenus dicta procedunt loquendo de ſententia Judicis delicti ritè prolata. Nam, ſi alter Judex, à quo petitur executio ſententiæ, videat eam nullam, debet ſuperſedere, ac exceptionem nullitatis remittere. Felinus in c. Poſtulaſti, num. 11. §. Si judex, h. t. citans Paulum de Caſtro Conſil. 200. Incip. Si dicta ſententia, & alios. Imò, ſi nullitas eſt notoria, non erit opus remiſſione, ſed poteſt executio denegari. Felinus loc. cit. poſt alios.

54 Quòd ſi autem Judex debitè requiſitus, nolit exequi juſtam ſententiam ab altero latam: tunc poterit is per Superiorem, vel Epiſcopum ſuum ad hoc cogi, & puniri, arg. Auth. Ut differentes judices &c. §. 1. Collat. 9. Bartolus in d. l. A Divo Pio. §. Sententiam, n. 5. Ubi addit, quòd ejuſmodi Judex inſuper parti, forſan exinde læſæ, teneatur actione in factum ad intereſſe, l. Si judex; ff. de Variis & extraord. cognitionib.

55 Quæritur II. Quid Judex delicti poſſit contra Reum criminoſum, non ampliùs exiſtentem in loco delicti? Reſp. I. Quando Reus criminoſus citatione præventus eſt, dum erat in loco delicti, ſeu in territorio Judicis illius, certum eſt, quòd ejuſmodi Judex poſſit contra ipſum etiam abſentem procedere: adeò, ut ſi contumaciter ſe abſentet, nec ampliùs comparere velit, Judex delicti non ſolùm poſſit procedere contra bona Rei in ſuo territorio exiſtentia, ſed etiam contra perſonam ejus, ipſum videlicet excommunicando, & omnem proceſſum ſuper perſonam ejus formando, in quantùm patitur qualitas cauſæ, & ſtatus perſonæ Rei. Ita Abbas in c. ult. n. 6. h. t. aſſerens, ita dicendum ſecundùm omnes. Idque clarè deſumitur c. Propoſuiſti, 19. h. t. ubi legitimè citatus tenetur cauſam proſequi coram Judice citante, haud obſtante, quòd poſteà juriſdictionis alterius eſſe cœperit: Quaſi (inquit textus) ab altero jam præventus. Ubi proin Gloſſa infert, quòd per ſolam citationem prævenitur, ac perpetuatur juriſdictio tam Ordinarii, quàm Delegati. Concordat textus in l. Si quis poſteà, ff. de Judiciis, ubi idipſum, atque ob eandem rationem, deciſum habetur. Item c. Tuæ, 3. & cap. ult. §. In aliis. Ut lite non conteſtata &c. ubi legitimè citatus, & contumaciter ſe abſentans, vel punitur in bonis, mittendo alium in horum poſſeſſionem, ſi fieri poteſt; vel excommunicatur.

56 Reſp. II. Quòd ſi Reus delinquens intra territorium Judicis delicti non fuerit citatione præventus, tunc (niſi is remittatur per proprium Judicem, juxta inferiùs dicenda) nequit Judex delicti facere proceſſum contra ejus perſonam, neque ad iſtum effectum citare conſtitutum extra territorium: licèt poſſit ipſum citare in ordine ad effectum aſtringendi bona, ſi quæ habeat in ejus territorio, niſi comparuerit. Ita Abbas loc. cit. n. 7. & Fagnanus c. Licèt, ll. 2. n. 16. h. t. citans Innocentium ibid. ℣. Contrahus. Hoſtienſem n. 3. & Ant. de Butrio. nu. 6. eſtque communis aliorum; quidquid nonnulli quoad primam partem olim contradixerint, quos refert, ac refutat Abbas, ubi ſuprà, n. 6.

57 Prior pars deſumitur ex clem. Paſtoralis, de Sentent. & re judicat. Ubi ſententia ſuper crimine lata contra citatum, extra territorium citantis continuò exiſtentem, ipſo jure declaratur eſſe nulla: quia nimirum extra territorium jus dicenti, impunè non paretur, cap. ult. de Conſtit. in 6. cum ſimilibus.

58 Et hinc fit, quòd citatus extra territorium à Judice delicti, quamvis non compareat, neutiquam dicatur contumax, & proinde nec poſſit excommunicari ratione contumaciæ. Quia videlicet comparere non tenetur, nec alter reſpectu ſuæ perſonæ juriſdictionem habet: communicatio autem, ſicut & contumacia, reſpicit perſonam, ejuſque oſſibus inhæret.

Secùs dicendum quoad bona, ſi quæ Reus habeat in territorio Judicis delicti exiſtentia. Nam hoc ipſo, quòd hæc ſubſint juriſdictioni illius Judicis, poteſt ipſe citare Reum ratione criminis intra ſuum territorium commiſſi in ordine ad effectum aſtringendi bona hujuſmodi, niſi comparuerit. Quæ quidem citatio non ſolùm poteſt fieri verbaliter per nuntium, vel litteras ad Reum directas; ſed etiam, ſi iſte lateat, & ignoretur, ubi degat, per Edictum in publico loco affixum. Reus autem citatus comparere non tenetur invitus; ſed ſufficit, ſi res ſuas poſſideri patiatur, arg. c. Romana. §. Contrahentes. h. t. in 6. & l. Sed & eæ perſonæ. §. fin. ff. de Procurator. atque uberiùs probat Abbas in d. c. ult. n. 6. verſ. alii dicunt. h. t. Ac per hoc patet ad alteram partem datæ Concluſionis. 59

Dices. Poteſt Judex domicilii citare Reum abſentem, etiam procedendo contra ejus perſonam, quamvis exiſtat extra ſuum territorium, ut dictum ſuprà §. præc. n. 29. & ſeqq. ergo etiam Judex delicti. Reſp. neg. conſequent. & paritatem. Diſparitas eſt: quia, ubicumque quis exiſtat, manet ſubditus Judicis domicilii, hoc ipſo, quòd illud adhuc retineat, contrà delinquens, poſtquàm eſt extra territorium, non ampliùs eſt ſubditus Judicis delicti, niſi fuerit citatione præventus; quia ſolùm accidentaliter ei ſubjicitur, non naturaliter, ut hæc ratione domicilii. Abbas cit. num. 6. & Concordant dicenda inferiùs §. 4. n. 102. & ſeqq. 60

Quæritur III. Utrùm Reus, qui fugit, ſit remittendus ad locum delicti? Reſp. I. Quamvis Reus tempeſtivè aufugerit, nec fuerit citatione præventus; nihilominus Judex ille, in cujus territorio grave crimen eſt perpetratum, poteſt debitè per litteras requirere Judicem illum, ubi delinquens ſcitur degere, ut eundem citet, ſeu capiat, ſibique remittat. Ita communis; & patet ex Clem. Paſtoralis §. Nos quoque. juncta Gloſſa, ℣. De more, de Sentent. & re judic. & l. Si cui, §. fin. ff. de Accuſationib. & l. Solent. ff. de Cuſtodia, & exhibit. reor. 61

Quinimò in Auth. Ut Judicium. §. Si verò quis comprehenſorum. Collat. 9. expreſsè jubetur, ut Judex, in cujus Provincia delinquens degit, poſt publicas à Judice delicti ſuſceptas litteras Reum comprehendere, atque illi remittere tenentur; idque ſub gravibus pœnis ibidem ſpecificatis. Siquidem iſtud congruit communi bono Reipublicæ: tunc ut ad exemplum, & terrorem aliorum, delicta gravia ibi publicè puniantur, ubi fuerunt perpetrata. Tum ut hac ratione ſatisfiat illi Communitati, quæ per delictum in ſuo territorio commiſſum graviter offenſa, & injuriata fuit. Tum tandem, quia alibi non tam facilè Reus convinci poſſet ſuper crimine, ſicque crimina ſæpiùs remanerent impunita in grave præjudicium Reipublicæ. Meritò igitur Judex ille, in cujus territorio Reus deliquit, poteſt petere ab altero Judice, ubi is degit, ejus citationem, ac remiſſionem. 62

Unde inferunt plerique Doctores, cùm Imperator in d. Auth. Ut nulli Judicium. §. Si verò quis comprehenſorum, utatur verbo Jubemus, quod eſt neceſſitatis, ac præceptum importat; dictam remiſſionem Rei delinquentis ad locum delicti, non tantùm ex urbanitate, vel ex voluntate (uti quidam voluerunt) ſed etiam ex neceſſitate, ſaltem ſpectato Jure communi, ac ſecluſa ſpeciali conſuetudine locorum, faciendam eſſe. Quod ſi igitur Judex ille, ubi delinquens degit, nolit Reum remittere, non ſolùm malè aget non ſatisfaciendo neceſſitati Juris, qua tenetur remittere: ſed etiam ab altero Judice, remiſſionem Rei urgente, poterit contra ipſum agi apud Superiorem ejus, quamvis ipſemet non poſſit illum cogere ad remittendum, neque ob repulſam punire (cùm par in parem non habeat imperium) niſi forſan aliunde foret ejus Superior. Ita Gloſſa in cit. Clem. Paſtorali. ℣. De more, de Sentent. & re judicat. Abbas in cap. ult. n. 16. h. t. Felinus c. Licèt ratione delicti. n. 10. eod & communior aliorum. 63

Reſp. II. Nihilominùs, ut Judex ille, in cujus territorio delinquens degit, aut captus eſt, teneatur hunc remittere Judici delicti, plures requiruntur conditiones. Ita Covarruvias Practic. Quæſt. cap. 11. nu. 5. & ſeqq. Felinus loc. cit. num. 7. & ſeqq. Farinaccius lib. 1. Praxis Criminalis, tit. 1. cap. 7. n. 27. & ſeq. Engel. h. t. n. 23. Aloyſ. Riccius in Praxi Rerum Eccleſiaſt. tom. 1. part. 2. reſol. 72. & tom. 2. part. 4. in fin. ſeu Praxis remiſſionis delinquentium, q. 3. ubi novemdecim talia requiſita enumerat. Cœteris tamen dimiſſis probatur Concluſio inductione, declarando quinque præcipuas conditiones ad remiſſionem delinquentium neceſſariò faciendam requiſitas. 64



65 I. Conditio, ad remiſſionem Rei de neceſſitate faciendam requiſita, eſt: Ut remiſſio delinquentis à Judice loci delicti petatur per publicas Litteras, quas appellant, requiſitorias. Patet hæc conditio ex cit. Auth. Ut nulli Judicium. §. Si verò quis comprehenſorum: ibi enim Imperator pro facienda remiſſione delinquentium expreſsè jubet, Provinciæ illius judicem, in qua peccare contigerit, Epiſtola publica uti ad Provinciæ illius judicem, in qua delinquens perſona degit. Igitur ſecluſis hiſce Litteris requiſitoriis, nullo jure compellitur Judex Reum detinens facere remiſſionem delinquentis, licèt nihilominùs ex quadam urbanitate poſſit eum remittere ad Judicem delicti (accedente tamen hujus voluntate) licèt non petatur; eò quòd congruentiùs exerceatur juſtitia in loco delicti ad terrorem aliorum, & tollendum ibidem ſcandalum. Abbas Conſil. 25. n. 2. lib. 1. Riccius cit. p. 2. Reſol. 72. n. 1. & alii.

66 II. Ut delictum ſit grave, & commiſſum in territorio Judicis petenti remiſſionem, ſimulque de eo agatur criminaliter. Nam Doctores communiter tenent, quòd in levioribus delictis non fiat remiſſio, ſicut nec in gravibus, quando vel non ſunt commiſſa in territorio Judicis remiſſionem petentis, vel de ipſis ſolummodò agitur civiliter. Ratio eſt: quia hujuſmodi remiſſio Reorum ad locum delicti, fit principaliter ex eo, ut delinquentes ibidem ad terrorem aliorum, tollendumque publicum ſcandalum, ſuppliciis legitimis ſubjiciantur, cit. §. Si verò quis comprehenſorum. Atqui hæc ratio ceſſat in criminibus, quæ non ſunt commiſſa in territorio Judicis petentis remiſſionem, ſicut & ipſa ceſſat in delictis levioribus, aut de quibus civiliter ſolùm agitur. Abbas in cit. cap. ult. n. 15. h. t. Aloyſ. Riccius cit. Reſol. 72. num. 2. & Reſol. 74. num. 2. Julius Clarus lib. 5. Criminalium. § fin. quæſt. 38. num. 23. & 24. Covarruvias, ubi ſuprà num. 7. §. Octavo, citans alios, & communem.

67 III. Ut res adhuc ſit integra, nec à Judice, in cujus territorio delinquens degit, tractari cœpta. Alioquin enim ſi Judex originis, aut domicilii (utpote qui poteſt procedere contra Reum etiam alibi delinquentem) non requiſitus prævenerit in captura, ſicque res ampliùs non ſit integra; ratione præventionis non poteſt impediri à Judice delicti, quin cauſam cognoſcat, eamque legitimis ſuppliciis Reum afficiendo finiat. Abbas d. cap. ult. nu. 16. h. t. aſſerens, in tali caſu ex ſola urbanitate procedere remiſſionem. Aloyſ. Riccius cit. part. 2. Reſol. 80. n. 2. & par. 4. in Praxi remiſſion. delinquent. q. 13. n. 3. Farinacius d. q. 7. n. 23. citans plures alios.

68 IV. Ut Judex delicti Litteris requiſitoriis inſerat quandam ſummariam criminis cognitionem, ac probationem: ne alioquin, ſi quis ſtatim ligatus remitteretur, quandoque contingeret quemquiam ſine cauſa, & innocentem, infamia notari. Gloſſa in Clem. paſtoralis. ℣. De more circa fin. de Sentent. & re judicat. refutans quorundam aliorum opinionem. Oldradus Conſil. 124. §. Secundò, iſtud ulteriùs probans ex l. Interdùm. §. Iidem autem. ff. de Publican. & vectigalib. Covarruvias, ubi ſuprà, n. 8. Riccius cit. Reſol. 72. n. 2. cum aliis requirens ad remiſſionem delinquentis faciendam, ut conſtet, fuiſſe commiſſum delictum in territorio Judicis requirentis; per textum in l. 1. §. Item illud. ff. Ad S. C. Syllanian. ubi prohibetur, fieri inquiſitionem (conſequenter & remiſſionem) niſi conſtet aliquem eſſe occiſum: & reſol. 86. n. 1. allegans alios.

69 V. Ut remiſſio de neceſſitate ſit facienda, requiritur, quòd uterque Judex videlicet tam requirens, quàm requiſitus, ſint ſub eodem dominio, ſeu Principe, à quo requiſitus puniri poſſit, niſi Reum remittat. Alioquin enim remiſſio non foret de neceſſitate facienda, cùm non eſſet Princeps aliquis, qui poſſet Judicem requiſitum cogere ad remittendum. Covarruvias d. quæſt. 11. Practic. quæſt. nu. 10. citans plures alios, & aſſerens, hanc ſententiam communi totius Orbis Chriſtiani uſu & praxi receptam eſſe. Farinacius cit. lib. 1. tit. 1. quæſt. 7 n. 25. addens aliam rationem: quia videlicet unuſquiſque defendit ſuam juriſdictionem. Julius Clarus d. §. fin. quæſt. 38. nu. 21. hanc appellans communem ſententiam, quam cum pluribus aliis ſequitur Riccius cit. p. 4. in Praxi Remiſſ. delinquent. quæſt. 3. n. 11.

Atque hinc fit, quòd licèt antiquitùs, quando omnes Ditiones, ac Provinciæ, fuerunt ſub eodem Principe, ſeu Imperatore, frequentes fuerint remiſſiones delinquentium, juxta cit. Auth. Ut nulli judicum. §. Si verò quis comprehenſorum. Collat. 9. defactò tamen ob multiplicem Principatuum diſtinctionem, aut contrariam conſuetudinem, eædem rariùs practicentur. Et quamquàm etiam hodie in Germania, & aliis locis, præſertim in delictis atrocioribus, facta prævia requiſitione, ſoleat plerumque precariò, & jure vicinitatis ac benevolentiæ, fieri remiſſio delinquentium ad locum delicti propter exemplum ac terrorem aliorum: id tamen practicari conſuevit ſub antigrapho, ſeu Litteris Reverſalibus (vulgò, auff einem Revers, oder Gegenben Kantnus) ipſius Magiſtratus, ſeu Domini remiſſionem petentis, quòd hujuſmodi remiſſio non ſit præjudicatura juriſdictioni remittentis. Gailus l. 1. de Pace publica, cap. 16. n. 30. & 31. Engel. h. t. n. 28. 70

Addunt nonnulli, ad hoc, ut Judex requiſitus poſſit Reum remittere, ulterius requiri, quòd in ipſum ratione domicilii, originis, vel alio modo juriſdictionem obtineat: ut volunt Felinus in c. Licèt ratione delicti n. 8. h. t. Aloyſ. Riccius cit. part. 4. in Praxi remiſſ. delinquent. q. 10. n. 2. & 3. Farinacius, etſi dubitativè, d. quæſt. 3. nu 31. poſt Boſium tit. de Foro competent. nu. 53. & quidam alii, quos pro hac ſententia allegat Covarruvias, ubi ſuprà, n. 7. & n. 10. ℣ Nec enim me latet. Probant hi ſuam ſententiam ex c. 1. §. 1. de Privileg. in 6. ubi dicitur, quòd Ordinarii locorum non habeant poteſtatem remittendi exemptos ad locum commiſſi delicti; quia videlicet ob privilegium exemptionis eiſdem competens, nullam in ipſos habent juriſdictionem. Idem ergo videtur dicendum de aliis Judicibus: ſi enim (inquiunt) nullam in Reum habent juriſdictionem, ergo nec habebunt poteſtatem ipſum capiendi, & conſequenter non remittendi ad locum delicti. 71

Oppoſitum nihilominus tenet Abbas in cit. ca. ult. n. 16. h. t. poſt Calderinum, & Covarruvias cit. num 7. & Julius Clarus d. §. fin. q. 38. n. 22. aſſerens, ſe ſemper vidiſſe de facto contrarium ſervari. Ratio eſt: quia ad hoc, ut pro terrore aliorum Reus in loco delicti legitimis ſuppliciis ſubjiciatur, indiſtinctè jubetur in Auth. Ut nulli judicum. §. Si verò quis comprehenſorum. Collat. 9. ut Judex, in cujus territorio delinquens perſona degit, poſt ſuſceptas publicas à Judice delicti litteras Reum comprehendat, eumque Judici petenti remittat. Atqui allata ratio procedit generaliter (ſicut & textus indiſtinctè loquitur) ſive Judex ille, in cujus territorio exiſtit, ſit judex domicilii, aut originis, vel aliàs in Reum poſſit exercere juriſdictionem, ſive non. Sufficit igitur, jure ſic diſponente, quòd ille, qui remiſſionem petit, habeat juriſdictionem procedendi contra Reum delinquentem ratione delicti in ſuo territorio perpetrati: nam hoc ipſo, quòd ipſe urgeat Rei remiſſionem, acquirit ex juris diſpoſitione alter Judex deſuper requiſitus poteſtatem Reum illum capiendi, atque remittendi, ne crimina maneant impunita, ſimulque per inflictionem debitarum pœnarum tollatur in loco facti delicti ſcandalum cæterorum. 72

Nec obſtant rationes oppoſitæ ſententiæ. Non quidem cap. 1. de Privileg. in 6. Quia vel loquitur in caſu, quando non eſt petita à Judice delicti remiſſio: vel (quod magis placet) procedit in Exemptis etiam ratione loci; nam tales non poſſunt remitti per ordinarium loci, ſed ſi petantur, erunt remittendi per proprium Superiorem, ac Judicem ſuum. Covarruvias cit. num. 7. Ad alteram inſtantiam patet ex dictis: quia ad remiſſionem faciendam ſufficit, quòd ille, qui eam petit, habeat juriſdictionem procedendi contra reum. Julius Clarus cit. n. 22. plura de remiſſione delinquentium apud Authores hactenus allegatos, ac præſertim apud Aloyſ. Riccium cit. p. 2. reſol. 71. uſque ad 89. & reſol. 139. uſque ad 151. & p. 4. in Praxi remiſſionis delinquentium, per totum. 73

Quæritur IV. A quo Judice poſſit puniri delictum in confinio duorum territoriorum commiſſum? Reſp. I. Quando delictum non ſolum inchoatur, ſed etiam conſummatur in confinio territoriorum (ut ſi homo occidatur, ita quòd proſtratus tangat de utroque territorio) conveniunt Doctores, poſſe utrumque Judicem procedere contra delinquentem, quamquam tunc inter ipſoſmet Judices de- 74

tur

tur locus præventioni. Et meritò: quia non eſt major ratio de uno, quàm de alio, niſi intervenerit præventio.

75 Reſp. II. Quòd ſi delictum in uno territorio ſit inchoatum, in altero autem finitum ſeu conſummatum; ut ſi quis exiſtens in territorio A. emittat ſagittam, & occidat hominem exiſtentem in territorio B. probabile quidem eſt, quòd ſolus ille ſit competens judex, in cujus territorio conſummatum eſt delictum, & non alter, ubi illud eſt inchoatum: ſed probabilius videtur, quòd tunc Judex utriuſque territorii poſſit contra Reum procedere, & ſi concurrant, detur locus præventioni.

76 Prior pars eſt Bartoli *in l. Libellorum. num. 7. ff. de Accuſation.* Felini *c. Licèt ratione delicti. n. 14.* & Aretini *ibid. n. 7. h. t.* quorum ſententiam approbat Fagnanus *in cit. c. Licèt. n. 3. eod.* ac probabilem cenſet Pirhing *h. t. n. 28.* Ratio eſſe poteſt: quia in homicidio v. gr. inſpicitur locus, ubi quis percutitur: nam homicidium, tracta vocis interpretatione, dicitur à cædendo, & à cæde, *l. Si ita vulneratus. 52. §. 1. ff. Ad Legem Aquiliam*: ſimulque regulariter ex ſolo conatu quis non punitur, ſed ex effectu, ſeu actu percutiendi, unde mors ſequitur, *arg. Hæc autem verba. de Pœnit. diſt. 1.* juncta Gloſſa *ibid.* cum concordantiis. Atqui in caſu poſito percuſſio hominis, ſeu homicidium, contingit ſolummodò in illo territorio, ubi quis occiditur; ſi enim ſagitta v. g. aberraret, vel lorica induto non noceret, ejus emiſſio nulli afferret mortem, neque (ſeclusa ſpeciali Lege, aut Statuto, talem ſagittæ emiſſionem ſub certis pœnis prohibente) in Foro externo puniretur; haud obſtante, quòd Foro poli, ſeu coram Deo, talis jam ſit reus homicidii.

77 Confirmatur: quia mandans homicidium, non in loco mandati, ſed in territorio commiſſi per mandatarium homicidii, eſt puniendus, juxta Felinum *loc. cit. nu. 15. & DD.* paſſim: idem ergo dicendum de emittente ſagittam. Accedit, quòd ex duobus conjunctis, potentius trahat ad ſe minùs potens, *l. Et ſi non ſunt. §. Perveniamus. ff. de Auro, & Argento legat. & l. Quidquid. §. fin. ff. de Acquirend. rerum domin.* Atqui in propoſito finis eſt potentior, cùm det eſſe, ſeu conſummationem actui, videlicet actuali occiſioni; ergo.

78 Alteram partem abſolutè tenet Jo. Andreas. *Reg. In obſcuris. n. 5. §. Solutio. de Reg. Jur. in 6.* Abbas *c. ult. n. 25. h. t.* Julius Clarus *cit. §. fin. q. 38. n. 11.* aſſerens, ita communiter ſervari. Farinacius *tom. 1. Criminal. lib. 1. tit. 1. q. 7. n. 46.* allegans plures alios; & inquiens, quòd hæc ſit veritas. Ratio eſt: quia in tali caſu committitur delictum, plura territoria tangens; ergo etiam juriſdictio quoad illud cognoſcendum, ac puniendum, cuilibet territorio in ſolidum attribuitur. Probatur conſequentia: tum quia quodlibet eorum ex tali delicto læditur, ſeu injuriam patitur; nam etiam ille jam noxius eſt, qui mittit ſagittas in mortem, *c. 1. de Præſumpt.* ſicque, ne crimina maneant impunita, meritò utrique Judici tribuitur juriſdictio in ſolidum. Tum quia in ſimili unum delictum, plures perſonas tangens, unicuique in ſolidum attribuitur; ut *l. Si ita vulneratus. 52. §. fin. ff. Ad Legem Aquiliam. & l. Vulgaris. §. Si duo. ff. de Furtis*: ubi ſi plures unum lignum furati fuerint, quod ſinguli tollere non poterant, omnes furti in ſolidum tenentur; idem ergo à pari dicendum in propoſito.

79 Nec obſtant rationes prioris ſententiæ. Non prima: negatur enim Minor, ob proximè dicta. Nec ſecunda: quia mandatum ejus, & executio per alterum facta, non eſt unicus actus moraliter loquendo, ſed duplex; ſimulque mandans, regulariter loquendo, non obligatur ad pœnam ex ſolo mandato, ſed ex delicto propter mandatum ſecuto, quod alibi ſupponitur eſſe conſummatum. Econtra emiſſio ſagittæ, & actualis occiſio hominis inde ſecuta, eſt unicus moraliter actus. Ad ultimum reſpondetur, dictum illud procedere in individuis: ſecùs, in dividuis, ſeu ab invicem ſeparabilibus; prout accidit in propoſito, ac etiam contingit in cauſis mixti Fori, reſpectu quarum tum Judex Eccleſiaſticus, tum ſæcularis, habet juriſdictionem in ſolidum, eſtque locus præventioni.

## §. IV.

## De modo ordinario ſortiendi Forum ratione Contractus, & Rei ſitæ in alieno territorio.

*S U M M A R I U M.*

80 *Regula eſt, quòd ratione Contractus ſortiatur quis forum.*
81 *Contractus nomen ſumitur hic largiſſimè.*
82 *Iſtud extendendo etiam ad Contractum fictum.*
83 *Regula illa, quòd quis in loco contractus conveniri poſſit, plures habet limitationes. Et n. ſeqq.*
84 *I. Quando inter partes contrahentes aliter conventum eſt.*
85 *II. In Advenis, & Viatoribus.*
86 *Dummodò non interveniat ſimul borum delictum.*
87 *Et ſint veri Viatores, non autem Vagabundi.*
88 *Simulque contrahens cum ipſis ſciat, eos ſtatim receſſuros: aliàs, ſecus.*
89 *III. In contractu Dotis.*
90 *IV. Quando quis non reperitur in loco contractus, ſi patiatur bona ſua poſſideri.*
91 *Judex contractus habet omnimodam juriſdictionem reſpectu contrahentium, quando conventus reperitur in loco contractus.*
92 *Aut ibi aliquando comparuit in judicio, vel citatione præventus eſt.*
93 *Secùs, ſi hic non ampliùs reperiatur in loco contractus.*
94 *Unde Judex ille nequit hunc citare, quantum ad effectum arctativum ſuæ perſonæ.*
95 *Benè tamen, quantum ad effectum miſſionis in bona ejus, quæ ibidem habet, niſi comparuerit.*
96 *Quid, ſi Reus contrahens non habet bona in territorio Judicis contractus; benè tamen alibi?*
97 *In contractibus regulariter non habet locum remiſſio.*
98 *Certum eſt, quòd ratione rei, de qua contenditur, quis ſortiatur forum.*
99 *Sive res illa ſit immobilis, ſive mobilis.*
100 *Dummodò ſit permanſura in loco.*
101 *Quid, ſi res mobilis alicubi ſit in tranſitu? Et n. præc.*
102 103 & 104 *Forus domicilii in quibus differat à Foro contractus, delicti, & rei? & n. 60.*

80 QUæritur I. An, & quando quis ſortiatur forum ratione contractus, nec ne? Reſp. I. Regula eſt, quòd ratione Contractus (quod nomen hic largiſſimè ſumitur) ſortiatur quis forum, adeò, ut ſi quiſpiam in alieno territorio per ſe, aut per alium contrahat, vel contraxiſſe fingatur, eò quòd in tali loco ſeſe ſoluturum promiſerit, poſſit ibidem ſuper tali contractu conveniri, etiamſi domicilium ibi non habeat. Patet hoc *ex cap. ult. h. t.* ubi inter alia dicitur, quòd *ratione contractus forum regulariter quis ſortitur*. Idem patet ampliùs *ex l. Hæres abſens. & l. Omnem obligationem. ff. de Judiciis*, cum ſimilibus.

81 Addicitur notanter, *quod nomen hic largiſſimè ſumitur*. Nam quòd nomen *Contractus* in propoſito ſumatur largiſſimè, ſive ſit verus ac propriè dictus contractus, ſive quaſi contractus, vel aliud, unde obligatio oritur, rectè notat Gloſſa *in cit. cap. ult. ℣. Contractus*, & Abbas *ibid. n. h. t.* Idem liquet *ex d. l. Hæres abſens*: ubi dicitur, quòd quis ſortiatur forum tum ratione quaſi contractus; adeò ut poſſit conveniri in loco, ubi tutelam vel negotium, vel quid aliud obligationem inducens adminiſtravit: tum ratione veri contractus, ſive per ſe, ſive per alium ibidem celebrati. Quinimò quantum ad propoſitum, omnem obligationem pro contractu habendam eſſe, textus eſt in *l. Omnem obligationem. ff. eodem.*

82 Atque hoc extenditur etiam ad Contractum fictum; ſeu, ubi quis juris fictione contraxiſſe cenſetur, eò quòd in tali loco ſeſe ſoluturum promiſerit. Nam *contraxiſſe unuſquiſque in eo loco intelligitur, in quo ut ſolveret, ſe obligavit*: prout ſonat textus *in l. Contraxiſſe. ff. de Actionib. & obligat.* Unde *in c. Dilecti, 17. §. Verùm, h. t.* reſpondet Pontifex, quòd, ſi quis certo loco ſe ſoluturum promiſerit, poſſit ibidem conveniri (haud obſtante etiam privilegio, quòd non teneatur in loco tam diſtanti reſpondere) niſi



niſi Actor maluerit ipſum in loco domicilii convenire.

83 Reſp. II. Etſi regulariter verum ſit, quòd quis in loco contractus conveniri valeat: nihilominùs hæc ipſa Regula plures patitur limitationes. Ita communis; & probatur inductione.

84 Sic imprimis data Regula fallit, quando inter partes contrahentes conventum fuit, ut non in loco contractus, ſed alibi, putà in loco domicilii, teneantur reſpondere, ſi forſan impoſterum ſuper ejuſmodi contractus lis orietur; prout limitatur *cit. l. Hæres abſens §. proinde ff. de Judiciis*. Quamvis enim nemo teneatur ſtare pacto de litigando coram Judice non ſuo, *l. Si convenerit. ff. de Juriſdiction. omn. judic.* valet tamen ejuſmodi pactum abnegativè; id eſt, ſi convenit inter partes, ut non teneantur reſpondere coram tali Judice, putà, contractus. Gloſſa *in cit. §. Proinde ℣. Ut defenderet*. & Bartolus *ibid.* & alii.

85 Fallit ſecundò in Advenis, & Viatoribus. Nam ſi quis tanquam advena, & viator, in aliquo loco contraxerit, mox inde diſceſſurus, idque ab altera parte ſciatur: non tenetur ibi reſpondere, niſi voluerit: ſed habeat jus revocandi domum, ſeu ad forum ſui domicilii. Patet hoc *ex cit. l. Hæres abſens. §. Proinde. ff. de Judic.* Ubi inter alia hujus ratio redditur. quia *Duriſſimum eſt, quotquot locis quis navigans, vel iter faciens delatus eſt, tot locis ſe defendere*. Quia videlicet ſic à ſuſcepto itinere, aliiſque negotiis ſuis, magno cum damno impediretur.

86 Intellige tamen iſtud, dummodò non interveniat ſimul delictum. Quia tunc Viator in loco contractus poſſet conveniri, ſaltem ratione delicti: ut ſi quis à viatore emerit equum, pretiumque ritè perſolverit, alter autem recepto pretio equum dare nollt: talis enim cenſetur delinquere, alterumque decipere, ſicque ratione delicti poſſe ibi conveniri. Idemque dicendum de aliis, quæ in ipſo contractu illicò expedienda ſunt, nec expediuntur: quia pariter tunc deceptio, vel dolus, committeretur. Bartolus *d. l. Hæres abſens. §. Proinde. ℣. Quid ergo. ff. de Judic.*

87 Intellige ulteriùs de vero Viatore, ſeu Advena, qui videlicet alibi certam ſedem, & domicilium habet. Siquidem Vagabundi per mundum, ac nullibi certam ſedem habentes, non ſolùm conveniri poſſunt in loco contractus, ſed ubicunque inveniuntur, ne alioquin creditor jus ſuum perderet. Gloſſa *in cit. §. Proinde. ℣. Debebit.* & Bartolus *ibid.* Felinus *c. Licèt ratione delicti num. 20 h. t.* poſt Baldum dicens, quod ubi de alio foro non apparet, intelligitur quis habere forum, ubi reperitur. Et concordant dicta ſuperiùs *§. 2. num. 46.*

88 Intellige tandem de eo, qui contraxit cum Advena, aut ipſi vendidit, ſciens eum ſtatim receſſurum. Nam ſi quis contrahat cum peregrino, ignorans, eum talem eſſe, & ſtatim diſceſſurum (ut quia advena ille illud occultavit, incedendo tanquam unus civium, aut mercatorum illius loci, vel penitus negavit,) tunc poterit hunc in loco celebrati contractus rectè convenire; argumento à ſenſu contrario deſumpto, *ex cit. l. Hæres abſens. §. Proinde. ff. de Judic.* ac notat Bartolus *ibid. in num. 1.* & Abbas *cap. ult. num. 43. h. t.* Talis enim (inquit Abbas) fuit in culpa, non pandendo conditionem perſonæ ſuæ, *arg. c. In audientia. 25. de Sentent. excommun.* nec alteri debet obeſſe ſua probabilis ignorantia, *c. Si verò aliquis. 4. eod.*

89 Fallit tertiò allata Regula in contractu Dotis. In hoc ſiquidem iſtud habetur ſpeciale, quòd non inſpiciatur locus contractus, ſeu in quo inſtrumentum dotis factum eſt; ſed locus, ubi vir habet domicilium, & in cujus domicilium etiam ipſa mulier per conditionem matrimonii eſt itura, eò quòd ſequatur forum mariti. Textus, Gloſſa, & DD. *in l. Exigere. 65. ff. de Judiciis.*

90 Fallit tandem dicta Regula in tantùm, quia in loco contractus non aliter quis invitus conveniri poteſt, quàm ſi ibidem reperiatur. Alioquin enim ſufficit, ſi bona ſua poſſideri patiatur: *cit. l. Hæres abſens. §. Si quis tutelam. ff. eod. & c. Romana. §. Contrahentes. h. t. in 6.* Quod ut meliùs intelligatur

91 Quæritur II. Quam juriſdictionem habeat Judex contractus reſpectu contrahentium? Reſp. I. Quando quis ſuper contractu judicialiter conventus reperitur in loco contractus, tunc Judex illius loci habet omnimodam juriſdictionem tam in res, quàm in perſonam contrahentis, in quantum patitur qualitas cauſæ, ſive contractus. Ita Abbas *in cap. ult. nu. 36. h. t.* citans communem. Idque clarè deſumitur *ex c. Dilecti. 17. h. t. & c. Romana. §. Contrahentes. eod. in 6. & l. Hæres abſens. ff. de Judiciis.*

92 Atque hoc ampliatur, ſi contrahens ibidem aliquando comparuit in judicio, vel ſaltem exiſtens in loco contractus citatione præventus fuit, licèt poſteà receſſerit. Quia tunc jam firmata eſt juriſdictio dicti Judicis, utpote ipſum citatione prævenientis, non ſolùm circa res, ſed etiam circa perſonam ejus, *arg. c. Propoſuiſti. 19.* juncta Gloſſa *ult. h. t. & l. Si quis poſteà. & l. Ubi acceptam. ff. de Judiciis.* Fagnanus *in capit. Licèt. numer. 17. h. t.* poſt Innocentium *in cap. Præterea. de Dilationib.* Unde ſi citatus poſteà contumaciter non compareret, poſſet excommunicari, ac etiam directè condemnari ſuper principali, ſi ſtatus cauſæ id permitteret; prout deſumitur ex *cap. ult. §. In aliis, & §. Si autem. Ut lite non conteſtata &c. & l. Properandum. §. Sin autem reus. C. de Judiciis.* ac notat Innocentius, *ubi ſup.* & Abbas *cit. n. 36.*

93 Reſp. II. Quòd ſi verò contrahens conventus non ampliùs reperiatur in loco contractus, nec anteà fuerit citatione præventus, tunc Judex contractus non poteſt ipſum citare quantum ad effectum arctativum ſuæ perſonæ; benè tamen quantum ad effectum miſſionis in poſſeſſionem bonorum ejus, ſi quæ habet (juxta diſtinctionem illicò tradendam) niſi comparuerit. Ita communis; & clarè habetur *cit. c. Romana. §. Contrahentes.* juncta Gloſſa magna *ibid. h. t. in 6.* Idque ampliùs declaratur inductione.

94 Sic imprimis, quantùm attinet priorem partem, Judex contractus non poteſt *contrahentes, niſi inveniantur ibidem, trahere coram ſe invitos* (hoc eſt, ut in ſua perſona coram ipſo reſpondeant) ut loquitur textus *in cit. c. Contrahentes*: hoc enim eſſet, arctare perſonam. Deinde Judex contractus nequit ita citare abſentem, ſeu exiſtentem extra ſuum territorium, ut, ſi is non comparuerit, poſſit eum excommunicare tanquam contumacem: nam excommunicatio tangit perſonam, eamque veluti lepra inſequitur, perſonam autem dictus Judex nõ poteſt ad ſe trahere invitam, ſicque nec quoad effectum excommunicationis conſtituere in contumaciam. Tandem Judex contractus non poteſt ita abſentem (niſi eſſet præventus vel ibi aliquando comparuiſſet) directè condemnare de debito: quia etiam iſtud concerneret perſonam. Gloſſa magna *l. cit.* Fagnanus *in c. Licèt n. 15 16. & 17.* citans Innocentium *ib. verſ. Contractus* Hoſtienſ. *n. 3.* Anton. de Butrio, *n. 15. h. t.*

95 Altera pars *in cit. c. §. Contrahentes*, ſub hac diſtinctione reſolvitur. Quia contrahens Reus, ſive ab altera parte conventus, aut habet bona in territorio illius Judicis, putà Epiſcopi, ubi contraxit: & tunc Judex, ſeu Epiſcopus ille, poteſt ipſum citare (ſive verbaliter, ſive, quando latet, per Edictum) ſub comminatione, ut niſi comparuerit ad reſpondendum, aut aliunde parti læſæ ſatisfecerit, vel de ſatisfaciendo idoneam cautionem præſtiterit, fiat miſſio in poſſeſſionem bonorum, quæ ibidem habet. Et tunc, ſi citatus comparere contemnat, poteſt is quantùm ad iſtum effectum (non autem quoad priorem, ac *n. præced.* relatum) declarari contumax: ſicque Actor, ſeu Adverſarius ejus, mitti in poſſeſſionem bonorum, quæ contumax ille ibidem habet, ut tædio affectus tempeſtivè veniat reſponſurus, *cit. §. Contrahentes. & c. ult. §. In aliis. Ut lite non conteſtata &c.*

96 Aut contrahens Reus, ſeu ab altera parte conventus, non habet bona in territorio Judicis, ſeu Epiſcopi, ubi contraxit, habet tamen ea alibi: & tunc etiam Reus poteſt à dicto Judice citari, quantum ad effectum miſſionis faciendæ in bona ejus alibi exiſtentia niſi comparuerit, vel aliàs ſatisfecerit: ita tamen, ut dictus Judex contractus (ſi citatus fuerit contumax, aut fortè malitioſe ſeſe occultet, quò minùs citatio ad ipſum perveniat) ſolùm poſſit decernere miſſionem faciendam in poſſeſſionem bonorum illorum, quæ Reus contumax in alio loco noſcitur obtinere: actualem verò miſſionem non ipſe; ſed ad ejus denunciationem Judex ille, in cujus territorio dicta bona exiſtunt, facere debeat. Patet hoc totum ex ſæpè *cit. §. Contrahentes*, & ampliùs declarat Gloſſa *ibid.* Speculator *tit. de primo Decreto. §. Nunc videamus. num. 2.* Abbas *in d. cap. ult. num. 36. h. t.* & favent in ſimili dicta ſuperiùs *§. 3. n. 46. & ſeqq.*

Unde

97 Unde infertur; quòd in contractibus regulariter loquendo non habeat locum Remiſſio, vi cujus Reus conventus remittatur ad Judicem contractus, ſicut accidit in delictis: habetur enim ibi alius modus procedendi, ut patet ex præmiſſis. Abbas *loc. cit. num. 37.* Jaſon *in l. Si convenerit. num. 39. ff. de judiciis.* Quamquàm hoc ipſum quaſdam patiatur limitationes, ac præſertim in caſu reddendæ rationis de adminiſtratione, quam quis alicubi geſſit: talis enim debet remitti ad locum, ubi geſſit, *arg. L. 1. C. Ubi de crimin. agi oportet.* Abbas *cit. numer. 37.* ponens alias limitationes. Idemque dicendum, ſi quis ſpecialiter renunciaverit privilegio alterius loci: nam etiam talis eſt remittendus, juxta Gloſſam *in L. 1. ℣. pro non dato. ff. Si quis in jus vocatus, &c.* ac tradit Jaſon, *ubi ſupr. n. 40.* citans alios.

98 Quæritur III. An, & quando quis dicatur ſortiri Forum ratione rei alicubi ſitæ? Reſp. I. Certum eſt, quòd ratione rei, de qua contenditur, quis ſortiatur Forum; adeò, ut coram illo Judice, in cujus territorio res litigioſa exiſtit, vel illius poſſeſſio habetur, poſſit quis conveniri. Textus eſt *in cap. ult. h. t.* ubi Pontifex inter alia inquit: quòd etiam *ratione rei, de qua contra poſſeſſorem cauſa movetur, forum regulariter quis ſortiatur.* Concordat *capit. ſanè. 3. h. t. & L. 1. cum ſeqq. C. Ubi in rem actio, &c.*

99 Reſp. II. Data Concluſio procedit, ſive res ſit immobilis, ſive mobilis. Ita Gloſſa *in cit. cap. ult. ℣. Contra poſſeſſorem.* & Fagnanus *ibid. num. 20. h. t.* Hoſtienſis *in Summa. h. t. num. 5.* Innocentius, & alii. Idque deſumitur *ex L. ult. C. Ubi in rem actio &c.* ubi indiſtinctè dicitur, quod Reus poſſit conveniri in loco, in quo res litigioſa conſtituta eſt. Id ipſum clariùs, & quidem ſub expreſſa mentione rei mobilis (de qua poſſet nonnulla moveri dubitatio) habetur *l. Quod legatur. §. Si autem. ff. h. t.*

100 Fatendum tamen, quòd Abbas *cit. cap. ult. num 23.* & Jo. Andreas *ibid. num. 12. h. t.* cum aliis, iſtud intelligendum aſſerant de tali re mobili, quæ eſt permanſura in loco: ſecùs, ſi res ejuſmodi ibidem exiſtat cauſa cuſtodiæ, vel ſit ſolùm tranſitoria, ſivè in tranſitu; ut quia Titius tranſit per hanc civitatem cum equo, quem ego dico eſſe meum. Tunc enim non poſſum ego Titium convenire in hac civitate, *l. Hæres præſens. §. Proinde. ff. de Judiciis*: ſimulque, quia Titius non videtur eſſe in hoc loco, cum ſit in tranſitu, *arg. Clem. Ne Romani. §. Sanè cum. de Electione & c. Nam & ego. de Verb. ſignif.* ac præter proximè citatos notat Speculator *tit. de competentis judicis aditione. §. 1. n. 17.*

101 Quo tamen non obſtante, quando res alicubi eſt in tranſitu, & advena illuc tranſiens nolit eam repetenti reddere, tunc advena ille poteſt cogi ad ſatiſdandum de ſtando juri in loco judicii: alioquin ſequeſtrabitur res illa, v. g. equus. Baldus *in L. ult. C. Ubi in rem actio.* Felinus *c. Licèt ratione delicti. n. 20.* Abbas, *ubi ſuprà, num. 45.* & alii. Atque hæc procedunt de advena propriè dicto, ſeu de viatore alibi certam ſedem, ac domicilium habente, non de vagabundo: nam quòd vagabundus poſſit in quolibet loco conveniri, ubi repetitur, jam ſuprà *§. 2. n. 46. & §. 4. n. 87.* dictum fuit.

102 Quæritur IV. In quibus differat Forus domicilii à Foro contractus, delicti, & rei? Reſp. Differre in pluribus. I. Quia Forus domicilii propriè dicitur verus, & naturalis forus! Innocentius *in c. Licèt. ii 2. n. 3.* & Butrius *ibid. n. 16.* & Fagnanus *n. 9. h. t.* Secùs eſt in foro contractus, ac rei ſitæ, imò & delicti: quia ratione horum ſortitur quis forum ſolummodo accidentaliter, non naturaliter.

103 II. Subditus propriè, ac in dubio cenſetur ille, qui eſt alteri ſubjectus ratione domicilii: econtrà ille, qui eſt alteri ſubjectus ratione contractus, rei ſitæ, vel delicti propriè Subditus non dicitur, licèt ſortiatur forum quoad caſum illum. Gloſſa in *Clem. 1. ℣. Subditos de Foro competent.* Abbas *in c. Propoſuiſti. n. 2. h. t.* & Felinus *in c. Licèt ratione delicti n. 23. eod.* aſſerens, ita tenere omnes; eſtque jam dictum ſuprà *§. 2. n. 26. & 27.*

104 III. Judex domicilii poteſt procedere contra ſubditum, non tantum præſentem, ſed etiam abſentem, citando eum quoad omnes effectus, videlicet non tantum quoad effectum aſtringendi bona ipſius, ſi comparere contempſerit; ſed etiam quoad effectum arctativum perſonæ ſuę, prout uberius dictum eſt ſuprà *§. 2. n. 29. & ſeqq.* Secus dicendum de Judice delicti, contractus, ac rei ſitæ; talis enim ſolùm poteſt procedere contra perſonam delinquentis, vel contrahentis &c. quando eſt præſens, aut citatione præventus in loco delicti, aut contractus, vel rei ſitæ: ſi verò ſit abſens, ſeu extra ejus territorium, poterit quidem Judex ille procedere quoad bona ipſius delinquentis, contrahentis &c. eandem aſtringendo; non verò quoad perſonam, eam v. g. excommunicando, vel aliter arctando, prout jam dictum ſuperiùs *§. 3. n. 56 & ſeq. & §. 4. n. 93. & ſeqq.*

## §. V.

## De modo extraordinario ſortiendi Forum in Curia Romana; ubi & de Jure revocandi domum, & Avocatione cauſarum.

### SUMMARIUM.

105 *Ratio ordinis Paragraphorum.*
106 *In Curia Romana poteſt quilibet conveniri ſuper eccleſiaſticis, & ſpiritualibus cauſis.*
107 *Solvitur inſtantia* ex Concilio Trident. ſeſſ. 24. c. 20. de Reform. *Papa eſt Ordinarius ſingulorum, & Ordinarius Ordinariorum. Ibidem, & n. præced.*
108 *Jus revocandi domum, quid?*
109 *Differt plurimùm à jure declinandi forum.*
110 *Ut jus revocandi domum cuipiam competat, requiritur, quòd is ex cauſa neceſſaria, vel quaſi neceſſaria, alium locum acceſſerit.*
111 *Vel ſaltem ex probabili.*
112 *Secùs, ſi illuc acceſſit ex cauſa merè voluntaria.*
113 *Ad jus revocandi domum etiam requiritur, quòd non ſit periculum in mora.*
114 *Et competit ſolùm ſuper delictis, vel contractibus alibi geſtis: ſecùs, ſi quis in tali loco deliquit, aut contraxit.*
115 *An, qui domum revocat, teneatur cavere de judicio ſiſti, & reverti?*
116 *Jus revocandi domum in Curia Romana communiter non obſervatur.*
117 *Avocatio cauſæ, quid?*
118 *Differt ab ea, per quam Judex avocat ſubditum ſuum coram alio incompetenter litigantem.*
119 *Poſt avocationem cauſæ proceſſus per inferiorem Judicem factus ipſo jure eſt nullus.*
120 *Avocatio cauſę magis inficit juriſdictionem inferioris Judicis, quàm appellatio; & cur?*
121 *Quid, ſi Epiſcopus avocet cauſam coram ſuo Vicario Generali agitatam?*

105 EſT hic recolendum ex dictis ſuprà §. 1. *num. 14. & 15.* quòd quidem quatuor ſint ordinarii ac ſpeciales modi ſortiendi forum, quibus *Forum regulariter quis ſortitur*, ut loquitur textus *in c. ult. h. t.* præter hos tamen dentur plures alii extraordinarii, ſeu generales; adeò, ut Speculator iſtorum quinquaginta duos enumeret. Explicatis igitur prioribus quatuor, pergendum eſt ad cæteros extraordinarios, incipiendo à modo ſortiendi forum in Curia Romana, utpote cæteris digniore. Unde

106 Quæritur I. Utrùm quilibet, præſertim Clericus poſſit conveniri in Curia Romana. Reſp. Quilibet non ſolùm Clericus, ſed etiam Laicus, poteſt ſuper Eccleſiaſticis, ac ſpiritualibus cauſis, conveniri coram Domino Papa, ſeu in Curia Romana; ibique conventus non habet jus declinandi forum. Ita communis; eſtque deciſum *in c. ult. h. t.* Ubi textus, Gloſſa *fin.* & Abbas *num. 45.* hujus rationem reddunt, tum quia Eccleſia Romana omnium Eccleſiarum mater eſt, & magiſtra. Tum quia Dominus Papa eſt judex ordinarius ſingulorum, *can. cuncta per mundum. 9. quæſt. 3.* Et totus mundus eſt ſibi territorium quoad cauſas ſpirituales; uti patet ex illa authoritate, per Chriſtum ſibi denunciata Matth. 16. *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in*



*& in cælis.* Concordat *can. Duo ſunt. & c. ſi Imperator. 96. & c. Solitæ. de Majorit. & obed.* cum ſimilibus.

107 Neque diſpoſitioni *cit. c ult. h. t.* atque hactenus dictis quidpiam derogavit Conc. Trid. *Seſſ. 24. c. 20. de Ref.* ubi ſtatuit, quòd *Cauſæ omnes ad Forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiamſi beneficiales ſint, à prima inſtantia coram Ordinariis locorum duntaxat cognoſcantur.* Nam, ut benè reſpondet Fagnanus *in c. Licèt. ii 2. n. 25. h. t.* ſub illis verbis Concilii, *coram Ordinariis locorum*, non ſolùm comprehenditur Ordinarius loci domicilii, ſed etiam Ordinarius loci delicti, contractus, vel rei litigioſæ, & quicunque alius cujuſcunque loci, ubi quis ex juris præſcripto forum ſortitur; & conſequenter etjam ſub illa clauſula comprehenditur Papa, qui eſt Ordinarius ſingulorum, ut ait Gloſſa *fin. cit. cap. ult. h. t.* ſicque Ordinarius cæterorum Ordinariorum. Proinde nullus omnino, ſive Clericus ſive Laicus, ob allegatum defectum juriſdictionis, aut territorii, poteſt in cauſis ſpiritualibus declinare forum, ſeu judicium Domini Papæ: quamvis ex beneficio ejuſdem quandoque habeat jus revocandi domum, ut habetur *cit. cap. ult. §. fin. h. t.* Occaſione cujus

108 Quæritur II. Quid ſit jus revocandi domum, & quando locum habeat? Reſp. I. *Jus revocandi domum* eſt privilegium conceſſum illi, qui ex cauſa neceſſaria, vel quaſi neceſſaria, ad alium locum ſe tranſtulit, v. g. Curiam Romanam acceſſit, ut non poſſit ibi conveniri ſuper anteà geſtis; & ſi ibidem forſan ab aliquo conventus fuerit, poſſit excipere, dicendo: *Domine non veni ad hoc paratus, remittas me domum, & deliberabo.* Ita Abbas *in c. ult. n. 4.* & Jo: Andreas *ibid. n. 7. h. t.* Fagnanus *in c. Licèt. ii 2. n. 23. eod.* Bartolus *in L. 2. §. Legatis. ff. de Judiciis*, & aliis.

109 Unde *jus revocandi domum*, differt plurimùm *à jure declinandi forum.* Nam cui competit exceptio declinatoria fori, ſive jus declinandi forum, non recognoſcit alterum tanquam judicem ſuum: ſecùs eſt in illo, cui competit jus revocandi domum. *Declinat* enim quis *forum*, quando non eſt ſuppoſitus juriſdictioni talis judicis, ſeu fori: *Revocat* verò *domum*, quando illi ſuppoſitus eſt, ſed ex aliqua cauſa legitima non tenetur tunc reſpondere, ut quia non venit præparatus, &c. Abbas *cit. n. 4.*

110 Reſp. II. Ut jus revocandi domum cuipiam competat, plura requiruntur. Et primò quidem, quòd ex cauſa neceſſaria, vel quaſi neceſſaria, alium locum acceſſerit: ut ſi quis Romanam Curiam, vel alium locum acceſſerit, eò quòd illuc evocatus fuerit cauſa ferendi teſtimonium, vel reddendæ rationis, aut quando quis ut Legatus alioſum deſtinatur, ſicque illuc accedit judicandi cauſa: hæ enim cenſentur cauſæ neceſſariæ, cùm quis neceſſe habeat parere Superiori: Item quando quis illuc accedit cauſa proſequendæ appellationis; licèt enim de neceſſitate hanc non teneantur proſequi, quia tamen eo non proſequente ſententia manet rata, hinc ipſe dicitur illuc venire ex cauſa quaſi neceſſaria; ſicque ibidem conventus ab aliquo, habet jus litem ſibi motam revocandi domum. Patet hoc *ex cit. L. 2. §. Legatis. ff. de Judiciis*, ac notat Gloſſa *fin. in c. ult. h. t.*

111 Addit Abbas *in cit. c. ult. n. 46. & ſeqq. h. t.* poſt Gloſſam *in d. L. 2. §. Legatis. ℣. Ob aliam cauſam* & Bartolus *ib.* ad obtinendum ejuſmodi privilegium revocandi domum etiam ſufficere cauſam probabilem itineris: ut ſi quis alioſum venerit ex cauſa Religionis, putà ad lucrandas Romæ, vel Aſſiſii indulgentias; vel ſi pater venerit Romam ad videndum filium in ſcholis ibi commorantem, *arg. l. Nec non & ſi quis. ff. ex quibus cauſis majores &c.*

112 Quòd ſi quis etiam acceſſerit alium locum, v. g. Curiam Romanam, ex cauſa merè voluntaria, ut putà, quia illuc venit cauſa ſolatii, vel pro ſuo ſpeciali negotio, quòd erat omnino voluntarium, talis non gaudet privilegio revocandi domum. Abbas *cit. cap. ult. num. 46. & ſeqq.* & alii: Nam *in cit. cap. ult h. t.* ſicut & in *d. L. 2. §. Legatis. ff. de Judiciis*, ad obtinendum jus revocandi domum, expreſsè requiritur, quòd quis alioſum venerit *ex juſta & neceſſaria cauſa*: quales cenſetur eſſe ſuperiùs enumeratæ; & aliæ conſimiles.

113 Secundò, ut quis gaudeat privilegio revocandi domum: requiritur, quòd non ſit periculum in mora. Unde in cauſis electionum Prælatorum, & aliis, quæ celeriter ſunt expediendæ, aut quæ in tempore eſſent periituræ, non habet locum jus revocandi domum, *arg. l. Sed & ſi, §. Ædium. ff. de Judiciis*: ubi etiam Legatus, ædium nomine tenetur cavere de damno infecto. Abbas *in d. cap. ult. num. 49.* & Jo. Andreas *ibid. num. 13. h. t.* Innocentius, & alii.

114 Tertiò jus revocandi domum ita eſt intelligendum, quòd quis in loco, in quem ex cauſa legationis, vel teſtimonii, aut ex alia juſta cauſa ſe contulit, non poſſit ibi conveniri ſuper delictis, vel contractibus anteà geſtis: ſecùs, ſi tales ibi deliquerint, vel contraxerint; quia tunc non habet jus revocandi domum. Textus eſt *in cit. §. Legatis. ff. de Judiciis*, & notat Abbas *cit. num. 49.*

115 Addit Jo: Andreas *in cap. ult num. 7. h. t.* quòd ille, qui domum revocat, teneatur ſaltem cavere de judicio ſiſti, & ad diem ſibi aſſignatum reverti, *arg. cit. l. 2. §. Sed & ſi dubitetur. ff. de Judic.* ac proinde jus revocandi domum parùm proſit; quia, quod differtur non aufertur. Oppoſitum tamen tenet Innocentius *in d. cap. ult. num. 3.* & Abbas *ibid. num. 49.* ac Pirhing. *h. t. n. 7.* Sufficit enim, quòd det cautionem de reſpondendo domi, ſeu coram ſuo ordinario Judice; non autem de revertendo ad locum, ubi priùs conveniebatur. Neque plus convincit *c. §. Sed & ſi dubitetur*, ut notat Gloſſa, *verſ. Siſti*, & Bartolus ibid.

116 Solùm adde cum Fagnano *loc. cit. n. 23.* & Additione *fin. ad Abbatem in cit. n. 49.* licèt illi, qui ſunt in Curia Romana pro Republica, ſpectato jure communi habeant jus revocandi domum, *cap. ult. de Foro compet. & c. fin. de Dilationib.* Communiter tamen in Curia obſervari, quòd tales non habeant jus revocandi domum, ſed cogantur ibidem reſpondere ſuis Adverſariis, poſtquam ſunt præſentes in Curia. Et ita dixerunt Domini de Rota *Deciſ. 829. aliàs ult. tit. de Foro compet. in antiquis.*

117 Quæritur III. Quid ſit Avocatio cauſæ, & qualiter per eam inducatur competentia fori? Reſp. I. *Avocatio cauſæ* aliud non eſt, quàm litis pendenti coram inferiore Judice, ad ſuperiorem, a quo illius juriſdictio dependet, citra appellationem facta translatio in eo ſtatu, in quo apud inferiorem reperitur. Patet hoc *ex cap. Ut noſtrum. 56. de Appellat.* ubi talis avocatio cauſæ per Papam facta legitur. Concordat textus *in l. Judicium ſolvitur. ff. de Judiciis* ubi inter alia dicitur: *judicium ſolvitur vetante eo, qui judicare juſſerat, vel etiam eo, qui majus imperium in eadem juriſdictione habet, &c.*

118 Dicitur notanter, *litis pendentis coram inferiore Judice ad Superiorem, &c.* Ut excludatur illa Avocatio cauſę, per quam unus Judex ab alio pari, vel etiam ſuperiore, avocat ſubditum ſuum ibi incompetenter litigantem; prout *in c. Ex tranſmiſſa. 6. h. t.* Dominus feudi avocavit ſubditum ſuum coram Judice Eccleſiaſtico litigantem, ſub debito fidelitatis eidem inhibendo, ne coram ipſo litiget. Hæc quippe potiùs eſt exceptio declinatoria fori per proprium Judicem facta, non autem propriè avocatio: iſta enim fit à Superiore contra inferiorem, per Jura allegata, & notat Gailus *lib. 1. Pract. Obſerv. 41. n. 7.* ac Engel. *h. t. n. 4.*

119 Reſp. II. Adeò per Avocationem cauſæ inducitur competentia fori Judicis ſuperioris, ſeu cauſam ad ſe revocantis, ut proceſſus poſteà per Judicem inferiorem factus, ipſo jure ſit nullus. Patet hoc *ex cit. c. Ut noſtrum. 56. de Appellat* quia per avocationem cauſæ ſtatim ſuſpenditur juriſdictio Judicis minoris, ejuſque manus ligantur, ac judicium coram eo cœptum ſolvitur, *cit. l. Judicium ſolvuntur. ff. de Judic.* non minùs, ac per appellationem, *cap. Delictis 55. de Appellat.*

120 Quinimò Avocatio cauſę per ſuperiorem facta, magis inficit juriſdictionem inferioris judicis, hancque ſuſpendit, quàm appellatio, per textum notabilem *in cit. c. Ut noſtrum.* juncta Gloſſa *fin.* & Abbate *ib. n. 3.* Siquidem appellatio conſiſtit in jure: ac proinde, niſi ſit legitima, non ſuſpendit juriſdictionem. *c. Cùm appellationibus. de Appellat. in 6.* Econtra avocatio conſiſtit in facto: unde, ſive fiat ex juſta cauſa, ſive non, poſtquàm eſt facta per Superiorem, ſuſpendit juriſdictionem inferioris. ut *d. l. judicium ſolvitur*, & notat Abbas *cit. n. 3.*

121 Infertur proindè, quòd ſi Epiſcopus, v. g. avocet cauſam coram ſuo Vicario Generali agitatam, eamque

ad ſe revocet; adeò ſuſpendatur juriſdictio hujus, ut quidquid poſtmodùm Vicarius in illa cauſa egerit, id penitus ſit irritum & inane. Nam cum Epiſcopus ex toto poſſit revocare Vicarium pro libitu, ut dictum ſuprà *lib. 1. Tit. 28. De Officio Vicarii. §. 4. n. 108 & 109.* multo magis poteſt ipſi interdicere cognitionem certæ cauſæ, hancque ad ſe revocare. Abbas *loc. cit. n. 2.* Gailus *d. Obſervat. 41. n. 2.* citans alios.

## §. VI.

## De modo extraordinario ſortiendi Forum per Prorogationem juriſdictionis.

*S U M M A R I U M.*


122 *Prorogatio juriſdictionis, quid?*
123 *Et qualiter fiat? Et num. ſeqq.*
124 *Fit quatuor præcipuè modis, videlicet*
125 *De perſona ad perſonam,*
126 *De re ad rem,*
127 *De tempore ad tempus: &*
128 *De loco ad locum.*
129 *Ad prorogationem juriſdictionis quatuor requiruntur conditiones.*
230 *I. Ex parte Judicis, ut habeat juriſdictionem aliquam.*
131 *II. Et quidem ordinariam.*
132 *Sufficit tamen juriſdictio Delegati ad univerſitatem cauſarum.*
133 *Solvitur inſtantia contra hoc.*
134 *Poteſt juriſdictio delegata prorogari quoad accidentalia.*
135 *III. Ut prorogatio fiat ex certa ſcientia, nec coactè.*
136 *Unde non valet facta per errorem.*
137 *Nec facta ex gravi metu.*
*Juriſdictio gravi metu extorta, ipſo jure eſt nulla. Ibid.*
138 *IV. Ut prorogantes non ſint à Iure impediti prorogare; & hujus exempla.*
139 *Clerici nequeunt in ſe prorogare Iuriſdictionem Iudicis Eccleſiaſtici, abſque conſenſu proprii Epiſcopi.*
140 *Nec juriſdictionem Laici, etiam de conſenſu Epiſcopi.*
141 *Ut Clerici poſſint in ſe prorogare juriſdictionem Iudicis non ſui, quæ requirantur?*
142 *Prorogatio juriſdictionis hodie in utroque foro rarò admittitur.*


122 Quæritur I. Quid ſit prorogatio juriſdictionis, & quot modis fiat? Reſp. I. *Prorogatio juriſdictionis*, eſt extenſio juriſdictionis Judicis de conſenſu partium facta ultra limites, intra quos cæteroquin eſt conſtricta. Ita in re communis; atque deſumitur *ex l. 1. & 2. ff. de Iudic.* Ubi ex profeſſo deciditur, quòd cujuſvis Judicis, qui tribunali præeſt, vel aliam juriſdictionem habet, poſſit juriſdictio prorogari: dummodò partes ſciant, ſe tali judici non eſſe ſubjectas, & nihilominus in eum conſentiant; prout ampliùs patebit ex dicendis.

123 Prorogatio juriſdictionis igitur tunc fit, quando quis voluntariè conſentit in Judicem non ſuum: ſive, quando in ſe extendit juriſdictionem Judicis, cui aliàs vel omnino non, vel ſaltem in illa cauſa non eſt ſubjectus. Unde liquet, quòd Prorogatio juriſdictionis pertineat ad modos extraordinarios ſortiendi forum.

124 Reſp. II. Prorogatio juriſdictionis fit quatuor præcipuè modis; videlicet de perſona ad perſonam, de re ad rem, de tempore ad tempus, & de loco ad locum. Ita Gloſſa *in cit. l. 2. V. Inhibita.* juncta Gloſſa marginali, & Bartolus *ibid. n. 7. de Iudiciis.* Maranta *p. 4. Speculi Aurei diſt. 12. n. 3.* citans inſuper Baldum *in l. Si quis ex conſenſu. C. de Epiſc. audient.* Pirhing *h. t. n. 182.* & alii. Quamvis Gloſſa *in c. P. & G. 40. Prorogatio de Offic. deleg.* ſolummodò tres priores prorogationis modos referat: aliqui verò plures allegent, addendo videlicet prorogationem de caſu ad caſum, & de cauſa ad cauſam; uti videre eſt apud Abbatem *in c. c. P. & G. n. 12. de Offic. delegat.* & Antonium de Matthæis *tom. 3. Tractatuum, tr. de Iudiciis. §. Sequuntur. n. 19.* Et quidem

125 *De perſona ad perſonam* fit prorogatio juriſdictionis, quando litigantes, concurrentibus certis conditionibus proximè afferendis, mutuo conſenſu ſeſe ſubjiciunt Judici cæteroquin in ipſos juriſdictionem non habenti. Exemplum habetur *in L. 1. & 2. de Iudiciis* & alibi.

126 *De re ad rem* fit prorogatio, quando Judex certarum cauſarum conſtitutus, ex conſenſu partium aliam quoque cauſam dijudicandam ſuſcipit, quæ quandam cum priori habet convenientiam, ſeu ſimilitudinem; putà, quia eſt ejuſdem naturæ, ac formæ. Et notanter hoc additur; quia ad alias cauſas non valeret prorogatio: ſic enim Judex maleficiorum non poteſt cognoſcere de cauſis pecuniariis, *l. Solemus. 61. ff. de Iudiciis*: neque viciſſim Judex cauſarum civilium poteſt ex conſenſu partium cognoſcere de criminalibus. E contra benè poteſt juriſdictio prorogari de quantitate ad quantitatem: Unde, ſi quis habeat limitatam juriſdictionem cognoſcendi, v. g. de ſumma centum aureorum, & infrà, poterit de conſenſu partium cognoſcere ultra hanc ſummam, *l. De qua re 74. ff. eod. & l. Inter convenientes. ff. Ad municipalem.*

127 *De tempore ad tempus* dicitur fieri prorogatio juriſdictionis, quando Judici pro ferenda ſententia certum tempus eſt aſſignatum, quod partes de communi conſenſu extendunt, illudque antequàm fuerit elapſum, ulteriùs prorogant. *l. Diem proferre. §. 1. ff. de Receptis arbitris. & L. 2. §. Si & judex. ff. de Iudiciis.* Et notanter additur, *antequam fuerit elapſum*: nam finito illo tempore expirat juriſdictio dicti Judicis; ſicque ea ampliùs extendi, ſeu prorogari non poteſt, quia, quod non eſt prorogari non poteſt. Abbas *in cap. De cauſis. num. 7. de Offic. delegat.* & favet textus ibidem illis verbis: *Niſi dies præfixus de communi conſenſu partium prorogetur, eo tranſacto mandatum expirat*: ubi ponderandum ly, *eo tranſacto &c.* ſicque prorogatio anteà facienda.

128 Tandem *de loco ad locum* fit prorogatio juriſdictionis, quando Judex extra ſuum territorium, aut, ſi eſt Delegatus Principis extra locum ſuæ commiſſionis, de communi partium conſenſu jus dicit. Alioquin enim id fieri non poteſt: quia *extra territorium jus dicenti, impunè non paretur*, cap. ult. de Conſtitut. in 6. Sicut & Delegatus extra Civitatem, vel locus ſuæ commiſſionis, nequaquam poteſt partes citare, neque de cauſa ſibi commiſſa cognoſcere, niſi expreſſus partium conſenſus acceſſerit, *c. Statutum 11. §. In nullo. de Reſcript. in 6.*

129 Quæritur II. Quæ conditiones requirantur ad Prorogationem juriſdictionis? Reſp. Requiri plures, ac præſertim ſequentes quatuor: quarum duæ requiruntur ex parte Judicis, ſeu illius cujus juriſdictio prorogatur; duæ autem ex parte prorogantium. Et quidem

130 I. Ex parte illius, cui partes litigantes per prorogationem juriſdictionis ſuæ ſponte ſe ſubjiciunt, requiritur, ut is habeat juriſdictionem aliquam, *L. 1. §. 1. ff. de Iudiciis.* Alioquin enim, ubi nulla eſt juriſdictio, ea prorogari non poteſt: quod enim non eſt, hoc ipſo prorogari nequit; cùm non entis nullæ ſint qualitates, *c. Ad diſſolvendum*, juncta Gloſſa, *V. Legitimè accuſari de Deſponſat. impub.* & concordant proximè dicta *n. 127.*

131 II. Ex parte Judicis, cujus juriſdictio prorogatur de perſona ad perſonam, vel de cauſa ad cauſam, requiritur ut habeat juriſdictionem ordinariam. Siquidem juriſdictio delegata non poteſt prorogari, per textum notabilem *in c. P. & G. 40. de Offic. Delegat.* Ubi proin Summarium ſic habet: *Delegata juriſdictio ad perſonas in Reſcripto, etiam de ipſarum conſenſu prorogari non poteſt*: & amplius declarat Gloſſa *ibid. V. Prorogatio nulla.* Abbas *n. 4. & 5.* & Barboſa *n. 3. & 4.* citans alios.

132 Excipitur juxta Gloſſam *in L. 1. §. Qui tribunali. ff. de Iudiciis.* Juriſdictio Delegati ad univerſitatem cauſarum: quia hæc juriſdictio cenſetur quaſi ordinaria; ut inquit Gloſſa *c. Cùm cauſam. 62. V. Delegatus. de Appellat.* Eſtque uberiùs dictum ſuprà *lib. 1. tit. 29. §. 3. n. 63.* Atque ideò dictam Gloſſæ ſententiam Pirhing. *h. t. n. 184.* appellat probabilem; licèt Abbas *ubi ſup. n. 5.* de ipſa dubitet, magiſque in partem negativam inclinet.

133 Nec videtur obſtare text. *in d. c. P. & G.* indiſtinctè dicens, quòd *hujuſmodi delegatus juriſdictio ad alias perſonas nequeat prorogari.* Reſp. enim, hìc eſſe ponderandum ly, *hujuſmodi*: utpote quod reſtringit textum illum ad caſum, ubi quis eſt Delegatus ad cauſam particularem, qualis in *cit. cap.* refertur: ſecùs ergo, ubi quis eſt Delegatus ad univerſitatem cauſarum.



134 Additur notanter *n. 131.* requiri juriſdictionem ordinariam *ex parte Judicis, cujus juriſdictio prorogatur de perſona ad perſonam, vel de cauſa ad cauſam.* Nam ſecùs eſt dicendum de prorogatione juriſdictionis quoad accidentalia; videlicet de tempore ad tempus, aut de loco ad locum: hanc enim poſſe fieri de conſenſu partium etiam reſpectu juriſdictionis delegatæ, patet *ex c. De cauſis, 4. de Offic. Delegat. & c. Statutum. § In nullo. de Reſcript. in 6.* cum ſimilibus. Atque idem eſſe dicendum de prorogatione quantitatis minoris ad majorem, claré deſumitur *ex l. Inter conſentientes. ff. Ad municipalem*; ubi Judex deputatus, ut poſſit cognoſcere uſque ad centum, accedente partium conſenſu ſeu prorogatione, poteſt cognoſcere ultrà centum. Abbas *in c. c. P. & G. n. 12. & 13. de Offic. del.*

135 III. Ad prorogationem juriſdictionis ex parte prorogantium requiritur, quòd conſentiant in Judicem non proprium ex certa ſcientia, & non per errorem, nec coactè; ita videlicet, quòd ſciant, ipſum cæteroquin non eſſe judicem ſuum, ac nihilominùs ſpontè, & non coactè, ſe illi ſubjiciant. Patet hoc *ex L. 2. §. 1. ff. de Judiciis*, ubi claré habetur utrumque; ac notat Bartholus *ib. n. 20. & ſeqq.* Unde

136 Infertur, non procedere prorogationem, quando partes Judici non ſuo ſeſe ſubjiciunt, arbitrantes, ipſum jam habere juriſdictionem in ſe: quia error impedit eam fieri, cùm errantis nullus ſit conſenſus, *L. Si per errorem. ff. de juriſd. omn. jud. & l. Non idcircò. C. de Juris & facti ignorant.* Maranta *cit. part. 4. Speculi aurei, diſt. 12. num. 21.* Abbas, Bartolus, *ubi ſuprà*, & alii.

137 Inſuper juriſdictio ex metu gravi prorogata, eſt invalida, ac nulla, & quidem ipſo jure: haud obſtante quòd alioquin geſta per metum, veniant primùm irritanda per actionem quod metus cauſa. Deſumitur hoc *ex cit. l. 2. §. de Iudic.* ubi Gloſſa explicans textum, de juriſdictione per vim compulſivam prorogata loquentem, *nulla juriſdictio eſt*, addit: *ſcilicet ipſo jure, ſicut nec dos per vim promiſſa, &c.* Concordat Bartolus *ibid. §. Nota caſum.* & Abbas *loc. cit. n. 22.* ubi per dictam Legem concludit, quòd judicia agitata per Tyrannos ſint ipſo jure nulla, licèt Populi per metum ipſos receperint in ſuis Civitatibus: quia juriſdictio gravi metu extorta, ipſo jure eſt nulla, per *cit. L. 2. §. 1.* Sicut in ſimili abſolutio à cenſuris, per metum extorta, omninò viribus caret, *cap. un. De his quæ vi metuſve cauſa &c. in 6.*

138 IV. Ad prorogationem validam juriſdictionis ex parte Prorogantium ulteriùs requiritur, quòd non ſint à jure impediti, ſeu prohibiti, quò minùs prorogare valeant. Textus eſt *in cit. L. 2. § Si & judex. ff. de judiciis, ibi: Niſi principali juſſione ſpecialiter prorogatio fuerit inhibita.* Sic non valet prorogatio juriſdictionis in cauſa feudali invito Domino, *arg. c. Cæterum. 5. de judiciis*, & notat Abbas, *ubi ſuprà n. 18.* citans alios. Similiter Clerici juriſdictionem Judicis laici in ſe prorogare nequeunt, utpote prohibiti à jure; *c. ſignificaſti 18. h. t.* cum ſimilibus, atque illicò ampliùs dicetur. Proinde

139 Quæritur III. An etiam Clerici poſſint in ſe prorogare juriſdictionem Judicis non ſui? Reſp. I. Quamvis Laici id poſſint, nihilominus Clerici nequeunt ſe prorogare juriſdictionem alterius Judicis Eccleſiaſtici, niſi acceſſerit conſenſus proprii Epiſcopi. Textus eſt *in d. c. Significaſti. 18. h. t.* ubi Abbas, Vivianus, Barboſa, & communis. Ratio diſparitatis eſt: quia Clerici ratione Ordinis ſuſcepti, vel recepti Beneficii Eccleſiaſtici, propriis Epiſcopis ac Prælatis ſpecialiter dignoſcuntur eſſe obligati: unde Conditori Canonum expedire viſum eſt, ut ſicuti non poſſunt Clerici ab alieno Epiſcopo Ordines recipere ſine licentia proprii, *cap. Ad aures. 5. de Temp. Ordinat.* cum ſimilibus; ita nec alieni Prælati judicium ſubire valeant ſine conſenſu proprii, *can. Nullus Primas. & can. Nullum Epiſcoporum, & ſeqq 9. q. 2.*

140 Reſp. II. Loquendo de Judice laico, nequit Clericus etiam de conſenſu proprii Epiſcopi, ejus juriſdictionem in ſe prorogare. Ita Gloſſa *fin.* communiter recepta *in cit. c. Significaſti. h. t.* juncto textu *ibid.* dum inquit: *Clerici tamen in judicem non ſuum (niſi fortè ſit perſona Eccleſiaſtica, & Epiſcopi Diœceſani voluntas accedat) conſentire non poſſunt.* Ubi ponderandum ly, *Niſi fortè ſit perſona Eccleſiaſtica, &c.* Accedit ratio: quia Privilegium Fori eſt introductum in favorem totius ordinis Clericalis, atqui tali privilegio, privatorum pactis derogari non poteſt, *c. ſi diligenti. 12. h. t.* atque ampliùs dicetur infrà *§. 10 n. 242. & ſeqq.* ubi etiam ſolvuntur objectiones.

141 Unde concludendum cum Speculatore *lib. 2. tit. De competentis judic. aditione. §. Generaliter. n. 22.* & aliis ad hoc, ut Clerici poſſint in Judicem non ſuum conſentire, ſeu ejus juriſdictionem in ſe prorogare, requiri ſequentia quatuor. I. Ut ille præſit ordinaria juriſdictione. II. Ut ſit perſona Eccleſiaſtica. III. Ut id fiat de conſenſu ſui Epiſcopi, *cit. c. Significaſti h. t.* IV. Ut id fiat de conſenſu utriuſque partis, *cit. L. 1. & 2. ff. de Iudiciis.*

142 Tacentur nonnulla alia prorogationem juriſdictionis, & conſurgentem inde competentiam Fori concernentia. Siquidem, ut notat Ludov. Engel, *tit. de Officio judicis n. 32.* poſt Jo. Monachum *in Tract. de Prorogat. juriſd. c. 1. n. 6.* & Matth. Stephanum. *de Offic. judic. p. 1. lib. 1. c. 7. n. 65.* hodie generaliter tum in Eccleſiaſtico, tum in ſæculari Foro, rarò, aut non niſi cum conſenſu propriorum Dominorum prorogatio juriſdictionis admittitur: eò quòd Dominis Territoriorum hodie pleniori jure, quàm olim, ſcilicet patrimoniali, ſeu feudali competat juriſdictio, quam proinde per factum Subditorum ſuorum interturbari non ſinunt: Idem obſervat Chriſtoph. Clingenſperger *l. 1. Inſtitut. Iuſtinian. tit. 20. q. 8.* aſſerens, quod prorogationem juriſdictionis praxis moderna ſaltem in Foro Politico, ſi non etiam Eccleſiaſtico, haud ampliùs admittat; cùm juriſdictio hodie hæreditaria, & ſicut venatio in Germania, ſit valdè zelotypa.

## §. VII.

## De modo extraordinario ſortiendi Forum ex qualitate cauſarum, ubi & de Cauſis mixti fori.

*S U M M A R I U M.*


143 *Forum cauſarum ſpiritualium; & ſpiritualibus annexarum, nec non feudalium, quale? Remiſſivè.*
144 *Cauſæ dicuntur continentes tripliciter, & quomodo.*
145 *Continentia cauſarum regulariter non debet dividi.*
146 147 & 148 *Idque exemplificatur.*
149 *Fallit tamen, quando cauſæ ſunt alterius naturæ, & ordinis.*
150 *Si non opponatur exceptio Cauſæ connexæ non dividundæ, valet proceſſus coram diverſis judicibus factus.*
151 *Cauſæ mixti fori, quæ?*
152 *Aliæ ſunt civiles, aliæ criminales.*
*Inter cauſas mixti fori recenſentur Contractus inter Laicos initi, ac juramento confirmati. Ib.*
*Dummodò agatur de executione talium contractuum, & non de valore juramenti. Ib.*
153 *Item Poſtulatio reſtitutionis in integrum, ab Eccleſia contra Laicum petita.*
154 *Et cauſæ Viduarum, Pupillorum, & aliarum miſerabilium Perſonarum, ſed in tribus duntaxat caſibus. Et num. ſeqq.*
*I. Quando judex ſæcularis negligens eſt in adminiſtrando eis juſtitiam. Ibid.*
155 *II. Quando ſunt ſpoliatæ, ſicque agunt interdicto* Unde vi.
156 *III. Quando viduitas v. g. & inopia concurrunt.*
157 *Cauſa Dotis, an ſit mixti fori?*
158 *Cauſæ criminales mixti fori, quæ?*
*De facto pleraque crimina ſunt mixti fori quoad pœnam irrogandam. Ibid.*
159 *Excepta hæreſi.*
160 *Et ſimonia.*
161 *Et quid de læſione infra dimidium juſti pretii.*
162 *Aut, quando quæritur de valore, & honeſtate actuum?*
163 *Punitus per Iudicem ſæcularem ſuper crimine mixti fori, an poſſit puniri etiam per Eccleſiaſticum; & econtrà.*

164 *Saltem, ubi imponitur pœna nimium levis ad vindictam.*

143 QUòd ratione cauſarum ſpiritualium, ac ſpiritualibus annexarum, ſortiatur quis Forum Eccleſiaſticum, patet ex dictis *Tit. præc. §. 3. num. 36. & ſeqq.* ubi oſtenſum, tales cauſas non niſi per Judicem Eccleſiaſticum cognoſci, ac terminari poſſe. Similiter, quòd cauſæ feudales coram Domino feudi ſint agitandæ, ſicque ratione feudalium cauſarum ibidem forum quis ſortiatur, fuſiùs declaratum fuit *cit. Tit. præc. §. 5. per tot.* Quibus proinde nunc ſuppoſitis

144 Quæritur I. An, & qualiter ratione continentiæ cauſarum, quis forum ſortiatur? Ubi prænotandum cum Jaſone *in l. Nulli prorſus. n. 3. C. de Judiciis*, & aliis, quòd *Cauſæ* dicantur *continentes*, ſeu quandam habeant inter ſe connexionem, tripliciter. I. Ratione ſubjecti, ſeu rei, de qua agitur: prout fit, quando duo judicia competunt ad eandem rem, ac v. g. cauſa poſſeſſionis, & proprietatis, circa ipſam ſimul intentatur; vel quando circa eandem rem diverſæ moventur quæſtiones, una principaliter, & alia incidenter: prout accidit, ſi mota cauſa matrimonii, hujuſque nullitate declarata, oriatur quæſtio ſuper dote reſtituenda. II. Ratione generalis actionis: quando nimirum diverſæ res, ſeu cauſæ ſpeciales, continentur ſub una generali actione, v. g. Tutelæ, Negotiorum geſtorum &c. III. Ratione pluralitatis perſonarum, quas concernunt: ut ſi plures ſocii in actione aliqua individua conveniantur; vel ſi inter plures cohæredes actio Familiæ heriſcundæ inſtituatur; aut, ſi actione contra unum inſtituta, tertius interveniat pro ſuo intereſſe, ac hujuſmodi. His prænotatis

145 Reſp. I. Regulariter loquendo, cauſæ continentia non debet dividi, *l. Nulli C. de judiciis*, cum ſimilibus: adeòque ratione continentiæ, ſeu connexionis cauſarum, datur competentia fori apud Judicem illum; qui ſuper cauſa cognoſcit, ut etiam ſuper alia eidem connexa cognoſcere poſſit, ac debeat, ſive dein ſit Judex ordinarius, ſive Delegatus. Ita Abbas *in c. Prudentiam. §. Si verò. n. 2. de Offic. Delegat. & in c. Veniens. 38 n. 8. de Teſtib.* Gailus *lib. 1. Pract. Obſerv. 70. num. 1. & 2.* allegans communem. Licèt enim cæteroquin juriſdictio delegata ſit ſtricti juris, ita quòd non comprehendat, niſi expreſſa in Reſcripto, *c. Cùm dilecta. 22. de reſcript.* Nihilominùs iſtud non procedit in connexis, & acceſſoriis, *L. 2. ff. de juriſdict. omn. jud. & c. Prudentiam. 21. §. Si vero de Offic. delegat.* cum ſimilibus.

146 Sic quando inter plures Familiæ herciſcundæ agitur aut Communi dividundo, vel Finium regundorum aut quando inter cohæredes, vel ſocios, ſive inter plures Tutores oritur actio, omnes eundem Judicem aſſumere debent, *L. 1. & 2. ff. De quibus rebus ad eundem judicem eatur.* Ubi Bartolus *in Summario* generaliter infert. *In cauſis connexis plures, licèt diverſi Fori, coguntur apud eundem judicem litigare.* Idque meritò: tum, ut illi plures citiùs in unum conveniant, nec dividatur cauſæ continentia: tum ut evitetur abſurditas, quæ alioquin oriri poſſet, ſi unus Judex ſic, alius aliter de perſonalibus obligationibus ſeu præſtationibus judicaret. Textus, & Gloſſa *cit. L. 1. ℣. Eundem.*

147 Similiter cauſa matrimonii, & cauſa dotis eidem acceſſoria, dividi non debet, ſed coram eodem judice, etjam delegato tractari, & terminari. Textus eſt *in c. De prudentia. de donationib. inter virum, & uxor.* ubi loquendo de judicibus delegatis dicitur, *Eos, qui de matrimonio principaliter cognoverunt, & de dote (quæ eſt cauſa incidens) acceſſoriè cognoſcere valere, & ſententialiter diffinire.*

148 Inſuper, quòd ſuper cauſa poſſeſſionis, & proprietatis, non poſſint diverſi Judices poſtulari, ſed ob cauſæ continentiam debeat utraque ſub eodem Judice agitari, patet ex *cit. l. Nulli. C. de judiciis, & c. Ad ultimum. 2. de Cauſa poſſ. & propriet.* Aliud hujus exemplum habetur *in c. Cauſa. 9. de in integrum reſtit.* ut ſimilia taceantur.

149 Dicitur notanter in concluſione, *regulariter loquendo.* Nam regula illa, quòd cauſæ continentia non debeat dividi, ſolummodò procedit loquendo de cauſis ejuſdem naturę ac ordinis, ſive gradus: ſecùs autē, ſi ſint alterius, naturæ, ordinis, ſeu gradus. Unde, quando coram Judice laico agitur cauſa civilis, incidit autem quæſtio ſpiritualis, v. g. ſuper validitate matrimonii, juramenti, &c. Judex ſæcularis non poteſt cognoſcere ſuper hac quæſtione incidenti, utpote cauſa merè ſpirituali: ſed tenetur hanc remittere ad judicem Eccleſiaſticum, ac interim in cauſa principali ſuperſedere, *c. Lator. 5. & c. Cauſam quæ. 7. Qui filii ſint legitim.* & ampliùs declarabitur *Tit. de Ordine Cognitionum. n. 31. & ſeqq.*

150 Reſp. II. Nihilominus exceptio *cauſæ connexę non dividundæ*, ad ſimilitudinem aliarum exceptionum declinatoriarum Fori, ante litis conteſtationem opponi debet, ſicque oppoſita impedit litis ingreſſum; alioquin, ſi fuerit omiſſa, valebit proceſſus coram diverſis Judicibus factus. Ita Felinus *in c. Ex tenore n. 19. de Reſcript.* Jaſon *l. Nulli prorſus. n 6. C. de judiciis.* Engel *h. t. n. 83.* & alii. Idque deſumitur *ex c. Inter Monaſterium. 20. de Sent. & re judic.* Siquidem non opponens hujuſmodi exceptionem ante litis conteſtationem, coram diverſis Judicibus ſubeundo judicium, cenſetur juri ſuo renunciaſſe.

151 Quæritur II. Quid cenſendum de cauſis mixti Fori? Reſp. I. *Cauſæ mixti fori* dicuntur, quæ in utroque Foro, tam Eccleſiaſtico ſcilicet, quàm Civili tractari poſſunt, ita ut præventioni locus ſit. Ita deſumitur *ex can. Sunt quædam. 23. q. 5. & cap. 1. de Offic. Ordinar.* ac notat Sac. Congregatio Immunitatis *in Sorana. 18. Februarii 1631.* apud Jacob. Pignatellum, *tom. 5. Conſult. 2. n. 58.* & Engel *h. t. n. 67.* & alii. Dantur etenim aliquæ cauſæ, quæ licèt ex ſe, & ex natura ſua ſæculares ſint; nihilominùs propter certam adjunctam qualitatem ſpiritualem, etiam reſpiciunt Forum Eccleſiaſticum, aut econtrà: ac proin, ſic ſuadente æquitate Canonica, Lege, ſeu conſuetudine, in utroque Foro agitari poſſunt; ita tamen ut qui prævenit, ab altero impediri ampliùs in judicando non poſſit.

152 Reſp. II. Cauſæ mixti Fori aliæ ſunt civiles, aliæ criminales. Ita communis; & probatur inductione. Et quidem, ut taceantur nunc cauſæ criminales, de quibus *Concl. ſeq.* inter Cauſas civiles mixti fori connumerantur imprimis Contractus inter Laicos initi, ac juramento firmati. Etſi enim tales contractus ex ſe ac originaliter, ſint de Foro ſæculari, nihilominùs propter adjunctam qualitatem juramenti, atque ut Fideles à peccato perjurii revocentur, etiam ad judicium Eccleſiæ pertinere dignoſcuntur, *c. Novit. 13. de judiciis*, junctis concordantiis ibidem à Gloſſa. *℣. Pacem. & ℣. Non eſt dubium*, allegatis. Intellige, ſi de executione talium Contractuum quæſtio moveatur, ut *c. ult. h. t. in 6.* Nam ſi de valore, ſeu obligatione juramenti agatur, cognitio privativè ad Judicem Eccleſiaſticum pertinet, eo quod talis quæſtio ſit merè ſpiritualis, *c. 2. de Pactis in 6. & c. Licèt mulieres. de Jure jurand. in 6. & c. ult. h. t. in 6.* ac notat Jo. Andreas *ibid n. 3.* & Engel. *h. t. n. 68.*

153 Inſuper inter Cauſas civiles mixti Fori recenſetur Poſtulatio reſtitutionis in integrum, ſi ab Eccleſia petatur contra Laicum, *arg. cap. 1. De in integrum reſtitut. & c. Ad noſtram. 11. de Rebus Eccleſ. non alien.* ubi talis reſtitutio in integrum per Judicem Eccleſiaſticum facta legitur. Engel *h. t. n. 71.* poſt Gutierez *Canon. Quæſt. lib. 1. cap. 34. n. 10.*

154 Rurſus ad cauſas mixti Fori pertinent cauſæ Viduarum, Pupillorum, & aliarum miſerabilium Perſonarum: non quidem omnes indifferenter, ſed in tribus caſibus, in quibus Jus Canonicum indulget eiſdem etiam actricibus, ut Laicos ad Forum Eccleſiaſticum trahere valeant. Et tales proinde cauſæ dicuntur *mixti fori*, non quòd in ipſis detur locus præventioni inter Judicem Eccleſiaſticum & Laicum (prout ſolet accidere in delictis) ſed quia ejuſmodi miſerabiles perſonæ poſſunt tunc ſuos adverſarios convenire, in quo maluerint Foro. Pignatellus *cit. Tom. 5. Conſult. 2. n. 55.* Et quidem primus eorundem caſus eſt, quando Judex ſæcularis negligens eſt in adminiſtrando illis juſtitiam. Textus eſt apertus *in c. Ex tenore. §. fin.* & ibi Canoniſtæ omnes *de Foro compet.*

155 Secundus caſus eſt, quando Vidua, Pupillus, ſeu alia miſerabilis Perſona, à Laico fuit violenter oppreſſa, ſeu rebus ſuis ſpoliata, ita ut interdicto *Unde vi*, ſeu remedio *Can. Redintegranda*, agere valeat: nam tunc, ſive dives fuerit ſive pauper, ſæcularibus Judicibus omiſſis (fortè, quia perhorreſcit potentiam adverſariorum) poteſt Laicus ſpoliatores ſuos immediatè ad Eccleſiaſticum Forū trahere. Textus eſt *in c. Ex parte B. 15. h. t.* ubi

Re-



Regina Angliæ vidua, ſpoliata quodam Caſtro, ſpoliatorem ſuum coram Judice Eccleſiaſtico conveniſſe legitur; & tradunt ibi Canoniſtæ communiter. Concordat *can. Si quis de potentibus. 24 q. 3. & c. Super quibuſdam. §. fin. de Verb. ſignif.* Nam Eccleſiæ intereſt, etiam Divinitate jubente, pupillos, viduas, aliaſque miſerabiles perſonas defenſare, ac tueri. *can. 1. & 2. diſt. 87.*

Additur notanter, *rebus ſuis ſpoliata.* Quia iſtud eſt ſpeciale in poſſeſſorio recuperandę reſpectu miſerabilium Perſonarum oppreſſarum, ſeu rebus ſuis ſpoliatarum, etiam divitum. Secùs dicendum in petitorio: tunc enim Vidua, vel Pupillus, ubi dives eſt, non poteſt Laicum coram Judice Eccleſiaſtico convenire, niſi ſuper cauſa merè Eccleſiaſtica (quod eſt commune omnibus) vel in defectum Judicis ſæcularis, *cit. c. ex tenore.* juncta Gloſſa *ibid. ℣. In juſtitia. h. t.* eſtque proximè dictum *n. 154.* Vel niſi ſit vidua, ſeu pupillus, & pauper ſimul, juxta mox dicenda. Siquidem

156 Tertius caſus eſt, quando Vidua, Pupillus, ſeu alia miſerabilis Perſona, ſimul eſt pauper. Ubi enim Vidua v. g. ſimul eſt pauper, ſicque viduitas & inopia concurrunt, tunc in cauſis etiam civilibus, ac nulla interveniente ejus deſpoliatione, aut Judicis laici negligentia, habet ipſa Fori electionem, poteſtque Laicum adverſarium ſuum ad Judicem Eccleſiaſticum trahere. Ita deſumitur *ex c. Significantibus. 32. de Offic. Delegat.* argumento à ſenſu contrario deſumpto: *& c. Super quibuſdam. 26. §. fin. de Verb. ſignif.* ac notat Abbas *in c. Ex tenore. n. 2. h. t.* juxta relatos tres caſus concordans jura juribus. Sperellus *Deciſ. 156. Fori Eccleſ. n. 9. & 10. & 14.* allatos tres caſus per ordinem declarans. Jacob. Pignatellus *Tom. 3. Conſult. 24. n. 3.* allegans Declarationem Sac. Congr. Immunitatis, quæ reſolvit in *Æſina 31. Maii 1649. & in Maceratenſ. 18. Novemb. 1653.* pauperes miſerabiles poſſe convenire debitores ſuos coram Epiſcopo. Maranta *part. 4. Speculi Aurei. diſt. 11. n. 9.* & alii ab his citati.

157 Tacetur unà cum nonnullis aliis, cauſa Dotis. Licet enim Abbas *in c. De prudentia. n. 7. de Donationibus inter virum & uxor.* poſt Innocentium *ibid.* velit, eam eſſe mixti fori: oppoſita nihilominùs ſententia, videlicet cauſam dotis principaliter motam ſolius eſſe Judicis ſecularis, eſt Gloſſæ *in c. c. De prudentia. ℣. Incidens acceſſoriè.* Sanchezii *lib. 10. de Matrim. diſp. 8. num. 15.* & communis aliorum. Quamquàm ſi de dote ſolum agatur incidenter, ſeu acceſſoriè, putà ratione divortii inſtituendi, palam; & extra controverſiam ſit, quod tunc cauſa dotis reſtituendę coram eodem Judice Eccleſiaſtico, qui ſententiam divortii tulit, ſimul ſit ventilanda, per textum *in cit. c. De prudentia*, & Gloſſam, ac DD. *ibid.*

158 Reſp. III. *Cauſæ criminales mixti fori* dicuntur illæ, quæ verſantur circa crimina, à Jure tum Canonico, tum Civili prohibita, ac punienda. Cujuſmodi ſunt homicidium, adulterium, inceſtus, ſodomia, perjurium, ſacrilegium, blaſphemia, ſortilegium, divinatio, magia, & hujuſmodi: de quibus fuſè agunt Abbas *in c. Cùm ſit generale. n. 17. & ſeqq. h. t.* Farinacius *lib. 1. Crim. tit. 1. q. 8. n. 129. & ſeqq.* Julius Clarus *lib. 5. Pract. Crim. §. fin q. 37.* & alii. Siquidem ex una parte ad Eccleſiam pertinet, de quocunque mortali peccato corripere quemlibet Chriſtianum, *c. Novit 13. §. Cùm enim de Judiciis*: unde præſertim in Libro Quinto Decretalium de variis criminibus per Eccleſiam puniendis tractatur. Ex altera verò parte hodie pleraque crimina etiam puniuntur in Foro ſæculari; idque vel vi Juris Civilis communis; vel ſaltem propter diverſos Receſſus Imperii, & Conſtitutiones pœnales Carolinas: ſicque defactò, ſi non omnia, ſaltem pleraque crimina, quoad pœnam irrogandam ſunt mixti fori; quamquàm de conſuetudine plerumque Eccleſia punitionem criminum inter Laicos commiſſorum relinquat judici ſæculari. *arg. can. Sunt quædam 23. q. 5.* Engel *h. t. n. 75.*

159 Additur hic notanter, *ſaltem pleraque crimina.* Quia hinc excipi debet crimen Hæreſis, utpote quod eſt merè Eccleſiaſticum, *c. Ut inquiſitionis. §. Prohibemus. de Hæretic. in 6.* ac proinde reſpectu ejus ſolus Judex Eccleſiaſticus, non autem ſæcularis, etiam inter Laicos, eſt competens. Farinacius *cit. q. 8. n. 127.* citans plurimos alios. Quamvis ſæculares Principes, Poteſtates ac Rectores locorum, ad commonitionem & requiſitionem Epiſcoporum, teneantur fideliter atque efficaciter Eccleſiam contra Hæreticos, eorumque fautores adjuvare, ac defendere, juxta officium & poſſe ſuum, *c. Ad abolendam. §. Statuimus. & c. Excommunicamus. §. Moveantur de Hæretic.* Ac proinde, paucis loquendo, Judices ſęculares in ordine ad crimen hæreſis, nullo quidem modo ſe poſſunt intromittere reſpectu cognitionis; benè tamen reſpectu executionis, ad requiſitionem Eccleſiæ. Abbas *cit. c. Cùm ſit generale. n. 19. h. t.*

160 Similiter, quòd Simonia ſit crimen merè Eccleſiaſticum, atque ideò Judex ſæcularis non poſſit aliquo modo ſe de eo intromittere, neque cognoſcere, tenet Abbas *d. c. Cùm ſit generale. n. 20 h. t.* Julius Clarus *in Pract. Crim. lib. 5. §. Simonia. n 7.* Farinacius *d. q 8 n. 128.* citans DD. communiter. Et meritò: nam Simonia dicitur hæreſis, *can. Quicunque. & can. Cùm liqueat. 1. q. 1. & c. Quotiens, de Simonia*, & alibi ac proinde, ſicut hæreſis eſt crimen merè Eccleſiaſticum, ita & ſimonia.

161 Poſſet hinc etiam excipi Læſio, ſive deceptio infra dimidium juſti pretii, in venditione facta. Siquidem venditor deceptus infra dimidium juſti pretii, non habet actionem in Foro Civili, *L. 2. C. de Reſcindend. vendit.* ſecùs in Foro Eccleſiaſtico, Nam, cum in Foro conſcientiæ quælibet notabilis læſio compenſari debeat, ſimulque Eccleſia procedere valeat ſuper quolibet criminali peccato, *c. Novit. 13. §. Cùm enim de judiciis*, rectè propter gravem læſionem, etſi non excedat medietatem juſti pretii, poteſt Judex Eccleſiaſticus adiri, ut cogat peccantem, etiam per cenſuras, ſi opus fuerit, ad pœnitentiam, & ſatisfaciendum graviter læſo. Fachineus *lib. 2. c. 25.* Engel *h. t. n. 65.* & alii. Sicque crimen gravis læſionis infra dimidium juſti pretii, eſt fori duntaxat Eccleſiaſtici, non mixti: atque idem dicendum de ſimilibus delictis, quæ in foro Civili non puniuntur.

162 Additur inſuper *n. 158. quoad pœnam irrogandam.* Quia, ſi quæratur de valore, ac honeſtate actuum, putà, an tale juramentum ſit licitum, ac ſervandum, nec ne; an talis contractus ſit uſurarius, nec ne; an matrimonium validum, ſicque ab ejus violatore fuerit commiſſum adulterium, nec ne; ac hujuſmodi: tunc talium cauſarum cognitio privativè pertinet ad Judicem Eccleſiaſticum. Secùs, quando de talibus conſtat, atque agitur ſolummodo ad pœnam delinquentibus imponendam: quia hanc poteſt uterque Judex imponere; Eccleſiaſticus quidem ſecundùm Canones; ſæcularis autem ſecundùm Leges Imperiales, aut Territoriales. Abbas *c. c. Cùm ſit generale. n. 21. h. t.* & alii, atque concordant dicta ſuperiùs *n. 152. & 153.* Occaſione cujus

163 Quæritur III. Utrùm punitus per Judicem ſæcularem ſuper crimine mixti fori, poſſit denuò accuſari, ac puniri per Judicem Eccleſiaſticum, & e contra? Reſp. I. Quando pœna ab alterutro Judice inflicta, fuit ſatis ſufficiens ad criminis punitionem, eique commenſurata; tunc punitus in uno Foro non poteſt ampliùs deſuper accuſari, ac puniri in altero Foro. Ita Abbas *in c. Tuæ. n. 5. de Procurator. & c. Cùm ſit generale. n. 1. h. t.* Covarruvias *lib. 2. Var. Reſ. c. 10. n 6.* Barboſa *in c. Felicis. n. 38. de Pœnis in 6.* & alii ab his citati. Ratio eſt: quia nec Deus judicat bis in idipſum, Naum *c. 1. & can. Sunt plures. §. Authoritas. de pœnit. diſt. 3.* Nec de delicto unius hominis ſæpiùs quæritur *c. De his criminibus. 6. de Accuſation.* Simulque bona fides non patitur, ut ſemel exactum iterùm exigatur. *Reg. 83. juris in 6.*

164 Reſp. II. Loquendo tamen de atrocibus delictis, ac ubi in uno Foro imponitur pœna nimium levis ad vindictam, ut puta excommunicatio (quæ potiùs eſt medicinalis, non punitiva & mortalis, *c. 1. de Sent. Exc. in 6.*) nihil obſtat, quò minùs crimen illud etiam in altero Foro accuſari, & puniri valeat. Ita Abbas, & Covarruvias, *ubi ſuprà.* Jo. Andreas *c. Felicis. n. 8 de Pœnis in 6.* Engel *h. t. n. 76* & alii plures, contra Barboſam *in d. c. Fœlicis. n. 38.* & alios, quos cit. Ratio Concluſionis deſumitur ex *l. Placet. §. Si quis. C. de Sacroſ. Eccl.* eſtque canonizata *in c. Generaliter §. Placet. 16. q. 1.* ubi in trāſgreſſores dictę Legis, ſeu immunitatē perſonarum Eccleſiaſticarum violantes, duplex pęna, ab utroque Foro infligenda, ſtatuitur illis verbis: *Si quis controvenerit, poſt debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga ſacrilegos promenda eſt, exilio deportationis perpetuò ſubdatur.* Concor-

dat c c. *Fælicis. §. Per hoc quoque de Pœnis in 6.* ubi dicitur, quòd per illas pœnas, quas ibi Pontifex promiſerat, ac ſtatuerat occidentibus, aut percutientibus Cardinalem; non adimatur facultas ſæcularibus Poteſtatibus, quò minùs contra tales poſſint procedere, ipſiſque imponere pœnam Legalem contra ſacrilegos ſtatutam. Idem ergo dicendum de aliis criminibus atrocibus mixti fori, ob paritatem rationis: quidquid contradicat Gloſſa *ibid. V. Adiminus.* dicens, iſtud eſſe ſpeciale in dicto caſu propter criminis horrorem; regulariter autem ſecùs eſſe.

## §. VIII.

## De modo extraordinario ſortiendi Forum ratione Præventionis, & ex *Leg. Diffamari*, ac aliis.

*S U M M A R I U M.*

165 *Præventio juriſdictionis, quid?*
166 *Contingit tripliciter.*
167 *Inducitur per citationem legitimè interpoſitam.*
168 *Reus legitima citatione præventus ab uno ex pluribus Judicibus, ſortitur forum coram eo. Et num. ſeqq.*
169 *Si tamen non opponitur exceptio præventionis, valent geſta coram alio.*
170 *Citatio invalida non arctat citatum, nec perpetuat juriſdictionem citantis.*
171 *Ut inducat præventionem, debet citatio emanaſſe authoritate Judicis, atque ad petitionem partis.*
172 *Ubi agitur ad utilitatem privatam; aliàs ſecùs.*
173 *Debet etiam citatio perveniſſe ad notitiam citati.*
174 *Citatio realis fortior eſt verbali, etiam anteriori.*
175 *Per* Leg. Diffamari. C. de Ingenuis manumiſſ. *quid ſtatuatur?*
176 *Habet locum in diffamatione ſuper omni genere cauſarum, tum criminalium, tum civilium majoris momenti.*
177 *Quæ requiritur, ut remedio* L. Diffamari, *locus ſit?*
178 *In Judicio ex* L. Diffamari, *Judex competens eſt judex Diffamati.*
179 *Solvitur inſtantia. Et num. ſeqq.*
180 *In cauſis diffamationum duplex intervenit Judicium; unum, diffamationis; alterum, actionis principalis.*
*In judicio diffamationis, Clericus diffamans nequit conveniri coram Judice laico. ibid.*
181 *Si Reus, putà Diffamator, eſt alienæ juriſdictionis, proprius ejus Judex pro executione citationis eſt requirendus.*
182 *Hac citatione non obſtante, poteſt diffamator, ſeu Actor, poſtea convenire Diffamatum, coram quo maluerit ejus judice.*
*In ſeparatis ex uno ad aliud non infertur. ibid.*
183 *Referuntur alii modi extraordinarii ſortiendi forum. Et num. ſeqq.*
184 *Scholares ex privilegio ſortiuntur forum coram ſuo Rectore; & cur?*
185 *Item Clerici coram Judice Eccleſiaſtico.*

165 QUæritur I. Quid ſit, & qualiter inducatur Præventio juriſdictionis, per eamque Forus competens acquiratur? Reſp. I. *Præventio*, de qua in propoſito, dicitur illa, per quam unus Judex juriſdictionem alterius, cæteroquin etiam competentis, prævenit ſeu præoccupat; ita, ut iſte ampliùs cauſæ præventæ ſe nequeat intromittere. Ita in re communis.

166 Et talis Præventio poteſt contingere tripliciter. I. In cauſis mixti fori; de quibus ſuprà *§. præc. n. 151. & ſeqq.* II In Reo mutante domicilium, poſtquàm à Judice prioris loci jam citatus, ſicque præventus fuit, ut *c. Propoſuiſti. 19. h. t.* eſtque uberiùs dictum ſuprà *§. 2. n. 43.* III. In pluribus Delegatis in ſolidum: nam tunc uno eorum negotium inchoante commiſſum, alii ſe nequeunt ulteriùs intromittere, *c. Cùm plures. 8. de Offic. Delegat. in 6.*

167 Reſp. II. Præventio fori, ſeu juriſdictionis, inducitur per citationem legitimè interpoſitam. Deſumitur hoc ex *c. Propoſuiſti. 19. h. t.* ubi Gloſſa inquit, ac pluribus probat; quòd per ſolam citationem perpetuetur juriſdictio tam Ordinarii, quàm Delegati. Concordat textus *in l. Si quis poſteà. ff. de Judiciis*, eſtque communis. Idque meritò: nam, ut habet Reg. 54. Juris in 6. *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure*: ac proinde etiam Judicis præoccupantis, ſeu legitima citatione prævenientis, in cauſa illa potius jus, ſeu melior conditio eſſe debet præ alio, vel aliis, licèt cæteroquin competentibus Judicibus. Simile quid contingit *in c. Non injuſtè. 14. de Procurat. & c. Si quis juſto. §. 1. 46. de Elect. in 6. & l. Qui prior. ff. de Judiciis*, cum ſimilibus. Unde

168 Reſp. III. Reus legitima citatione præventus ab uno ex pluribus Judicibus, ſortitur forum coram ipſo: adeò, ut Judex præveniens procedere debeat in cauſa, alteriuſque licèt cæteroquin competentis Judicis juriſdictionem ſilere, & quieſcere faciat. Ita Federicus de Senis *Conſ. 97. §. Venio ad recitationem.* Card. Tuſchus *Litt. P. Concl. 646. n. 1.* Proſper Farinacius *lib. 1. Praxis Criminal. tit. 1. de Inquiſitione. q. 7. n. 52.* pluribus ampliationibus hanc Concluſionem illuſtrans. Gailus *lib. 1. Pract. Obſerv. 19. n. 5.* & alii. Ratio eſt eadem, quæ *n. præced.* Accedit, quod, ubi cœptum eſt judicium, ibi de jure finiri debeat, *l. Ubi cæptum. ff. de Iudiciis.*

169 Infertur proinde, quòd ſi aliquando non obſtante præventione Judex concurrens cauſam præventam acceptare velit, contra ejus juriſdictionem excipi poſſit jure præventionis: ſiquidem exceptio præventionis, eſt declinatoria fori. Maranta *in quæſt. Legalib. diſp. 6. n. 26.* Quòd ſi verò non opponatur exceptio præventionis, valent geſta coram alio Judice, quàm qui prævenit. Maſcardus *de Probat. Concl. 1233. n. 13.* Gailus *cit. Obſervat. 29. n. 6.* & alii.

170 Dicitur notanter in Concluſione, *Reus legitimè citatione præventus*. Quia, ut præventio per citationem inducatur, requiritur, ut hæc fuerit legitimè facta, *c. Propoſuiſti. 19. h. t.* Ad hoc autem requiritur imprimis, ut citatio ſit valida: nam citatio invalida, ſeu facta à Judice incompetente, vel aliàs à Jure reprobata, nec arctat citatum, *c. Bonæ memoriæ. 36.* juncta Gloſſa *fin. de Elect.* Nec perpetuat juriſdictionem citantis, *arg. cit. c. Propoſuiſti. h. t.* ac notat Abbas *n. 6.* & Barboſa *ibid. n. 5.* Federicus de Senis *d. Conſil. 107. §. Venio ad expoſitionem.* Farinacius *cit. quæſt. 7. n. 61.* & alii. Ratio eſt: quia, quod nullum eſt, nullum producit effectum, *c. Illud 8. de Jure patronat.* Et paria ſunt, non eſſe, & nullum eſſe, *arg. l. Duo ſunt Titii. de Teſtamentar. tutel.*

171 Deinde, ut per citationem inducatur præventio, atque perpetuetur juriſdictio Judicis citantis, requiritur, quòd dicta citatio emanaverit authoritate Judicis, & quidem ad petitionem partis, *arg. cit. c. Propoſuiſti. h. t.* ibi: *Ad petitionem cujuſdam Adverſarii ſui, à te legitimè citatus ad cauſam*: & notat Abbas *ibid. n. 3.* & Barboſa *n. 2. & 3.* Bartolus *in l. Ad peremptorium. ff. de Judiciis*, & alii. Unde non ſufficit, quòd quis extrajudicialiter cuipiam litem denunciaverit, aut judex motu proprio quempiam citaverit; ubi agitur ad utilitatem privatam.

172 Atque hoc ultimum idcircò additur. Quia, ut citatio fiat ad petitionem alterius partis, tunc ſolùm requiritur, quando proceditur ad utilitatem privatam: ſecùs, ubi proceditur ex officio ad utilitatem publicam; uti fit in judicio inquiſitionis, *arg. c. Qualiter & quando. 24 de Accuſation.* Abbas *cit. n. 3.* Engel. *h. t. n. 52.*

173 Tandem requiritur, ut citatio pervenerit ad notitiam citati, vel ipſe fecerint, quò minus ad ſe perveniret: quia ſolum Decretum citatorium à judice emanatum non ſufficit ad præventionem inducendam. Engel *cit. n. 52.* poſt Martham *de Juriſdict. par. 2. c. 3. n. 14.* Sufficit autem citatio unica & ſimplex: & ſive ſit verbalis, ſive realis; ſeu facta per capturam. Maſcardus *cit. Concl. 1233. n. 7. & 8.* allegans alios.

174 Veruntamen citatio realis eſt fortior, ac præfertur verbali, etiam anteriori. Fagnanus *c. Pervenit. n. 40. de Adulter.* ubi hoc docet in crimine mixti fori, quando Judex Eccleſiaſticus prævenit in citatione, Laicus tamen prævenit in captura criminoſi: quia adhuc (inquit) præventio realis præfertur verbali, juxtà Bartolum *in l. Sepultura. ff. de Sepulch. violat.* Item tenet Farinacius *cit. lib. 1. quæſt. 7 n. 53.* allegans plures alios: licèt Engel *d. n. 52.* poſt Martham, *ubi ſup. n. 19.* iſtud neget in caſu, quo citatio verbalis præceſſit.





175 Quæritur II. Quid ſentiendum de judicio ex *Leg. Diffamari*, quiſq; in eo ſit judex competens? Reſp. I. Per *Leg. Diffamari. C. de Ingenuis manumiſſis*, contentam, ſtatuitur: ut ſi quis alienum ſtatum diffamaverit, quaſi ſervilis conditionis exiſtat, talis Diffamatus authoritate hujus Legis poſſit officium judicis implorare, ut Diffamatori certum terminum præfigat, intra quem contra Diffamatum agere, ſuamque cauſam proponere, ac probare debeat: ſin minùs, Judex ei perpetuum imponat ſilentium, ne ulteriùs infamet: & ſi obſtinatus non pareat ſententiæ, mulctetur; prout ampliùs liquet ex textu citatæ Legis.

176 Licèt autem memorata *Lex Diffamari* expreſsè ſolum loquatur de diffamatione ſuper ſtatu ſervili, ſeu quòd quis ſit conditionis ſervilis: nihilominùs tum ex mente ipſius, tum ex recepta conſuetudine, ac praxi Judiciorum, ea etiam locum habet in diffamatione ſuper omni genere cauſarum, tum criminalium, tum civilium; dummodò ſint majoris momenti; & non de levioribus tantùm. Unde generaliter, ſi quis diffamaverit alterum, ſive de aliquo delicto, ſive de debito (hoc eſt, quòd ſit iniquus rei ſuæ poſſeſſor, aut ſibi obligatus ex contractu, vel quaſi contractu, ac necdum ſatisfecerit) poteſt Diffamatus uti beneficio dictæ Legis: ita, ut ad ejus inſtantiam Judex diffamanti debeat terminum competentem præfigere, intra quem vel objecta probare teneatur; vel, ſi contumaciter ſe abſentaverit, aut in probatione defecerit, perpetuum ipſi ſilentium imponatur. Vveſſembecius *in Commentar. Codicis, lib. 7. tit. 14.* Gailus *lib. 1. Practic. Obſervat. 9. n. 2.* Engel *h. t. n. 56.* & alii.

177 Cæterum, ut remedio *Legis Diffamari* locus ſit, requiritur imprimis juxta proximè dicta, ut diffamatio ſit de cauſis gravioribus, & majoris momenti; non item de levibus, utpote quæ non infamant, nec ſcandalum generant. Deinde requiritur, ut de facta diffamatione Judici probabiliter conſtet: unde non creditur nudis narratis Diffamati, ſeu implorantis officium judicis; ſed, antequam Judex citationem Diffamatoris emittat, oportet, quandam ſummariam cauſæ cognitionem, ac probationem, ratione factæ diffamationis præmitti. Et quidem dicta diffamatio plerumque vel litteris Diffamantis, vel teſtibus eam audientibus, ſummariè probatur.

178 Reſp. II. In judicio ex *Lege Diffamari*, Judex competens eſt judex Diffamati: ita tamen, ut ſi Diffamator ſit alienæ juriſdictionis, proprius ejus judex à judice Diffamati ſit requirendus pro executione citationis, & debitæ comparationis injungendæ. Ita Gailus *cit. Obſerv. 9. n. 3.* poſt Alexandrum *Conſ. 103. l. 5.* & Bartolum *l. in criminali. n. 1. C. de juriſd. omn. jud.* Engel *h. t. n. 57. & 58.* & alii. Ratio prioris partis eſt: quia Actor tenetur ſequi forum Rei, *c. Cùm ſit generale de Foro compet.* cum ſimilibus: atqui per medium *Legis Diffamari*, Diffamans conſtituitur Actor; nempe, ut cauſas traductionis, ſeu diffamationis, apud Judicem in termino præfixo proponat, atque deducat ſub pœna impoſitionis perpetui ſilentii, *cit. l. Diffamari. C. de Ingenuis manumiſſ. & l. Titia. ff. de Accuſat.* ergo tenetur ſequi forum Rei, ſeu Diffamati.

179 Nec obſtat, quòd nemo invitus agere cogatur, *L. un. C. Ut nemo invitus &c.* Fallit enim hoc in pluribus caſibus, ibidem à Gloſſa enumeratis; ac præſertim tunc, quando ex cauſa ſtatuitur cuipiam à Judice terminus vel agendi, ſeu accuſandi, vel in perpetuum tacendi; ut *cit. l. Titia. ff. de Accuſat.* Accedit, quòd adhuc in libertate citati, ſeu Diffamantis ſit, agere, vel non agere, eligendo potiùs impoſitionem perpetui ſilentii. Innocentius *in c. Cum nobis, de Election.* Gailus *cit. Obſervat. 9. n. 6.* cum aliis.

180 Dices. Diffamatus in tali caſu eſt actor, utpote qui prior ad judicium provocat, *arg. l. In tribus. ff. de Judiciis*; ergo in judicio ex *Leg. Diffamari*, judex competens eſt judex Diffamantis, non Diffamati, contra datam Concluſionem. Reſp. neg. anteced. Nam, ut rectè notat Gailus *cit. lib. 1. Pract. Obſerv. 11. n. 2.* in cauſis diffamationum duplex eſt Judicium. Primum eſt diffamatorium, in quo videlicet de veritate factæ diffamationis, ſeu traductionis, agitur: atque in hoc Diffamatus cenſetur Actor, utpote cujus nudæ narrationi fides non adhibetur, ſed requiritur ſummaria cauſæ cognitio, & probatio, ut dictum *n. 177.* Ex quo conſequens eſt, quòd in hoc judicio diffamationis, diffamans habeatur Reus, ac proinde Laicus non habeatur pro judice competente reſpectu Clerici diffamantis, cùm Clericus non niſi coram Eccleſiaſtico conveniri valeat. Jacobus Pignatellius *Conſultat. Canon. tom. 1. conſult. 150. n. 31.* poſt Franch. *Deciſ. 657. n. 4.* & alios. Secundum eſt Judicium actionis, ſeu cauſæ principalis, in quo Diffamator citatus, ſi ſua intereſſe putaverit, intra terminum præfixum de jure ſuo docere, & cauſas factæ à ſe diffamationis, ſeu traductionis probare tenetur; idque ſub pœna perpetui ſilentii ſibi cæteroquin imponendi. Atque in hoc judicio Diffamator eſt Actor: nam diffamare, eſt tacitè ad judicium provocare, per textum *in cit. l. Diffamari.* & notat Baldus *ibid. n. 8. & 10.* atque Alexander *conſil. 52. n. 3. vol. 2.*

181 Altera pars Concluſionis, quòd nempe, *ſi diffamator ſit alienæ juriſdictionis, proprius ejus Judex ſit requirendus pro executione citationis &c.* probatur ex eo. Quia citatio extra territorium, ſimulque non ſubditi (quod additur propter dicta ſuperiùs §. 2. *n. 29. & 30.*) vires non habent, *c. ult. de Conſtit. in 6. & L. fin. ff. de juriſd. omn. judic.* unde pro executione citationis oportet proprium Diffamatoris, utpote Rei citati, Judicem requirere. Engel *h. t. n. 58.* citans Mundium *in tract. ad Leg. Diffamari. §. 3. n. 235.* ubi formam hujus Requiſitionis præſcribit.

182 Plura de judicio ex *L. Diffamari.* apud Gailum *cit. lib. 1. Pract. Obſerv. 9. 10. 11. & 12.* Ubi *Obſerv. 11. n. 3 & ſeqq.* poſt Socinum *in c. Propoſuiſti. h. t.* notanter obſervat, quòd ſi Diffamatus (qui in judicio diffamationis erat Actor, in Judicio actionis verò ſit Reus) plures habuerit judices, poſſit Diffamator eum convenire, coram quo maluerit: quia in optione Diffamatoris, utpote nunc Actoris, eſt, unum ex ipſis eligere. Neque enim præventio impræſentiarum locum habet ex citatione facta in judicio diffamatorio, ubi Diffamator erat Reus, Diffamatus autem Actor, & probans factam ab altero diffamationem ſuam. Siquidem Judicium diffamationis, & Judicium actionis ſunt diverſa judicia, juxta dicta *n. 180.* Atqui in ſeparatis, ex uno ad aliud non infertur, *l. Duobus, ff. de Teſtam. tutel.* & ibi Bartol. *in Summario*, & alii; ergo.

183 Quæritur III. An dentur alii modi extraordinarii ſortiendi Forum, & quales? Reſp. Dari complures Sic enim ulteriùs ſortitur quis Forum ratione appellationis, *can. Peregrina, 3. q. 6.* junctis illis, quæ notantur *Tit. de Appell.* Item ratione reconventionis, *can. Cujus in agendo. 3. q. 8.* atque ampliùs declarabitur infrà *Tit. 4. De Mutuis Petitionibus.* Item ratione recuſationis, ſeu quando Judex ſuus ex juſta cauſa recuſatur, *c. Si quis contra, h. t.* Item ratione conſuetudinis: nam conſuetudo dat juriſdictionem, *can. Conqueſtus. 9. q. 3. & c. Cùm contingat.* Juncta Gloſſa *fin. h. t.* Item ratione militiæ; ſic enim milites delinquentes puniuntur à Duce, ſub quo militant; *l. De militibus. ff. de Cuſtod. & exhibit. reor.* Item ratione negligentiæ Judicis ſæcularis; nam hæc poteſt ſuppleri per judicem Eccleſiaſticum, ſicque forum hujus acquiri, *c. Licèt ex ſuſcepto. 10. & c. Ex tenore. 11. h. t.* eſtque uberiùs jam declaratum *in l. 1. tit. 10 De ſupplenda negligentia Prælatorum §. 3. n. 44 & ſeqq.* Atque, ut plures alii tales modi taceantur, de quibus fusè agit Speculator *tit. de Competentis Judicis aditione. §. 1.* per totum.

184 Tandem ſortitur quis Forum ratione privilegii. Sic enim Studioſi coram ſuo rectore forum ſortiuntur, *Auth. Habita C. Ne filius pro patre &c.* Adeò quidem, ut etiamſi alibi deliquerint, aut debitũ contraxerint, quamdiu ſtudiorum cauſa alicubi reperiuntur, neutiquam ad locum delicti vel debiti ſint remittendi ne hac occaſione à ſtudiis avocentur, atque impediantur: ſed, ſi litem eis quiſpiam ſuper aliquo negotio movere voluerit, coram eorũ Rectore conveniri, quin etiã capti in loco delicti ad Magiſtratum Academicum remitti debeant; prout ampliùs tum *in cit. Auth. Habita*, tum in propriis ſingularum Univerſitatũ Privilegiis continetur. Atque hujuſmodi ſpeciale privilegium, & protectio, meritiſſimè Scholaribus conceſſum fuit, utpote *quorum* (inquit ibidem Imperator) *ſcientia totus illuminatur Mundus, & ad obediendum Deo & Nobis ejus miniſtris vita ſubjectorum informatur. Quis enim eorum non miſereatur, qui amore ſcientiæ exules facti, de divitibus pauperes, ſemetipſos exinaniunt, vitam ſuam multis periculis exponunt, & à viliſſimis ſæpè hominibus (quod graviter ferendum eſt) corporales injurias ſine cauſa perferũt?* Hactenus nova cõſtitutio Frid. Imperato-

ris, quæ refertur in *cit. auth. Habita. C. Ne filius pro patre &c.*

185 Huc accedit ſpeciale privilegium Clericorum, vi cujus non niſi coram Judice Eccleſiaſtico conveniri valent. Sed quia circa hoc plura, ſimulque notabiliſſima, atque uberiorem declarationem requirentia dubia occurrunt, meritò de ipſo in ſpecialibus Paragraphis agendum videtur; unde ſit

## §. IX.

## De Privilegio Fori Clericorum; & quo Jure proveniat?

### SUMMARIUM.

186 *Privilegium Fori, quid?*
187 *Eo gaudent Clerici.*
188 *Clericorum nomine qui hic comprehendantur? Et num. ſeqq.*
189 *Et qui, ſi materia ſit odioſa?*
190 *Etiam Monachi, Regulares, Moniales, ac Novitii gaudent Privilegio Fori.*
191 *Novitius grave crimen committens, coram Judice Eccleſiaſtico conveniendus eſt.*
192 *Etiamſi dimiſſo habitu redeat in ſæculum: quamvis nonnulli contradicant.*
193 *Quo Jure privilegium Fori competat Clericis, variant Doctores.*
194 195 196 197 198 199 *Refertur, ac probatur ſententia, volens, exemptionem Clericorum eſſe de jure duntaxat humano.*
200 *Et Authores, qui eam tenent, allegantur.*
201 202 203 204 205 206 207 *Refertur, ac multipliciter probatur ſententia, aſſerens, exemptionem Clericorum eſſe de Jure Divino, quin & naturali. Et num ſeqq.*
208 209 210 *Eadem ſententia confirmatur per textus Juris Canonici, apertè dicentes, exemptionem Clericorum perſonalem eſſe de Jure Divino.*
211 *Sicut & exemptionem Eccleſiarum, rerumque Eccleſiaſticarum, ſive immunitatem realem. Et num. ſeqq.*
212 *Nec ſufficit, jus Divinum in citatis textibus ſumere impropriè pro jure Canonico.*
213 *Aut pro jure Divino ſolùm originaliter, ac initiative. Et num. ſeqq.*
214 *Erubeſcimus ſine textu loqui.*
215 & 216 *Eadem ſententia probatur rationibus.*
217 *Ac referuntur Authores ipſam tenentes.*
218 *Certum eſt, quòd Clerici, Eccleſiæ, bonaque Eccleſiaſtica jure Divino ſint exempta quoad ea, quæ verè ſunt ſpiritualia, &c.*
219 *Et hujus ratio.*
220 *Probabilius eſt, quòd etiam in temporalibus jure Divino eximantur.*
221 222 223 224 225 *Solvuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. Et num. ſeqq.*
226 *Eccleſiæ & Clerici, de agris, ac poſſeſſionibus ſolvunt tributa, aliaque onera realia.*
227 *Quid de aliis tributis.*
228 *Privilegia circa Clericorum exemptionem non ſunt niſi juris declaratio.*
229 *Eccleſia, ſeu Papa, potuit moderari, ac limitare exemptionem Clericorum; & cur?*
230 *Extenſio privilegii Fori ad perſonas Regulares, facta eſt authoritate Eccleſiæ. Et num. 198.*
231 *Immunitas localis, ſeu jus Aſyli, competit Eccleſiis jure humano.*

186 QUæritur I. An Clericis competat Privilegium Fori, & qui nomine Clericorum hic veniant? Ubi per *Privilegium Fori* intelligitur illud, vi cujus quis exemptus eſt ab omni poteſtate, & juriſdictione Fori ſæcularis; adeò, ut non poſſit ampliùs à Judice ſæculari in judicium trahi, carcerari, vel puniri, ſed duntaxat ab Eccleſiaſtico. Quo prænotato

187 Reſp. I. Certum eſt, atque inter Catholicos indubitatum, quòd Clerici gaudeant Privilegio Fori, ſeu exemptionis à juriſdictione & poteſtate Fori Civilis; adeò, ut ipſi ad judicium Fori ſæcularis trahi non poſſint. Et quidem neque in cauſis criminalibus, *can. Nullus judicum, & can. Relatum, 11. q. 1. & c. At ſi Clerici, 4. de Judiciis*, cum concordantiis. Neque in cauſis Civilibus, *can. Benè quidem, diſt. 96. & can. In Canonibus, 16. q. 1. & c. Eccleſia Sanctæ Mariæ. 10. de Conſtitut. & c. Qualiter & quando. 17. de Judiciis, & c. Si diligenti, 12. de Foro comp. & Auth. Statuimus. C. de Epiſc. & Cleric.* cum ſimilibus; atque amplius ex dicendis in progreſſu patebit.

188 Reſp. II. *Clericorum* appellatione in præſenti materia veniunt omnes omninò Clerici: ſive ſint primæ duntaxat Tonſuræ, aut in Ordinibus minoribus conſtituti, *can. Cleros, diſt. 21. & c. Cùm contingat. de Ætate, & qualit. præfic.* dummodò habeant conditiones de Jure requiſitas, *c. ult. de Cleric. conjugat. in 6.* & Conc. Trid. *Seſſ. 23. c. 6. de Reform.* Sive ſint conſtituti in Ordinibus majoribus, *cit. can. Cleros. diſt. 21.* Aut etiam in Dignitate Eccleſiaſtica, *c. Cùm tibi, 18.* juncta Gloſſa *fin. de Verb. ſignif.*

189 Licèt enim in materia odioſa, vel ubi tractatur de pœna Clericis inferenda, ſeu de eorundem damno ac incommodo, appellatione *Clericorum* tantùm veniant ſimplices Clerici; non autem illi, qui in Dignitate Eccleſiaſtica conſtituti ſunt, niſi horum fiat ſpecialis mentio, *c. Sedes, 15. de Reſcript & c. Statutum, 22. de Elect. in 6. & cap. Quia periculoſum, 4. de Sentent. excomm. in 6.* Secùs tamen eſt in materia favorabili, qualis eſt hæc agens de Privilegio Fori Clericorum: illud enim meritò eſt extendendum, *c. Odia, 15. de Reg. Jur. in 6.* cum ſimilibus.

190 Reſp. III. Inſuper nomine *Clericorum* impræſentiarum veniunt Monachi, aliique Regulares Religionum ab Eccleſia approbatarum, tam Profeſſi, quàm Novitii, imò & Moniales, harumque Converſæ, & Novitiæ; ac proin omnes hæ perſonæ gaudent Privilegio Fori. Ita Felinus *in c. Licèt, n. 8. de Offic. Ordinar.* Barboſa *lib. 1. Jur. Eccleſ. univ. c. 39. §. 2. n. 40.* citans alios, eſt que communis. Nam omnes tales ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, ac Dei ſervitio, Diviniſque miniſteriis ſpecialiter deputatæ; atque ideò in materia favorabili (qualis hæc eſt) veniunt appellatione Clericorum; ut *can. Quiſquis inventus. & can. Si quis ſuadente. 17. q. 4.*

191 Atque ex his infertur, quòd ſi Novitius grave crimen committat (non ſolùm iſtud intelligendo de crimine contra Religioſam atque Eccleſiaſticam diſciplinam commiſſo; ſed etiam loquendo de crimine atroci, & cui capitalis pœna cæteroquin debetur, ut eſt homicidium &c.) is coram Judice Eccleſiaſtico, ſeu Prælato Religionis ſit conveniendus, non autem coram Judice ſæculari: quia jam gaudet Privilegio Fori, eſtque favore Religionis à Civili Poteſtate exemptus. Emmanuel Rodericus *tom. 2. Quæſt. Regul. q. 2. art. 10.* Aſcanius Tamburinus *tom. 3 de Jure Abbatum, diſp. 6. q. 28. n. 3.* Laurentius de Franchis *part. 2. quæſt. 46. n. 1.* & alii paſſim.

192 Quinimò multi Doctores hoc ampliant, atque intelligunt etiam in eo caſu, quo Novitius tempore Novitiatus graviter delinquens, poſtmodum dimiſſo habitu redit ad ſæculum: adhuc enim (inquiunt) talis propter delictum in Novitiatu commiſſum non per Judicem ſæcularem, ſed per Eccleſiaſticum duntaxat erit puniendus: nam quoad pœnas imponendas inſpicitur tempus commiſſi delicti, *L. 1. ff. de Pœnis.* Layman *lib. 4. Theolog. Moral. tr. 9. c. 4. n. 14. & c. 7. n. 5.* ubi hoc ipſum docet de Clerico Minoriſta, qui Privilegio Fori gaudens committit delictum, & poſtmodùm ducta uxore illud privilegium amittit; nam adhuc (inquit) de crimine illo ab Eccleſiaſtico, & non à ſæculari Judice, judicandus eſt. Barboſa *cit. n. 40.* Diana *par. 3. tr. 1. reſol. 34.* Aſcan. Tamburinus *cit. qu. 27. n. 6.* pluresque alii ab his relati; quamvis non pauci etiam oppoſitum teneant, ut Molina *tom. 4. de Juſt. tr. 3. diſp. 49. n. 24.* & Farinacius *lib. 1. tit. 1. de Inquiſitione. qu. 8. n. 46. Ampliat. 16.* & alii apud Farinacium, & Dianam, *ubi ſuprà*, relati.

193 Quæritur II. Quo jure competat Clericis Privilegium Fori? Reſp. Celebris eſt hæc controverſia, atque in ejuſdem reſolutione plurimum variant Doctores, qui generatim in duas extremas abeunt ſententias quarum una docet, exemptionem Clericorum à Poteſtate ſæculari, eſſe de jure naturali ac Divino; altera



verò ſententia priori contraria cenſet, dictam Clericorum exemptionem non eſſe de jure Divino obligante, ſed ſolùm de jure humano, ac per privilegia in Corpore utriuſque juris clauſa, ſeu per diverſas conſtitutiones, tum Imperiales, tum Canonicas Clericis conceſſam; quamvis Legi naturali ac Divinæ, in judicialibus veteris Legis adumbratæ, ſit valde conformis. Juvabit proinde utriuſque ſententiæ rationes præcipuas conſiderare.

194 Et quidem poſterior ſententia, volens, exemptionem Clericorum à Poteſtate Laicali eſſe de Jure duntaxat humana, ſuadetur imprimis ex eo: quia talem exemptionem eſſe de Jure Divino, neque ex Sacra Scriptura, neque ex Traditione Apoſtolica conſtat, quin potiùs inde oppoſitum deſumitur. Nam Chriſtus Dominus generaliter, & indiſtinctè docuit, atque præcepit *Matth. 22.* dicens: *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.* Imò, quod plus eſt, hoc ipſum opere complevit *Matth. 17.* ubi pro ſe, & Petro, juſſit ſolvi tributum, ſeu ſtaterem in ore piſcis repertum. Et quòd initio naſcentis Eccleſiæ Clericis fuerint ſubjecti Principibus ſæcularibus, deſumitur ex illo Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Unde etiam Paulus Apoſtolus ad Cæſarem appellaſſe legitur, *Actor. c. 25.*

195 Confirmatur iſthæc ſententia ex diverſis textibus Juris Canonici, ex quibus liquet, quòd primitiva Eccleſia ex agris ſuis tributa ſolverit Imperatoribus, ſicque hoc ipſo agnoverit, ſe non eſſe Jure Divino exemptam ab eorum poteſtate quoad res ſuas temporales, & cauſas civiles. Sic quippe *in can. Si tributum 11. q. 1.* allegatur S. Ambroſius, dicens: *Si tributum petit Imperator, non negamus: agri Eccleſiæ ſolvunt tributum.* Et in *can. Tributum 23. q. 8.* inquit Urbanus Papa: *Tributum in ore piſcis, piſcante Petro, inventum eſt: quia de exterioribus ſuis, quæ palam cunctis apparent, Eccleſia tributum ſolvit.* Et infrà hujus rationem reddendo, ſubjungit idem ſanctus Pontifex: *De exterioribus Eccleſia, quod conſtitutum antiquitus eſt pro pace & quiete, qua nos tueri, & defenſare debent, Imperatoribus perſolvendum eſt.* Ubi Gloſſa, ℣. *De exterioribus*, aliam adhuc allegat rationem, dicens: *Quia cum onere ad eam pervenit.* Nam res cum onere ſuo tranſit, *c. Cùm non ſit in homine 33. de Decimis.*

196 Probatur eadem ſententia compluribus textibus utriuſque Juris, quibus exemptio Clericorum attribuitur privilegiis. Sic quippe *in cap. ult. de Rebus Eccleſ. non alien.* expreſſè dicitur, quòd *Immunitatem Eccleſiaſticæ Libertatis non tantùm ſancti Patres, ſed etiam Principes ſæculares, privilegiis multis munierunt.* Et tale privilegium immunitatis per Imperatores conceſſum Eccleſiis, Clericis, & Monachis, circa Divina miniſteria occupatis, refertur *in can. In quibus & can. Secundùm canonicam 23. q. 8. & l. Generaliter 40. C. de Sacroſanct. Eccleſ.* cum ſimilibus. Unde exemptio Clericorum expreſſè vocatur Privilegium, *in Auth. Clericus quoque C. de Epiſc. & Cleric.* ibi: *Obſervatis Clericorum privilegiis.* Et ampliùs *in Auth. Statuimus C. eod.* ubi dicitur: *Statuimus, ut nullus Eccleſiaſticam perſonam in criminali quæſtione, vel civili, trahere ad judicium ſæculare præſumat contra Conſtitutiones Imperiales, & Canonicas Sanctiones*, cum concordantiis.

197 Accedit ratio: quia, ſi exemptio Clericorum foret de Jure Divino, non poſſet ea per Summum Pontificem minui, aut reſtringi: ſed conſequens nequit dici, eſtque contra praxim Eccleſiæ; uti liquet *ex cap. un. de Cleric. conjugat. in 6.* & Concilio Trident. *Seſſ. 23. de Reform: cap. 6.* ubi talis reſtrictio circa Clericos conjugatos, & Minoriſtas facta reperitur, atque iſtis eſt ademptum Privilegium Fori, niſi habeant conditiones ibidem requiſitas. Tacentur Clerici criminoſi, qui pariter ex conſtitutione SS. Canonum perdunt privilegium Fori, ut infrà §. 10. *n. 254. & ſeqq.* dicetur.

198 Deinde, quòd extenſio privilegii Fori ad Monachos, alioſque Regulares, & eorum Novitios, ipſaſque Moniales, ſit de ſolo Jure humano Eccleſiaſtico, vix negari poſſe videtur: nam dictum privilegium non competit, niſi illis, qui intrarunt religionem ab Eccleſia approbatam; talis autem approbatio, ſicut & ſolemnitas voti, ex ſola conſtitutione Eccleſiæ provenit, *cap. un. de Voto in 6.* ergo.

199 Tandem, quòd Immunitas localis Eccleſiarum, ſive Jus Aſyli ſit de ſolo Jure humano poſitivo, negari non poteſt, & paſſim traditur à Doctoribus, conformiter *c. Inter alia de Immunit. Eccleſ.* ubi dicta Immunitas refunditur, atque explicatur *juxta Sacrorum ſtatuta Canonum, & traditiones Legum Civilium*: ergo à ſimili idem dicendum videtur de exemptione, atque Immunitate perſonali Clericorum. Idque eò magis; quòd etiam Privilegium Canonis (quid ni ergo & Privilegium Fori) eiſdem ſolo Jure poſitivo humano, relato *in can. Si quis ſuadente 17. quæſt. 4.* competere dignoſcatur.

200 Et hiſce, aliiſque hujuſmodi de cauſis, multi Doctores cenſent, exemptionem Clericorum à juriſdictione ſæculari non eſſe de Jure Divino, ſed humano duntaxat; eò quod competat ipſis ſolum per Privilegia, & Conſtitutiones tum Canonicas, tum Imperiales: quamvis ipſam Juri naturali, & Divino, eſſe valdè conſentaneam, ob rationes illicò pro altera ſententia afferendas, ultrò fateantur. Et hujus ſententiæ eſt Covarruvias *Pract. Quæſt. cap. 31. Concl. 2.* Leſſius *lib. 2. de Juſt. & Jur. cap. 33. dubit. 4.* Joannes Medina *in Codice, de Reſtit. q. 15.* Molina *tract. 2. de juſtit. diſp. 31 concl. 1. & 2.* Caſtro Palao *tract. 12. ſeu de Religionis, punct. 1. n. 2. & 3.* Farinacius *tom. 1. lib. 1. tract. 1. de Inquiſitionib. q. 8. n. 2. limitat. 1. & 2.* pluresque alii à Barboſa *lib. 1. Jur. Eccleſ. univ. cap. 39. §. 2. n. 1.* pro hac ſententia relati; licèt plerique ipſorum eam intelligendam dicant de rebus Clericorum temporalibus, & criminalibus, non autem de ſpiritualibus: nam quoad ſpiritualia exemptionem à juriſdictione ſæculari eſſe inductam Jure Divino, gratis fatentur.

201 Poſterior econtrà ſententia, volens, exemptionem Clericorū eſſe de Jure Divino, quin & naturali, probatur multipliciter. Et quidem primò ex conſuetudine omnium Gentium: nam quod ubique veluti religioſum obſervatur, non niſi ex Jure naturali deſcendit: atqui Sacerdotum & Levitarum exemptio, apud omnes Nationes, non omninò barbaras, vigebat; ergo. Minor probatur inductione. Sic quippe obſervabatur in veteri Lege quoad Levitas Judaici Populi; ut patet ex *Num cap. 3.* ubi de his illud quoque celeberrimum Deus pronunciavit: *Eruntque Levitæ mei*, cum concordantiis. Idipſum ſub Artaxerxe Rege, licèt Gentili, quoad omnes Sacerdotes, & Miniſtros Domus Dei in Jeruſalem reædificandæ, obſervari mandabatur, *lib. 1. Eſdræ cap. 7. verſ. 24.* Item ſub Pharaone, Ægypti Rege, *Geneſ. c. 47.* ac refertur *in c. Non minùs 4. de Immunit. Eccleſ.* ubi idcircò graviter improperatur quibuſdam Chriſtianis Poteſtatibus ſæcularibus, quòd *deterioris conditionis factum ſub eis Sacerdotium videatur, quàm ſub Pharaone fuerit, qui Legis Divinæ notitiam non habebat.* Atque hoc ipſum circa Gentilium Sacerdotes olim obſervatum fuiſſe, cognoſci poteſt ex Ariſtotele *lib. 2. Oeconom* & Julio Cæſare *lib. 6. de Bello Gallico*, & Plutarcho in Camillo, & aliis.

202 Hoc ipſum Conſtantinus Magnus in prima Generali Synodo Nicena agnoviſſe videtur, dum in ea ante emanatum quodcunque aliud privilegium ſuper exemptione Clericorum, ad quorundam querelas coram ſe contra Clericos depoſitas, exclamavit: *Vos à nemine dijudicari poteſtis, quia ſolius Dei judicio reſervamini. Dii etenim vocati eſtis, & idcircò non poteſtis ab hominibus judicari.* Ita notanter refertur *in can. Futuram 12. quæſt. 1. & can. Continua 11. quæſt. 1.*

203 Accedit Juſtinianus Imperator, qui rationem exemptionum Clericorum in Jus naturale, ejuſque dictamen refundit, *in l. Sancimus 18. C. de Sacroſ. Eccleſ.* dicens: *Cur enim non faciemus diſcrimen inter res Divinas, & humanas? & quare non competens prærogativa Cœleſti favori conſervetur?*

204 Idque meritò: quia, licèt abſolutè non repugnet rationi, ut Clericus in rebus temporalibus ſubſit juriſdictioni ſæculari; id tamen repugnat in ordine ad officium Clericorum ritè adminiſtrandum. Turpiſſimum quippe foret, ſi Magiſtratus Epiſcopum corrigere, & punire poſſet, à quo ipſe corrigendus, & puniendus eſt: & ſi hodiè Epiſcopus ad ſuum tribunal vocaret Judicem laicum, cras autem Laicus ille vocaret ad ſe Epiſcopum. Sic enim periret omnis reverentia per Laicos Epiſcopis, & Sacerdotibus debita, ſi hos pro imperio coercere poſſent: & ordo ipſe naturæ perverteretur, ſi Paſtores ovibus, Parentes filiis, & ſpiritualia corporalibus ſubjicerentur. Bellarm. *cit.*

*cit. lib. 1. de Clericis, cap.* 30. Patet igitur, per rationes ex jure naturæ depromptas probari exemptionem Clericorum à juriſdictione ſæculari: jus autem naturæ non humanum, ſed Divinum eſt, cùm ab ipſius naturæ Auctore manaverit; ergo

205 Confirmatur eadem ſententia ex Sacra Scriptura. Sic quippe *Pſalm.* 104. dicitur: *Nolite tangere Chriſtos meos*: ideſt, Sacerdotes, qui Chriſti, id eſt, uncti, & conſecrati ſunt. Nec juvat dicere, hæc pertinere ad jus antiquæ Legis, quæ per Chriſti mortem fuit evacuata, & abrogata. Nam iſtud ſolùm verificatur in præceptis cæremonialibus, & judicialibus; non autem in moralibus, quale iſtud eſſe dignoſcitur, cum ſpectet ad directionem bonorum morum, ac præcavendam irreverentiam in Chriſtos Domini committendam. Ut taceatur illud S. Leonis Papæ *Serm. 8. de Paſſione Domini, poſt med.* (ac refertur in Breviario Romano, in Feſto Exaltationis S. Crucis,) ubi inquit: *Nunc etenim & ordo clarior Levitarum, & dignitas amplior Seniorum; & ſacratior eſt unctio Sacerdotum; quia Crux tua omnium fons benedictionum, omnium eſt cauſa gratiarum*. Hæc ille. Sed tacetur, cùm videatur loqui de præcellentia Cœleſtium gratiarum, quæ in novo Teſtamento ob merita Chriſti actu exhibita ampliores dantur, ac dabantur in veteri Teſtamento ex meritis Chriſti duntaxat prævisis.

206 Eandem ſententiam probat textus ex novo Teſtamento deprompius, & magis urgens ad propoſitum. Nam *Matt. c.* 17. Chriſtus quærebat ex Petro: *Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, vel cenſum, à filiis ſuis, an ab alienis?* Et illo Jus naturale explicante, ac reſpondente, *ab alienis*, ſubintulit Jeſus: *Ergo liberi ſunt filii. Ut autem non ſcandalizemus eos, da eis pro me, & te.* En verba Domini, luculenter oſtendentia exemptionem Clericorum! Qui enim nomine *liberorum* magis cenſendi ſunt, quàm Clerici, utpote ſpecialiter in ſortem Domini electi, præſertim quia Petrus tunc totius Eccleſiaſtici Status vicem gerebat, teſte D. Auguſtino *Serm. 6. de Verbis Apoſtoli*. Neque enim verba illa intelligi poſſunt de exemptione ſolius Chriſti, ceu veri Filii Dei. Nam illicò juſſit Chriſtus, ut ad vitandum ſcandalum Petrus inventum in ore piſcis ſtaterem daret pro utroque; ſicque uterque de jure exemptus dignoſcebatur: Chriſtus quidem: utpote filius Regis Regum: Petrus autem, veluti repræſentans Eccleſiam, Sponſam Chriſti, Eccleſiaſticaſque perſonas tanquam Domeſticos ejus, ac proin eadem prærogativa cum ipſo gaudentes; prout inferunt S. Hieron. *ibid.* & S. Auguſt. *lib. 1. Quæſt. Evangel. q.* 23.

207 Eadem ſententia confirmatur, ac probatur diverſis textibus Juris Canonici; quorum aliqui loquuntur de exemptione ipſorum Clericorum à juriſdictione ſæculari, ſeu de Immunitate eorum perſonali; alii verò de exemptione Eccleſiarum, rerumque Eccleſiaſticarum, ſeu de Immunitate reali: atque apertè dicunt, utramque hujuſmodi Immunitatem eſſe de Jure Divino.

208 Et quidem incipiendo à prioribus textibus Juris Canonici, apertè dicentibus, exemptionem perſonalem Clericorum eſſe Juris Divini; primus, & valdè notabilis continetur *in can. Si Imperator diſt.* 96. ubi habetur: *Non à Legibus publicis, non à Poteſtatibus ſæculi, ſed à Pontificibus & Sacerdotibus Omnipotens Deus Chriſtianæ Religionis Clericos & Sacerdotes voluit ordinari, & diſcuti*, hoc eſt, judicari. Ubi ponderandum ly, *Omnipotens Deus voluit*. Ponderandum inſuper, quòd verba illa, *ordinari, & diſcuti*, inter ſe æquiparentur: atqui in confeſſo eſt inter Catholicos, Ordinationem Clericorum & Sacerdotum ad ſolos Epiſcopos jure Divino pertinere; idem ergo dicendum de eorundem diſcuſſione. Unde Gloſſa ſingularis ibidem, ℣. *Et diſcuti*, concludit: *Ergo antequam eſſet aliqua Conſtitutio, etiam Clerici non erant de juriſdictione ſæculari: unde omnes Conſtitutiones, quæ emanaverunt, quòd Clerici non ſunt judicandi niſi ab Epiſcopis, non ſunt niſi juris declaratio*. Hæc Gloſſa.

209 Accedit *can. Sylveſter* 11. *q.* 1. ubi S. Gelaſius Papa graviter reprehendit factum cujuſpiam, Clericos ad ſæculare Judicium pertrahentis, illis verbis: *Et contra Leges Divinas, & publicas, pulſatis Clericis Forum ſuum putavit auferri*. Notandum ly, *contra Leges Divinas*. Item illud, quòd Pontifex ibidem proximè ſubjungit, mandans, ut in Epiſcoporum judicio, quiſquis ille eſt, qui Clericum laceſſit, adveniat: *Ut Eccleſiæ jura* (inquit) *quæ veteſti Principes aſſidua ſanctione firmaverunt, impetitis Clericis non negentur*. Si enim veteſti Principes aſſidua ſanctione firmarunt jura Eccleſiæ, ipſumque privilegium Clericorum: ergo iſtud non primùm ab ipſis conceſſum, ſed jam anteà præhabitum fuit, ex jure videlicet naturali, & Divino. Nam quod non eſt, non poteſt firmari, *can. Præceptis, diſt.* 12. *& c. Inter dilectos §. Cùm igitur de Fide inſtrument.* Cùm non entis nullæ ſint qualitates, *arg. c. Ad diſſolvendum*, juncta Gloſſa ℣. *Legitimè, de Diſpenſat. impub.*

210 Confirmatur idipſum *ex can. Relatum eſt*, 11. *qu.* 1. ubi de accuſantibus Sacerdotes apud Judicem Civilem, in fine ſubjungitur: *Taliter prævaricantes prævaricati ſunt in Deum ſuum, & non obediunt præceptis ejus*: & conſequenter illud jure Divino eſt prohibitum. His adde textus de Immunitate Eccleſiarum, rerumque Eccleſiaſticarum illicò afferendos; utpote qui etiam de exemptione Perſonarum Eccleſiaſticarum expreſſam faciunt mentionem, ſimulque in terminis dicunt, eam eſſe juris Divini. Itaque

211 Pergendo nunc ad poſteriores textus juris Canonici exemptionem Eccleſiarum, rerumque Eccleſiaſticarum, ſeu Immunitatem realem eſſe juris Divini, aſtruentes, probatur hoc imprimis ex *Can.* 39. (alias 37.) *Apoſtolorum, & can. Quiſquis Epiſcopus* 12. *q.* 2. Concilio Trident *Seſſ. 25. cap. 1. de Reform.* cum ſimilibus; ubi res Eccleſiaſticæ, utpote Deo dedicatæ, dicuntur eſſe Dei, illis verbis: *Quæ Dei ſunt*; ergo hoc ipſo ſunt exemptæ à juriſdictione merè Laicali, & quidem jure Divino, tanquam res Dei. Accedit textus expreſſus in *c. Quamquam de Cenſib. in* 6. ibi: *Cùm igitur Eccleſiæ, Eccleſiaſticæque perſonæ, ac res ipſarum, non ſolùm jure humano, quin & Divino, à ſæcularium perſonarum exactionibus ſint immunes*. Concordat *c. Nimis* 30. *de jurejurand.* ibi: *Nimis de jure Divino quidam Laici uſurpare nituntur, cùm viros Eccleſiaſticos, nihil temporale obtinentes ab eis, ad præſtandum ſibi fidelitatis juramenta compellant*. Unde & noviſſimè Concilium Trident. *Seſſ. 25. cap. 20. de Reform.* expreſſè conteſtatur, *Eccleſiæ & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem, Dei ordinatione, & Canonicis Sanctionibus conſtitutam*. Accedit *c. Non minùs 4. de Immunit. Eccleſ.* ac paulò ſuperiùs *n* 201. una cum nonnullis aliis huc attinentibus jam adductum.

212 Nec ſufficit, ſi dicatur, jus Divinum in allegatis ſumi duntaxat impropriè, videlicet pro ipſomet jure Canonico, quod in comparatione juris Civilis, quod *humanum* dicitur, appellatur *jus Divinum*; uti liquet *ex cap. 2. de Privileg. in 6. & can. Violatores* 25. *q.* 1. *& can. Celebritatem de Conſec. diſt.* 3. Nam contrà eſt: quia hæc reſponſio potiùs eſt voluntaria, & contra mentem verborum in citatis Canonibus contentorum extorta, ac ſubjectæ materiæ non conveniens; prout colligitur, ac probatur ex eo. Tum quia Concilium Tridentinum *loc. cit.* ſatis apertè *Dei ordinationem* contra diſtinguit *à Canonicis Sanctionibus*; & alioquin hæc poſterior particula ſuperflueret. Tum quia in allatis authoritatibus multoties additur, quòd hanc exemptionem voluerit *Omnipotens Deus*: &, quòd ipſam violans *agat contra Leges Divinas*; & prævaricetur *in Deum ſuum*, & *non obediat præceptis ejus*. Tales enim loquendi formulæ ſufficienter indicant, *jus Divinum* in allegatis Sacris Canonibus accipi propriè, videlicet pro eo, quod immediatè ac formaliter à Deo provenit; & non impropriè tantum, ſeu pro mero jure humano Canonico.

213 Nec pariter ſufficit reſponſio aliorum, aſſerentium, quòd Immunitas Eccleſiaſtica, atque exemptio Clericorum, dicatur eſſe de jure Divino, non immediatè ac formaliter, ſed ſolùm originaliter atque initiativè: quatenus Legi naturali valdè conformis eſt, atque à veteri Lege Divina *Num. cap. 1. verſ.* 49. *& cap.* 3. & alibi, fuit adumbrata, indeque originem duxit: prout in ſimili *c. Parrochianos* 14. *de Decimis*, dicitur, *quòd Decimæ non ab homine, ſed ab ipſo Deo ſint inſtitutæ*. Item *c. Tuæ* 25. *eod.* quòd Decimæ *Divina conſtitutione* debeantur; quas tamen, ſaltem quoad quotam ſpectatas, in Lege Evangelica ſolùm deberi de jure Eccleſiaſtico, paſſim tenent Doctores poſt D. Thomam 2. 2. *q.* 87. *a.* 1. Nam contrà eſt



trà eſt primò: quia Decimæ quoad ſubſtantiam ſpectatæ, ſeu ut ſerviunt ad neceſſariam ſubſtentationem Miniſtrorum Eccleſiæ, propriè ac immediatè ſunt de jure naturali ac Divino, juxta Doctorem Angelicum *l. c.* & communem aliorum, ergo retorquendo argumentum, idem erit dicendum de Immunitate Eccleſiaſtica, Clericorumque exemptione quoad ſubſtantiam ſpectata; quamvis hæc poſteà multum ſubſit moderationi Eccleſiæ, quæ pro rerum exigentia, juſtiſque de cauſis, ipſam reſtringere, ac limitare valeat.

214 Contrà eſt ſecundò: quia dicta reſponſio, ſive diſtinctio, in nullo jure fundatur: atqui, *Erubeſcimus ſine textu loqui*, juxta illud vulgatum inter Juris-Conſultos, & liquet ex *Auth. de Triente & ſemiſſ. §. Conſideremus. Collat.* 3. ubi proin Gloſſa ℣. *Erubeſcimus* notandum inquit, non valere reſponſionem, quæ Lege non probatur: & Baldus *c. In Geneſ n. 10. de Election.* ait quòd *Paria ſint, aliquid fieri ſine Lege, & contra Legem*.

215 Confirmatur, & probatur eadem ſententia ratione. Quia in Eccleſia Dei duo ſunt genera Chriſtianorum, unum eſt Clericorum, Divino ſervitio ſpecialiter mancipatorum; alterum Laicorum, qui temporalia tractant, *c. Duo ſunt genera* 12. *q.* 1. Simulque ex Divina inſtitutione duplex in Eccleſia Dei datur poteſtas, Pontificalis videlicet, ſeu Eccleſiaſtica, & Regalis, ſive Civilis, *c. Novit. de Majorit. & obed. & Extravag. Unam ſanctam eod.* quarum illa, veluti ſpiritualis, tantò dignior eſt altera, ſeu temporali duntaxat, quantò anima præfertur corpori, prout ibidem notatur: Atqui jure naturali ac Divino notum eſt, quòd anima non ſit ſubjecta corpori, ſed veluti nobilior pars hominis actiones ipſius moderetur; ergo etiam eodem jure (ſuppoſita ſemel inſtitutione Divini Ordinis Clericalis) Poteſtas Eccleſiaſtica, Statuſque Clericalis, non ſubjicitur, ſed exemptus eſſe dignoſcitur à juriſdictione Poteſtatis Sæcularis: ita quidem, ut veluti ſuperior, cùm opus fuerit, hanc dirigere, judicare, & coercere poſſit; non autem ab ipſa dirigi, judicari, vel coerceri.

216 Accedit, quòd Clerici dignitate, gradu, & ordine, in Eccleſia ſint ſuperiores; Laici verò inferiores, *can. Denique diſt.* 4. *& c. Solitæ de Majorit. & obedien.* & alibi: atqui jure naturali notum eſt, quòd inferior non habeat poteſtatem, ac juriſdictionem in Superiorem. Inſuper Poteſtas Eccleſiaſtica fuit à Chriſto Domino in Lege Evangelica ſupernaturaliter conſtituta, & D. Petro, ſuo in terris conſtituto Vicario, ejuſque legitimis Succeſſoribus, ac per hoc cæteris Sacerdotibus, & Clericis in partem ſollicitudinis vocatis, non autem Principibus Laicis commiſſa, *can. In novo diſt.* 21. *& can. Benè quidem ac ſeqq. diſt.* 96. *& d. c. Solitæ de Majorit. & obed.* cum ſimilibus: ergo pariter ipſorum exemptio à juriſdictione ſæculari, ſive Immunitas perſonalis, ex ipſamet Chriſti inſtitutione, ſicque ex jure Divino promanaſſe dignoſcitur. Idque eò magis: quia Clerici & corpus & animam in ſortē Domini tranſtulerunt, Deique ſervitio peculiariter dedicarunt, *can. Cui portio* 12. *qu.* 1. Neque munere ſuo ritè fungi poſſent, niſi liberi eſſent ac immunes à juriſdictione Civili; cùm Clericis Laicos eſſe infeſtos, oppido tradat antiquitas, *can. Laicos 2. q. 7. & c. Clericis de Immunit. Eccleſ. in* 6.

217 Et hanc ſententiam amplectitur Gloſſa *in can. Si Imperator diſt.* 96. ℣. *Et diſcuti*. Hoſtienſis *in cap.* 2. & Baldus *ibid. n. 3. de Majorit. & obed.* Abbas *in c. Eccleſia ſanctæ Mariæ num. 6. de Conſtitut.* Robertus Bellarminus *lib. 1. de Clericis, cap.* 29. & 30. fusè eam propugnans. Alexander Sperellus *Deciſ. 37. Fori Eccleſiaſtici n.* 1. allegans plures alios, tum Theologos, tum Canoniſtas; & ſubjungens, quòd hæc ſententia fuerit canonizata à Rota *in Deciſ. 10 n. 2. de Conſuetud. in antiquiorib.* Martha *de Juriſdict. part. 2. c. 6. per totum*. Julius Clarus *in Pract. Crimin. §. fin. q. 36. n. 2.* aſſerens poſt Alciatum *in c. Cùm non ab homine n. 2. de Judic.* & alios, hanc eſſe communem opinionem. Barboſa *lib. 1. Jur. Eccleſ. univ. cap. 39. §. 2. n. 5. & ibid. §. 5. n. 3.* citans plurimos alios. Layman *lib. 4. tr. 9. cap. 8. n. 1.* Fagnanus *in c. Eccleſia ſanctæ Mariæ n. 10 & ſeqq. de Conſtitut.* dicens, quòd *crebrior graviſſimorum Interpretum ſententia eſt, eam exemptionem eſſe de Jure Divino*. Pirhing *h. t. n. 107. & ſeqq.* ubi, cùm utriuſque ſententiæ fundamenta præmiſiſſet, tandem *n. 112. in fin.* concludit, quòd hæc ſententia ſit *communior Canoniſtarum, Jurique Canonico conformior; & Statui Clericorum favorabilior, ac melioribus nitatur fundamentis, & meritò præferenda ſit*. Engel *h. t. n.* 38. & alii.

218 Quæritur III. Quid in tanta ſententiarum diverſitate, rationumque conflictu, præ cæteris ſit tenendum? Reſp. I. Certum eſt, quòd Clerici (quin & Eccleſiæ, bonaque Eccleſiaſtica) Jure Divino ſint exempta quoad ea, quæ verè ſunt ſpiritualia, Divina, ſeu Eccleſiaſtica; uti ſunt, Sacramenta adminiſtrare, ſacra munia officiaque Eccleſiaſtica obire, interpretari Verbum Dei; pœnas Canonicas ſancire, aut remittere, vel in his diſpenſare, examinare, eligere, & inſtituere idoneos Eccleſiæ Miniſtros; de dubiis circa Fidem, Sacramenta, Beneficia Eccleſiaſtica, aliaſque res ſacras & ſupernaturales occurrentibus judicare, & alia hujuſmodi præſtare, ad quorum cognitionem, ſeu executionem, ſupernaturalis cognitio requiritur, ſicque ad ſolam Poteſtatem Eccleſiaſticam privativè pertinent. Ita omnes Catholici; adeò, ut in hoc conveniant omnes utriuſque ſententiæ Aſſertores, ut notat Barboſa *cit. cap. 39. §. 2. n. 5.* ac in ſpecie Covarruvias *cit. cap. 31. Tract. Quæſt. n. 2. Concl.* 1. & Caſtro Palao, ac Farinac. ſuprà *n. 200.* citati.

219 Ratio eſt: quia Poteſtas Eccleſiaſtica, quæ circa jura ſpiritualia verſatur, ſupernaturaliter à Deo inſtituta fuit, ac per Chriſtum Dominum in Lege Evangelica immediatè tradita D. Petro, & ejus legitimis Succeſſoribus, ac per hos inferioribus Clericis, non autem Principibus ſæcularibus; ergo. Antecedens patet ex illis verbis Salvatoris *Matth.* 16. ad Petrum Apoſtolorum Principem prolatis: *Tibi dabo Claves regni cælorum: & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*. Item Joan. cap. 21. *Paſce oves meas*, cum ſimilibus. Accedit: quia Jure Divino Poteſtas Eccleſiaſtica eſt diſtincta à Civili, ſeu Politica; & hæc illi comparata longè eſt inferior, quàm ſi plumbi metallum ad auri fulgorem comparetur; *c. Duo ſunt quippe diſt.* 96. Et quanta eſt differentia inter Solem & Lunam, tanta eſt inter Poteſtatem Pontificiam, quæ præeſt diebus, ſeu ſpiritualibus: & inter Poteſtatem Regalem, ſeu Politicam, quæ præeſt noctibus, ſeu temporalibus, *c. Solita de Majorit. & obed.* Tacentur ſimilia.

220 Reſp. II. Probabilius eſt, Jurique conformius, quòd Clerici, Eccleſiæ, bonaque Eccleſiaſtica, etiam in temporalibus Jure Divino à Civili Poteſtate ſint exempta. Concluſionem hanc convincere videntur tum authoritates, tum rationes pro poſteriori ſententia à *n.* 201. & deinceps allatæ, ac pondere ſuo rationes prioris ſententiæ multùm excedentes. Accedit, quòd eadem ſententia Immunitati Eccleſiæ, Statuique Clericali favorabilior exiſtat: unde vel ex hoc capite potiùs amplectenda, & perſeverante inter Doctores controverſia, pro viribus defendenda nobis erit, ad imitationem Doctoris Subtilis Jo. Duns Scoti *in 3. diſt. 14. q. 4. § Quantum ad ſecundam quæſtionem*, ubi in ſimili notabiliter pronunciavit; *In commendando Chriſtum* (Statumque Clericalem ab eodem inſtitutum) *malo excedere, quàm deficere à laude ſibi debita, ſi propter ignorantiam oporeet in alterutrum incidere*. Eadem ſententia ſuadetur ex hoc, quia ex una parte omnino concedendum eſt, exemptionem Clericorum etiam in temporalibus aliqua ratione eſſe de Jure Divino, propter clariſſimos textus Juris Canonici; *n.* 208. 209. 210. 211. relatos: ex altera parte nulla ratio convincit, dictos textus eſſe impropriè accipiendos, prout liquet tum ex dictis *n.* 212. *& ſeqq.* tum ampliùs patebit ex ſolutione rationum pro altera ſententia ſuperiùs allatarum.

221 Et quidem imprimis, dum *n.* 194. dicitur quòd nec ex Sacra Scriptura, neque ex Traditionibus conſtet, exemptionem Clericorum eſſe de Jure Divino. Reſp. neg. aſſumptum, ob authoritates, & rationes in favorem noſtræ ſententiæ copioſè adductas, juncta præſertim declaratione Eccleſiæ in jam citatis Canonibus contenta: hæc enim omnia in ſimul ſumpta, licèt necdum noſtram ſententiam convincant eſſe Fide Divina credendam, ſicque adhuc ſit locus diſputationi inter Theologos & Canoniſtas; eam tamen reddunt valdè probabilem, & multum probabiliorem contraria. Dum verò additur, quòd ex iſ-

ex iiſdem, videlicet Sacra Scriptura & Traditionibus, potiùs habeatur oppoſitum, id omnino negatur.

222 Neque urgent ibidem adducta Sac. Scripturæ loca. Ad illud quippe *Matth.* 22. ubi Chriſtus, interrogatus, num liceat cenſum dare Cæſari, audita hujus imagine, & ſuperſcriptione appoſita, dixit: *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*: facilè reſpondetur, ipſum locutum fuiſſe de Laicis, utpote in ordine ad quos interrogabatur. Et quia illicò adjecit: *Et quæ ſunt Dei, Deo*: Bona autem Eccleſiarum, Clericorum, & pauperum uſibus deputata, *ſint res Dei*, juxta dicta *n.* 211 hinc textus ille Evangelicus in oppoſitum urget, probando videlicet, juxta Salvatoris Effatum, & ſic Jure Divino, ejuſmodi Bona Eccleſiaſtica eſſe reddenda Deo, ſeu in pios uſus eroganda; non autem ſubjacere juriſdictioni, atque exactionibus Cæſaris, ſeu Principum ſæcularium.

223 Ad illud *Matth.* 17. ubi Chriſtus pro ſe, ac Petro, juſſit ſolvi tributum, reſpondetur, id factum eſſe ſcandali vitandi cauſa; uti patet ex ipſomet textu Evangelico, ibi: *Ut autem non ſcandalizemus eos, vade &c.* Imò ex hoc ipſo loco Doctores noſtræ ſententiæ fortiſſimum pro ſe formant argumentum, ut jam ſuprà *n.* 206. declaratum fuit.

224 Ad illud *Rom.* 13. ac nonnullos alios conſimiles textus Sac. Scripturæ reſpondetur, ibi ſolùm dici, quòd generatim omnes homines, etiam Clerici, debeant ſubditi eſſe legitimis ſuis Superioribus, eiſque debitam reverentiam & obedientiam exhibere: nullibi autem dici, quòd Reges ſæculi ſint legitimi Superiores, ac Judices Clericorum. Alioquin quippe oves Paſtoribus, filii Parentibus, ac temporalia ſpiritualibus præeminerent. Bellarmin. *cit. lib.* 1. *de Clericis*, *cap.* 30. §. *Quarto*, & concordat *c. Solitæ de Majorit. & obed.*

225 Nec urget exemplum S. Pauli, appellantis ad Cæſarem; *Actor.* 25. Nam ibidem Paulus Apoſtolus fuit Actor contra Feſtum Judicem injuſtè ſe gravantem, ac Judæis tradere volentem: eſt autem generale, quòd Actor ſequatur forum Rei, *c. Cùm ſit generale h. t.* cum ſimilibus. Unde etiam defactò Clericus agens contra Laicum in cauſa temporali, tenetur ipſum convenire coram Judice ſeculari. Tacetur, quòd illis temporibus Eccleſia nondum habuerit plenum uſum, atque exercitium ſuæ poteſtatis ac juris, ſed tantùm quoad habitum & originem.

226 Ad confirmationem, & diverſos textus Juris Canonici *n.* 195. allatos, reſpondetur, pleroſque Canones, in quibus dicitur, primitivam Eccleſiam ex agris, ſeu de exterioribus ſuis, ſolviſſe tributum, commodè explicari de tributis, aliiſque oneribus merè realibus, quæ ab antiquo bonis illis impoſita fuerunt, ſicque cum onere ſuo ad Eccleſiam pervenerunt, ut loquitur Gloſſa ibidem allegata: ex hoc autem nihil ſequitur contra noſtram ſententiam. Quinimò etiamnum hodie Eccleſiæ, atque Clerici, aliæque perſonæ Eccleſiaſticæ, de agris, ac exterioribus ſuis poſſeſſionibus, id quod antiquitus conſtitutum fuit (hoc eſt, tributa, aliaque onera realia) pro pace & quiete, qua eos tueri & defenſare debent, Imperatoribus, aliiſque Principibus ſæcularibus perſolvere tenentur, *can. Tributum* 23. *qu.* 8. atque incunctanter ſolvunt, *cap.* 1. juncta Gloſſa, *verſ. Præter Eccleſiaſticum de Cenſib. & Clem.* 1. *eod.* haud obſtante, quòd nunc indubitatè conſtet de privilegio Fori ipſis competente.

227 Quòd ſi nonnulli Canones velint, Eccleſiam olim de agris ſuis alia etiam tributa ſolviſſe: reſpondetur, id ſub initio naſcentis Eccleſiæ, atque ad exemplum Chriſti Domini, Didrachma ſolventis pro evitando puſillorum ſcandalo, *Matth.* 17. obſervatum fuiſſe, non de jure, ſed defacto: quia tunc Clerici ipſæque Eccleſiæ, Principibus ſæcularibus etiamnum Paganis quoad hoc parere debebant, ne Chriſtiana Fides ac Religio majus damnum pateretur. Pirhing *h. t. n.* 112. Quinimò in publicis neceſſitatibus, ac ſervatis ſervandis, quæ continentur *in c. Non minus* 4. *& c. Adverſus* 7. *& Clem. un. de Immun. Eccleſ.* etiam defactò Clerici præſtant Laicis extraordinaria ſubſidia, ſeu novas collectas, abſque ulla ipſorum ſubjectione ad iſtos.

228 Ad alios textus juris *num.* 196. relatos, in quibus exemptio Clericorum attribuitur Privilegiis, & Conſtitutionibus tum Canonicis, tum Imperialibus. Reſp. cum Gloſſa *in can. Si Imperator diſt.* 96. quòd hujuſmodi Privilegia, & Conſtitutiones, quæ emanarunt circa Clericorum exemptionem, *non ſunt niſi juris declaratio*: hoc eſt, non continent Jus novum, ſed duntaxat Juris antiqui, naturalis videlicet ac Divini, declarationem. Nam, ut inquit Alex. Sperellus *cit. deciſ.* 37. *Fori Eccleſiaſt. n.* 1. poſt Rotam *deciſ.* 10. *n.* 2. *de Conſuetud. in antiquiorib* & Suarez *in Defenſ. Fidei Catholicæ l.* 4. *c.* 8. *n.* 9. *& ſeqq.* dicta Immunitas Clericorum, quæ immediatè ac propriè eſt de Jure Divino poſtmodum à Jure Canonico, declarante Jus Divinum, detecta fuit, & quoad uſum atque exercitium à Principum Orthodoxorum Sanctionibus emanata, & ſtabilita: ſicque poteſt dici eſſe de Jure humano poſitivo quoad declarationem, confirmationemque, & quoad uſum ac exercitium ejus (hæc enim proximè habentur ex Canonicis Conſtitutionibus, & Imperialibus Privilegiis) non autem ſecundùm ſe, ac propriè: ſic enim immediatè provenit ex Jure Divino.

229 Ad rationem *n.* 197. in favorem prioris ſententiæ allatam, negatur ſequela. Licèt enim exemptio Clericorum, ipſaque Immunitas Eccleſiaſtica; ſecundùm ſe ac generatim ſpectata, ſit Juris Divini, tum naturalis, tum poſitivi, ac per Eccleſiam declarati: nihilominùs quoad caſus individuales, ſeu quantùm ad ejus executionem in particulari, ejuſdem determinatio ac moderatio pertinent ad judicium, atque ordinationem Eccleſiæ, Chriſtique in terris Vicarii Romani Pontificis, *arg. c. Inter corporalia de Translat. Epiſc.* Ubi dicitur, quòd Romanus Pontifex, Chriſti Vicarius, poſſit etiam ſpirituale conjugium, inter Epiſcopum & Eccleſiam contractum, ac Divino ſolùm judicio reſervatum, propter ejus translationem, depoſitionem, aut ceſſionem diſſolvere: *Non enim* (ait textus tunc) *humana, ſed potiùs Divina poteſtate conjugium ſpirituale diſſolvitur*. Simile quid contingit in Reſidentia Clericorum in Beneficiis curatis, quam eſſe Juris Divini paſſim fatentur Doctores, conformiter Concilio Trident. *Seſſ.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* & tamen quoad caſus particulares plurimas à Sacris Canonibus, & Sede Apoſtolica, patitur moderationes, diſpenſationes, ac limitationes. Tacetur, quòd ipſummet Præceptum naturale, ac Divinum Decalogi, *Non occides*, patiatur limitationem in caſu Belli legitimâ authoritate indicti, vel quando authoritate publica occiduntur maleſactores, cum aliis ſimilibus.

230 Ad extenſionem privilegii Fori in ordine ad Monachos, & Moniales, patet per idem. Licèt enim hujuſmodi extenſio, ob favorem Religionis, aliiſque graviſſimis de cauſis, ad hujuſmodi perſonas Regulares facta fuerit authoritate Eccleſiæ: ipſum nihilominùs privilegium exemptionis jam in antea competebat Statui Clericali, per jura & fundamenta ſuperiùs allata.

231 Porrò Immunitatem localem Eccleſiarum, vulgò *Jus Aſyli*, non competere, Eccleſiis, aliiſque piis Locis, Jure Divino, ac naturali; ſed duntaxat Jure humano poſitivo, tum Eccleſiaſtico, tum Imperiali: fatetur quidem Communior Doctorum, atque egometipſe docui *in Theologia Morali. Tract.* 12. *Diſt.* 2. *n.* 2. *& ſeqq.* exinde tamen nihil infertur contra Concluſionem noſtram. Tum quia Immunitas localis jam gaudet alio privilegio ſibi competente ex Jure naturali, ac Divino; videlicet, ut actus profani, ac merè ſæculares, à Locis ſacris arceantur. Tum quia Jus Aſyli eſt valdè diverſum ab Immunitate reali, & perſonali: ex diverſis autem non valet illatio ab uno ad aliud, *l. Duobus ff. de Teſtam. tutel.* Card. Tuſchus *Litt. A. concl.* 510. *n.* 2. id ulteriùs probans *ex l. Papinianus ff. de Minorib.*

## §. X.

## Alia Dubia circa Privilegium Fori Clericorum ſolvuntur.

*S U M M A R I U M.*

232 *Privilegium Fori Clericorum, an poſſit tolli à Papa? Et num. ſeqq.*

233 *Papa nequit diſpenſare, aut immutare Jus, quando inde reſultat decoloratio ſtatus Eccleſiæ univerſalis.*

*Nec privilegium Fori Clericorum ex toto tollere, ibid. & num. præced.*

234 *Benè*



234 *Benè tamen in cauſis particularibus, ob rationes valdè urgentes, immutare.*

235 *Atque ita defactò contingit. Et num. ſeqq.*

236 *Privilegium Reipublicæ Venetæ procedendi contra Clericos; refertur.*

237 *Laicus qualiter ex conceſſione Papæ poſſit procedere contra Clericos?*

238 *Solvitur alia inſtantia.*

239 *Privilegia procedendi contra Clericos, per Bullam Cœnæ revocantur.*

240 *Non valet conſuetudo, ut Clerici coram Judice ſæculari conveniantur in criminalibus.*

241 *Nec etiam, ut in civilibus.*

242 *Clericus nequit renunciare privilegio Fori.*

243 *Solvuntur inſtantiæ. Et num. ſeqq.*

244 *Privilegium Fori non eſt beneficium perſonale, ſed toti Collegio Eccleſiaſtico indultum.*

245 *Pacto privatorum, an juri publico derogetur? Et n. 243. & 247. & ſeqq.*

246 *Privati, qui dicantur?*

247 *Jus publicum tripliciter diſtinguitur.*

248 *Mulier poteſt renunciare S. C. Velleiano; non autem filius familias S. C. Macedoniano; & cur?*

249 *Clericus Actor debet convenire Laicum coram Judice ſuo ſæculari.*

250 *Regula de privilegio Fori Clericorum, plures patitur fallantias.*

251 *I. In cauſis feudalibus.*

252 *II. In Clericis conjugatis; & quando?*

253 *III. In Clericis Monaſterii, nullam ex requiſitis conditionem habentibus.*

254 *IV. In Clericis hiſtrioniam exercentibus.*

255 *V. In Clerico ter admonito, & incorrigibili.*

156 *VI. In Clericis crimen Aſſaſinii committentibus.*

157 *VII. In Clericis, qui ſe immiſcent enormitatibus.*

258 *Refertur circa hoc Declaratio Sac. Congregationis Concilii Trident.*

259 *Alii caſus, in quibus amittitur privilegium Clericale. Remiſſivè.*

260 *Clerici nequeunt privilegio Clericali renunciare verbo, benè tamen facto.*

261 *Seu, non expreſſè; benè tamen tacitè, ac juris miniſterio.*

262 *Suſcipiens ſtatum Clericalem, vel Monachalem, an circa anteà geſta gaudeat privilegio Fori? Et num. ſeqq.*

*Re adhuc integra gaudet. Ibid.*

263 *Si res non ampliùs eſt integra, variant Doctores. Et num. ſeqq.*

264 265 & 266 *Loquendo de cauſis civilibus, ſi Judex ſæcularis citatione prævenit, poteſt is cauſam proſequi, &c.*

267 *In cauſis criminalibus eſt diſtinguendum, an Laicus poſt commiſſum crimen aſſumpſerit Clericatum ſine fraude, an in fraudem.*

268 *Idque probatur.*

269 & 270 *Laicus criminoſus, quando cenſeatur in fraudem aſſumpſiſſe ſtatum Clericalem?*

271 *Requiritur declaratio Judicis Eccleſiaſtici ſuper fraude commiſſa &c.*

272 *Hac ſecuta poteſt Judex laicus procedere contra ejuſmodi Clericum, eumque punire pœna pecuniaria, non verò corporali, donec fuerit degradatus.*

273 *Quid juris, ſi ſuper Clericatu maleſactoris, per Judicem laicum capti, & dicentis ſe eſſe Clericum, oriatur quæſtio? Et num. ſeqq.*

274 *Cognitio hujus cauſæ ſpectat ad Judicem Eccleſiaſticum.*

275 *Vocato tamen Judice ſæculari, vel alio cujus intereſt.*

276 *Maleſactor ille ſtante dubio debet remanere penes Judicem laicum, qui tamen tenetur ſuperſedere à quovis proceſſu contra eum.*

*Quæſtio Clericatus eſt præjudicialis. Ibid.*

277 *Quid, ſi conſtet maleſactorem illum eſſe Clericum? Aut is communi exiſtimatione habitus fuerit pro Clerico? Ibid.*

278 & 279 *Vel fuerit deprehenſus in habitu Clericali?*

280 *Aliæ quæſtiones circa privilegium Fori Clericorum. Remiſſivè.*

Quæritur I. Utrùm exemptio Clericorum, ſive privilegium Fori, poſſit tolli à Sum. Pontifice? Reſp. 232
I. Quamvis Papa ex toto, ac ſimpliciter, privilegium Fori tollere non poſſit, caſſando videlicet illud quoad omnes Clericos, omneſque eorum cauſas: nihilominus poteſt illud ex rationibus valdè urgentibus, pro diverſitate temporum, & variarum circumſtantiarum exigentia, quoad certas perſonas, cauſas, aut loca reſtringere, atque immutare: Ita Doctores communiter, tam illi, qui exemptionem Clericorum aſſerunt eſſe de Jure Divino, quàm qui hoc negant; licèt, quantùm ad poſteriorem partem, Covarruvias *Pract. Quæſt.* 31. *n.* 6. Farinac. *lib.* 1. *Criminalium, tit.* 1. *de Inquiſitione, q.* 8. *n.* 4. Caſtro Palao *tr.* 12. *de Religione, punct.* 1. *n.* 7. & alii, benè obſervent, iſtud poſſet faciliùs fieri quoad Clericos primæ Tonſuræ, quam quoad Clericos in Sacris conſtitutos.

Ratio prioris partis eſt: quia, licèt Papa *ſecundùm plenitudinem poteſtatis de jure poſſit ſupra jus diſpenſare*, illudque ex cauſa rationabili denuò revocare, *c. Propoſuit* 4. *de Conceſſ. Præbend.* non tamen poteſt hoc facere, quando ex tali diſpenſatione, ſeu immutatione, decoloraretur ſtatus Eccleſiæ univerſalis: ut docet Gloſſa *ibid.* ℣. *Diſpenſare*, id probans *ex can. Memor ſum*, 24. *q.* 1. & Abbas *in cit. c. Propoſuit*, *n.* 14. hoc ulterius probans *ex can. Et ſi illa* 1. *q.* 7. Archidiaconus *in can. Sunt quidem*, 25. *q.* 1. & alii. Siquidem poteſtas eſt tradita Papæ à Deo in ædificationem, & non in deſtructionem Eccleſiæ 2. *Corinth. cap.* 10 *&* 13. ac proinde, quod rectæ ejus gubernationi contrariatur, ſtatumque Eccleſiæ univerſalis decolorat, ac deturpat, cenſetur de jure impoſſibile, *l. Filius qui*, *ff. de Conditionib. Inſtitut.* Atqui decoloraretur ſtatus Eccleſiæ Univerſalis, ſi privilegium Fori ſimpliciter, ac ex toto tolleretur: ſic enim ſpiritualia temporalibus, Divina terrenis, Eccleſiaſtica politicis, Superioreſque inferioribus, & Paſtores ſubjicerentur ovibus, harumque judicio committerentur, & hac ratione omnia ſuſque deque verterentur. 233

Altera pars probatur ratione, à contrario deſumpta: nam ex eo, quòd Papa in cauſis particularibus, aut quoad certas duntaxat perſonas ex rationibus valdè urgentibus diſpenſando, declarando, vel ordinando, quidpiam immutet circa exemptionem Clericorum, neutiquam decoloratur ſtatus Eccleſiæ Univerſalis. Quinimò talis poteſtas in Summo Pontifice (qui non puri hominis, ſed veri Dei vicem gerit in terris, *c. Quanto de Translat. Epiſc.*) pro ipſarum Eccleſiarum neceſſitate, atque utilitate requiritur; prout in ſimili dici ſolet de poteſtate diſpenſandi in votis, juramento, Reſidentia Curatorum, & aliis ſimilibus. 234

Hoc ipſum, videlicet, quòd ex cauſa valde urgente, ac rationabili fieri poſſit, quin & defactò facta fuerit quædam reſtrictio, ac limitatio privilegii Fori, ſeu exemptionis Clericorum quoad certas perſonas, cauſaſque particulares, probatur inductione. Sicque contingit in Clericis conjugatis non habentibus debitas conditiones, *in cap. ult. de Cleric. conjugat. in* 6. requiſitas Item in Clericis Minoriſtis, qui nullam habent conditionem ex requiſitis à Concilio Trident. *ſeſſ.* 23. *c.* 6. *de Reform.* Ac etiam in Clericis incorrigibilibus; prout ampliùs ex dicendis in progreſſu patebit. Nam ex eo, quòd talibus auferatur privilegium Fori, quo ſe vel ob commiſſa crimina reddunt indignos, vel ſaltem ob defectum requiſitarum conditionum minus dignos, non ſolùm non deturpatur, ſed potiùs conſervatur ſtatus Eccleſiæ Univerſalis. 235

Inſuper quòd Papa poſſit ex gravibus motivis cuipiam ſæculari Judici, vel Principi concedere, ſeu delegare poteſtatem cognoſcendi certas cauſas Clericorum; tenet Gloſſa *in can. Benè quidem*, *verſ. Præter Romanum*, *diſt.* 96. Abbas *in c. Eccleſia S. Mariæ*, *n.* 6. & Felinus *ibid n.* 6. *de Conſtitut.* Fagnanus *in c. Pernicioſam n.* 59. *de Offic. Ordinar.* dicens, hanc eſſe communem opinionem. Julius Clarus *lib.* 5. *Criminal.* §. *fin. q.* 41. *n.* 8. & Farinacius *cit. lib.* 1. *tit.* 1 *q.* 8. *n.* 4. allegans alios. Atque ex his Gigas *lib.* 1. *de Crimine læſæ Majeſtatis Tit. Quis de crimine læſæ Majeſtatis cognoſcere poſſit n.* 20. & 21. teſtatur, ſe vidiſſe, & legiſſe privilegia Reipublicæ Venetorum à Sede Apoſtolica conceſſa, vigore quorum in atrocioribus criminibus, ut putà læſæ Majeſtatis, Falſæ monetæ, ac nefandæ Sodomiæ, poſſint procedere 236

contra

contra quoſcumque Clericos, etiam in Sacris conſtitutos: Et dictum privilegium à Clemente VII. Reipublicæ Venetæ conceſſum, ex parte adducit Fagnanus *in c. Ad audientiam n.* 122. *de Reſcript.* Sicut & Regi Galliæ ex privilegio, & authoritate Romani Pontificis, competere facultatem cognoſcendi certas cauſas Eccleſiaſticas, præter Barboſam *lib.* 1. *Jur. Eccleſ. un. cap* 39. *§.* 2. *n.* 161. referunt plures Authores.

237 Nec obſtat, quòd in Laicum jus ſpirituale non cadat, *can. Benè quidem diſt.* 96. *& c. Sacroſanctæ* 51. *de Election.* & notat Gloſſa *fin. c. Cauſam qu.* 7. *de Reſcrip.* ac proinde non videatur, qualiter ex privilegio, ſeu ſpeciali conceſſione Papæ, poſſint procedere contra Clericos. Reſp. enim, hinc ſolùm ſequi, quòd Laici id propria authoritate facere nequeant: ſecùs, ſi id ſit ex commiſſione, ſeu delegatione Romani Pontificis, utpote in cauſis criminalibus, & civilibus Clericorum, plenariam poteſtatem habentis. Ubi enim Papa committit Laicis certas cauſas Clericorum exequendas, non dat ipſis jus ut hoc faciant propria authoritate, ſed ut id exequantur tanquam Miniſtri, & Delegati Pontificii; hoc eſt poteſtate delegata, & nomine Pontificis, in cujus perſona fundatur juriſdictio, & cujus juriſdictione tunc Laici illi utuntur, *L.* 1. *§. Qui mandatam, ff. de Offic ejus cui mandata &c.* Innocentius *in c. Quod ſicut* & ibi Hoſtienſis *de Election.* Felinus *cap.* 2. *n.* 3. *de Majorit. & obed:* Barboſa *d. cap.* 39. *§.* 2. *num* 192. citans alios; & concordant dicta *Lib.* 1. *Decretal. Tit.* 29. *De Officio & poteſtate judicis Delegati §.* 4. *n.* 92.

238 Nec etiam obſtat, quòd privilegium Fori, juxta probabiliorem ſententiam, competat Clericis Jure Divino. Reſp. enim cum Felino *loc. cit. n.* 2. & 3. Archidiacono *in can. Sunt quidam* 25. *q.* 1. & aliis, inde ſolùm ſequi, quòd Papa dictum privilegium non poſſit tollere ex toto: ſecùs, ex gravibus cauſis diſpenſando in particulari. His adde dicta ſuperiùs *§. præc. num.* 229.

239 Notat tamen Barboſa *loc. cit n.* 194. poſt Martham *de juriſdict. part.* 4. *caſu* 7. *n.* 12. & alios, quòd hujuſmodi privilegia procedendi contra Clericos, ſi quæ Laicis conceſſa fuerunt à Sede Apoſtolica, revocentur per annuam publicationem Bullæ Cœnæ Domini. Verùm de hoc alii, attendendo præſertim, an dicta Bulla ubique locorum quoad hoc ſit recepta.

240 Quæritur II. Utrùm conſuetudine induci poſſit, ut Clerici coram Judice ſæculari conveniantur? Reſp. I. Loquendo de cauſis criminalibus, certum eſt, Clericos ita coram Judice Eccleſiaſtico conveniendos eſſe ſuper quocunque crimine, ut non valeat ulla conſuetudo in contrarium, etiam immemorialis. Textus eſt *in c. Clerici* 8. *de Iudiciis*, juncta Gloſſa *fin. & DD. ibid.* eſtque jam dictum ſuprà *Tit. præced. §.* 4. *num.* 86.

241 Reſp. II. Etiam loquendo de cauſis civilibus, nequit ulla conſuetudine induci, aut cohoneſtari, ut Clerici conveniantur coram Judice ſæculari. Ita Abbas in *c. Clerici n.* 8. & Jo: Andreas *ib. n.* 3. *de Iudiciis*, Carol. de Graſſis *de Effectibus Clericatus, effect.* 1. *n.* 1. *& ſeqq.* hanc quæſtionem plenè pertractans, & alii, qui citatum Capitulum, *Clerici*, expreſſè loquens de cauſis criminalibus, rectè extendunt ad cauſas civiles: quidquid dubitare, ac limitare videatur Covarruvias *Pract. Quæſt. c.* 31. *n.* 5. Concordat *c. Qualiter & quando* 17. *eod.* ubi Pontifex generaliter ac penitus interdicit, ne Clerici ad ſæculare trahantur judicium, etiam data ſuorum Prælatorum negligentia, illis verbis: *Ne pro defectu juſtitiæ Clerici trahantur à Laicis ad judicium ſæculare, quod omnino fieri prohibemus.* Ubi ponderandum ly, *omnino*: quæ eſt dictio præciſa, habetque vim Decreti irritantis, ut latè oſtendit Barboſa in *Dictionib. uſu frequent. Dict.* 240. *n.* 12. *& ſeqq.* Accedit ratio: quia talis conſuetudo eſt contra libertatem Eccleſiaſticam: atqui contra hanc nulla valet conſuetudo, etiam immemorialis; prout fusè, ac ex profeſſo dictum eſt *lib.* 1. *Decretalium. Tit.* 4. *De Conſuetudine §.* 3. *n.* 61. *& ſeqq.* Ibi videatur.

242 Quæritur III. Utrùm Clericus poſſit renunciare privilegio Fori? Reſp. cum communi DD. negativè. Quia enim privilegium Fori non ſolùm Jure humano, verùm etiam (juxta probabiliorem ſententiam) Divino fuit introductum, non in privatum favorem perſonæ, ſed in publicum totius Ordinis Clericalis; hinc Clericus neque in cauſis criminalibus, neque etiam in civilibus, nec ſponte, nec coactè, neque etiam accedente adverſarii voluntate, aut juramento, poteſt renunciare privilegio Fori, & ſibi Judicem laicum conſtituere, aut ejus juriſdictionem in ſe prorogare. Ita expreſſè deciſum habetur in *c. Si diligenti* 12. *& c. Significaſti* 18. *h. t.* Concordat *can. Nemo unquam & can. Si quiſpiam & can. Pervenit. & can. Inolitæ & can. Placuit* 11. *q* 1. ubi hoc ipſum ſub gravibus pœnis prohibetur. Accedunt dicta ſuperiùs *§.* 6. *num.* 140. & 141. de prohibita prorogatione juriſdictionis ſæcularis in Clericum.

243 Dices. Quilibet poteſt juri ſuo renunciare; ergo, ſaltem accedente adverſarii conſenſu, poteſt Clericus in cauſis temporalibus ſibi Laicum judicem conſtituere. Reſp. conformiter *cit. c. Si diligenti h. t.* Antecedens duntaxat procedere, quando jus, ſeu privilegium cuipiam competens, eſt duntaxat perſonale, id eſt, in merum favorem privatorum ſingularium conceſſum: ſecùs, ſi quid pro bono publico ſit conceſſum. Nam certum eſt, *Pacto privatorum juri publico minimè derogari*, prout ibidem loquitur Pontifex. Concordat textus *in l. Ius publicum ff. de Pactis* ibi: *Ius publicum privatorum pactis mutari non poteſt*: cum concordantiis.

244 Sic autem fieret, atque privatorum pacto derogaretur Juri publico; ſi Clericus poſſet ſuæ exemptioni renunciare; cùm juxta *cit. c. Si diligenti h. t.* privilegium Fori *non ſit beneficium perſonale, cui renunciare valeat, ſed potius toti Collegio Eccleſiaſtico publicè ſit indultum, cui privatorum pactio derogare non poteſt* Idem de privilegio Canonis Clericorum habetur *c. Contingit interdum* 36. *de Sentent. excomm.* ubi is, qui in Clericum, etiam volentem, manus injecerat violentas, atque injurioſas, declaratur eſſe excommunicatus; addita illa ratione: *Cùm ille Canon non tam in favorem Clerici ordinati, quàm in favorem Ordinis Clericalis fuerit promulgatus*: Et meritò: nam redondaret in opprobrium totius Ordinis Clericalis, ſi Clerici, Divinis officiis ſpecialiter dedicati, per ſæcularia judicia vagari, & patres à filiis dijudicari, aut injurioſe verberari poſſent.

245 Urgebis. Pactis privatorum quandoque juri publico derogatur; ergo, allata ratio non ſubſiſtit. Anteced. patet *ex c. Si de terra* 6. *de Privileg. & c. Ad Apoſtolicam* 16. *de Regular. & L. ult. §. fin. ff. Ad S. C. Velleian.* In quo poſtremo loco clarè dicitur; mulierem poſſe renunciare privilegio, quod Jure communi ex S. C. Vellejano toti ſtatui muliebri ob ejus fragilitatem conceſſum fuit, ut non obligentur fidejuſſione: in prioribus autem, quòd hinc poſſit renunciari à Noviciis anno probationis, illinc autem privilegio toti cuipiam Ordini conceſſo. Inſuper *in l. Paciſci ff. de Pactis*, expreſſè dicitur, quòd *paciſci contra Edictum Ædilium curulium omnimodè licet*; nimirùm, ut non agatur de animali, etſi morboſum ſit: & tamen Edictum illud continet jus publicum. Tacentur ſimilia plura.

246 Pro ſolutione hujus inſtantiæ, ac recta intelligentia illius dicti, *Pacto privatorum juri publico non derogatur*, notandum eſt primò, *Privatos* hic idem eſſe, ac perſonas ſingulares: nam neque Epiſcopi poſſunt renunciare privilegio Fori, haud obſtante, quòd in alio ſenſu non ſint privati. Quandoque enim *Privati* dicuntur, qui non ſunt præditi aliqua Dignitate, *arg. can. Qui contra* 24 *q.* 1. & explicat Gloſſa *ibid. verſ. Privati.*

247 Notandum eſt, ſecundò, Jus publicum poſſe diſtingui tripliciter. Quandoque enim Jure publico ſancitur aliquid in merum favorem privatorum ſingillatim: & tali juri publico pactis privatorum renunciari poteſt. Quandoque Jure publico ſancitur aliquid in favorem aliquorum pro publica utilitate ipſorum, & in odium aliorum, qui ipſis ſæpè ſunt iniqui, aut infeſti: & huic Juri publico nemo poteſt renunciare. Quandoque autem, ſeu tertiò, ſtatuitur aliquid Jure publico in favorem publicum: & huic etiam perſona privata renunciare nequit, licèt conſequenter tendat in ejus favorem. Gloſſa *in cit. c. Si diligenti. ℣. Pacto privatorum*, & ampliùs declarat Abbas *ibid. n.* 7.

248 Ac per hoc patet ad inſtantias *num.* 245. factas. Nam per Jura ibidem allegata ſancitur quidpiam, quod eſt introductum ſolummodò in favorem aliquorum ſingillatim: ſecùs eſt in noſtro caſu, ubi privilegium Fori Clericorum



ricorum conſtat eſſe introductum in publicum favorem totius Collegii Clericalis. Unde in ſimili, quamvis mulier poſſit renunciare S. C. Vellejano, utpote in favorem ipſius tantùm introducto; non tamen poteſt filius familias renunciare privilegio S. C. Macedoniani, ratione cujus non obligatur creditoribus vi mutui: quia iſtud eſt introductum tum in odium creditorum, tum in favorem publicum parentum, quorum vitæ alioquin filii, aut filiæfamilias inſidiarentur, ut debita contracta ex obtenta paterna hæreditate ſolverent. Gloſſa, Abbas, *ubi ſuprà* & alii.

249 Quæritur IV. An in nullo prorſus caſu Clericus coram Judice ſæculari conveniri poſſit? Dicitur notanter, *conveniri*: quia ſi Clericus Actor, ſeu petitor exiſtens, Laicum ſuper temporali in judicio conveniat, ejus Judicem ſæcularem adire debet, *can Experientiæ & can. Si quiſquam* 11. *q.* 1. Nam generale eſt, ut Actor Forum Rei ſequatur *can. Neminem* 3. *q.* 6. *& c.* 5. *&* 8. *h. t.* Hinc etiam S. Paulus Apoſtolus, cum injuſtè à Feſto Præſide gravaretur, Cæſarem appellavit, *Actor. c.* 25. Hoc prænotato

250 Reſp. Regula illa de Privilegio Fori Clericorum plures patitur limitationes, ſeu fallentias; adeò, ut Stephanus Aufrerius *Tom.* 11. *Tractatuum, tract. De Poteſtate ſæcularium ſuper Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis. Reg.* 1. viginti & unam fallentias adducat, in quibus Clerici coram Judice ſæculari de criminibus conveniri poſſunt: & *Reg.* 2. ponit triginta tres fallentias, in quibus Clerici quoad cauſas civiles poſſunt coram Judice laico conveniri. Verùm cæteris dimiſſis juvabit principaliores duntaxat afferre.

251 Primò itaque fallit Regula illa in Feudalibus. Si enim Clericus à ſæculari Domino feudum acceperit, tenetur ratione illius feudi coram Domino ſæculari judicium ſubire; & convenitur coram eo in actionibus tam realibus, quàm perſonalibus, feudum concernentibus *c. Ex tranſmiſſa & c. Verùm h. t.* eſtque ampliùs declaratum *Tit. præc. §.* 5. *per totum.*

252 Fallit ſecùndò in Clericis conjugatis: nam hi in rebus ſuis non gaudent privilegio Clericali; ac proinde, ſicuti alii conjugati, tenentur præſtare conſuetas exactiones, aliaque ſervitia *c. Ex p.* 9. *de Cleric. Conjug.* Quin etiam defactò penitùs non gaudent privilegio Fori, niſi ſimul habeant tres illas conditiones, quæ ad hoc requiruntur *in c. ult. de Cleric. conjug. in* 6. & Conc. Trid. *Seſſ.* 23. *cap.* 6. *de Reform.* ut nempe cum unica, & virgine contraxerint; ut deferant tonſuram, & veſtes Clericales; & ut ab Epiſcopo deputati, cuidam Eccleſiæ inſerviant.

253 Tertiò fallit allata Regula in Clericis Minoriſtis, nullam ex conditionibus requiſitis à Concilio Trident. *cit. Seſſ* 23. *cap.* 6. *de Reform.* habentibus. Siquidem expreſſè ibidem ſtatuitur, ut Clericus in Minoribus conſtitutus *privilegio Fori non gaudeat, niſi Beneficium Eccleſiaſticum habeat; aut Clericalem habitum, & tonſuram deferens, alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviat; vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Univerſitate, de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad majores Ordines ſuſcipiendos, verſetur.*

254 Fallit quartò in Clericis hiſtrioniam exercentibus. Nam, ſi quis eorum per integrum annum artem illam ignominioſam exercuerit, ipſo jure privatus exiſtit omni privilegio Clericali; ſi autem tempore breviori, & tertiò monitus non reſipuerit, tunc ſaltem per ſententiam amittet omne privilegium Clericale. Textus eſt *in cap. un. de vita & honeſt. Cleric. in* 6.

255 Fallit quintò in Clerico ter admonito, & adhuc incorrigibili. Nam ſi Clericus de gravi crimine, v. gr. furto, homicidio, perjurio fuerit convictus, is primò deponendus eſt ab Epiſcopo: ſi depoſitus, adhuc incorrigibilis ſit, eſt excommunicandus, & ſucceſſivè anathematizandus: & ſi in profundum malorum veniens contempſerit, per Judicem ſæcularem comprimendus, *c. Cùm non ab homine* 10. *de Judiciis*. Quo in loco dari à Lege fictam degradationem, & traditionem Curiæ ſæculari, notat Menochius *de Arbitrar. Judic. caſu* 415. *n.* 29. & Barboſa *l.* 1. *Iuris Eccleſ. univ. cap.* 39. *n* 82. citans alios, idque à ſimili probans *ex cap.* 1. *de Homicid. in* 6. Quamquàm alii cum Gloſſa *fin. in d. c. Cùm non ab homine*, requirant actualem traditionem Curiæ ſæculari: atque iſtud ſecurius eſſe dicat Fagnanus *ibid, n.* 25. de quo vide dicta ſuperiùs *Tit. præc. §.* 4. *n.* 107. *& ſeqq.*

256 Fallit ſextò in Clericis crimen Aſſaſſinii committentibus, vel mandantibus. Nam hi communiter numerantur inter amittentes ipſo jure privilegium Fori, juxta *cit. cap.* 1. *de Homicid. in* 6. ubi ſtatuitur, quòd præter perſonas ſæculares quilibet Prælatus, vel Clericus, qui per Aſſaſſinos quempiam interfecerit, vel mandaverit (etiam morte non ſecuta) *excommunicationis, & depoſitionis à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio incurrat pœnas ipſo facto —— Sitque à toto Chriſtiano populo perpetuò diffidatus*: id eſt, orbatus, & abſque ſpe auxilii & favoris, & conſequenter omni prorſus Clericali privilegio deſtitutus. Verùm ex nova Conſtitutione Clementis VIII. quæ incipit, *Æqua & circumſpecta* (atque refertur *Tom.* 3. *Bullarii Romani, Conſtit.* 37. dicti Pontificis) non poteſt Judex laicus procedere, & punire Clericum pro crimine Aſſaſſinii, niſi præcedente declaratione Judicis Eccleſiaſtici.

257 Fallit ſeptimò in Clericis, qui ſe immiſcent enormitatibus; id eſt, pluries talia crimina perpetrant, ex quibus incurritur infamia. Nam tales, concurrentibus certis conditionibus, de quibus fusè Doctores, amittunt privilegium Fori, *arg. c. Perpendimus* 23. *& c. In audientia* 25. *de Sentent. excomm.*

258 Notat tamen Barboſa *cit cap.* 39. *§.* 2. *n.* 75. S. Congregationem Concilii Trident. *in una Motulenſi* 1. *Februar.* 1620. declaraſſe, quòd *Clericus, qui in habitu & & tonſura ſe immiſcet enormitatibus, & vitiis pluribus, cenſeatur abſque monitione renunciaſſe privilegio Clericali: ſecùs, ſi in habitu laicali hæc perpetraſſet, quia tunc ſequitur monitio.* Et quidem trina, *c. Contingit* 45. *& d. c. In audientia de Sentent. excomm.*

259 Omittuntur brevitatis cauſa alii caſus, in quibus amittitur privilegium Clericale; & de quibus partim fit mentio *in cap. ult. de Vita & honeſt. Cleric. & Clem.* 1. *eod. & cap.* 1. *de Apoſtat.* partim fuſiſſimè agit Auferius, *ubi ſuprà*, & Barboſa *cit. lib.* 1. *Iuris Eccleſ. univ. cap.* 39. *§.* 2. *n.* 66. *& ſeqq.*

260 Nec obſtat, quòd Clerici privilegio Fori renunciare clare nequeant, ut dictum ſuprà *n.* 242. Reſp. enim cum Gloſſa *in cit. cap. ult. ℣. Cum facto de vita & honeſt. Cleric.* quòd quamvis ipſo verbo Clericus privilegio Clericali renunciare non poſſit, *c. Si diligenti h. t.* poſſit tamen eidem renunciare facto, quatenus ſe reddit ipſo indignum. Tum quia, ut *in cit. cap. ult. de vita & honeſt. Cler.* loquitur Pontifex, Clerici talia committentes *ipſo facto privilegium abjiciunt Clericale*: atqui plus eſt factis renunciare, quam verbis, *arg. c. Dilecti* 52. *de Appellat.* cum ſimilibus. Tum quia *privilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate: ac fruſtrà legis auxilium invocat, qui committit in legem*; ut dicitur *in c. Contingit §. fin.* 45. *de Sentent. excomm.*

261 Hoc ipſum, ſed aliis terminis, tradit Fagnanus *in c. Odoardus n* 71. *&* 72. *de Solution.* dicens, quòd Clericus privilegio Fori non poſſit renunciare expreſſè, *c. Si diligenti de Foro compet.* Benè tamen tacitè, ac juris miniſterio; videlicet, per actum contrarium, à Jure ſub pœna privationis privilegii Fori prohibitum; putà immiſcendo ſe enormitatibus, non deferendo habitum vel tonſuram, ac hujuſmodi.

262 Quæritur V. Utrùm ſuſcipiens ſtatum Clericalem, vel Monachalem, circa res ante Clericatum geſtas, aut commiſſum anteà grave crimen, gaudeat privilegio Fori? Reſp. I. Si res adhuc ſit integra, non debet Clericus ſuper rebus in ſtatu laicali geſtis coram alio, quàm Eccleſiaſtico Judice conveniri. Ita Fagnanus *in c. Manus, n.* 26. *& ſeqq. de Obligatis ad ratiocin. non ordin.* & Engel *h. t. n.* 53. allegans communem. Ratio eſt: quia privilegium ſuperveniens eximit quempiam à priore onere, quo tenebatur, *c. Cùm Capella de Privileg. & l. Spadonem §. Si quis autem & l. Juriſperitos ff. de Excuſationib. Tutor.* Item Sacerdotium ſuperveniens tollit munus publicum jam injunctum, *l. Præter eos ff. de Vacation. & excuſat. num.* Accedit, quòd privilegium Fori loquatur indiſtinctè: unde, veluti favorabile, eſt extendendum, ac interpretandum largiſſimè, *c. Odia de Reg. Iur. in* 6. nec temerè reſtringendum ad obligationes contractas, vel delicta commiſſa primùm poſt Clericatum.

263 Major difficultas eſt in caſu, quando quis ante aſſum-

ſumptum ſtatum Clericalem, vel Monachalem, in Foro ſæculari præventus fuit, ſicque res non ampliùs eſt integra: tunc diverſæ ſunt Doctorum ſententiæ, uti videre eſt apud Abbatem *in cap. 1. n. 4. & 5. de Obligat. ad ratiocin.* Cœteris tamen ſententiis brevitatis gratia dimiſſis, ac pro majori claritate diſtinguendo inter cauſas civiles, & criminales

264 Reſp. II. Loquendo de cauſa civili, ſi Judex ſæcularis prævenit citando Laicum poſteà promotum ad Clericatum, vel Monachatum, poteſt is cauſam proſequi, ac diffinitiva ſententia terminare; ipſamque ſententiam realiter exequi in bonis Clerici, non autem in hujus perſona, ipſum v. g. ratione debiti poſtmodùm incarcerando. Ita Fagnanus *loc. cit. n. 54.* Speculator *tit. de Reo n. 4.* aſſerens, ita tenere omnes; ſeu (ut intelligit Annotatio) ferè omnes, licèt quidam contradicant. Idque deſumitur *ex c. Propoſuiſti 19. h. t.* ubi legitimè citatus tenetur coram Judice citante cauſam proſequi, quaſi ab eo jam præventus, haud obſtante, quòd poſteà forum mutaverit: idque ibidem Abbas *n. 13.* Jo. Andreas *n. 2.* Hoſtienſis, & alii, intelligunt etiam in Laico, qui poſteà factus eſt Clericus. Concordat textus *in l. Si quis poſteà ff. de Judiciis*, cum ſimilibus.

265 Accedit ratio: quia, ubi cœptum ſemel eſt judicium, ibi debet finem accipere, *l. Ubi cœptum ff. de Judic.* Simulque juriſdictio Judicis laici, reſpectu cauſæ ante Clericatum citatione præventæ, perpetuatur in Clericum propter principium habile, licèt poſteà devenerit ad caſum, in quo non poterat incipere; idque per Jura proximè citata. Quinimò ipſum privilegium exemptionis jam eſt præventum per actum citationis à Judice laico factæ; atque ideò non ſuffragatur. Fagnanus *loc. cit. n. 42.*

266 Additur notanter in Concluſione, *Non autem in hujus perſona.* Quia Judex laicus non poſſet ratione contracti, v. g. anteà debiti, talem poſteà jam Clericum factum perſonaliter aſtringere, aut incarcerare; cùm perſona Clerici omnino ſit exempta à manu Judicis laici: ac proinde conſtrictio perſonalis ejus pertinebit ad ſolum Judicem Eccleſiaſticum, ut omnes fatentur, atque in ſimili habetur *c. Poſtulaſti 14. h. t. & cap. 1. de Raptorib.* Nam Clericatus eximit perſonam quoad omnem manus injectionem, ac diſtrictionem; licèt non eximat cauſam à juriſdictione prævenientis quoad ipſum proceſſum. Idemque dicendum de Monachatu: quia, licèt propter Characterem plus habeat Ordo, quàm Profeſſio; tamen Profeſſus Religionem mundo mortuus eſt, ac plura præmittit Jo. Andreas *in c. Magnus n. 19. & 20. de Obligat. ad ratiocin.* ubi ex profeſſo hanc quæſtionem examinat.

267 Reſp. III. Loquendo de cauſis criminalibus, videtur diſtinguendum: Aut enim Laicus poſt commiſſum crimen aſſumit ſtatum Clericalem, vel Monachalem, *ſine fraude*, & tunc gaudet privilegio Fori, adeò ut non poſſit à laica Poteſtate deſuper judicari, & puniri: Aut aſſumit hunc *in fraudem*, ut nimirum ſic Judicis ſæcularis forum declinet; & tunc ipſe poteſt à Judice laico deſuper judicari, & puniri pœna pecuniaria, vel confiſcatione bonorum, licèt non pœna corporali, donec fuerit degradatus, & traditus Curiæ ſæculari. Ita Jo. Andreas *in cit. c. Magnus n. 19. & 20. de Obligat. & ratiocin.* & Abbas *ibid. n. 5. ℣. Quod ad primum* & Fagnanus *loc. cit. n. 46. & ſeqq.* allegans ad hoc Deciſionem Sac. Congregationis Concilii Trid. *in cauſa Alexandri, & Zuccari, Nepeſinæ Diœceſis.* Bartolus *in L. 1. §. Juxta prædicta ff. de Pœnis.* Covarruvias *Pract. Quæſt. c. 32. n. 4.* Julius Clarus *lib. 5. Criminal. §. fin. qu. 36. n. 43.* Farinacius *lib. 1. de Inquiſitione, tit. 1. q. 8. n. 107.* & alii ab his citati; quamvis non pauci quoad ſecundam partem oppoſitum teneant.

268 Ratio Concluſionis deſumitur *ex l. Si maritus ſit. §. Lege Julia ff. Ad Leg. Jul. de Adulter. & l. Hos accuſare §. 1. ff. de Accuſation.* ubi, qui abeſt bona fide Reipublicæ cauſa, non poteſt accuſari: ſi in fraudem, poteſt. Similiter *L. 4. & 5. ff. Ex quibus cauſis majores &c.* ſolummodò illis Majoribus, & graviter læſis; ſubvenitur per reſtitutionem in integrum, qui bona fide, ac ſine dolo malo, Reipublicæ cauſa abfuiſſent: ſecùs, ſi data opera ob proprium commodum, vel litis evitandæ gratia, ſicque in fraudem cœpiſſent Reipublicæ cauſa abeſſe. Idem ergo a ſimili dicendùm de bona fide, vel in fraudem aſſumentibus ſtatum Clericalem, aut Monachalem, poſt commiſſum crimen. Accedunt rationes *n. 262.* ac militantes in favorem eorum, qui bona fide ſuſcipiunt Clericatum, vel Monachatum: ut, quia longo poſt commiſſum crimen tempore, & à nemine deſuper inquietati, dictum ſtatum ad agendam pœnitentiam eligunt. Alioquin enim, quòd fraus & dolus alicui patrocinari non debeat, textus eſt *in c. Sedes 15. de Reſcript.* cum concordantiis.

269 Et ſi petas, quandonam Laicus criminoſus cenſeatur in fraudem aſſumpſiſſe ſtatum Clericalem, vel Monachalem? Reſpondent Doctores; præſumi ejuſmodi fraudem, quando quis de commiſſo delicto jam ante ſuſceptum Ordinem, vel habitum Monachalem, apud Judicē ſæcularem fuit accuſatus, vel denunciatus, aut ſaltem diffamatus: tunc enim videtur aſſumpſiſſe ſtatum Eccleſiaſticum, ut ſe eximeret à juriſdictione, ac pœnis Fori ſæcularis, *arg. L. ult. ff. de Bonis eorum, qui ante ſentent.* ac nota Covarr. *cit. c. 32. n. 4. § Fraus verò.* Sigiſmund. Scaccia *l. 1. de Judiciis, c. 12. n. 4.* Julius Clarus *d. § fin. q. 36. n. 44.* & Farinac. *ubi ſuprà n. 110.* allegans plurimos alios.

270 Veruntamen Fagnanus *in d. c. Magnus n. 39. § Sed hæc opinio & num. 72. & 73. de Obligat. & ratiocin.* ex profeſſo hanc opinionem rejicit; atque poſt Jo. Andream *loc. cit. n. 19. ℣. Quinta eſt opinio*, & alios, ad hoc, ut Judex laicus poſſit ejuſmodi Clericum punire pœna pecuniaria, vel confiſcatione bonorum, omnino requirit, quòd Judex laicus in cauſa prævenerit citando Reum ante mutationem ſtatus, *arg. c. Propoſuiſti h. t. & l. Si quis poſteà ff. de Judiciis* Unde ad id non ſufficiet ſola denunciatio, aut diffamatio ſuper crimine commiſſo, niſi ante mutationem ſtatus Reus ille etiam fuerit citatione præventus, ſicque perpetua juriſdictio Judicis laici in ipſum. Accedit alia ratio: quia in dubio non præſumitur fraus, *l. Meritò autem ff. Pro Socio*: ſed unuſquiſque præſumendus eſt bonus, *cap. ult.* juncta Gloſſa *fin. de Præſumpt.* Ergo ex ſola Clerici diffamatione, vel etiam accuſatione, fraus non rectè præſumitur; cùm adhuc bona fide, putà, ad agendam pœnitentiam, potuerit Statum Clericalem, vel Monachalem ſuſcepiſſe, licèt eadem die, qua effectus eſt Clericus, reperiatur fuiſſe accuſatus. Sigiſm. Scaccia *cit. lib. 1. cap. 12. n. 6.* Igitur ad hoc inſuper requiritur, quòd præventus fuerit citatione, ſicque perpetuata ſit juriſdictio Judicis ſæcularis in ipſum, quam poſtea ſubterfugere præſumi poteſt.

271 Addit Fagnanus *loc. cit. n. 75.* ad hoc, ut Judex laicus poſſit procedere contra bona Clerici poſt commiſſum crimen in fraudem promoti, ulteriùs requiri, quòd præcedat declaratio Judicis Eccleſiaſtici ſuper fraude per ipſum commiſſa, & interim Judex ſæcularis, debeat cauſa ſuperſedere. Quia enim hujus juriſdictio fundatur ſuper qualitate fraudis, priuſquam de hujuſmodi fraude per declarationem Judicis Eccleſiaſtici conſtiterit, Laicus adhuc ignorat, ſe eſſe judicem competentem; ideoque de hac fraudis qualitate, utpote juriſdictionem tribuente, anteà conſtare debet, *L. 2. §. Sed & ſi dubitetur ff. de Judic.* & interim Judex laicus cauſa ſuperſedere: prout in ſimili decernitur *c. Si judex laicus 12. de Sentent. excomm. in 6.* ibi: *Contra eum tamen interim quivis proceſſus judicis* (laici) *penitus conquieſcat.* Concordat *c. Cum ſecundum 19. §. fin. de Hæretic. in 6.* ubi bona Hæreticorum ipſo jure confiſcata, non poſſunt per Dominos ſæculares occupari, donec ſententia declaratoria ſuper crimine per Judicem Eccleſiaſticum fuerit promulgata.

272 Notanter verò dictum fuit n. 267. *Licèt non pœna corporali; donec fuerit degradatus.* Quamvis enim Judex laicus, poſt factam declarationem Judicis Eccleſiaſtici ſuper fraude in aſſumptione ſtatus Clericalis per Clericum commiſſa, poſſit illicò procedere ad cognitionem criminis per ipſum in ſtatu ſæculari commiſſi, eoque probato Clericum reum punire pœna pecuniaria; vel confiſcatione bonorum, ſi quæ habet in territorio ſuo exiſtentia: nihilominùs pœnam corporalem eidem infligere non poteſt, niſi Clericus ille anteà fuerit degradatus, & traditus Curiæ ſæculari. Ita Jo. Andreas *in c. 1. n. 19.* in fin. & Abbas *ibid. n. 5. verſ. Concludendo de Obligat. ad ratiocin.* Farinacius *l. 1. Practic. Crimin. q. 8. n. 107. & 108.* referens plurimos alios. Sigiſm. Scaccia *cit. l. 1. c. 12. n. 11. & 12.* allegans communem aliorum, docentium quòd degradatio, quando Clericatus eſt ſuſceptus in fraudem, ſit neceſſaria ſolùm pro diſtrictione perſonæ, non



item reſpectu bonorum. Nec immeritò: quia Clericatus eximit perſonam quoad omnem violentam manuum injectionem, vel diſtrictionem Poteſtatis Laicalis, donec ſequatur degradatio, privans degradatum omni privilegio Clericali, *c. Degradatio. de Pœnis in 6.* cum ſimilibus: non verò eximit cauſam à juriſdictione prævenientis Judicis ſæcularis, quæ per citationem jam eſt perpetuata, ob dicta *§. 8. n. 167. & 168.*

273 Quæritur VI. Quid juris, ſi ſuper Clericatu malefactoris, per Judicem laicum capti, & dicentis, ſe eſſe Clericum, oriatur quæſtio? Hæc controverſia ex profeſſo reperitur deciſa in Conſtit. Bonifacii VIII. quæ refertur *in c. Si judex 12. de ſent. excomm. in 6.* atque (ut Gloſſa *hic in princ.* loquitur) *eſt expediens & utilis valdè, & ſæpiſſimè practicatur.* Unde dictam Pontificiam reſponſionem ſemper eſſe præ oculis habendam, rectè monet Covarruvias *Pract. Quæſt. c. 33. circa init.* ſubjungens, quòd eam, præter Doctores ibidem, maximè commendarunt Baldus *in l. Si qua per calumniam, C. de Epiſc. & Cler.* & Cæpolla *Conſil. Crimin. 10. & 11.* quamlibet dictæ Conſtitutionis partem peculiari adnotatione perpendentes. Proinde memoratæ Deciſioni Pontificiæ inhærendo

274 Reſp. I. Quando ſuper Clericatu malefactoris controverſia exiſtit inter Judicem laicum & Eccleſiaſticum dubitando videlicet, num captus à Laico ſit Clericus, aut Clericali privilegio hic & nunc gaudeat: tunc cognitio hujus cauſæ ſpectat ad Judicem Eccleſiaſticum, vocato tamen Judice ſæculari. Ita textus, *in cit. c. Si judex. 12. de Sent. excom. in 6.* illis verbis: *Si judex laicus malefactorem captum detineat, & is ſe Clericum dicens ad Curiam Eccleſiaſticam petat remitti, vel Curia ipſa eum tanquam ſuum Clericum repetat, Judice ipſum inficiante Clericum, ac ab hoc minimè remittendum: dubitationis hujuſmodi, an ſcilicet ſit qui repetitur Clericus, ad Judicem Eccleſiaſticum (quia de re Eccleſiaſtica, & ſpirituali, vocato tamen judice ſæculari, vel alio cujus intereſt) cognitio pertinebit.* Ob quem textum adeò apertum, atque allegatam in eo cauſam dictæ Conſtitutionis, ita tradiderunt ibi Canoniſtæ, & Rota *Deciſ. 3. aliàs 202. tit. de Sent. excom. in novis.* Covarr. *cit. c. 33. n. 1.* Barb. *in cit. c. Si judex. n. 2. de Sent. excom. in 6.* iſtud exemplificans in malefactore per Judicem ſæcularem capto de quo controvertitur, an ſit Clericus primæ Tonſuræ, vel minorum ordinum, deferatque habitum Clericalem, aut omnes alias conditiones habeat, quæ juxta *cap. un. de Cleric. conjug. in 6.* & Concilium Tridentinum *Seſſ. 23. c. 6. de Refor.* requiruntur ad privilegium Fori participandum; eſtque communis Canoniſtarum: atque ex Civiliſtis Baldus, & Cæpolla, ubi ſuprà. Alexander *Conſil. 8. n. 4. vol. 1.* loquens de Clerico conjugato, de quo Judex Eccleſiaſticus cognoſcere habet, an ſit Clericus, & gaudere debeat privilegio Clericali. Farinac. *lib. 1. Pract. Crimin. q. 8. n. 33.* citans plurimos alios. Julius Clarus *l. 5. §. fin. q. 36. n. 21.* Menoch. *lib. 6. de Præſumpt. præſ. 36. n. 35.* Maſcardus *de Probat. Concl. 690. n. 7. & 8.* & alii ab his allegati.

275 Additur notanter in relato textu Juris, *vocato tamen judice ſæculari, &c.* Quia licèt in tali caſu quæſtio Clericatus cognoſci, ac decidi debeat per Judicem Eccleſiaſticum, cùm tangat rem Eccleſiaſticam atque ſpiritualem: nihilominus iſthæc cognitio fieri debet *vocato judice ſæculari, vel alio cujus intereſt*; prout loquitur Pontifex *in cit. c. Si Judex laicus de Sentent. excomm. in 6.* Ubi Gloſſa, *℣. Intereſt*, iſtud exemplificat de adverſario, qui illum, de cujus Clericatu movetur quæſtio, fecit capi, & pro maleficio puniri: talis enim, ſicut, & alii, quorum intereſt, antea ſunt vocandi, ut jus ſuum proſequi, & ſi quod habent defendere valeant, *c. Inter quatuor. de Majorit. & obed. & l. Emptor fundi. C. de Evictión.* cum ſimilibus.

276 Reſp. II. Si igitur malefactor captus per Judicem ſæcularem aſſerat, ſe eſſe Clericum, ſicque petat remitti ad Judicem Eccleſiaſticum, tunc ſtante dubio quoad hoc debet is remanere penes Judicem laicum, donec cognitum fuerit per Judicem Eccleſiaſticum de Clericatu: ita tamen, ut Iudex ſæcularis una cum aliis intereſſe habentibus vocetur ad iſtud judicium, ipſeque interim à quovis proceſſu contra captivum illum ſuperſedere teneatur. Ita habetur *ex cit. c. Si judex. §. fin. de Sentent. excom. in 6.* Accedit ratio prioris partis: quia ſtante illo dubio Iudex ſæcularis eſt in poſſeſſione malefactoris capti, qua ob nudam ſuam aſſertionem Clericatus ſpoliari non debet, donec cauſa iſta, utpote ſpiritualis, per Judicem Eccleſiaſticum fuerit terminata. Altera verò pars ex eo probatur: quia quæſtio Clericatus eſt præjudicialis, cùm faciat ſopire cauſam principalem ex parte Iudicis ſæcularis, ſi probabitur Clericatus, juxta Gloſſam *in caſu d. c. Si judex*, ergo neceſſe eſt, ut, donec ipſa per Eccleſiaſticum Iudicem deciſa fuerit, proceſſus Iudicis ſæcularis interim quieſcat, ne alioquin confuſione quadam judicii ordinem perturbari contingat, prout in ſimili habetur *in c. Tuam 3. de Ordine cognit. & c. Lector. & c. Cauſam quæ inter. Qui filii ſint legitimi.* Comperto autem, quòd ille ſit Clericus, debet is remitti ad eundem Iudicem ſuum Eccleſiaſticum. Et ita ſervari atteſtatur Afflictus *part. 1. Conſtit. Regni rubr. 3. poſt. n. 19.* quem citat, & ſequitur Clarus *cit. q. 36. n. 21.*

277 Additur notanter, *ſtante dubio*: quia in dubio melior eſt conditio Iudicis laici, veluti poſſidentis. Secùs dicendum, ſi notoriè conſtet, quòd malefactor ille ſit Clericus, qui privilegio Fori gaudere debeat (dùm videlicet nullus ex caſibus ſuprà *n. 251. & ſeqq.* enumeratis, interveniri dignoſcitur) vel ſi is publica fama, ſive communi exiſtimatione habitus fuerit pro ejuſmodi Clerico. Tunc enim ſtatim ac incontinenti, etiam ante cognitionem de Clericatu, Eccleſiaſticæ Curiæ reddi debet. Textus eſt *in cit. c. Si judex. §. Et ſi notorium. de Sent. excom. in 6.*

278 Reſp. III. Hoc *idem eſt cenſendum* (nempe, quòd captus à Iudice ſæculari ante cognitionem de Clericatu ſit reddendus Curiæ Eccleſiaſticæ) *ſi Reus ipſe ante deprehenſionem pro laico publicè ſe non gerens, deprehenſus fuit in habitu Clericali, Tonſuram videlicet & veſtes deferens Clericales: nam talem debemus Clericum (donec conſtet de contrario) reputare.* Ita loquitur Pontifex *in cit. c. Si judex. §. Idem eſſe. de Sent. excom. in 6.* Accedit ratio ibidem aſſignata. Tum quia talis exiſtit in poſſeſſione Clericatus, unde non tenetur hunc probare; ſicut & ille, qui in poſſeſſione ingenuitatis exiſtit, ſi dicatur ab alio libertinus, juxta Leges Civiles non ipſe, ſed adverſarius probandi neceſſitate conſtringitur. Tum quia juſtum eſt, ut quis præſumatur talis, qualis eſt ille, cujus fert habitum, donec contrarium probetur: prout pluribus exemplificat Pontifex *loc. cit.*

279 Dicitur verò notanter in relato textu, *ante deprehenſionem pro laico publicè ſe non gerens.* Nam ſecùs eſt dicendum, ſi malefactor ejuſmodi ante ſuam capturam pro laico publicè ſe gerebat, ac pro tali communiter habebatur: talis enim, haud obſtante, quòd tempore capturæ fuerit repertus in habitu Clericali, non eſt per Iudicem ſæcularem reſtituendus Iudici Eccleſiaſtico: quouſque ipſe probet ſe eſſe Clericum, fidem faciendo de Titulo Clericali, v. g. exhibitis Formatis, ſeu Litteris Epiſcopalibus de ſua Ordinatione atteſtantibus: quamvis interim contra eum quivis proceſſus Iudicis ſæcularis penitus conquieſcere debeat, textus eſt *in cit. c. Si judex. §. fin. de Sentent. excomm. in 6.* Et ratio diſparitatis inter hunc, & priorem caſum eſt: quia ibi præſumptio ſtabat pro Clericatu, in cujus poſſeſſione quis fuerat ob delatum habitum Clericalem, ac publicè pro laico ſe non gerendo. Secùs in iſto poſteriori caſu, ubi malefactor ante capturam ſupponitur pro laico publicè ſe geſſiſſe, ſicque præſumptio ſtat adverſus ipſum; ac proinde onus probandi Clericatum ipſi incumbit: neque enim ad hunc probandum ſufficit ſola delatio habitus Clericalis tempore ſuæ capturæ; præſumitur enim, talem habitum fuiſſe ab ipſo tunc aſſumptum in fraudem, eò quòd anteà publicè pro laico ſe geſſiſſet.

280 Poſſet hoc loco ulteriùs quæri, num Clericus Laicum conveniens coram Iudice ſæculari, poſſit ibidem reconveniri? Verùm hæc quæſtio commodiùs tractatur, atque reſolvitur *Tit. IV. de Mutuis Petitionibus. §. 2.* Aliæ etiam nonnullæ quæſtiones, huc applicabiles, fuerunt reſolutæ *Tit. præced. §. 3. & 4.* De immunitate verò rerum ad Eccleſias, perſonaſque Eccleſiaſticas pertinentium, commodiùs dicetur *l. 3. tit. 49. de Immunitate Eccleſiarum, Cœmeterii, & rerum ad eas pertinentium*, inſcripto.

# TITULUS III.

## De Libelli Oblatione.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*

1 MEritò præſens Titulus priori ſubjungitur; ſiquidem conſtituto ſemel Foro competenti, proponitur per Actorem petitio Judicii, eaque Reo in judicium vocato notificatur; quòd fieri ſolet per *Libelli oblationem*. Etſi enim in Judicio ſummario, in quo proceditur ſimpliciter, & de plano, non ſit neceſſaria oblatio libelli. *Clem. Sæpè contingit de Verb. ſignif.* ſed ſufficiat, ſi Actor voce, ſive oretenùs proponat petitionem ſuam: quæ tamen poſtmodùm, ut de ipſa conſtare valeat, per publicam perſonam fideliter ac diligenter inſerenda eſt Actis publicis, *c. Quoniam de Probat.* Nihilominùs in judicio ordinario, de quo ex profeſſo agitur hoc ſecundo Libro Decretalium, prorſus neceſſe eſt, ut intentio Actoris proponatur ſcriptis, ſive per Libelli oblationem, prout patet ex *cap. 1. b. t.* Hinc ſit

### §. I.

### De natura Libelli, variiſque ipſum concernentibus.

*SUMMARIUM.*

2 *Libellus, quid?*
3 *Debet dari in ſcriptis.*
*Et primò Judici, ac poſteà per hunc Reo. Ibid.*
4 *Ac debet eſſe brevis.*
5 *Et claram continere intentionem Actoris; & cur?*
6 *Redditur quinque modis obſcurus.*
7 *Libellus alius civilis, alius criminalis.*
8 *Solet conſtare tribus partibus,*
9 *Qualiter ſit concipiendus?*
10 *An, & quomodo oporteat in eo exprimere cauſam petendi? Et n. 14. & ſeqq.*
11 *Actio realis, &*
12 *Actio perſonalis, quid?*
13 *In utraque duplex poteſt diſtingui cauſa petendi, proxima & remota.*
14 *In Libello debet exprimi cauſa petendi. Et num. ſeq.*
15 *Alioquin Reus non tenetur reſpondere.*
16 *Si tamen Reus non excipiat, valet judicium.*
17 *In Actione reali ſufficit exprimere cauſam petendi remotam: ſecùs, in perſonali. Et num. 14.*
18 *De Jure Canonico non eſt neceſſariò exprimendum nomen actionis in Libello.*
19 *Ac in dubio cenſetur intentata actio, præ cæteris utilior Actori.*
20 *An de Jure Civili neceſſe ſit, in libello exprimere nomen Actionis?*
21 *Etiam ſecundùm Canones admittitur Actor, exprimens in libello nomen actionis.*
*Et quid, ſi propoſuit actionem ineptam?*
22 *In libello actionum civilium opus eſt Concluſione.*
23 *Secùs, in actionibus criminalibus.*
24 *Concluſio libelli in actionibus civilibus, qualiter facienda?*
25 *Solent eidem addi clauſulæ ſalutares; & cur?*
26 *Mutari*, & Emendari Libellum, *differunt.*
27 *Libellus Judici oblatus poteſt mutari uſque ad litis conteſtationem.*
28 *Solvitur inſtantia, & contraria opinio Gloſſæ rejicitur.*
*An etiam ſæpiùs poſſit mutari? Ibid.*
29 *Poſt litem conteſtatam nequit mutari libellus.*
30 *Niſi refuſis expenſis velit Actor à priori inſtantia recedere.*
31 *Emendare libellum, licitum eſt uſque ad ſententiam.*
32 *Idque declaratur exemplis.*
33 *Actor exprimens in libello certam cauſam, eamque non probans, ſuccumbit, licèt probet aliam.*
34 *Quamvis ideircò non prohibeatur, ex cauſa illa nova denuò agere.*
35 Res judicata pro veritate accipitur, *quomodo intelligendum?*
36 *Si Actor certam cauſam in libello non expreſſit, ſufficit probare quamcunque juſtam cauſam etiam ſupervenientem.*
37 *Idque amplius probatur.*
38 *Effectus oblationis libelli, qui? Et num. ſeqq.*
39 *Qualiter ipſa interrumpat præſcriptionem?*
40 *Actor poſt libellum per Judicem Reo porrectum obligatur litem proſequi; & quando ſecùs?*

2 QUæritur I. Quid ſit Libellus, quibuſque partibus conſtet? Reſp. I. *Libellus* eſt brevis ſcriptura, claram continens intentionem Actoris, ſive accuſatoris. Ita Abbas *ad Rubricam, b. t. n. 1.* eſtque in re communis.

3 Dicitur primò, *ſcriptura*: quia, ut *num. 1.* dictum, libellus in ſcriptis dari debet, *cap. 1. b. t.* Et quidem primitiùs Judici libellus offerendus eſt, *arg. cit. cap. 1. ibi: Synodo porrigere*: ac deinde per Judicem debet tranſmitti Reo, ut ipſemet Reus ſpatio viginti dierum deliberare poſſit, an cedendum ſibi ſit, vel judicio contendendum. *Auth. Offeratur. C. de Litis conteſtat. & can. Induciæ. §. Offeratur 3. q. 3.*

4 Et additur, *brevis*. Nam ejuſmodi ſcriptura debet eſſe brevis (hac enim de cauſa diminutivè dicitur *Libellus*) ac proinde Libellorum dictatoribus cavendum, ne verboſis utantur aſſertionibus, neve inutilia, & ad intentionem Actoris non pertinentia immiſceant, aut ſemel perarata ſuperfluè repetere geſtiant, *l. Ampliorem, §. In refutatoriis. C. de Appellat.*

5 Dicitur ulteriùs, *claram continens intentionem Actoris.* Siquidem Libellus debet eſſe clarus & perſpicuus, ſimulque certus, ſive ſuper re certa propoſitus: ita videlicet, ut Reus ritè valeat intelligere, quid, quale, quantum, & ex quo titulo petatur; ſicque deliberare poſſit, an ſibi cedendum ſit, nec ne; atque inſuper Judex, cauſa ritè diſcuſſa, conformem libello ſententiam ferre queat. Hinc *in c. 2. b. t.* reprobatur libellus Actoris, repetentis terram à Reo plures terras poſſidente, & non ſpecificantis terram illam, quam repetebat: quia hujuſmodi libellus, utpote generaliter conceptus, erat obſcurus, atque æquivocus.

6 Addit Gailus *lib. 1. Pract. Obſervat. 62. nu. 3.* Libellum quinque modis reddi obſcurum; videlicet, ratione æquivocationis, generalitatis, locutionis non coarctatæ, vel alternativæ, ac infinitatis: quamvis, quod attinet ad alternativam, hoc dictum nonnullas patiatur limitationes, de quibus agit Vallenſis *b. t. num. 4. & ſeqq.* & Gailus *cit. Obſervat. 62. num. 4. & ſeqq.* Sic enim tenet libellus alternativus, quando agitur *ex l. 2. C. de Reſcindend. vendit.* nam venditor læſus ultra dimidium pretium, debet in libello concludere, ut vel emptor ſuppleat juſtum pretium, vel reſtituat rem emptam, per textum ibidem: & ſi alterum præciſè petat, ſuccumbit, *c. Cùm dilecti, 3. de emption. & vendit.* Similiter in actione hypothecaria ſuſtinetur libellus alternativus, ut Reus condemnetur vel ad traditionem rei obligatæ, vel ad ſolvendum debitum, *l. Si fundus hypothecæ §. In vendicatione ff. de Pignorib.* Tacentur nonnulli alii caſus.

7 Dicitur tandem, *Actoris, ſive Accuſatoris*. Nam Libellus alius eſt *civilis*, ſive conventionalis, ſeu poſtulationis, qui datur in civilibus cauſis; in his enim actionem contra alium intentans, ſive quidpiam ab eo in judicio poſtulans, proprio nomine appellatur *Actor*. Alius verò dicitur *Libellus criminalis*, qui videlicet criminis accuſationem continet: nam tunc agens contra alium criminaliter, dicitur *Accuſator*.





8 Reſp. II. Libellus tribus partibus conſtare ſolet, videlicet narratione facti, cauſa petendi, ſive medio concludendi, & ipſa concluſione. Ita Engel *b. t. n. 1.* cum communi. Imprimis enim præmiſſo nomine, ac competenti titulo Judicis (hujus quippe nomen exprimi neceſſe eſt, ut Reo conſtare valeat, an is ſit competens, nec ne; quamvis neceſſe non ſit, ut ejus nomen proprium exprimatur in libello, ſed ſufficiat eum appellare à ſuo officio, ſive juriſdictione. Pirhing *b. t. n. 15.*) Præmiſſo, inquam, nomine Judicis, oportet narrare factum cum neceſſariis circumſtantiis: deinde addere medium concludendi, ſive cauſam ipſam petendi aliquid in judicio: & tandem ſubjungere concluſionem, ſive actualem petitionem; prout in progreſſu ampliùs declarabitur.

9 Et hoc totum deſervit ad ſolutionem illius quæſtionis, *Qualiter concipiendus ſit Libellus?* Reſp. enim, Libellum ita concipiendum, ut detur in ſcriptis, ſit brevis, ſimulque clarè explicet intentionem Actoris, & conſtet tribus iſtis partibus. Unde Gloſſa *cap. 1. b. t.* ea omnia, quæ in libello exprimenda ſunt, ſequentibus verſiculis aptè complectitur.

*Quis, quid, coram quo, quo jure petatur, & à quo:*
*Rectè compoſitus quiſque Libellus habet.*

10 Quæritur II. An, & quomodo oporteat in Libello exprimere cauſam petendi, ſive medium concludendi? Ubi prænotandum, quid ſit Actio realis, & perſonalis: quia inter utramque quoad propoſitum eſt notabile diſcrimen. Et quidem

11 *Actio realis* ea eſt, quæ adhæret rei, ipſamque inſequitur: adeò, ut in cujuſcumque manus res nobis obligata devenerit, ab eodem repoſci, & vendicari poſſit; & ſi probaverimus, rem eſſe noſtram, etiam in judicio neceſſe habeat poſſeſſor eam nobis reſtituere. *§. Omnium Inſtit. de Actionib. & l. Officium ff. de Rei vendicat.* Atque hæc alio nomine appellatur *Actio in rem*, item & *Rei vendicatio*: nam *Vendicare rem*, ſive (ut Moderni paſſim loquuntur) *Vindicare*, idem eſt, ac rem ſibi appropriare, & dicere eſſe ſuam; ac per hoc intendere, ut ſententia judiciali res illa declaretur eſſe ſua, ejuſque dominium ſibi applicetur.

12 *Atque perſonalis*, ſeu *Actio in perſonam*, eſt illa, quæ proximè tendit in perſonam nobis obligatam ex contractu aliquo, vel delicto. Et dicitur, *perſonalis*: quia, licèt hæc actio ſit in ordine ad aliquid recuperandum ab adverſario, quod tibi fieri, vel dari ab eo petis; nihilominùs actio illa ita cohæret perſonæ, ut ipſa contrarium, qui rem illam fortè detinet, inſtitui non poſſit. Sic, ubi mutuo dediſti Cajo centum florenos, quos ille poſteà Titio donavit, & tradidit, actio perſonalis duntaxat contra Cajum, nulla verò contra Titium tibi competit. Similiter, quando Cajus te damnificavit, incendendo v. g. ſegetes, aut interficiendo equum tuum, tunc contra ipſum competit tibi actio perſonalis: habes enim ejus perſonam ex delicto ſuo tibi obligatam ad recompenſandum damnum illatum. Et idem dicendum in ſimilibus.

13 Porrò in qualibet harum Actionum duplex poteſt diſtingui cauſa petendi, proxima videlicet, & remota, ſed diverſimodè. In Actione reali enim cauſa proxima petendi, eſt dominium: ideò enim poteſt quis in judicio petere rem aliquam, ad cujuſcunque manus devenerit, quia eſt dominus ejus, *l. In rem, ff. de Rei vendicat.* ibi: *In rem actio competit ei, qui aut Jure gentium, aut Jure civili dominium acquiſivit.* Cauſa verò remota in actione reali eſt factum, ex quo cauſabatur dominium: puta, quia fuit mihi legata, vel vendita, ſimulque tradita. Econtra in Actione perſonali cauſa proxima petendi, eſt obligatio: ſive, quia alter, ſive ex contractu, ſive ex delicto, eſt mihi obligatus: cauſa remota verò eſt ipſemet contractus, ſive delictum, ratione cujus alterum habeo mihi obligatum. His prænotatis

14 Reſp. I. Omnino neceſſe eſt, ut cauſa petendi, ſive medium concludendi in libello exprimatur: cum hoc tamen diſcrimine, quòd in actione reali ſufficiat exprimere cauſam proximam, petendo videlicet rem ratione dominii ſibi competentis, & non ſit neceſſe dicere, ex qua cauſa ſive titulo dominium ſibi fuerit acquiſitum: in actione verò perſonali teneatur quis exprimere cauſam remotam, ſive titulum, v. g. contractum, ex quo mota fuit obligatio, & non ſufficiat exprimere ſolam cauſam proximam. Ita Gloſſa *un. in c. Significantibus*, & Abbas *ibid. n. 13. b. t.* Gailus *lib. 1. Pract. Obſervat. 61.* Zoeſius *b. t. num. 3.* Engel, & communis.

15 Prior pars, videlicet in libello exprimendam eſſe cauſam petendi, patet ex eo: quia Reus conventus debet ex libello ita de ſtatu cauſæ certior reddi, ut deliberare poſſit, num cedere, an contendere velit; hoc autem fieri non poſſet, ſi cauſa petendi in libello non exprimeretur. Hinc *cap. ult. b. t.* dicitur, quòd Reus non teneatur reſpondere, ſi libello non exprimitur cauſa petendi, ſed poſſit contra excipere, ac, ſi Judex nolit admittere hujuſmodi exceptionem, ab eo appellare: quia Judex non admittens legitimam exceptionem, gravat, ſicque poteſt ab ipſo appellari.

16 Si tamen Reus non exciperet, nec appellaret, valeret judicium, *arg. cit. cap. ult. b. t.* ubi ad invalidandum Acta judicii ponderatur & exceptio, & appellatio: Hoc ipſum clarius patet *ex c. Abbate ſanè. §. Secùs autem de Sentent. & re judicat. in 6.* & notat Abbas *cap. ult. n. 2. b. t.* poſt Innocentium *ibid.* iſtud ulteriùs probantem *ex L. ult. C. de Annali except.*

17 Altera pars, ſimulque ratio diſparitatis, ex eo ſuadetur: quia, cùm plures non poſſint habere ejuſdem rei dominium in ſolidum, *c. Licèt de Probat.* expreſſa cauſa proxima in Actione reali, hoc eſt allegato ab Actore dominio, ſufficienter Reus deliberare poteſt, num cedere velit, nec ne. Secùs eſt in Actione perſonali; cùm ex pluribus cauſis poſſit quis alteri eſſe obligatus, eidemque quidpiam debere: unde cauſa remota petendi non expreſſa in Actione perſonali, ſemper eſſet incertum jus agendi, ſicque Reus nunquam poſſet deliberare.

18 Quæritur III. Utrùm etiam nomen actionis ſit exprimendum in Libello? Reſp. negativè, præſertim ſpectato Jure Canonico. Textus eſt *in c. Dilecti 6. de Judiciis.* Sufficit enim factum ipſum, reique veritatem clarè proponere, ſimulque cauſam petendi, ſive medium concludendi, ipſamque concluſionem aptè proponere: nam inde qualitas intentatæ actionis ſufficienter colligitur, ac demonſtratur; ac proinde non eſt ulterius *ſubtiliter, cujuſmodi actio intentetur, inquirendum*, ut loquitur ibidem Pontifex.

19 Quòd ſi verò obſcurum ſit quæ actio fuerit intentata, Judex ex deductis eam elicere debet, quæ Actori præ cæteris erit utilior. Nam in dubio cenſetur intentatum illud remedium, ſive actio illa, quæ meliùs facto applicari poteſt, *l. Si quis intentione ff. de Judiciis*; ibi: *Si quis intentione ambigua, vel oratione uſus ſit, id quod utilius ei eſt, accipiendum eſt.* Et hoc præſertim tunc, quando in libello clauſulæ ſalutares adjectæ ſunt; ut illa: *Super quibus omnibus peto mihi juſtitiam adminiſtrari omni modo meliori.* Gailus *lib. 1. Pract. Obſervat. 61. n. 9. & ſeqq.*

20 Dicitur notanter in data *n. 18.* Concluſione, *præſertim ſpectato Jure Canonico.* Nam multi volunt, de rigore Juris Civilis ipſummet actionis nomen eſſe exprimendum; ut *l. Edita actio, ff. de Edendo*, ibi: *Qua quiſque actione agere vult, priùs eam edere debet*, juncta *L. 3. C. eod.* Verùm Gloſſa *in Auth. de exhibendis reis §. Sancimus Collat. 5. verſ. Libellum*, notat, de conſuetudine ſervari, ut non exprimatur nomen actionis: nam ubi Reus poteſt eſſe certus per rem & cauſam petendi, videtur id ſufficere. Quinimò Zoeſius *b. t. n. 4.* poſt Azonem *ad Tit. Cod. de Edend.* & Jaſon *cit. l. Edita actio n. 2.* tradunt, neque de Jure Civili eſſe neceſſe, nomen actionis exprimere: tum quia nihil refert, proprio nomine quid exprimatur, an demonſtretur per æquipollens, *l. Certum ff. de Rebus credit.* Tum quia in Jure Canonico ſic clarè deciſum habetur, *c. Dilecti de Judic.* ac proinde illud etiam de Jure Civili tenendum videtur, eò quòd præſens materia ſit dubia, & ſub *Actione* edenda commodè intelligatur libellus continens petitionem Actoris, ac Judici offeren-

dus. In praxi tamen oportet attendere conſuetudinem ſingulorum Tribunalium; ut rectè notat Jaſon *cit. n. 2.* poſt Baldum *in l. Majoribus C. Communia utriuſque judicii.*

21 Dices. Etiam de Jure Canonico neceſſe eſt, actionem exprimere, juxta *cap. 1. de Mutuis petition.* ibi: *Actione Plebani propoſita & reſponſione facta:* juncto *c. Examinatæ 15. de Judiciis*, cum ſimilibus, ut legitur, actionem fuiſſe expreſſam. Reſp. negat. aſſumptum: quia in priori Capitulo per *actionem* intelligitur petitio Plebani, utpote Actoris: nam hujus petitio neceſſariò eſt exprimenda in libello, non item nomen actionis. Ad alterum dicitur, licèt non ſit neceſſe ſecundùm Canones, nomen actionis in libello exprimere, tamen ubi Actor vult eam proponere, is admittitur: ſi tamen ineptam actionem propoſuiſſet, ſuccumbit; quamvis refuſis adverſario expenſis, de novo poſſit poſteà aliam, & aptam actionem proponere, *c. Examinata, de Judic.* Gloſſa *in c. Dilecti verſ. Actio intentetur eod.* & concordant dicenda inferiùs *n. 30.*

22 Quæritur IV. An, & qualiter Concluſio in libello ſit addenda? Reſp. hic eſſe diſtinguendum inter actiones civiles, & criminales. Et quidem in Libello actionum civilium opus eſt Concluſione; exprimendo, quid, & quantum, & quale ſit, quod Actor petit: alioquin enim Reus neſciret, quæ ſit intentio Actoris, ſicque deliberare non poſſet; neque Judex conformem libello ſententiam ferre. Nam non attenditur in libello, quid, quantum, & quale narretur, ſed quantum ex narratis concludatur: quia Concluſio libelli reſtringit narrata ad ea, quæ in Concluſione exprimuntur; poteſtque Actor, ſi vult, minori ſatisfactione contentus eſſe: licèt ſtante dubio libellus in favorem Actoris interpretandus ſit. Gailus *l. 1. Pract. obſervat. 61. n. 13. & obſervat. 66. n. 6. & ſeqq.* citans alios.

23 E contrà in actionibus criminalibus non eſt opus concluſione, ſed ſufficit ſola facti narratio abſque alia concluſione. Ratio hujus eſt: quia in criminalibus lex ipſa concludit, quæ certam delictis pœnam determinat: neque eſt in poteſtate Accuſatoris, aliquid de tali pœna remittere, cùm hæc vel dependeat à Lege communi; vel, ſi eſt arbitraria, committatur Judicis arbitrio, ſicque fruſtrà exprimeretur ab Accuſatore. Intellige, dummodò pœna non ſit pecuniaria, cujus pars accuſatori veniat applicanda: nam tunc rectè ſit concluſio, etiam in cauſa criminali. Gailus *cit. obſervat. 61. n. 19.* Zoeſius *h. t. n. 5.*

24 Reſp. II In actionibus civilibus concluſio libelli ita fieri debet, ut ſi agatur actione reali, ſeu rei vendicatione, res petita ſufficienter ſpecificetur, ſive deſignetur, ſimulque addatur, an ea petatur tota, vel pars ejus, & qualis: ſi verò agatur actione perſonali, exprimere oportet, quantum petatur. In judiciis tamen univerſalibus non eſt neceſſe exprimere, ſive deſignare ſingulas res, ſed ſufficit dicere; v. g. *Peto talem hæreditatem, utpote legitimus hæres: Peto Eccleſiam cum ſuis pertinentiis.* Ita Gloſſa *c. 2. h. t.*

25 Addit Engel *h. t. n. 6.* & Gailus *l. 1. Pract. Obſerv. 61. n. 9. & ſeqq.* quòd concluſioni libelli civilis plerumque ſoleant addi clauſulæ ſalutares, in hunc fermè modum: *Super his omnibus peto mihi jus, & juſtitiam adminiſtrari omni meliori modo, & forma, qua de jure, ſtatuto, vel conſuetudine fieri poteſt.* Nam per hujuſmodi clauſulam ſalutarem cenſetur Actor omne ſuum jus in judicium deduxiſſe, etſi non fecerit expreſſam de omnibus & ſingulis mentionem. Hinc ſi Actor ſimpliciter petierit, rem ſuam ſibi reſtitui, nulla facta de fructibus & expenſis mentione, Judex juxta multos Doctores (etſi diſſentiat Pirhing *tit. de ſentent. & re judicat. n. 31.*) non tenetur Reum condemnare in reſtitutionem fructuum, & expenſarum: benè tamen, ſi appoſita fuit ejuſmodi clauſula ſalutaris, quia per hanc cenſetur officium Judicis ſuper omnibus aliis imploratum.

26 Quæritur V. An Libellus ſemel oblatus poſſit mutari, vel emendari? Ubi notandum, hæc duo differre: nam *Mutatur libellus*, quando actio propoſita, vel cauſa petendi expreſſa commutatur, atque alia proponitur; vel quando receditur à re petita, & alia petitur aut ipſum factum narratum mutatur, *arg. l. un. C. de mutation. nomin.* E contra *Emendatur libellus*, quando vitium aliquod ipſius, aut obſcuritas tollitur, ſalva libelli ſubſtantia; uti ſit ſuperflua reſecando, obſcura declarando, verba aliqua addendo, vel mutando, manente eadem ſententia, *arg. l. un. C. de emendat. C.* Abbas *in c. ſignificantib. n. 24. h. t.* Vallenſis *eod. n. 11.* His prænotatis

27 Reſp. I. Libellus Judici oblatus, tam in cauſis civilibus, quàm criminalibus, poteſt per Actorem mutari uſque ad litem conteſtatam; non verò poſt: niſi cum refuſione expenſarum velit quis ex toto recedere à priori libello, atque inſtantia, & novum libellum offerre. Ita Gloſſa *un. in c. ſignificantib. circa med. h. t.* & Vallenſis *eod. n. 11.* Pirhing *n. 18.* Gailus *Practic. Obſerv. 74. n. 4. & ſeqq.* & alii. Prior pars habetur *in l. edita actio. C. de edendo*, ubi dicitur: *Edita actio* (ſive libellus) *ſpeciem futuræ litis demonſtrat, quam emendari vel mutari licet, prout edicti perpetui monet authoritas, vel jus reddentis decernit æquitas.* Quæ poſteriora verba Bartolus *ibid. §. Sed quæro*, ſic explicat: *Hoc eſt, quòd ſit Reo ſalvum jus deliberandi & defendendi* (hoc enim Edicti perpetui *l. 1. ff. eod.* monet authoritas) *& quòd ſibi reſtituantur expenſæ, ſi æquum viſum fuerit judici.* Hæc ille. Si tamen ex tali alteratione libelli Reus damnificaretur (putà, quia ſecundùm priorem libellum quærendo Advocatos jam fecit expenſas, aut hujuſmodi) tunc Actor debet ipſi condemnari ad reficiendas expenſas. Gloſſa *un in c. ſignificantib. poſt med.* & Abb. *ibid. n. 32. h. t.* Bartol. *in l. Edita actio §. Quæro quid vult dicere. C. de edendo*, & alii.

28 Et quamvis Gloſſa *in cit. l. Edita ℣. Emendari*, dicat, hoc eſſe intelligendum, quando Reus necdum eſt conventus, neque libellus eidem datus; alioquin enim ſi libellus jam fuit Reo exhibitus, non poteſt (inquit) ampliùs ex toto mutari, ſed tenetur Actor in actione perſiſtere, *Auth. qui ſemel C. quomodo, & quando Judex &c.* Nihilominus, quòd poſſit libellus judici oblatus mutari uſque ad conteſtationem litis, haud obſtante dicta Authentica, docet Jaſon *in cit. l. Edita actio n 28. C. de edendo*, dicens, omnes alios ſic tenere. Quinimò Fachineus *lib. 11. controverſ. jur. cap. 94.* poſt Menoch. *de arbitrar. Judic. in addit. ad caſ. 176. n. 62.* arbitratur, ſæpiùs permiſſam eſſe emendationem libelli ante litem conteſtatam, quoties videlicet bonus Judex æquum eſſe judicaverit: quidquid Baldus *in cit. l. Edita*, & nonnulli alii contrà dicant, volentes, eam ſemel tantùm fieri poſſe. Neque obſtat *cit. Auth. Qui ſemel.* Loquitur enim in Actore procraſtinante, & malitioſè differente procedere, ut inſtantia pereat; prout liquet *ex Auth. de litigioſis §. omnem Collat. 8.* unde altera deſumpta eſt. Atqui mutans libellum, non vult malitioſè procraſtinare, ſed ſerio procedere, renunciando tamen in totum primæ actioni, & aliam intentando, & ſic poteſt ante litem conteſtatam.

29 Altera pars probatur *ex cit. Auth. Qui ſemel & l. Nemo C. de Juriſdict. omn. judic. & l. Non poteſt ff. de judiciis*, cum concordantiis. Siquidem poſt litem conteſtatam judicium eſt plenè cæptum: ſimulque per actum conteſtationis litis celebratur quidam quaſi contractus, per quem obligatur quis principaliter ipſi inſtantiæ: hoc eſt, ad ſtandum judicio, donec ſit finitum; & per quandam conſequentiam ad præſtandum id, quod per ſententiam judicis dijudicabitur. Et hinc non mirum, poſſe libellum mutari ante litem conteſtatam, non verò poſt: adeò quidem, ut ne quidem de partium conſenſu liceat mutare libellum poſt litis conteſtationem: nam conteſtatio litis, aliique actus ſubſtantiales judicii, non poſſunt tolli partium conſenſu. Gloſſa *in c. De cauſis. ℣. Conſenſu partium de Offic. delegat.* Gailus *loc. cit. n. 9.* Vallenſis *h. t. n. 12.* & alii.

30 Intellige, niſi refuſis expenſis velit Actor à priori libello, atque inſtantia, ex toto recedere, & aptiorem actionem intentando novum libellum Judici offerre: pro ut fieri poſſe, habetur expreſſum *in c. Examinata 15. de judiciis*; ac notat Abb. *ibid. n. 5. & n. 22.* Vallenſis *h. t. n. 12.* Bartol. *in cit. l. Edita actio §. Quæro quid vult dicere C. de edend.* ex textu illius Legis probans neceſſitatem refectionis expenſarum, quando, Reus ex libello ineptè concepto, ac poſtea emendato, vel mutato damnificatus eſt. Idem deſumitur *ex l. Eum quem temere de judiciis, & §. Hæc autem. Inſtit. de Pœna temerè litigant.* ubi ille, qui alterum temere vocavit ad judicium, punitur in expenſis. Ac per hoc patet ad ultimam partem datæ concluſionis.

31. Reſp.



31 Reſp. II. Emendare libellum, vel eundem declarare, ſi quid obſcurius contineat, licitum eſt uſque ad ſententiam. Ita Bartol. *in cit. l. Edita §. quandoque volo C. de eden.* & favet textus ibidem juncta *l. Si quis intentione ff. de Judiciis.* Abbas *c. Significantibus n. 25. h. t.* Vallenſis *eod. n. 12.* Sannig *cap. 2. n. 12.* & tradunt Doctores paſſim; quorum tamen aliqui (ut Pirhing *h. t. n. 19.*) per ſententiam hoc loco intelligunt Concluſionem in cauſa.

32 Hinc ſi Actor de ſumma rei petitæ aliquid diminuere velit, erit audiendus, *arg. l. Quidam ff. Si certum petatur.* Item, ſi erravit minùs petendo, quàm ad eum pertinuerit, v. g. petendo quinque aureos, cùm ei deberentur decem; poterit Actor emendare libellum, ac etiam reſiduum petere, *§. Si minus. Inſtit. de Action.* Sic enim non mutatur ſtatus cauſæ, ſed vel explicatur duntaxat libellus, vel remanente eadem actione quidpiam additur, aut demitur primæ petitioni, cæteroquin perduranti.

33 Quæritur VI. Quid juris, ſi Actor cauſam in libello expreſſam non probet, benè tamen aliam? Reſpond. I. Quando Actor quidpiam petens expreſſit in libello certam cauſam, eamque poſtea non probat, tunc is ſuccumbit, licèt aliam probet. Patet hoc ex *c. Abbate ſanè 3. §. Cæterùm & ſeqq. de Sent. & re judicat. in 6* & notat ibidem Jo. Andreas *in Summario.* Vivianus *in Rationali §. 1. & ſeqq.* Barboſa *in Collectan. n. 1.* & alii, inde inferentes, quòd ſi quis in judicio petat ſibi rem aliquam dari (actione reali, ſeu perſonali) ſimulque expreſſerit certam cauſam, ex qua ejuſmodi rem petivit; illa cauſa non probata Reus abſolvendus ſit; haud obſtante, quòd forſan Actor aliam cauſam probaverit. Accedit ratio: tum quia ſententia eſt ferenda juxta petitionem libelli; nam fatuus eſt judex, qui ultra petita judicat, *arg. L. ult. C. de Fidei commiſſar. libert.* & tradit Barboſa *in c. ult. n. 5. de Offic. Judic.* Tum quia Actor tenetur juſtificare libellum ex cauſa expreſſa, ſive in judicium deducta, & non ex alia: exprimendo enim unam determinatam cauſam, videtur illam duntaxat in judicium deduxiſſe, & non aliam. Abbas *in c. Dilecti n. ult. h. t.* poſt Innocentium *in c. Ex parte de Privileg.*

34 Cæterùm dictum illud, quòd Actor quidpiam certa cauſa expreſſa petens, & cauſam illam non probans, etſi probet aliam, ſuccumbat: intelligendum eſt pro illo judicio. Talis enim idcircò non prohibetur, ex cauſa illa nova (ſive hæc jam extiterit tempore litis conteſtatæ, ſive poſteà primùm emerſerit) denuò agere, ſeu inſtituta nova interpellatione, ac inſtantia, rem illam judicialiter repetere. Gloſſa *in cit. c. Abbate ſanè §. fin. verſ. Hujuſmodi de Sent. & re judicat. in 6.* Id probans *ex c. Examinata de Judiciis, & l. Si mater §. 1. ff. de Exception. rei judic. & l. Hæreditas materteræ. C. de Petition hæredit.* Abb. *in c. Significantibus n. 14. h. t.* Pirhing *eod. n. 9.* & alii.

35 Nec obſtat exceptio rei judicatæ ob ſententiam in priori judicio latam; haud obſtante, quòd alioquin *res judicata pro veritate accipitur*, l. Res judicata. ff. de Reg. Jur. Nam ut taceantur aliæ fallentiæ hujus Regulæ, ibidem per Gloſſam adductæ, dicta Regula, ſimulque exceptio rei judicatæ, ſolùm procedit, quando Actor ſuccumbens nulla cauſa expreſſa, ſed generaliter egerat; quia tunc videtur totum jus ſuum in judicium deduxiſſe, ſicque ex toto ſuccubuiſſe. Secùs, quando ejuſmodi Actor expreſſit duntaxat certam cauſam, & hanc non probando ſuccubuit; quia tunc hoc ipſo, quòd necdum totum jus ſuum in judicium deduxerit, non obſtat ipſi exceptio rei judicatæ, volenti agere ex alia cauſa, atque in alia inſtantia. Abbas *cit. n. 14.* Atque ut hoc ampliùs intelligatur, hinc ad propoſitam Quæſtionem

36 Reſp. II. Si autem Actor certam cauſam in libello non expreſſit, ſed rem aliquam in genere tantùm petivit, putà, jure dominii (prout fieri poſſe in actione reali, jam ſuprà *n. 17.* dictum fuit) tunc ſufficit probare quamcunque juſtam cauſam, etiamſi talis primùm poſteà, ſeu lite jam conteſtata ſupervenerit. Ita patet *ex cit. c. Abbate ſanè §. Secùs autem & §. Præfatus autem de Sentent. & re judicat. in 6.* ubi Gloſſa *verſ. Conſcientia* & Vivianus *in Rationali §. fin.* & Barboſa *ibid. n. 9.* & alii. Concordat textus *in l. Si mater §. Eandem ff. de Except. rei judic.* ubi & hujus ratio redditur illis verbis: *Nam qualecunque, & undecunque dominium acquiſitum habuerit, vendicatione prima* (generaliter propoſita) *in judicium deduxit.*



37 Unde non obſtat, quòd cauſa dominii poſteà primum emergente, à principio minùs juſtè facta fuerit petitio. Non obſtat, inquam: quia non idcircò minùs valuit, & tenuit judicium ſubſecutum; ſimulque cognita rei veritate (ſeu, quòd ante latam ſententiam ſupervenerit juſta cauſa dominii in genere, ac nulla ſpeciali cauſa expreſſa per Actorem allegati) non poſſet Judex in contrarium libera & ſecura conſcientia pronunciare; quinimò contra conſcientiam judicaret abſolvendo Reum, & pronunciando, quòd Actor non probaverit cauſam dominii: prout ampliùs oſtenditur *in cit. c. Abbate ſanè §. Secùs autem*, inde concludendo quòd *Actori ſuam ex ſuperveniente cauſa intentionem ſufficiat fundaviſſe, cùm egit aliqua cauſa ſpecialiter non expreſſa: ſecùs tamen, ſi certam & ſpecialem in ſua petitione ſubjunxit, niſi poſtmodum intentionem ſuam ex eadem prorſus (quam priùs expreſſit) tunc etiam competenti cauſa fundarit.* Hæc ibi.

38 Quæritur VII. Qui ſint effectus oblationis libelli? Reſp. cum Hoſtienſi *in Summa h. t. n. 13.* & aliis, plures eſſe effectus ipſius. Primò, ut ſecundùm petitionem in libello formatam feratur ſententia, *c. Cùm dilectus 2. de Ordine cognit. & c. Qualiter & quando 24. §. fin. de Accuſationib.* & alibi.

39 Secundò, Libelli oblatio facit rem litigioſam, ſecuta tamen per executorem denunciatione, ſeu citatione *Auth. Litigioſa res. C. de Litigioſ.* eſtque jam dictum *Tit. 1. de Judiciis §. 1. n. 23.* Tertiò, ea interrumpit præſcriptionem, dummodò fuerit ſubſecuta per executorem conventio, ſive citatio, *l. Sicut in rem C. de Præſcript. 30. ann.* Et hoc adeò verum eſt, ut ſi quis aliquem ex multis cauſis ſibi habens obnoxium, oblato libello, & ſecuta ejus citatione, generali petitione convenerit, aut ſibi obnoxium conſtituerit, omnium actionum ſub illa generali petitione contentarum interruptio facta cenſeatur, *l. Si ex multis. C. de Annali exception.*

40 Quartò, Actor poſt libellum per Judicem Reo porrectum obligatur litem proſequi, & ad finem perducere. *Auth. Qui ſemel. C. Quomodo & quando judex &c.* Intellige, dummodò interſit Rei conventi, ut lis cæpta perficiatur, putà, quia multas jam expenſas fecit in litem: alioquin enim Actor benè poteſt litem deſerere. Pirhing *h. t. n. 20. arg. l. Poſtquam C. de Pactis.* Idemque dicendum, ſi Actor paratus ſit factas expenſas Reo refundere, juxta dicta *n. 28. & 30.*

## §. II.

## De Citatione, ejuſque requiſitis, ac neceſſitate.

*S U M M A R I U M.*

41 *Ratio agendi hic de citatione.*
42 *Citatio quid?*
43 *Citatio alia eſt juris, alia hominis.*
44 *Publica, & Edictalis; ac*
45 *Privata, ſeu perſonalis.*
46 *Simplex, & peremptoria.*
47 *Generalis, ac ſpecialis; & quid?*
48 *Ad legitimam citationem tria requiruntur.*
49 I. *Mandatum Judicis de citando.*
50 II. *Executio commiſſæ Nuntio citationis.*
51 III. *Relatio Nuntii de citatione à ſe peracta, referenda in Acta.*
52 *An ſit credendum Nuntio, aſſerenti, ſe Judicis mandato citare?*
53 & 54 *Quid, ſi Nuntius affirmet, ſe citaſſe; & Reus neget, ſe citatum fuiſſe?*
55 *In Citatione, ſeu Citatorio, generatim ſex debent exprimi. Et num. ſeqq.*
56 I. *Nomen Judicis citantis.*
57 II. *Nomen, & cognomen Rei, ſeu citandi.*
58 III. *Nomen, & cognomen Actoris.*
59 *Niſi Judex procedat ex officio.*
60 IV. *Debet in Citatorio exprimi cauſa, ob quam quis citatur.*
61 *An una cùm citatione ſit neceſſe, vel ſaltem conſultum, tranſmittere Reo tenorem libelli?*

 62. V. De-

62 *V. Debet in Citatorio exprimi locus judicii.*
63 *VI. Ac dies, ſive terminus comparendi in judicio.*
64 *Non item certa diei hora.*
65 *Et qua die hora ſunt citatus venire teneatur?*
66 *Num Judex poſſit terminum citationis prolongare, etiam altera parte invita? Remiſſivè.*
67 *Citatio eſt neceſſaria quoad abſentem. Et nu. ſeqq.*
68 *Eſtque fundamentum judicii;*
*Et cenſetur eſſe Juris naturalis, & Divini. Ibid.*
69 *Quoad præſentem non requiritur alia citatio.*
70 & 71 *Solvuntur Jura, ubi abſens, & non citans, videtur per Papum condemnatus.*
72 *Si evidenter conſtat de crimine, ſimulque certum eſt, nullam Reo poſſe competere defenſionem, non requiritur alia citatio.*
73 *Secùs ubi abſenti poteſt competere aliqua defenſio.*
74 *Concordantur jura juribus quoad hoc.*
75 *Semel verè citatus, ſi dicat, ſe nolle venire, an iterùm ſit citandus? Remiſſivè.*

41 DE Citatione non habetur ſpecialis Rubrica in Jure Canonico, ſed ſolum de ipſa fit mentio hinc inde; ut c. *Gratum, de Offic. Delegat. & c. Propoſuiſti de Foro compet. & c. Quoniam de Probat. & Clem. Paſtoralis de Sent & re judicat.* & alibi. Quamvis in Jure Civili, tam in Digeſtis, quàm Codice, de Citationibus agatur ſub ſpeciali Rubrica, *De in jus vocando.* Cæterùm quia citatio communiter ſolet ſequi oblationem libelli, atque hoc per Actorem Judici porrecto Reus citari: meritò in præſenti Titulo fit mentio etiam de Citatione, licèt nonnulli de hac agere ſoleant ad finem Tituli, *De Foro competenti.*

42 Quæritur I. Quid, & quotuplex ſit Citatio? Reſp. I. *Citatio* eſt actus legitimus, quo quis mandato Judicis juris experiundi cauſa in judicium vocatur. Ita Vallenſis *§. 3. de Foro compet. num. 2.* eſtque in re communis. Concordat textus *in L. 1. ff. De in jus vocando*: ibi: *In jus vocare, eſt juris experiundi cauſa vocare.*

43 Reſp. II. Citatio variè dividitur. Et primò quidem alia eſt juris, alia hominis; prout deſumitur *ex Clem. Multorum de Pœnis*, ibi; *Ne citati ad Apoſtolicam Sedem ab homine, vel à jure, venire valeant.* Atque ex his *Citatio à jure* dicitur quando jus, ſive lex ipſa certum terminum ſtatuit, intra quem debeat quis judicio ſe ſiſtere. Exemplum hujus reperitur *in cap 1. Cupientes, de Electi on in 6.* ubi tum electi ad Dignitatem, vel Beneficium Eccleſiaſticum, tum electionem ipſam impugnantes, infra certum tempus per ſe, aut procuratorem ſuum, tenentur Sedem Apoſtolicam adire, ſicque illuc ipſo jure citantur. Simile quid habetur *in c. Quamvis §. Si autem de Offic. Ordinar. in 6 c. 1. de Appellat. in 6.* Econtrà verò *Citatio ab homine* dicitur, quæ fit de ſpeciali Judicis mandato. Et hæc poſtmodum variè ſubdividitur. Unde

44 Secundò, citatio alia eſt publica, alia privata. *Citatio publica* dicitur illa, quæ fit publicè, ſeu coram tota Communitate. Atque hæc contingit dupliciter, videlicet voce Præconis, aut per Edictum in publico loco affixum; quarum poſterior proin appellatur *Citatio Edictalis*, ac præcipuè locum habet, quando Reus latitat, nec inveniri poteſt; ut *c. Cauſam quæ*, juncta Gloſſa *V. Ad domum, & c. Venerabilis, de Dolo, & contumac.* & ampliùs *§. ſeqq* dicetur.

45 Econtra *Citatio privata* dicitur ea, quæ fit privatim in perſonam citandi. Atque hæc alio nomine appellatur *Citatio perſonalis*; & ſubdividitur in *verbalem*, quæ fit vel viva voce per nuntium, ſeu apparitorem, vel per litteras à Judice ad Reum citatum directas: & in *realem*, quæ fit per manus injectionem, ſive per apprehenſionem, ac capturam perſonæ citandæ.

46 Ulteriùs citatio dividitur in ſimplicem, & peremptoriam. *Citatio ſimplex* eſt, quæ citatum non priùs contumacem reddit, quàm tribus vicibus, ac juſto temporis intervallo facta fuerit. *Peremptoria* verò, quæ addita clauſula *peremptoriè*, & obſervato juſto temporis intervallo, pro tribus ſimplicibus decreta eſt. Et hæc dicitur, *peremptoria*: quia tres ſimplices citationes ita perimit, ut in jus vocatum, ſi præfinita die non comparuerit, contumacem conſtituat, *l. Nonnunquam, ff. de Judic.* cum ſimilibus, & ampliùs infrà *§. 3. n. 102. & 103* dicetur

Tandem *Citatio* alia eſt *generalis*, qua nimirum generaliter authoritate Judicis in judicium vocatur, quicunque ſua intereſſe putaverit. Alia verò dicitur *Citatio ſpecialis*, per quam videlicet certa perſona in judicium vocatur. 47

Quæritur II. Quæ requirantur ad legitimam citationem? Reſp. Tria ad eam requiri; adeò, ut ſi vel unum eorum omiſſum fuerit, aut non legitimè adhibitum, citatio non valeat, nec arctet citatum ad comparendum. Ita Maranta *part. 6. Speculi Aurei, tit de Citatione, n. 51. & ſeqq.* Pirhing *tit. de Foro competent. n. 222. & ſeqq.* ac alii. Idque probatur inductione: ſiquidem 48

Primò, ac ex parte Judicis, ad omnem legitimam citationem requiritur mandatum, ſeu commiſſio Judicis de citando: alioquin citatio non valet, *arg. c. Ex parte 5. 12. §. Quam cum de Reſcript. & l. Sed ſi hoc §. fin. ff. De in jus vocand* ibi: *Prætor ait, in jus ſine permiſſu meo ne quis vocet.* Concordat textus *in L. ult C. de Exhibend. reis*, ubi præcipitur, neminem in judicio exhibendum eſſe, niſi de cujus exhibitione judex pronunciarit. Quamquàm Gloſſa *un. ibid.* hoc intelligat de privato; ſecùs, in publico Officiali ad denunciandum crimina Reorum conſtituto, *ut l. Ea quidem. C. de Accuſation.* 49

Secundo, ac ex parte Nuntii, Curſoris, ſeu Apparitoris citantis, requiritur executio commiſſæ ſibi per Judicem citationis, videlicet, ut hanc actu exequatur. Et hoc patet ad ſenſum, quia ad hunc effectum committitur ipſi citatio: quæ quidem in perſonam Rei facienda eſt, ſi invenitur *cap. ult. de Dolo, & contumac. & c. Cauſam quæ.* Juncta Gloſſa, *verſ. Ad Domum, etc.* Quòd ſi verò Reus diceſſit, reliquit tamen procuratorem, tunc iſte eſt citandus: ſi autem non dimiſit procuratorem, tunc ad domum, vel Eccleſiam abſentis facienda eſt citatio, *d. c. Cauſam quæ*, & Gloſſa *ibid.* Et ſi impediat, ſeu faciat etiam ſe celando, ne citatio ad eum poſſit pervenire, jam propoſito publico Edicto citari, & arctari poterit, *Clem. 1. de Judiciis, & Extravag. Rem non novam de Dolo, & contumac. inter Communes*, & ampliùs dicetur infrà §. 3. 50

Tertiò, ac rurſus ex parte Nuntii, requiritur, ut is de citatione à ſe peracta faciat relationem Judici, quæ per Notarium in Acta referri debet, ut de ea legitimè facta conſtet, *c. Quoniam, 11. de Probation.* Nam citatio eſt de proceſſu, ac de forma ſubſtantiali ipſius, *can. De illicita 24. q. 3. & cap. ult. §. Porrò: Ut lites non conteſt. & Clem. Sæpè contingit de Verb. ſignif.* Maranta *loc. cit. n. 54. & 55.* ubi proin poſt Bartolum *in l. Hæc autem §. Non defendi ff. Qu bus ex cauſis in poſſeſſ.* & alios concludit, quòd ſi non reperitur deſcripta Nuntii relatio in Actis, nec valeat relatio, nec aliquis poſſit reputari contumax: quia ad hoc, ut quis puniatur ut contumax, debet liquere Judici, quòd ſit contumax; hoc autem non poteſt judicialiter liquere, ſi Nuntius relationem de facta citatione ad Acta non repoſuit. Verùm occaſione præmiſſorum 51

Quæritur III. An ſit credendum Nuntio, aſſerenti, ſe citare de mandato Judicis; vel affirmanti, ſe ritè citaſſe, ubi Reus negat, ſe citatum fuiſſe? Reſp. I. Nuntio publico, ac jurato, ratione publici muneris credendum eſt, ſi aſſerat, ſe ex Judicis mandato quempiam citare: ſecùs dicendum de Nuntio privato, quia huic non creditur ſine litteris citatoriis, ſeu Judicis commiſſionem continentibus. Ita Gloſſa *in c. Cùm parati 19. verſ. Suus nuntius* & Abbas *ibid n. 12. de Appellation.* Maranta, *ubi ſuprà n. 45* & alii. Prior pars deſumitur *ex cit. c. Cùm parati*: nam in publico, ac jurato Nuntio, cenſetur eſſe electa induſtria, & fides perſonæ; ſicque ipſi ratione publici officii, quod gerit, eſt credendum. Poſterior autem pars probatur tum à ſenſu contrario, tum *ex c. Prudentiam 21 de Offic. Delegat.* ibi: *Per certum nuntium, vel executorem litteratoriè deſtinatum.* Nunc loquendo quantùm ad alteram partem propoſitæ Quæſtionis 52

Reſp. II. Etiam ſi pars neget, ſe citatam fuiſſe, adhuc magis creditur Nuntio publico, ac jurato, aſſerenti ſe legitimè citaſſe, præſertim in cauſis civilibus: niſi Judex ex aliis conjecturis, & habito reſpectu ad qualitatem cauſæ, & perſonarum, contrarium arbitretur. Ita Gloſſa *in c. Quoniam 11. verſ. Citationes de Probation.* Abbas *cit. n. 12* Maſcardus *de Probation. Concl. 291. num. 25.* Gailus *lib. 1. Practic Obſervat. 54. nu. 3.* Pirhing *tit. de Foro compet. num. 225.* & alii. Ratio prioris partis eſt, quæ ſuprà: nam 53



nam in Nuntio publico, ac jurato, cenſetur eſſe electa induſtria & fides perſonæ; ac proinde ratione publici muneris, quod gerit, ac juramenti religionem, ipſi de facto proprio deponenti credendum eſt; quamvis ſecùs dicendum foret de Nuntio privato, niſi hic factam à ſe citationem probaverit per teſtes, aut alia legitima documenta.

54 Poſterior pars ſolet exemplificari in caſu, quo Nuntius publicus aſſerit, ſe citaſſe v. g. Epiſcopum, vel aliam inſignem perſonam, & iſta neget, ſe fuiſſe citatam: nam tunc utique potiùs foret credendum tali inſigni perſonæ, præſertim juramentum præſtanti de non facta ſibi citatione, quàm ſoli Nuntio illi, qui plerumque ſolet eſſe perſona vilis. Abbas, *ubi ſuprà* Maranta *loc. cit. num. 53.* & alii. Additur verò, *præſertim præſtanti juramentum*: nam Gloſſa marginalis *in cit. c. Quoniam de Probation.* quæ eſt Jo. Andreæ, notanter inquit, quòd ſaltem quoad hoc credatur Nuntio publico, ut negans cogatur jurare, ſe non fuiſſe citatum, *arg. c. Ex litteris 4. De in integrum reſtitut.* Addit Sigiſmund. Scaccia *lib. 1. de Judiciis, cap. 33. n. 23.* aliud exemplum, ſeu limitationem prioris partis Concluſionis, quam ait fallere, quando citatio fit domi (putà, affigendo ſchedulam citationis ad oſtium domus citati) non autem perſonaliter: quia tunc non creditur Nuntio publico, ex commiſſione Judicis referenti ſe citaſſe, ſine teſtibus de facta tali citatione atteſtantibus.

55 Quæritur IV. Quænam in citatione, ſeu Citatorio, neceſſariò ſint exprimenda, ut legitima & valida ſit citatio? Reſp. in Citatorio generatim loquendo debent exprimi ſequentia ſex, quæ ſingillatim recenſet, ac probat Gallus *lib. 1. Pract. Obſervat. 48. n. 5. & ſeqq.* allegans alios. Et quidem requiritur

56 I. Ut in citatione, ſive Citatorio, ut vocant, exprimatur nomen Judicis citantis. Idque meritò: tum ut citatus cognoſcat, an juſſu Judicis, & quidem competentis, ſit diſcreta citatio, *arg. l. Ex quacunque. ff. Si quis in jus vocatus &c.* Judici quippe incompetenti, ſive extra territorium jus dicenti, impunè non paretur, *cap. ult. de Conſtitut. in 6.* Tum ut citatus cognoſcere valeat, an Judex ille ſit ordinarius, vel delegatus: nam Delegatus non poteſt citare, niſi una cum citatione copiam factæ ſibi delegationis tranſmittat; alioquin enim, ſi non probet delegationem, in dubio, ac niſi de ea aliunde conſtet, ipſi non creditur, *c. Cùm in jure 31. de Offic. delegat. & c. Prætereà 2. de Dilation.* eſtque ampliùs dictum ſuprà *lib. 1. Tit. 29. de Officio & poteſtate Judicis Delegati. §. 2. num. 44.*

57 II. Requiritur, ut in Citatorio nomen, & cognomen Rei, ſive citandi, diſertè exprimatur, *c. Significante 34. & c. Significavit 36. de Reſcript & c. Cùm in multis, eod. in 6.* Et meritò: partim, ut citandus cognoſcat, quòd citatio ipſum concernat, ſimulque contra eum contumacem executio fieri valeat: partim, ut fraudibus cæteroquin facilè ſuborituris aditus præcludatur, & Actor ampliùs variare non poſſit. Quòd ſi verò Communitas aliqua, vel Civitas, aut Collegium citari debeat, tunc ſufficit generalis citatio, v. g. citando Conſules & Senatores illius Civitatis, aut Abbatem & Priorem talis Monaſterii: ſiquidem hujuſmodi nomina collectiva certum corpus repræſentant, illudque totum determinant. Speculator *tit. de Syndico n. 16.* Oldradus *Conſil. 100. per totum.* Gallus *cit. lib. 1. Pract. Obſervat. 43. n. 6.*

58 III. Requiritur, ut in Citatorio exprimatur nomen, & cognomen Actoris, ſive illius, ad cujus inſtantiam Judex facit citationem. Neque enim Judex in cauſis, quæ concernunt utilitatem privatam, debet decernere motu proprio citationem, ſed ſolummodò ad inſtantiam & petitionem partis: alioquin invalida erit citatio, neque citatum arctabit ad comparendum *arg. c. Propoſuiſti 19. de Foro compet.* & notat Abbas *ibid. n. 3.* & Gailus *cit. lib. 1. Pract. Obſervat. 50. n. 4. & ſeqq.* eſtque jam dictum ſuprà *n. 49.* Proinde ut citatus intelligat, citationem non ex proprio motu Judicis, ſed ad petitionem & inſtantiam partis procedere, oportet hujus nomen & cognomen in Citatorio exprimi.

59 Additur tamen notanter, *Neque enim Judex in cauſis, quæ concernunt privatam utilitatem &c.* Siquidem in cauſis publicam utilitatem concernentibus, atque in omnibus caſibus illis, in quibus Judex ex officio procedit, valeat citatio abſque inſtantia partis facta. Abbas *loc. cit. n. 19.* & Gailus *n. 8.* allegans alios. Ratio eſt: tum quia Judex, quando ex officio procedit, tenet locum partis, *arg. c. Qualiter, & quando, 24. de Accuſation.* Tum quia, licèt Judex officium ſuum mercenarium non impendat niſi imploratus, ſive ad petitionem partium: ſecùs tamen dicendum de officio nobili, utpote quod Judex quaſi motu proprio præter actionem inſtitutam, atque ex officio, jure vel æquitate ſic ſuadente, exequi poteſt, ac ſolet: ut fit in inquiſitione, *cit. cap. Qualiter & quando, de Accuſation.* & in reſtitutione uſurarum à defuncto injuncta, ſi hæredes negligant ipſas reſtituere, *c. Ad noſtram 20. de Jurejurand.* eſtque ampliùs dictum *Lib. 1. Tit. 32. de Officio Judicis, §. 1. n. 28.*



IV. Requiritur, ut in Citatorio exprimatur cauſa, 60
ſaltem in genere, ob quam quis citatur: idque ex eo, ut Reus inſtruatur, ſuper quo convenitur, ſicque deliberare valeat, num cedere, vel judicio contendere velit, atque ut venire poſſit paratus ad reſpondendum, *can. Si primates 5. quæſt. 1. & c. Prætereà* juncta Gloſſa, *verſ. Plenè potuit de Dilation.* & concordant dicta ſuperiùs *§. præc. n. 14. & ſeqq.*

Cæterùm neceſſe non eſt, quòd una cum citatione 61
tranſmittatur Reo tenor libelli per Actorem Judici præſentati. Bartolus in *l. Inter accuſatorem. §. Pro declaratione, ff. de Public. judic.* Gailus *lib. 1. Pract. Obſervat. 51. n. 2.* allegans inſuper Panormitanum, Jaſonem, & communem aliorum. Providè nihilominùs facit, qui libellum citationi inſeri curat, eumque una cum citatione Reo tranſmittit: nam tunc dilatio deliberatoria ſuper libello, & an judicio contendere velit, nec ne, non ampliùs Reo citato indulgenda eſt; eò quòd per litteras illas citatorias ſuper negotio plenè inſtrui, ſicque deliberare potuerit, *cit. cap. Prætereà*, juncta Gloſſa *verſ. Plenè potuit*, & Abbate *n. 1. & 2.* & DD. *ibid. de Dilation.*

V. Requiritur ad citationem, quòd in Citatorio 62
exprimatur locus judicii, in quo Reus citatus neceſſe habet comparere. Ratio eſt: quia imprimis citatio ratione loci incerta, eſt nulla, *can. ult.* juncta Gloſſa, *verſ. Vel indeterminate de Reſcript. & l. Si ut proponis. C. Quomodo & quando judex &c.* Ignoraret quippe citatus, quò pergere, ac ubi comparere deberet. Deinde requiritur expreſſio loci judicii, ut citatus intelligat, an Judex non excedat fines ſuæ juriſdictionis, ſive territorii; alioquin enim venire non tenetur: nam extra territorium jus dicenti impunè non paretur, *cap. ult. de Conſtitut. in 6.* Item, ut citatus videre poſſit, num locus, ad quem citatur, ſit tutus, ac ſecurus ad eum acceſſus pateat: quia non tenebitur comparere in loco manifeſtè non tuto, *C. Accedens. Ut lite non conteſtat. & Clem. Paſtoralis. §. Notorium quippe & ſeqq. de Sentent. & re judicat.* cum concordantiis. Quinimò citatus ad locum non ſecurum, poteſt uti exceptione loci non tuti: & ſi hanc Judex admittere nolit, infert injuſtum parti citatæ gravamen, à qua ea licitè appellat; haud obſtante, quòd Judex fuerit delegatus cum clauſula, *appellatione remota*: ut eſt textus clarus *in c. Ex parte 47. de Appellat.*

VI. Requiritur, ut in Citatorio exprimatur dies, 63
ſive terminus comparendi in judicio, certus, juſtus atque opportunus. Et quidem oportet exprimere diem, vel terminum certum comparendi, tum ut ſciat citatus, an dies illa ſit juridica: etenim diebus feriatis (niſi neceſſitas urgeat, vel pietas ſuadeat) nemo ad judicium venire compellendus eſt, *cap. ult. de Feriis.* Tum ut noverit citatus, quando in judicio comparere teneatur; ſimulque, ut ſi is ceſſante juſto impedimento non comparuerit in termino præfixo, contra eum veluti contumacem procedi valeat.

Cæterùm certa diei hora comparendi non neceſſariò 64
in Citatorio exprimenda eſt (quidquid ſit de ſpeciali quorundam Tribunalium conſuetudine, etiam horam comparendi in citatione exprimentium) ſed ſufficit, exprimere diem: quia jam intelligitur quis citatus ad horam conſuetam, qua congruè poſſit, ac ſolet actus ille tali die expediri, juxta textum notabilem *in c. Conſuluit 24. de Offic. deleg.* ac notat Abbas *ibi n. 5.*

Et notanter additur, *qua congruè poſſit, ac ſolet.* Si- 65
quidem, quando non exprimitur in citatione certa hora

comparendi, tunc ſecundùm qualitatem actus videtur tacitè illa hora diei præfixa, qua congruè poſſit, ac ſoleat actus ille inchoari, atque finiri. Sic citatus ad electionem faciendam, tenetur manè comparere: quia non niſi tali tempore ſolet electio inchoari, propter Miſſam de Spiritu Sancto eidem præmittendam. E contrà citatus ad judicialem, qui poteſt quacunque diei hora incipi, & finiri, debet comparere qua hora maluerit in die ſtatuto, dummodò compareat tam tempeſtivè, ut Judex de die adhuc poſſit perficere actum illum. Quòd ſi tamen alicubi Judex ſolitus fuiſſet judicare certa duntaxat hora diei, tunc citatus ſimpliciter ad diem, abſque determinatione alterius horæ diei, debebit comparere hora illa, qua Judex ſolet comparere: Siquidem in judiciis ea, quæ ſunt moris & conſuetudinis, attendi debent, per textum *in l. Quòd ſi nolit. §. Quia aſſidua ff. de Ædilit. Edict.* & *c. Ex litteris 11. de Conſtitut.* ibi: *Cùm tam juris Canonici, quàm noſtri moris exiſtat*, cum ſimilibus. Abbas *in cit. c. Conſuluit. n. 5. de Offic. Delegat.*

66 Num autem Judex poſſit terminum citationis à ſe factæ prolongare, atque extendere ad ſequentem diem, etiam altera parte litigantium invita, commodiùs dicetur infrà *Tit. 14. De Dolo & contumac. §. 2. n. 68. & ſeqq.*

67 Quæritur V. Quanta ſit neceſſitas citationis in judiciis? Reſp. Citatio eſt neceſſaria, ut ipſa quoad abſentem omitti non poſſit, eaque omiſſa judicium reddatur nullum. Ita communis; & patet *ex can. Caveant & can. Omnia 3. quæſt. 9. & c. Eccleſia Sanctæ Mariæ 10.* Júncta Gloſſa *verſ. Non conventi, de Conſtitut. & Clem. Paſtoralis de Sent. & re judicat.* cum ſimilibus: ubi ſententia contra abſentem, & non legitimè citatum lata, cenſetur irrita. Quinimò non ſolùm in judicio ordinario, ſed etiam in ſummario, omnimodis requiritur citatio Rei abſentis, *c. Quoniam 11. de Probation. & Clem. Sæpè contingit de Verb. ſignif.*

68 Accedit ratio: quia citatio ſpectat ad naturalem defenſionem, ſicque nulli eſt deneganda; cùm nemo inauditus condemnari debeat: Unde & citatio dicitur eſſe principium, ac fundamentum judicii, ſeu prima pars ejus, *§. fin. Inſtit. de Pœna temerè litigant.* & notat Gloſſa *in d. c. Eccleſia Sanctæ Mariæ, verſ. Non conventi de Conſtitut.* Quinimò citatio fuit inducta, & adhibita circa Mundi originem ab ipſomet Conditore naturæ, quando Deus Adamum poſt ſuam prævaricationem citavit in Paradiſo, *Geneſ. 3.* dicens: *Adam ubi es?* Unde meritò ea cenſetur eſſe Juris naturalis, & Divini, quod nec per Principem tolli poteſt. Abbas *in c. 1. n. 6. de Cauſa poſſeſſ. & propriet.* juncto textu ibidem, dum Pontifex inquit: *Nec nos contra inauditam partem aliquid poſſumus diffinire.* Ubi ponderandum ly, *Nec poſſumus*, quando importat neceſſitatem.

69 Dicitur notanter in data *n. 67.* Concluſione *quoad abſentem*. Nam quoad præſentem non requiritur alia citatio: hæc enim ſolùm fit, ac requiritur, ut citatus veniat; ergo, ubi is jam eſt præſens, ceſſat citandi neceſſitas. Jo. Andreas *in cap. ult. n. 4. de Election. in 6.* & Abbas *in c. Inter quatuor n. 2. de Majorit. & obed.* hinc inferens, quòd ſufficiat, caſu veniſſe Reum ad Judicem, licèt citatus non fuerit: quamquam incontinenti reſpondere non teneatur, ſi tale ſit factum, quod indigeat majori deliberatione.

70 Si dicas, *in can. Scelus 2. q. 1. & c. Cùm olim 12. de Sent. & re judicat.* videtur abſens, & non citatus, per Papam fuiſſe condemnatus; ergo. Reſpondent nonnulli, quos tacito nomine Gloſſa in utroque loco allegat, etiam ibi interveniſſe citationem. Verùm, quia hæc reſponſio ex littera non colligitur, hinc ipſa, veluti voluntariè data, dimiſſa

71 Reſpondetur, in dictis caſibus ideò Papam proceſſiſſe contra abſentem, & non citatum; quia ibidem hinc de crimine, illinc de ſubreptione liquidò conſtiterat, atque certum fuerat, quòd abſenti nulla competeret exceptio, ſive defenſio. Atque hæc reſponſio clarè colligitur ex textu: nam *in cit. can. Scelus 2. q. 1* dicitur, *quòd ſcelus, quod Lotharius rex in duabus fœminis commiſit, omnibus manifeſtum eſt.* Sicut & *in d. c. Cùm olim §. fin.* habetur, quòd de commiſſa per Archidiaconum (idcircò ibi condemnatum) ſubreptione liquido conſtet.

72 Porrò quando evidenter conſtat de crimine, ſimulque certum eſt, nullam Reo poſſe competere defenſionem, quòd tunc non requiratur citatio ipſius Rei, licèt abſentis, rectè notat Abbas *in cap. 1. n. 4. de Cauſa poſſeſſ. & propriet. & c. Cùm ſit Romana n. 32. de Appellat.* citans Innocentium *c. Quando de Tranſlat. Epiſc.* & alii. Atque illud, præter Jura in objectione adducta, probatur tum *ex L. 2. ff. de Adminiſtrat. rerum ad Civitat. pertinent.* ibi: *Idque etſi contra abſentem pronunciatum eſt, inanis querela eſt*, juncta Gloſſa, & Bartolus *ibid.* Tum ex eo: quia tunc fruſtrà fieret citatio, utpote quæ fit, ut citatus venire poſſit ad ſe defendendum: atqui illud impræſentiarum fieri non poſſe certum eſſe ſupponitur; ergo. Accedit textus *in c. Cùm ſit Romana 5. §. Prætereà de Appellation.* ibi: *Niſi fortè manifeſtus raptor, vel fornicator exiſtat, ſicut ille, quem abſentem & irrequiſitum Apoſtolus excommunicavit.* Ubi proin Gloſſa *fin.* concludit, quòd in notoriis, non eſt aliquis vocandus in jus, *arg. can. De manifeſta 2. q. 1. & can. Statuimus 13. q. 1.*

Additur notanter, *ſimulque certum eſt, nullam Reo poſſe competere defenſionem.* Alioquin enim, ubicunque abſenti poteſt competere aliqua defenſio, ſemper requiritur citatio, etiam in notoriis: aliàs non valet ſententia, *arg. cap. ult. de Offic. Delegat. in 6. & can. Caveant. 3. q. 9.* junctis Juribus ſuprà *n. 67.* citatis. 73

Et hac ratione iſthæc Jura cum aliis, in objectione *n. 70.* allegatis, ſunt concordanda; aſſerendo, quòd hæc procedant, ubi Reo poteſt competere aliqua defenſio: priora verò, ſeu allegata in objectione, locum habeant, ubi evidens eſt, nullam poſſe Reo competere defenſionem. 74

Poſſet hoc loco ulteriùs quæri, an ſemel ritè citatus, ſi dicat, ſe nolle venire, iterum ſit citandus? Verùm de hoc commodiùs, ſimulque ex profeſſo, dicetur infrà *Tit. 14. De Dolo & contumacia §. 4. n. 115. & ſeqq.* Ibi videatur. 75

## §. III.

## De Citatione Edictali, & Reali, ac Effectibus Citationum.

*S U M M A R I U M.*


76 *Edictalis citatio non indiſtinctè, ac pro libitu Judicis permittitur.*
77 *Nec ab ea eſt incipiendum, quando in perſonam Rei poteſt fieri executio citationis.*
78 *Habet tamen locum in pluribus caſibus.*
79 *I. Quando citandus malitiosè ſe occultat.*
80 *Aut in domo ſua manet clauſus, ne citetur.*
*Reo invito non debet quis intrare domum ejus, cauſa citandi. Ibid.*
81 *II. Quando locus, ubi quis citandus foret, non poteſt tutò adiri.*
82 *Et quid ſi Nuntius non intromittatur in Civitatem ad faciendam ibi citationem?*
83 *III. Edictalis citatio habet locum, quando citandus eſt vagabundus.*
84 *IV. Et quando contradictor eſt incertus.*
85 *V. Et quando in genere citantur omnes, quorum intereſt.*
86 *Cautela ſingularis pro emptoribus Caſtrorum &c. ad præcavendam horum evictionem; & pro adeuntibus hæreditatem ſuſpectam.*
87 *Modus citandi per edictum competit ſolùm Judicibus ordinariis, ac per Principem delegatis.*
88 *Citatio realis, in quibus caſibus fieri poſſit? Et n. ſeqq.*
*In cauſis criminalibus regulariter non poteſt quis capi à privato. Ibid.*
89 *Niſi id fiat circa deprehenſum in flagranti crimine, & intentione præſentandi ipſum Judici.*
90 *Graviter delinquens poteſt capi authoritate Judicis. Imò & de domo ſua invitus extrahi. Ibid.*
91 *Quid in criminibus levioribus, & ubi ſolùm venit imponenda pœna pecuniaria?*
92 *Capi nemo debet ex abrupto, ac nullis præcedentibus indiciis de commiſſo per eum delicto.*
93 *Qualia indicia ad hoc ſufficiant?*
94 *In cauſis civilibus regulariter citatio realis, ſeu captura Debitoris locum non habet.*
95 *Niſi Debitor ſit fugitivus, aut de fuga ſuſpectus.*
96 *Iſtud intelligendo etiam de Clerico debitore.*
97 *Ut Debitor de fuga ſuſpectus poſſit capi, quæ requirantur?*
98 *Et quid ſervetur de conſuetudine?*
99 *Citationis effectus, qui? Et n. ſeqq.*
*Præcipuus ejus effectus, eſt comparitio. Ibid.*
100 *Iudex non poteſt aliquem declarare contumacem, niſi ad petitionem partis.*
101 *Hoc declaratur, ac limitatur.*
102 *Condemnari ut contumax, quando quis poſſit?*
103 *Citatio peremptoria debet continere clauſulam, per*emptoriè; *& an fieri poſſit ſine cauſa?*
104 *Citatio inducit præventionem inter plures Iudices.*
105 *Ac perpetuationem juriſdictionis reſpectu Delegati.*
106 *Etiamſi nondum ante obitum Delegantis pervenerit ad notitiam citati.*
107 *Citatio inducit litis pendentiam, poſtquàm tamen ad partem citatam pervenerit.*
108 *Facitque rem litigioſam.*
109 *Ac interrumpit præſcriptionem odioſam.*
110 *Citatio invalida nullum de ſe producit effectum.*
111 *Convalidatur tamen per comparitionem citati.*
112 *Adeò, ut nulliter citatus, & comparens, non poſſit ampliùs excipere contra nullitatem citationis.*




76 QUæritur I. In quibus caſibus locum habeat Edictalis citatio; hoc eſt, ea, quæ publicè fit per Edictum in valvis Templorum, Curiarum, aut aliis locis publicis affixum? Reſp. I. Modus citandi per Edictum non indiſtinctè, ac pro libitu Judicis permiſſus eſt, ſed duntaxat in caſu neceſſitatis, ſive quando Reus aliter citari non poteſt. Ita Maranta *p. 6. Speculi Aurei, tit. de Citatione. n. 82.* Engel *tit. de Libelli oblat. n. 15.* Pirhing *tit. de Foro compet. n. 213.* Gailus *lib. 1. Pract. Obſerv. 57. n. 1. ac ſeqq.* & communis aliorum. Patet hoc apertè *ex Clem. 1 de Iudiciis.* juncta *Extravag. Rem non novam. de Dolo & contumac.* ubi citatio per Edictum à Pontifice reſtringitur; ac tunc demum admittitur, quando Reus per ſe, vel per alios procurat, ſive impedit, ne ad ipſum pervenire poſſit citatio; vel quando ob locorum difficultatem hæc ad eum pervenire nequit.

77 Concordat textus *in c. Cauſam. 3. de Dolo & contumac. & l. Dies. 4. §. Prætor ait. ff. de Damno infect:* ubi ſtatuitur, non eſſe incipiendum ab Edictali citatione, quando in perſonam Rei, vel ad domum habitationis ejus, executio citationis fieri poteſt: alioquin enim per Judicem gravaretur citatus. Et hinc Edictales citationes, veluti à Jure communi exorbitantes, ſtrictè ſunt accipiendæ, neque extendendæ ultra caſus ſpeciales in jure expreſſos.

78 Reſp. II. Dantur nihilominus plures caſus, in quibus Edictalis citatio locum habet. Ita communis; & patet inductione, enumerando dictos caſus: ſic quippe contingit

79 I. Quando citandus malitioſè ſe occultat, aut quoquo modo, ſive per ſe, ſive per alios facit, ſeu procurat, ne citatio ad ipſum pervenire valeat. Textus eſt *in c. Ex tuæ. 11. de Cleric. non reſident. & cit. Clem. 1. de Judic. & Extrav. Rem non novam. de Dolo & contum. & c. Quoniam. §. Porrò.* juncta Gloſſa, *verſ. Impedit. Ut lite non conteſtat.* cum concordantiis.

80 Atque hoc ipſum procedit, quando quis manet clauſus in domo ſua, nec patitur ſe videri, ad hoc, ut non citetur: quia tunc in præſentia teſtium poteſt affigi Edictum citatorium in janua domus ſuæ, & perinde habetur, acſi perſonaliter citatus fuiſſet. Maranta *cit. par. 6. Speculi Aurei, tit. de Citatione, n. 86.* poſt Alexandrum *in l. Plerique, ff. De in jus vocando.* Speculator *tit. de Citatione. §. Sequitur n. 16.* id probans *ex l. Dies, 4. §. Prætor ait. ff. de Damno infect. & l. Aut qui aliter. ff. Quod vi aut clam.* Cæterum Reo invito non debet quis intrare domum ejus cauſa citandi, ſeu vocandi eum in jus: quia faceret ipſi injuriam, *l. Plerique*, juncta Gloſſa *fin. ff. De in jus vocand. & l. Is qui in domum, ff. de Injuriis.* Fiat ergo denunciatio ante fores. Speculator *loc. cit. n. 17.*

81 II. Quando locus, ubi quis citandus foret, non eſt tutus; hoc eſt, propter vigentem hoſtilitatem, vel ob ſubortas inimicitias, aut alia impedimenta, tutò, ac liberè adiri non poteſt ad faciendam ibi citationem: nam tunc debet fieri citatio per edictum in locis vicinis illudque in talibus locis affigi, ubi veriſimiliter citatio ipſa ad notitiã citati valeat pervenire; prout ſtatuitur *in Clem. un. de For. comp. & Clem. Cauſam. de Elect.* cum ſimilibus. Et hoc plerumque tunc accidere ſolet, quando, vel integra aliqua Reſpublica, ſive Civitas, vel potẽs quiſpiam citatur Dominus, ob cujus ſuorumque adhærentium potentiam plerumque non patet tutus acceſſus Nuntiorum, qui deberent exequi citationem, præſertim, ſi hæc procedat ex cauſa odioſa: quia tunc vel non admittuntur illi Nuntii, vel quandoque etiam captivantur, ſive arreſtantur; ac proinde ſufficit, conſultumque eſt, ut citatio fiat per edictum in locis vicinis, per Jura citata.

Declarat iſtud notabili caſu Gailus *lib. 1. Pract. Obſerv. 55.* dum Nuntius citationem executurus contra citandum, non fuit à cuſtodibus civitatis intromiſſus; & cùm petiiſſet citandum evocari, etiam hoc ipſi fuit denegatum: unde citationis formulam portæ civitatis affixit, atque diſceſſit. Nam quia Nuntius officium ſuum fecerat, nec ſteterat per ipſum, quò minùs executio citationis ad domum, vel in perſonam citandi facta ſit, ſufficiebat, quòd citatio eo loci affixa fuerit, ubi veriſimiliter ad notitiam citati pervenire poterat, *Clem. 1. & DD. ibid. de Judic.* Rota *Deciſ. 6. de Dolo & contum. in novis per totum.* 82

III. Citatio edictalis habet locum, quando citandus eſt vagabundus. Et quidem, ſi is non habeat certum domicilium, tunc Edictum citatorium debet affigi in illa Civitate, vel loco, ubi vagabundus ſolebat converſari, *l. Dies. 4. §. Prætor ait. ff. de Damno infect.* Si verò vagabundus alicubi habeat certum domicilium, debet affigi edictum citatorium in porta domus ſuæ; idque in præſentia duorum, aut trium teſtium, vel Notarii publici, per textum *in cit. l. Dies. §. Prætor ait; & §. Toties. ff. eod.* ac tradit Maranta *d. p. 6. tit. de Citatione. n. 83.* poſt Baldum *in l. Ut perfectius. C. de Annal. except.* 83

IV. Si contradictor eſt incertus: quia tunc per edictum citantur omnes in genere, quorum intereſt; uti fit *in c. ult. de Election. in 6.* ubi poſt electionem celebratam, per Edictum generaliter in Eccleſia, ubi ea facta eſt, citari jubentur omnes illi, ſi qui adſint volentes ſeſe opponere dictæ electioni, ut compareant intra terminum præfixum. Concordat *c. ult. Qui matrimonium accuſare poſſ.* ubi banna, ſeu denunciationes matrimoniorum contrahendorum, in Eccleſiis fieri dicuntur, ut qui impedimentum noverit, illud debito tempore objiciat; ſi verò denunciationis tempore tacuerit, repellatur ab accuſando poſtmodum matrimonio, demptis caſibus ibidem expreſſis. 84

V. Citatio per edictum obtinet, quando in genere citantur omnes, quorum intereſt; prout deſumitur *ex l. Si eo tempore, C. de Remiſſ. pign.* Ibi: *Si eo tempore, quo prædium diſtrahebatur, programmate* (hoc eſt ſcriptura publicè propoſita) *admoniti creditores, cùm præſentes eſſent, jus ſuum executi non ſunt, poſſunt videri jus ſuum amiſiſſe.* Et hac ratione creditores alicujus forſan ex tali loco diſcedere volentis, quando ipſi ſunt incerti, poſſunt citari per publicum edictum, ſive Proclama, ut certo tempore coram legitimo judice compareant, ibique creditum ſuum proponant, atque deducant; alioquin verò ipſis perpetuum ſilentium imponatur. Felinus *in c. Cognoſcentes. n. 9. de Conſtit. & c. Quoniam frequenter, n. 14. Ut lite non conteſt.* Speculator *tit. de Citatione, §. Sequitur, n. 19.* & alii. 85

Addit Gailus *d. lib. 1. Practic. Obſervat. 57. num. 7.* poſt Romanum *Conſil. 53. n. 3.* & alios, hanc eſſe ſingularem cautelam pro emptoribus Caſtrorum, vel Prædiorum, ad præcavendam horum evictionem, ut publicis Edictis curent citari omnes, qui ſua intereſſe, ibique aliquid juris ſeſe habere putaverint, ſub comminatione perpetui ſilentii. Atque ob eandem rationem poteſt fieri citatio per edictum ratione incertitudinis debitorum à defuncto contractorum, ſi quis beneficio Inventarii velit adire hæreditatem ſuſpectam, & de certis creditoribus non conſtet, per Jura, & DD. hactenus allegatos. Tacentur nonnulli alii caſus, in quibus poteſt fieri citatio per Edictum, quorum univerſim tredecim enumerat Maranta *cit. part. 6. tit.* 86

6. tit. de Citatione, à n. 83. uſque ad n. 95. poſt Baldum in l. Etiam. C. de Execut. rei judicat.

87 Solummodò præmiſſis adde, quòd modus citandi per edictum competat duntaxat Judicibus ordinariis, atque Delegatis à Principe. Auth. Qui ſemel. C. Quomodo & quando judex &c. juncta Auth. de Litigioſis. §. Si verò. Collat. 8. ubi ſolùm Judicibus ordinariis, ac per principem delegatis, permittitur citare per edicta. Hinc alius Delegatus non poteſt ſic citare per edictum, ſed oportet, ut ad illum recurrat, cauſamque ipſi renunciet, à quo datus eſt, Auth. de Exhibendis Reis. §. Si verò etiam quidam. Collat. 5. Niſi forſan hoc ipſi ſpecialiter conceſſum fuerit, aut per conſuetudinem, quæ tribuit juriſdictionem, permittatur. Gailus cit. Obſervat. 57. num. 11.

88 Quæritur II. In quibus caſibus fieri poſſit Citatio realis, hoc eſt, per capturam, ſive apprehenſionem perſonæ; Reſp. I. Loquendo de cauſis criminalibus, regulariter non poteſt quis capi à privato; benè tamen in delictis gravioribus authoritate Judicis, ſicque citari citatione reali. Ita Abbas in c. Lator, n. 3. de Pignorib. Bartolus in l. Cùm eo. § Si verò quæris. ff. Ad Leg. Jul. Peculat. Card. Tuſchus Litt. C. Concl. 69. n. 5. & ſeq. Julius Clarus in Prax. Criminal. lib. 5. §. fin. q. 28. & alii. Prior pars patet ex l. Neminem. C. de Exhibend. Reis, cujus verba ſic ſonant: Neminem in judicio exhibendum eſſe præcipimus, niſi de cujus exhibitione judex pronunciaverit. Ubi Gloſſa, verſ. Neminem, iſtud intelligit de privato. Concordat l. Non eſt ſingulis. ff. de Reg. Jur. Quinimò propria ſua authoritate, ac ſine Judicis mandato quempiam carcerans, dicitur privatum carcerem committere: hoc eſt, privati carceris pœna plectendus eſt, quæ eſt pœna capitis, ac ultimi ſupplicii, L. un. C. de Privat. carcerib. Farinacius lib. 1. Criminal. q. 27. n. 8. & 9. citans alios.

89 Atque hoc procedit regulariter: nam dantur plures caſus, in quibus cuilibet etiam privato abſque alio Judicis mandato, licitum eſt graviter delinquentes capere. Idque vel maximè procedit circa deprehenſum in flagranti crimine, quando captura ejus non fit animo retinendi Reum in carcere, ſed intentione præſentandi ipſum Judici intra tempus à Jure permiſſum. hoc eſt, intra viginti horas, l. Capite quinto ff. Ad Leg. Jul. de Adult. & l. Interdum. 58. §. Qui furem, ff. de Furtis. Abbas cit. n. 3. Farinacius d. lib. 1. tit. 3. q. 21. n. 139. & tit. 4. q. 27. nu. 22. & 23. ubi plures alios tales caſus refert, de quibus Civiliſtæ.

90 Altera verò pars, nempe quòd graviter delinquens poſſit authoritate Judicis captivari, ſicque citari citatione reali, eſt communis; ac patet ex praxi recepta Tribunalium. Et hoc adeò verum eſt, quòd licèt cæteroquin nemo de domo ſua invitus extrahi debeat, l. Nemo de domo, ff. de Reg. Jur. eo quòd domus tutiſſimum cuique refugium, atque receptaculum ſit, l. Plerique, ff. de in jus vocand. tamen pro delictis gravibus poſſit quis non ſolùm authoritate Judicis incarcerari, ſed etiam de domo ſua invitus extrahi. Gloſſa in cit. l. Nemo de domo. Bartolus, ubi ſuprà, & communis.

91 Intellige hoc de gravibus criminibus, id eſt, talibus, pro quibus pœna corporalis eſt imponenda: ſecùs in aliis levioribus, nam pro his Reus non eſt ad carceres deducendus. Abbas cit. c. Lator. n. 3. de Pignoribus, iſtud ſatis æquum eſſe aſſerens. Julius Clarus cit. §. fin. q. 28. num. 1. Quamvis Bartolus, ubi ſuprà, aſſerat, quòd authoritate Judicis Reus pro cauſa criminali indiſtinctè poſſit capi: atque Farinacius cit. li. 1. q. 27. n. 39. contra Julium Clarum ex profeſſo doceat, verius eſſe, ac in practica communiter receptum, quòd captura in criminalibus per Judices licitè decernatur non ſolùm, quando agitur de pœna corporali, ſed etiam quando ſolùm venit imponenda pœna pecuniaria; licèt datis poſteà fidejuſſoribus, detentus debeat relaxari, ubi ſolum agitur de pœna pecuniaria, arg. c. Si Clericus, 15. de ſentent. excomm. in 6. & L. 1. ff. de Cuſtod. & exhibit. reor. ubi Bartolus, & DD.

92 Inſuper hactenus dicta procedunt, quando de commiſſo per Reum delicto conſtat, vel ſaltem gravia contra eum indicia præcedunt. Non enim poteſt Judex mandare aliquem capi ex abrupto, ac nullis præcedentibus indiciis de commiſſo per eum crimine, arg. L. 1. ff. de Quæſtionibus, & L. penult. C. eod. Farinacius cit. q. 27. n. 112. & 116. aſſerens, hanc eſſe communem, ac æquiorem ſententiam, quidquid nonnulli ab eodem citati n. 115. ſcripſerint in oppoſitum: ſed oportet, quòd præcedant legitima indicia, ſeu informationes de commiſſo per carcerandum crimine.

93 Veruntamen quæ indicia ad hoc ſufficiant, non tam facile eſt generatim determinare, atque in cauſis particularibus meliùs illud Judicis arbitrio relinquitur, qui id inſpecta delicti, & circumſtantiarum, perſonarumque qualitate prudenter dijudicabit: attendendo ſimul, ne ob inſufficientiam indiciorum, aut malitioſam quorundam informationem, innocentia, dignitaſque perſonæ injuſtè patiatur, ac vexetur, arg. cit. L. 1. de Cuſtod. & exhibit. reor. Julius Clarus cit. q. 28. n. 2. verſ. Et quia. Farinacius l. c. n. 126. & alii.

94 Reſp. II. Loquendo nunc de cauſis civilibus, regulariter citatio realis, ſeu captura Rei, ſive Debitoris, non habet locum. Ita Abbas cit. c. Lator. n. 3. de Pignorib. Bartolus in l. Cùm eo. § Si verò quæris. ff. ad Leg. Jul. Peculat. Gailus lib. 1. Pract. Obſerv. 25. n. 1. citans communiter Doctores. Patet hoc ex l. Nemo C. de Exaction. Tributor. lib. 10. ubi prohibitum legitur, pro debitis etiam publicis aliquem incarcerare: quia (inquit textus) carcer pœnalium, carcer noxiorum hominum eſt. Accedit, quòd infinita æſtimatio eſt libertatis, & neceſſitudinis, l. Non eſt ſingulis. ff. de Reg. Jur. Ut proinde etiam Ob æs alienum ſervire liberos creditoribus Jura compelli non patiuntur, per textum notabilem in l. Ob æs alienum. C. de Action. & obligation.

95 Dicitur, regulariter citatio realis &c. Fallit enim data Concluſio in nonnullis caſibus, & præſertim tunc, quando debitor eſt fugitivus, vel ſaltem de fuga ſuſpectus: nam talis, ne iterum elabatur cum magno creditoris damno, poteſt capi, & incarcerari, de authoritate tamen ac licentia Judicis, ſi tam citò haberi poteſt, arg. L. ult. C. de Exhibend. reis. Speculat. in tit. de Citatione, §. 1. n. 8. Gailus lib. 1. Practic. Obſerv. 48. n. 10. & alii. Alioquin autem debitor fugitivus, aut de fuga ſuſpectus, poteſt etiam capi, atque incarcerari per creditorem, aut alium ejus nomine, ſi non adeſt facultas adeundi Judicem, aut copia ipſius tam citò haberi nequit, l. Ait Prætor. §. Si debitorem. Juncta Gloſſa, verſ. Locum fere, ff. Quæ in fraudem credit. & l. Generaliter, C. de Decurionibus lib. 10. ac tenet Jaſon in l. Unum, n. 3. & ſeqq. ff. Si certum petatur, citans alios, atque extendens hoc ad tempus feriatum; adeò, ut debitor de fuga ſuſpectus capi valeat etiam in diebus feſtivis ad honorem Dei.

96 Addit Abbas in c. Cùm non ab homine. num. 17. & 18. de Iudiciis, & Gailus lib. 2. Pract. Obſervat. 44. num. 2. citans alios, hoc procedere etiam in Clerico debitore, atque de fuga ſuſpecto, vel recedente cum re mea; adeò, ut Clericus ille cum moderamine inculpatæ tutelæ capi poſſit à Laico creditore, ut Judici ſuo Eccleſiaſtico præſentetur. Facit ad hoc textus notabilis in c. Olim cauſam. 12. de Reſt. ſpoliat. ubi approbatur factum invadentis Clericum, ac vim vi repellentis pro recuperanda re ſua, dummodo moderamen inculpatæ tutelæ non excedatur.

97 Rectè tamen monet Gailus cit. Obſerv. 44. n. 5. & ſeqq. ad hoc, ut debitor de fuga ſuſpectus capi valeat, tria potiſſimum requiri. I. Quòd debitum ſit certum & liquidum, v. g. ex chirographo debitoris, vel inſtrumento publico, aut teſtibus. II. Quòd debitor tempore contractus adhuc fuerit integræ fidei, atque opinione creditoris pro idoneo, & ſolvendo habitus: alioquin enim creditor ſuæ levitati imputare debebit, quòd ſciens prudenſque cum ſuſpecto contraxerit; ſicque non habebit locum apprehenſio perſonalis. III. Quòd ſuſpicio fugæ juramento creditoris Judici (dummodò hujus copia tam citò haberi poſſit) ritè probetur per conjecturas veroſimiles: ut putà, quòd Reus latitet, ſit vagabundus, vel ad fugam ſeſe præparet, neque alia bona immobilia ampliùs habeat. Et hiſce concurrentibus debitor ex cauſa civili, Judicis authoritate ac licentia rectè incarcerari poterit: aliàs ſecùs, l. Non eſt ſingulis, ff. de Reg. Iur. Quinimò debitor incautè ſua libertate ſpoliatus, ante omnia reſtitui, ſeu relaxari debet, arg. Plerique, De in jus vocando.

98 De conſuetudine tamen iſt hæc requiſita tam ſtri-



ctè non obſervantur, præſertim cum Forenſibus, & advenis, qui paſſim in Germania arreſtari permittuntur ad ſimplicem Creditoris petitionem, donec hunc de ſolutione ſecurum reddant datis pignoribus, vel Fidejuſſoribus. Gailus l. c. n. 10.

99 Quæritur III. Qui ſint effectus Citationis? Reſp. I. Effectus citationis legitimæ factæ varii ſunt. Et quidem primus, atque præcipuus citationis effectus eſt comparitio: ea ſiquidem conſtringit citatum ad comparendum, niſi juſta exceptione ſe ſe tueatur; alioquin citatus ceſſante juſta cauſa non comparens, ad inſtantiam alterius partis poteſt declarari, & puniri ut contumax, c. ult. Ut lite non conteſt. cum ſimilibus. Vallenſis tit. de Foro comp. §. 5. n. 2. Gailus lib. 1. Pract. Obſerv. 51. n. 8. & alii.

100 Additur notanter, ad inſtantiam alterius partis. Siquidem Judex officium ſuum impertiri non debet, niſi poſtuletur: præſertim, ſi de facto, & non de jure controvertatur, ut l. Dies. §. Hoc autem ff. de Damno infecto: ſicque non poteſt Judex ex officio decernere Proclama contra contumacem, declarando videlicet ipſum contumacem, ſed duntaxat ad inſtantiam & petitionem alterius partis arg. l. Properandum. §. Et ſiquidem. & notat Jaſon ibid. n. 3. C. de Judiciis. & Auth. Qui ſemel. & ibi Bartolus n. 1. C. de Temporib. appell. Maranta p. 6. Specul. Aurel tit. de Contumacia. n. 15. Gailus l. 1. Practic. Obſerv. 45. n. 3. & alii.

101 Intellige, quòd non poſſit Judex, niſi parte inſtante, procedere contra citatum non venientem, quantum ad hoc, ut valeat iſtum condemnare tanquam contumacem, aut mittere adverſarium in poſſeſſionem bonorum contumacis, & hujuſmodi: ſecùs, quoad alios effectus, qui vel non reſpiciunt Jus adverſarii, vel ipſo jure inducuntur à Lege, aut ſtatuto. Unde ſi ex forma ſtatuti cujuſpiam contumax habeatur pro confeſſo; & convicto, quantùm ad obtinendum hunc effectum non requiritur, ut pars præſens accuſet alterius contumaciam, & inſtet Jaſon in d. l. Properandum. §. Et ſi quidem n. 7. C. de Judic. Maranta cit. n. 15. in Additione, & alii. Item poteſt Judex citatum, & contumaciter abſentem, ob commiſſam erga ſe inobedientiam mulctare, etiam altera parte non petente, l. Ex quacumque ff. Si quis in jus vocatus &c. & ampliùs dicetur infrà Tit. 14. de Dolo & contumacia. n. 66. & 67. & n. 134. ac ſeqq.

102 Quinimò non illicò ad unam legitimam citationem non comparens, poterit inſtante altera parte condemnari ut contumax; ſed requiritur vel trina citatio, juſto temporis intervallo interpoſito facta, vel ſaltem una peremptoria continens tantum temporis ſpatium, quantum continere deberent aliæ tres ſimplices. Textus eſt in can. De illicita. §. Quicunque. 24. q. 3. & l. Ad peremptorium. ac ſeqq. ff. de Judiciis, juncta l. Properandum. §. Et ſi quidem. C. eod. & Auth. Qui ſemel. C. Quomodo & quando &c. Quamquam de hoc ipſo uberiùs reſtet dicendum infrà Tit. 8. De Dilationibus. §. 2. nu. 26. & ſeqq. & Tit. 14. De Dolo, & contumacia. §. 4 n. 107. & ſeqq.

103 Solùm adde, quòd in citatione peremptoria neceſſariò exprimi debeat clauſula illa, peremptoriè: quatenus hac ratione intelligere poſſit citatus, ſibi non eſſe licitum, aliam adhuc citationem expectare. Et quamvis unica citatio peremptoria non niſi ex juſta cauſa fieri debeat, v. g. ob diſtantiam viarum; ut c. Tum ex litteris. §. fin. De in integr. reſtitut. & cap. ult. juncta Gloſſa, verſ. Peremptorium. de Dilationib. tamen valere citationem peremptoriam etiam ſine alia cauſa urgente, rectè notat Abbas cit. c. ult. n. 9. de Dilation. & ſequitur Vallenſis eodem tit. n. 7. Siquidem peremptorium habens competentia intervalla, regulariter æquiparatur trinæ citationi, l. Contumacia. ff. de Re judicat. & l. Tres denuntiationes. C. Quomodo & quando judex &c. Simulque unica peremptoria citatus non poteſt juſtè conqueri propter hoc, eò quòd ipſi adhuc tempus competens concedatur, & tale, quale per trinam citationem concedi deberet.

104 Alter effectus citationis eſt, quòd inducat præventionem inter plures Judices, ſive delegatos, ſive ordinarios, habentes concurrentem juriſdictionem in ſolidum. Siquidem in cauſis mixti fori, vel quando earum cognitio concurrenter poteſt competere diverſis Judicibus, citatio ab uno horum facta ita arctat citatum (dummodò ad hunc pervenerit citatio) ut is, veluti citatione præventus, teneatur coram Judice illo citante cauſam proſequi; non obſtante, quòd forſan poſt citationem mutaverit forum, atque alterius juriſdictionis eſſe cœperit, c. Propoſuiſti. 19. de Foro compet. juncta l. Si quis poſteà. ff. de Judiciis, eſtque ampliùs dictum ſuprà Tit. 2. de Foro competenti. § 8 n. 168. & ſeqq.

105 Tertius citationis effectus eſt perpetuatio juriſdictionis reſpectu Judicis delegati; ita videlicet, quòd ſuperveniente morte Delegantis non exſpiret juriſdictio Delegati, c. Gratum. 20. de officio Delegati. Porrò ad perpetuandam juriſdictionem Delegati (ſicut & ad inducendam litis pendentiam, & præventionem) ſufficit prima citatio, & non neceſſariò debet eſſe trina; juxta Gloſſam in Clem. 1. verſ. Citationes de Judiciis, & tenent communiter Doctores apud Abbatem in cit. c. Propoſuiſti. n. 9. de Foro compet.

106 Addit Abbas in Clem. 2. nu. 6. Ut lite pendente &c. & Gailus lib. 1. Pract. Obſerv. 94. nu. 19. poſt Rotam Deciſ. 9. tit. de Dolo & contum. in antiq. per ſolam citationem à Delegato emiſſam, quamvis nondum ante obitum Delegantis ad notitiam citati pervenerit, jam perpetuari juriſdictionem Delegati. Et meritò: quia Delegatus emittendo citationem, jam cœpit uti ſua juriſdictione; & conſequenter cenſetur perpetuata ſua juriſdictio, arg. c. Licèt. 30. & c. Gratum. 10 juncta Gloſſa, verſ. Quaſi cæptum. de Offic. Delegati, eſtque ampliùs dictum Lib. 1. Tit. 3. De Reſcriptis. §. 10. n. 241. & ſeqq. ſolvendo contraria.

107 Quartò, citatio à Judice competenti emanata inducit litis pendentiam, poſtquam tamen ad partem citatam pervenerit, vel per eam factum fuerit, quò minùs ad ejus notitiam perveniret. Textus eſt in Clem. 2. Ut lite pendente &c. ubi proin Gloſſa, verſ. Ad partem, & Abbas n. 6. advertunt, quòd licèt quoad perpetuandam juriſdictionem ſufficiat, citationem emanaſſe à Judice delegato, ut proximè dictum; tamen quoad inducendam litis pendentiam, atque ad eum effectum, ut lite pendente nihil innovari poſſit, non ſufficiat emanaſſe citationem, ſed ulteriùs requiratur, quòd pervenerit ad partem citatam, per textum ibidem.

108 Quintò, Citatio facit rem litigioſam; ita, ut poſt interpoſitam legitimè citationem, prohibita ſit alienatio rei illius, ſuper qua oritur controverſia. Auth. Litigioſa res. C. de Litigioſis, eſtque jam dictum ſuprà Tit. 1. De Judiciis. §. 1. n. 23.

109 Sextò, per ſolam citationem interrumpitur præſcriptio odioſa; nempe ea, quæ eſt inducta in odium negligentis, ſeu non repetentis rem ſuam tempore debito: ut eſt præſcriptio longiſſimi temporis, ſeu triginta, vel quadraginta annorum, quæ cum bona fide etiam ſine titulo, currit contra ſic negligentes. Nam quia per citationem, ad petitionem partis anteà negligentis factam à Judice, ceſſat dicta negligentia; meritò per ipſam interrumpitur ejuſmodi præſcriptio odioſa, arg. l. Sicut in rem. juncta Gloſſa, verſ. Per executorem. C. de Præſcrip. 30. vel 40. ann. Abbas in c. Illud autem. n. 13. de Præſcript. Gailus cit. Obſerv. 74. n. 20. & alii, eſtque jam dictum ſuprà cit. Tit. 1. n. 21.

110 Quæritur IV. An etiam citatio invalida quoſdam habeat effectus? Reſp. cum communi: Citatio invalida nullum de ſe producit effectum, neque conſtituit aliquem in mora, nec citatum aſtringit ad comparendum. Ita clarè habetur ex Clemen. Cauſam. §. fin. de Election. ibi: Intimatio verò aliter facta omni careat juris effectu. juncto c. ult. de Feriis. Nam paria ſunt, aliquid non fieri, & minùs legitimè fieri, l. Quoties. ff. Qui ſatiſdare cogantur, cum concordantiis ibidem à Gloſſa relatis.

111 Additur notanter, nullum de ſe producit effectum. Nam ſi poſt factam illegitimam citationem ultrò citatus compareat, convalidatur citatio per comparitionem, ac perinde arctat citatum, ſicut citatio legitima. Ita Vallenſis tit. de Foro comp. §. 5 n. 5. Jaſon l. Ne quis meſſium. n. 2. ff. de Feriis, id probans per textum ibidem: Hique ſponte conſentiant. Maranta p. 6 Speculi Aurei, tit. de Citatione. n. 73. Gailus d. lib. 1. Pract. Obſerv. 58. nu. 1. citans alios. Accedit ratio: quia ſola præſentia partis abſque alia citatione ſufficit, ut proceſſus atque ſententia Judicis valeat, arg. l. De unoquoque. ff. de Re judicat. Siquidem præſens regulariter citari non debet, cùm effectus citationis ſit comparitio: neque citatio eſt de ſubſten-

ſtantia litis, quando pars eſt præſens, ut dictum ſuprà §. præc. n. 69.

112 Et hinc nulliter citatus, quamvis comparere non teneatur, ſi tamen comparuerit, non ampliùs excipere poteſt contra nullitatem executionis citationis (hæc enim per comparitionem jam fuit convalidata) ſed tenetur reſpondere libello, vel terminum ad comparendum petere. Gailus cit. Obſerv. 58. n. 1. Notanter dicitur, *contra nullitatem executionis citationis*, quaſi nimirum hæc non ritè facta, ac proin invalida ſit: nam contra incompetentiam Judicis excipere quis non prohibetur, ſi habeat aliunde juſtam cauſam declinandi forum.

# TITULUS IV.

## De Mutuis Petitionibus.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*

INtellecta Actoris petitione ex libello per ipſum Judici, & per hunc Reo oblato, ſi quid viciſſim Reus putet ſibi ab Actore deberi, id proponere poterit reconveniendo Actorem; quod quidem fieri ſolet per *mutuas* (ut hic loquitur Pontifex) *Petitiones*, ſive per *mutuas Actiones*, ut dicitur *l. Si idem ff. de Iuriſdict. omn. Iudic.* In quo caſu cùm libelli ex utraque parte porrigantur, meritò præſens Rubrica ſubjicitur præcedenti, quæ fuit *De Libelli Oblatione*.

### §. I.

### De Mutuis Petitionibus, ipſaque Reconventione generatim.

*SUMMARIUM.*

2 *Mutuæ petitiones, quid?*
3 *Reus conventus non cogitur reconvenire Actorem.*
4 *Si tamen vult, tenetur eum reconvenire coram eodem Iudice. Et num. præc.*
5 *Nequit Actor, quoad reconventionem, ubi ea locum habet, ſe ulla Fori incompetentis exceptione tueri.*
6 *Reconventio generatim, in quibus cauſis locum habeat?*
7 *Ea non habet locum in cauſis criminalibus criminaliter motis.*
8 *Secùs, ubi merè civiliter proceditur.*
9 *Inſuper reconventio non habet locum in cauſis executivis.*
10 *Nec in cauſa appellationis.*
*Intellige de appellatione judiciali, ſecùs in extrajudiciali. Ibid.*
11 *Reconventio etiam locum non habet, ubi qualitas cauſæ eidem repugnat. Et n. ſeqq.*
*Ut ſi una cauſa ſit liquida, altera illiquida. Ibid.*
12 *Vel ubi cauſa conventionis eſt ſummaria, altera ordinaria: quod tamen limitatur.*
13 *Aut quando Iudex, quem Actor adiit, de altera cauſa cognoſcere nequit.*
14 *Ne quidem utraque parte conſentiente: aliàs ſecùs.*
15 *Per reconventionem extenditur juriſdictio Iudicis; quomodo?*
16 *Reconventio non procedit coram Arbitris.*
17 *Et quibus?*
18 *Nec in Reo excommunicato.*
19 *Neque valet reconventio reconventionis.*

2 QUæritur I. Quid ſint, & coram quo fieri debeant mutuæ petitiones? Reſp. I. *Mutuæ petitiones* aliud non ſunt, quàm conventio ex parte Actoris, & reconventio ex parte Rei. Ita Abbas *ad Rubricam h. t.* Siquidem *Reconventio* eſt ſecunda conventio, ſive reciproca petitio, qua videlicet Reus viſo Actoris libello, viciſſim aliquid ab eo petit: ſicque interveniunt duæ petitiones, quas appellant *Mutuas petitiones*, hoc eſt, reciprocas.

3 Reſp. II. Quamvis Reus conventus non cogatur reconvenire Actorem, ſi tamen ipſum reconvenire velit, tenetur hoc facere coram eodem Judice. Ita communis. Et quidem prima pars patet ex *L. un. C. Ut nemo invitus &c.* ubi dicitur, quòd invitus agere, vel accuſare nemo cogatur. Atqui reconventio ſpectat ad actiones, *arg. c. Cùm inter. §. fin. de exception.* ergo. Proinde ſi quis reconvenire noluerit, expectet terminum primæ litis, eaque finita adverſarium ſuum conveniat; idque vel coram eodem, vel coram alio competenti Judice.

4 Altera pars eſt Abbatis *in c. 1. n. 27.* & Barboſæ *eod. c. 1. n. 2. h. t.* & aliorum, juncto textu ibidem, dum Judex, etiam Delegatus, jubetur compellere Actorem ad reſpondendum Reo in cauſa reconventionis, atque utramque cauſam viciſſim audire. Concordat *c. 2. eod.* ibi: *Et Reus coram eodem judice Actorem reconveniat.* Item, & adhuc clariùs, *Auth. Et conſequenter. C. de Sent. & interlocut. omn. judic.* ubi expreſsè ſtatuitur, quòd is, qui reconvenire vult, non poſſit, niſi coram eodem Judice, & ſtatim, reconvenire: ſi verò iſte diſpliceat, debeat ipſe recuſari (dummodò ſubſit juſta cauſa recuſandi) vel expectandus ſit terminus primæ litis, qua priùs ventilata, & diſcuſſa, tum demum alter admittatur. Accedit ratio, in lumine naturali fundata: tum ne in calumnioſa Rei poteſtate ſit, Actorem ad diverſos Judices trahere, ſicque ejus actionem eludere, *l. Si idem §. Quod ſi ff. de juriſd. omn. judic.* Tum ne cauſæ continentia dividatur; ſimulque, ut hac ratione faciliùs citiùſque lites dirimantur, ſicque conſulatur publicæ quieti: nam Judex, etiam delegatus, tunc utramque cauſam, tam conventionis ſcilicet, quàm reconventionis, ordine ſucceſſivo ſimul audire, atque una ſententia terminare debet, *cit. c. 1. h. t.* atque ampliùs declarabitur infrà §. 3. n. 45. & ſeqq.

5 Reſp. III. Nequit Actor quoad reconventionem, ubi ea locum habet, ſe ulla Fori incompetentis exceptione tueri, quò minùs, ſi à Reo reconveniatur, coram eodem Judice reſpondere teneatur. Ita Vallenſis *h. t. §. 1. n. 3.* Sanning *h. t. c. 1. n. 4.* & alii; atque habetur *in l. Cùm Papinianus.* juncta *cit. Auth. Et conſequenter. C. de Sent. & Inter locut. omn judic.* eſtque canonizata *in can. Accuſatore. 3. q. 8.* addita hac ratione: *Cujus in agendo quis obſervat arbitrium, eum habere etiam contra ſe judicem in eodem negotio non dedignetur.* Concordat textus *in l. Qui non cogitur. 22. ff. de Judiciis*; ibi: *Qui non cogitur in aliquo loco judicium pati, ſi ipſe ibi agat, cogitur excipere actiones, & ad eundem judicem mitti.* Veruntamen iſta procedunt duntaxat in illis caſibus; in quibus reconventio locum habet: hanc enim non ubique locum habere, illicò dicetur. Unde

6 Quæritur II. An in omnibus prorſus cauſis locum habeat Reconventio? Reſp. Negativè. Licèt enim generatim loquendo in omnibus cauſis locum habeat reconventio, ubi non repugnat qualitas cauſæ, aut non reperitur ſpecialis in Jure prohibitio; nihilominùs ſunt quædam exceptæ.

7 Et primò quidem in cauſis criminalibus criminaliter motis non habet locum reconventio: ſiquidem *non relatione criminum, ſed innocentia reus purgatur*, ut dicitur *in l. Is qui reus. ff. de publicis judiciis.* Quinimò pendente accuſatione non poteſt accuſatus, niſi priùs ſe purgaverit, alios accuſare de pari vel minori crimine, quando non ſuas, vel ſuorum injurias perſequitur, *l. Negando. C. de iis, qui accuſare non poſſ.* eſtque canonizata *in can. 1. 2. & cauſ. 3. q. 11.*



8 Quòd ſi verò merè civiliter procedatur, rectè admittitur reconventio civiliter de crimine: quia tunc nihil impedit. Abbas *in c. 1. n. 22. h. t.* Vallenſis *eod. §. 2. n. 3.* Maranta *part. 4. Speculi Aurei diſt. 6. n. 68.* Sannig *h. t. cap. 2. n. 3.* & alii.

9 Deinde reconventio non habet locum in cauſis executivis; hoc eſt, in illis, quæ paratam habent executionem. Sic compenſatio, ſive reconventio, locum non habet in Depoſito, *cap. ult. de Depoſito & l. Si quis vel pecunias. C. Depoſiti.* Item, quando petitur executio inſtrumenti confeſſionati: quia habet vim ſententiæ, atque paratam executionem. Vallenſis *h. t. n. 2. §. 4.* Maranta *part. 4. Speculi Aurei, diſt. 6. n. 39.* citans Baldum *in Auth. Et conſequenter.* Item in cauſa ſpolii: nam ſpoliatus ante omnia reſtituendus eſt, & ſi eum ſpoliator conveniat, non tenetur huic reſpondere ante factam ſibi reſtitutionem ſpolii, *c. Super ſpoliatione de Ordine cognit.* Addit Barboſa *in cap. 1. n. 8. h. t.* etiam in actione de dote reconventionem non admitti.

10 Ulteriùs reconventio non habet locum in cauſa appellationis, *arg. L. 1. ff. Eum, qui appellaverit &c.* Siquidem in cauſa appellationis ceſſat ratio, quæ *in l. Cùm Papinianus, n. 5.* allegata, refertur: quia Judex appellationis non ex mero arbitrio, ſed ex neceſſitate aditur, videlicet propter gravamen, quod appellans ſibi putat injuſtè illatum. Hoc tamen intellige de appellatione judiciali: nam quando appellatur extrajudicialiter, admittitur reconventio, quia tunc judex principaliter, atque ex proprio arbitrio aditur. Speculator *tit. de Reconventione §. Nunc dicamus, n. 6.* Abbas *cap. 1. n. 31. h. t.* Maranta *cit. diſt. 6. n. 27.* Pirhing *h. t. n. 16.* & alii.

11 Quartò non habet locum reconventio, ubi natura ſeu qualitas cauſæ reconventioni repugnat: ut ſi ab una parte debitum ſit liquidum, ab altera verò non liquidum. Debet enim vel utraque cauſa eſſe liquida, vel utraque illiquida: ſiquidem reconventio non magis eſt admittenda, quàm compenſatio, cum qua habet affinitatem; hæc autem non admittitur, niſi in debitis ejuſdem qualitatis. Accedit, quòd cæteroquin alteri parti, cujus cauſa eſt liquida, manifeſta fieret injuria, ſi deciſio ſuæ cauſæ liquidæ retardaretur propter cauſam reconventionis ab altero propoſitam, quæ illiquida eſt, longiorique indiget diſcuſſione. Zoeſius *n. 9. h. t.* & concordant illicò dicenda *n. ſeqq.*

12 Deinde, quamvis, ſi utraque cauſa ſit ſummaria, non dubitetur, quin locus ſit reconventioni, cùm ſimul tractari valeant. Abbas *cap. 1. n. 18. h. t.* Bartolus *in Auth. Et conſequenter §. Juxta hoc quæro C. de Sentent. & interlocut. omn. judic.* Nihilominus quando cauſa conventionis eſt ſummaria, non habet locum reconventio cauſæ ordinariæ, ſeu requirentis proceſſum plenarium, ſive ordinarium. Jo. Andreas *in cap. 1. n. 3. verſ. Illud autem notandum h. t.* Speculator, *ubi ſuprà, n. 11.* Card. Tuſchus *Litt. R. Concl. 61. n. 9.* citans Socinum *Reg. 1. Reconventio Actoris, in 3. Fallent.* Ratio eſt: quia alioquin pariter magna inferretur injuria Actori, dum cauſa principalis per ipſum ſummariè intentata, & celeritatem requirens, ad longum ſuſpenderetur ob proceſſum plenarium in reconventione ordinaria obſervandum. Niſi dicere velis cum Abbate *in d. cap. 1. num. 19. h. t.* quòd tunc cauſa reconventionis trahatur ad naturam cauſæ conventionis, *arg. c. Prudentiam h. t.* adeoque ubi iſta eſt ſummaria, etiam cauſa reconventionis ſit ſummariter expedienda. Vel cum Bartolo *loc. cit.* & Sannig *h. t. cap. 2. num. 1.* & nonnullis aliis, quòd tunc habeat quidem locum reconventio quoad effectum prorogativum juriſdictionis (hoc eſt, ut Judex conventionis ſummariæ poſſit etiam procedere in cauſa reconventionis ordinariæ) non tamen quoad hoc, ut ambæ cauſæ ſimul debeant tractari, atque eadem ſententia terminari; prout in ſimili dicetur infrà §. 3. n. 43. & 44.

13 Ulteriùs reconventio non habet locum, ubi talis eſt qualitas cauſæ, ut Judex, quem Actor adiit, de ea ob ſuam incapacitatem cognoſcere nequeat: prout accidit in cauſis ſpiritualibus, ſuper quibus Judex laicus cognoſcere non poteſt, nè quidem incidenter, *c. Tuam de Ordin. cognit.* juncta Gloſſa *fin. ibid.* & communi DD. Unde quoad cauſam ſpiritualem non habet locum reconventio coram Judice laico: quamquam in hoc caſu locum habeat reconventio coram Judice Eccleſiaſtico competente, ad quem oportet talem cauſam remittere, etiam judicio conventionis adhuc pendente, *cit. c. Tuam de Ordin. cognit. & c. Lator Qui filii ſint legitim.*

14 Nec obſtat textus *in l. Quoties. C. de Judiciis, & l. Si idem ff. de Juriſdict. omn. Judic.* ubi Judex, qui de cauſa aliqua graviori principaliter cognoſcere nequit, nihilominùs ſuper ea incidenter, ac mediante reconventione cognoſcit. Reſp. enim cum Abbate *in cap. 1. n. 28. & ſeqq. h. t.* diſtinguendo inter ejuſmodi cauſas graviores: nam harum quædam ſunt tales, de quibus Judex cognoſcere non poteſt, niſi partibus volentibus prorogantibus juriſdictionem ejus; & in his habet locum reconventio: quia per electionem unius judicis Actor ſibi præjudicat, & debet pati eundem judicem etiam contra ſe, ut *cit. l. Cùm Papinianus C. de Juriſdict. omn Judic.* cum ſimilibus. Quædam verò ſunt cauſæ, de quibus Judex non poteſt cognoſcere etiam utraque parte conſentiente: & in his non eſt locus reconventioni, nam natura cauſæ non patitur talem judicem. Et hoc poſterius accidit in cauſa ſpirituali reſpectu Judicis laici: prius autem procedit in illis cauſis, de quibus Judex nequit cognoſcere, niſi ex conſenſu partium ſuam juriſdictionem prorogantium, de quibus ſermo eſt *in cit. l. Quoties & l. Si idem.*

15 Nec ulteriùs obſtat, quòd per reconventionem extendatur juriſdictio Judicis. Reſp. enim, per eam extendi quidem juriſdictionem Judicis reſpectu perſonæ reconventæ, utpote in quam alias non haberet juriſdictionem: non tamen extendere ejus juriſdictionem reſpectu cauſæ, quæ ex ſua natura repugnat reconventioni, aut quæ ob ſuam ſpecialem qualitatem non niſi coram certo Judice, putà Eccleſiaſtico, tractari poteſt. Neque enim reconventio tollit incapacitatem, quam habet Laicus ad cognoſcendum ſuper cauſa ſpirituali, vel ſpiritualibus annexa.

16 Quintò, non procedit reconventio coram Arbitris, *c. Cùm dilectus 6. de Arbitris.* Siquidem Arbiter non habet poteſtatem judicandi ultra comprehenſa in compromiſſo; ſicque coram eo non eſt locus reconventioni, cùm hæc egrediatur terminos compromiſſi.

17 Notant tamen Doctores, hoc procedere ſolùm de Arbitro voluntario ſeu compromiſſario, qui ex libera partium voluntate, atque conſenſu eligitur: nam tunc eſt, quod imputetur Reo, cur cauſam ſuam non fecerit meliorem, exprimendo in compromiſſo, ut detur locus reconventioni. Secùs eſt in Arbitro juris, ſive neceſſario, utpote qui ex neceſſitate, ſeu diſpoſitione juris eligendus eſt: nam tunc Reus non verè liberè; ſed ex neceſſitate, Juriſque diſpoſitione compromittere debet; ſicque locum habere poteſt reconventio. Intellige, dummodò arbiter hujuſmodi electus fuerit ſuper tota cauſa aliqua, & non ſolùm ſuper certo articulo cauſæ, putà ad cognoſcendum de ſuſpicione Judicis; nam coram tali arbitro, etiam neceſſario, non habet locum reconventio: ſecùs, ſi eſt deputatus ad totam cauſam. Abbas *in cit. c. Cùm dilectus n. 7. de Arbitris.* Maranta *part. 4 Speculi Aur. diſt. 6. nu. 20.* citans alios; atque jam dictum *Lib. 1. Tit. 43. de Arbitris §. 3. n. 60. & 68.*

18 Sextò, non procedit reconventio in Reo excommunicato. Etſi enim excommunicatus ſtare poſſit in judicio ut reus, ibique ſe defendere, excipere, imò & appellare: nihilominùs Actorem reconvenire non poteſt; *Ne quod in defenſionis remedium ſuſtinetur, ad impugnationis materiam extendatur*, uti loquitur Pontifex *in c. Cùm inter 5. de Exception.* Ratio diverſitatis innititur citatis verbis: nam priora ſpectant ad defenſionem, quæ cuilibet, etiam excommunicato, naturali æquitate conceſſa eſt: reconventio autem ſpectat ad impugnationem, ſeu reciprocam actionem. Atqui agere in judicio, non eſt permiſſum excommunicato, *c. Exceptionem 12. eod.*

19 Septimò, reconventio reconventionis nulla eſt: ut ſi me convenis ad decem, & ego te convenio ſuper bove, non poteris me iterum reconvenire ſuper equo; ne ſic mutuæ petitiones procedant in infinitum: nam infinitas reprobatur à Jure, *c. Cùm in multis de Reſcript. in 6.* juncta Gloſſa *ibid. verſ. Multis*, & concordantiis per

eam

eam adductis. Speculator *tit. de Reconventione §. Nunc dicamus n.* 13. benè notans, quòd quidem in primo libello tu me potuiſſes etiam ſuper equo convenire, non item poſt meam reconventionem rurſus me convenire: Tacentur nonnulli alii caſus, in quibus reconventio non habet locum, quorum octodecim enumerat Socinus *Reg. 1. Reconventio actoris*.

## §. II.

## De Reconventione Clerici coram Judice Laico.

*S U M M A R I U M.*

20 *An Clericus poſſit reconveniri à Laico Reo coram Judice ſæculari? Et num. ſeqq.*
*Hic oportet diſtinguere plures caſus. Ibid.*
21 *Laicus nequit Clericum coram Judice ſæculari reconvenire ſuper cauſa ſpirituali, vel huic annexa.*
22 *Neque in cauſa criminali.*
23 *Num ſaltem poſſit ipſum reconvenire in cauſa temporali, & civili?*
24 25 & 26 *Ponuntur fundamenta ſententiæ negativæ.*
27 *Sententia affirmativa eſt communior Doctorum.*
28 29 & 30 *Eaque multipliciter probatur.*
31 32 & 33 *Solvuntur fundamenta ſententiæ negativæ.*
34 *Reconventio non eſt propriè conventio. Et n. 31.*
35 *Reconventioni non eſt locus, quando Laicus dolo provocavit Clericum, ipſum damnificando, injuriando &c.*
36 *Idque ampliùs probatur.*
37 38 & 39 *Dantur alii caſus, in quibus Clericus, nequit reconveniri coram Judice laico, & qui?*

20 QUæritur I. Utrùm Clericus Actor poſſit reconveniri à Laico Reo coram Judice ſæculari? Ubi prænotandum, quòd in hac celebri, & ſatis inter Doctores controverſa materia, diſtinguendi ſint plures caſus; uti videre eſt apud Abbatem *in cap. At ſi Clerici n. 19. & ſeqq. de Judiciis*, & alios. Vel enim reconvenitur Clericus in cauſa ſpirituali, aut huic annexa; vel in cauſa criminali; vel in cauſa temporali, & civili; vel denique hoc contingit dolo provocantis Laici. Et quidem de duobus prioribus nunc loquendo

21 Reſp. I. Certum eſt, quòd Laicus nequeat Clericum coram Judice ſæculari reconvenire ſuper cauſa ſpirituali, vel huic annexa, utpotà de valore profeſſionis, de voto, ejuſque obligatione, de Beneficio Eccleſiaſtico per Clericum obtento, de jure eligendi, præſentandi, conferendi, aut hujuſmodi. Ita Gloſſa *can. Accuſatores 3. q. 8. verſ. Judicem*. Abbas *cit. n. 19.* Speculator *tit. de Reconventione. §. Nunc dicamus n. 8.* & communis. Ratio eſt clara: quia Judex laicus nequit cognoſcere de talibus cauſis ſpiritualibus, *c. Decernimus 2. & c. Quanto 3. de Judiciis*, eſtque ampliùs dictum *Tit. 1. de Judiciis §. 3. n. 66. & ſeqq.* Quinimò de cauſa ſpirituali ne quidem incidenter poteſt Judex ſæcularis cognoſcere; ſed hæc ad Judicem Eccleſiaſticum eſt remittenda; ut *c. Tuam 3 de Ordine cognit. & c. Lator 5. Qui filii ſint legitimi:* multò minùs ergo de ea cognoſcit per reconventionem.

22 Reſp. II. Nequit etiam Clericus reconveniri coram Judice ſeculari in cauſa criminali, ſive dein agatur criminaliter, ſive civiliter. Ita Abbas *loc. cit. n. 20. & 21.* Barboſa *lib. 1. Jur. Eccleſ. univ. cap. 39. §. 2. num. 148.* Pirbing *h. t. n.* 8. & alii. Idque deſumitur ex *cap. un. de Cleric. conjugat. in 6.* ubi Clerici pro commiſſis ab eis exceſſibus nec criminaliter; nec etiam civiliter, poſſunt puniri apud Judicem ſæcularem, neque ab hoc ullatenùs damnari ſive corporaliter, ſive pecunialiter: ne alioquin (ut ibidem argumentatur Pontifex) per unam viam concedatur eiſdem Judicibus, quod per aliam denegatur, contra Reg. 84. Juris in 6. ibi: *Cùm quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti*, cum ſimilibus. Concordant dicta ſuperiùs *Tit. 1. de Judiciis n. 81. & 83. ac ſeqq. & n. 137.* Ibi videatur.

23 Quæritur II. An ſaltem in cauſa temporali & civili poſſit Clericus Laicum conveniens, ab eodem reconveniri coram Judice ſæculari? Reſp. Hanc eſſe celebrem, valdeque controverſam quæſtionem inter Doctores, qui generatim abeunt in duas extremas ſententias, affirmativam videlicet, & negativam: quamvis utraque pars ultimatè ſe remittat ad conſuetudinem particularium locorum, hancque in praxi dicat eſſe ſervandam; cùm ſit articulus valdè dubitabilis, prout ampliùs patebit ex progreſſu.

Fundamentum ſententiæ negativæ eſt: quia regula traditur negativè, Clericum non poſſe conveniri coram Judice ſæculari; ut *c. Si diligenti 12. de Foro compet. & c. Qualiter 17. de Judiciis*, ibi: *Ne Clerici trahantur à Laicis ad judicium ſæculare, quod omnino prohibemus*, cum concordantiis: ergo nec reconveniri. Probatur conſequentia. Tum quia reconventio eſt ſpecies conventionis, nec aliud eſt, quàm ſecunda conventio, ut inquit Abbas *ad Rubr. h. t. n. 2.* Tum quia dictio *omnino* eſt præciſe ſignificationis, & idem importat, ac *nullo modo*; ſicque comprehendit omnem caſum, tam conventionis videlicet, quàm reconventionis: Confirmatur, quia caſus illi, in quibus Clerici poſſunt judicari, & condemnari à Judice laico, jam habentur in jure expreſſi; ut patet ex dictis *tit. 2. de foro compet. §. 10. n. 250. & ſeqq.* ergo, cùm cauſas reconventionis nullibi habeatur in jure expreſſus, remanet is ſub regula negativè poſita. 24

Neque obſtat diſpoſitio juris Civilis *l. cùm Papinianus 15 C. de ſentent. & interlocut. omn. judic.* ac refertur *in can. Accuſatores 3. q. 8* Nam contra eſt: quia imprimis diſpoſitio Legum Civilium non aſtringit Clericos ex defectu juriſdictionis, *cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ 10. de conſtitut.* cum ſimilibus. Deinde per hoc, quòd Lex illa fuerit inſerta Decreto Gratiani, non accedit ipſi major authoritas, ſeu poteſtas aſtringendi Clericos, quàm antea habuerit, ut fuſius dictum *in Proœmio § 5. n. 68.* Et quamvis citatus Canon, *Accuſatores*, ſit Zephyrini Papæ, habentis facultatem condendi Leges pro tota Eccleſia, ipſiſque Clericis: nihilominus verba illa, ex Codice relata, non haberi in Epiſtola Zephyrini, neque in vetuſtis Gratiani Codicibus, rectè obſervatur *ibid. in Annotatione, V. Ut Codice*, ſicque parum urgere convincitur. 25

Tandem regula illa, quòd Actor poſſit reconveniri coram eodem judice, traditur in genere ſolùm; ergo ipſa non debet extendi, ac referri ad Clericos, utpotè circa quos habetur ſpecialis proviſio, quòd non poſſint conveniri coram Judice ſæculari, neque hic in eos (demptis caſibus ſpecialiter in jure expreſſis) poſſit exercere juriſdictionem. Probatur ſequela: quia lex generaliter loquens, non tollit legem ſpecialiter loquentem, ſed per hanc diſtinguitur, ac limitatur; ut habet communis Doctorum, eſtque dictum *lib. 1. tit. 2. de conſtitutionib. § 19. n. 496.* Atque ideò ſententiam negativam tenet Abbas *in cit. c. At ſi Clerici n. 22. & ſeqq. de judic.* quamvis *n. 25.* addat, quòd, cùm caſus iſte ſit valdè dubitabilis, attendenda ſit conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres. Geminian. *in can. Cujus in agendo 3. q. 8.* Card. *in Clem. ſancimus de election.* Pirbing *h. t. n. 9* & nonnulli alii. 26

Econtrà ſententiam affirmativam, videlicet Clericum in cauſa civili & temporali poſſe reconveniri à Reo laico coram Judice ſæculari, tenet Gloſſa *in c. 1. V. ſuper ſuis h. t.* Jo: Andreas *c. At ſi Clerici n. 14. de judiciis.* Speculator *tit. de reconvent. §. Nunc dicamus n. 7.* Bartolus *in Auth. Et conſequenter quæſt. penult. Cod. de ſent. & interlocut.* Farinac. *lib. 1. de Inquiſitione, tit. 1. q. 8. n. 99.* hanc vocans communem. Maranta *part. 4. Speculi Aurei, diſt. 6. n. 53.* eamque noviſſimè tenet Fagnan. *in c. Magnus n. 57. de obligat. ad ratiocin.* appellans ipſam communem; quamvis *in c. Tuam, n. 35. & 59. de Ordin. cognit.* cenſeat, circa hunc articulum, utpotè dubitabilem, eſſe attendendam conſuetudinem locorum. Jacob. Pignatell. *tom 3. conſult. 27. num. 1. & 4.* Zoeſius *h. t. n. 4.* & ibi Vallenſis *§. 1. n. 3. & ſeqq.* Engel *n. 6.* & Barboſa *lib. 1. juris Eccleſ. univ. cap. 39. §. 2. n. 137. & c. 1. n. 4. h. t.* citans pro hac ſententia plurimos alios. 27

Ratio hujus communioris ſententiæ eſt: quia pro regula quaſi generali ſtat, Actorem incompetentis fori exceptione ſe tueri non poſſe, quò minùs coram eodem judice in cauſa reconventionis reſpondere cogatur: ut *l. Qui non cogitur 22. ff. de judiciis, & l. cùm Papinian.* juncta *Auth. Et conſequenter C. de ſent. & interlocut. omn. judic.* quæ regula in jure Canonico *cap. 1. & 2. h. t. & c. cùm dilecti 6. de arbitris, & cap. Diſpendia §. Reus de reſcript. in 6. & can. Accuſatores 3. q. 8.* fuit recepta: nec ab ea Clerici quoad cauſas civiles ullibi reperiuntur excepti, uti patebit ex ſolutione objectionum. 28



29 Accedit, quòd hoc ipſum æquitas naturalis poſtulare videatur. Tum quia ratio naturalis dictat, ut qui ſpontè ſibi elegit judicem contra adverſarium, viciſſim ab eo reconventus eundem judicem ſuſtineat; prout notatur *cit. l. cum Papinian. & can. Accuſatores, 3. q. 8.* illis verbis: *Cujus enim agendo obſervat arbitrium, eundem & habere contra ſe judicem in eodem negotio non dedignetur.* Tum quia in Judiciis ſervanda eſt æqualitas, nec habenda perſonarum acceptatio, *c. Novit de judiciis, & c. in judiciis, 11. de Reg. Jur. in 6.* Quinimò, ut habet Reg. 32. juris in 6. *Non licet Actori, quod Reo non licet.* Atqui hæc non procederent, ſi circa cauſas ejuſdem qualitatis, ut putà temporales, Actor Clericus poſſet coram Judice ſæculari convenire Reum laicum, & non viciſſim ab eo reconveniri. Et meritò tali Actori, licèt Clerico, objicitur illud vulgatum. *Quod quiſque juris in alterum ſtatuerit, ipſe eodem jure utatur*, ut loquitur *Rubrica ff. Quod quiſque juris &c.*

30 Confirmatur eadem ſententia: quia fruſtrà quis petit debitum, qui quod debet, non impendit, *arg. can. Eſto ſubjectus, diſt. 95.* junctis concordantiis per Gloſſ. *ibid. V. Me*, adductis; ergo ſi Clericus conveniens Laicum coram ſæculari Judice, dum quid viciſſim eidem debet, poterit ab ipſo ibi reconveniri, ut ſic fruſtrà petere convincatur. Quinimò reconventio eſt aliqualis defenſio, *ac quodammodò quædam retorquutio*, ut inquit Jaſon *in l. ſi quis iniquum n. 15. ff. quod quiſque juris &c.* poſt Baldum, & alios; ac proin nec Laico per Clericum convento erit deneganda: ſervit quippe reconventio Reò convento ad commodiùs defendendum jus ſuum contra Actorem, ſive Clericum, qui forſan ab ipſo petit centum vi mutui, replicando quòd ille Clericus ſibi viciſſim debeat centum ratione frumenti quondam venditi, ac necdum ab eo ſoluti: ſic enim abſque multiplicatione litium debita debitis facilè tolluntur, Reuſque conventus aptè defenditur.

31 Nec obſtant rationes *num. 24.* pro contraria ſententia allatæ. Non prima; negatur enim conſequentia, cum ſua probatione: quia reconventio, non eſt conventio quomodocunque (ſive talis, qualis datur ex parte Actoris, qui in ſua poteſtate habet, an & quando velit convenire Reum, *l. Purè, §. fin. ff. de Doli mali except.*) ſed eſt mutua conventio, ſeu aſſumpta à Reo per modum retorquutionis, & ad ſuam neceſſariam defenſionem, ne videlicet plus æquo ſibi nocere poſſit actio per adverſarium intentata: quæ duo ſunt valdè diverſa. Unde, quòd reconventio non ſit propriè conventio; & quòd ſtatutum loquens in materia conventionis, non habeat locum in reconventione, rectè notatur *in addit. ad Abbat. ſuper Rubr. h. t.*

32 Concordat Bartol. *in cit. Authen. Et conſequenter qu. penult. C. de ſent. & interlocut. omn. judic.* ubi iſtud probat exemplo Legatorum cauſa Reipublicæ abſentium: nam hi favore publicæ utilitatis habent quidem privilegium, ne ab aliquo conveniantur: non tamen habent privilegium ut ſi ipſi agant, non poſſint ab alio reconveniri, *l. 2. §. Sed etſi agant ff. de judic.* Unde manifeſtè ſequitur, reconventionem non eſſe propriè conventionem: alioquin enim Legati illi, ſicut non poſſunt conveniri, ita nec reconveniri poſſe deberent. Quinimò ex hoc forte argumentum deſumitur in probationem noſtræ ſententiæ: nam ſi Legatus contra alium agens, poteſt ab iſto reconveniri, haud obſtante, quòd ab hoc conveniri non poſſit ob favorem Reipublicæ: ita à ſimili Clericus coram ſæculari Judice contra Laicum agens, poterit ibidem ab iſto reconveniri, non obſtante, quod ob favorem Status Clericalis coram ſæculari Judice conveniri nequeat.

33 Ad confirmationem *num. 24.* poſitam negatur conſequentia; vel potiùs ſuppoſitum ejus; videlicet, quòd caſus reconventionis non habeatur exceptus in Jure: oppoſitum enim probant Jura, & textus *n. 28. & ſeqq.* allegati. Nec urget, quòd diſpoſitio Juris Civilis Clericos non aſtringat. Nam imprimis reconventio etiam Jure Canonico eſt recepta: ut *cap. 1. & 2. h. t.* cum concordantiis *num. 28.* relatis: neque hinc ullibi excipitur Clericus à Laico conventus. Deinde hoc ipſo, quod circa jus conveniendi Clericum, etiam coram Judice laico, Jus Canonicum nihil expreſſè ſtatuerit, cenſetur quoad hoc approbata diſpoſitio Juris Civilis, *arg. c. 1. & 2. de Novi oper. nunciat.* cum ſimilibus.

Ad ultimum rurſus negatur conſequentia, cum ſua probatione. Quamvis enim jure ſtatutum habeatur, quòd Clericus non poſſit conveniri coram judice laico: nullibi tamen habetur, quòd ipſe in cauſa civili conveniens Laicum non poſſit viciſſim coram eodem Judice reconveniri. Imò oppoſitum innuitur *cap. ult. h. t.* cum ibi dicatur, *Quod Actoris, & Rei eadem ſit conditio.* Simulque, ut addit Gloſſa ibidem, in judiciis non debeat eſſe perſonarum acceptio, *cap. Novit, de judiciis.* Nec debeat Actori licere, quod Reo non permittitur, *c. Non debet, de Reg. jur. in 6.* Accedit inſtantia de Legato *num. 12.* jam adducta: unde, ut inquit Bartol. *loc. cit.* fatendum quidem, quòd prorogatio juriſdictionis Laici in Clericum non poſſit fieri ab homine, benè tamen à Lege; utpote per quam fit, ut omne privilegium, per quod perſona ſubducitur juriſdictioni, tollatur in cauſa reconventionis. 34

Quæritur III. Utrùm locus ſit reconventioni, quando Laicus dolo provocavit Clericum, putà, ipſi furtum, vel damnum aut injuriam inferendo, ut ab eo conveniatur, quatenus hac occaſione eum viciſſim coram ſuo ſæculari judice (forſan ſibi magis favente) poſſit reconvenire? Reſp. Negativè; prout tenet Gloſſa *in c. Relatum V. Coram ſæculari, de Jurepatron.* Abbas *cap. cùm dilectus n. 9. de arbitriis.* Speculator *tit. de Reconventione §. 1. n. 6.* Jacob. Pignatell. *tom. 3. conſult. 27. n. 8.* Maranta *part. 4. Speculi Aur. diſt. 6. n. 53.* Farinac. *l. 1. Inquiſ. q. 8. n. 101.* & alii. Probatur hoc *ex cap. ult. de Ordine cognition.* ubi generatim ſpoliator non poteſt reconvenire ſpoliatum judicio petitorio, ac proin nec Laicus ſpolians, vel damnificans Clericum, ſi ab hoc conveniatur, poterit ipſum reconvenire. Concordat textus *in l. 2. §. Sed & ſi agant ff. de judiciis*, ubi Legati cauſa Reipublicæ abſentes poſſunt quidem, ſi priùs agant, reconveniri in judicio: *non tamen ſi injuriam ſuam perſequantur, vel furtum, vel damnum, quod nunc paſſi ſunt &c.* Idem ergo dicendum de Clericis, quod nempè non poſſint reconveniri, quando furtum, vel damnum paſſi, coram Judice ſæculari injuriam ſuam perſequuntur, Laicumque ipſos damnificantem conveniunt: nam pari favore Clerici ratione Status Clericalis, ac Legati cauſa Reipublicæ abſentes fruuntur. Accedit, quòd generaliter loquendo in cauſa ſpolii locum non habeat reconventio, ut dictum ſuperius *§. 1. n. 9.* idem ergo dicendum reſpectu Clerici per Laici furtum, vel damnificationem ſpoliati. 35

Confirmatur. Quia Laicus Clericum (ſicut & Legatum) injurians, vel in bonis ſuis damnificans, hoc ipſo præſumitur eum dolo provocaſſe ad agendum: alioquin enim impunè læderet. Et ſi ſemel in tali caſu locus daretur reconventioni, cum Clerici (ſicut & Legati *aut impunè contumeliis, & damnis afficerentur; aut erit in poteſtate cujuſque, pulſando eos, ſubjicere ipſos juriſdictioni*, Judicis laici, *dum ſe vindicant;* prout notatur, ac pro ratione dictæ diſpoſitionis refertur *in cit. §. Sed & ſi agant*. Quia igitur malitiis hominum non eſt indulgendum, *l. in fundo, ff. de rei vendicat.* atque fraus & dolus alicui patrocinari non debent, *c. Sedes 15. & c. ex tenore 16. de reſcript.* meritò talibus præcluditur via reconventionis. Idque eò magis: quia reconventio Clerici coram Judice laico, cæteroquin à SS. Canonibus permiſſa eſt ſolummodò ex neceſſitate, ſive ob connexitatem cauſarum, hac ratione citiùs finiendarum: non verò, ut quis per dolum ſibi ad eam, principaliter intentam, viam aperiat. 36

Quæritur IV. An dentur alii caſus, in quibus Clerici coram ſæculari Judice Laicum convenientes, non poſſint ibidem reconveniri? Reſp. Dari: adeò ut Jacob. Pignatell. *cit. conſult. 27.* univerſim tredecim tales caſus enumeret. Et quidem primò generaliter reconventio Clerici coram Judice laico locum non habet in illis caſibus, in quibus ipſa cæteroquin locum non habet, ne quidem contra Actorem laicum, eſtque jam dictum ſuprà *§. præced. n. 67. & ſeqq.* 37

Deinde præter cauſas ſpirituales, & criminales, in 38
quibus

quibus non procedere reconventionem coram Judice ſæculari contra Clericum, jam à principio hujus paragraphi dictum eſt; Reconventio locum non habet, niſi reconveniatur Clericus nomine proprio, ubi is nomine proprio agit contra Laicum; alioquin enim ceſſaret ratio reconventionis. Unde ſi Clericus agat nomine Eccleſiæ, nequit is reconveniri nomine proprio: quia non agit ipſe, ſed Eccleſia, cujus eſt procurator. Pignatellus *cit. conſultat. 27. num. 6.* allegans alios.

39 Ulterius non habet locum reconventio, ubi conſuetudine receptum eſt, quòd reconventio Clerici non fiat ſub eodem Judice, ſed tantùm ſub Eccleſiaſtico: nam hujuſmodi conſuetudinem, veluti legitimam, & juris adeò controverſi optimam interpretem poſſe induci, ac proinde in praxi ſervandam eſſe, ultrò fatentur DD. ut dictum *num. 23. & 27.* Tacentur aliæ limitationes, utpotè potiſſimum conſiſtentes in iis caſibus, in quibus generaliter reconventio non procedit, ac jam ſuperiùs declarati fuerunt.

## §. III.

## De aliis Reconventionem concernentibus.

*S U M M A R I U M.*

40 & 41 *Reconventio eſt proponenda ſub ipſo litis exordio.*
42 *Sive ante, ſive immediatè poſt litem conteſtatam.*
43 *Alias pari paſſu cum conventione non ambulat.*
44 *Et hujus ratio.*
45 *Cauſa conventionis, & viciſſim reconventionis eſt ſimul tractanda.*
46 *Cum prærogativa tamen Actoris.*
47 *Et quomodo utraque cauſa dicatur eadem ſententia terminari?*
48 *Quid, ſi feratur ſententia ſuper una tali cauſa, & non ſuper altera?*
49 50 51 & 52 *Effectus reconventionis qui?*

40 QUæritur I. Quo tempore reconventio ſit proponenda? Reſp. I. Reconventio ſub ipſo litis exordio, hoc eſt, vel ante litem conteſtatam, vel immediatè poſt, debet proponi: alias pari paſſu cum conventione non ambulat. Ita Gloſſa *in Clem. Sæpè contingit. §. Verùm. ℣. Exordio*, & Abbas *ibid. n. 52. & 53. de verb. ſignif.* Maranta *p. 4. Speculi Aurei diſt. 6. n. 5.* Felinus *in cap. 1. n. 2. h. t.* Barboſa *ibid. n. 6.* citans alios contra Gloſſam *in cap. 1. ℣. Reſpondere h. t.* & Speculatorem *tit. de Reconventione §. Sequitur* ubi ait, quod uſque ad concluſionem in cauſa, poſſit fieri reconventio: niſi placeat, hanc ſententiam intelligere conformiter dicendis *n. 42.*

41 Concluſio noſtra, quam Felinus *loc. cit.* aſſerit eſſe communem opinionem, clarè habetur *ex d. Clement. Sæpè contingit §. Verùm de verb. ſignif.* ut dicitur: *Verùm quia juxta petitionis formam pronunciatio ſequi debet, pro parte Actoris, & etiam Rei ſi quid petere voluerit, eſt in ipſo litis exordio petitio facienda.* Nam verbum illud, neceſſitat, ut inquit Felinus *cit. num. 2.* poſt Card. *in c. exceptionem, de exceptionibus*, & Bald. *in Rubric. C. de edend.* dicentem, quod Gerundium neceſſitet. Concordat *Auth. de executoribus. §. Sancimus Collat. 7.* ibi: *Sancimus ergo, ſi quis obnoxium arbitratur habere eum, qui contra ſe conventionem expoſuit, non apud alium judicem, ſed apud eum mox à principio convenire.* Ubi Gloſſ. notavit: *Mox, hoc eſt, ſtatim, ſive antè, ſive poſt parum, non ex intervallo.*

42 Cæterùm, quod reconventio poſſit fieri nedum antè, ſed etiam poſt litem conteſtatam, dummodò fiat incontinenti, ſive parum poſt ipſam, tamen antequam juretur de calumnia (ut explicat Baldus *in cap. cùm veniſſet, num. 10. de judiciis*, & Jaſon *in l. Non ſolùm §. Morte ejus num. 13. ff. de Novi operis nunciat.*) tenent Doctores communiter, poſt Gloſſam proximè relatam, & aliam Gloſſam *in d. Clem. Sæpè contingit ℣. Exordio de verb. ſignif.* Ratio eſt: quia tunc reconventio adhuc cenſetur fieri in ipſo litis exordio, utpotè quod habetur per litis conteſtationem: nam quæ incontinenti fiunt, à jure ineſſe dicuntur; *l. Lecta eſt §. ſi certi petatur*, junctis concordantiis per Gloſſam *ibid. ℣. Stipulationi*, allegatis.

Additur *num. 40.* notanter, *alias pari paſſu cum conventione non ambulat.* Quia negari non poteſt, quin reconventio, ſaltem quoad effectum prorogandi juriſdictionem Judicis per Actorem electi, ſemper proponi valeat durante eodem judicio, & in quacunque parte ipſius (hoc eſt, uſque ad ſententiam, vel ſaltem uſque ad concluſionem in cauſa) & hoc non ſolum coram judice ordinario, ſed etiam coram Delegato; prout expreſſum habetur in *c. Diſpendia §. Reus de reſcript. in 6.* illis verbis: *Reus quoque, ſi eodem durante judicio, Actorem ſibi obnoxium dixerit, reconventionis beneficia de jure ſuo debet apud eoſdem judices experiri.* Atque hoc modo poterit intelligi Gloſſa, & Speculator, ſuprà *num. 40.* in contrarium allegati. Verumtamen notandum cum Gloſſa *in cit. Clem. Sæpè contingit. ℣. Exordio.* Abbate, Maranta, *ubi ſuprà*, & aliis, quod reconventio illa, quæ non fit in litis exordio, non ſit vera reconventio; neque vim reconventionis habeat, ita ut ſimul cum cauſa conventionis tractari, ac finiri debeat, licèt operetur effectum prorogationis juriſdictionis. Unde quando reconventio proponitur alio tempore, quàm ſub litis exordio, tunc non operatur, ut pari paſſu ambulet cum conventione (hoc eſt, ut Judex debeat in utraque cauſa viciſſim ac ſimul procedere, atque utramque eadem ſententia terminare; prout fit in vera reconventione, juxta prox. dicenda *n. 45. & ſeqq.*) ſed ſolùm id operatur, ut Actor teneatur ſtare juri coram tali judice, coram quo ipſe fuit reconventus. Atque ita intelligitur textus allegatus ex Maranta *ex cit. c. Diſpendia §. Reus.* Maranta *loc. cit. n. 5.*

43 Ratio hujus eſt: quia ſi cauſa reconventionis, poſt litis exordium ex longo intervallo interpoſitæ, deberet ſimul cum cauſa conventionis diſcuti, ac terminari, ut ſic pari paſſu cum ipſa procederet; retardaretur propter hoc cauſa conventionis antea jam ſatis diſcuſſa, ejuſque deciſio differretur, cum gravi diſpendio Actoris: imò in poteſtate Rei quodammodò foret, hac arte Actorem deludere, ac ſententiam in cauſa conventionis jamjam ferendam interpoſita aliqua reconventione prolongare. Ne igitur malitiis hominum indulgeatur, hinc in tali caſu oportet primitus ſententialiter terminari cauſam conventionis, utpote quam priùs in judicium deductam & probatam, æquum non eſt, ſuſpendi cum gravi incommodo Actoris propter ſupervenientem reconventionem Rei: poſteà verò ſub eodem Judice oportet tractari cauſam reconventionis, hancque ſententialiter terminari. Itaque talis reconventio id ſaltem habet commodi, quod ipſa apud eundem cauſæ conventionis Judicem; ut potè ab Actore ſpontè electum, ſive ordinarium, ſive delegatum, tractari poſſit, ac debeat; neque Actor reconventus ejus Forum declinare valeat, per textum jam allegatum *ex cit. c. Diſpendia. §. Reus de Reſcript. in 6.* qui ſic commodè intelligi, atque cum aliis Juribus concordari poteſt. Barboſa *cit cap. 1. n. 13. h. t.* Maranta, & alii.

44 Quæritur II. Quomodo tractanda, & terminanda ſit cauſa reconventionis, jam à litis exordio propoſitæ? Reſp. I. Cauſa conventionis, & viciſſim reconventionis, eſt ſimul tractanda, cum prærogativa tamen Actoris: ita videlicet, ut priùs tractetur unus articulus Actoris in conventione propoſitus, ad eumque Reus reſpondere teneatur; & dein viciſſim tractetur, atque expediatur unus articulus Rei propoſitus in reconventione, & ſic deinde loquendo de ſingulis articulis hinc inde tractandis: quibus omnibus expeditis ambæ cauſæ una ſententia terminandæ ſunt. Ita communis. Et quidem prior pars clarè habetur *ex cap. 1. h. t.* ubi cauſa conventionis ex una, & cauſa reconventionis ex altera parte, coram Judicibus à ſe delegatis propoſita, Pontifex mandat, ut ipſi compellant Actorem ad reſpondendum Reo: & *viciſſim* (hoc eſt, eodem tempore, ordine tamen ſucceſſivo) *poſtmodum rationes partium audientes, concordia, vel judicio utriuſque negotium terminent:* Concordat *c. Cùm dilectus 2. §. Nos autem de Ordine cognit.* ubi dicitur, quod mutuæ petitiones in idem judicium ambæ deductæ, viciſſimque tractandæ, ſimul ſint eadem ſententia terminandæ.

45 Altera pars, quod nimirum ambæ iſtæ cauſæ ſint tractandæ, cum prærogativa tamen actoris, patet *ex cit. c. cum dilectus §. Nos autem de Ordine cognit.* Accedit ratio: quia actor primò provocavit ad judicium; ergo etiam meritò ipſi competit prærogativa, ut prius expediatur articulus aliquis actoris in cauſa conventionis, quam rei in cauſa reconventionis; juxta regulam illam: *Qui prior appellat, prior agat*, ut loquitur textus *ib.* Abbas *in cap. 1. num. 7. h. t.* Vallenſis *h. t. §. 3. num. 3.* Pirhing. *eod. nu. 19.* & alii.



47 Si petas, quomodo intelligendum ſit, quod cauſa conventionis & reconventionis eadem ſententia ſit terminanda; cùm generaliter loquendo, quot ſunt articuli, ſint ſententiæ, *l. Etiam §. Ex cauſa ff. de minorib. & c. cum Eccleſia & cap. cum ſuper de cauſa poſſeſſ. & propr.* ubi duæ diverſæ ſententiæ latæ fuerunt ſuper conventione & reconventione, ſive ſuper poſſeſſione & proprietate rei ſimul in judicium deducta. Reſp. cum Gloſſa *in d. cap. cum dilectus ℣. Eadem ſententia de Ordine cognit.* & Abbate *in cap. 1. num. 7. h. t.* Speculatore *tit. de Reconventione ℣. videndum num. 4.* & aliis, fatendum eſſe, quod reverà duæ ſint ſententiæ in cauſa conventionis, & reconventionis, rectè tamen eas dici unam ſententiam propter continuationem temporis, & contextum prolationis; quia nimirum una continuè poſt alteram, ſicque eodem continuato tempore, atque ex eadem ſcriptura proferri debet.

48 Quod ſi verò feratur ſententia ſuper una tali cauſa, & non ſuper altera, valebit quidem ſententia, ſed pars altera poteſt appellare. Siquidem hic fit tranſgreſſio ordinis cauſæ ad cauſam, quæ licet non vitiet ſententiam ipſo facto, tamen juſtè ab eadem appellatur *L. 1. C. de appellat. & L. 1. §. fin. ff. Quæ ſententiæ ſine appellat.* ac notat Abbas *cit. cap. cum dilectus n. 14. de ordin. cognit.* Speculator *loc. cit. num. 5.* Maranta *cit. part. 4. diſt. 6. num. 7.* & alii. Qui tamen notanter iſtud limitant in caſu, ubi priùs liqueret de una, quam de alia cauſa, de qua non poſſet conſtare de facili, ſed magnis adhuc opus foret ambagibus; aut ubi cauſa conventionis celeritatem requireret; & immineret periculum animarum in differendo; nam tunc poſſet Judex ſuper una cauſa, v. g. conventionis, priùs pronunciare, nec valebit appellatio, *arg. c. Ad ultimum 2. de cauſa poſſeſſ. & propriet. & l. Æquiſſimum §. 1. ff. de Uſufruct.*

49 Quæritur III. Qui ſint effectus reconventionis? Reſp. Eſſe plures. Et quidem primus reconventionis effectus eſt, quod ſi actor nolit reſpondere reo ſuper libello reconventionis, neque reus teneatur actori in cauſa conventionis reſpondere. Nam utraque cauſa ſimul eſt tractanda, & minanda *c. 1. h. t.* atque actoris & rei par debet eſſe conditio, *c. 2. eod.* Simile quid habetur *in c. ult. §. fin. de Jurament. calumn.*

50 Alter effectus, ſive privilegium reconventionis eſt, quod ipſa ſit prorogativa juriſdictionis. Siquidem reconventio extendit juriſdictionem Judicis, ſive ordinarii, ſive delegati, in cauſa reconventionis contra actorem; adeò, ut hanc dijudicare valeat, non obſtante, quod in actorem illum, ſive cauſam, in qua reconvenitur, cæteroquin non haberet juriſdictionem, Gloſſa *in c. 1. ℣. Super ſuis* ut Abbas *ib. n. 4. h. t.* & alii. Quamquam hoc limitandum ſit in cauſis illis, quarum natura & qualitas reconventioni repugnat, juxta dicta ſuperiùs *§. 1. num. 11. hoc tit.*

51 Tertius effectus, ſive privilegium reconventionis, eſt ſimultaneus proceſſus, nempe, quod cauſa conventionis & viciſſim reconventionis, ſimul ſit tractanda, eademque ſententia terminanda, ne alioquin oporteat eaſdem partes ſimul coram diverſis Judicibus diſpendiosè litigare eſtque jam dictum *n. 45. & ſeqq.*

52 Quartus effectus, ſive privilegium reconventionis eſt, quod ea ſit cauſarum adæquativa; ita videlicet, ut idem modus procedendi, qui ſervatur in cauſa conventionis, etiam ſervandus ſit in cauſa reconventionis, *arg. c. 2. h. t.* ac notat Abbas *ib. n. 2.* Hinc ſi in cauſa conventionis reo appellare non licet, putà ob reſcriptum ab actore impetratum cum clauſula, *appellatione remota*, neque actor in cauſa reconventionis appellare poterit; cùm uno & eodem jure uterque cenſeri debeat *cit. cap. 2. h. t.* Accedit, quod non debeat actori licere, quod reo permittitur, *l. non debet actori ff. de Reg. Jur. & c. Non licet. eod. in 6.*

# T I T U L U S V.

## De Litis Conteſtatione.

*S U M M A R I U M.*

1 & 2 *Litis conteſtatio, quid?*
3 *Eſt fundamentum, & baſis, lapiſque angularis Judicii ordinarii.*
4 *In Judicio ſummario tamen ea non requiritur, licèt fieri poſſit.*
*Vim litis conteſtationis habet in Judicio ſummario primus actus, qui fit, vel cæteroquin fieri ſolet poſt litem conteſtatam. Ibid.*
5 *Litis conteſtatio, quibus modis inducatur? Et numer. ſeqq.*
6 *Praxis communis ipſam faciendi.*
7 *Ea etiam fit, ſi reus in Judicio ſimpliciter neget, quod actor petivit.*
8 *Atque in dubio præſumitur animus conteſtandi litem.*
9 *An cenſeatur fieri ſub verbo dubio.* Non credo, Credo &c.
10 *Ea non fit, quando reus reſpondet cum proteſtatione ſe nolle per hoc conteſtari litem. Et n. ſeqq.*
11 & 12 Proteſtatio contraria facto non relevat, *quomodo intelligendum?*
13 *Proteſtatio non conteſtandi litem, quando locum habeat?*
14 *Quid, ſi poſt eam reus ſimpliciter reſpondeat negativè?*
15 *Tergiverſans poteſt compelli ad conteſtandam litem; & quomodo?*
16 *Per ſolas poſitiones Actoris, ac reſponſionem rei ad eas, non inducitur conteſtatio litis.*
17 *Nec per confeſſionem rei in judicio factam ante oblatum libellum actoris.*
18 & 19 *Quid ſi fiat in judicio poſt oblatum libellum?*
20 *Aut ſi reus confiteatur quidem ſe debere, ſed opponat exceptionem.*
21 *Quando reus ſimpliciter confitetur animo conteſtandi litem, tunc hæc inducitur.*
22 *Idem ampliùs probatur.*
23 & 24 *Solvuntur inſtantiæ.*
25 *Litis conteſtatio non inducitur per oppoſitam exceptionem.*
26 *Tam declinatoriam Fori, quàm peremptoriam.*
27 *Idque ampliùs probatur.*
28 *Solvuntur inſtantiæ.*
29 *Effectus litis conteſtationis ſunt multiplices.*
30 I. *Per eam conſtituitur judicium.*
31 II. *Ac partes litigantes ſeſe obligant ad inſtantiam judicialem proſequendam.*
32 III. *Ex ea oritur actio judicati.*
33 IV. *Poſt litem conteſtatam non poteſt Judex recuſari.*
34 V. *Nec poſteà poſſunt opponi exceptiones dilatoriæ, vel declinatoriæ Fori.*
35 VI. *Per eam perpetuatur juriſdictio Delegati.*
36 VII. *Ac poſt ipſam Procurator invitus revocari nequit.*
37 VIII. *Neque mutari libellus.*

38 IX. *Et quid, ſi poſt eam alterutra pars litigantium recuſet præſtare juramentum calumniæ?*

39 X. *Per litis conteſtationem actiones temporales fiunt perpetuæ.*

40 XI. *Atque per eam fit, ut actiones pœnales tranſeant in ſolidum contra reorum hæredes.*

41 XII. *Per eam interrumpuntur præſcriptiones longi temporis.*

42 *Hi, aliique effectus, non niſi per validam litis conteſtationem inducuntur.*

1 QUæritur I. Quid ſit Litis conteſtatio, & quæ ejus neceſſitas? Reſp. I. *Litis conteſtatio* eſt fundamentum judicii per petitionem in jure propoſitam, & congruam reſponſionem, animo litigandi factum. Ita Abbas *cap.un.num.10.h.t.* poſt Hoſtienſem, Jo: Andream, & alios; quamvis horum aliqui appoſuerint ly, *animo conteſtandi litem*; verùm loco hujus particulæ melius in data definitione poſitum fuit ly, *animo litigandi*, ne alioquin idem definiretur per æquè ignotum, nempe *Litis conteſtatio* per animum *conteſtandi litem*, deſumitur autem allata definitio *ex cap.unic. h. t.* ubi dicitur, quod *per petitionem in jure propoſitam, & reſponſionem ſecutam, litis conteſtatio fiat.* Nam cum Actor quidpiam petit in judicio, Reus autem congruè reſpondet, ſive negando ex toto intentionem Actoris, ſive partim affirmando, partim negando, animo tamen litigandi, ſive conteſtandi litem; tunc inducitur Litis conteſtatio, prout ampliùs patebit ex progreſſu.

2 Breviùs Litis conteſtationem definit Vultejus *lib. 1. Juriſp. Rom. c. 31* Pirhing. *h.t.n.5.* & Engel. *n.1.* dicendo: *litis conteſtatio* eſt judicii conſtitutio, facta affirmatione unius, & contradictione alterius litigantis. Et dicitur, *judicii conſtitutio*, quia Litis conteſtatio eſt fundamentum, & lapis angularis Judicii ordinarii: atque ante eam non dicitur quis propriè agere, vel petere; ſed agere, vel petere velle, *l. Ampliùs ff. Rem ratam haberi*, atque illicò ampliùs dicetur. Unde

3 Reſp II. Litis conteſtatio eſt fundamentum judicii, & baſis, lapiſque angularis ipſius, qua omiſſa, ſi in figura Judicii ordinarii procedatur, vexantur litigantes inanibus laboribus ac ſumptibus, ipſeque proceſſus eſt nullus. Patet hoc *ex c.un.h.t. & c. 1. & 2. Ut lite non conteſtata &c.* cum concordantiis; ac notat Abbas *cit. num. 10.* & Baldus *in c.un.n. 2.h.t.* eſtque communis; & concordant dicta ſuperius *Tit. 1. de Judiciis, §. 1. n. 18. & 19.*

4 Additur notanter, *ſi procedatur in forma Judicii ordinarii.* Nam in judicio ſummario, utpote in quo proceditur ſimpliciter ac de plano, non eſt neceſſaria litis conteſtatio, *Clem. Sæpè contingit de Verb. ſignif.* ibi: *Litis conteſtationem non exigat.* Quamvis ſi hæc ibi fiat, idcircò Proceſſus non ſit irritus, neque irritandus; prout ibidem declarat Pontifex. Unde ſciendum, quod in Judicio ſummario primus actus, qui fit, vel cæteroquin fieri ſolet poſt litem conteſtatam, habeat vim conteſtationis litis; ut eſt Gloſſa ſingularis *in cap. 1. ℣. Abſentia*, juncta Gloſſa marginali *ibid. de Election. in 6.* & notat Innocentius *in cap. 1. de Dilation. & c. Si duobus, de Appell.* & Abbas *in cap. Venerabilis, num. 20. de Judiciis*, allegans alios.

5 Quæritur II. Quibus modis inducatur Litis conteſtatio? Reſp. I Litis conteſtatio regulariter fit per petitionem Actoris in judicio propoſitam, & reſponſionem negativam factam à Reo. Ita Gloſſa *in cap. Dudum 54. ℣. Reſponſionem, de election.* Abbas *in cap. un. h t.* Jaſon. *in l. Julianus num. 6. ff. de Condition. indebit.* Maſchardus *Concl. 434. de Probationibus num. 1.* citans alios. Idque clarè deſumitur *ex cit. cap. un. h. t.* ubi Pontifex inquit, quòd *non per poſitiones, & reſponſiones ad eas, ſed per petitionem in jure propoſitam, & reſponſionem ſecutam, litis conteſtatio fiat.* Concordat textus *in cit. cap. Dudum 54. §. Licet autem de Election. & in l. rem non novam §. Patroni. C. de Judiciis*; ubi dicitur: *Cùm lis fuerit conteſtata poſt narrationem propoſitam, & contradictionem objectam.*

6 Et quidem praxis communis eſt, quod Actor præſente Reo vel ad interrogationem Judicis, vel per ſe ipſum affirmando contenta in porrecto libello, ſuamque petitionem repetendo, utatur ſimilibus verbis: *Affirmo narrata, ut narrantur, & petita, ut petuntur, fieri debere.* Econtrà Reus litem conteſtaturus reſpondet: *Nego narrata, prout narrantur; & petita prout petuntur, fieri debere.* Uterque enim litem conteſtari dicitur: Actor quidem affirmativè, proponendo videlicet ſuam petitionem; & Reus negativè modo jam dicto, negans tam narrata in libello Actoris quam ejus concluſionem ſive petitionem. Gailus *lib. 1. practic. obſerv. 73. num. 1. & 2.* Speculator *tit. de Litis conteſtatione §. 1. n. 2.* Maſchardus *cit. concl. 434. n. 2.* & alii.

Addunt Doctores, etiam fieri Litis conteſtationem, ſi reus in judicio ſimpliciter neget, id quod actor petivit, licet non addat, ſe hoc facere animo conteſtandi litem: dummodò non proteſtetur expreſſè in contrarium. Ita Abbas *in cit. cap. Dudum num. 10. de election.* Bartolus *in L. 1. §. quæro tertiò C h t.* Maranta *part. 6 Speculi Aurei, Membr. 10. num. 5.* & alii. Ratio eſt: quia in tali caſu jam habetur petitio actoris, & contradictio rei in judicio; ſicque cenſetur lis conteſtata, *arg. cit. l. Rem non novam. C. de Judiciis.* Et hinc ſi actor in judicio dicat, *Titius debet mihi centum:* & Titius reſpondeat, *Nego, vel, Hoc non eſt verum:* ſit litis conteſtatio ſaltem implicita. Secùs, ſi dicat: *Non teneor reſpondere ratione Judicis, Actoris, vel Temporis*: quia tunc declinat Forum, non verò conteſtatur litem. Gloſſa *Leg. 1. ℣. Cum Judex Cod. de Litis conteſt.* 7

Porrò in dubio, ac ſecluſa proteſtatione in contrarium, præſumitur animus conteſtandi litem tam ex parte rei, hoc ipſo, quod reſpondet ad libellum, quàm ex parte actoris: niſi fortè alicubi vigeret conſuetudo declarandi expreſſè animum talem; nam eo caſu talis expreſſio foret de ſubſtantia litis conteſtationis. Maſchardus *cit. concl. 434. n. 16. & 17.* & Abbas *in d. c Dudum 54. n. 10. de election.* Menochius *lib. 2. de præſumptionib. præſump. 30. n. 1. & 3.* citans alios. 8

Inſuper cenſetur fieri litis conteſtatio per reſponſionem datam ſub verbo dubio, v. gr. *Non credo. Neſcio*, ac hujuſmodi: dummodò hujuſmodi reſponſio ſeſe referat ad libellum, & non ſolum ad poſitionem. Abbas *in cap. 1. num. 27. h. t.* Maranta *loc. cit. n. 7.* Maſchardus *d. Concl. 434. num. 13.* & alii: Imò communiter hoc modo litis conteſtatio ſolet fieri per Procuratores, aut hæredes in cauſa Defuncti, & alios, qui juſtam ignorantiæ cauſam prætendere poſſunt in facto alieno; ut *c. cum ad Sedem, de reſtit. ſpol.* ibi: *Ad quæ reſpondit Procurator Epiſcopi, ſe nec ſcire, nec credere ſuprà dicta ab Hoſpitali poſſeſſa, vel ad illud aliquatenùs pertinere &c.* Per hoc enim factam eſſe litis conteſtationem notat Gloſſa *ibid. ℣. Nec credere*; & Abbas *in cit. cap. Cùm ad Sedem num. 4. & 5.* addita hac ratione: quia licèt Procurator Epiſcopi hic ſolùm reſponderit ad narrata in libello, & non ad concluſionem libelli, tamen indirectè etiam negabatur concluſio libelli. Nam ſi narrata non ſunt vera, etiam non debet exaudiri concluſio; ſicque ſatis eſt quod reus hujuſmodi verbo dubio reſpondens, non confiteatur intentionem Actoris: tenetur enim Actor ſuam intentionem probare, alioquin ſuccumbet. 9

Reſp. II. His tamen non obſtantibus, ſi reus aliquo prædictorum modo reſpondeat ad narrata, & petitionem actoris, cum expreſſa proteſtatione, ſe per hoc nolle litem conteſtari, tunc non inducitur litis conteſtatio. Ita Gloſſa *in c. un. ℣. Reſponſiones*, & Abbas *ib. n. 16. h. t.* Speculator *tit. de Litis conteſtatione §. 1. num. 16.* Menochius *cit. præſump. 30. n. 4.* Maſchardus *cit. concl. 334. n. 19.* & Doctores communiter. Ratio eſt: quia per litis conteſtationem fit quaſi contractus ad ſtandum judicio, donec lis per ſententiam Judicis terminetur, *l. Licèt Prætor §. Idem ff. de Peculio*: atqui nemo cogitur agere, vel contrahere invitus: & conſequenter conteſtatio litis impeditur per contrariam proteſtationem, putà per clauſulam, *Non animo conteſtandi litem*, libello inſertam. Accedit, quod præſumptio, quæ alioquin ex dicta rei reſponſione ad petitionem actoris urgeret pro facta conteſtatione litis, ex claris verbis reſpondentis elidatur: Atqui in claris non eſt opus conjecturis, *l. Ille aut ille, ff. de Legatis III.* 10

Dices. Proteſtatio contraria facto non relevat; hoc eſt, nihil juvat, cum tollatur per factum contrarium, *arg. c. cum* 11



*ex p. Cùm M. 9. de Conſtitut. & c. Sollicitudinem 54 de Appellat.* atqui, dum Reus negat intentionem Actoris, facit actum contrarium ſuæ proteſtationi; ergo hæc nunquam relevat, nec juvat. Reſp. maj. eſſe veram de facto uniformi, & non habente plures intellectus: ſecùs, ſi illud factum ſit multipliciter intelligibile, prout accidit in propoſito. Siquidem dicta negatio intentionis poteſt fieri non ſolùm animo conteſtandi litem: ſed etiam animo duntaxat inſtruendi Judicem: unde præmiſſa tali proteſtatione cenſetur fieri ſolo animo informandi Judicem. Abbas *cit. c. un. n. 17. h. t.*

12 Vel dic poſt Baldum *in L. 1. §. Illud procul dubio, C. de Latina libert. tollend.* quem ſequitur Maſcardus *cit. Concl. 434. n. 20.* cùm quadruplex ſit virtus Legis, videlicet imperare, vetare, punire, permittere, *L. 6. ff. de Legib.* in tribus prioribus proteſtationem facto contrariam non valere, ſcilicet dum Lex imperat, vetat, vel punit; quando autem ſolummodò permittit, tunc valere proteſtationem in contrarium. Hæc ad propoſitum applicando quando litis conteſtatio eſt neceſſaria, ac præcepta, ut in caſu *cit. Auth. offeratur C. h. t.* tunc proteſtatio non relevat. Maſcardus *loc. cit. n. 23.* Secùs, ubi non eſt neceſſaria, ſed ſolùm permiſſa, prout communiter accidit.

13 Cæterum dicta proteſtatio non conteſtandi litem, præcipuè tunc habet locum, quando quis ex cauſa rationabili hic & nunc litem conteſtari recuſat, ut putà, quod cupiat anteà meliùs ſuam cauſam, ejuſque merita perpendere, conſulendo doctores; aut inquirendo in antiquis ſcripturis; vel videre, an non poſſit Judicem ut ſuſpectum recuſare. Maranta *cit. p. 6. Speculi Aurei, Membro 10. n. 13. & 14.*

14 Ubi tamen notandum, ſi Reus à principio quidem generaliter proteſtetur, ſe nolle ſuper libello exhibito litem conteſtari; poſteà tamen ſimpliciter reſpondeat ad libellum negativè, quod tunc per hoc cenſeatur lis eſſe conteſtata. Ratio eſt: quia reus ſimpliciter reſpondendo negativè, cenſetur relicta priori intentione nunc animum habere conteſtandi litem; nemo enim præſumitur dixiſſe, quod non mente agitavit, *l. Labeo ait §. fin. ff. de Suppellect. legat.* Vallenſis *h. t. §. 1. num. 8.* Sannig. *eod. cap. 1. numer. 4.* Gailus *lib. 1. practic. obſervat. 73. numer. 6.* citans alios.

15 Inſuper ubi apparet, quod reus per ſuas inutiles proteſtationes ſolùm tergiverſetur, Actoriſque intentionem eludere conetur; tunc Judex poſt lapſum viginti dierum utilium, à porrectione libelli computandorum, poterit ipſum compellere vel ad cedendum, vel rejecta ſua futili proteſtatione ad litem conteſtandam, juxta *Auth. Offeratur, C. de Litis conteſt.* Atque talis coactio fieri poterit decernendo miſſionem in bona ejus *ex primo Decreto*, ut hac ratione reus videns adverſarium in poſſeſſione ſuorum bonorum, tandem tædio affectus accedat judicium litemque conteſtetur. Gloſſa *in Auth. Qui ſemel, ℣. Locum habet C. quomodo & quando judex* & Bartolus *ib. §. quæro quid ſi Deus.* Maranta *p. 6. Speculi Aurei Membr. 10. n. 11.* Sannig. *tit. Ut lite non conteſtata &c. c. 1. n. 2.* & alii. Poterit etiam contumax in conteſtando litem, præſertim ubi bona immobilia non habet, aliter puniri pro motu Judicis, *L. 1. § fin. ff. Si quis jus dicenti &c.* Gloſſa & Bartolus *loc. cit.* Imò & cenſuris coerceri *c. 1. & 2. Ut lite non conteſtata &c.* Pirhing. *h. t. n. 20.* & alii. Intereà tamen, ſed donec lis conteſtata fuerit, regulariter teſtes recipi nequeunt ad probandam Actoris intentionem, juxta dicenda *Tit. 7.* cujus Rubrica ſtat pro regula negativè poſita, illis verbis: *Ut lite non conteſtata non procedatur ad teſtium receptionem, &c.*

16 Reſp. III. Per ſolas poſitiones Actoris, & reſponſionem ad ipſas à reo factam, non inducitur conteſtatio litis. Ita communis; atque habetur deciſum *in c. un. h. t.* illis verbis: *Cùm non per poſitiones, & reſponſiones ad eas, ſed per petitionem in jure propoſitam, & reſponſionem ſecutam, litis conteſtatio fiat.* Concordat textus *in c. Dudum 54. §. licet autem de Elect. & L. unic. C. de Litis conteſt.* Accedit ratio à Gloſſa *in cit. c. un. h. t.* allata: quia, qui ponit aliquod dictum vel factum, nihil petit ab adverſario, neque per hoc oſtendit ſe velle agere, & ita non po[..]t ſequi ſententia Judicis condemnatoria, vel abſolut[or]ia, eò quod nihil ab Actore fuerit petitum.

17 Quæritur III. An per confeſſionem rei inducatur litis conteſtatio? Reſp. I. Si reus confiteatur in judicio ante oblatum ab Actore libellum, non fit litis conteſtatio, neque tunc opus eſt ſententia diffinitiva, ſed duntaxat præcepto Judicis, quo is præcipiat reo, ut intra certum tempus, cum modica dilatione à Judice præfigendum ſolvat. Ita Gloſſa *in c. Dudum 54. ℣. Reſponſionem de elect.* Abbas *cap. un. num. 13. h. t.* & patet ex *l. Si debitori, ff. de Judiciis.* Et meritò: ſiquidem in tali caſu nondum præceſſit petitio Actoris.

Reſp. II. Quòd ſi verò poſt oblatum libellum, atque petitionem factam ab Actore, reus confiteatur eo animo, ut non cogatur ſubire judicium, etiam tunc non fit conteſtatio litis, neque opus eſt ſententia Judicis. Ita Gloſſa, *ubi ſuprà*, & Abbas *cit. num. 13* Idque deſumitur *ex l. Si reus, ff. de procurat.* ubi dicitur, quod qui paratus eſt ſolvere, non cogitur judicium ſuſcipere. Accedit ratio: quia inter conſentientes non datur lis, & conſequenter neque conteſtatio litis: unde & in tali caſu non eſt opus ſententia diffinitiva, ſed ſolum præcepto Judicis, ut confeſſus reus ſolvat Actori debitum intra certum tempus. 18

Reſp. III. Quando poſt oblatum ab Actore libellum fit confeſſio in judicio cum aliquali reſiſtentia, planum eſt, quod inducatur litis conteſtatio. Ita Speculator *tit. de Litis conteſt. § Nunc videndum n. 11.* Abbas *cit. c. un. n. 13. h. t.* poſt Jo. Andream, & Cynum. Unde ſi reus fateatur mutuum, ſed neget lapſum eſſe terminum ad ſolvendum, aut alleget inopiam, planum eſt fieri conteſtationem litis; cùm interveniat petitio Actoris, & aliqua contradictio rei, quod ſufficit, *l. rem non novam, C. de Judiciis*, eſtque ampliùs dictum ſuprà *n. 5. & ſeqq.* 19

Cæterum, ſi reus confiteatur quidem ſe debere, ſed opponat aliquam exceptionem contra Actorem, v. g. dicendo: *Centum quos petis ex cauſa mutui, accepi quidem, ſed jam ſolvi*: aut, *ſed tu reciprocè debes mihi centum ex titulo emptionis &c.* tunc (niſi ſecùs appareat de mente rei pariter excipientis) primùm fiet litis conteſtatio, ſi Actor ſolutionem, vel reciprocum debitum negaverit: quia tunc reus per exceptionem oppoſitam fit quodammodo actor, alteroque exceptionem negante, intervenit illinc petitio, hinc negatio, per quæ ſolet induci litis conteſtatio, Engel. *h. t. num. 1.* Additur verò notanter, *Niſi ſecus appareat de mente rei*, propter ſequentem Concluſionem. 20

Reſp IV. Etiam tunc inducitur litis conteſtatio, quando reus ad oblatum libellum ſimpliciter confitetur animo conteſtandi litem: poteſt enim fieri confeſſio in judicio, non ſolùm, ut quis non cogatur ſubire judicium (in quo caſu habent locum dicta *n. 18.*) ſed etiam eo animo, ut judicium ſubeat, & feratur ſententia diffinitiva: quia hoc quandoque eſt utile, v. g. propter conſervandam ſtipulationem de evictione, *arg. l. Utique autem ff. de rei vendicat.* in quo proinde caſu per confeſſionem ejuſmodi fit litis conteſtatio. Ita Gloſſa *in c. Dudum 54. ℣. Reſponſionem de Election.* Abbas *loc. cit. n. 13.* & alii. Idque meritò: quia Jura ſimpliciter dicunt, quod per petitionem unius, & reſponſionem alterius in judicio factam, inducatur litis conteſtatio; neque diſtinguunt, an id fiat negando, vel confitendo, ut *c. un. h. t. & cit. c. Dudum 54. de election.* eſtque jam dictum *n. 5.* & conſequenter per talem confeſſionem, quæ fit animo conteſtandi litem, reverà hæc inducitur. 21

Hoc ipſum deſumitur ab etymologia nominis. Nam *conteſtari*, idem eſt, ac *ſimul teſtari*: atqui reus ut ſuprà, confitendo, ſimul cum Actore teſtatur ſuper re petita; ergo. Concordat textus ſatis notabilis *in cap. cum cauſam 62.* juncta Gloſſa ℣. *Lis conteſtata de appell.* ubi ſatis clarè dicitur, quod per confeſſionem in judicio factam animo litigandi, fiat litis conteſtatio. 22

Nec obſtat textus *in cit. l. rem non novam C. de Judiciis*, ubi dicitur, litem conteſtari *poſt narrationem propoſitam, & contradictionem objectam.* Reſp. enim tacendo alias dicti textus explicationes, ac paucis concordando jura juribus, ibi ſolùm indicari modum communiter & magis uſitatum conteſtandi litem: non autem negari alios modos conteſtandi litem itidem in Jure fundatos, ut eſt confeſſio in judicio facta animo conteſtandi litem. 23

Dices. Si per confeſſionem partis, modo declarato, induceretur litis conteſtatio, ergo etiam opus eſſet poſt- 24

modum ſententia diffinitiva Judicis, per quam imponeretur finis controverſiæ. Atqui hoc non videtur dicendum niſi ſtante confeſſione partis, nulla poteſt eſſe controverſia, quæ dirimatur per ſententiam diffinitivam Iudicis; quinimò *Nullæ ſunt partes judicantis in confitentes*, ut dicitur, *l. Proinde ff. Ad Legem Aquiliam*; ergo Reſp. Conceſſa ſequela maj. negando minor. cum ſua probatione. Quia non obſtante dicta confeſſione, jam intervenit aliqua controverſia, ſaltem in quantum Reus permiſit ſe trahi ad judicium, petivit, recepitque libellum, atque confitendo, ſimpliciterque reſpondendo, litem conteſtari voluit. Ad alteram probationem reſpondetur, dictum illud, *Nullæ ſunt partes judicantis in confeſſos*, potiſſimum procedere quoad examinationem cauſæ, non verò quoad prælationem ſententiæ, prout amplius dici ſolet infrà *Tit. 18. de Confeſſis*.

25 Quæritur IV. An per oppoſitam exceptionem inducatur conteſtatio litis? Reſp. Negativè, per textum notabilem *in c. 2. h. t. in 6.* ac notat Speculator *tit. de Litis conteſt. §. Nunc dicamus n. 24.* Abbas *c. un. n. 18. h. t.* Barboſa *cit. c. 2. n. 1. h. tit. in 6.* allegans alios. Ratio eſt: quia conteſtatio litis non inducitur, niſi per reſponſionem rei ad petitionem Actoris: atqui is, qui excipit, non ſic reſpondet; quia neque affirmat intentionem Actoris neque negat, *c. cum venerabilis de except.* juncta reg. 63 Jur. in 6. ibi: *exceptionem objiciens, non videtur de intentione adverſarii confiteri*.

26 Et hoc intelligendum eſt non tantum de iis exceptionibus, quæ ſunt declinatoriæ Fori (hæ enim cùm opponantur ad declinandum Forum, atque impediendum proceſſum coram Judice incompetente, vel ſuſpecto, non verò ad litigandum, certum eſt, per eas non induci conteſtationem litis) ſed etiam de exceptionibus peremptoriis; prout expreſſum habetur *in c. 2. h. t. in 6.* illis verbis: *Si oblato ab Actore libello, ex parte Rei exceptio peremptoria proponatur, nequaquam per hoc litis conteſtatio intelligitur eſſe facta*.

27 Accedit ratio. Tum quia etiam ille, qui opponit exceptionem peremptoriam, non reſpondet petitioni Actoris; quinimò eam neque fatetur, neque negat, ut dictum *n. 25.* Tum quia per litis conteſtationem conſtituitur judicium, per exceptionem peremptoriam verò deſtruitur; atqui eadem res non poteſt parere duos effectus contrarios; prout argumentatur Gloſſa *in cit. c. 2. V. facta h. t. in 6.* Et hinc *c. 1. eod. in 6.* dicitur, quod objectio peremptoriæ exceptionis non impediat, neque retardet litis conteſtationem; & conſequenter hæc per eam non intelligitur fieri.

28 Dices. In *c. Prout 4. de Dolo & contum.* per ſolam exceptionem præſcriptionis videtur facta litis conteſtatio. Similiter *in c. cum venerabilis 6. de Except.* lis conteſtata cenſetur per exceptionem permutationis: atque etiam in *c. Raynutius 16 de Teſt.* non aliter legitur facta litis conteſtatio, niſi per exceptionem annalis præſcriptionis, atque uſucapionis; ergo etiam per exceptionem lis conteſtatur. Reſp. diſting. conſ. ergo per ſolam, ſeu meram exceptionem lis conteſtatur, negatur; per exceptionem, quæ ſimul habet annexam contradictionem, à Reo contra petitionem Actoris propoſitam, conceditur. Siquidem, ut rectè notat Gloſſa *in d. c. 2. V. Facta h. t. in 6.* & Pirhing. *h. t. n. 20.* in prææallegatis locis, atque aliis ſimilibus, non ſimpliciter fit exceptio; ſed ſimul Reus directè reſpondet libello Actoris cum adjuncta contradictione, & animo conteſtandi litem, taliter videlicet: *Nego, aut non credo narrata, prout narrantur, vel petita prout petuntur; & ſi etiam vera eſſent, tamen opponere poſſem, atque oppono exceptionem permutationis, præſcriptionis, vel condonationis &c.* Idem fit in caſu, ſi Actore petente decem, Reus dicat, ſe non teneri ſolvere, cum pactum de non petendo ſibi factum fuerit. Patet enim; quod talis reſponſio, non contineat meram exceptionem; ſed primò fiat directa reſponſio, ſeu contradictio ad petitionem Actoris, & poſteà ſubjungatur exceptio, ac proinde meritò hac ratione cenſetur lis eſſe conteſtata. Abbas *c. un. n. 18. h. t.*

29 Quæritur V. Quinam ſint effectus Litis conteſtationis? Reſp. Eos eſſe multiplices. Et quidem

30 I. Per litis conteſtationem conſtituitur Judicium: poteſtque procedi ad ſententiam diffinitivam, ad quam cæteroquin in Judicio ordinario deveniri nequit, *cap. un. h. t.* eſtque jam dictum ſuprà *n. 3. h. t.*

II. Per litis conteſtationem cenſentur partes litigantes 31
mutuo conſenſu ſeſe obligaſſe in ordine ad tale judicium, ſive ad hujuſmodi inſtantiam judicialem proſequendam. Per eam ſiquidem juris fictione celebratur aliquis quaſi contractus inter litigantes; ita ut inducatur obligatio de *Judicio ſiſti*, & de *judicatum ſolvendo*: hoc eſt, ut teneantur partes litigantes toties comparere, ſeque ſiſtere in judicio, quoties opus fuerit: neque poſſit alterutra pars altera invita à judicio recedere; alioquin verò veluti improbus litigator omnia damna, & litis impenſas, adverſario refarcire teneatur, *§. Hæc autem Inſt. de pœna temerè litigant*.

III. Ex hoc quaſi contractu oritur Actio judicati, ſive 32
obligatio de judicatum ſolvendo, virtute cujus pars victa obligatur poſt ſententiam præſtare id; quod per ſententiam judicatum, atque deciſum fuerit. Engel *h. t. n. 5.*

IV. Poſt litem conteſtatam Judex non poteſt recuſari, 33
*text. clar. l. Nemo C. de Juriſd. omn. jud.* Etenim per litis conteſtationem coram eo factam cenſetur quis in talem judicem conſenſiſſe, atque ejus licèt cæteroquin incompetentis, juriſdictionem in ſe prorogaſſe. Fallit tamen hoc in caſu, quo nova cauſa ipſum recuſandi primùm ſupervenit, *cap. Inſinuante 25. de offic. Deleg.* aut ſi poſteà ſolùm ejus notitia acquiratur *c. paſtoralis 4. de except.*

V. Poſt conteſtationem litis nequeunt ampliùs opponi 34
exceptiones dilatoriæ, vel declinatoriæ Fori, *c. Inter Monaſterium De ſent. & re judic.* ibi: *Quas etiam tanquam dilatorias ante litis ingreſſum opponere debuiſſent*: cum concordantiis ibidem à Gloſſa relatis. Nam per conteſtationem litis cenſetur cæptum judicium, atque renunciatum dictis exceptionibus.

VI. Per litis conteſtationem perpetuatur juriſdictio 35
Delegati, adeò ut hæc per mortem Delegantis non expiret, *c. relatum 19 de offic. deleg.* Quinimò jam per citationem perpetuatur juriſdictio Delegati, *c. Gratum 20. eod.* eſtque fuſiùs declaratum *Lib. 1. tit. 3. de reſcr. §. 10. nu. 238. & ſeqq.*

VII. Procurator, qui ante litem conteſtatam, etiam 36
abſque alia cauſa, liberè revocari poteſt, poſtmodum invitus nequit ampliùs revocari, niſi ſubſit cauſa aliqua rationabilis, *c. quamvis de procur. in 6.* Procurator ſiquidem per litis conteſtationem effectus eſt dominus litis, ac proinde abſque alia cauſa rationabili invitus revocari nequit quamvis Dominus, ſi voluerit, adhuc liberè unà cum Procuratore ſuo poſſit intereſſe cauſæ ſuæ, præſertim ſi de colluſione timeat; prout ſubjungitur *cit. c. Quamvis*, eſtque iam dictum, *lib. 1. tit. 38. de Procuratoribus n. 105. & n. 132. & ſeqq.*

VIII. Poſt litis conteſtationem nequit ampliùs mutari 37
libellus; ut dictum ſuprà *Tit. 3. de libelli oblatione §. 1. n. 29. & 30.*

IX. Litis conteſtatione ſemel facta, ſi alterutra pars 38
litigantium abſque juſta cauſa recuſet præſtare juramentum calumniæ, Actor quidem cadet ſub actione; Reus verò pro confeſſo habebitur, *text. clar. c. ult. §. fin. de Juram. calumn.*

X. Per litis conteſtationem actiones temporales fiunt 39
perpetuæ; adeò, ut durent uſque ad quadraginta annos. *L. ult. C. de Præſcr. 30. annor.*

XI. Litis conteſtatio facit, ut actiones pœnales, ſeu 40
ex delicto vel quaſi delicto deſcendentes, tranſeant in ſolidum contra Reorum; ſive delinquentium hæredes, quæ alioquin non niſi, quatenus ad hæredes pervenerit, tranſeunt. *§. Non autem omnes. Inſt. de perpetuis & temporal. action.* Nam hæredes poſt litem anteà conteſtatam non tam ex delicto defuncti, quàm ex quaſi contractu litis conteſtatæ, conveniri intelliguntur. Engel. *h. t. n. 5.* Sannig. *eod. c. 4. n. 1.*

XII. Per litis conteſtationem interrumpuntur præſcri- 41
ptiones longi temporis, videlicet decem aut viginti annorum, inchoatæ à reo, *l. Motæ litis C. de rei vendic.*

Tacentur nonnulli alii effectus litis conteſtatæ, de 42
quibus alibi. Quamquam iidem, ſicut & hactenus enumerati, non niſi per validam litis conteſtationem inducantur: nam invalida nihil operatur, nullumque effectum producit, *Auth. offeratur C. de Litis conteſt.*

T I-



# TITULUS VI.

## Ut Lite non conteſtata non procedatur ad Teſtium receptionem, vel ad Sententiam diffinitivam.

*SUMMARIUM.*


1 *Rubrica præſens ſtat pro regula negativè poſita.*
2 *Sententia interlocutoria poſt fieri ante litem conteſtatam.*
3 *Non item diffinitiva; & cur?*
4 *In certis caſibus poſſunt recipi teſtes ante litem conteſtatam. Et n. ſeqq.*
5 *Quæ generatim ad hoc requirantur?*
6 *I. Poſſunt teſtes recipi ante litem conteſtatam in Judiciis ſummariis.*
7 *II. Si adſit periculum, ne teſtimonii facultas pereat: ut ſi timeatur de teſtium morte, vel abſentia diuturna.*
8 *Tale periculum Judicis arbitrio relinquitur diſcernendum. Et n. 10.*
*Quid de Senibus ſeptuagenariis? Ib.*
9 *An de illis, qui ſunt quinquaginta quinque annorum? Et n. præc.*
10 *Aut vexantur infirmitatibus?*
11 *Etiam ob alias conſimiles cauſas poſſunt teſtes recipi lite non conteſtata.*
12 *Ut ſit timendum, ne ob moram longiorem teſtes obliviſcantur rerum geſtarum.*
13 Exempla regulam non reſtringunt.
14 *Teſtibus ſic receptis ante litem conteſtatam, tenetur Actor intra annum convenire adverſarium, aut eidem receptionem teſtium denunciare.*
15 *Alioquin atteſtationes teſtium ſunt invalidæ; & quomodo?*
16 *III. Regula præſentis Rubricæ fallit in caſu contumaciæ Rei, eſtque periculum in mora; idque exemplificatur.*
17 *Quid, ſi cauſæ non ita requirant celerem expeditionem?*
18 *Aut ipſemet Actor contumaciter ſe abſentet?*
19 *IV. Regula eadem fallit, quando ad inſtantiam partis fit receptio teſtium*, ad perpetuam rei memoriam.
20 *Tunc tamen etiam pars adverſa eſt citanda.*
21 *V. Fallit, quando agitur per viam inquiſitionis ſuper aliquibus exceſſibus.*
22 *Solvuntur contraria.*
23 *Alii caſus, in quibus dicta Regula fallit. Remiſſivè.*
24 *In cauſis criminalibus criminaliter intentatis nunquam recipiuntur teſtes ante litem conteſtatam pro inſtituenda futura accuſatione.*
25 *Idque probatur ulteriùs.*
26 *Secùs, quando agitur de crimine ſolùm civiliter.*
27 *Limitatur, ac declaratur ulteriùs Concluſio.*


1 PRæſens Rubrica, cum contineat ſenſum completum, atque perfectum, ſtat pro regula negativè poſita; videlicet, quod *Regulariter lite non conteſtata non debeant teſtes recipi, neque poſſit ad ſententiam diffinitivam procedi.* Quicunque igitur in caſu particulari allegat rationem ſpecialitatis, neceſſe habet eam probare: tum quia in materia communiter prohibita, ſive in iis, quæ ſunt de genere prohibitorum, locum habet illud Clem. Exivi §. Porrò de Verb. ſignif. *Ubi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expreſſè non conceditur: intelligitur denegatum.* Tum quia potior eſt cauſa, pro qua facit Regula: habet enim adverſarius neceſſe oſtendere rationem, quare in illo caſu Regula non loquatur, ſicque in ipſum refunditur onus probandi; ut notat Gloſſa *ſuper Rubricam de reg. jur. in 6.* Quo prænotato

2 Quæritur I. Cur dicatur in Rubrica præſentis Tituli, *Non procedatur ad ſententiam diffinitivam* ante litis conteſtationem? Reſp. cum Abbate *ad Rubricam num. 3. h. t.* id fieri ad excludendam à Regula ſententiam interlocutoriam: quia benè poteſt anteà procedi ad ſententiam interlocutoriam, præſertim eam, quæ fertur ſuper exceptionibus dilatoriis, aut declinatoriis Fori; aut quæ fertur ſuper his, quæ de novo emergunt, vel incidunt, v. g. an Reus fuerit legitimè citatus, vel an is ſit contumax, ac hujuſmodi. Et hinc pariter teſtes, quamvis ante litem conteſtatam regulariter non poſſunt recipi ſuper negotio principali; poſſunt tamen recipi ſuper dictis exceptionibus dilatoriis, aut declinatoriis Fori: ſiquidem hæ neceſſariò proponendæ ſunt ante litem conteſtatam, ut dictum *Tit. præc. n. 35.* ac proinde, ſi opus fuerit, etiam teſtes ante hanc recipiendi ſunt ad illorum probationem. Et hoc idem dicendum de aliis quæſtionibus incidentalibus, aut de novo emergentibus ante ingreſſum judicii; puta, an Reus legitimè fuerit citatus, vel an is exiſtat contumax: nam etiam circa talia neceſſariò teſtes priùs ſunt recipiendi, ac præmittenda ſententia interlocutoria.

Verùm loquendo de negotio principali procedit regula 3
in Rubrica contenta. Et ratio ipſiùs eſt: quia baſis, ac fundamentum Judicii ordinarii, eſt ipſamet litis conteſtatio, qua omiſſa nihil agitur, *c. un. de Litis conteſt.* Ergo hoc ipſo, regulariter loquendo, etiam non valet teſtium receptio, neque ſententia diffinitiva inde ſecuta: Quinimò utraque ipſo jure nulla eſt; atque inanis *c. ad hoc Deus 1. & c. accedens 2. §. cum igitur.* Juncta Gloſſa, *V. Caſſamus, h. t.* cum concordantiis. Confirmatur: quia ante litis conteſtationem, utpote quæ eſt baſis ac fundamentum Judicii ordinarii, necdum cenſetur cauſa in judicium deducta; imò adhuc incertum eſt, an lis ſit ſecutura, vel ſuper quo negotio ea ſit movenda: ſicque necdum habetur determinatum, ſuper quo vel teſtes recipiantur, vel proferatur ſententia diffinitiva. Nam ante litem conteſtatam partes non tam agunt, quam agere volunt; ut *l. amplius ff. rem ratam haberi*, ibi: *Hinc enim non petit, ſed petere vult*.

Quæritur II. Utrum in certis caſibus poſſunt recipi te- 4
ſtes lite non conteſtata, & quibus? Reſp. I. Cùm nulla ſit regula ſine exceptione, prout habet vulgatum axioma: hinc non ſolùm in ordine ad exceptiones dilatorias, & declinatorias Fori, juxta dicta *n. 2.* ſed etiam in ordine ad negotium principale, regula in præſentis Tituli rubrica contenta quaſdam patitur fallentias, ſeu limitationes; danturque nonnulli caſus, in quibus lite non conteſtata, vel poteſt procedi ad teſtium receptionem, vel etiam ad ſententiam diffinitivam: prout oſtendetur inductione, enumerando principaliores tales caſus.

Ubi tamen prænotandum cum Abbate *in c. quoniam n.* 5
*3. h. t.* ad iſtud, ut aliquando teſtes lite non conteſtata recipi valeant, quatuor requiri. Primò, quod ſubſit cauſa rationabilis. Secundò, quòd pars adverſa citetur, ſi citari poteſt. Tertiò: quòd ſi citari nequeat, intra annum à receptione teſtium, ceſſante alio impedimento pars adverſa ſuper principali negotio conveniatur, ut ſaltem facta teſtium receptio idem denuncietur. Quartò, quòd agatur civiliter: prout amplius de ſingulis patebit ex dicendis.

Reſp. II. Caſus principaliores, in quibus poteſt pro- 6
cedi ad receptionem teſtium lite nondum conteſtata, ſicque data regula fallit, præcipuæ ſunt ſequentes. I. Iſtud accidit in Judiciis ſummariis: in his etenim proceditur ſimpliciter ac de plano, neque neceſſariò præmittenda eſt litis conteſtatio: *Clem. Sæpè contingit de Verb. ſigni.* Atque ſub hac fallentia plures alii caſus ſpeciales continentur, quos refert, ac diſtinguit Gloſſa *in c. uls. §. 1. V. Generaliter, h. t.* uti ſunt cauſæ electionum, aliæque Beneficiales; item cauſæ matrimoniales, ac motæ ſuper decimis, vel uſuris, & hujuſmodi: nam tales ſummariter & de plano poſſunt expediri, *Clem. Diſpendioſam, de Judiciis*; ſicque in ipſis poteſt procedi lite non conteſtata, utpote quam neceſſariò non prærequirunt.

7 II. Loquendo etiam de Judiciis ordinariis, atque ſolemnibus, quando civiliter agendum eſt, poſſunt teſtes recipi ante litis conteſtationem, ſi adſit periculum, ne cæteroquin teſtimonii facultas pereat. Patet hoc *ex c. ult. §. 1. h. t.* ubi inter alia, quantum ad propoſitum, ſic habetur: *Regulariter verum eſt, quod lite non conteſtata, non eſt ad receptionem teſtium procedendum; niſi fortè de morte teſtium timeatur, vel abſentia diuturna: in quibus caſibus, cùm civiliter eſt agendum (ne veritas occultetur, & probationis copia fortuitis caſibus ſubtrahatur) ſenes valetudinarii, & alii teſtes, de quibus ex aliqua rationabili cauſa timetur, etiam lite non conteſtata, ſunt procul dubio admittendi.* Hæc ibi.

8 Cæterùm, quando cenſeatur adeſſe mortis periculum, aut quam diuturna requiratur abſentia teſtium, ut hi lite non conteſtata recipi valeant, Judicis arbitrio relinquendum eſſe, ac diſcernendum; notat Abbas *in c. Quoniam frequenter §. 1. n. 17. h. t.* allegans communem, ac fusè Menochius *lib. 2. de Arbitrariis judic. Caſu 59. & tribus ſeqq.* Et quidem de ſenibus ſeptuagenariis indiſtinctè procedit diſpoſitio *cit. c. ult. h. t.* cùm ſatis certum ſit, tales eſſe ſenes: infrà hanc verò ætatem, ubi in Jure quid ſpecialiter non reperitur expreſſum, id vel ſpeciali locorum conſuetudine; vel Judicis arbitrio taxandum erit.

9 Nec obſtat textus *in L. ult. C. qui ætate &c. lib. 10.* ubi quiſquis annum agit quinquageſimumquintum, ſenex reputatur, ita ut à muneribus perſonalibus excuſetur. Nam hoc eſt ſpeciale in publicis muneribus perſonalibus, à quibus ob difficultatem operum perſonaliter præſtandorum, atque ob aliqualem reſpectum illius ætatis tales excuſantur: non item locum habet in propoſito, ubi non attenditur aliqua difficultas, ſed ſolummodò permittuntur lite nondum conteſtata teſtes recipi ob timorem mortis, ne forſan cum illis ſeniculis pariter pereat probatio. Abbas *loc. cit. n. 18.*

10 Veruntamen ſi nonnulli talium Senum quibuſdam vexentur infirmitatibus corporalibus, tunc ipſi, etiam lite non conteſtata, pro teſtibus audiri poterunt ex alio capite, nempe ob metum mortis; ſiquidem in adultioribus ejuſmodi infirmitates ſolent eſſe periculoſiores. Idem dic de abſentia teſtium diuturna, cùm & quoad hanc qualitas negotii, v. g. non patientis diuturniorem dilationem, viarum diſtantia, atque periculum mortis ex longiori peregrinatione impendens, prudenti judicio diſcutiendum ſit.

11 His etiam addendum, cùm textus *in cit. c. ult. h. t.* generaliter dicat, *etiam alios teſtes, de quibus ex aliqua rationabili cauſa timetur, lite non conteſtata admittendos eſſe:* non ſolùm ex cauſa timoris mortis, vel abſentiæ teſtium diuturnæ, ſed etiam ob alias conſimiles cauſas poſſe teſtes recipi lite necdum conteſtata, ſi alioquin arbitrio Judicis timeatur, ne caſu aliquo fortuito copia probationis ſubtrahatur, ſicque veritas occultetur.

12 Hinc Gloſſa *in cit. c. ult. ℣. Subtrahatur* & Abbas *in cap. Quoniam frequenter n. 6. h. t.* citans Hoſtienſem, & Jo: Andream, aſſerit, ejuſmodi diſpoſitionem procedere etiam in caſu illo, quando timetur, ne propter moram longiorem teſtes obliviſcantur rerum geſtarum, ſicque ſubſit periculum veritatis occultandæ. Quia tunc, ad propoſitum militat eadem ratio: nam in ordine ad ferendum teſtimonium par periculum oritur ex timore mortis naturalis, ac ex timore oblivionis, ubi Judex ex qualitate perſonæ, ac negotii, talem ſubeſſe prudenter arbitrari poteſt.

13 Unde non obſtat, quod *in d. cap. ult. h. t.* caſus iſte inter alios non connumeretur. Tum quia de ſimilibus idem eſt dicendum, *c. Inter cæteras 4. de Reſcr.* & alibi. Tum quia cæteroquin exempla regulam non reſtringunt. Fagnanus *c. Ego N. n. 23. de Jurejurand.* Quin potius declarant, diſpoſitionem de ſimilibus eſſe intelligendam, *arg. L. 1. §. quod vulgò ff. de Vi & vi armat.* Fagnanus *in cap. Nonnullis n. 30. de Immunit. Eccl.*

14 Cæterùm circa præmiſſa ex ſæpè *cit. c. ult. §. 1. h. t.* benè notandum eſt, quod, *ſi Actor teſtibus ſic ante litem conteſtatam receptis non convenerit adverſarium infra annum, ex quo conveniri poterit, vel ſaltem receptionem hujuſmodi teſtium non denunciaverit illi; atteſtationes ſic receptæ non valeant.* Idque ſaluberrimè conſtitutum eſt, ut hac ratione obvietur malitiæ, & fraudibus hominum: ne videlicet Actor diutiùs tardet duntaxat ex eo, donec mortuis vel abſentatis aliis hominibus, per quos Reus depoſitionem, vel dicta talium teſtium reprobare potuiſſet, proceſſu temporis non ampliùs poſſit legitimas exceptiones ad repellendum illos teſtes, vel ipſorum depoſitionem opponere.

15 Veruntamen ſciendum, quod licet textus allegatus annullet atteſtationes non facta intra annum conventione, vel denunciatione; nihilominùs eædem non ſint irritæ ipſo iure, ſed opus ſit exceptione partis, aut ſententia Judicis; unde valeret ſententia prætextu ipſarum lata, ſi pars non exciperet. Abbas *loco cit. n. 10.* Et meritò: quia atteſtationes illæ jam ſemel fuerunt validæ: quando autem ſolemnitas requiratur poſt actum, hoc ipſo non dat formam actui; ac proinde is valet, niſi exceptione partis, vel per ſententiam Judicis annulletur, *argum. l. Univerſa.* Juncta Gloſſa *fin. Cod. de Precib. Imperat. offerend.* & notat Bartolus *in L. 1. ff. de Teſtibus.*

16 III. Regula præſentis Rubricæ fallit in caſu contumaciæ Rei. Si enim Reus légitimè citatus comparere contempſerit, ſicque contumax fuerit, ſimulque periculum ſit in mora; poſſunt contra contumacem etiam lite non conteſtata, non ſolùm teſtes recipi, ſed etiam, ſi de cauſa liquido conſtet, ſententia diffinitiva ferri. Textus eſt *in citat. capit. ultim. §. porrò hoc tit.* Ubi illud expreſsè ſtatuitur in cauſa litis ſuper matrimonio, tum ſpirituali (hoc eſt, ſuper electione alicujus ad Beneficium Eccleſiaſticum) tum carnali: utpote in quo utroque caſu longior mora foret nociva illic Eccleſiis ſuo Rectore diutius deſtitutis, hinc alteri conjugi ob periculum incontinentiæ. Idemque à ſimili dicendum in cæteris cauſis celerem expeditionem requirentibus, atque ubi periculum eſt in mora: eò præſertim, quod tales cauſæ poſſint expediri ſummariè, ac de plano, ſicque non præmiſſa litis conteſtatione. *Clement. Diſpendioſam de Judiciis*, eſtque jam dictum *Titul. 1. de Judiciis, §. 2. numer. 45. & ſeqq.*

17 In aliis verò cauſis non ita celerem expeditionem exquirentibus, eſt diſtinguendum, an Reus contumax conveniatur actione reali, vel perſonali. Et quamvis in utroque caſu procedat regula, quod lite non conteſtata teſtes non ſint recipiendi, nihilominùs perſeverante ejus contumacia, ob quam retardatur conteſtatio litis, mittitur Actor in poſſeſſionem rei litigioſæ, ſed diverſimodè; prout notatur *in cit. c. ult. §. In aliis verò h. t.* & ampliùs dicitur infrà *Tit. 15. De eo qui mittitur in poſſeſſ. &c. §. 2. per totum.*

18 Quod ſi verò Actor poſt propoſitam ſemel Judici actionem, Reoque per hunc inſinuatam, ſeſe contumaciter abſentaverit, & poſt trinam legitimam citationem non comparuerit: tunc Reo præſente, ac inſtante, poteſt procedi in cauſa, etiam lite non conteſtata, & liquidato negotio devenitur ad ſententiam diffinitivam, *Auth. qui ſemel C. quomodo & quando*, & c. Gloſſa *in c. ult. ℣. Regulariter h. t.*

19 IV. Regula eadem fallit, quando ad inſtantiam alterutrius partis fit receptio teſtium *ad perpetuam rei memoriam*; prout clare habetur *cit. cap. ult. §. Sunt & alii.* Juncta Gloſſa, *℣. publicatio h. t. & cap. Significavit 41. de Teſtibus & Auth. de Teſtibus §. Et hic verò Collat. 6.* Nam quando quis timet, ne in futurum ſuper aliquo contractu, vel alio negotio proximè geſto, lis ſibi moveatur, ſicque ipſe Reus conſtituatur: tunc poteſt is petere à Judice, ut teſtes, qui contractui, aut negotio illi interfuerunt, recipiantur, atque publicentur: idque *ad perpetuam rei memoriam*, ne videlicet impoſterum probationis copia pereat. Atque ut hujuſmodi receptio teſtium eò firmior exiſtat, poterit is, qui eam à Judice petiit, ulterius poſtulare, ut publicum Inſtrumentum deſuper conficiatur, quod ſuo tempore in judicium afferri poterit ad probandum ſuam intentionem; prout liquet *ex citat. canon. Significavit de Teſtibus.* Atque hoc in favorem Reorum jure ſtatutum fuit, ne alioquin ipſis, ſi forſan impoſterum convenirentur, copia probationis quoquo modo deficeret.

20 Solùm nota, quod, quando ad inſtantiam partis, ſeu ne quis impoſterum ſuper certo contractu vel negotio conveniri valeat, fit receptio teſtium ad perpetuam rei memoriam; etiam pars adverſa ſit citanda, ut ſi velit, teſtium receptioni interſit, juxta *cit. c. Significavit 41. de Teſtib. & d. Auth. de Teſt. §. Et hic verò.* Ubi tamen additur, quod ſi altera pars citata intereſſe protervè reſpuerit, ea habeatur pro præſenti, nec poſtmodum depoſitiones teſtium amplius impugnare valeat.

21 V. Quandò agitur per viam Inquiſitionis ſuper aliquibus exceſſibus, poſſunt teſtes recipi abſque litis conteſtatione *cit. c. ult. §. ſunt & alii, h. t.*

22 Nec obſtat *c. cum I. & A. 22. de ſent. & re judic. & c. cum dilectis 15. de purgat. can.* ubi cauſa Inquiſitionis requiritur litis conteſtatio. *Reſp.* enim cum Gloſſa *in cit. c. cum I. & A. ℣. Lite non conteſtata*, Innocentio & aliis, quos citat Abbas *in d. cap. ult. Sunt & alii, num. 4. hoc t.* hæc poſteriora Iura procedere, quando tela inquiſitionis aſſumitur ad inſtantiam alicujus ſpecialis impetrantis, ſive perſecutoris: ſecùs eſſe, quando fit inquiſitio ex officio Iudicis ad publicam infamationem prævìam. Vel dic cum Gloſſa marginali *ad cit. c. cum I. & A.* Abbate *ubi ſupr.* & aliis, quod in Inquiſitione generali nunquam fiat litis conteſtatio: in ſpeciali autem Inquiſitione fiat quidem litis conteſtatio; quando Reus eſt præſens; tunc enim is, contra quem inquiritur, eſt vocandus, & ſi neget, habetur id pro lite conteſtata. Si autem ſit abſens per contumaciam ille, contra quem fit Inquiſitio, tunc iſta procedit abſque alia litis conteſtatione: & ſic concordabis jura juribus.

23 Præter hos caſus dantur nonnulli alii per Gloſſam *in c. c. ult. ℣. Regulariter h. t.* & Abbatem *ib. §. 1. n. 4.* enumerati, in quibus poſſunt teſtes recipi ante litis conteſtationem. Verùm præmiſſi caſus ſunt principaliores, alii verò commodè reducuntur ad aliquem ipſorum: puta, quia in ipſis ſolet procedi ſummariè, ac de plano; aut quia adeſt periculum in mora, ne poſtmodum teſtibus mortuis, aut ſaltem diutius abſentatis, pereat copia probandi: vel ſaltem, quia non inſtituitur judicium ordinarium ac ſolemne; ut ſi duntaxat incidentaliter imploretur officium Iudicis pro concedenda reſtitutione in integrum, *c. Judicis* Iuncta Gloſſa *fin. de offic. judic.* Vel, quando recipiuntur teſtes in notoriis ad cautelam, ut *c. Bonæ memoriæ 23. §. Licèt de Elect.* Nam in notoriis non eſt opus alio proceſſu judiciario, *cap. Evidentia de Accuſation. & c. De manifeſta. 2. q. 1.*

24 Quæritur III. An prædicta locum habeant etiam in cauſis criminalibus? *Reſp.* I. In cauſis criminalibus criminaliter intentatis nunquam recipiuntur teſtes ante litem conteſtatam pro inſtituenda futura accuſatione; ac proinde vel maximè in ipſis procedit regula Rubricæ præſentis Tituli. Ita Gloſſa *c. ult. ℣. Civiliter h. t.* & Abbas *ib. n. 5.* cum aliis paſſim. Idque deſumitur ex verbis *cit. c. ult. §. 1.* ibi: *In quibus caſibus, cùm civiliter eſt agendum &c.* Quaſi diceret: *ſecùs, quando criminaliter eſt agendum.* Nam exceptio illa firmat regulam in oppoſitum in caſu non excepto; juxta dicta *Lib. 1. tit. 2. De Conſtitutionibus §. 16. num. 405.*

25 Accedit ratio: quia in criminaliter intentatis ordo judiciarius exactè ſervari, ſtrictiſſimeque procedi debet; cum in eis non agatur de intereſſe burſali, ſicut in civilibus, ſed de graviſſimo præjudicio vitæ, & ſanguinis humani. Unde & in talibus requiruntur probationes apertiſſimæ, luceque clariores, *can. Epiphanium 5. q. 6. & L. ult. C. de probat.* Idque meritò. *Satius enim eſt, impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari*, ut inquit Iuris Conſultus *in l. Abſentem ff. de Pœnis.*

26 Additur *num. 24.* notanter, *in cauſis criminalibus criminaliter intentatis.* Nam quando agitur de crimine ſolùm civiliter (hoc eſt, ad privatum intereſſe, & non ad publicam vindictam) tunc ceſſant rationes proximè allatæ: ac proinde, licet regulariter id fieri nequeat, nihilominus poſſunt recipi teſtes lite nondum conteſtata, ſi timeatur de ipſorum morte, aut diuturna abſentia, vel urgeat alia rationabilis cauſa. Communiter ſiquidem pariа cenſentur, quod agatur merè civiliter, vel quod de crimine agatur civiliter, *arg. L. ult. ff. de Privatis delict.* Simulque textus *in capit. ultim. §. 1. hoc tit.* ex præmiſſis cauſis admittens receptionem teſtium ante litem conteſtatam, loquitur indiſtinctè, *Cùm civiliter eſt agendum.* Abbas *in can. Quoniam frequenter n. 5. hoc tit.*

27 Additur ibidem ulteriùs, *pro inſtituenda futura accuſatione.* Tum quia ad probandam Rei innocentiam, etiam lite necdum conteſtata, poſſunt quocunque tempore teſtes recipi, *arg. can. Significavit 41. de Teſtib.* idque ſuadent rationes *num. 25.* allegatæ, ſumpto argumento à ſenſu contrario. Engel. *h. t. n. 5.* Sannig. *eod. c. 2. num. 2.* & alii; Tum quia ſecus eſt, quando ſuper crimine aliquo proceditur per viam Inquiſitionis, juxta dicta *n. 21.* Imò etiam in cauſa denunciationis regulam fallere, notat Gloſſa *in cit. c. ult. verſ. Regulariter h. t.* id probans *ex c. Novit. de Judiciis.*



# TITULUS VII.

## De Juramento Calumniæ.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*

1 Quoniam regulariter loquendo poſt Actionem mediante libelli oblatione editam in Iudicio, & factam Litis conteſtationem, ſolet immediatè præſtari Iuramentum calumniæ; meritò poſt præcedentes Rubricas ſubjicitur iſta. Hinc dimiſſis aliis juramenti diviſionibus, ipſumque juramentum generatim concernentibus, utpote de quibus agetur commodiùs infrà *Tit. 24. de Jurejurand.* ac præſentem Titulum majoris claritatis gratia in paragraphos dividendo, ſit

### §. I.

### De natura, & differentiis Juramenti calumniæ, malitiæ, ac de veritate dicenda:

*SUMMARIUM.*

2 *Juramentum calumniæ, quid?*
3 *Calumnia, & Calumniari, quid?*
4 & 5 *Juramentum calumniæ, quæ contineat?*
6 *Juramentum malitiæ, quid?*
7 *Non eſt ſuperfluum; & cur?*
8 *Differt multipliciter à juramento calumniæ.*
9 *Juramentum de veritate, quid?*
10 *Spectato rigore juris, jurans de veritate dicenda non tenetur reſpondere, niſi quod novit per proprios ſenſus.*
11 *Iſtud de conſuetudine non ſervatur; & cur?*

12 *Juramentum de veritate dicenda partim convenit cum juramento calumniæ.*
13 & 14 *Partim ab iſto differt; & quomodo?*

2 QUæritur I. Quid ſit Juramentum calumniæ, & quæ continere debeat? Reſp. I. *Juramentum calumniæ* eſt illud, quod præſtatur tam ab Actore, quam Reo ſuper tota cauſa, quod bona fide, ſive credendo ſe habere juſtam cauſam litigandi, non autem animo calumniandi, per decurſum totius litis agere, vel reſpondere velint. Et hoc dicitur *Juramentum calumniæ*, ſubintelligendo, *evitandæ in cauſis*. Qua ratione exponi etiam ſolet illud Apoſtoli 1. Corinth. 7. *Propter fornicationem*, ſcilicet evitandam, *unuſquiſque uxorem ſuam habeat*.

3 Porrò *Calumnia*, de qua evitanda hoc juramentum præſtatur, quantùm ad propoſitum, eſt alicujus in litibus per fraudem & fruſtrationem vexatio. Atque hæc calumniæ definitio deſumitur *ex l. Si calumnietur ff. de Verb. ſignif.* ubi dicitur: *Calumniatores appellati ſunt, qui per fraudem & fruſtrationem alios vexarent litibus*. In cauſis criminalibus tamen propriè calumniari, eſt falſa crimina intendere; prout habetur *Leg. 1. ff. ad S. C. Turpillianum*.

4 Reſp. II. Juramentum calumniæ tria continet, ſub quibus Jure ſic diſponente præſtandum eſt. Primò, quod quis credat, ſe juſtam cauſam habere. Actor ſiquidem jurare debet, *non calumniandi animo litem ſe movere, ſed exiſtimando bonam cauſam habere*. Reus verò jurat, quod *putans ſe bona inſtantia uti, ad reluctandum pervenerit*; prout ſancitur *in L. 2. C. de Jurejurando propter calumniam*. Secundò, quod nullam petant dilationem calumnioſam, neque probationem ſuperfluam exigant ab adverſario in fraudem, ſive protrahendæ litis ergo; ut *L. 1.* juncta *Auth. in iſto Juramento C. eodem*. Tertiò; quod nihil promiſerint, dederint, daturive ſint per ſe, vel per alios, cauſa patrocinii Judicibus, aliiſve perſonis, exceptis iis, quæ propriis Advocatis pro patrocinio præſtantur, aliiſque perſonis, quibus dari poſſe Jura diſponunt. *Auth. principales C. eod.* Engel. *h. t. n. 1.* Zoeſius *nu. 6.* & alii.

5 Cæterùm Gloſſa *in c. 1. ℣. Calumniæ h. t.* addit alia duo puncta, quæ in hoc juramento continentur: videlicet, Quartò, quod quis interrogatus in Judicio non negabit, quod eſſe credit, ſed veritatem reſpondebit. Et quintò, quod non utetur ſcienter falſa probatione. Et hæc quinque puncta, quorum tamen duo ultima commodè reducuntur ad unum ex tribus præmiſſis, ſequentibus verſiculis complectitur citata Gloſſa, quam ſequitur Pirhing. *h. t. num. 2.*

*Iſtud juretur, quod lis ſibi juſta videtur.*
*Et ſi quæretur, verum non inficietur.*
*Nil promittetur, nec falſa probatio detur.*
*Ut lis tardetur, dilatio nulla petetur.*

6 Quæritur II. Quid ſit Juramentum malitiæ, & quomodo differat à Juramento calumniæ. Reſp. I. *Juramentum malitiæ*, de quo fit mentio *in c. 2. h. t. in 6.* vocatur illud, quod præſtatur non ſuper tota cauſa, ſed ſuper exceptionibus, vel aliis ſingularibus articulis, ſive ante, ſive poſt litem conteſtatam, quoties præſumptio eſt contra aliquem, quod quid malitioſè proponat; ut putà, ſi præſumptio adſit contra partem litigantem, quod malitioſè proponat exceptionem, vel malitioſè petat dilationem &c. Ita Speculator *tt. de juramento malitiæ §. eſt autem n. 6.* & in re communis; atque deſumitur ex *c. c. 2. §. fin. h. t. in 6.* juncta Gloſſa *℣. Malitiæ* & DD. ibidem. Concordat *c. Paſtoralis 4. de Exceptionib. & c. Ultra tertiam 55. de Teſtib.* ubi non admittitur quarta teſtium productio, niſi præſtito ab eo, qui etiam deſiderat, juramento malitiæ: militat enim contra talem præſumptio, quod ipſam malitioſè ſolum petat, putà, animo protrahendi litem.

7 Dices. Præſtito ſemel juramento calumniæ ſuper tota cauſa, ſuperfluum videtur aliud ſuper ſingularibus articulis juramentum malitiæ; ergo fruſtrà afferitur. Reſp. neg. anteced. Nam, ut rectè notat Ancharanus *in c. c. 2. n. 4. h. t. in 6.* per juramentum calumniæ, vel de veritate dicenda, merito non excluditur juramentum malitiæ: quia *plus ſolet timeri, quod ſingulariter pollicetur*, ſeu juratur, *quam quod generali ſponſione concluditur*; per textum notabilem *in c. Quamquam diſt. 23.*

Reſp. II. Juramentum malitiæ differt multipliciter à Juramento calumniæ, prout oſtendit Speculator *cit. §. eſt autem n. 9.* & ſequuntur alii. Imprimis enim Juramentum calumniæ, utpote quod præſtandum eſt ſuper tota cauſa, primùm poſt litem conteſtatam exigi poteſt *arg. c. 1. h. t. in 6.* Juramentum malitiæ econtrà exigi poteſt tam ante, quam poſt litem conteſtatam, *c. c. 2. §. fin. tit. eod. in 6.* Deinde Juramentum calumniæ exigitur ſuper tota cauſa: alterum verò non niſi ſuper particularibus articulis, ſuper quibus adeſt præſumptio, vel Judex ex variis Judiciis ſuſpicatur, quidpiam malitioſè proponi. Inſuper Juramentum calumniæ in eadem inſtantia, & ab eadem perſona non niſi ſemel præſtatur juxta dicenda *num. 17.* Juramentum malitiæ verò poteſt exigi toties, quoties Judici videbitur, *cit. c. 2. §. fin. hoc tit. in 6.* Ulterius differunt, quia Juramentum de malitia eſt ſpecies contenta ſub Juramento generali calumniæ, non econtrà. Ancharanus *in capit. 2. numer. 4. hoc tit. in 6.* Tandem juramentum calumniæ olim non præſtabatur in cauſis merè ſpiritualibus (etſi poſteà hoc correctum fuerit *cap. 1. hoc tit. in 6.*) at verò Juramentum malitiæ etiam olim, ſive ſpectato Jure antiquo jam præſtabatur in cauſis ſpiritualibus, *cap. Cum dilectus 32.* Juncta Gloſſa, *℣. Juramento de electione. & cap. Litteras 13. de Reſtitution. ſpoliat.* 8

Quæritur III. Quid ſit Juramentum de veritate, & an differat à Juramento calumniæ? Reſp. I. *Juramentum de veritate* illud appellatur, quod deponitur, ſuper ſcientia, ſeu veritate, quam quis ſcit, dicenda. Unde Juramentum hoc, ſtrictè loquendo, cadit ſuper ſcientiam atque explicatur per verbum, *Scio*) & non merè ſuper credulitatem. 9

Infertur proinde, quod, quantùm eſt ſpectato rigore Juris, jurans de veritate dicenda, non teneatur reſpondere, niſi id, quod ſcit, ſive novit per proprios ſenſus, *arg. can. Hortamur 3. q. 9.* & notant Speculator *ubi ſuprà §. eſt autem n. 12.* & Abbas *c. Litteras n. 12. h. t.* Idque exemplificari poteſt in teſtibus, qui regulariter non probant, niſi deponant de ſcientia, ſive de iis, quæ propriis ſenſibus perceperunt, *can. Teſtes per quamcumque 3. q. 9.* juncta Gloſſa *ib. ℣ quæ noverunt*. 10

Verùm de facto rigor iſte de conſuetudine in Curiis non adeò exactè obſervatur; ac proinde aſtrictus juramento de veritate dicenda, non ſolum tenetur reſpondere de iis, quæ ſcit per proprios ſenſus, ſed etiam de quibus per varia argumenta, indicia, aut præſumptiones, habet credulitatem. Et hoc fit ex eo: quia non ſemper de omnibus articulis poteſt haberi exacta notitia, ſed quandoque duntaxat probabilis opinio, vel credulitas ex variis indiciis, ſive argumentis deprompta; præſertim cùm & ille cenſeatur veritatem deponere, qui dicit, *Credo*, ſi re ipſa credat, ita eſſe. Accedit, quod ſcientia in Judiciis non ſemper tam ſtrictè accipiatur, ſed quandoque etiam largè, pro omni videlicet notitia, quam quis habet ſive certitudinaliter, ſive ex credulitate: talis enim etiam dicitur ſcientia ſaltem impropriè; ut *L. 2. §. quod obſervavi C. de Jure jur. propter calumn.* ubi Tutores & Curatores, dicuntur jurare *ex animi ſui ſcientia* id eſt (ut explicat Gloſſa ibidem) *ex conſcientia ſuæ credulitatis, quam habent circa juſtitiam cauſæ*; non de veritate facti. Abbas *in cit. canon. Litteras num. 12. h. t.* Pirhing. *eodem num. 3.* 11

Reſp. II. Juramentum de veritate dicenda partim convenit, partim differt à Juramento calumniæ. Patet hoc inductione: nam præter rationem generalem juramenti, conveniunt in hoc, quod utrumque poſſit exigi, ac præſtari, ſive ab exordio litis, ſive in qualibet ejus parte; ut *c. 1. h. t. in 6.* Item, quod utrumque etiam in cauſis ſpiritualibus de facto ſit præſtandum, *cit. c. 1. §. fin.* licet olim ſecùs fuerit de juramento calumniæ, *c. 2. h. t.* Item conveniunt, quod in cauſa appellationis tam de veritate dicenda, quàm de calumnia jurari debeat; haud obſtante, quod à principio taliter juratum fuerit, *c. in appellationibus §. 1. h. t. in 6.* 12

Differunt autem: quia Juramentum de calumnia, eſt juramentum credulitatis, quo quis jurat ſe credere, quod juſtam cauſam habeat; unde explicari ſolet per verbum *Credo*. Econtra juramentum de veritate eſt juramentum de ſcientia, ſeu de veritate, quam quis ſcit, dicenda, atque fit per verbum *Scio*. Proinde utile eſt, præter juramentum calumniæ exigere à parte adverſa juramentum de veritate dicenda: prout etiam *in cap. 1. h. t. in 6. & in cap. 2. §. fin. eodem in 6.* utrumque ſimul conjungitur. Pirhing *h. t. n. 28.* 13



14 Differunt ulteriùs: quia Juramentum de veritate eſt ſpecies juramenti ut ſic, incluſa tamen ſub juramento generali calumniæ, non econtrà, Ancharanus *in cap. 2. n. 4. h. t. in 6.* Item differunt: quia Juramentum calumniæ, cùm feratur ſuper tota cauſa, reſpicit multa capitula: at verò Juramentum de veritate reſpicit unum duntaxat, videlicet illud, ſuper quo fertur, quodque à jurante ſcitur. Tacentur aliæ differentiæ, quas allegat Speculator *cit. t. t. de Juramento calumniæ §. Eſt autem nu. 12. & 13.* & Abbas *in c. Litteras n. 10. h. t.* nam illæ ſunt minùs certæ.

## §. II.

## De neceſſitate præſtandi Juramentum calumniæ.

*S U M M A R I U M.*

15 *Juramentum calumniæ, ab alterutra parte exactum, neceſſariò eſt præſtandum; alioquin proceſſus non valet.*
16 *Eſt regulariter præſtandum ab exordio litis, quamvis & poſtea exigi, ac præſtari poſſit.*
17 *Durante eadem inſtantia non niſi ſemel præſtandum eſt.*
18 *Sed in cauſa appellationis denuò debet jurari. Et num. ſeqq.*
19 *Cauſa appellationis, eſt alia cauſa à prima inſtantia; & cur?*
20 *Solvitur inſtantia contra hoc.*
21 *Juramentum calumniæ eſt præſtandum in omnibus cauſis. Et nu. ſeqq.*
22 *Et tam in Judicio ordinario, quam ſummario.*
23 *Ac etiam in cauſis ſpiritualibus, licet antiquitus ſecus fuerit.*
24 *Imò & in criminalibus. Et nu. 21.*
25 *Solvuntur contraria.*
*In criminalibus licitum eſt accuſatorem corrumpere, quomodo? Ibid.*
26 *Juramentum calumniæ eſt præſtandum per Actorem & Reum, prius tamen per Actorem.*
27 *Dantur tamen nonnulli caſus, in quibus non tenentur jurare de calumnia.*
28 & 29 *Et qui ſint illi caſus? Et nu. ſeqq.*
30 *Princeps poteſt per Reſcriptum tollere juramentum calumniæ.*
31 *Etiam hæredes, aliique ſucceſſores, in quos tranſivit inſtantia, tenentur jurare de calumnia.*
32 *In jure cenſetur una eſſe perſona hæredis, & defuncti; & qualiter?*
33 *Tutores, Curatores, & generales rerum Adminiſtratores, non autem Pupilli &c. jurant de calumnia & quidem in animam ſuam.*
34 *Dummodò melius noverint cauſas rerum ſibi commiſſarum.*
35 *Poteſt juramentum calumniæ per Procuratorem præſtari.*
36 *Solvitur inſtantia.*
37 *Procurator jurans in animam Principalis, vel in animam ſuam, quomodo debeat verba concipere?*
38 *Requiritur ad id mandatum ſpeciale Principalis, jurandi in tali cauſa.*
39 *Dummodò Principalis non longè ſit abſens, puta, ultra mare.*
40 *Procurator ejuſmodi duplex calumniæ juramentum deponere debet; & quale?*
41 *Refertur, ac explicatur ſententia aſſerentium, poſſe juramentum calumniæ præſtari per Procuratorem habentem generale duntaxat mandatum.*
42 *Procurator novus ab altero conſtitutus, etiam tenetur jurare de calumnia.*
43 *Et quid de Advocatis, ſeu Patronis cauſarum.*
44 *Syndicus alicujus Collegii, vel Univerſitatis, jurat de calumnia abſque alio ſpeciali mandato.*
45 *Idemque dicendum de Tutoribus, Curatoribus, & aliis generalem rerum adminiſtrationem gerentibus.*

QUæritur I. Utrum neceſſariò, & quando, præſtandum ſit Juramentum calumniæ? Reſp. I. Juramentum calumniæ, ab alterutra parte exactum, neceſſariò eſt præſtandum; adeò, ut tunc cenſeatur eſſe de ſubſtantia judicii, ejuſque omiſſio vitiet proceſſum, ac ſententiam reddat invalidam. Ita clare deſumitur ex *L. 2. §. Sed quia veremur C. de Jurejurand. propter calumn.* ac notat Bartolus *ibid §. Circa hanc legem*. Pirhing *h. t. nu. 5.* Gallus *lib. 1. Practic. Obſervat. 84. nu. 1.* & alii; additur tamen ly, *ab alterutra parte exactum*, ob dicenda *§. 3. nu. 45. & 48.* 15

Reſp. II. Juramentum calumniæ regulariter ab exordio litis, ſive ſtatim poſt litem conteſtatam, & antequam poſitiones ab Actore offerantur, præſtandum eſt: ſi tamen id non fiat, poterit exigi, atque præſtari in qualibet parte Judicii. Ita communis; atque habetur deciſum *cap. 1. §. 1. h. t. in 6.* illis verbis: *Si de calumnia, ſeu veritate dicenda, in primo litis exordio non juretur, ut debet, poterit poſtmodum in qualibet parte litis jurari; cùm hujuſmodi juramenta præſtari ab initio de ſubſtantia ordinis judiciarii non exiſtat*. Hæc Pontifex. Ubi ly, *ut debet*, probat priorem partem Concluſionis: quæ etiam liquet *ex L. 2. C. de Jurejurand. propt. calumn.* ubi tam Actor, quam Reus, jubetur hoc juramentum præſtare *in primordio litis*: ſive *poſt narrationem & reſponſionem*, hoc eſt, poſt factam litis conteſtationem. Concordat *Auth. Hoc Sacramentum C. eod.* 16

Reſp. III. Nihilominùs durante eadem lite, ſeu inſtantia, juramentum calumniæ non niſi ſemel præſtandum eſt. Ita habetur deciſum in *Auth. De iis, qui ingrediuntur &c. §. fin. Collat. 5. & Auth. In iſto juramento C. de Jurejur. propt. calumn.* expreſſe prohibendo, *ne ſæpius juretur in cauſa*: ſive, ut ſi alterutra pars hoc juravit, Sacramentum iſtud nequaquam penitus ab altera parte expeti poſſit. Accedit ratio, quia juramentum calumniæ eſt generale ſuper tota cauſa; ac proinde extenditur ad omnia ſubſequentia, ipſumque totum negotium, & quemlibet ejus articulum: unde tunc ſuperfluum foret novum calumniæ juramentum, ſicque non repetendum, *c. Etſi Chriſtus 26. de Jurejur. & cap. 2. de Probat.* 17

Reſp. IV. His tamen non obſtantibus, in cauſa appellationis denuò jurari debet de calumnia. Ita reperitur deciſum *in cap. 2. §. 1. h. t. in 6.* illis verbis: *In appellationis cauſa, quamquam in principio juratum fuerit, præſtari jubemus calumniæ juramentum. Et idem in juramento de veritate dicenda volumus obſervari*. Hæc ibi. 18

Idem ſuadet ratio: quia cauſa appellationis eſt nova inſtantia, ſicque cenſetur alia cauſa à prima inſtantia, ſeu lite principali: unde meritò tunc exigitur novum juramentum calumniæ. Antecedens traditur à Gloſſa *in l. cùm & judices verſ. Moviſſe* & Bartolo *ibid. §. Circa hoc quæritur C. de Jurejurand. propt. calumn.* Speculatore *tit. de Jurament. calumn. §. Sequitur nu. 3.* & aliis. Idque patet ex eo quia cauſa appellationis verſatur circa aliud objectum à cauſa principali, ſeu prima inſtantia: nam, ut dicitur *in c. Interpoſita 70. §. fin. de Appellatione* in caſu appellationis iniquitas prioris Judicis principaliter arguitur. Accedit, quod, in cauſa appellationis alius ſit Judex, aliudque Tribunal: nam appellatio eſt à minori judice ad majorem provocatio, *arg. cap. 2.* Juncta Gloſſa, *verſ. Officiali de Conſuetud. in 6.* Inſuper in ea novæ probationes afferri, atque exceptiones proponi poſſunt, *l. Per hanc divinam C. de Temporib. appellat.* Imò & nova libelli oblatio, & conteſtatio litis fieri debet, *c. Raynaldus 18.* Juncta Gloſſa, *verſ. Conteſtata, de Teſtament.* Quin & Procurator in cauſa principali primæ inſtantiæ condemnatus, non tenetur appellationem proſequi invitus, *c. Non injuſte de Procurat. & in l. Invitus. C. eodem* Hæc enim omnia probant, cauſam appellationis eſſe aliam à prima inſtantia; ſicque in ea denuò præſtandum juramentum calumniæ, quando exigitur. 19

Nec obſtat textus Rubricæ *in L. un. C. ne liceat in una eademque cauſa ter provocare*, hoc eſt appellare: quibus ver- 20

verbis indicari videtur, unam eandemque eſſe cauſam principalem, & cauſam appellationis, cùm alioquin nunquam in eadem cauſa ter appellari contingeret. Reſp. enim, in allato textu per ly, *in una eademque cauſa*, intelligi unum idemque negotium principale, circa quod ter provocare, ſeu appellare nulli eſt licitum: non autem ibi denotari eandem litem, ſeu inſtantiam, de qua loquitur utraque præmiſſa Concluſio noſtra.

21 Quæritur II. In quibus cauſis juramentum calumniæ ſit præſtandum? Reſp. I. Juramentum calumniæ (niſi tacitè remittatur, juxta dicenda §. 3. *num.* 48.) indifferenter præſtandum eſt in omnibus cauſis, in quibus probatione opus eſt, ſive ſint civiles, ſive criminales. Ita Hoſtienſis *in Summa n.* 3. *h. t.* & Abbas *in cap.* 1. *nu.* 12. & 13. *eodem.* Vallenſis *h. t.* §. 3. Pirhing *num.* 25. & alii: quamvis quoad cauſas criminales non pauci teneant oppoſitum, ac multùm pro & contrà diſputet Gloſſa *in cap.* 1. *verſ. Criminalib. h. t.* tandem in noſtram Concluſionem inclinans. Ratio hujus deſumitur ex *L.* 1. *C. de Jurejurand. propter calumn.* ubi juramentum calumniæ jubetur præſtari *in omnibus cauſis.* Concordat *cap.* 1. *h. t.* ubi Pontifex juxta divinas & humanas Leges diffinit, Clericos in cauſa Eccleſiæ ſuæ non teneri per ſe jurare de calumnia, ſed poſſe hujuſmodi officium committere idoneis Defenſoribus ſuis; idque vult obſervari *in quacunque cauſa, ſive controverſia, ſeu criminali, ſive civili*, Fruſtra enim ita Clerici eximerentur à præſtando juramento calumniæ in ejuſmodi cauſis, ſi cœteroquin in iſtis de rigore Juris non eſſet præſtandum dictum juramentum; prout argumentatur Abbas *cit. n.* 12.

22 Et hoc procedit tam in cauſis, quæ diſcutiuntur in Judicio ſolemni, ſive ordinario: quam etiam, in quibus agitur ſimpliciter ac de plano, ſive ſummariter & ſine figura judicii. Prout liquet *ex Clem. Sæpe contingit de Verb. ſignific.* ibi: *Præſtationem juramenti de calumnia, vel malitia, ſive de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commiſſionem hujuſmodi intelligimus non excludi.*

23 Idipſum defacto procedit non ſolùm in cauſis profanis, ſed etiam ſpiritualibus, in quibus v. g. agitur de Eccleſiis, Decimis, aliiſve rebus ſacris. Fatendum quidem eſt, quod antiquitus in cauſis merè ſpiritualibus, ſpectato Jure Canonico, juramentum calumniæ nec dari, nec recipi conſueverit, *text. clar. cap. Litteras* 2. *h. t.* Idque ex eo accidit: quia in ſpiritualibus præſumebatur, quod litigantes ſemper haberent Deum præ oculis, ſicque non calumniarentur; ſimulque, quia tales cauſæ non ex Legum diſtrictione, ſed ex Canonum æquitate ſunt determinandæ, *cap.* 1. *de Dolo & contumac.* cum concordantiis. Verùm iſtud poſtea correctum fuit *in cap.* 1. §. *fin. h. t. in* 6. ubi, ut via præcludatur calumniis, Pontifex decrevit, etiam in cauſis ſpiritualibus tam de veritate dicenda, quam de calumnia jurandum eſſe: *Quia* (inquit) *frequenter calumniari videmus in ipſis.* Et ſic æquum fuit, ut cùm frigeſcente charitate multorum, ceſſaſſet ratio priùs allegata, etiam ceſſaret, atque revocaretur prior Conſtitutio.

24 Et quamvis loquendo de cauſis criminalibus non deſint Doctores, quos citat, & ſequitur Zoeſius *h. t. nu.* 5. volentes, quod in ipſis criminaliter intentatis non rectè exigatur juramentum calumniæ: idque tum propter obvium perjurium, cùm in cauſa ſanguinis liceat ſe qualitercunque redimere, imò & accuſatorem ſuum corrumpere, & cum eo tranſigere, *l. Tranſigere C. de Tranſact. L.* 1. *ff. de Bonis eorum qui &c.* Tum ex eo, quia in cauſis criminalibus criminaliter motis requiritur ex parte Accuſatoris inſcriptio, quæ ſola videtur ſufficere. Nihilominùs etiam in cauſis criminalibus, ſi exigatur, præſtandum eſſe juramentum calumniæ, videntur convincere Jura *num.* 21. citata; utpote quæ loquuntur indiſtinctè de omnibus cauſis, & conſequenter etiam de criminalibus. Abbas *in cap.* 1. *num.* 12. *h. t.* & alii in Concluſione citati.

25 Nec urgent rationes *num. præced.* in oppoſitum allatæ. Quia imprimis dictum illud, quod in cauſis criminalibus licitum ſit, accuſatorem ſuum corrumpere, & cum eo tranſigere: non ita accipiendum eſt, quaſi id culpa vacet (mentiri enim nunquam eſt permiſſum) ſed quia illud ignoſcitur, hoc eſt, ob id à Jure nemo punitur. Gloſſa marginalis *in cap.* 1. *verſ. Non dicitur h. t.* Deinde, quamvis licitum ſit tranſigere, non ſequitur, licitum eſſe calumniari: nam etiam in civilibus, haud obſtante juramento calumniæ, licitum eſt tranſigere cum adverſario, nunquam autem calumniari. Ad alterum dicitur, aliud eſſe juramentum calumniæ, aliud inſcriptionem: unde ſicut non obſtante juramento malitiæ, vel juramento de veritate dicenda, adhuc exigi poteſt, atque exactum præſtari debet juramentum calumniæ, cùm ſit diverſum ab illis; ita etiam in criminalibus præſtandum eſt non obſtante inſcriptione. Neque obſtat periculum perjurii: nam finis primarius juramenti calumniæ optimus eſt, videlicet veracitas litigantium, ac evitatio calumniæ in Judiciis: ex fine autem ſuo primario attendenda eſt quælibet diſpoſitio, *c. Acceſſorium de Reg. Juris in* 6. cum concordantiis. Unde ſi ſecùs fiat, id non niſi propriæ pejerantium perverſitati tribuendum erit: quæ ſi deprehendatur, meritò poſtea in Foro etiam externo punitur; ſin minùs, Divino judicio punienda relinquitur. Alioquin certè ob ſimile periculum perjurii, per malitioſos nonnunquam committendi, omne prorſus juramentum in Judiciis ceſſare deberet, quod eſt contra aperta Jura, & generalem totius Orbis conſuetudinem.

26 Quæritur III. A quibus ſit præſtandum Juramentum calumniæ? Reſp. I. Juramentum calumniæ cum primis regulariter præſtandum eſt per ipſas perſonas principales, nempe per Actorem & Reum, priùs tamen per Actorem. Ita communis; & patet ex *L.* 2. juncta Gloſſa, *verſ. Et actor C. de Jurejurand. propt. calumn. & Auth. Principales. C. eodem*, ubi expreſſè jubentur principales perſonæ jurare de calumnia. Quia verò Actor provocavit ad judicium, meritò is primo loco tenetur jurare, ac poſtea primùm Reus.

27 Additur notanter, *regulariter præſtandum eſt per perſonas principales.* Dantur enim nonnulli caſus, in quibus data Concluſio, ac regula fallit; adeò, ut etiam principales perſonæ, videlicet Actor, & Reus, non teneantur jurare de calumnia, *arg. cap. ult.* §. *fin. h. t.* Ubi ſtatuitur pœna recuſantis præſtare juramentum calumniæ, ſed cum addito, *cùm præſtandum fuerit*: ſicque innuit dari caſus aliquos, in quibus illud præſtare quis non cogitur. Idipſum clariùs habetur *in l. Qui in bona fide* §. *Si alieno ff. de Damno infecto*; ac probatur inductione.

28 Sic quippe antiquitus in cauſis mere ſpiritualibus, perſonæ principales non tenebantur jurare de calumnia; quamvis poſtea aliter fuerit ordinatum, juxta dicta *nu.* 23. Deinde data regula, & Concluſio fallit in Parentibus, & Patronis, quando in caſibus permiſſis litigant in judicio cum propriis Liberis, vel Libertis: tunc enim ob reverentiam talibus perſonis debitam, utpote de quibus non licet Liberis, aut Libertis ſuſpicari, quod quippiam animo calumniandi ſint attentaturæ, de jure juramentum calumniæ remiſſum eſt, *l. Si patronus ff. de jurejurand.* & *l. Licet ff. de Obſequiis à libertis &c. ac cit. l. Qui bona fide* §. *Si alieno ff. de Damno infect.*

29 Inſuper fallit regula illa in Pupillis, & aliis, quorum nomine agunt Tutores, Syndici, aut alii, rerum ſuarum generalem adminiſtrationem habentes. Tunc enim non pupilli, aliæve perſonæ principales, ſed ſolùm Tutores, Curatores, aut generales illi Adminiſtratores, jurant in animam ſuam (cùm meliorem rerum à ſe adminiſtratarum notitiam habeant) & non in animam Pupilli &c. ut amplius dicetur *nu.* 43. & 44.

30 Fallit ulteriùs data regula, quando Princeps ſupremus per Reſcriptum tollit juramentum calumniæ. Nam quia præſtatio dicti juramenti eſt juris dumtaxat poſiti humani, poſſe illud tolli, ſive remitti per Reſcriptum Principis, clarè deſumitur *ex C. Propoſuit.* 4. *de Conceſſ. Præbend.* & *l. Princeps ff. de Legib.* ac notat Abbas *in c. Cæterum n.* 10. *h. t.* & Gailus *lib.* 1. *Practic. Obſervat.* 85. *nu.* 7. allegans communem. Fallit tandem eadem regula, quando juramentum calumniæ tacite à partibus eſt remiſſum, juxta dicenda §. & *ſeqq.* & *n.* 48.

31 Reſp. II. Etiam hæredes, aliique ſucceſſores principalium perſonarum, in quos nimirum tranſivit inſtantia, ſeu jus cauſæ principalis, tenentur jurare de calumnia; non obſtante, quod defunctus, aut prædeceſſor, tale juramentum jam præſtiterit. Ita textus, & Gloſſa *verſ. Migraverit in Auth. Principales C. de jurejur. propt. calumn.* Speculator *tit. de Juramento calumniæ* §. *Sequitur nu.* 7. & alii. Accedit ratio: tum quia facile accidere poteſt, ut defunctus, ſive anteceſſor, habuerit bonam fidem; hæres autem, vel ſucceſſor ob majorem negotii cognitionem non item. Tum quia juramentum hoc eſt quid perſonale, neque tranſit de una perſona ad aliam; ſicque juramentum defuncti, vel anteceſſoris, non aſtringit hæredem ſive ſucceſſorem.



32 Nec obſtat, quod in Jure cenſeatur eſſe una perſona hæredis, ac defuncti, *Auth. de jurejurando à moriente præſtito &c.* §. 1. *Collat.* 5. Reſp. enim, hoc verum eſſe duntaxat fictione juris: ac proinde, conformiter dictis *Lib.* 1. *Tit.* 2. §. 8. *n.* 193. & *ſeqq.* non procedit, niſi in caſibus à Jure expreſſis. Atque inter hos eſt ille, de quo fit mentio *in cit. Auth.* ſi videlicet moriens præſtitit juramentum, in quo menſuram ſuæ ſubſtantiæ facit manifeſtam: unde tali juramento hæredes ſubſtantiam dividentes (non item creditores, quibus exinde nullum generatur præjudicium) neceſſariò ſtare tenentur. *Cum utique noſtris* (inquit Imperator ibidem) *videatur Legibus unam quodammodo eſſe perſonam hæredis, & ejus, qui in eum tranſmittit hæreditatem*: nullus autem ſibi reluctari, ſive contradicere cenſeatur. Secùs eſt in aliis caſibus à Jure non expreſſis, ac præſertim in Juramento calumniæ, quod non tranſgreditur perſonam: nam in veritate rei hæres, atque defunctus ſunt duæ perſonæ, habentque duas animas. Gloſſa marginalis *ad cap.* 2. *h. t. in* 6.

33 Reſp. III. Inſuper jurant de calumnia, & quidem in animam ſuam, Tutores, Curatores, aliique generalem rerum alienarum adminiſtrationem legitima authoritate gerentes; utputa Adminiſtratores Xenodochiorum, Rectores Civitatum, Prælati Eccleſiarum, ac Syndici generaliter quoad omnes cauſas Collegiorum, aut Univerſitatum conſtituti. Ita Speculator *tit. de juramento calumniæ* §. *Reſtat. nu.* 15. Abbas *c. In pertractandis nu.* 4. *h. t.* Vallenſis *eodem* §. 2. *nu.* 3. & alii. Idque deſumitur tum ex *L.* 2. §. *Quod obſervari. C. de Jurejur. propt. calum.* tum ex *c. Imperatorum* & *c. In pertractandis h. t.* In quo poſtremo loco etiam indicatur hujus ratio; quia videlicet ille debet jurare de calumnia in animam ſuam, qui *cauſam omnino non neſcit*; hoc eſt, non ignorat, imò melius præ aliis novit: atqui tales perſonæ generalem rerum adminiſtrationem gerentes, meliùs noverunt cauſas rerum ſibi commiſſarum, quam Pupilli v. g. aut ſinguli de Collegio, vel Univerſitate; ergo illæ tenentur jurare de calumnia, & quidem in animam ſuam, non verò in animam ſui Pupilli, nec in animas ſingulorum, qui ſunt de tali Collegio, vel Univerſitate.

34 Intellige, dummodò Adminiſtratores illi meliùs noverint cauſas rerum ſibi commiſſarum: alioquin enim ſecùs foret dicendum. Ut accidit in caſu, quo quis primum acquiſivit generalem rerum alienarum adminiſtrationem, ſicque debitam cauſæ notitiam nondum habet; ac proinde nec jurare de calumnia in animam ſuam compellendus eſt, prout limitat Abbas *loc. cit. nu.* 2. & 4. Favet hoc ipſum textus *in d. c. In pertractandis h. t.* ubi juramentum calumniæ dicitur deferendum vel Oeconomis, vel ipſis perſonis principalibus, inſpecta qualitate cauſæ, vel perſonarum, *quæ cauſam omninò non neſciant*, id eſt, non ignorent: tales enim ſolummodò jurare poſſunt in animam ſuam, ac juxta propriam conſcientiam.

35 Quæritur IV. An Juramentum calumniæ poſſit præſtari per Procuratorem, & qualiter? Reſp. I. Poſſunt perſonæ principales non ſolùm per ſemetipſas, ſed etiam per Procuratorem à ſe ſubſtitutum præſtare juramentum calumniæ: dummodò hic ſpeciale ab eis ſuper hoc mandatum acceperit. Ita communis, & patet *ex cap. ult. h. t. in* 6. licet olim de hoc fuerit magnum inter DD. dubium: eò quòd antiquitus ſolummodo Epiſcopis fuerit permiſſum jurare per alium, *ut cap. ult. h. t.* Atque etiam Clericis, ſed duntaxat in cauſis ſuæ Eccleſiæ, *ut c.* 1. *eod.* Verùm deſacto data Concluſio eſt certa, ob claram Juris deciſionem jam allegatam.

36 Nec dicas. Ergo citatum *cap.* 1. & *cap. ult. h. t.* ſuperfluunt; cùm nihil ſpeciale juris tribuant Epiſcopis, & Clericis, concedendo ipſis, quod poſſint jurare de calumnia per alium: hoc quippe deſacto generaliter eſt conceſſum omnibus. Reſp. enim neg. ſequel. Quia, præter alias utilitates, quas afferunt, ambo illa Capitula ſaltem inſerviebant ſpecialiter Clericis ſecundùm antiqua tempora, ubi adhuc de noſtra Concluſione dubitatur; licet non amplius deſacto ipſis ſpecialiter deſerviant. Abbas *cap.* 1. *n.* 15. *h. t.*

37 Cæterum Procurator habens ſpeciale jurandi mandatum, debet concipere verba in perſonam Principalis, ſicque in animam ejus jurare: unde ipſemet Dominus videtur jurare, atque per os Procuratoris veluti per organum loqui, ex quo dedit ipſi ſpeciale mandatum in tali cauſa jurandi ſuo nomine, atque in animam ſuam. Abbas *c. In pertractandis n.* 5. *h. t.* Quod ſi verò quis juret in animam ſuam, tunc debet concipere verba in propriam perſonam, ſicque ſemetipſum jurando obligare: qua ratione tum Actor ac Reus, tum Tutores pupillorum, ac nonnulli alii jurare de calumnia tenentur; atque formulam dicti juramenti refert Speculator *Tit. de Juramento calumniæ* §. *Nunc dicamus*, per totum.

38 Additur notanter num. 35. *dummodò ſpeciale ſuper hoc mandatum acceperit.* Siquidem in Procuratore particulariter deputato, ad hoc ut poſſit jurare de calumnia in animam ſui Principalis, non ſufficit mandatum generale ad agendas omnes cauſas ejus, neque etiam mandatum generale jurandi de calumnia in quacunque cauſa; ſed requiritur mandatum ſpeciale jurandi in tali cauſa, quæ expreſſa eſt, atque exprimi debet à Principali. Abbas *in cit. c. In pertractandis nu.* 5. *h. t.* & Gloſſa *cap. ult. In caſu h. t. in* 6. Et ratio eſt; quia Procurator duntaxat generaliter conſtitutus, non eſt inſtructus ſpecialiter in qualibet cauſa; ac proinde is in aliqua cauſa malè jurans in animam ſui Principalis, non obligaret ipſum Principalem ad perjurium: nam in generali mandato non venit delictum, *l. Si procurator.* juncta Gloſſa, *verſ. Quentam nihil ff. de Condiction. indebit.*

39 Limitat hoc ultimum Bartolus *in l.* 2. §. *Sin autem C. de jurejur. propt. calumn.* ac poſt ipſum Abbas *c. Cæterum n.* 7. *h. t.* in caſu, quo Principalis eſt longe abſens; puta, ultra mare, aut in longinqua peregrinatione, ita ut in brevi haberi non poſſit. Quia tunc (inquiunt) admittetur Procurator jam ante litem conteſtatam generaliter conſtitutus; cum non ſit, quid imputetur Domino principali, eò quòd ante ſuum diſceſſum ignoraverit, litem contra ſe fore movendam, ſicque nequiverit ſuo Procuratori dare mandatum ſpeciale in tali cauſa jurandi de calumnia in animam ſuam: ſimulque ratione abſentiæ multa permittantur; *ut cap. ult de Sepultur. in* 6. & *cap. Si Epiſcopus de Supplend. neglig. Prælat. in* 6. & *l. Si longius ff. de judiciis*, cum ſimilibus. Quidquid contradicat Gloſſa *cap. Cæterum verſ. Ab utraque h. t.* volens, in tali caſu dandum eſſe Curatorem bonis, qui poſtmodum jurabit de calumnia; *arg. L.* 1. & 2. *ff. de Curator. bonis dand.* cujus opinionem ex profeſſo, ac fuſius, rejicit Abbas *cit. nu.* 7.

40 Atque ulterius loquendo de tali Procuratore particulari, & habente ſpeciale mandatum ad jurandum de calumnia, eſt notandum cum Gloſſa *in cap.* 2. *verſ. Ab ipſis h. t. in.* 6. & Viviano *ibid.* §. *Procurator.* Pirhing *h. t. n.* 12. ac aliis, quod talis debeat duplex quodammodò calumniæ juramentum deponere. Unum quidem in animam ſui Principalis, utpote ex cujus mandato ſpeciali, ac nomine jurat: alterum verò in animam propriam, & nomine ſuo, quod nimirum & ipſe velit calumniam evitare, ſimulque credat ſeſe fovere cauſam juſtam. Et hoc clarè deſumitur *ex cit. cap.* 2. §. *Procuratores h. t. in* 6. ubi Procuratores deputati poſt præſtitum jam ſemel, ſive à perſonis principalibus, ſive ab alio priori Procuratore juramentum calumniæ (haud obſtante, quod alioquin iſtud juramentum ſemel præſtare ſufficiat, *Auth. In iſto juramento, C. eod*) etiam ipſi jurare jubentur, ut calumnia evitetur ab ipſis. Idque merito: non enim eſt infrequens, quod Procurator habeat meliorem notitiam cauſæ, citiuſque deprehendat ejus injuſtitiam, quam Dominus principalis: ſimulque melius quandoque Procuratores norunt modum calumniandi, quam Principales. Unde, ut & ipſi quoad propriam perſonam evitare calumniam, ſub perjurii reatu cæteroquin incurrendo, ſollicitius curent, merito in animam ſuam jurare coguntur: quamvis ad hoc alterum juramentum non requiratur ſpeciale mandatum Domini principalis. Gloſſa & Vivianus, *ubi ſupr.*

At-

41 Atque conformiter proxime dictis videtur intelligenda ſententia illorum, qui aſſerunt juramentum calumniæ poſſe præſtari etiam per Procuratorem habentem generale mandatum ad lites: pro qua ſententia allegatur Speculat. *tit. de Juramento calumniæ §. Reſtat. nu.* 13. & 14. Bartolus *l. Qui bona §. Si alieno nu.* 17. *ff. De Damno infect.* eamque tenet Herculeus Mareſcottus *Variar. Reſolut. lib.* 1. *cap.* 47. *nu.* 8. aſſerens, id obſervari de generali conſuetudine, quidquid de rigore juris eſſet dicendum, prout atteſtatur (inquit) Matheſilanus *Singular.* 149. Siquidem iſthæc ſententia convenienter intelligi nequit, niſi de juramento calumniæ, quod Procurator habens generale mandatum, tenetur præſtare in animam ſuam: nam quia Procurator per litis conteſtationem factus eſt dominus litis, *cap.* 1. *§. Licet de Procurat. in* 6. hoc ipſo poteſt jurare de calumnia (ſed in animam ſuam, veluti dominus litis) abſque alio ſpeciali mandato; prout argumentatur Speculator *cit. n.* 13. id probans *ex cap. penult. de Jurament. calumn.* Alioquin verò requiri ſpeciale mandatum, ut Procurator poſſit jurare in animam ſui Principalis, fatetur ipſemet Speculator *loc. cit. juncto tit. de Procuratore §. Ratione autem formæ n.* 23. & Bartolus *ubi ſup.* Qua ratione etiam intelligenda venit generalis conſuetudo, de qua teſtantur præallegati Authores: quia enim per litis conteſtationem Procurator effectus eſt dominus litis, ut dictum, hinc ejus Juramentum de calumnia ſufficere dignoſcitur, generali conſuetudine ſic Jura interpretante, quæ referuntur in *c. cùm cauſam* 6. *de Jurament. calumn. & l. Qui bona §. Si alieno ff. de Damno infect.* ubi de ſolo Juramento calumniæ Procuratorum fit mentio.

42 Notandum verò eſt ob rationes *n.* 21. jam allatas, quod ſi poſt Juramentum calumniæ à perſona principali, puta ab Actore, vel Reo, aut à conſtituto per ipſam Procuratore præſtitum, conſtituatur novus Procurator: etiam iſte teneatur de calumnia jurare, non obſtante priori alterius Juramento; ut nimirum etiam ab iſto evitetur calumnia. Textus eſt *in cap.* 2. *verſ. Procurator. h. t. in* 6.

43 Porrò, quæ nunc dicta ſunt de Procuratoribus particularibus, ſpectato Juris rigore, etiam procedunt de Advocatis, ſeu Patronis cauſarum (alioquin enim Procurator ad lites, differt ab Advocato, juxta dicta *Lib.* 1. *Tit.* 38. *De Procuratoribus n.* 7. *& ſeqq.*) ut proinde etiam Advocati, quantùm eſt de Jure communi, jurare debeant de calumnia ab ipſis vitanda, *L.* 2. *§.* 1. *C. de Jurejur. propt. calumn. & l. Rem non novam §. Patroni. C. de Judiciis.* Quamvis Abbas *in cap.* 1. *n.* 5. *h. t.* & Pirhing *eod. n.* 23. exiſtiment, hoc de conſuetudine moderna non obſervari (niſi forſan Advocati, ſimul ſint etiam Procuratores litis, eò quòd ipſi, cum ad munus poſtulandi, ſive advocandi admittantur, Juramentum generale de vitandis calumniis, atque ad omnes cauſas extenſum, emittant. Qua ratione etiam Judex hodie non in ſingulas cauſas tenetur jurare de calumnia; ſed ſufficit, eum ab initio ſui officii jurare, *Auth. Juriſjurandum quod præſtatur ab his &c. §. penult. Collat.* 2. Etſi olim ſecùs fuiſſe, ſatis pateat ex *cit. l. Rem non novam §.* 1. *C. de Judic.*

44 Reſp. II. Licet ſimplex Procurator, ſeu à particulari perſona conſtitutus, non poſſit abſque ſpeciali mandato jurare de calumnia, juxta proxime dicta; ſecùs tamen eſt dicendum de Syndico, qui ad cauſas alicujus Collegii, ſeu Univerſitatis generaliter agendas, ſive defendendas conſtitutus eſt: hic enim regulariter jurat in cauſa Univerſitatis abſque alio ſpeciali mandato, eò quòd meliùs ſit informatus de factis Univerſitatis, quam ipſa Univerſitas, utpote carens ſenſu, vel ſinguli de Univerſitate utpote frequenter non adeò ad communia attendentes. Gloſſa *in c. quia in cauſis ℣. De jure communi* & Abbas *ibid. n.* 2. *de Procurat.* & idem Abbas *in c. Imperatorum n.* 5. *& c. cùm in cauſa n.* 10. *h. t.* Speculator *cit. tit. de Juramento calumniæ §. Reſtat. nu.* 15. Atque præter rationem jam allegatam, deſumitur iſtud *ex c. In pertractandis & c. Imperatorum h. t.*

45 Et quod hic dicitur de Syndico ad negotia Univerſitatis generaliter conſtituto; pariter, atque ob eandem rationem, procedit in Tutoribus, Curatoribus, & aliis generalem rerum alienarum adminiſtrationem authoritate legitima gerentibus: nam & hi, etiam abſque alio ſpeciali mandato, jurant de calumnia, & quidem in animam ſuam; quia tales generales Adminiſtratores, etiamſi ſub nomine procuratoris dati fuerint (non enim eſt vis in nomine, ut *c. Petitio* 9. *de Procurat.*) meliùs poſſunt, ac præſumuntur ſcire juſtitiam cauſæ, quam Pupillus, Minor, vel alius habens ejuſmodi Procuratorem ad ſua negotia generaliter conſtitutum. Textus eſt *in L.* 2. *§. quod obſervari. C. de Jurejurand. propt. calumn.* & amplius declarat Bartolus *ibid. cit. §. quod obſervari à princip.* atque ſequitur Abbas *in c. In pertractandis nu.* 1. *&* 4. *h. t.* & concordant dicta ſuperius *nu.* 33.

## §. III.

## De remiſſione Juramenti calumniæ, pœniſque illud præſtare recuſantium.

### *S U M M A R I U M.*

46 *Juramentum calumniæ nequit de conſenſu partium expreſſe remitti.*

47 *Diſparitas inter juramentum teſtium, & juramentum malitiæ.*

48 *Hoc expreſſe remiſſo, nequit Judex procedere in cauſa.*

49 *Poteſt tamen id tacite remitti, illud videlicet non exigendo; & cur?*

50 *Conſuetudo tollens juramentum calumniæ in totum, non valet.*

51 *Nec valet conſuetudo, ut differatur uſque ad finem cauſæ. Et nu. ſeqq.*

52 *Juramentum non eſt exigendum, quando veriſimiliter dubitatur de perjurio.*

53 *Pœna recuſantium præſtare Juramentum calumniæ, ubi præſtandum eſt, quæ? Et nu. ſeq.*

54 *Hæc pœna non committitur ipſo jure ante ſententiam declaratoriam Judicis.*

55 *Quid Judici agendum, alterutra parte Juramentum calumniæ recuſante.*

56 *Si Tutor, vel Prælatus nolit jurare, non præjudicat Pupillo, vel Eccleſiæ.*

QUæritur I. An Juramentum calumniæ de conſenſu partium remitti valeat? Reſp. I. Juramentum calumniæ nequit expreſſe remitti à partibus; bene tamen tacite, illud videlicet non exigendo. Ita communis. Et quidem prior pars patet ex *L.* 2. *§. Sed quia C. de jurejurand. propt. calumn.* Nam, ut ibidem dicitur, Juramentum calumniæ fuit introductum *non pro commodo privatorum, ſed pro communi utilitate*; ſeu pro favore publico, ne ſcilicet per calumniam fruſtra defatigentur Judices, ac lites in infinitum multiplicentur: atqui illa, quæ ſunt introducta pro communi utilitate, ſive favore publico, non poteſt derogari pactis privatorum, *c. Si diligenti* 12. *de Foro compet.* cum concordantiis; ergo. Accedit, quod per tale pactum expreſſum videretur concedi facultas impune calumniandi, ſive utendi fraudibus in judicio: atqui tale pactum, utpote turpe, bonisque moribus contrarium, eſt invalidum, *cap. ult. de Pactis.* Unde in ſimili, & pari ratione, etiam *non valet pactum, ne dolus præſtetur: hoc enim bonæ fidei judicio contrarium eſt*, prout habetur *in l. Contractus, ff. de Reg. juris.* 46

Nec obſtat, quod Juramentum teſtium poſſit expreſſe remitti, *c. Tuis* 39. *de Teſtibus.* Reſp. enim, diſparitatem eſſe, quia Juramentum teſtium principaliter eſt introductum in favorem partium, Juramentum calumniæ verò ob favorem publicum: poteſt autem quis bene totum jus ſuum verbo alterius, puta teſti, etiam non jurato, relinquere: non item favori publico derogare. Gloſſa *ad cit. c. Tuis verſ. Remittatur.* 47

Quod ſi igitur partes litigantes pepigerint inter ſe de non præſtando Juramento calumniæ, atque ideò etiam ad præceptum Judicis nolint jurare; neutra quidem earum perdet jus ſuum, ſed Judex non procedet in cauſa. Si enim ſecùs faceret, ferretque ſententiam, iſta non valeret, *l. Prolatam C. de Sentent. & Interlocut. omn. judic.* quia expreſſe hoc Juramentum remitti non poteſt, ut dictum. Speculator *tit. de Juramento calumniæ §. Supereſt n.* 5. Abbas *c. cùm in cauſa nu.* 20. *h. t.* 48

Altera pars Concluſionis patet *ex cap.* 1. *§.* 2. *h. t. in* 6. ubi Pontifex declarat, quod *propter omiſſum quoque tacite in tota cauſa calumniæ Juramentum judicialis proceſſus, alias factus legitime, non eſt nullus, nec etiam annullandus.* Accedit ratio: tum quia præſtatio Juramenti calumniæ poſt litem conteſtatam, non eſt de ſubſtantia proceſſus judiciarii, prout *in cit. cap.* 1. *§.* 1. notatur. Tum quia per hoc, quod iſtud Juramentum tacite remittatur, illud videlicet non exigendo, neutiquam aperitur via calumniis; cùm poſſit viſo tali periculo in quacunque judicii parte exigi, atque exactum præſtari debet; *cit. cap.* 1. *§.* 1. *h. t.* Hoc autem fieri nequiret, ſi illud expreſſe, ſimulque valide remitti poſſet; quia tunc non poſſet ampliùs exigi. Et per hoc patet ratio, cur iſtud Juramentum poſſit tacite, non autem expreſſe remitti. 49



50 Quæritur II. Utrum per conſuetudinem introduci poſſit, ut partes etiam petitæ, ſeu exactæ, non teneantur præſtare Juramentum calumniæ? Reſp. I. Conſuetudo tollens Juramentum calumniæ in totum, non valet. Ita deſumitur *ex c. Cæterum* 5. *h. t.* ac notat Abbas *ibid. nu.* 3. & Jo: Andreas *n.* 3. & Barboſa *n.* 5. Pirhing *h. t. nu.* 6. & alii; contra Gallum *cit. lib.* 1. *Practic. Obſervat.* 85. *nu.* 4. *&* 5. Concordat *c. Conſtitutus* 3. *de Fidejuſſoribus*, ubi Pontifex jubet, ut Reus *conſuetudine, quæ eſt legi contraria, non obſtante, Juramentum calumniæ ſubire cogatur.* Accedit ratio: quia talis conſuetudo non eſt rationabilis, cùm Juramentum calumniæ à Jure inductum fuerit ad veritatem eliciendam, atque ad evitandas fraudes: econtra conſuetudo contraria potiùs foveat peccata, & malitias hominum; non minùs, ac ſi Juramentum calumniæ expreſſe remitteretur. Et hoc vult textus *in cit. c. Cæterum §. fin. h. t.* ibi: *Conſuetudine, quæ legi contraria eſt* (videlicet ut irrationabilis, fovens peccatum, ſicque reprobata à Lege) *non obſtante.*

51 Reſp. II. Inſuper eo non valet conſuetudo, ut differatur Juramentum calumniæ uſque ad finem cauſæ, ſeu prolationem ſententiæ: ſed, quando exigitur, debet præſtari priùs, quam quis in cauſa audiatur. Ita Abbas *in cit. c. Cæterum n.* 4. & Jo: Andreas *ibid. nu.* 3. *h. t.* Pirhing *loc. cit. num.* 7. Et quidem poſterior pars patet *ex cap. ult. §. fin. h. t. & cap.* 1. *§.* 1. *eod. in* 6. Ratio autem prioris partis eſt: quia ſimiliter non apparet aliqua rationabilitas hujus conſuetudinis; ergo non præjudicat diſpoſitioni Juris communis, volentis, Juramentum calumniæ eſſe præſtandum in exordio litis. Antecedens probatur. Quia ejuſmodi contraria conſuetudo præberet anſam pejerandi: ſi enim aliquis jam antea reſpondiſſet falſum, vel fruſtratoriam dilationem petiiſſet, facile induceretur ad jurandum in fine contrarium, ne puniatur, aut contra proprium factum veniat.

52 Accedit, quod Juramentum non ſit exigendum, quando dubitatur veriſimiliter de tranſgreſſione, ſeu perjurio, *arg. can. Ille qui* 22. *qu.* 5. *& c. Clericos* 3 *de Cohabit. Cleric.* Abbas *cit. n.* 4. Iſtud autem accidit in propoſito. Inſuper ad veritatem eruendam, & præcavendas fraudes, plus juvat juramentum præcedens, quam ſubſequens: unde & teſtes priùs, quam audiantur, jurare coguntur, *can. Si teſtes §. Jusjurandi* 4. *q.* 3. cum ſimilibus: ac proinde conſuetudo de differendo in finem cauſæ Juramentum calumniæ, non videtur rationabilis; ſicque nec derogat Juri communi.

Quæritur III. Quæ ſit pœna recuſantium præſtare Juramentum calumniæ, ubi præſtandum eſt? Reſp. I. Quando Actor recuſat præſtare juramentum iſtud, cùm præſtandum eſt, ipſe ab inſtituta actione cadit, ac veluti improbus litigator à judicio quam longiſſime repellendus eſt: econtrà verò Reus jurare nolens, haberi debet pro confeſſo; adeò, ut contra ipſum, hoc juramentum ſubire recuſantem, liceat Judici ſententiam proferre. Ita habetur deciſum *in cap. ult. §. fin. h. t. & L.* 2. *§. Quod ſi actor. C. de Jurejur. propt. calumn.* ubi tamen illud poſterius non nihil limitatur, ſequentibus verbis: *Quemadmodum & ipſa rerum qualitas ſuggeſſerit.* Nam ſi aliundè, puta ex libello, aut confeſſione Actoris, conſtet tale quid, propter quod Reus ſive ex ſimplicitate, ſive quacunque de cauſa recuſans jurare, cognoſcitur abſolvendus, non deberet eum tunc Judex condemnare: prout ex allegatis verbis infert Gloſſa ſingularis *ibid. ℣. Rei qualitas.* 53

Reſp. II. Nihilominùs dicta pœna non jurantis de calumnia, non committitur ipſo jure, ſed requiritur ſententia Judicis. Ita Gloſſa *in cit. cap. ult. verſ. Pœna*, & Barboſa *ibid. num.* 5. *h. t.* Bartolus *in L.* 2. *§. Quod ſi actor. num.* 1. *C. de jurejurand. propter calumn.* Pirhing *h. t. num.* 31. Gallus *lib.* 1. *Practic. Obſervat.* 86. *num.* 1. citans alios. Idque deſumitur tum ex *cit. cap. ult. §. fin. h. t.* tum ex *L.* 2. *§. Quod ſi actor.* Juncta Gloſſa *verſ. Cadat. de Jurejur. propt. calumn.* ponderando citatum verbum in utroque loco poſitum, *Cadat*; quod eſt futuri temporis, & non importat pœnam latæ ſententiæ. Idem expreſſius habetur in *Auth. Principales §. Si quis autem. C. eod. & in Auth. Ut litigantes jurent. §.* 1. *in fin. Collat.* 9. Ubi dicitur, quod ſi quis litigantium hujuſmodi jusjurandum præſtare noluerit, *per ſententiam Judicis, Actor quidem caſum actionis, Reus verò caſum condemnationis ſuſtineat.* 54

Igitur quando alterutra pars litigantium cunctatur præſtare Juramentum calumniæ, ubi præſtandum eſt (quod ultimum additur ob quoſdam caſus exceptos, ac ſupra *num.* 27. *& ſeqq.* jam enumeratos) tunc Judex, ad petitionem alterius partis, interloquendo eidem injungat, ut petitum Juramentum calumniæ, intra certum tempus, ſub pœna non jurantis præſtet: quo elapſo ſequatur ſententia diffinitive declaratoria; quæ eſt quoad Actorem contumacem abſolutoria, quatenus ab ejus petitione Reus abſolvitur; quoad Reum verò, eſt condemnatoria. Si quis tamen ante ſecutam ejuſmodi ſententiam declaratoriam velit moram purgare, & juramentum petitum præſtare, is adhuc admittendus erit, nec incidet in dictam pœnam. Gallus *cit. L.* 1. *Practic. Obſerv.* 86. *nu.* 1. *&* 2. allegans alios. 55

Inſuper notandum cum Speculatore *tit. de juramento calumniæ §. Supereſt nu.* 4. & Abbate *in cap. ult. n.* 21. *h. t.* quod ſi Tutor, aut Curator nolit jurare, idcircò non noceat Pupillo, nec cauſam ejus perdat, ſed ipſe ſolus puniatur, *arg. L.* 1. *§.* 2. *ff. Si quis jus dicenti non obtemp. & l. Quicunque §. In minorum. C. de Servis fugit.* Idemque dicendum de Prælato, aut Syndico: quia ſi recuſant ita jurare, non præjudicant Eccleſiæ, *can. Si Epiſcopum* 16. *quæſt.* 6. Siquidem *delictum perſonæ in damnum Eccleſiæ non eſt retorquendum*, ut ibidem dicitur. 56

# TITULUS VIII.

## De Dilationibus.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*

1 QUoniam lite conteſtata, præſtitoque hinc inde calumniæ juramento, ſolent litigantes plerumque petere quaſdam inducias, ſeu dilationes; ſive ad intentionem ſuam probandam ex parte Actoris; ſive ad reſpondendum ipſius petitioni, atque proponendas, probandaſque exceptiones ex parte Rei: meritò præſens Rubrica præcedenti ſubjungitur. Hinc ſit

### §. I.

### De Dilationibus judicialibus in communi.

SUMMARIUM.

2 *Dilatio judicialis, quid? Et nu. ſeqq.*
3 *Dilatio generatim, quid?*
4 *Illa debet continere juſtum temporis intervallum.*
5 *Conceditur tam Actori, quam Reo.*
6 *Dilationes judiciales ſunt multiplices. Et nu. ſeqq.*
7 8 & 9. *Earum recenſentur viginti quatuor. Et n. 6.*
10 *Et ex parte cauſæ efficientis dividuntur in*
11 *Dilationes legales;*
12 *Judiciales, ſeu arbitrarias; & in*
13 *Dilationes conventionales: & quid ſint?*
14 & 15 *Spectando tres Judicii partes, qualiter Dilationes dividantur?*
16 *In præſenti Titulo ſolùm agitur de Dilationibus citatoriis, & deliberatoriis.*
17 *Nec tamen is congrue huc collocatus fuit.*
18 *Referuntur cauſæ, ob quas concedi ſolent dilationes.*
19 *Dilationum materia ubique eſt amputanda; & qualiter?*
20 *Dilatio petenda eſt, & concedenda à Judice pro Tribunali ſedente, & cauſa cognita &c.*
21 *Quid, ſi ſecus fiat, nec pars adverſa contradicat?*

2 QUæritur I. Quid, & quotuplex ſit Dilatio? Reſp. I. *Dilatio judicialis* eſt juſtum temporis intervallum, quod ad actum aliquem judicialem commodiùs expediendum, Actori, vel Reo conceditur. Ita Pirhing *b. t. n. 1.* Engel *n. 1.* & alii.

3 Dicitur imprimis *Dilatio judicialis*. Ad excludendas Dilationes, ſive (ut appellantur *Cauſ. 3. q. 2. in princip.*) Inducias extrajudiciales; nam impræſentiarum ſermo eſt duntaxat de dilationibus judicialibus, quæ dantur durante Judicio, ſive à citatione partium uſque ad ſententiam, ejuſque executionem incluſive. Si tamen quis Dilationem in genere, ac prout tam judicialem, quam extrajudicialem complectitur, deſcribere velit, dicere poterit: *Dilatio generatim* accepta, eſt conceſſio competentis temporis, intra quod aliquid agi debet.

4 Dicitur ulteriùs, *juſtum temporis intervallum, &c.* vel (ut alii loquuntur) aſſignatio certi diei, ſive termini, intra quem actus judicialis expediendus eſt, juſto temporis intervallo facta. Debet enim tempus illud non nimium arctari, niſi urgeat neceſſitas: alioquin juſte appellabitur, *cap. 1. b. t.* Quamquam, quis terminus cenſeatur nimium brevis, Judicis arbitrio relinquendum eſſe, Gloſſa communiter recepta cenſeat *ibid. verſ. Nimis brevem*. Sed neque tempus dilationum nimis debet extendi, in præjudicium partis alterius; cùm potius dilationum materiæ, quantum fieri poteſt, ubique ſint amputandæ, *L. 2. C. de Temporib. appellat.* & ampliùs declarabitur in progreſſu.

5 Additur tandem, *Actori, vel Reo conceditur*. Nam aliæ dilationes conceduntur Actori, v. g. ad aliquid probandum: aliæ Reo; puta, ad veniendum in judicium poſt citationem, aut ad deliberandum, an cedere, vel judicio contendere velit, aut hujuſmodi: prout magis patebit ex dicendis.

6 Reſp. II. Dilationes judiciales ſunt multiplices; adeò, ut earum ſedecim enumeret Hoſtienſis *in Summa b. t. nu. 1.* Speculator autem *tit. de Dilationibus, §. 1.* illarum univerſum recenſeat viginti quatuor: & ſunt ſequentes, videlicet. I. Citationes experiundoriæ; ut *cap. ult. Qui matrim. accuſ. poſſ. & cap. ult. de Election. in 6.* II. Citatoriæ, de quibus infra. III. Repræſentatoriæ, ſeu exhibitoriæ, dum quis intra certum tempus debet ſe exhibere in judicio; puta, ad proſequendam appellationem, *c. Perſonas 4. & c. Sæpe contingit 54. de Appellat.* Vel alium in judicio ſeſe exhibiturum promittit, ut *l. Sancimus C. de Fidejuſſoribus*. IV. Siſtitoriæ; ut ſi inter partes conveniatur, quo die ſtetur in judicio, ibi ſtandum ſit; vel, ſi non conveniatur, in Judicis arbitrio iſtud ſit, *l. De diſſ. Qui ſatiſdare cogantur*. V. Defenſoriæ, quæ arbitrio boni viri dantur illis, qui alieno nomine volunt defendere *l. Servum §. Ait prætor ff. de Procurat.*

7 VI. Dilationes denunciatoriæ, quibus petitur dilatio ad denunciandum adverſario, ut veniat, *L. 2. Ultimum actio*. VII. Electoriæ, quæ dantur ad Arbitros eligendos in cauſa ſuſpecti Judicis: ut *c. cùm ſpeciali 61. de Appellat. & L. ult. C. de Judiciis*. Ubi pro tali dilatione aſſignatur tempus trium dierum. VIII. Inquietatoriæ; ut *l. Differri C. de Ingenuis manumiſſ.* IX. Vacatoriæ, ſeu Feriales, de quibus infra *Tit. ſeq.* X. Inchoatoriæ, quas nimirum habet Actor ad inchoandam, ſeu conteſtandam litem intra duos menſes, à libelli oblatione computandos, *Auth. Libellum. C. de Litis conteſtat.*

8 XI. Dilationes revocatoriæ, ſeu quæ dantur illi, qui jus habet revocandi domum: ut *cap. ult. de Foro compet. & cap. ult. b. t.* Quamquam etiam illæ poſſint dici Dilationes revocatoriæ, quæ conceduntur Domino principali ad revocandum errorem ſui Advocati: atque eſt tempus trium dierum, *L. ult. C. de Error. Advocat.* XII. Reſtitutoriæ, quæ competunt vel graviter læſis ad petendam reſtitutionem in integrum; eſtque tempus quatuor annorum, *L. ult. C. de Temporib. in integr. reſtitut.* Vel ſpoliatis, ne cogantur ſpoliatoribus reſpondere ante factam ſpolii reſtitutionem, *c. Conquerente 7 de Reſtitut. ſpoliat. & c. Frequens eod. in 6.* cum ſimilibus. XIII. Exceptoriæ, de quibus infra *Tit. 25. de Exceptionibus*. XIV. Præparatoriæ, quæ dantur in judicium vocatis ad ſe præparandum pro reſponſione, *can. Si primates 5. q. 2.* vel ad quærendos teſtes, aut inveniendos Advocatos, & hujuſmodi. XV. Deliberatoriæ, de quibus *§. ſeq. n. 33.*

9 XVI. Dilationes dubitatoriæ, ſuntque illæ, quando quis forſan facta poſitione aſſerit ſe dubitare, ſicque petit dilationem pro inveſtiganda melius rei veritate. XVII. Probatoriæ. XVIII. Diffinitoriæ. XIX. Executoriæ: de quibus tribus ſingillatim infra *§. 3. per totum*. XX. Solutoriæ, quæ conceduntur: condemnatis ad ſolvendum debitum; ſicque ſub Executoriis comprehenduntur. XXI. Revocatoriæ, ſeu conceſſæ ad revocandum errorem ſui Advocati, juxta dicta *n. 8.* XXII. Appellatoriæ, ſeu quæ dantur ad appellandum: & ſunt tempus decem dierum, *c. Quod ad conſultationem 15. de Sentent. & re judic.* XXIII. Proſecutoriæ, quæ nimirum dantur ad proſequendam appellationem, *can. cùm ſit Romana 5. de Appellat.* XXIV. Supplicatoriæ tandem Dilationes dicuntur illæ, quæ conceduntur ſententiam paſſis ad ſupplicandum Principi, ut ex quadam benignitate velit eos reſtituere adverſus ſententiam, *Auth. Quæ ſupplicatio. C. de Precibus Imperat. offerend.* De quibus plura ſuo loco.

10 Quæritur II. Qua ratione Dilationes judiciales generatim dividi poſſint? Reſp. I. Id fieri poſſe dupliciter; primò, earum diviſionem inſtituendo ex parte cauſæ efficientis: ſecundò, ipſas dividendo juxta tres Judicii partes. Et quidem priori modo, ſeu ex parte cauſæ efficientis; convenienter Dilationes dividuntur in legales, judiciales (quas Zoeſius *b. t. n. 1.* alio nomine vocat *arbitrarias*) & conventionales, prout notat Abbas *cap. 1. n. 15. b. t.* Vallenſis *eod. §. 1. n. 2.* & alii; atque probatur explicando ſingulas. Et quidem



11 *Dilationes legales* ſunt, quæ ſimpliciter ac determinate dantur à Lege ipſa, vel ſtatuto, vel conſuetudine ſpeciali locorum: ut eſt tempus decendii jure conceſſum ad appellandum, & hujuſmodi.

12 *Dilationes judiciales*, ſeu (ut Zoeſius loquitur) *arbitrariæ*, dicuntur illæ quæ dantur à Judice: ſive, quæ ad arbitrium Judicis, inſpecta conditione cauſæ, perſonarum, aliarumque circumſtantiarum exigentiam aſſignantur, *l. Nonnunquam ff. de Judiciis, & L. 1. §. Explicatores ff. de Effractorib.* Non enim Dilatio judicialis hic ſumitur, prout contradiſtinguitur ab extrajudiciali; ſed ut opponitur legali, quæ datur à Jure, ſive Statuto: illa enim viciſſim conceditur ab homine, ſeu à Judice.

13 *Dilationes conventionales* verò ſunt illæ, quæ competunt ex conventione partium: ut ſi partes conſentiant ſuper prorogatione negotii, *c. Paſtoralis §. fin. 28. de Offic. Deleg.* Vel ſi partes inter ſe conveniant de certo temporis ſpatio, intra quod ſolutio debiti ſit facienda, aut ſatisdatio danda, *l. de di §. 1. ff. Qui ſatisdare cogantur.*

14 Reſp. II. Spectando tres Judicii partes, ipſamque materiam, circa quam dantur, recte dividuntur *Dilationes in citatorias, deliberatorias, ac recuſatorias*; quarum quævis conceduntur in prima Judicii parte, nempe à citatione uſque ad conteſtationem litis incluſive. Et harum priores dantur in ipſa citatione ad comparendum: ſecundæ ad deliberandum ſuper contentis in libello, an nimirum citatus cedere, vel judicio contendere velit: tertiæ verò concedendo terminum, intra quem poſſunt proponi omnes exceptiones tum declinatoriæ Fori, tum dilatoriæ.

15 His accedunt *Dilationes probatoriæ, & allegatoriæ*, quæ nimirum dantur ad probandum, vel ad allegandum in cauſa intra certum tempus: & hæ competunt à litis conteſtatione uſque ad ſententiam diffinitivam excluſive. Item *Dilationes diffinitoriæ*, atque *executoriæ*, quarum priores dantur ad diffiniendum negotium; poſteriores verò, ad exequendam ſententiam intra certum tempus: quæ proinde locum habere dignoſcuntur in tertia Judicii parte; hoceſt, à ſententia uſque ad ejus executionem incluſive. Ita Abbas *cit. num. 15.* Pirhing *b. t. numer. 3.* Zoeſius *num. 2.* & alii; ac patebunt ſingula harum Dilationum membra ampliùs in progreſſu de ipſis loquendo. Cæteræ autem Dilationes, paulò ſuperius recenſitæ, commodè ad unam præmiſſarum reducuntur.

16 Nec obſtat Concluſioni, quod in præſenti Titulo ſolùm agatur de Dilationibus citatoriis, atque deliberatoriis, quæ dantur ante litem conteſtatam. Reſp. enim, per hoc non negari; quin dentur etiam aliæ Dilationes in cæteris Judicii partibus, cùm Rubrica hujus Tituli generaliter inſcribatur, *De Dilationibus*. Fatendum tamen eſt cum Abbate *ad Rubric. b. t.* & aliis, quod cùm Rubrica præſens ſit generalis de Dilationibus in genere, & in progreſſu Tituli agatur ſolùm de Dilationibus, quæ dantur ante litis conteſtationem; *Rubrum ſit generalius Nigro*; hoc eſt, Rubrica Tituli ſit generalior contentis in illo.

17 Nec dicas: Si in hoc Titulo ſolùm agitur de Dilationibus ante litem conteſtatam, ergo Compilator incongrue collocavit iſto loco præſentem Rubricam; cùm melius eandem ponere potuiſſet poſt Rubricam *de judiciis*. Negatur enim ſequel. Tum quia iſtud factum eſt propter generalitatem ipſius præſentis Rubricæ, atque ad imitationem Juris Civilis, tam in Codice, quam in Digeſtis, hunc ordinem ſervantis. Tum quia Dilationes, quæ dantur poſt litem conteſtatam ad probandum, obtinent principatum: ſic meritò Compilator huc inſerere voluit præſentem Rubricam, quamvis eam etiam alibi ponere potuiſſet; ſicque hoc ſit unum de arbitrariis ipſius. Nunc loquendo de ſingulis iſtis Dilationibus in ſpecie.

18 Quæritur III. Cur, & qualiter ſit danda Dilatio judicialis? Reſp. I. Plures ſunt cauſæ, ob quas concedi ſolent Dilationes. Primò, ut pars litigans meliùs deliberare valeat, *can. Induciæ accuſatis §. Offeratur 3. qu. 3. & Auth. Offeratur, C. de Litis conteſt.* Secundo, ut veritas rerum melius inveſtigari poſſit, & ſalva maneat, *cap. ult. b. t.* cum ſimilibus. Tertiò, ut in omnibus æquitatis ratio obſervetur. Hoſtienſis *in Summa b. t. n. 6.*

19 Quando igitur evidens eſt calumnia, ſeu quod quis ſolùm malitioſe ad protrahendam litem poſtulet dilationem, ea non eſt concedenda: quinimò materia dilationum dandarum ubique eſt amputanda, *L. 2. §. 1. C. de Temporib. appellat.* Intellige cum Gloſſa *ibid. verſ. Amputantes*, niſi urgentiſſima ratio, vel cauſa expoſtulet; ſeu, ut dicitur *L. 1. C. b. t.* niſi dilationem dare rerum neceſſitas cogat.

20 Reſp. II. Dilatio petenda eſt, & concedenda à Judice pro Tribunali ſedente, & cauſa cognita, ſaltem de plano, atque utraque parte præſente: & ſi quidem dilationis petitio per adverſarium fuerit improbata, tunc ejuſmodi quæſtio, num danda ſit dilatio, necne, per ſententiam Judicis interlocutoriam dirimi debet. Textus eſt in *l. A procedente C. b. t. & can. Induciæ accuſatis §. A judice 3. q. 3.* juncta Gloſſa *ibid.* & alia Gloſſa *in cap. 2. verſ. Plene potuit b. t.* ac notat Speculator *tit. de Dilationibus §. Nunc videamus num. 1.* Hoſtienſis *b. t. num. 7.* Pirhing *b. t. num. 2.*

21 Solùm adde cum Speculatore *loc. cit. n. 1. & 2.* & aliis, quod ſi ſecùs fiat, & v. gr. dilatio à Judice concedatur altera parte abſente, quæ poſtmodum de hoc certificata non contradicit, neque excipit; nihilominùs aſſignatio talis dilationis valeat. Cenſetur enim in ipſam conſentire, eamque ratihabere, juxta amplius dicenda *nu. 58. b. t.*

### §. II.

### De Dilationibus Citatoriis, & Deliberatoriis.

SUMMARIUM.

22 *Dilatio citatoria, quid?*
23 *Ejus terminus non debet eſſe nimis brevis. Et nu. 4.*
24 *Dictio Maximè eſt implicativa.*
25 *Quid ſi neceſſitas aliud requirat?*
26 *Citatus una vice non peremptoriè, ſi non compareat, poſt intervallum ſaltem decem dierum citandus eſt ſecundo, & tertia vice.*
27 *Solvitur inſtantia.*
28 *Poteſt tamen Judex moderari dictum terminum dilationis citatoriæ.*
29 *Enumerantur cauſæ juſtæ abbreviandi intervalla citationum.*
30 *Atque eaſdem prolongandi.*
31 *Termini dilationum à Jure conſtituti, hodie communiter non ſervantur.*
32 *Omnes dilationes hodie videntur arbitrariæ; & quomodo?*
33 *Dilationes deliberatoriæ, quæ?*
34 *Dantur Reo, non autem Actori; & cur?*
35 *Limitatur hoc poſterius.*
36 *Tempus dilationum deliberatoriarum de Iure ſunt viginti dies.*
37 *Has juxta Gloſſam, nequit Iudex minorare.*
38 *Oppoſitum eſt tenendum ſtante cauſa rationabili.*
39 *Solvitur fundamentum Gloſſæ.*
40 *Longe magis ex cauſa rationabili poteſt tempus illud prolongari.*
41 *Dilatio deliberatoria non datur Reo, quando per litteras citatorias potuit plene inſtrui, ac deliberare.*
42 *Practica excludendi dilationes deliberatorias, ejuſque declaratio.*

22 QUæritur I. Quid ſit, & quanta concedi debeat Dilatio citatoria? Reſp. I. *Dilatio citatoria* dicitur, quæ citatis, ſive in judicium vocatis, datur ad comparendum. Neque enim regulariter loquendo, ac niſi gravis cauſa urgeat, v. gr. ſubſit periculum in mora, poterit quis ita citari, ut ſtatim relictis omnibus compa-

rere

rere teneatur; ſed oportet, ipſi relinquere juſtum temporis ſpatium ad comparendum.

23 Reſp. II. Terminus dilationis citatoriæ, intra quem Reus peremptorie tenetur comparere in judicio, non debet eſſe nimis brevis, niſi neceſſitas aliud requirat: alioquin juſte appellari poterit. Ita habetur *in cap. 1. h. t.* & concordant dicta ſuperiùs *nu.* 4.

24 Nec obſtat, quod *in cit. cap. 1. h. t.* præcipue ſit ſermo de cauſis Eccleſiaſticis, ibi: *Maxime, cùm de rebus Eccleſiaſticis agitur*. Nam ly *Maxime* eſt dictio implicativa, ſive comprehendens etiam caſum magis dubitabilem, *L. 1. §. Si ex dodrante ff. de Collation.* & cum plurimis aliis tradit Barboſa *Diction. 197. n. 1.* ac proinde ex propria vi, & natura ſuæ ſignificationis implicat, ſive denotat, idem eſſe in cauſis non Eccleſiaſticis; quamvis in cauſis Eccleſiaſticis fortior ratio militet.

25 Additur tamen in Concluſione, *niſi neceſſitas aliud requirat*. Nam neceſſitas non habet legem, *c. quod non eſt licitum de Reg. jur. & can. Diſcipulos de conſecr. diſt.* 5. Sic accidit, quando periculum eſt in mora, ne res litigioſa pereat: aut ſi Actor diutiùs in loco commorari non valet, & hujuſmodi; atque innuitur *in cit. cap. 1. h. t.* illis verbis: *Niſi forte neceſſitate urgente*.

26 Reſp. III. Extra caſum citationis peremptoriæ, ſi Reus una vice citatus non compareat, citandus eſt ſecunda, & tertia vice, per intervallum ſaltem decem dierum ſingulis citationibus interponendum; quamvis ex cauſa rationabili Judex hunc terminum dilationis citatoriæ moderari, atque pro exigentia cauſæ & perſonarum, aliarumve circumſtantiarum qualitate, longiorem vel breviorem concedere valeat. Ita Doctores communiter. Et quidem prima pars habetur *in can. de illicita 24. qu. 3.* juncta Gloſſa *ibid. verſ. Peremptorio, & l. Ad peremptorium ac ſeqq. ff. de Judiciis*. Concordant dicenda inferiùs *Tit. 14. de Dolo & contumacia §. 4. nu. 107. & ſeqq.*

27 Nec obſtat *Auth. de Litigioſis §. Omnem verò Collat.* 8. quæ vult, inter ſingulas citationes eſſe interponendum ſpatium triginta dierum; ut proinde Gloſſa *ibid. V. Cautione*, inde concludat, quod Jura antiquiora per dictam Authenticam ſint correcta. Non obſtat, inquam: quia, ut bene notat Additio ad Gloſſam *in l. Properandum §. Et ſi quidem verſ. Decem.* & Bartolus *ibid. verſ. Veniamus. C. de Judic.* Authentica illa loquitur in caſu ſpeciali, videlicet quando Actore per contumaciam abſente Reus vult proponere probationes ſuas, ac facere, ut de cauſa liqueat, & pro ipſo ſententia diffinitiva feratur: quod quia eſt majoris præjudicii, meritò ibidem requiruntur longiores dilationes. Secùs eſt in aliis caſibus non ita præjudicialibus.

28 Altera pars, videlicet poſſe Judicem pro qualitate cauſæ & perſonarum, atque loci, temporis, aliarumque circumſtantiarum exigentia, moderari terminum dilationis citatoriæ: patet *ex c. Conſuluit. 24. de Offic. Delegat. & c. Ex litteris 4. De in integrum reſtitut. & c. cùm ſit Romana 5. de Appellat. & c. quod ad conſultationem 15. de Sent. & re judicat. ac l. Oratione ff. de Feriis*, cum concordantiis. Unde Gloſſa *in cap. 2. verſ. Plene potuit. h. t.* notanter inquit, quod dilationes iſtæ hodie videantur arbitratoriæ, & Judex conſiderata locorum diſtantia, & temporis qualitate, inducias concedat. Quinimò Hoſtienſis *in Summa n. 2. h. t.* inquit, regulariter omnes dilationes ex cauſa reddi arbitrarias.

29 Porrò cauſæ, ob quas Judex abbreviare poterit, intervalla dilationum, plures ſunt; eaſque refert Abbas *in cap. 1. num. 7. h. t.* & Bartolus *in L. 2. §. Item pro declaratione ff. de Re judicat.* I. Si conſuetudo locorum id ferat, *l. Teſtium §. fin. ff. de Teſtibus*: nam quoad intervalla dilationum oportet attendere ſtylum Curiarum, & cujuſlibet Fori, qui alius & alius exiſtit. II. Si cauſa eſt vilis, ſeu modicæ quantitatis, *arg. Auth. Niſi breves C. de Sent. & interlocut. omn. judic.* III. Si res, de qua controvertitur, alioquin tempore peritura foret; *arg. L. un. ff. de Glande legenda*. IV. Si ejuſmodi res longiori conceſſa dilatione majores cauſaret expenſas, quam afferret commodum: ut ſi lis oriatur ſuper equo vel aſino, qui protracta ob intervalla dilationum diutiùs lite plus comedendo abſumeret, quam valeret: ut *l. Mediterranea. C. de Annonis lib.* 10. V. Cùm agitur ſuper alimentis: alioquin enim; ſi nimium expectaretur, periculum foret, ne quis interim fame periret. Accedunt aliæ conſimiles cauſæ abbreviandi dilationes, arbitrio Judicis diſcutiendæ.

Cæterùm cauſæ prolongandi dilationes econtrario explicari debent. 30
I. Siquidem hæ prolongari poſſunt ob gravitatem, aut aliam qualitatem cauſæ, ob quam aliquis intra tempus brevius ſuper ipſomet cauſæ negotio commode non potuit liberare: *cap. ult. h. t.* II. Ob qualitatem perſonarum: nam major dilatio debet dari ſeni, quam juveni; major abſenti, quam præſenti; *arg. l. Continuus §. cùm ita ff. de Verb. obligat. & l. Nonnunquam ff. de Judiciis*; ubi hoc totum Judicis arbitrio relinquitur, illis verbis: *Hoc autem æſtimare oportet eum, qui jus dicit, pro conditione cauſæ, vel perſonæ, vel temporum: & ita ordinem Edictorum, & compendium* (id eſt, numerum dierum) *moderari*. Adde textum *in cap. Conſuluit. 24. §. fin. de Offic. Delegat.*

Notant inſuper Doctores poſt Abbatem *in cit. cap. 1. n.* 31
*7. h. t.* quod de conſuetudine termini dilationum à Jure conſtituti, communiter non ſerventur; ſed vel in ſpecialibus Statutis exprimantur, vel Judicis arbitrio relinquantur moderandæ, per Jura hactenus allegata; quamvis circa hoc conſuetudo Fori cumprimis attendenda ſit.

Addit Gloſſa *in c. Præterea verſ Plene potuit h. t.* & Val- 32
lenſis *eod. n. 6.* quod moribus hujus ſæculi, omnes dilationes à Jure ſtatutæ hodie videantur arbitrariæ: non quidem ſic arbitrariæ, quaſi eas Judex pro libitu concedere poſſit, vel denegare (nam ſi hoc contra Juris conſtitutionem attentaretur, locus foret appellationi, propter injuſtum gravamen parti illatum, *arg. cap. 1. h. t.* juncta *L. 1. C. eod.*) Sed quia, ut dictum, pro varietate circumſtantiarum eas moderari poteſt, vel prorogare; ac proinde potiùs termini dilationum ſint arbitrarii, quam ipſæ dilationes. Concordant dicta ſuperiùs *nu.* 28. & dicenda inferiùs *nu.* 45.

Quæritur II. Quæ ſint Dilationes deliberatoriæ, & 33
quales de jure concedantur? Reſp. I. *Dilationes deliberatoriæ* ſunt, quæ poſt oblatum libellum dantur Reis ad deliberandum ſuper petitis in libello. Ita Abbas *in d. cap. 1. nu. 15 h. t.* Hoſtienſis *in Summa h. t. n. 1.* & alii. Et quidem dilatio deliberatoria ad hoc datur Reo, ut deliberare valeat, etiam conſulendo doctores, quid reſpondeat ad libellum; & an litigare velit, vel cedere; aut judicem ut ſuſpectum recuſare, vel aliquam exceptionem proponere. *Auth. Offeratur C. de Litis conteſt.*

Dicitur *Reo*. Siquidem dilatio deliberatoria concedi- 34
tur duntaxat Reo, non autem Actori. Quia enim Actor provocat ad judicium, is inſtructus venire poteſt, ac debet, ſicque nulla ei talis dilatio ab initio datur: ſecùs eſt in Reo: utpote qui præter ſpem in judicium trahitur, & inſtructus venire non potuit, *l. Si quando C. de Dilation. & can. Induciæ §. Spatium 3. qu. 3.* juncta Gloſſa *ibid. verſ. Deneganda*.

Quod ſi verò Reus excipiat, tunc etiam Actori danda 35
erit dilatio deliberatoria, ut & ipſe deliberare poſſit, etiam Doctiores conſulendo, an, & quomodo replicare valeat: nam ſuper illo puncto exceptionis non potuit venire paratus. Gloſſa *loc. cit.* Ab initio tamen Actori non conceditur talis dilatio, quia inſtructus venire potuit, ac debuit, ut dictum: quamquam dilatio data Reo, etiam proſit actori, *l. Petendæ C. de in integr. reſtit.* ac proinde actor habeat per alium, quod non poteſt habere per ſeipſum. Speculator *h. t. §. Videndum nu.* 14 Abbas *c. Præterea nu. 13. eod.*

Reſp. II. Spectato Jure communi, tempus dilationum 36
deliberatoriarum ſunt viginti dies, à die porrecti Reo libelli computandi. *Auth. Offeratur C. de Litis conteſt.*

Et hos quidem viginti dies non poteſt Judex minora- 37
re, ſicut nec decem dies, qui dantur ad appellandum; prout tradit Gloſſa *in cit. Auth. Offeratur verſ Viginti dierum*: addens, quod Jura, quæ indicant tempus iſtud dilationum per Judicem abbreviari poſſe, loquantur de dilationibus ab homine datis; non autem de Induciis, quæ conceduntur à Lege.

Oppoſitum tamen, videlicet iſtos viginti dies ex cauſa 38
rationabili, & ſecundùm quod viſum fuerit Judici expedire, poſſe minorari; tenet Gloſſa *fin. in c. Dilectus 11. de Procurat.* Abbas *c. Præterea n. 13. h. t.* Bartolus *in cit. auth. Of-*



*feratur §. quæro utrum iſta dilatio*, dicens, cùm iſta dilatio detur miniſterio judicis, poſſe eam minui cauſa cognita; ut *L. 1. ff. de Re judic.* & plures alii.

39 Nec auget inſtantia de induciis decem dierum ad appellandum conceſſis. Nam ibi Judex nihil habet officii, *c. Quod ad conſultationem 15. de Sentent. & re judic.* Secùs eſt in propoſito, ubi Judex debet attendere ad perſonarum & negotii qualitatem, aliaſque circumſtantias, quæ nonnunquam ita poſſunt urgere, ut neceſſe ſit, tempus à Lege præfixum abbreviari. Gloſſa *fin. loc. cit.*

40 Longe magis ex cauſa rationabili poteſt tempus iſtud viginti dierum prolongari: utputa, ob diſtantiam locorum, vel ſi Reus in alia ardua cauſa publicam utilitatem concernente occupetur; adeò, ut intra memoratum terminum viginti dierùm non poſſit ſuper iſta privata cauſa ſufficienter deliberare, neque alia neceſſaria ad reſpondendum tam citò explicare, aut hujuſmodi; prout præſumitur *ex cap. ult. h. t. & c. cùm ſit Romana 5. de Appellat. & cit. c. Dilectus 11. de Procurat.* ubi Gloſſa *verſ. Cedere*, inde concludit, quod hujuſmodi induciæ deliberatoriæ, etiam arbitrariæ ſint: quia per Jura allegata debent moderari ſecundùm locorum diſtantiam, & perſonarum ac negotii qualitatem, licet dicantur viginti dierum induciæ. Conſentit Abbas *in cap. Præterea num. 13. h. t.* & Vallenſis *eod. §. 1. num.* 8. Barboſa *cap. 1. nu. 3. h. t.* & alii.

41 Reſp. III. Nihilominùs dilatio deliberatoria non conceditur Reo, quando per litteras citatorias, vel tranſmiſſum ſimul libellum Actoris, plene potuit inſtrui, atque deliberare ſuper eo, de quo quæritur. Ita habetur deciſum *in c. Præterea 2. h. t.* ac notat Abbas *ibid. in Summario* & Barboſa *n. 1.* cum aliis. Ratio eſt: quia ſuperfluæ dilationes ſunt denegandæ, *L. 1. C. de Dilation.* juncta Gloſſa *ibid. V. Flagitaverit* & ubique amputandæ, *L. 2. §. 1. C. de Temporib. appell.* Atqui nova dilatio deliberatoria ſuperflueret, ſi Reus per litteras citatorias, vel inſertum ipſi libellum Actoris, plene potuit inſtrui: quinimo tunc nova dilatio videretur peti duntaxat differendi judicii cauſa; ergo.

42 Et hac de cauſa rectè monet Gloſſa *in cit. c. Præterea*, *V. Plene potuit*, & Abbas *ibid. nu. 2. h. t.* cum aliis, cautelam & practicam optimam excludendi, tales dilationes deliberatorias eſſe, ſi litteris citatoriis addatur copia libelli ab Actore porrecti, vel aliquid aliud, ex quo certificetur Reus, ſuper quo conveniatur, & qua actione. Oportet tamen, quod terminus in citatione præfixus talis ſit, ut quis non ſolùm comparere in judicio, ſed etiam ſufficienter deliberare valeat, num cedere, vel contendere debeat, alioquin enim ceſſaret ratio *ex cit. c. Præterea h. t.* proxime allata; conſequenter concedendæ forent novæ induciæ ad deliberandum.

## §. III.

## De Dilationibus Probatoriis, Diffinitoriis, & Executoriis.

*S U M M A R I U M.*

43 *Dilatio probatoria, quid?*
44 *De Jure communi, quale tempus habeat pro termino.*
45 *Nihilominus ejuſmodi tempus cenſetur arbitrarium, & qualiter?*
46 *Quoad concedendas Dilationes probatorias eſt ſervanda qualitas inter Actorem, & Reum.*
47 *Dilationes probatoriæ in cauſis criminalibus Reo ter, Accuſatori bis conceduntur.*
48 *In cauſis verò civilibus regulariter ſunt peremptoriæ, nec niſi ſemel conceduntur.*
49 *Etiamſi non addatur ly,* peremptoriè.
50 *Solvitur inſtantia de citatione peremptoria.*
51 *Corollarium.*
52 *Etiam in cauſis civilibus conceduntur plures dilationes probatoriæ, ſi antea aderat juſtum impedimentum probandi.*
53 *Vel ſi novæ probationes ſuperveniant.*
54 *Et tunc poteſt concedi non ſolùm ſecunda, ſed etiam tertia, & quarta.*
55 *Ad quartam tamen requiritur ſolemnitas Legalis; & qualis?*
*Fallit hoc in Hærede, vel Succeſſore alterius, utpote cui indiſtincte nova dilatio danda eſt, Ibid.*
56 *Plures illæ dilationes probatoriæ conceduntur gradatim ex graviori cauſa.*
57 *Valet dilatio probatoria, quæ datur partibus præſentibus, & non contradicentibus.*
*Imò de partium conſenſu poteſt etiam omitti ſolemnitas Legalis ad quartam dilationem requiſita: Ibid.*
58 *Quoties Judex facit actum parti alicui præjudicialem, debet pars contradicere; alias ſibi præjudicat.*
59 *Dilationes diffinitoriæ, quæ?*
60 *Hæ non ſunt peremptoriæ, poteſque Judex ſententiam differre in ſequentem diem.*
61 *Dilationes executoriæ, quæ?*
62 *Et quantæ? Ac nu. ſeqq.*
63 *Hæ in actionibus perſonalibus regulariter ſunt quatuor menſium.*
64 *Poteſt tamen Judex hoc quadrimeſtre ex cauſa abbreviare, vel prorogare.*
65 *In actionibus realibus Dilationes executoriæ non habent locum.*
66 *Limitatur hoc.*
67 *Non habent locum in actionibus criminalibus.*
68 69 & 70 *Fallit hoc in certis caſibus.*

Quæritur I. Quid ſit, & qualis concedenda Dilatio 43
probatoria? Reſp. I. *Dilatio probatoria* eſt, quæ datur volenti probare de jure ſuo, Speculator *tit. de Dilationibus §. 1. n.* 23. Sive, *Dilatio probatoria* dicitur ea, quæ poſt litem conteſtatam, præſtitumque juramentum calumniæ, Actori ad ſuam intentionem, & Reo ad exceptionem probandam conceditur. Vallenſis *h. t. §. 1. nu.* 10 Engel *nu* 4. & alii.

Reſp. II. Dilationes probatoriæ ſunt dandæ, & mode- 44
randæ ſecundùm locorum diſtantiam, & qualitatem perſonarum: & de Jure communi regulariter pro termino habent tres menſes, ſi ex eadem Provincia, ubi lis agitatur, teſtes vel inſtrumenta poſcuntur; aut, ſi ex aliena Provincia probationes adducendæ ſunt, ſex menſes; vel ſi ejuſmodi Provincia ſit remota, novem menſes, & non ultra. Textus eſt *in L. 1. C. de Dilation.*

Hoc tamen non obſtante ejuſmodi tempora rectè cen- 45
ſentur arbitraria, & Judicis arbitrio relinquuntur. Gailus *lib. 1. Pract. Obſerv. 91. n.* 15. Pirhing *h. t. n.* 19. Generatim enim induciæ, ac dilationes à Jure ſtatutæ, ſunt arbitrariæ: non quod Judex eas penitus poſſit denegare, aut pro libitu augere, vel minuere (alioquin enim pars inde gravata licite appellabit, *arg. cap. 1. h. t.*) ſed quia conſideratis locorum diſtantiis, perſonarum ac negotiorum qualitatibus, cæteriſque circumſtantiis, longiorem vel breviorem nonnunquam dilationem depoſcentibus, poteſt eas prout expedire judicaverit moderari, vel prolongare; uti deſumitur *ex c. Perſonas 4. & cap. Oblatæ 57. de Appellat. & can. De induciis 3. qu. 3. & can. Si ægrotans 5. qu. 3.* cum concordantiis. Speculator *tit. de Citatione §. Nunc de temporum n.* 4. Maranta *part. 6. Speculi Aurei §. de Dilation. n.* 15. Bartolus *in cit. L. 1. C. h. t.* juncto textu *ibid.* & alii; atque concordant dicta ſuperius *num.* 32.

Solùm adde, quod quantum ad concedendas dilationes 46
probatorias inter Actorem, & Reum, ſervanda ſit æqualitas; ac proinde quantum temporis Actori conceſſum fuit, tantum etiam Reo, ſi petat, concedendum ſit. Quia *non debet Actori licere, quod Reo non permittitur*, ut habetur *in l. Non debet actori ff. de Reg. Juris*. Nam favorabiliores ſunt partes Rei, quam Actoris, *l. Favorabiliores ff. eod.* cum ſimilibus.

Quæritur II. Utrùm Dilationes probatoriæ ſæpius ſint 47
concedendæ? Reſp. I. Loquendo de cauſis capitalibus, ſeu criminalibus, poſſunt Reo dari tres dilationes; Accuſatori verò duæ, ſed utrinque cauſa cognita. Textus eſt *in L. ult. ff. de Feriis*. Ubi Gloſſa magna *in fin.* Bartolus *§. Ultimo quærit*: & Jaſon *n.* 32. notant, quod in criminalibus magis faveatur Reo accuſato, quam Actori accuſanti; atque ideò illi cauſa cognita tres concedantur dilationes, huic autem tantùm duæ. Nec obſtat, quod

*in cit. L. ult. de Feriis*, videatur eſſe mentio de ſolis cauſis capitalibus: nam idem procedere in quibuſcunque cauſis criminalibus, ſecundùm communem, & à conſuetudine approbatam opinionem, rectè notat Proſp. Farinacius *lib. 1. Criminal. tit. 5. quæſt. 39. numer. 5.* & Julius Clarus *in Practica Criminali §. fin. quæſt. 48. num. 2.*

48 Reſp. II. Nihilominùs in cauſis pecuniariis, aliiſque civilibus, dilatio probatoria regulariter eſt peremptoria, ita ut pro ſingulis cauſis non niſi ſemel concedi poſſit. Textus eſt *in cit. L. ult. ff. de Feriis*, *& l. Oratione ff. eod.* ac tradit Gloſſa *in c. Præterea V. Plene potuit h. t.* Abbas *in c. Licet nu. 4. de Probation.* Maranta *part. 6. Speculi Aurei tit. de Dilatione nu. 2.* Gailus *lib. 1. Pract. Obſerv. 91. nu. 1. & ſeqq.* & communis. Idque meritò fuit ſtatutum, ne alioquin ejuſmodi lites pecuniariæ, aliæque civiles, fiant propemodum immortales, cauſaque ſuper ipſis plus æquo protrahatur. Accedit, quod non de tanto præjudicio agatur in civilibus, ſicut in capitalibus ſeu criminalibus cauſis, unde non mirum, plures hic admitti dilationes probatorias: ſatius enim eſt, nocentem dimitti, quam innocentem condemnari, *l. Abſentem ff. de Pœnis.*

49 Et nota, quod dilatio probatoria in cauſis civilibus cenſeatur peremptoria (hoc eſt, ut non niſi unica regulariter concedi debeat) etiamſi in conceſſione ipſius non addatur ly, *peremptoria*. Siquidem ex Juris diſpoſitione jam ſubintelligitur, per textum notabilem *in L. 1. C. h. t.* cum concordantiis. Maranta *cit. nu. 2.* Pirhing. *h. t. n. 16.* & alii.

50 Nec obſtat, quod citatio non cenſeatur eſſe peremptoria, niſi addatur clauſula *peremptorie*. Reſp. enim, diſparitatem eſſe: quia de Jure communi requiritur trina citatio, niſi fiat una peremptoria; adeoque, ut citatus intelligat, nullam aliam citationem à ſe expectari poſſe, neceſſariò addi debet clauſula illa, *peremptorie*. Secùs eſt in dilatione probatoria, utpote quæ de Jure communi non niſi ſemel conceditur, ſaltem regulariter, ac niſi aliud poſtulet juſta aliqua cauſa.

51 Infertur proinde, quod ſi in cauſis civilibus poſt terminum primæ dilationis probatoriæ velit Judex novam hujuſmodi dilationem concedere, poſſit, ac debeat pars inde gravata contradicere: alioquin enim ſibi præjudicaret, juxta dicenda *n. 58.* Et ſi poſt lapſum dicti termini Actor, vel Reus, conetur facere novas poſitiones, illis non tenetur pars altera reſpondere, *arg. cap. 2. de Confeſſis in 6.* ibi: *Abſque rationabili cauſa*: & notat Jaſon *cit. l. In pecuniariis n. 13 ff. de Feriis*.

52 Additur notanter num. 48. *regulariter*. Nam imprimis fallit data Concluſio, ſi juſtum impedimentum à parte litigante allegetur, & probetur, ratione cujus intra terminum primæ dilationis non poterat ſuas probationes ſufficienter inſtruere. Quia tunc, ſi nova dilatio petatur, poterit eam Judex concedere, cauſa tamen prius cognita, ſaltem ſummariter, an ejuſmodi impedimentum ſit legitimum, per textum *in cit. l. Oratione ff. de Feriis*, ibi: *Sed utilitatis litigantium gratia, cauſa cognita, iterum dilationem ex eadem, quam ex alia Provincia, ſecundùm moderamen locorum impertiri ſolet; & maxime, ſi aliquid inopinatum emergat.* Hæc ibi.

53 Deinde fallit eadem Concluſio, quando poſt elapſum terminum primæ dilationis probatoriæ ſuperveniunt litiganti novæ probationes; ipſeque jurejurando fidem faciat, quod poſtea primùm ad earum notitiam pervenerit: tunc enim ad eas producendas poteſt dari nova dilatio, *c. Paſtoralis 4. de Exception.* Maranta *loc. cit. num. 6.* Pirhing *h. t. n. 17.* & alii. Et meritò: nam ea *quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio*, ut dicitur *l. De ætate §. Ex cauſa ff. de Interrog. action.* ac notat Gloſſa *c. Sciſcitatus verſ. Infamem de Reſcriptis* & Jaſon *l. In pecuniariis numer. 47. ff. de Feriis*.

54 Et quidem in allatis caſibus non ſolùm ſecunda dilatio, ſed etiam tertia, imò & quarta (ſervata tamen ſolemnitate Legali) à Judice concedi poteſt, nunquam verò quinta, *Auth. At qui ſemel C. de Probation. & c. In cauſis 15. & c. Ultra tertiam 55 de Teſtib.* Ita tamen, ut in conceſſione ſecundæ, & tertiæ dilationis, Judex antea cognoſcere debeat de rationabilitate cauſæ: alioquin enim ſecunda, ac tertia dilatio, ipſo jure foret nulla, & per conſequens etiam totus proceſſus nullus; prout deſumitur ex *c. Paſtoralis 4. de Exception.* ibi: *Nullatenus admittatur*: & amplius ex *l. In pecuniariis*, ubi Bartolus *§. Sed quæro, quid ſi* & Jaſon *nu. 23. & 25. ff. de Feriis, & dilation.* Gailus *lib. 1. Pract. Obſervat. 91. nu. 4.* citans alios. Quod intellige, niſi forſan pars adverſa conſentiat, juxta dicenda *nu. 57. & 58.*

Porrò, ut quarta dilatio concedatur, requiritur inſuper ſolemnitas Legalis, nempe, quod eam petens juramento priùs præſtito conteſtetur, ſe non malitioſe in ſuis probationibus cunctatum, neque doloſe quartam dilationem expoſcere, *cit. cap. Ultra tertium, de Teſtib.* juncta *Auth. de Teſtibus §. Quia verò Collat. 7.* Veruntamen dictum iſtud, quod quarta dilatio non concedatur, niſi allegentur cauſæ relevantes, eamque petens juret, ut ſupra, fallit in Hærede illius, contra quem cœptum eſt judicium: nam huic ulterior dilatio abſque onere dictæ ſolemnitatis legalis conceditur, ſicut etiam Succeſſori, licet ejus Prædeceſſor jam obtinuiſſet quartam dilationem, ſiquidem indiſtinctè Hæredi, vel alteri Succeſſori, cauſa tamen cognita, nova dilatio danda eſt, *l. Oratione* juncta Gloſſa *fin. & DD. ibidem ff. de Feriis*. Speculator *tit. de Teſte §. Qualiter autem nu. 9.* poſt Vincentium *c. Significaverunt de Teſtibus*. Herculeus Mareſcottus *lib. 1. Variar. Reſolut. cap. 91. nu. 14.* Myſinger *Singul. Obſerv. Cent. 1. obſerv. 71.* 55

Et hactenus dictis adde illud, quod notat Gloſſa *in L. ult ff. de Feriis*, ac Speculator *h. t. §. Videndum n. 19* videlicet, quod prima dilatio probatoria detur cum ſeſi cauſæ cognitione ſecundùm moderamen locorum, niſi evidens appareat calumnia. Secunda tunc demum detur, ſi quis probet, ſe juſta cauſa impeditum fuiſſe in prima. Tertia verò, & quarta dilatio, ſolùm ex graviſſima cauſa concedatur; nec quarta ſine ſolemnitate Legali, ut proxime dictum. Ac per hoc poſſunt concordari jura juribus, quæ cæteroquin apparerent contraria. 56

Tandem, ut nonnulli alii caſus taceantur, fallit data *n. 48.* Concluſio, & regula, quando ſecunda, vel ulterior dilatio probatoria datur partibus expreſſe conſentientibus, vel ſaltem præſentibus, & non contradicentibus. Quia hoc ipſo partes tacite conſentire cenſentur; ſicque valida erit dilatio, nec partes poſtea proceſſum ſecutum ulteriùs impugnare valent *arg. cap. ult. de Accuſat. in 6.* Gailus *lib. 1. Practic. Obſervat. 91. n. 6.* poſt Abbatem *c. In cauſis circa finem de Teſtib. & alios*; ac Jaſon *l. In pecuniariis n. 15. ff. de Feriis*, citans alios. Atque iſtud ampliatur ad ſolemnitatem Legalem, quæ requiritur in quarta dilatione concedenda: nam etiam hæc de partium conſenſu omitti poteſt; quemadmodum in ſimili juramentum teſtium remitti poteſt, *c. Tuis quæſtionibus* juncta Gloſſa *verſ. Remittatur, de Teſtib.* cum ſimilibus. Unde, ſi parte non contradicente detur quarta dilatio abſque memorata ſolemnitate Legali, valent atteſtationes teſtium tunc receptæ; eo quod non fuerit contradictum, neque appellatum, ſicque pars altera tacite conſenſerit. Abbas *cit. c. In cauſis n. 3. & 4.* & Felinus *ibid. n. 4. de Teſtib.* poſt Innocentium *ibidem* & Bartolum *in L. fin. ff. de Feriis*, & communiter alios. 57

Accedit ratio. Quia, quoties Judex facit actum, qui poteſt eſſe præjudicialis parti, debet pars expreſſe contradicere; alias ſibi præjudicat, *arg. L. 1. C. de Relationibus* & notat Bartolus *ibid. V. Ultimò nota*: & poſt ipſum Maranta *cit. par. 6. §. de Dilationib. n. 12.* inde pariter concedens, quod dilatio, quæ dari non deberet, & datur abſque parte præſente, nec contradicente, valeat; & idem facit textus *in cit. cap. ult. de Accuſation. in 6.* hinc inolevit ſtylus in Curiis, quod ſcribatur in Actis, aliquid eſſe factum *hoc præſente, parte contradicente, & proteſtante*, vel non. 58

Quæritur III. Quæ ſint Dilationes diffinitoriæ? Reſp. *Dilationes Diffinitoriæ* ſunt, quæ dantur ad cauſam determinandam: ut ſi Judex citavit partes pro tali die ad audiendam ſententiam diffinitivam; prout habetur caſus *in c. Conſuluit. 24. de Offic. Delegat.* 59

Porrò hæ dilationes ſuapte natura non ſunt peremptoriæ, poteſtque ſecunda & tertia addi, niſi præfigantur cum termino peremptorio: imò etiam hoc præfixo, ſi alterutra pars die ſtatuto non comparuerit, poteſt Judex ſententiam diffinitivam differre in ſequentem diem, dummodò, ſi eſt Delegatus, ſua juriſdictio necdum expiret. Textus eſt *in cit. c. Conſuluit. §. Nos autem*. Ubi tamen rectè ſubjungitur, quod Judex diſcretus in aſſignatione talis termini peremptorii, non debeat juriſdictionem ſuam (niſi neceſſitas exigat) adeò coarctare.



61 Quæritur IV. Quæ, & quantæ ſint Dilationes executoriæ? Reſp. I. *Dilationes executoriæ* ſunt, quæ dantur Reo per ſententiam condemnato ad ſatisfaciendum. Hoſtienſis *in Summa h. t. n. 1.* & communis.

62 Reſp. II. Quantæ hæ ſint dilationes, ſeu ad dignoſcendam, pro quanto tempore Dilationes executoriæ ſeſe extendant, oportet diſtinguere inter actiones perſonales, reales, & criminales. Ita Speculator *tit. de Dilationibus §. 1. num. 24.* Hoſtienſis *cit. numer. 1.* & alii.

63 Et quidem in actionibus perſonalibus dilationes executoriæ regulariter ſunt quatuor menſium, qui de jure conceduntur Reo condemnato ad ſolvendum; uti liquet *ex can. Quærenti 26.* juncta Gloſſa *verſ. Quadrimeſtre de Offic. Delegat. & l. Eos qui & l. Sancimus C. de Uſuris rei jud.* Concordat textus notabilis *in l. Quod dicimus ff. de Solut.* ubi dicitur Ly quempiam *debere ſtatim ſolvere, cum aliquo temperamento temporis intelligendum eſt: nec enim cum ſacco adire debet*.

64 Cæterùm hoc ipſum tempus quadrimeſtre poteſt Judex ex cauſa rationabili abbreviare, vel prorogare, *c. Quod ad conſultationem §. Sed nec 15. de Sentent. & re judic.* juncta *L. 2. ff. de Re judic.* Quod ſi verò Judex ejuſmodi tempus Judicati, quod eſt quadrimeſtre, ſine cauſæ cognitione abbreviet, ſuppletur illud ex Lege uſque ad legitimum tempus: ſi verò detur majus, computatur Reo tam tempus legitimum, quam quod eſt ſupra legitimum, text. *clar. l. Si ſe non obtulit. §. Si quis ff. de Re judicat.* Ratio diſparitatis eſt: quia ex una parte beneficium juris ſine cauſa nulli eſt auferendum, juxta *reg. 17. Juris in 6* quæ ſic ſonat: *Indultum à Jure beneficium non eſt alicui auferendum*. Ex altera verò parte proniores debemus eſſe in liberando quam obligando, *l. Arianus ff. de Action. & obligat.*

65 Econtrà in actionibus realibus ejuſmodi Dilationes executoriæ non habent locum. In his ſiquidem ſtatim, ac Reus condemnatus dixerit, ſe velle parere ſententiæ (alias poſt decem dies, ſi non fuit appellatum) debet ſententia executioni mandari, ne videlicet res aliena diutius detineatur invito domino. Gloſſa *in c. quærenti verſ. quadrimeſtre de Offic. Delegat.*

66 Intellige, niſi Reus poſſeſſor illius rei neget, ſeſe rem illicò reſtituere poſſe, atque ob id datis fidejuſſoribus petat aliud tempus reſtituendi gratia. Tunc enim aliqua dilatio eidem à Judice concedenda eſt, *§. Et ſi in rem Inſtit. de Offic. judicat.* ac notat Gloſſa marginalis *in cit. c. quærenti*.

67 Inſuper in actionibus criminalibus Dilationes executoriæ non habent locum: ſed poſt latam ſententiam regulariter ſtatim fit executio, *can. Sicut ſine judicio 2. q. 1. & l. Si qua pœna ff. de Verb. ſignif. & l. Cum reis. Cod. de Pœnis*.

68 Dicitur *regulariter*. Nam fallit hoc ipſum in nonnullis caſibus, quos refert Hoſtienſis *in Summa tit. de Officio Judicis delegati num. 9. §. quæ juriſdictio verſ. quamvis*. Primus eſt, cùm Princeps forſan iratus jubet aliquem ſeverius puniri ultra modum ſolitum, ac regularem: tunc enim Judex debet executionem differre uſque ad triginta dies, ut videat, an Princeps interim pœnam relaxet, *l. Si vindicari C. de Pœnis & can. cùm apud Theſſalonicam 11. qu. 3.*

69 Alter caſus eſt; cùm mulier prægnans damnatur ad mortem; nam ejus pœna differenda eſt, donec pariat. *l. Prægnantis, ff. de Pœnis*. Tertius eſt, quando ſervus capitaliter damnatur: nam executio talis pœnæ differtur, donec anteà domino, velocius tamen advenienti, per ſervum illum reddatur ratio adminiſtrationis rerum ſuarum, *L. 1. C. de Bonis proſcriptor.* Quartus eſt, cùm relegando aſſignanda primùm eſt Inſula, *can. Biduum §. Si quem 2. q. 6.*

70 Gloſſa finalis *in d. can. Cùm apud Theſſalonicam 11. qu. 3.* addit quintum caſum, in quo differtur executio ſententiæ in criminalibus, videlicet quando quis confeſſus eſt de crimine capitali: debet enim expectari, donec appareat, an velit in confeſſione perſeverare, *L. 2. C. de Cuſtodia reor.* Idque meritò: quia in capitalibus non ſtatur confeſſioni, donec conſtet de corpore delicti, & confitens perſeveret in ea: poſſet enim confeſſio criminis potius ex tædio vitæ, vel deſperatione, facta fuiſſe, quam ex conſcientia criminis, *L. 1. §. Divus & §. Si quis ultrò ff. de quæſtionib.* Atque omnes prædicti caſus, & tempora præmiſſarum Dilationum, apte ſequentibus verſiculis ab eadem Gloſſa relatis, comprehenduntur.

*In perſonali poſt menſes quatuor: in re*
*Protinus eſt omnis ſententia perficienda.*
*Sic in criminibus, ſed caſus excipe quinque:*
*Confeſſus, prægnans, iratus, & inſula, ſervus.*



## §. IV.

## De Prorogatione Dilationum, harumque effectibus.

*S U M M A R I U M.*

71 *Prorogatio dilationis, quid?*
72 *Non ſit finito termino prioris dilationis.*
73 *Nequit prorogari prima dilatio probatoria.*
74 *Bene tamen quarta ex cauſa legitima.*
75 *Sicut & aliæ à Judice datæ.*
76 *Judex poſt elapſum prioris dilationis terminum, an poſſit invita parte alium concedere?*
77 *Dilationis effectus primarius eſt, quod ea pendente conquieſcat officium Judicis.*
78 *Limitatur hoc.*
79 *Alius dilationis effectus.*
80 *Tempora dilationum ſunt continua.*
81 *Dilatio abſenti conceſſa non currit, niſi à die intimationis.*

Quæritur I. Quid ſit Prorogatio dilationis; & qualis prorogari valeat? Reſp. I. *Prorogatio dilationis* aliud non eſt, quam extenſio dilationis labentis, ſed nondum elapſæ. Et talis dilatio ſic extenſa, ſeu prorogata, cenſetur eſſe eadem cum prima, *arg. l. Sed & ſi manente ff. de Precario*, ac notat Marta *par. 4. Speculi Aurei diſtinct. 12. nu. 2.* citans alios. 71

Additur notanter in data definitione, *ſed nondum elapſæ*. Quia, ſi finito termino prioris dilationis alia detur, jam non fit prorogatio prioris, ſed novæ dilationis conceſſio: ſiquidem, quod amplius non exiſtit, prorogari nequit. Gailus *lib. 1. Pract. Obſerv. 91. nu. 20.* 72

Reſp. II. Prima dilatio probatoria prorogari non poteſt. Ita Vallenſis *h. t. §. 2. n. 1.* Pirhing *eod. nu. 22.* Gailus *cit. Obſervat. 91. nu. 2.* aſſerens, in Camera Imperiali neque ſecundam, neque tertiam prorogari; & alii. Ratio eſt: quia poſt primam talem dilationem ſupereſt ſecunda, & tertia; imò etiam quarta, ſi conſtet de juſto impedimento: atqui dilationes ſunt amputandæ, *L. 2. C. de Temporib. appellat.* ibi: *Ubique dilationum materias amputantes*. Alioquin enim, ſi prorogationes ſingularum dilationum concederentur, jam aliquis in effectu non tres, ſed ſex, aut plures dilationes habiturus eſſet: quod Juri communi, ipſique æquitati adverſatur. Accedit, quòd ad extraordinarium prorogationis remedium deveniri non debeat, quamdiu ſupereſt remedium ordinarium, *l. In cauſæ cognitione etiam hoc 17. ff. de Minorib.* 73

Veruntamen quarta dilatio probatoria, utpote poſt quam alia non ſuppetit, prorogari poteſt; ex cauſa tamen legitima, & ſervata ſolemnitate Legali, de qua *n. 55.* ne alioquin fraus fiat legi, quæ non in verbis, ſed rebus poſita eſſe debet. Gailus *loc. cit. n. 16. & ſeqq.* 74

Reſp. II. Aliæ dilationes à Judice dari ſolitæ, v. g. ad conteſtandam litem, vel ad reſpondendum libello Actoris, poſſunt ex cauſa prorogari, ſeu prolongari; & quidem facilius, quam ut nova dilatio detur, dummodo intra terminum earum prorogatio petatur. Ita Vallenſis *h. t. §. 2. nu. 3.* Gailus *cit. Obſerv. 91. n. 19.* aſſerens, hujuſmodi prorogationes ex cauſa quotidie fieri. Pirhing *h. t. num. 22.* citans alios. Et meritò: quia in prorogatione 75

dilationis cenſetur unica intervenire dilatio, ut dictum *numer. 71.* Ergo, ſicut hanc poteſt Judex à principio concedere, ita & ex cauſa prorogare; & quidem faciliùs, cùm prorogando nulla nova concedatur, ut dictum *numer. 71.*

76 Utrùm autem poſt elapſum prioris dilationis terminum poſſit Judex alium aſſignare, etiam altera parte invita, dubitari poſſet? Dicendum tamen cum Speculatore *tit. de Dilationibus §. Nunc videamus nu. 5* Maſcardo *de Probat. Concl. 1236. num. 1. & 11. ac ſeqq.* & communiori aliorum, nonnullis tamen exceptis, poſſe id fieri per Judicem ex cauſa legitima, ſi res ſit adhuc integra, prout erat tempore aſſignati prioris termini, & jus adverſarii non ſit factum deterius. Atqui hoc probatur *ex cap. cùm ceſſante 60. de Appellat. & l. Quod juſſit ff. de Re judicat.* ubi Judex poteſt ſuam ſententiam interlocutoriam ex cauſa rationabili revocare. Concordat textus *in l. Mancipiorum ff. de Optione legat.* ubi Legatarius optionis termino ad eligendum ſibi præfixo, & jam elapſo, adhuc eligere poteſt, dummodò res ſit adhuc integra, & nullum exinde damnum hæres ſit ſubiturus. Concordant dicenda inferius *Tit. 14. De Dolo & contumacia §. 2. nu. 68. & ſeqq.*

77 Quæritur VII. Qui ſint effectus Dilationum? Reſp. I. Primarius ac principalis effectus dilationis eſt, quod ea pendente, ſeu durante, officium Judicis conquieſcat; nihilque ſit agendum, vel innovandum quoad articulum, aut capitulum illud, ſuper quo dilatio data fuit, donec conceſſa dilationis tempora defluxerint, *text. clar. l. Sive pars C. de Dilationib.* Adeò quidem, ut ſi quid innovatum fuerit, ipſo jure ſit nullum. Vallenſis *h. t. §. 4. num. 1.*

78 Cæterum ſuper alio articulo, ſuper quo non fuit petita dilatio, officium judicis non conquieſcit, ac proinde ſuper illo non prohibetur Judex procedere. Pirhing *h. t. n. 23.* Quin etiam, poſſe Judicem pendente dilatione ſeſe intromittere in favorem ejus, qui ipſam impetravit, notat Vallenſis *loc. cit. n. 1.* addens quod pari modo ſuſpectus de fuga pendente dilatione capi valeat.

Reſp. II. Altera dilationis effectus eſt, quod quando terminus ipſius advenerit, regulariter habeat vim ſententiæ interlocutoriæ, ac perimat actum, qui in aſſignato dilationis termino fieri debuit: adeò, ut pars poſtea primum comparens, amplius ſuper eadem re, niſi ex magna cauſa, audiri non debeat. Ita deſumitur *ex cap. 1. & ult. ff. de Feriis & l. Si oportet §. Conſequens ff. de Excuſat. tutor.* ubi elapſo termino quinquaginta dierum, qui datur Tutori ad ſe excuſandum, ipſe ampliùs non auditur: & ſi ſecùs fiat, non liberatur. Accedit ratio: quia ceſſante juſta cauſa, in civilibus non niſi unica conceditur dilatio probatoria, ut dictum ſupra *n. 48.* 79

His addendum, quod tempora dilationum omnium ſint continua; & proinde in ipſis computentur dierum feriati, tum non feriati, imò etiam Feriæ repentinæ, *l. Sive pars, C. h. t.* Quamvis propter Ferias repentinas, puta, ob res proſpere geſtas, vel in honorem Principis extraordinarie indictas, ſi quis læditur, reſtitutio tot dierum concedatur, quot interceſſerunt Feriæ repentinæ, *l. Sed & ſi §. Si feriæ ff. Ex quibus cauſis majores &c.* Et meritò: quia tales Ferias utpote repentinas, nemo prævidere poterat: bene tamen ſolemnes, de quibus proinde ratio haberi non debet, prout ibidem notatur. 80

Cæterùm, ſi dilatio conceſſa fuerit abſenti, hæc ipſi non currit, niſi à die intimationis: ſimulque dies illa, qua intimatur, non eſt computanda. Maranta *part. 6. Speculi Aurei tit. de Dilatione nu. 14.* citans Bartolum, & Alexandrum *in l. Labeo in fin. ff. de Jurejurand.* Pirhing *h. t. n. 28.* & alii. 81

# TITULUS IX.

## De Feriis.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*
2 *Feriæ, & Dilationes, in quo differant?*

1 Viſo de Dilationibus, in quibus conquieſcit officium judicis, *l. Sive pars C. de Dilation.* cùm hoc ipſum contingat in Feriis, meritò ſubjungitur præſens Rubrica: eoque magis, quia ipſæmet Feriæ ſunt quædam Dilationes, ſaltem largo modo; ut inquit Gloſſa *ad Rubricam h. t.*

2 Dicitur, *ſaltem largo modo.* Nam negari non poteſt, quin ſit aliqua differentia inter Dilationes, & Ferias. Dilationes ſiquidem dantur ad utilitatem partium litigantium, & quidem plerumque ad inſtantiam ipſarum, ut ſeſe meliùs inſtruere, aut jus ſuum explicare valeant: econtra Feriæ vel ob honorem Dei vel ob bonum publicum principaliter inſtituuntur. Accedit, quod Dilationes communiter, juxta exigentiam cauſarum, concedantur Judicis arbitrio: at Feriæ ſunt ſtabiles, & determinatæ. Et hinc Abbas *ad Rubric. h. t.* non immeritò negat, Ferias eſſe proprie dilationes juris: hæ enim dantur ad aliquid explicandum; Feriæ autem, ut homines quieſcant, prout magis in progreſſu dicetur.

### §. I.

### De diviſione Feriarum, ubi plura de Feriis Sacris.

S U M M A R I U M.

3 *Feriæ, quid, & unde ſic dicantur?*
4 *Alia earum acceptio refertur?*
5 *Feriarum tres ſunt ſpecies; videlicet*
6 *Feriæ ſacræ, ſive ſolemnes,*
7 *Feriæ ruſticæ, ſeu neceſſariæ.*
8 *Harumque indictio.*
9 *Et quibus proſint?*
10 *Ac Feriæ repentinæ; & quid?*
11 *Præceptum de Feriis ſacris, ſeu diebus feſtis obſervandis, datur.*
12 *Extat poteſtas in Eccleſia inſtituendi Feſta de præcepto.*
13 *Has nequeunt indicere Reges, aliique Principes ſæculares.*
14 *Quamvis poſſ[illegible] ſtatuere pœnam violantibus dies Feſtos ab Eccl[illegible] indictos.*
15 *Epiſcopi poſſunt in ſuis Diœceſibus inſtituere Feſta de præcepto, etiam ab exemptis obſervanda. Et num. 12.*
16 *Præceptum de celebratione Feſtorum partim eſt affirmativum, partim negativum.*
17 *Dies Feſti quando incipere debeant? Et n. ſeqq.*
18 *More Romano dies à media nocte incipit.*
19 *Dies naturalis, & artificialis, quando incipiat? Et præc.*
20 *Mercatus in Feriis ſacris eſt prohibitus.*
21 *Nomine prohibiti Mercatus, quid intelligatur?*
22 *Alicubi diebus Feſtis de conſuetudine celebrantur Nundinæ.*
23 *Conſuetudines tamen hujuſmodi ſunt moderandæ.*
24 *De obligatione audiendi diebus Feſtis Miſſam, & abſtinendi ab operibus ſervilibus. Remiſſive.*

Quæritur I. Quid, & quot ſint ſpecies Feriarum? Reſp. I. *Feriæ*, quantum attinet ad propoſitum dicuntur dies illi, quibus vacatur, ſive ceſſatur ab actibus judicialibus, ut *l. Pridie & l. Si feriatis ff. de Feriis & l. Omnes C. eod.* addendo juxta Sacros Canones, & quantum ad Ferias ſacras, abſtinentiam ab operibus ſervilibus, & mercatu. Et dicuntur *Feriæ*, à feriendo: quia antiquitus diebus feriatis mactabantur, ſive feriebantur Hoſtiæ ſolemnes, vel potiùs à feriando, hoc eſt, ceſſando, quatenus illis diebus veteres ceſſabant, ſive abſtinebant à ſtrepitu judiciali. Qua de cauſa Feriæ etiam appellabântur *Juſtitium* eò quòd Jus, ſive Judicium, tunc ſtaret, nec progrederetur. Vallenſis *h. t. n. 2.* 3

4 Additur autem, *Feriæ quantum ad propoſitum.* Siquidem Eccleſia in alio adhuc ſenſu accipit Ferias, videlicet pro quolibet die Hebdomadæ: in qua acceptione Dies Dominicus dicitur Feria prima, Dies Lunæ Feria ſecunda, & ſic deinceps. Unde S. Sylveſter Papa (ut legitur in Breviario Romano die 31. Decembris) *Sabbati & Dominici diei retento nomine, reliquos Hebdomadæ dies Feriarum nomine diſtinctos, ut jam ante in Eccleſia vocari cœperant appellari voluit: quo ſignificaretur, quotidie Clericos, abjecta cæterarum rerum cura, uni Deo prorſus vacare debere.* Verùm loquendo de Feriis in priori acceptione

5 Reſp. II. Feriarum tres ſunt ſpecies, videlicet Feriæ ſacræ, ruſticæ, & repentinæ. Ita Speculator *h. t. §. 1. nu. 1.* Abbas *in c. Conqueſtus n. 8.* & Fagnanus *ibid. nu. 35. h. t.* & probatur inductione. Siquidem

6 *Feriæ ſacræ, ſive ſolemnes* dicuntur eæ, quæ ob reverentiam, & cultum Dei principaliter ſunt inſtitutæ, ut Dies Dominicus, Natale Domini, S. Stephani, & aliorum Sanctorum, de quibus fit mentio *in cap. 1. & ult. h. t.* ac præſertim in Bulla Urbani VIII. quæ incipit, *Univerſa* (& habetur *Tom. 4. Bullarii Romani*, *Conſt. 164.* dicti Pontificis) in qua ſingillatim referuntur, atque ſpecificantur omnes Feriæ ſacræ, ſeu Feſta de præcepto totius Eccleſiæ.

7 *Feriæ ruſticæ* (quæ etiam *neceſſariæ* vocantur) illæ ſunt, quæ ob neceſſitates hominum, præſertim ruri laborantium, inſtituuntur: uti ſunt Feriæ meſſium, atque vindemiarum; de quibus fit mentio *in cap. ult. §. fin. h. t. & L. 1. ff. eod.* Item Feriæ æſtivis caloribus mitigandis deſtinatæ, *c. Omnes dies C. h. t.* Et hæ alio nomine appellantur *neceſſariæ*, utpote communibus neceſſitatibus hominum ſublevandis deſtinatæ.

8 Porrò tempus ruſticarum Feriarum non eſt determinatum à Lege, vel Canone; cùm alicubi citiùs, alibi tardiùs fiat collectio fructuum, utpote qui citiùs maturescunt, & colliguntur in locis calidis, quam frigidis. Proinde harum Feriarum indictio, ſive determinatio temporis ipſarum, relinquitur Judicibus: ita tamen, ut eas indicant bis in anno: ſecundum qualitatem & conſuetudinem cujuslibet loci, *l. Præſides C. h. t.*

9 Infertur proinde, quod extra tale tempus, quamvis non nemo fructus actualiter colligat, ipſi non ſuffragentur Feriæ ruſticæ, quo minùs in jus vocari poſſit: quia neceſſe eſt, ut Feriæ hæ à Judice indicantur. Poſtquam verò eæ ſemel indictæ ſunt, proſunt non ſolùm ruſticis, aut ruri laborantibus, ſed etiam militibus, Clericis, & aliis etiam ruri neutiquam laborantibus, qui proin in jus vocati poterunt allegare exceptionem Feriarum. Et meritò: quia licet tales perſonaliter in meſſibus, atque vindemiis non occupentur, ſicque reſpectu horum videatur ceſſare ratio Legis, ſeu quæ *in L. 1. ff. h. t.* affertur, illis verbis: *Quia occupati circa rem ruſticam, in Forum venire compellendi non ſunt*: tamen hæc non fuit cauſa finalis circa ipſum vocatum, ſed impulſiva ſolùm. Accedit, quod ſaltem Advocatos, vel Teſtes, quandoque contingat tunc occupari circa rem ruſticam; & quia hi idcircò non poſſent tam facilè haberi, ſubintrat dicta ratio Legis. Gloſſa *in cit. L. 1. verſ. Occupati, ff. h. t.* Alexander *Conſ. 2. n. 6. lib. 2.* Fagnanus *cit. c. Conqueſtus nu. 36. h. t.*

10 *Feriæ repentinæ* tandem dicuntur, quæ non ex certa & ſtabili Lege conſtituuntur, ſed extra conſuetum ordinem repente, ac ſubito indicuntur: prout fieri ſolet ob coronationem Principis, aut ejus adventum, vel ob inſignem victoriam ab hoſtibus reportatam, *l. Sed & ſi §. Si feriæ, ff. Ex quibus cauſis majores &c.* Item propter hoſtilitatem, vel graſſantem publicam luem, aut ſimilem cauſam extraordinariam. Et tales Ferias repentinas (ideò ſic dictas, quia ſunt incertæ, & repente indicuntur) ſolus Princeps, non autem Judex authoritate propria indicere poteſt, *l. A nullo, C. h. t.*

Quæritur II. Quid ſit cenſendum de Feriis ſacris, quæque earum obligatio? Reſp. I. Inter quinque generalia Eccleſiæ Præcepta, & cuivis Chriſtiano ſcitu, atque obſervatu neceſſaria, primum eſt de Feriis ſacris, ſeu diebus Feſtis obſervandis; & communiter ſequentibus verbis proponitur: *Statutos Eccleſiæ dies Feſtos celebrato.* Atque de hoc frequenter fit mentio in Jure Canonico: ut *can. Nullus, & ſeqq. 15. q. 4. & can. 1. & ſeqq. de Conſecr. diſt. 3.* nec non toto præſenti *Tit. de Feriis.* 11

Reſp. II. Eſſe poteſtatem in Eccleſia inſtituendi Feſta de præcepto, de fide eſt: atque patet ex perpetua traditione, & uſu Eccleſiæ, à temporibus Apoſtolorum nunc uſque continuato. Quinimò etiam Epiſcopi reſpectu ſuarum Diœceſium cum conſenſu Cleri, & ſaltem tacito Populi, poſſunt inſtituere quædam Feſta; prout habetur *in can. 1. de Conſecr. diſt. 3. & cap. ult. h. t.* cum ſimilibus. Defacto tamen circa obſervationem Feſtorum, horumque inſtitutionem, oportet attendere ad Conſtitutionem 164. Urbani VIII. quæ incipit, *Univerſa:* ac refertur *Tom. 4. Bullarii Romani.* 12

Cæterùm Reges, & Principes ſæculares, Civitates ac Populi, nullam habent poteſtatem indicendi diem Feſtum in honorem Dei & Sanctorum, niſi ex authoritate Papæ, vel Epiſcopi Diœceſani. Ratio eſt: quia actus præcipiendi ſeu indicendi hujuſmodi dies Feſtos, utpote cultui Divino principaliter conſecratos, proprie eſt ſpiritualis, & ad Religionem pertinens, *Clem. un. de Reliq. & vener. Sanctor.* Atqui Laicis nulla eſt attributa poteſtas de rebus ſpiritualibus ſtatuendi, quos obſequendi manet neceſſitas, non auctoritas imperandi, *cap. Eccleſia S. Mariæ de Conſtitut. & cap. ult. de rebus Eccleſ. non alienand.* Fagnanus *in cap. Conqueſtus nu. 59. & ſeqq. h. t.* fuſè hanc materiam examinans. Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 105. numer. 3.* & alii communiter. 13

Non tamen ad hoc negatur, quin Laici per ſtatutum à ſe conſtitutum poſſint pœnam infligere illis, qui violant dies Feſtos ab Eccleſia inſtitutos. Tum quia violatio Feſtorum eſt delictum mixti Fori; prout declaravit B. Pius V. in Conſtitutione, *cùm primum §. 7.* & habetur *Tom. 2. Bullarii Romani, Conſtit. 5.* dicti Pontificis. Tum quia Officium Catholicorum Principum eſt in adjutorium Eccleſiæ ſacrarum Conſtitutionum præcepta tueri, atque in earum violatores animadvertere, *can. Si in adjutorium, diſt. 10. & can. Boni Principis, diſt. 96.* juncto Concil. Trid *Seſſ. 25. cap. 20. de reform.* Quamvis igitur Princeps laicus in materia ſpirituali quid de novo abſque authoritate Eccleſiæ ſtatuere nequeat, [illegible] nis: poteſt nihilominus circa [illegible] ſtatuere [illegible] cando Jus commune, ſeu Leges Eccleſiaſticas [illegible] eas cum adjectione pœnæ. Gloſſa *in Clem. Ne Romani §. 1. verſ. Tolli de Elect.* Fagnanus *loc. cit. n. 73.* [illegible] *1. n. 13. de Sponſalib.* & alii. 14

Reſp. III. Dies Feſti ab Epiſcopis in ſua Diœceſi præcepti, ſervari debent ab omnibus, etiam exemptis, ac Regularibus. Ita expreſſe ſtatuitur in Concil. Trid. *Seſſ. 25. cap. 12. de Regularibus*, ibi: *Dies etiam Feſti, quos in Diœceſi ſua ſervandos idem Epiſcopus præceperit ab exemptis omnibus, etiam Regularibus ſerventur.* 15

Reſp. IV. Præceptum Eccleſiaſticum de celebratione Feſtorum, partim eſt affirmativum, partim negativum. Ita Scotus *in 3. diſt. 37. qu. un. ad quæſtionem.* Guliel. Herincx *part. 3. Summæ Theologiæ diſp. 3. de Feſtis, n. 8.* eſtque communis. Nam quatenus illud eſt affirmativum, præcipitur devota Miſſæ auditio omnibus diebus Feſtivis; quatenus vero eſt negativum præcipitur abſtinentia ab operibus ſervilibus, & nonnullis aliis, de quibus fit ſermo *cap. 1. h. t.* ubi Pontifex *omnes dies Dominicos* (idem dicendum de Feſtivis) *à veſpera in veſperam cum omni veneratione decernit obſervari, & ab omni illicito opere abſtinere: ut in eis mercatum minime fiat, neque placitum, neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam judicetur, nec ſacramenta (niſi pro pace, vel alia neceſſitate) præſtentur.* Hæc ibi: etſi poſtmodum in *cap. ult. eod.* rectè hoc limitetur, *niſi neceſſitas urgeat, vel pietas ſuadeat.* 16

Reſp. V. Quamvis *in cit. cap. 1. h. t.* indicatur quod dies Feſti 17

Feſti incipere debeant à veſperis præcedentis diei, & durare uſque ad veſperas diei ſequentis; idque in Officio Divino, ſeu recitatione Horarum Canonicarum, etiamnum obſervetur; tamen, quantum attinet ad abſtinentiam ab operibus ſervilibus, aliiſque ſupra enumeratis, rationabili & antiquæ locorum conſuetudini ſtandum eſt. Ita expreſſe habetur *in c. quoniam eod.* Idem patet ex *cap. ult. de Conſuetud.* ubi generaliter dicitur, quod conſuetudo rationabilis, & legitime præſcripta, deroget Juri poſitivo humano.

18 Hinc ex uſu Romanæ Eccleſiæ, qui per totam ferme Europam invaluit, ſolent incipere Feſta à media nocte, & terminari in ſequenti media nocte, quantum attinet ad ceſſationem operum ſervilium. Et hæc quidem conſuetudo ortum videtur traxiſſe ex more Romano, in cæteris negotiis obſervari ſolito; nam, ut *in l. More Romano* [illegible] *More Romano dies à media nocte* [illegible] *noctis media parte finitur: ita quidquid in* [illegible] *quatuor horis, id eſt, duabus dimidiatis noctibus,* [illegible] *media actum eſt, perinde eſt, quaſi quālibet hora lucis actum eſſet.* Hæc ibi; Concordat *c. Conſuluit. 24. de Offic. Deleg.*

19 Quod ſi verò alicubi alia ſit conſuetudo, ea pariter rectè obſervatur, *cit. cap. ult. de Conſuetud.* cum concordantiis. Nam, ut notat Gloſſa 1. *in cit. l. More Romano*, diem naturalem (qui eſt vigintiquatuor horarum, ac etiam noctem comprehendit) inceperunt Athenienſes ab occaſu, Babylonii ab ortu, & Arabes à meridie. Artificialis autem dies, ſeu quatenus à nocte ſecernitur, incipit ab ortu ſolis uſque ad occaſum, ſive à mane uſque ad veſperam; juxta illud Geneſi cap. 1. *Et factum eſt veſpere & mane dies unus.* Concordat Hymnus Eccleſiaſticus, illis verbis: *Qui mane junctum veſperi, Diem vocari præcipis*: intelligendo hoc de die artificiali; nam de nocte illicò ſubjungitur: *Illabitur tetrum chaos.* Gloſſa *loc. cit.* Fagnanus *in cap. 1. n. 4. de Tregua.* Layman [illegible] *Theol. Moral. tract. 1. cap. 3. nu. 1.* & alii.

20 Quæritur III. An, & qualiter in Feriis ſacris prohibeatur Mercatus? Reſp. I. Certum eſt, quod diebus Do[illegible] Feſtiviſque, prohibitum ſit exercere Merca[illegible] *in cap. 1. h. t.* ſupra [illegible] jam relatus. [illegible] ab [illegible], ut hac ratione [illegible] à rebus ac deſi[illegible] ligantur que ad intelligen[illegible] debitaſque Deo grates pro re[illegible] innumeris beneficiis perſolvendas. Mercatio quip[illegible] ab his abſtrahit, eſtque perículoſa, & indu[illegible] ad mendacia, fraudes, aliaque peccata, *can. Eji*[illegible] *& can. Quoniam diſt. 88.* Unde etiam Dominus [illegible], & ementes è Templo ejecit, & menſas num[illegible], & cathedras vendentium columbas ever[illegible] dicens: *Scriptum eſt: Domus mea, domus* [illegible] *vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum* [illegible] uit, ut Dominicis, Feſtiviſque [illegible] utpote cultui Divino ſpecialiter deputatis, pro[illegible] Mercatus.

21 [illegible] ſub nomine prohibiti Mercatus [illegible] Nundinæ; item contractus emptionum [illegible] locationum & conductionum, aliique hujuſ[illegible] longiore tempore indigeant, aut pu[illegible] ſolemnitate fiant. Navarrus *cap. 13.* [illegible] Vallenſis [illegible] *nu. 12.* Pirhing *eod. num. 17.* & [illegible] Decretum Sac. Congregationis *circa Pe*[illegible] Quarantam [illegible] *Summa Bul*[illegible] poſt [illegible] *de Offic.* [illegible] ac inter alia ſic loquitur: [illegible] prætextu Mercatuum [illegible] nullatenus eſſe violanda [illegible] & [illegible] nundinarum [illegible], Miſſa tamen prius [illegible] nas componere [illegible] incipientium [illegible] bus, & claus[illegible] neceſſaria, [illegible] ta confecta pro [illegible] externorum urgen[illegible] opportunitate &c.) *Hæc ibi*

22 Reſp. II. Pluribus nihilominus [illegible] conſuetudine receptum eſt, ut diebus Feſtivis nundinæ celebrentur, ob majorem populi commoditatem, ac præſertim ruſticorum & pauperum, qui abſque jactura mercedis diurnæ, qua maxime indigent, aliis diebus accedere nequeunt. Et quamquam Abbas *in cap. 1. nu. 5. h. t.* poſt Hoſtienſem aſſerat, talem conſuetudinem non excuſare à peccato, cùm ſit prava: oppoſitum tamen paſſim tenent cæteri Doctores. Siquidem obſervatio Feſtorum, ac proin etiam prohibitio mercatus in ipſis, eſt Juris duntaxat humani Eccleſiaſtici, uti late docet Suarez *lib. 2. de Religione cap. 1.* & ſequitur Vallenſis *h. t. n. 12.* Pirhing *n. 18.* eſtque communis. Atqui legi humanæ poteſt derogari per contrariam conſuetudinem, rationabilem tamen (ut eſt præſens, ob rationem ſuprà allegatam) ac legitime præſcriptam, *cap. ult. de Conſuetud.*

Rectè tamen monent Doctores, ut Zoeſius *h. t. n. 12.* & Layman *lib. 4. Theol. Moral. tr. 7. cap. 2. n. 6.* hujuſmodi conſuetudines eſſe cavendas, ne impoſterum introducantur, atque, ubi jam introductæ ſunt, neutiquam extendendas, ſed quantum fieri poteſt, moderandas: ſaltem in tantùm, ut ejuſmodi nundinæ, atque negotiationes non fiant ante peractum Officium Divinum. 23

Alia, quæ concernunt obligationem audiendi Miſſam, atque ab operibus ſervilibus in Feriis ſacris ſuſius declaravi *in Theologia Morali, Tract. 10. diſt. 1. per tot.* Ibi videatur. 24

## §. II.

## De Placito, ſeu Proceſſu judiciali, ejuſque prohibitione diebus Feriatis.

*S U M M A R I U M.*

25 *Placitum, quid ſit?*
26 *Eſt prohibitum diebus Feriatis, ac regulariter invalidus omnis actus contentioſæ juriſdictionis.*
27 *Idque probatur ex Jure.*
28 *Solvitur inſtantia.*
29 *Actus juriſdictionis voluntariæ poſſunt fieri diebus Feriatis.*
30 *Aliæ limitationes Concluſionis.*
31 *Feriis ſacris nequit renunciari de conſenſu partium.*
32 *Nec Feriis repentinis.*
33 *Nec obſtante, quod ſimul importent favorem partium.*
34 *Bene tamen Feriis ruſticis. Et nu. 31.*
35 *Sive dein partes expreſſe conſentiant, ſive tacite.*
36 *Omnibus Feriis poteſt exerceri judicium ratione neceſſitatis, aut pietatis. Et nu. ſeqq.*
37 38 39 & 40 *Exemp*[illegible] *caſus neceſſitatis.*
41 42 & 43 *Et caſu* [illegible]
44 *In cauſis ſummariis,* [illegible] *dis, poteſt procedi tempore Feriarum ruſticarum.*
45 *Idque* [illegible]
46 *Non* [illegible] *Feriis ſacris, & repenti*[illegible]

Q[illegible] Quid ſit Placitum, & qualiter [illegible] 25
Feriatis prohibeatur? Reſp. I. Nomine *Placiti*, [illegible] de quo ſit mentio *in cap. 1.* [illegible] aliqui intelligunt quamlibet cauſam Forenſem, ac ſtrepitum judicialem [illegible] *arg. cap. Placita* [illegible] ac proinde volunt [illegible] Feriatis *Placitum*, idem ſit, ac pro[illegible] Val[illegible] lenſis ſtrepitum. Nihilominus Abbas *in cit. c.* [illegible] mel[illegible] lenſis *eod. n. 13.* Pirhing *n. 19.* & plures alii [illegible] cent, quod nomine *Placiti* duntaxat intelligatur Judicium [illegible], ſed ſtrepitus Forenſis quoad cauſas civiles. R[illegible] hujus poſterioris ſententiæ eſt: quia *in cit. cap.* [illegible] de Judicio criminali ſit ſpecialis [illegible] dum ſubjungi[illegible] tur: *Neque aliquis ad mortem* [illegible] Hæc enim verba ſuperflue [illegible] ac proinde, cauſam [illegible] criminalem [illegible] ut differat à ſequentibus, *Placitum* intelligi debet [illegible] ſis civilibus tantum. Hic [illegible] intelligitur [illegible] *cap. ult. h. t.* [illegible] de [illegible] Archidiaco[illegible] ſe[illegible]



rebus ſæcularibus) ſicque ſub ipſis cauſæ criminales non comprehendantur, ſed hæ ſpeciali indigeant mentione; ut ſit *in cit. cap. 1. h. t.*

26 Reſp. II. Placitum, ſicut & Proceſſus criminalis, diebus Feriatis eſt prohibitus: ita quidem, ut omnibus Feriis tam ſacris, quam profanis, iſtud ſit commune, quod earum tempore extra caſus in Jure permiſſos (de quibus in progreſſu) nullus in jus vocari poſſit, & vocatus venire non teneatur; neque ullus actus contentioſæ juriſdictionis in eiſdem exerceri valeat, ſed ſtrepitus judicialis omnino conquieſcere debeat: adeò, ut actus in contrarium geſtus regulariter ipſo jure ſit invalidus. Ita Abbas *in c. Conqueſtus n. 1.* & Fagnan. *ibid. nu. 1. & ſeqq. h. t.* Vallenſis *eod. n. 6.* Gailus *lib. 1. Practic. Obſerv. 53. n. 7.* & communis.

27 Concluſio hæc clarè deſumitur tum *ex cap. 1. & ult. h. t.* tum etiam ex *L. 1. ff. eod.* Ubi ſtatuitur, quod tempore meſſium, atque vindemiarum, nemo compellatur in jus venire: & ſi Judex contra partem tunc abſentem, & non comparentem, ſententiam tulerit, ſententia ipſa nullius ſit momenti, atqui citra appellationem infirmetur: *Nec enim Prætoris factum* juri derogari oportet, prout *in cit. L. 1. ff. h. t.* ſubjungitur. Concordat textus *in l. Si feriatis ff. h. t. & L. 2. C. eod.* ubi non ſolùm diebus Dominicis, aliiſque Feriatis, jubetur abſtineri ab omni ſtrepitu, actuque judiciali; verùm etiam in poſteriori loco additur: *Et quod contra hoc factum fuerit, omnibus modis irritatur.*

28 Nec obſtat, quod allata Jura ex profeſſo loquantur de Feriis meſſium, atque vindemiarum. Nam ob paritatem, imò & majoritatem rationis, rectè idipſum dicitur de Feriis ſacris, atque repentinis, utpote quibus ex conſenſu partium renunciari nequit, ſicuti aliis renunciari poteſt. Quinimò in Feriis introductis in honorem Dei, & Sanctorum (extra caſum neceſſitatis, vel pietatis) non valere proceſſum judiciarium, nec ſententiam hujuſmodi diebus promulgatam, conſentientibus etiam partibus, expreſſe ſtatutum habetur *in cit. cap. ult. h. t.*

29 Additur notanter primò in Concluſione, *neque ullus actus contentioſæ juriſdictionis &c.* Siquidem actus juriſdictionis voluntariæ, qui nimirum abſque ſtrepitu judiciali tantùm in volentes exercentur, diebus etiam feriatis rectè expediuntur; per textum *in l. Solet. ff. h. t.* ibi: *Liberalia quoque judicia omni tempore finiuntur.* Concordat textus *in l. Actus omnes. C. eod.* ubi licentia diebus Feriatis emancipandi, & manumittendi cunctis conceditur; & Baldus in Summario generaliter inquit: *Actus voluntariæ juriſdictionis poſſunt explicari quolibet tempore, etiam feriato.* Et hinc non ſolùm emancipationes, & manumiſſiones, ut dictum, ſed etiam diſpenſationes, adoptiones, pacta, tranſactiones, approbatio contractuum, deſignatio Tutorum aut Curatorum, creatio Magiſtratuum, & alii conſimiles actus, diebus Feriatis valide expediuntur. Siquidem contrarium non reperitur in Jure expreſſum: quin potiùs ejuſmodi actus tempore feriato fieri poſſe, clare conceditur per jura proxime allegata, juncta *l. Eadem oratione ff. h. t. & L. ult. C. eod.*

30 Additur ulteriùs in data *n. 26.* Concluſione, *extra caſus in Jure permiſſos*: & infra, *regulariter eſt invalidus.* Fallit enim, ſi partes renuncient Feriis, ſaltem ruſticis: aut ſi neceſſitas, vel pietas aliud ſuadeat, prout jure ſic permittente fieri poſſe, magis patebit ex illicò dicendis. Unde

31 Quæritur II. Utrùm prædictis Feriis de conſenſu partium poſſit renunciari? Reſp. I. Feriis ſacris, ſicut & Feriis repentinis, nequit de conſenſu partium renunciari; bene tamen Feriis ruſticis; meſſium videlicet ac vindemiarum. Ita Gloſſa *in Clem. Sæpe contingit. verſ. Ob neceſſitates de Verb. ſignif.* Speculator *h. t. §. Nunc videamus nu. 1.* Fagnanus *in c. Conqueſtus n. 7. ac ſeqq. h. t.* Vallenſis *cit. nu. 6.* & communis. Idque patet *ex cit. c. Conqueſtus*, ſive *cap. ult. h. t.* ubi Pontifex declarat, non valere proceſſum judiciarium diebus ob reverentiam Dei feriatis *conſentientibus etiam partibus celebratum*; licet Feriis gratia meſſium, vel vindemiarum introductis partes renunciare valeant. Et horum poſterius etiam habetur *in L. 1. & l. Si feriatis, ff. eod.* Accedit ratio diſparitatis: quia Feriæ ſacræ, utpote in honorem Dei inſtitutæ, principaliter concernunt cultum Divinum, cui partium conſenſu renunciari nequit; non autem partium favorem, ſicut Feriæ ruſticæ.

Atque ob hanc eandem rationem nequit à partibus renunciari Feriis repentinis, ob honorem Principis, vel ob commune de parta victoria gaudium, à Principe indictis: nam publicum potiùs, quam privatum partium favorem reſpiciunt, *arg. l. Omnes dies, C. h. t.* ubi idcircò dies Feriarum repentinarum Imperator appellat ſuos dies, ibi: *Noſtris etiam diebus &c.* Atqui pacto privatorum, nequit derogari favori, ac juri publico, *cap. Si diligenti de foro compet. & l. Jus publicum, ff. de Pactis.* Abbas *in cap. 1. nu. 11. h. t.* Gloſſa, Speculator, Fagnanus, *ubi ſupra*, & alii. 32

Nec obſtat, quod Feriæ ſacræ, ſicut & repentinæ, ſimul importent favorem partium: eò, quòd priores etiam ob humanam quietem introductæ fuerint; poſteriores autem ſimul in particulare cujuſque gaudium redundent, faciantque, ne quis invitus in judicium trahi valeat. Non obſtat, inquam: tum quia hujuſmodi Feriæ principaliter introductæ ſint illinc ob cultum Divinum, hinc ob favorem publicum: atqui ex principali intento, ſeu primario fine, attendenda eſt quælibet diſpoſitio, *c. Acceſſorium 42. de Reg. Juris in 6.* cum ſimilibus. Tum quia non poteſt quis renunciare favori, ſibi & alteri individue conceſſo, abſque illius conſenſu, *arg. Ad Apoſtolicum 16. de Regularib.* & notat Abbas *in c. Conqueſtus n. 6. h. t.* Atqui talis conſenſus ex parte Dei, vel Principis, in ordine ad Ferias ſacras, vel repentinas, extra caſum neceſſitatis, aut pietatis, ſemper deficit; ergo. 33

Econtrà res ſe habet in Feriis ruſticis, meſſium ſcilicet ac vindemiarum, utpote in gratiam privatorum principaliter introductis; ad hoc videlicet, ut ipſi meliùs fruges ſuas colligere valeant, eiſque occaſione judicii, ſi ad illud inviti venire compellerentur, non pereat commoditas fructuum congregandorum cœleſti proviſione conceſſa, *l. Omnes judices C. h. t.* juncta *L. 1. ff. eod.* Unde mirum non eſt, quod talibus Feriis ſponte partes renunciare valeant; *Cùm ſit regula juris antiqui, omnes licentiam habere iis, quæ pro ſe introducta ſunt, renunciare*; uti loquitur Imperator *in l. Si quis 29. C. de Pactis.* 34

Reſp. II. Quantum ad Ferias ruſticas valet Placitum, omniſque proceſſus atque actus judiciarius, ſive dein partes expreſſe conſentiant, ſive tacite; hoc eſt, ſponte veniendo in judicium diebus Feriatis, & non excipiendo contra Proceſſum judiciarium tunc formatum. Ita communis. Et quidem prior pars patet *ex cap. ult. h. t. & l. Si feriatis ff. eod.* ubi ejuſmodi proceſſus dicitur valere, *ſi de partium proceſſerit voluntate.* Altera verò pars habetur *L. 1. §. Sed ſi Prætor ff. h. t.* juncta Gloſſa, *verſ. Sententia valebit.* & Bartolo *ibid.* ubi inquit, valere judicium in præſentem, ſi non opponatur exceptio Feriarum; ſed in abſentem, judicium nullum erit. 35

Quæritur III. An, & qualiter ratione neceſſitatis, aut pietatis, valeat judicium diebus Feriatis agitatum? Reſp. I. Certum eſt, quod ex hiſce duabus cauſis poſſit in omnibus Feriis, etiam introductis in honorem Dei & Sanctorum, judicium exerceri, teneatque ſententia inde promulgata. Textus eſt *in cap. ult. h. t.* ubi à generali prohibitione exercendi judicium diebus Feriatis, expreſſe excipiuntur duo præmiſſi caſus, illis verbis: *Niſi neceſſitas urgeat, vel pietas ſuadeat.* 36

Et quidem ratione neceſſitatis, ſive publicæ, ſive privatæ, poſſunt tunc expediri cauſæ, quæ celeritatem requirunt: veluti, ſi res cum tempore peritura foret, puta ſi oriatur controverſia circa collectionem fructuum cæteroquin periturorum, vel capturam piſcium rarò, aut certis duntaxat diebus apparentium, *arg. cap. Licet 3. h. t. & l. Solet. ff. eod.* Hoc ipſum eſt dicendum, ſi quando ob quamcunque cauſam periculoſa dilatio Judicii videatur, *arg. L. 1. ff. de Damno infect.* Atque inter alia exemplificari ſolet in cauſis alimentorum, & carceratorum, ne lite diutius protracta fame moriantur, aut diutius injuſte vexentur. Idem judicium eſt de cauſis piſtoriis; puta, an piſtores bonum panem conficiant: ſiquidem pane egemus omnibus diebus, *l. Publicas*, juncta Gloſſa *fin. C. h. t.* 37

Idipſum procedit, ſi alioquin dilatio peremptura foret actionem, ut puta, ſi data dilatione finiretur juriſdictio Delegati, ſicque evaneſceret inſtantia judicialis; ut 38

*L. 1. §. Sed excipiuntur ff. de Feriis*, & tradit Gloſſa *fin. cap. ult. de Judiciis*, id probans ex *cap. Conſuluit. de Offic. Delegat* Vel ſi ipſamet actio morte alterius peritura foret: prout contingit in actione furti, damni dati, & aliis ſimilibus, quæ moriuntur una cum fure, vel damnum dante: item in actione injuriarum, quæ tollitur lapſu certi temporis, *l Solet. ff.* juncta Gloſſa *ibid. verſ. Morte h. t.* Quamquam in hiſce poſterioribus caſibus ſolummodò pars adverſa cogi poſſit Prætorem accedere, ut lis conteſtetur, *L. 1. §. Sed excipiuntur ff. eod.* Nam per litis conteſtationem actio jam perpetuatur, ſicque ſatis proviſum eſt Actori: ſimulque quando aliquid conceditur ratione neceſſitatis, eatenus conceditur quatenus neceſſitas erit, & non ultrà; prout notat Bartol *in cit. §. Sed excipiuntur*.

39 Inſuper ex cauſa neceſſitatis poteſt diebus Feriatis procedi contra latrones, ne ſceleratorum captura diutius differatur, multorumque ſalus & incolumitas tempeſtive procuretur, *l. Provinciarum C. h. t.* Atque ob eandem cauſam neceſſitatis poteſt carcerari debitor fugitivus diebus Feriatis, etiam in honorem Dei. Abbas *cap. ult. nu. 22. de Judiciis*, & alii, juxta amplius dicenda *nu. 74. & 75.* Item negotia militaria poſſunt quolibet die expediri, *l. Divus ff. h. t.* Rurſus Feriæ meſſium, atque vindemiarum (ſecus dicendum de Feriis ſacris in honorem Dei inſtitutis, ut limitat Pirhing *h. t. n. 21.*) non ſunt obſervandæ in cauſis publicis, & fiſcalibus, *l. Publicas C. eod.* Rurſus tempore Feriato poteſt interponi appellatio, utpote conceſſa ad naturalem defenſionem, & quæ ſine magno ſtrepitu fieri poteſt; quamvis ejus proſecutio tunc fieri non valeat, *L. 1. C. de Feriis*, ac notat Gloſſa magna *in cap. ult.* & Abbas *ibid. n. 13.* & Fagnanus *n. 21 h. t.* Speculator *tit. de Feriis §. Sequitur nu. 2.* & communis.

40 Tandem, ut alia taceantur, poſſunt ex cauſa neceſſitatis diebus Feriatis expediri actus judiciales, ipſaque ſententia promulgari, ſi alio tempore teſtes vocari, vel Judex adiri non poſſit, vel ſaltem non ſine magno incommodo, aut quoad pauperes non abſque jactura mercedis diurnæ: nam hæc ſatis magna cenſeretur neceſſitas, cum pauperes maxime indigeant mercede diurna. Quod ipſum comprobat conſuetudo aliquarum Regionum, ubi Judices ruſticorum diebus Feſtivis jus dicunt, quando aliis diebus ruſticani homines adeſſe, vel commode abſque jactura mercedis diurnæ teſtes vocari nequeunt; prout jam dixi *in Theologia Morali tr. 10. diſt. 1. n. 22.* poſt Navarrum *cap. 13. Manual. nu. 13.* Tannerum *tom. 3. diſp. 5. n. 9.* & alios.

41 Reſp. II. Ratione pietatis ita ſuadentis, rectè imprimis exercentur actus judiciales tempore Feriato, quando tractantur cauſæ debilium, vel miſerabilium perſonarum. Ita Gloſſa *in cap ult. verſ. Pietas h. t.* Speculator *tit. De Feriis §. Sequitur n. 1. & ſeqq.* Hoſtienſis *in Summa h. t. n. 4.* & communis. Nam in operibus miſericordiæ diſtinctio dierum non eſt habenda; ut *can. Utinam diſt. 76. & can. Nunquam de Conſec. diſt. 5.* Unde poſſunt tunc pupillis Tutores dari, & uxori mortuo viro alimenta decerni: hæc enim ſuadet pietas. Decretum tamen ſuper alienatione rerum Minoris interponi non poteſt: quia non adeò iſtud ſuadet pietas; ſimulque non niſi cauſa cognita, & Judice pro Tribunali ſedente, id fieri poteſt, *l. Minorum C. de Præſidiis minor.* ac notat Speculator *loc. cit. n. 12.* Abbas *in c. Conqueſtus n. 15.* & Jo: Andreas *ibid. n. 2.* & Fagnanus *n. 16. & 17. h. t.*

42 Deinde ratione pietatis, ſimul & neceſſitatis, poſſunt diebus Feriatis tractari cauſæ ſpirituales electionum, inquiſitionum, & hujuſmodi. Ita Jo: Andreas *in cap. Conqueſtus nu. 22.* & Fagnanus *ibid. n. 15. h. t.* poſt Innocentium, & Hoſtienſem. Idem deſumitur *ex c. Placita 15. q. 4.* ibi: *Placita ſæcularia Dominicis diebus minime fieri decernimus*: & conſequenter, cùm exceptio firmet regulam in caſu non excepto, ſimulque argumentum à ſenſu contrario deſumptum, in Jure ſit fortiſſimum (ut amplius dictum *Lib. 1. Tit. 2. de Conſtitutionib. §. 16. n. 405. & 406.*) non prohibentur tunc tractari cauſæ Eccleſiaſticæ, ſed permittuntur. Accedit, quod Eccleſiarum neceſſitas, ne videlicet diutius careant Rectore, idipſum exigat, *c. Ne pro defectu 41. de Elect.*

43 Inſuper ex motivo pietatis poſſunt tempore Feriato tractari ea, quæ pertinent ad pacem, & concordiam; uti habetur *L. ult. C. de Feriis* ibi: *Pacta conferant, tranſactione loquantur*. Item poſſunt ea agitari, quæ ad Religionem ſpectant: prout Hæretici ſolent diebus Feſtivis judicari, & puniri, ad majorem aliorum tunc confluentium terrorem, Fideique Catholicæ defenſionem. Pirhing *h. t. n. 21.* Nam *ſummam eſſe rationem, quæ pro Religione facit*, patet ex *l. Sunt perſonæ ff. de Religioſis & ſump. funer.* Taceantur plura ſimilia, de quibus alii.

Quæritur IV. Utrùm in cauſis ſummariis, ſeu ſimpliciter ac de plano tractandis, poſſit procedi tempore Feriato? Reſp. I. Tempore Feriarum ruſticarum, ſeu ob neceſſitates hominum indultarum, poteſt Judex procedere in cauſis ſummariis, ſeu ſimpliciter ac de plano expediendis. Ita communis; & habetur expreſſum *in Clem. Sæpe contingit. de Verb. ſignif.* illis verbis: *Sancimus; ut Judex, cui taliter* (hoc eſt, ſimpliciter, ac de plano) *cauſam committimus, tempore etiam Feriarum ob neceſſitates hominum indultarum à jure, procedere valeat*. 44

Infertur proinde, cùm *in Clem. Diſpendioſam de judiciis*, ſtatuatur, quod in cauſis matrimonialibus, & beneficialibus, ſicut & in cauſis decimarum, atque uſurarum, & eas quoquo modo tangentibus, poſſit Judex ſimpliciter ac de plano procedere; hujuſmodi cauſas rite agitari, ac terminari tempore Feriarum ruſticarum. Idemque dicendum de cauſis pupillorum, viduarum, alimentorum, cæteriſque ſummariè, ac de plano expediendis. Et hoc procedit etiam extra caſum neceſſitatis, ac pietatis, de quo ſuperius. 45

Reſp. II. Nihilominùs præmiſſæ cauſæ ſummariæ non poſſunt judicialiter agitari, nec valet proceſſus deſuper factus (extra cauſam neceſſitatis, aut pietatis) in Feriis ſacris, & repentinis. Ita Gloſſa *in cit. Clem. Sæpe contingit. verſ. Ob neceſſitates* & Abbas *ibid num. 28. & 29. de Verb. ſignif.* Ratio hujus deſumitur ex verbis *cit. Clem. Sæpe contingit.* argumento à ſenſu contrario deſumpto. Ibi enim cauſæ ſummariæ ſolùm permittuntur agitari *tempore Feriarum ob neceſſitates hominum indultarum*; quales ſunt Feriæ ruſticæ, ſive meſſis, atque vindemiarum, aliæque ad mitigandos æſtivos calores conceſſæ: ergo ſecùs eſt dicendum de Feriis ſacris, ſive in honorem Dei ſtatutis (ſecluſo tamen caſu urgentis neceſſitatis, vel ſuadentis pietatis) nec non in Feriis repentinis, propter Principis coronationem, aut alium ſimilem cauſam inductis. Generaliter etenim olim prohibitum fuit, tempore Feriato cauſas judiciales tractare: atqui non cenſetur plus de priori Lege mutatum, quam eſt expreſſum in poſteriori; ut *l. Præcipimus. C. de Appellat.* eſtque amplius dictum *Lib. 1. Tit. 2. De Conſtitutionib. §. 17. numer. 491.* ergo 46

## §. III.

## De nonnullis Actionibus judicialibus tempore Feriato prohibitis in ſpecie.

### *S U M M A R I U M.*

47 *Libelli oblatio poteſt Judici fieri tempore etiam Feriato.*
48 *Non tamen parti; & ratio diverſitatis.*
49 *Citatio facta die Feriato ad non Feriatum, an valeat? Et nu. ſeqq.*
*Quando ob neceſſitatem, vel pietatem poteſt cauſa judicialiter expediri, palam eſt, valere etiam citationem. Ibidem.*
50 *In citatione triplex actus intervenire ſolet; & qualis?*
51 *Mandatum Judicis de citando, poteſt fieri diebus Feriatis.*
52 *Idque probatur.*
53 *Dummodo non fiat à Judice pro Tribunali ſedente.*
54 *Executio citationis per apparitorem, non poteſt fieri die Feriato.*
55 *Et cur?*
56 *Hoc procedit in Feriis ſacris, & repentinis; ſecùs in ruſticis.*
57 58 59 *Diſparitas inter Executionem citationis, & Mandatum judicis de ea exequenda. Et nu. ſeq.*
60 *Executio citationis, eſt actus Judicialis.*
61 *Solvitur alia Inſtantia contra Concluſionem.*



62 *Hæc de conſuetudine non ſervatur.*
63 *Proceſſus ex citatione inchoatus nequit fieri die Feriato.*
64 *Citatio facta die non Feriato ad Feriatum, eſt invalida,*
65 *Idque probatur.*
66 *Valet tamen citatio facta cum aſſignatione termini uſque ad talem Feriam.*
*Ly* uſque, *ſtat tunc excluſivè. Ib.*
67 *Idem probatur.*
68 *Solvitur inſtantia. Et n. ſeqq.*
69 *Citatus ad diem Feriatum, an teneatur comparere ſequenti die?*
70 & 71 *Citatio facta ad diem Feriatum ex errore, qui tacitè ineſt, an valeat?*
72 *Cautela in citatione adhibenda.*
73 *Captura, ſeu incarceratio reorum, diebus Feriatis eſt prohibita.*
74 *Niſi ſit periculum in mora. Et n. ſeqq.*
*Debitor de fuga ſuſpectus, poteſt die Feriato incarcerari. Ibid.*
75 *Malefactor pro crimine gravi, v. g. latro, vel homicida, poteſt diebus Feriatis capi; ſecus pro levibus delictis &c.*
76 *Receptio teſtium ad juramentum, eſt actus judicialis. Et nequit validè fieri diebus Feriatis. Ib.*
77 *Niſi aliud neceſſitas, vel pietas ſuadeat: quod exemplificatur.*
78 *An teſtes poſſint examinari, eorumque depoſitio judicialiter recipi diebus Feriatis, ſi anteà præſtiterunt juramentum. Et n. ſeq.*
*Ponitur ſententia negativa. Ib.*
79 *Sententia affirmativa eſt in praxi recepta; ejuſque ratio.*
80 *In feriis obſervandis attendendus eſt locus Judicis.*

47 QUæritur I. Utrùm quolibet tempore, etiam Feriato, poſſit offerri Libellus? Reſp. I. Libelli oblatio poteſt Judici fieri quocunque tempore, etiam Feriato. Ita deſumitur *ex l. Miles §. Sexaginta dies ff. Ad leg. jul. de Adult.* ubi dicitur, quod *de plano quoque libellus dari poteſt*: ac notat Bartolus ibidem aſſerens, hoc eſſe verum in qualibet cauſa etiam civili: Gloſſa *fin. in c. ul. de Judiciis*, & additio ad Abbatem *ib.* quamvis ipſemet Abbas ibi *n. 17.* inclinet in oppoſitum. Speculator *h. t. §. Sequitur n. 2.* Pirhing *h. t. n. 27.* & alii. Accedit ratio: quia oblatio libelli, quæ fit Judici, non eſt actus judicialis, cùm præcedat citationem, à qua incipit judicium: neque eſt de proceſſu, uti colligitur *ex l. Libertus ff. de in jus vocand.* ubi porrigens Præſidi libellum, non cenſetur in jus vocare.

48 Reſp. II. Etſi libellus die Feriato poſſit offerri Judici, ut dictum, non tamen poteſt ejus oblatio tali die fieri parti. Ita Gloſſator in Bartolum *loc. cit. V. Sexaginta*, citans Hoſtienſem, & Innocentium *in c. 2. de dilation.* & ſequitur Pirhing *ubi ſup.* Ratio eſt: quia oblatio libelli, quatenus fit parti, ab ea aliquid dari aut fieri petendo, eſt actus judicialis, ſpectatque ad ipſum proceſſum: atqui actus judiciales diebus Feriatis exerceri non poſſunt, *c. 1. & c. ult. h. t.* cum ſimilibus; ergo. Major patet *ex c. quoniam 11. de probat.* ubi etiam *Petitiones*, ſeu (ut explicat Gloſſa) Libelli inter acta judicii connumerantur. Accedit, quòd oblatio libelli ut parti facta, vel præſupponat citationem, ſicque fiat judicio jam cœpto; vel una cum iſta fiat; citatio autem nequit fieri die Feriato, juxta illico dicenda. Unde patet diſparitas inter hanc, & priorem Concluſionem: quamvis, præſertim ob *c. c. quoniam de prob.* Abbas *ubi ſuprà*, etiam priorem videatur negare Concluſionem.

49 Quæritur II. Utrùm valeat citatio facta die Feriato ad non Feriatum? Hæc quæſtio procedit ſolùm in iis caſibus, in quibus non poſſunt validè exerceri actus contentioſæ juriſdictionis: nam loquendo de caſibus illis, in quibus ob urgentem neceſſitatem, vel pietatem ſuadentem, poſſunt cauſæ judicialiter expediri; palam eſt, valere quoque citationem non ſolùm ad diem feriatum, ſed etiam die feriato factam. Ratio eſt clara: quia citatio, eſt principium ipſius proceſſus judiciarii; ergo, ubi iſte ex cauſa neceſſitatis, vel utilitatis ritè ac validè peragitur, hoc ipſo etiam valida erit citatio. Nam, *quando aliquid permittitur; videntur eſſe omnia permiſſa, per quæ pervenitur ad illud*; ut loquitur *Summar. in l Oratio ff. de Sponſal.* & favet textus *ib* ac *in L. 2. ff. de Juriſd. omn. jud.* Simulque ut habet reg. 80. Juris in 6. *In toto partem non eſt dubium contineri* Gloſſa *in L. 2. V. dies feriatus ff. Si quis in jus vocatus &c.* Maranta *p. 6. Speculi Aurei tit. de Citatione nu. 121.* Pirhing *h. t. n. 30. in fin.* Verùm loquendo de cauſis illis, quæ non poſſunt diebus feriatis expediri, an valeat citatio facta die feriato, vel ad diem feriatum, valdè controvertunt Doctores.

Ubi prænotandum cum Jo: Andrea *in c. Conqueſtus n. 3.* & Abbate *ib. n. 20.* & Fagnano *n. 42. h. t.* quod in citatione triplex actus intervenire ſoleat. Primus eſt præceptum, ſeu mandatum Judicis de citando. Secundus eſt ipſomet citationis actus, ſive executio mandati, quam facit Apparitor, ſive nuncius, de mandato Judicis quempiam citando ad comparendum in judicio tali die. Tertius eſt proceſſus ex citatione inchoatus. His prænotatis 50

Reſp. I. Prior actus ex enumeratis tribus, videlicet Mandatum judicis de citando ad diem non feriatum, poteſt fieri diebus Feriatis; dummodò non fiat à Judice pro Tribunali ſedente. Ita Jo: Andreas *loc. cit.* hanc appellans communem opinionem, & Fagnanus *in d. c. Conqueſtus n. 49. & ſeq.* citans inſuper Bellameram *ib. n. 10. h. t.* Gailus *lib. 1. Pract. obſerv. 53. n. 4.* allegans *deciſionem 1. Rotæ n. 1. de Feriis, in novis*. Vallenſis *h. t. n. 13.* & alii; quamvis Speculator *tit. de Citatione §. 1. n. 14.* & Abbas *in c. Conqueſtus, n. 20 h. t.* Maranta *p. 6. Speculi Aurei tit. de Citatione, n. 129.* & noviſſimè Pirhing *h. t. n. 28.* oppoſitum teneant. 51

Ratio Concluſionis eſt: quia præceptum de citando, per ſe loquendo, eſt actus omninò extrajudicialis, nullam requirens cauſæ cognitionem judicialem; neque ſecundum ſe ſpectatus, eſt actus contentioſæ, ſed voluntariæ, potiùs juriſdictionis: atqui actus voluntariæ juriſdictionis, aliique extrajudiciales, poſſunt fieri diebus feriatis, *l. Actus omnes C. de Feriis*, ergo. Major probatur: quia Mandatum illud, eſt commiſſio de citando: atqui hæc eſt actus extrajudicialis, cùm præcedat citationem, à qua incipit judicium; ſimulque exercetur ſolùm in volentes, ſive eos, qui talem commiſſionem in ſe ſuſcipere volunt; ergo. Accedit, quod commiſſio totius juriſdictionis, vel totius alicujus cauſæ, poſſit fieri tempore feriato; & facta tali tempore non ſit invalida: nullo enim jure iſtud reperitur prohibitum; ergo idem dicendum de commiſſione citationis. Neque enim ulla ſubeſt ratio, cur magis invalida cenſeri debeat commiſſio unius articuli, quàm totius cauſæ: atque oppoſitum clarè convincitur *ex l. quæ de tota ff. de rei vendicat.* 52

Additur verò in Concluſione, *dummodò non fiat à Judice pro tribunali ſedente*, nam tunc ejuſmodi mandatum citandi, foret eo ipſo de proceſſu judiciali: atqui actus proceſſus judicialis ſub nullitate prohibentur diebus feriatis, *c. 1. & ult. h. t.* cum ſimilibus, ergo etiam tale mandatum Judicis pro Tribunali ſedentis de citando foret invalidum. Accedit, quod ejuſmodi mandatum foret quædam ſententia interlocutoria, *arg. l. Præſent.* juncta Gloſſa *V. Sententiis, C. de his, qui ad Eccleſias &c.* Atqui talem ſententiam non poſſe ferri diebus Feriatis, utpote in quibus debet omnis ſtrepitus judicialis conquieſcere, ſatis clarum eſt. Et hoc modo commodè poteſt explicari ſententia Doctorum oppoſitum tenentium: nam Jura, & rationes ab ipſis adductæ *ex c. 1. & ult. h. t. & L. ult. C. eod.* plus non convincunt. 53

Reſp. II. Alter actus, videlicet, executio citationis per apparitorem, ſive nuntium facienda, non poteſt fieri die Feriato, quantum eſt de rigore Juris communis. Ita Rota *in cauſa Bonon. Liberationis à Fidejuſſione Ven. 9. Febr. 1607.* apud Proſper. Farinacium *lib. 2. Dec. 233. nu 4.* poſt Baldum *in l. Cum Clericis, n. 3. C. de Epi. & Cler.* Lanfrancum *tr. de Citat. nu. 18.* & alios, tenens, citationem non valere, quæ fuit executioni demandata die Dominico. Idem tradit Abbas *in cit. c. Conqueſtus, n. 20.* & Fagnanus *ib. n. 56. h. t.* allegans praxim, & aliam Deciſionem Rotæ, quæ eſt *Dec. 365. n. 1. p. 3 recent.* contra Jo: Andream *in d. c. Conqueſtus n. 3.* Gailum *cit. lib. 1. pract. obſerv. 57. n. 6.* Vallenſem *h t. n. 12.* & Pirhing. *eod. n. 29.* 54

Ratio Concluſionis eſt: quia negari non poteſt, quin citatio ſpectet ad actus judicii; ut patet *ex c. quoniam de probat.* ibi: *Qui fideliter univerſa judicii acta conſcribant, videlicet citationes, dilationes &c.* atqui actus judicii nequeunt exerceri diebus Feriatis, *c. ult. h. t.* Quinimò *in L. ult. C. eod.* videtur actus iſte ſpecialiter fuiſſe prohibitus, illis verbis: 55

*Nulla*

*Nulla quemque urgeat admonitio, Præconis horrida vox ſileſcat.* Confirmatur. Quia ejuſmodi citatio, licèt non arctet citatum ad comparendum tunc, tamen arctat atque afficit eum pro tunc; ſimulque mentem ipſius conturbat, & inquietat, atque adducit in ſolicitudinem deliberandi, & cogitandi ſuper cauſa factæ citationis: imò & plerumque provocat citatum ad iram & indignationem adverſus eum, qui citationem impetravit, ſicque ipſum vertit à contemplatione Dei. Atqui hac ratione ſubintrat finis à Lege intentus, prohibendi ſcilicet diebus feriatis Placitum, ac ſtrepitum judicialem *c. 1. & c. ult. h. t.* ergo etiam ipſamet citationis executio pro diebus feriatis cadit ſub prohibitione. Nam quando prohibetur finis & terminus, prohibetur pariter principium, & via perveniendi ad ipſum; *arg. l. Oratio ff. de Sponſalib.*

56 Et hæc præcipuè procedunt de Feriis ſacris, atque in honorem Dei inſtitutis, utpote de quibus loquuntur Canones præcitati, ſitque expreſſè ſermo *in l. ult. C. eod.* & urgent rationes allatæ. Quibus poſſunt addi feriæ repentinæ, utpote per Principem duntaxat indicibiles ad communem lætitiam, & quæ pari veneratione cum Feriis ſacris jubentur obſervari *in l. Omnes dies C. eod.* Cæterum in Feriis ruſticis, meſſium videlicet atque vindemiarum, validè fieri executionem citationis ad diem non Feriatum, ultrò fatetur Abbas *cit. n. 20.* & inſinuat Fagnanus, *ubi ſupr. n. 56.* illis verbis: *Quidquid ſit in feriatis ob neceſſitates hominum.* Et meritò: tum quia hic ceſſant textus Iuris, & rationes ſuperiùs allatæ. Tum quia in *in L. 1. ff. h. t.* neutiquam prohibetur, quin aliquis in Feriis ruſticis citari poſſit; ſed ſolum decernitur, quod *meſſium vindemiarumque tempore occupati circa rem ruſticam in forum venire compellendi non ſint*: quæ duo ſunt valdè diverſa.

57 Dices. Si in Feriis ſacris nequit fieri Executio citationis, ergo neque Mandatum judicis de ea exequenda tunc fieri poterit: atqui hoc eſt contra priorem Concluſionem; ergo. Probatur ſequela maj. Quia omnes rationes pro ſecunda Concluſione *n. 54.* allegatæ, æque militant contra mandatum judicis de citando: tum quia & hoc ſpectat ad proceſſum judicialem, eò quod ab illo Iudicis mandato totam vim ſuam habeat executio citationis per Apparitorem facta; ſicque ſit ſcribendum inter acta judicii, *arg. cit. cap. quoniam de probat.* Tum quia pariter dictum mandatum de citando abſtrahit Iudicium à contemplatione Dei, atque interius inquietat, dum conſiderare cogitur, an mandatum ejuſmodi facere, & quem terminum citationis ſtatuere debeat. Reſp neg. ſequel. maj. Ad ejus probationem dicitur inſtantias illas ſolùm urgere quando mandatum de citando fit à Iudice pro Tribunali ſedente (tunc enim inter alia acta judicii erit ſcribendum juxta *cit. c. quoniam de probat.* ibi: *Et cætera quæ occurrerint &c.*) aliàs ſecùs. Nec obſtat, quod ab illo mandato vim ſuam habeat Executio citationis: quia nihilominùs antecedit citationem ipſumque judicium (niſi fiat à Iudice pro Tribunali ſedente) ſicque inter acta judicii non connumerantur.

58 Accedit, quod Mandatum de citando non ita inquietet Iudicem, ſicut executio citationis ſolet inquietare citatum. Et quamvis Iudex aliqualiter intra ſe deliberare debeat de medio illud faciendi, hoc non obſtat: alioquin enim neque Iudex, neque advocatus poſſet diebus Feriatis ulli cauſæ, ejuſque deciſioni in futurum faciendæ ſtudere, cum etiam hic opus ſit non modica interiori conſideratione, aliqualiter hominem abſtrahente a contemplatione Dei.

59 Patet igitur manifeſta diſparitas inter Mandatum de citando, utpote non ſpectans ad Proceſſum judicialem, niſi fiat à Iudice pro Tribunali ſedente: & inter Executionem citationis ab apparitore, vel nuntio factam, utpote ſpectantem ad Proceſſum, & à qua propriè incipit Iudicium, *arg. §. citatos Inſt. de pœna temerè litigant. & c. quoniam 11. de prob.* Et hinc fit, quod terminus comparendi intra certos dies, in citatione præfixus, primum currere incipiat à die factæ per nuntium executionis, *arg. c. ſuper eo 12. §. fin. de appella.* ac notat Gailus *lib. 1. pract. obſerv. 53. n. 3.* Inſuper fit, quod ad hoc, ut per citationem inducatur præventio juriſdictionis inter plures cæteroquin competentes Iudices, requiratur citationem perveniſſe ad notitiam citati, juxta dicta *tit. 2. de Foro comp. §. 8. nu. 173.* Quamquam ad perpetuandam juriſdictionem Delegati ſufficiat, citationem ante obitum Delegantis à Delegato emanatam fuiſſe, tametſi hæc ad citatum nondum pervenerit, ob rationem ſuprà *Lib. 1. tit. 3. de reſcriptis §. 10. n. 241.* jam allatam.

Urgebis. Executio citationis per nuntium peracta, eſt quid facti duntaxat, nudumque miniſterium continet, non autem eſt actus juriſdictionis: unde in ſubditum etiam extra territorium Iudicis citantis fieri poteſt, juxta dicta *tit. 2. de Foro comp. §. 2. num. 30.* ergo nihil impedit, quin die Feriata peragi poſſit. Reſp. neg. conſeq. Adhuc enim executio citationis per nuntium, vel apparitorem facta, eſt actus judicialis, ac ſpectans ad Proceſſum judicialem; utpote cum hic interveniant omnia ſubſtantialia Proceſſus, videlicet Iudex imperans, inſtantia partis ſeu actoris citationem procurantis, & pars citata ſive reus, ſimulque executio mandati judicis ad unius partis inſtantiam in aliam directa: nam hæc in ſimul important actum judicialem, *cap. Forus §. In omni de Verb. ſignif.* Fagnanus, *ubi ſuprà n. 55.* 60

Inſtabis. Effectus citationis die feriata ad non feriatam factæ, dirigitur in tempus conceſſum; ergo debet valere, *arg. l. Si eum ſervum, & l. quia in hoc ff. de Donat. inter virum & uxor.* Ubi donationes mortis cauſa inter virum & mulierem validæ cenſentur, eò quod donationis eventus in illud tempus excurrat, quo vir & uxor eſſe deſinunt: idem ergo dicendum in propoſito. Reſp. neg. conſeq & paritatem. Nam allegatæ Leges ſpecialiter loquuntur de donatione inter virum & uxorem mortis cauſa: in quo caſu ceſſat ratio legis ſimiles donationes in vita prohibentis, *ne mutuo amore ſe invicem ſpoliarent donationibus non temperantes, ſed profuſa erga ſe facilitate utentes*; uti loquitur textus *in L. 1. ff. eod.* Econtra verò in noſtro caſu non ceſſant rationes, ob quas diebus feriatis, una cùm ſtrepitu forenſi, de jure prohibita eſt citatio, juxta dicta *nu. 55. & ſeqq.* 61

Additur notanter num. 54. *Quantum eſt de rigore Juris communis.* Siquidem Abbas *in d. c. Conqueſtus, nu. 20. h. t.* poſt Jo: Andream, & quidam alii citati à Fagnano *ib. n. 41.* arbitrantur, quod hæc opinio de conſuetudine non ſervetur: neque talis conſuetudo citandi in die feriata ad non feriatam, ubi viget, mutanda ſit, *l. Minimè ff. de Legib.* juncto *c. ult. de conſuet.* cum ſimilibus. Verùm, quia conſuetudo eſt quid facti, in praxi videndum erit, num in tali loco etiamnum vigeat, ſicque contraria opinio locum habeat. 62

Reſp. III. Loquendo nunc de tertio actu in citatione interveniente, qui eſt proceſſus ex citatione inchoatus, juxta dicta *n. 50.* conveniunt Doctores, ipſum diebus Feriatis fieri non poſſe, quia is verè & propriè eſt actus judicialis; & conſequenter ſub pœna nullitatis inhibitus *in c. 1. & ult. h. t.* cum ſimilibus. Jo: Andreas *in d. c. Conqueſtus n. 3.* Abbas *ib. n. 20.* & Fagnanus *n. 45. h. t.* & alii. 63

Quæritur III. Utrùm econtrà valeat citatio facta die non feriato ad feriatum? Reſp. I. citatio, facta die etiam non feriato, ad diem Dominicum, vel alium feriatum, penitus eſt invalida, ita ut citatum nullo modo afficiat, ſed opus ſit nova citatione. Ita Abbas *in c. c. Conqueſtus n. 22.* & Fagnanus *ib. n. 37. & 38. h. t.* Zoeſius *eod. n. 15. & 16.* & alii, contra Innocentium, Vallenſem *h. t. n. 13.* & Gailum *lib. 1. pract. obſerv. 53. n. 3.* ubi ait: quod citatio ad diem feriatum facta ſecundum Canoniſtas valeat; cùm ſecundùm hos procedat demum die ſequenti non feriata. 64

Ratio Concluſionis eſt: quia citatio facta expreſſè ad diem feriatum, eſt temeraria, & contra jus; ergo nullo modo debet afficere citatum, neque habere ullam firmitatem. Nam; *quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*, juxta reg. 64. Jur. in 6 juncto *can. Imperiali 25. q. 2. & l. Non dubium C. de Legibus.* 65

Reſp. II. Nihilominùs invalida eſt citatio, quando quis citatur cum aſſignatione termini uſque ad talem feriam; ut putà, dicendo: *Compareas coram nobis uſque ad diem Dominicum*, vel, *uſque ad Feſtum Aſcenſionis Domini.* Ita Speculator *tit. de Citatione §. 1. n. 13.* Abbas *cit. c. Conqueſtus n. 21.* & Fagnanus *ib n. 38. h. t.* aliique paſſim. Ratio eſt: quia talis termini aſſignatio, ac ly *uſque*, tunc ponitur excluſive. Nam, ut inquit Barboſa *Dictiom. 437 num. 15.* quoties incluſio eſt contra legem, tunc ly *uſque* ſtat excluſivè: ac proinde ſenſus dictæ citationis eſt: *Compareas coram nobis intra tempus uſque ad Feſtum Aſcenſionis Domini*, id eſt ante hoc Feſtum. 66



67 Idem patet *ex c. Expoſuit 4. fin. de dilat.* ubi datur dilatio *uſque ad proximum venturum Feſtum Nativitatis Dominicæ.* Item ex *c. cum dilecti 6. de dolo & contum.* ubi Papa quempiam citat *uſque ad Dominicum qua cantatur. Ego ſum Paſtor bonus.* Nam in hiſce, & aliis hujuſmodi locis, non fit citatio ad ipſummet diem Feſtum; ſed mandatur, ut uſque ad diem feſtum compareat citatus, ly *uſque* capiendo excluſivè. Accedit diſparitas inter hunc, & prioris Concluſionis caſum; ſiquidem citatus cum clauſula *uſque* poteſt qualibet die intra terminum præfixum venire; ſed quando quis citatur, ut tali die feſto compareat, priùs venire non poteſt, nec debet, ſimulque tali die venire non tenetur; ac proinde neceſſaria erit nova citatio Fagnanus *loc. cit. n. 38.*

68 Objicies contra primam Concluſionem. In *c. Veniens 15. de Accuſatione* legitur, quempiam *ad Feſtum Reſurrectionis Dominicæ peremptoriè* à Papa citatum fuiſſe; ergo citatio ad feſtum non eſt invalida Reſp. cum Hoſtienſi ibidem, ly *ad Feſtum*; eſſe exponendum pro ly, *uſque ad feſtum*; & ſic ſtat excluſivè, ut proximè dictum.

69 Urgebis cum Gallo *lib. 1. pract. obſerv. 53. num. 2.* & aliis contrariæ ſententiæ Authoribus. Quamvis citatio ad diem feriatum non arctet citatum pro tali die, arctat tamen ipſum ad comparendum pro die ſequenti; ergo adhuc erit valida. Antecedens probatur *ex c. cum dilecti 6 de Dolo contum.* ubi dicitur, quod quando quis citatur ad totam cauſam certo termino ſibi ad comparendum præfixo, duo ſub hac forma mandentur; primò, ut ad judicium veniat; ſecundò, ut illud ad diem præfixum accedat: unde ſi non poſſit venire ad diem aſſignatam, teneatur nihilominùs ſe Judici præſentare, quamprimùm poterit, poſt terminum; ergo etiam in propoſito citatus ad diem feriatum, tenetur ſaltem die ſequenti comparere. Reſp. neg antec. ob rationes *n 65.* allegatas. Ad ejus probationem, atque ad *c. cum dilecti de Dolo & contum.* dicitur cum Fagnano *in cit. c. Conqueſtus nu. 38. h t.* textum allegatum procedere, ubi citatio, vel mandatum, [illegible] principio, nam tunc ſuperveniente impedimento, quo minùs quis ad diem ſtatutum comparere valeat, ſuſpenditur quidem citatio, [illegible] tamen ex toto relaxatur. Secùs eſt quando citatio [illegible] fuit nulla, ſive invalida, prout accidit [illegible] quod nullum eſt, nullum producit [illegible] *de Jurepatr. & L. 4. §. Condemnatum, ff de re judicat.* cum ſimilibus.

70 Inſtabis: Non [illegible] negari, quin [illegible] citatio facta ad diem feriatum [illegible], quæ ſolùm tacitè ineſt: ut ſi dicatur in citatione, [illegible] *compareas coram judice ſuper tali cauſa reſponſurus*, & dies ille vigeſimus incidat in Dominicum, aut aliud [illegible] Feſtum; ergo, ſi in tali caſu valida eſt citatio ut arctet citatum ad comparendum, non quidem in die feſto, ſed die immediatè ſequenti, idem dicendum erit in aliis caſibus. Reſp. Quidquid ſit de antecedenti, negando conſequentiam, & paritatem: quia, ubi error non exprimitur in citatione, ſed dies comparitionis (utpote computandus à die factæ per nuntium executionis, juxta dicta *n. 59.*) per accidens accidit in diem feriatum, ibi non ſolùm tenuit mandatum Judicis de citando, ſed etiam citatio, ſaltem quantùm de ſe erat: unde non mirum, quod [illegible] citatus teneatur comparere die ſequenti non feriato. Secus eſt, ubi error exprimitur in citatione, dicendo *v. g. Compareas die Dominico coram Judice*: hic enim nec mandatum Judicis de citando, nec ipſamet citatio, ullatenus valet.

71 Additur notanter, *quidquid ſit de antecedenti.* Nam [illegible] Doctores illud negant, aſſerentes, etiam in illo caſu non valere citationem: ut Speculator *tit. de Citatione §. 1. nu. 13.* Hoſtienſis *in c. Conqueſtus* [illegible] & Jo Andreas [illegible] *Tu verò*, & Fagnanus *n.* [illegible] *h. t.* citans alios. Reverà [illegible] ejuſmodi citatio fit ad diem feſtum; & conſequenter videtur eſſe invalida.

72 Conſultius igitur eſt, atque à cautis & eruditis Judicibus in praxi receptum, ut ad majorem cautelam in citatione adjiciatur ſequens clauſula: *Compareas tali die: quod ſi illa non fuerit juridica, compareas die ſequenti juridica.* Hac quippe ratione tollitur omnis dubitatio de validitate citationis, & præcaventur quæcunque controverſiæ alioquin forſan ſuborituræ; ſi nuntii citationem exequentur tali die, ut terminus comparendi, qui demum currere incipit à tempore factæ executionis, caderet in diem feriatum: quod quidem Judex ob locorum diſtantiam, & alia impedimenta, vel circumſtantias prævidere non potuit. Abbas *in d. c. Conqueſtus n. 10. V. ad ſecundum h. t.* Gailus *lib. 1. pract. obſerv. 53. n. 2. & 3* Vallenſis *h t. n. 13.* & alii.

Quæritur IV. An diebus feriatis poſſit fieri captura, ſeu incarceratio Reorum? Reſp. I. Inter actus judiciales tempore feriato prohibitos etiam connumeratur captura, ſeu incarceratio Reorum; adeò, ut nullus die Feſtivo, ſive pro debito civili, ſive pro crimine capi, ſeu incarcerari poſſit; niſi ſit periculum in mora. Ita Pirhing *h. t. n. 33* Farinacius *lib. 1 praxis criminal. qu. 27. nu. 106.* allegans alios, atque hanc Concluſionem poſt Baldum *in tr. de carcer. c. 1. n. 6. & 9.* intelligens non ſolùm de diebus feriatis in honorem Dei, ſed etiam de feriis inductis ad utilitatem hominum, ut putà meſſium, & vindemiarum. Concluſio hæc liquet *ex c. 1. & ult. h. t. & l. fin. C. de feriis*; ubi extra caſum neceſſitatis, vel pietatis, omnis ſtrepitus atque executio, exactio & apparitio Judicii Forenſis prohibetur, unde paulò ſuperiùs, videlicet *n. 54. & ſeqq.* etiam executionem citationis verbalis diebus feriatis fieri poſſe, negatum fuit. 73

Additur notanter *niſi ſit periculum in mora.* Tali enim ſtante periculo ſubintrat cauſa neceſſitatis, vel pietatis, [illegible] Idipſum declaratur in [illegible] quippe loquendo de cauſis civilibus, non procedit data Concluſio in debitore ſuſpecto de fuga [illegible] enim etiam die feriato poteſt incarcerari, ſecundum Gloſſam *in L. ult. C. de feriis*, ibi: *Niſi timeatur de receſſu*, & notat Abbas *in c. ult. n. 22.* & Felinus *ib. n. 14. de Judiciis.* Covarruvias *lib. 2. Var. reſ. c. 20. nu. 14.* Sigiſm. Scaccia *de Judiciis lib. 2. c. 5. n. 28.* Jaſon *in §. Supereſt n. 77. Inſt. de action.* Farinacius *cit. q. 27. n. 107.* allegans alios cum communi. 74

Deinde loquendo de criminalibus, poteſt malefactor pro crimine, præſertim gravi & enormi, etiam diebus feriatis in honorem Dei [illegible] *L. 3. cum ibi notatis, C. de Epiſc.* [illegible] Farinacius [illegible] *n. 109.* Sigiſm. Scaccia *d. lib. 2. c. 6.* [illegible] & alii. Siquidem ex captura facinoroſorum hominum ſequitur purgatio Provinciæ, & ſalus plurimorum innocentium, *l. Provincialium C. de feriis.* Accedit, quod ſi tales ſcelerati diebus Feriatis capi, & incarcerari non poſſent, ſubeſſet periculum, ne fuga elaberentur; unde ſubintrat ratio neceſſitatis, ad publicam utilitatem permittens capi reos gravium ſeu enormium criminum, v. g. latrones, homicidas, etiam diebus Feriatis in honorem Dei. Secùs dicendum de delictis levibus, & ubi nullum ſubeſt periculum fugæ, quia propter talia levia non debet quis carcerari in die Feſto [illegible] enim ceſſant allatæ rationes [illegible] conceduntur propter criminis [illegible] aliàs non concederentur, ut inquit Baldus [illegible] *n. 9* Farinacius *ubi ſuprà n. 11* 75

Quæritur V. Utrùm diebus Feriatis poſſit fieri receptio teſtium, horumque examen? Reſp. I. Receptio teſtium ad juramentum, eſt actus judicialis; *l. Jurisjurandi C. de Teſtib.* atque ideò receptio ipſorum una cum juramento nequit validè fieri diebus Feriatis, niſi aliud neceſſitas ſuadeat. Ita Speculator *tit. de feriis §. ſequitur n. 3. & 6.* Abbas *in c. 1* [illegible] Farinacius *de Teſtib. q. 80. n. 55.* aſſerens, quod teſtes recepti die Feriato nihil probent; & alii. Idque patet ex *c. 1. h. t.* ubi prohibitum legitur, ne diebus Feſtivis *Sacramenta, niſi pro pace, vel alia neceſſitate præſtentur.* Concordat *c. ul. eod.* ubi judicialis ſtrepitus adeò diebus [illegible] quieſcere Feriatis, ut in Feriis Domini (*niſi neceſſitas urgeat, vel pietas ſuadeat*) *conſentientibus* [illegible] *proceſſus habitus teneat, ne ſententia quam contingit diebus hujuſmodi promulgari &c.* 76

Additur notanter, *niſi aliud neceſſitas, vel pietas ſuadeat*: utputà, quando eſt periculum in mora, ſeu veriſimiliter timetur de teſtium morte, aut diuturna eorum abſentia, vel hujuſmodi. Quia certum eſt, tunc validè & licitè admitti receptionem teſtium ad juramentum, juxta allegatum textum *cit. c. ult.* juncta Gloſſa *fin. & DD. ib h. t.* Item, quando Reus eſſet carceratus, & ipſe inſtaret pro proceſſu, & expeditione: quia tunc partim ob neceſſitatem, partim ob pietatem, ſeu ne diutius contineretur manere in vinculis, poſſet teſtium juramentum [illegible] receptio recipi. 77

cipi. Sigiſm. Scaccia *lib. 2. de Judic. c. 5. n. 70. & c. 6. n. 8.* citans alios.

78 Reſp. II. Utrum verò teſtes validè & licitè poſſint examinari, eorumque depoſitio judicialiter recipi diebus feriatis, poſtquàm præcedenti die juridicò præſtiterunt juramentum, variant Doctores. Et quidem negativa ſententia fundatur *in c. quoniam, 11. de Probation.* ubi inter cæteros actus judiciales expreſſè connumerantur *teſtium depoſitiones*. Accedit, quod *in L. ult. C. h. t.* generaliter decernatur, ut dies Feſtus *à cunctis executionibus excuſetur, nulla quamque urgeat admonitio, nulla fidejuſſionis flagitetur exactio, taceat apparitio, advocatio delitescat, ſit dies ille à cognitionibus alienus, Præconis horrida vox quieſcat, reſpirent à controverſiis litigantes*. Atqui iſtud non verificaretur, neque obſervaretur, ſi dictis diebus Feſtis poſſet fieri examinatio teſtium, horumque depoſitio recipi, etiam extra caſum neceſſitatis, ſeu pietatis; ergo. Ita Suarez *de diebus feſtis, lib. 2. c. 3.* Vallenſis *h. t. nu. 14.* Sannig. *eod. c. 2. n. 5.*

79 Affirmativam nihilominus ſententiam tenet Gloſſa *in Clem. un. V. Judices*, & Imola, & Ancharanus, & Barboſa *ib. n. 2. de offic. deleg.* Felinus *c. Licèt cauſam, nu. 19. de prob.* Speculator & Abbas, *ubi ſuprà*. Menochius *de Arbitrar. Jud. l. 1. q. 30. n. 15.* Maſchardus *de probat. in præm. q. 5. n. 91.* Farinacius *d. q. 80. n. 56.* citans plurimos alios, & ſubjungens, quod ita practicet Curia Romana, & totus Mundus. Accedit ratio: quia examinatio teſtium refertur, ſeu trahitur ad tempus præſtiti per eos juramenti; ergo ſufficit, iſtud in die juridico eſſe depoſitum. Antecedens eſt Bartoli *in l. Si quando n. 11. C. de Teſtib.* Felini, & Menochii *loc. cit.* & aliorum: ſiquidem teſtimonii fides, & auctoritas, pendet à juramento teſtium tanquam à radice: unde inſpicitur juramentum tanquam principium, *arg. l. qui balneum, & l. potior, ff. qui potiores in pignor. hab.* Et virtus teſtimonii trahitur ad illud, *arg. c. Aqua de Conſecr. Eccl.* Accedit, quod examinatio teſtium ſecundum ſe non ſit actus judicialis, ſed extrajudicialis; unde & ſecretò fieri debet. Ac per hoc patet ad rationes oppoſitæ ſententiæ.

Quæritur IV. Utrùm in Feriis obſervandis ſit attendendus locus Judicis, Rei, vel Actoris, quando in uno eorum loco ſunt Feriæ, & non in altero? Reſp. cum Abbate *loc. cit. n. 22.* Vallenſi *n. 16 h. t.* & communi aliorum, in tali caſu eſſe attendendum locum Judicis. Ratio eſt: tum quia in præparatione judiciorum, ſeu ubi agitur de ordinatione judicii, attenditur conſuetudo Fori, ſive loci, ubi judicium exercetur; non autem conſuetudo loci litigantium, *arg. cap. quod Clericis, 9. de foro comp. & l. Teſtium §. fin. ff. de Teſtib.* eſtque jam dictum ſuprà *tit. 1. de Judiciis, §. 8. n. 223. & 224.* Tum quia aliàs contingere poſſet, quod Actor, vel Reus haberet Ferias duplicatas nempe & regionis ſuæ, & loci Judicis: quod eſt abſurdum, & favens prolongationi litium. 80

# TITULUS X.

## De Ordine Cognitionum.

*SUMMARIUM.*


1 *Ratio ordinis rubricarum.*
2 *Rubrica hæc non eſt ſuperflua, & differt ab aliis.*
3 *Ordo [illegible] quid [illegible]*
4 *Regula [illegible] prius ſit tractanda, à cujus deciſione dependet altera.*
5 & 6 *Idque exemplificatur.*
7 *Ac procedit etiam in qualibet exceptione peremptoria.*
8 *Quod exemplis declaratur.*
9 *Procedit inſuper in exceptionibus dilatoriis.*
10 *Actio criminalis, utpote major, regulariter priùs eſt tractanda, quàm civilis.*
11 *Dummodò utraque principaliter intentetur.*
12 *Fallit hoc, quando quæſtio civilis præjudicat criminali.*
13 *Quæſtio præjudicialis debet cognoſci ante aliam, cui præjudicat.*
14 *Quæſtio præjudicialis, quæ?*
15 *Quæſtio alia eſt præjudicialis reſpectu Proponentis, ſeu eligentis.*
16 *Alia reſpectu Adverſarii.*
17 *Et alia reſpectu Proceſſus; & quomodo?*
18 *An ſi reus contra actorem opponat ſpoliationem, priùs debeat tractari cauſa ſpolii? Et n. ſeqq.*
19 *Sive eam opponat in modum exceptionis.*
20 *Sive per viam actionis, [illegible] videlicet actorem ſuper ſpoliatione.*
21 *Quæſtio incidens (penultima correpta) & emergens, quid?*
22 *Quæſtio incidens (penultima producta) ſumitur tripliciter.*
23 24 & 25 *Qualiter, [illegible] differat ab emergenti?*
26 & 27 *Super quæſtione [illegible] ſit pronunciandum.*
28 *Et quando non [illegible]*
29 *Ratio diſparitatis inter hæc.*
30 *Quid [illegible] ſit tractanda [illegible] Judice? Et [illegible]*
31 *Incidente [illegible] Judex ſecularis nequit de ea cognoſcere, [illegible]*
32 *Idem probatur, ſimulque [illegible]*
33 *Solvuntur contraria. Et n. ſeqq.*
34 & 35 *Incidentia cauſæ prorogat juriſdictionem, & quomodo? Et n. præc.*
36 *Judex Eccleſiaſticus poteſt mittere inhibitoriam Judici laico, ne procedat ſuper cauſa pendente ab ea, quam ipſe cognoſcit: & tunc ſuſpenditur hujus juriſdictio.*
37 *Quid ſi non fuerit miſſa inhibitoria?*


1 Lite jam conteſtata, præſtitoque juramento calumniæ, & expletis dilationibus à Jure, vel ab homine conceſſis; ſolet non rarò reus viciſſim quandam quæſtionem, ſive per modum actionis, ſive (ut frequentius accidit) per modum exceptionis, contra actorem proponere. Et quia dubitari poſſet, quo ordine tunc ejuſmodi cauſæ cognoſci debeant, ſeu quænam earum priùs ſit diſcutienda; meritò præſens rubrica ſubjicitur.

2 Nec dicas, hujuſmodi rubricam eſſe ſuperfluam, eò quòd ſuperiùs *Tit. 4 de mutuis petitionibus*, jam fuerit actum, quo ordine de pluribus quæſtionibus cognoſcatur; atque inferiùs *tit. 25. de exceptionibus* hoc ipſum amplius tractetur. Reſp. enim cum Abbate *ad rubr. h. t.* & aliis, negando aſſumptum: quamvis enim hi tituli, eorumque rubricæ, habeant aliqualem proximitatem inter ſe, atque incidenter tractent quandoque de iiſdem; nihilominùs principaliter tractant de diverſis. Siquidem Rubrica *de Mutuis petitionibus*, principaliter tractat, an reus conventus poſſit reconvenire actorem, & coram quo Judice, & qua ratione id fieri debeat. Deinde rubrica *de exceptionibus* principaliter agit de ipſiſmet exceptionibus, & qua ratione iiſdem, veluti clypeis, & loricis, rei ſeſe contra actorem defendere valeant. At verò præſens rubrica agit principaliter de ordine in pluribus actionibus, ſive per modum exceptionis, aut alia ratione inſtitutis, obſervando; atque declarat quo ordine plures actiones, quæ interdum in eodem judicio, atque inter eaſdem perſonas concurrunt, ſint cognoſcendæ, ſeu quænam earum priùs ſit diſcutienda, atque terminanda. Unde

3 Quæritur I. Quid ſit Ordo cognitionum, & quænam regula generatim circa eum obſervanda? Reſp. I. Ordo cognitionum aptè deſcribitur, dicendo, quòd ſit modus & ordo ſervandus à Judice in examine pluriumque cauſarum, quæ nonnunquam in eodem judicio circa eaſdem perſonas concurrunt. Ita Pirhing. *h. t. in princ.* Sannig. *eod. c. 1. & 2.* & alii. Ubi ly, *modus & ordo* ponitur loco generis; cætera ſtant loco differentiæ.



4 Reſp. II. Circa Ordinem cognitionum ſit Regula generalis, quod ubi plures concurrunt quæſtiones ſeu cauſæ, quarum una dependet ab altera, illa priùs in judicio tractanda atque decidenda ſit, à cujus deciſione dependet altera. Ita Jo: Andreas *in c. Tuam n. 3.* & Abbas *ib. n. 5. h. t.* Engel. *eod. n. 1.* Vallenſis *ib. n. 1.* hanc regulam intelligens ſive dein plures illæ cauſæ ab uno ſive à diverſis, ſive agendo ſive excipiendo proponantur: & alii communiter. Ratio eſt: quia omne ſuperfluum in judiciis eſt reſecandum, *arg. c. 2. de prob.* atqui ſuperfluum foret in aliqua cauſa procedere, cujus deciſio pendet à deciſione alterius, niſi priùs hæc decidatur. Accedit, quod alioquin præpoſtera talium cauſarum cognitio, earumque confuſio, ipſummet judicii ordinem perturbaret; ut dicitur *in c. Tuam 3. h. t.* Idem declaratur inductione.

5 Hinc quippe, ſi mulier petat aliquem in virum ſibi reſtitui; vir autem mulieri objiciat exceptionem conſanguinitatis: priùs cognoſcendum eſt de conſanguinitate, quàm de contractu matrimoniali. Siquidem exceptione conſanguinitatis probata, quæſtio principalis perimitur: cum de jure non poſſit dari matrimonium inter conſanguineos. Textus eſt *in c. 1. h. t.*

6 Similiter, ſi quis petat hæreditatem paternam tanquam hæres ab inteſtato, & ipſi opponatur exceptio nativitatis, allegando nimirum, quod non ſit filius defuncti, vel ſaltem non natus de legitimo matrimonio, ſicque ſuccedere non debeat: ante omnia quæſtio filiationis, aut legitimitatis, diſcutienda & terminanda eſt; prout deciſum habetur *in c. c. Tuam h. t.* Quia, cum cauſa ſucceſſionis omnino dependeat ex cauſa natalium, ſi hac non prius terminata Judex inciperet cauſam ſucceſſionis, inani labore & ſe & litigantes fatigaret, ordinem judiciarium perturbaret, atque diverſis proceſſibus negotium intricaret.

7 Hoc ipſum procedit in qualibet exceptione peremptoria, nam ea priùs debet diſcuti, antequam diffiniatur principale negotium. Deſumitur iſtud apertè *ex c. Intelligentibus 1. h. t.* ac notat Abbas *ib. n. 1.* & Fagnanus *n. 8.* citans alios. Ratio eſt, quæ ſupra: ſiquidem exceptio peremptoria eſt, quæ jus Actoris perimit, ejuſque petitionem totaliter elidit; ergo priùs de ipſa eſt cognoſcendum. Nam probata exceptione peremptoria illicò apparet, quod quæſtio principalis, ipſaque petitio actoris, totaliter perimatur; adeò, ut de hac non ampliùs oporteat cognoſcere: ſin minùs, pariter apparebit, quod oporteat ipſum etiam negotium principale diſcutere.

8 Hinc, præter jam allegatum caſum objectæ exceptionis peremptoriæ conſanguinitatis matrimonium dirimentis, de quo fit mentio *in c. c. 1. h. t.* aliud hujus exemplum habetur *in c. ſuper eo 5. de renunc.* Ubi, cum quidam Beneficia Eccleſiaſtica repoſcerent, illis autem ex adverſo objiceretur ſpontaneæ abjurationis exceptio: Pontifex jubet, ut ante omnia inquiratur, num talis abjuratio facta fuerit; & quidem ſpontaneè, non autem vi, aut metu. Nam probata tali exceptione ſpontaneæ abjurationis utpote peremptoria, clarum foret, quod illi ſua beneficia ampliùs repoſcere non valerent.

9 Pari ratione idipſum procedit in exceptionibus dilatoriis. Nam & hæ ante negotium principale ſunt cognoſcendæ; quinimò regulariter proponi, diſcuti, atque probari debent ante litem conteſtatam, *c. Paſtoralis 4. de exception. & c. Inter Monaſterium 20. de ſent. & re judic.* Unde propoſita contra Actorem per reum exceptione dilatoria, antequam Judex procedat in negotio principali, tenetur de veritate talis exceptionis cognoſcere: nam hac ſubſiſtente, ſuperfluè, imò & nulliter atque invalidè procederet in cauſa principali: cum per talem exceptionem vel perſona Judicis à judicando, vel perſona Actoris ab agendo, vel ipſamet inſtantia veluti incompetens repelleretur. Et hæc ſunt cæteris clariora: nunc ad alia ſpecialem difficultatem habentia deſcendendo.

10 Quæritur III. Quæ præcedere debeat; ſi concurrat actio civilis & criminalis? Reſp. I. Quando actio criminalis principaliter intentatur, regulariter loquendo de ea priùs eſt cognoſcendum, quam tractetur actio civilis etiam principaliter mota: ſed poſtquam actio criminalis quocunque modo ceſſaverit, tunc quæſtio civilis ex integro aperitur. Ita habetur *L. ult. C. de Ordine judic.* addita illa ratione, quod judicium criminale, *utpote majus, meritò minori præferatur*, videlicet civili. Et Gloſſa ibidem exemplificatur iſtud in caſu, quo Titius petiit decem à Cajo, & Cajus in modum reconventionis accuſavit Titium de homicidio, nam priùs terminando eſt quæſtio iſta criminalis, & altera differenda: donec criminalis ceſſaverit, ſive per ſententiam abſolutoriam, ſive per pactum, aut quocunque alio modo. Idem tenet Bartolus, & Baldus *in Summario cit. L. ult. C. de Ord. judic.* Farinacius *tom. 3. Crim. q. 100. nu. 59.* citans Rotam *diverſ. dec. 267. nu. 2. lib. 3. tom. 3.* & plurimos alios. Vallenſis *h. t. n. 4.* & Pirhing. *eod. n. 18.* Ratio eſt, quæ ſuprà: quia videlicet actio criminalis, eſt major civili; ac proinde huic, utpote minori, meritò præfertur, atque priùs tractatur, quando utraque principaliter intentatur.

11 Notanter additur, *quando utraque principaliter intentatur*. Nam quando civilis quæſtio eſt principaliter mota, & incidit quæſtio criminalis; vel econverſo, ſi quæſtioni criminali incidat civilis, ſimulque neutra præjudicet alteri: tunc eadem ſententia terminantur, nec una propter aliam differtur. Ita deſumitur *ex l. Cum civili, C. de Ordine judicior.* Ubi Gloſſa *V. Tempore* concordans jura juribus, inquit, quod hic ſecunda quæſtio proponatur in modum exceptionis, ſicque incidenter moveatur: at verò *in L. ult. C. eod.* quæ priori videtur contraria, ambæ quæſtiones ſint principales, cùm poſterior proponatur per modum reconventionis. Idem tenet Farinacius *cit. q. 10. n. 75.* citans alios, ac Vallenſis, & Pirhing. *ubi ſuprà*.

12 Additur ulterius *n. 10. regulariter loquendo*. Nam data reſponſio fallit, quando quæſtio civilis præjudicat criminali: ut fit, ſi quis, qui liber eſſe dicebatur, accuſetur de crimine, & ab alio conveniatur ratione ſtatus. Tunc enim prius cauſa libertatis agi debet, quam de crimine cognoſcatur: *Quoniam neceſſe eſt antea ſciri, ſi delictum probatum fuerit, utrum ut in liberum, an ut in ſervum conſtitui oporteat judicium* prout loquitur textus *in can. Prius eſt §. Si crimen 3. q. 11. & L. 3. C. de ord. cognit. & l. Quoniam C. ad Legem Juliam de Adult.*

13 Ratio hujus eſt: quia generaliter quæſtio præjudicialis debet præcedere, ac prius cognoſci ante aliam, cui præjudicat; ut *c. 1. & c. Tuam 3. h. t.* & concordant dicta ſuperius *n. 4. & ſeqq.* ergo hoc ipſum eſt dicendum, ubi quæſtio civilis præjudicat criminali. Antecedens præter jura jam allegata, patet ex ipſa definitione Quæſtionis præjudicialis: ſiquidem

14 *Quæſtio præjudicialis* dicitur illa, ex cujus deciſione pendet aliqua alia quæſtio, cui præjudicare intelligitur. Atque iſtud multipliciter, & diverſis reſpectibus, contingit, prout fuſius explicat Jo: Andreas *in c. Tuam n. 6.* & Ancharanus *ib. n. 8. h. t.* & Fagnanus *in c. Intelleximus nu. 35. & 36. eod.* Nam quandoque quæſtio eſt præjudicialis reſpectu proponentis, quandoque reſpectu adverſarii, & quandoque reſpectu proceſſus; idque adhuc pluribus modis.

15 Et quidem reſpectu Proponentis, ſeu Eligentis, ex pluribus unam, *Quæſtio* aliqua dicitur *præjudicialis*, quatenus ex duabus quæſtionibus, ſeu actionibus, quæ competere poterant, eligit unam earum. Nam per hoc infert ſibi præjudicium in altera, utpote ad quam amplius regredi non poteſt: prout habetur caſus *in c. Ut quis duas 25. de elect. in 6. & c. un. §. fin. de poſt. Prælat. in 6. & l. Quod in hærede §. Eligere, ff. de Tributor. action.*

16 Deinde *Quæſtio* dicitur *præjudicialis* reſpectu Adverſarii; putà, quoad intentionem Actoris, in quantum illa probata jus Actoris tollitur, hujuſque intentio perimitur, & ipſe ab agendo repellitur: ut eſt caſus *in c. 1. h. t.* ubi probato impedimento conſanguinitatis, & lata deſuper ſententia, perimitur intentio mulieris virum repetentis, eò quod ob ejuſmodi impedimentum dirimens, iſte non fuerit legitimus vir ejuſdem. Et hac ratione quælibet exceptio peremptoria, eſt etiam Quæſtio præjudicialis: quia, ſi fuerit probata, perimit intentionem adverſarii, ac ſententia deſuper lata parit exceptionem rei judicatæ in altero. Jo. Andreas, Ancharanus, Fagnanus, *ubi ſuprà*, & alii.

17 Tertio. *Quæſtio* dicitur *præjudicialis* reſpectu Proceſſus:

ſus: & illud adhuc multipliciter: Imprimis enim id accidit ex parte cauſæ, ſeu quæſtionis; eò quod ſit talis conditionis, ut ipſa ante aliam poſtulet tractari, licèt non ſit peremptoria intentionis Actoris; prout eſt quæſtio ſuper libertate, & nativitate; ſeu an aliquis ſit ſervus, aut legitimè natus, *§. Præjudiciales actiones Inſt. de Action. & L. 1. ac ſeqq. C. de ord. cognit.* Huc ſpectat quælibet quæſtio incidenter propoſita, de qua debet priùs cognoſci, prout exemplificat Gloſſ. *in c. Tuam V. Dependentiam h. t.* nam hoc ipſo, quod ejuſmodi quæſtio incidens debeat priùs cognoſci, præjudicat Proceſſui, utpote quem retardat. His accedunt Quæſtiones præjudiciales ex parte Judicis: ut ſi ipſe recuſetur ut ſuſpectus, aut ſi coram Judice ſæculari incidat quæſtio ſpiritualis ſuper ſententia excommunicationis, valore matrimonii, vel hujuſmodi, de quibus ipſe cognoſcere nequit: ſic enim pariter præjudicatur Proceſſui, dum Judex ſæcularis interim eo ſuperſedere debet, donec ſuper incidenti quæſtione ſpirituali Judex Eccleſiaſticus cognoverit, ac ſententiam tulerit.

18 Quæritur III. An ſi Reus contra Actorem opponat ſpoliationem, priùs debeat tractari cauſa ſpolii? Reſp. Hic opus eſſe diſtinctione, de qua fit mentio *in c. cum dilectus, 2. & c. ult. h. t.* utrùm videlicet Reus contra Actorem opponat ſpoliationem excipiendo; hoc eſt, in forma exceptionis ad intentionem adverſarii repellendam: vel agendo, hoc eſt, ipſum reconveniendo ſuper alia ſpoliatione ad petendam ſpolii reſtitutionem.

19 Et ſi quidem reus opponat ſpoliationem contra actorem in modum exceptionis, tunc ipſe reus priùs auditur, atque probata ſpoliatione non cogitur reſpondere actori, niſi priùs reſtituatur ab ipſo, juxta *cit. c. cum dilectus §. ſed quoniam h. t.* Veruntamen ſpoliatione in modum exceptionis tantùm propoſita, atque probata (ſive incontinenti, ſive infra quindecim ſaltem dies *cap. frequens de reſtitut. ſpoliat. in 6*) non eſt propter hoc reſtitutio ſpolii facienda. Ratio hujus eſt: quia finis exceptionis eſt, repellere actorem ab agendo, non verò quid aliud conſequi: prout in ſimili, ſi per modum exceptionis crimen aliquod teſti objiciatur, & civiliter contra ipſum probetur; non ideo pœna ipſi ordinaria infligitur, ſed eius duntaxat teſtimonium reprobatur, *cit. c. cum dilectus, & cap. ult. h. t.*

20 Quod ſi verò ejuſmodi exceptionem opponat reus per viam actionis, reconveniendo videlicet actorem ſuper alia ſpoliatione ſibi per ipſum illata, ſicque petendo reſtitutionem talis ſpolii: tunc cenſentur eſſe duæ actiones principales, ſeu mutuæ petitiones, conventionis videlicet ac reconventionis, ſeſe tanquam diverſæ minimè contingentes; ac proinde ambæ viciſſim, & ſimul (cum prærogativa tamen actoris, utpote priùs ad judicium provocantis) tractari, ſimulque eadem ſententia terminari debent; prout habetur deciſum *in cit. c. cum dilectus*, juncta Gloſſa *V. eadem ſentent. terminandæ h. t.* atque uberiùs dictum eſt ſuprà *tit. 4. de Mutuis petitionibus §. 3. n. 45. & ſeq.*

21 Quæritur IV. Quid ſit quæſtio incidens, ac emergens, & an ſuper ipſa pronunciandum? Reſp. I. Quæſtio incidens poteſt ſumi vel penultima correpta, vel producta. Et quidem, ſi ſumatur penultima correpta, tunc quæſtio incidens non differt ab emergenti: neque aliud eſt, quàm quæſtio ſive exceptio, quæ incidenter, ſeu occaſione alterius hic & nunc venit tractanda. Veruntamen hoc modo de quæſtione incidenti nunc non loquimur. Igitur in propoſito *quæſtio incidens* (ſeu, ut alio nomine dicitur, *exceptio incidens*) ſumitur penultima producta: & de hac loquendo

22 Reſp. II. *Quæſtio incidens*, penultima producta, triplici modo ſumitur à Doctoribus; prout notat Gloſſa *fin. in c. intelleximus 1. h. t.* & notat Abbas *ib. n. 12.* & Fagnanus *n. 22. & ſeqq.* cum aliis. Idque probatur inductione.

23 Primò enim *quæſtio*, ſeu exceptio *incidens*, ſumitur pro peremptoria; eò quod quaſi incidat, ſeu perimat ipſum negotium principale. *Emergens* econtrà dicitur omnis exceptio dilatoria, juxta illum verſiculum à Gloſſa *fin in c. 1. h. t.* relatum.

*Incidens perimit. Emergens quæſtio differt.*

24 Deinde, ac alio modo *quæſtio incidens* dicitur ea, quæ competit reo jam ante litis conteſtationem: *Emergens* vero, quæ competit, ſeu emergit ſub lite, v. g. an dilatio ſit danda, an teſtis talis recipiendus &c. Ita Gloſſa *fin. cit. c. 1. h. t.* Sive, ut alii loquuntur, *quæſtio*, ſeu exceptio *incidens* ea cenſetur, quæ habet vetuſtiorem cauſam in judicio; id eſt, quæ orta fuit ante judicium cæptum: ut eſt exceptio conſanguinitatis, & exceptio pacti de non petendo, & aliæ hujuſmodi, quæ ortum habent ante litem incoatam. *Emergens* econtrà in hoc ſenſu dicitur ea, quæ oritur poſt judicium jam cæptum, quaſi tunc primùm oriatur, ſive emergat.

Tertiò, ſimulque melius, *quæſtio*, ſeu Exceptio *incidens* appellatur omnis illa, quæ concernit ipſum factum principale, ſeu quæ ad ipſum factum opponitur. Et meritò talis quæſtio vocatur *incidens*: quia incidit, ſive perimit ipſum factum principale. Econtra verò quæſtio, ſeu Exceptio, concernens proceſſum, ſive ordinem judiciarium, dicitur *emergens*: quia in veritate nunc emergit, ſeu incipit competere reſpectu objecti; ſive deinde exceptio illa ſit peremptoria, ut exceptio litis finitæ, ſive non; ut eſt exceptio excommunicationis, inhabilitatis, incompetentiæ &c. quæ opponitur actori, ſive Teſti, vel Judici, ad eoſdem à judicio repellendos. Et hæc tertia acceptio dictorum terminorum magis placet Abbati, & Fagnano, *ubi ſuprà*; & ſatis clara videtur. Nunc pergendo ad alteram propoſitæ Quæſtionis partem 25

Reſp. III. Quando eſt talis quæſtio, ſive exceptio circa quam pronunciatione non facta negotium principale expediri non poteſt; tunc de illa, ſive ſit incidens, ſive emergens, priùs eſt cognoſcendum, ac pronunciandum. Quando autem eſt talis quæſtio, ſive exceptio, cujus pronunciatione non facta poteſt nihilominùs quæſtio principalis definiri, & proceſſus ipſius expediri; tunc quamvis poſſit Judex ſuper illa expreſſè pronunciare, tamen ad hoc non tenetur, ſed ſufficit, ſi expreſſè pronunciet ſuper principali: nam ſic etiam tacitè pronunciabit ſuper illa incidenti, vel emergenti; dummodò hæc non ſit neceſſariò ventilanda coram alio Judice. Ita Gloſſa *in L. 2. V. quoniam, C. de ordine judicior.* Abbas *in cit. c. Intelleximus n. 11.* & Fagnanus *ib. n. 28. & ſeqq. h. t.* cum aliis. Siquidem per hanc diſtinctionem optimè concordantur jura, 26 quæ cæteroquin prima facie videntur diſcordare, prout patebit ex Juribus allegandis. Et quamvis Gloſſa *fin. in c. 1. h. t.* præſentem difficultatem ſolvere conetur diſtinguendo inter quæſtiones, ſeu exceptiones incidentes, & emergentes, & aſſerat, in incidentibus non pronunciari, benè tamen in emergentibus; tamen hæc Gloſſæ diſtinctio nonnullas patitur inſtantias, atque limitationes, quas refert tum citata Gloſſa, tum Fagnanus *loc. cit. n. 26. & 27.* Noſtra vero Concluſio eſt generalior, ſimulque clarior.

Probatur proinde prima pars Concluſionis *ex c. cum ſuper de cauſa poſſeſſ. & propriet.* ubi dicitur quod *Judex de qua recognoſcit, pronunciare debeat.* Licet enim hic textus ibidem per Gloſſam exponatur de tali re ſeu quæſtione, de qua Judex cognovit principaliter: meritò tamen is etiam extenditur ad omnes alias quæſtiones, ſine quarum pronunciatione nequit expediri proceſſus ſuper negotio principali: nam hoc ipſo, quod proceſſus ſuper principali non poſſit ſine earum pronunciatione expediri, oportet iſtam præmittere veluti medium neceſſariò prærequiſitum. Hinc *in l. liberis §. fin.* juncta Gloſſa *V. Pronunciandum fuerit C. de Liberal. cauſ.* pronunciatur ſuper incidenti quæſtione; quia aliter in judicio procedi non poterat. Similiter *in l. Intra utile, ff. de Minorib.* fertur ſententia interlocutoria ſuper ætate. Et *l. A procedente C. de Dilation.* pronunciatur per ſententiam interlocutoriam, an dilatio ſit danda, nec ne: quia nimirum aliter in cauſa principali procedi non poſſet. 27

Ratio poſterioris partis datæ Concluſionis deſumitur 28 *ex c. 1. h. t.* ubi habetur, vel ſaltem (ut loquitur Gloſſa *fin.*) inde colligitur manifeſtè, quod ſi reus opponat Actori exceptionem peremptoriam, de hac Judex cognoſcere quidem debeat, non autem ſententiare teneatur: quia eo ipſo, quod pronunciatur ſuper principali quæſtione, ſatis intelligitur eſſe pronunciatum ſuper incidenti quæſtione per quandam conſequentiam. Concordat textus *in L. 1. C. de ordin. judic.* ubi Judex debet quidem cognoſcere non ſolum de quæſtione principali, ſed etiam de incidenti (haud obſtante, quod alioquin de hac cognoſcere non valeret) non tamen de incidenti expreſſè pronunciat, ſed ſolum de principali. Ad hoc ipſum facit textus in *l. quoties C. de Judiciis, & l. Si de hæreditate C. de ordine cogn.*





ubi pariter ſufficit, quod ſuper quæſtione principali pronuncietur.

29 Diſparitas inter hanc, & priorem partem, eſt: quia quandoque proponuntur quæſtiones, ſeu exceptiones quædam, in ordine ad effectum impediendi proceſſum judiciarium ad ulteriora: & patet, in his neceſſariò eſſe pronunciandum, eò quod non aliter poſſet ulteriùs procedi ſuper principali. Aliquando verò ipſæ proponuntur per modum incidentis in ordine ad effectum reportandi victoriam ſuper negotio principali: & nunc ſuper eis non eſt neceſſe expreſſim pronunciare, ſed ſufficit pronunciare ſuper principali. Quia eo ipſo, quod pronuncietur ſuper principali quæſtione, ſicque victoria reportetur, ſatis ſuper tali quæſtione intelligitur pronunciatum per quandam conſequentiam; ut ſit in Juribus *nu. præc.* allegatis.

30 Additur notanter num. 26. *dummodò hæc non ſit neceſſariò ventilanda coram alio Judice*: ut ſi mota cauſa principali coram ſæculari Judice, incidat quæſtio ſpiritualis, v. g. de validitate matrimonii. Tunc etenim alter Judex, utpute Eccleſiaſticus, debet prius pronunciare, ſive ſententiam ferre ſuper tali quæſtione, antequàm prior Judex, putà Laicus in negotio principali procedere valeat, *arg. c. tuam 3. h. t. & c. Lator. 5. qui filii ſint legitim.* ac illicò ampliùs dicetur. Unde

31 Quæritur V. Quid agendum, ſi cauſa principalis, & incidens, ſint tractandæ coram diverſis Judicibus? Reſp. I. Quando quæſtio incidens eſt merè ſpiritualis, Judex ſæcularis non poteſt ullatenus, ne quidem acceſſoriè, de ipſa cognoſcere, ſed hæc erit remittenda ad Judicem Eccleſiaſticum, & interim Judex ſæcularis debet ſuper cauſa principali ſuperſedere. Ita Gloſſa *in cap. tuam V. Patienter.* & Abbas *ib. num. 3. & 9.* & Fagnanus *num. 19. & 22. h. t.* Engel. *eod. num. 2* & communis. Generaliter enim prohibitum eſt, ne Laici Eccleſiaſtica tractare negotia præſumant, *cap. decernimus 2. de Judiciis*, cum concordantiis; eſtque jam dictum ſuprà *tit. 1. de Judiciis §. 3. nu. 66. & ſeqq.*

32 Idem probatur, ſimulque exemplificatur, tum ex *cit. cap. tuam 3. h. t.* tum ampliùs ex *c. Lator. 5. qui filii ſint legit.* Ubi petente quodam coram Judice ſæculari hæreditatem cum ex adverſo contra eum fuiſſet exceptum, quod non ſit natus ex legitimo matrimonio, ſicque nihil poſſit jure ſucceſſorio ſibi vendicare: mandatur, ut priùs per Judicem Eccleſiaſticum quæſtio natalium, ſive de validitate matrimonii decidatur, atque interim Judex ſæcularis ſuper cauſa principali ſuperſedeat. Similiter, quando agenti coram Judice ſæculari objicitur excommunicatio, non poteſt is de hac cognoſcere; ſed debet cauſam excommunicationis remittere ad Judicem Eccleſiaſticum. Bartolus *in leg. quoties, Cod. de Judiciis.* Abbas *cit. num. 9.* & alii.

33 Nec obſtat, quod continentia cauſæ non debeat dividi, *l. Nulli C. de Judiciis.* Et qui de cauſa principali cognoſcit, etiam de incidente valeat acceſſoriè cognoſcere, atque ſententialiter diffinire, *C. de prudentia 3. de Donat. inter virum & uxor. & l. quoties, C. de Judiciis*, cum ſimilibus. Reſp. enim cum Gloſſa *fin. in c. c. tuam h. t.* iſtud regulariter verum eſſe, ac præſertim loquendo de cauſis civilibus; at ſecùs dicendum de cauſa merè ſpirituali, de qua Judex ſæcularis ne quidem incidenter cognoſcere poteſt; idque per Iura proximè allegata.

Vel dic cum Fagnano *l. cit. n. 25. & ſeqq.* quod incidentia cauſæ proroget quidem juriſdictionem Iudicis ad ſpeciem non omnino diverſam, nec altioris, nec inferioris gradus exiſtentem: non tamen eam proroget ad ſpeciem omnino diverſam, ſeu ſeparatæ naturæ, atque altioris gradus: Hinc Iudex delegatus, qui principaliter cognoſcit de matrimonio, poteſt incidenter & acceſſoriè ſimul cognoſcere de dote; cum hæc ſit quid inferioris gradus, atque acceſſorium ad matrimonium, *cit. c. de prudentia de donat. inter virum & uxor.* Similiter, ſi orta cauſa Eccleſiaſtica coram Iudice Eccleſiaſtico incidat quæſtio temporalis, etiam hanc (excepta cauſa ſanguinis) Iudex Eccleſiaſticus incidenter tractare, & terminare poteſt: quia juriſdictio Eccleſiaſtica eſt ſuperior temporali; ſimulque juriſdictio in temporalibus, quoad habitum eſt penes Eccleſiam. 34

Secùs eſt, ſi cauſa incidens ſit omnino ſpeciei diverſæ 35 & ſeparatæ naturæ, atque altioris ordinis: prout accidit in cauſis ſpiritualibus reſpectu Iudicis ſæcularis. Unde nequit Iudex laicus de cauſa Eccleſiaſtica incidenti acceſſoriè cognoſcere, cùm hæc ſit diverſæ naturæ, atque altioris ordinis; & ſic requirat Iudicem ſuperiorem, nempe Eccleſiaſticum. Simile quid habetur de Iure Civili: nam Iudex, qui merum & mixtum imperium non habet, non poteſt incidenter cognoſcere de iis, quæ ſunt meri, vel mixti imperii; ſiquidem hæ cauſæ requirunt maximos Iudices, *arg. l. Non diſtinguemus § Julianus ff. de receptis arbitr.* ac notat Gloſſa *unic. in leg. Inter inconvenientes ff. ad municipalem.* Fagnanus *cit. cap. tuam num. 27 h. t.* & alii.

Infertur proinde; quod, quando cauſa principalis, & 36 cauſa incidens, ſunt tractandæ coram diverſis Iudicibus, quorum unus eſt inferior, alter ſuperior; pendentia incidentis ſuſpendat juriſdictionem in principali. Idque certum eſt, quando per Iudicem ſuperiorem fit inhibitoria, ne inferior ulterius in cauſa procedat, donec ſuperior de incidenti cognoverit, prout factum fuiſſe *in cit. c. tuam h. t.* deſumitur ex illis verbis: *Patienter expectes.* Ubi proin Abbas *n. 5.* generaliter infert, quod Iudex Eccleſiaſticus poſſit mittere inhibitoriam Iudici ſæculari: ne procedat ſuper cauſa depentente ex cauſa, quæ agitatur coram ipſo Iudice Eccleſiaſtico.

Quod ſi verò Iudex ſuperior, v. g. Eccleſiaſticus, non 37 miſerit inhibitoriam inferiori, putà Laico; tunc quidem proceſſus per hunc ſuper principali negotio interim factus parte non opponente valebit, ſed ſententia, ſi tunc feratur, erit invalida: ferretur enim à Iudice minùs inſtructo, & contra ordinem juris, *arg. c. 1. h. t.* Ubi propoſita exceptione peremptoria dicitur, non eſſe ferendam ſententiam ſuper negotio principali, nondum diſcuſſa prius peremptoria: ac proinde ex hujus pendentia, manet ſuſpenſa juriſdictio Iudicis inferioris ad ferendam ſententiam ſuper principali ex ipſamet Lege. Abbas *cit. cap. Tuam.* & Fagnanus *ibidem numer. 22. & 23. hoc tit.*

# TITULUS XI.

## De Plus Petitionibus.

*SUMMARIUM.*

1 *Ratio continuationis rubricarum.*
2 *Quatuor modis plus petitur.*
3 *Nempe re,*
4 *Loco,*
5 *Tempore, &*
6 *Cauſa.*
7 *Pœna plus petentium antiquitus, quæ?*
8 *Et quæ de facto*
9 & 10 *Induciæ temporis qua ratione duplicentur reo in pœnam Actoris plus tempore petentis? Et referuntur duæ ſententiæ.*
11 *Pœna pecuniaria eſt levior quavis pœna corporali.*
12 *Plus petens cauſa, loco & re, condemnatur in expenſas.*
13 & 14 *An etiam incurrat pœnam Tripli?*
15 *Prædictæ pœnæ locum non habent, ſi probetur, non malitioſè plus petitum fuiſſe.*
16 *Actor plus debito petens, poteſt impunè pœnitere ante litis conteſtationem.*
17 *Reſtitutis tamen adverſario expenſis, ſi quas idcircò fecit.*
18 *Etiam poſt litem conteſtatam pœnitens evitat pœnas.*
19 *Limitatur hoc in caſu* L. un. C. h. t.
20 *Actore plus petente, an poſſit reus ſimpliciter negare totam petitionem?*
21 *Affirmatur; & cur? Et n. ſeqq.*
22 *Juriſtarum cauta reſponſio:* Nego narrata, ut narrantur.
23 *Opinio, ac diſtinctio Bartoli refertur,*
24 *In toto pars continetur.*
25 *Aliæ rationes Bartoli diſtinguentis.*

1 CUm libellus Actoris debeat eſſe ritè inſtructus, ac proinde nihil plus juſto petere: rectè nonnunquam à reo excipitur, Actorem plus petere, quam ſibi debeatur. Quia igitur in rubrica præcedenti viſum eſt *de ordine cognitionum* in genere, meritò ſubjungitur præſens rubrica *de plus petitionibus*; eò, quod hæ inter quæſtiones incidentes primo loco diſcutiendæ veniant.

2 Quæritur I. Quot ſint modi plus petendi? Reſp. I. Quatuor modis plus petitur, videlicet re, loco, tempore, & cauſa patet hoc *ex c. un. h. t. & §. plus autem Inſtit. de Action*. Et quidem

3 *Re plus petere* dicitur, qui plus exigit, quam ſuum ſit debitum. Ut ſi quis v. g. pro decem aureis, qui ſibi debebantur, viginti petierit: aut cum quis rem, quæ ex parte duntaxat ſua eſt, petat integram, vel pro majori parte;

4 *Loco plus petit*, qui certo loco quidpiam ſibi dari ſtipulatus, id alibi repoſcit. Ut ſi Titius promiſit Cajo decem ſaccos frumenti, vel centum florenos Monachii dare, & Caius illos exigat Viennæ: nam adimit Titio commoditatem ſolvendi, quam haberet, ſi ſolveret Monachii, ubi facilius poſſet præſtare ſolutionem. Atque iſtud vel maximè ſolet contingere in mercibus; utputà, vino, frumento, oleo &c. in quibus hæc commoditas multum variatur per ſingulas propemodum regiones propter earum abundantiam, vel caritatem.

5 *Tempore plus petit* ille, qui præmaturè, ſeu ante diem ſtatutum, vel ante impletam conditionem poſtulat: nam & talis adimit Reo utilitatem temporis. Unde, *ſicut minus ſolvit, qui tardius ſolvit*, ut dicitur *in l. Si cui 12. §. fin. ff. de Verb. ſignif.* ac proinde tenetur in acceſſoriis. *l. Mora § in bonæ, ff. de Uſur.* ita econversò, qui citius petit, plus petere cenſetur: nam contrariorum eadem eſt diſciplina.

6 Tandem *Cauſa plus petit*, qui in alternativa, cujus electio ad reum conventum pertinet, alteram partem determinatè petit, vel qui rem debitam in genere, poſtulat præcisè in tali ſpecie: ut ſi Titius debeat Cajo vel ſolvere decem aureos, vel ipſi dare equum, & Cajus petat equum ſibi dari. Nam in alternativis Debitoris eſt electio, quid præſtare malit, v. g. utrùm pecuniam illam, vel equum velit dare *§. Huic autem. Inſt. de act.* Qui igitur alterutrum determinatè exigit, eripit electionem adverſario, ejuſque conditionem facit deteriorem; ac proinde *plus cauſa petere* convincitur. Idem accidit, ſi quis debeat centum florenos, & Creditor petat ſolutionem fieri in certa duntaxat moneta.

Quæritur II. Quæ ſint pœnæ plus petentium in judicio 7
Reſp. I. Olim plus petentium pœna fuit, quod cauſa cadebant; hoc eſt rem amittebant: niſi minor ætas, vel magna juſti erroris cauſa ipſos excuſaſſet, *§ Si quis agens. Inſt. de Action* juncto, *§. Appellantur Inſt. de except.* Ubi etiam explicatur, qua ratione plus petens tempore, totam rem amittebat: quia nempe talis in primo judicio nihil conſequebatur, propter objectam exceptionem dilatoriam, ratione cujus differre cogebatur actionem uſque ad debitum tempus; & poſteà ſuo tempore rursùs agere volens, ſubmovebatur exceptione peremptoria, quòd rem ſemel temere in judicium deduxiſſet. Et hac ratione totam rem amittebat, *leg. Juſtas Cod. de Jure Fiſci lib. 10.*

Reſp. II. Hujuſmodi pœna plus petentium ſucceſſu 8
temporis ſublata fuit (excepto unico ſpeciali caſu, qui habetur *L. un. C. h. t.* atque infrà §. 19. adducetur) Jureque novo tum Civili, tum Canonico, qui plus tempore petit, removetur ab inſtantia illius judicii, & condemnatur in expenſas; adeò, quod etiam adveniente debito tempore non teneatur reus litem ſuſcipere, niſi ſolutis ſibi expenſis prioris inſtantiæ, atque inſuper in pœnam Actoris plus tempore petentis duplicantur reo induciæ temporis. Ita patet *ex c. un. h. t. & §. hodie autem Inſt. de except.*

Converſè, qualiter memoratæ induciæ temporis reo 9
ſint duplicandæ in pœnam actoris plus tempore petentis, variant Doctores. Siquidem Abbas *in c. un. n. 14.* Bartolus *§. Et hæc quidem Inſt. de Action.* Vallenſis *h. t. n. 2.* & nonnulli alii volunt, ejuſmodi duplicationem induciarum temporis non eſſe intelligendam de duplicatione totius temporis; ſed illius duntaxat, quod reliquum erat reo, & in quo plus petendo deliquit actor: ut ſi terminus ſolutionis faciendæ erat annus, & actor menſe decimo ſolutionem judicialiter petierat, non duplicitur integer annus, ſed ſolum duplicentur duo iſti menſes. Et hæc ſententia fundat fœtum in æquitate naturali; ſeu ne plus puniatur quis, quàm deliquerit, ſed pœna ſit commenſurata delicto, *c. quæſivit §. fin. de his quæ fiunt à maj. par. Cap. & l. reſpiciendum ff. de pœnis.* Tum quia in ſimili caſu ita declaratur pœna de tempore duplicato in *l. Aut damnum §. quiſquis ff. de pœnis.*

Oppoſitam verò ſententiam, ſive quod in pœnam A- 10
ctoris plus tempore petentis duplicetur reo totum tempus, ut puta in cauſa poſito, integer annus: tenet Jo. Andreas *c. un. n. 5. h. t.* Engel. *eod. n. 3.* aſſerens, inducias ad ſolvendum v. g. conceſſas tunc ita debere duplicari, ut qui prius fuerat obligatus ſolvere intra annum, poſteà non teneatur niſi poſt biennium. Sannig. *h. t. c. 3. n. 3.* Herculés Mareſcottus *lib. 2 var. reſ. c. 131. n. 5.* hanc ſententiam appellans veriorem; quam etiam communiter teneri, inquit, Pirhing *h. t. num. 19* licèt priorem quoque fateatur eſſe probabilem. Fundamentum ejus deſumitur ex textu ſatis aperto *in cit. §. Hodie autem. Inſtitut. de Exception.* ubi pœna plus tempore petentis, vi Zenonianæ Conſtitutionis, inducitur illis verbis *Ut & inducias, quas ipſe Actor ſponte indulſerit* (puta, in caſu poſito integrum annum) *vel quas natura actionis continet. Inſuper tempſerit, in duplum habeant illi, qui talem injuriam paſſi ſunt &c.*





11 Neque obſtant rationes oppoſitæ ſententiæ. Non prima: quia talis pœna ab ipſomet Jure ſtatuta fuit, & quidem rationabiliter ſeu, *ut Auctores tali pœna perterriti, tempora litium doceantur obſervare*; prout ſubjungit textus *in cit. §. Hodie autem:* ſicque nihil hinc ſequitur repugnans æquitati naturali. Neque ſecunda: quia in *l. Aut damnum §. Quiſquis ff. de Pœnis*, ſermo eſt de pœna corporali, qua quis in opus publicum damnatus fuerat: hic verò agitur de pecuniaria, quæ cùm levior ſit, ac minor quavis pœna corporali, *l. In ſervorum §. fin. ff. de Pœnis*, non ſit bona illatio ab hac ad illam.

12 Reſp. III. Plus petens cauſa, loco, & re condemnatur in omne damnum, expenſas & intereſſe, ſi quod ex ſua actione Reo acciderit, *cap. un. h. t.* Atque inſuper ex Conſtitutione Juſtiniani ſolvere debet triplum ejus, quod ob majorem quantitatem, libello conventionis ſeu actionis incertam, Sportularum nomine præſtandum erat viatoribus, ſive executoribus litium, *§. Sed hæc quidem & §. Triplici verò, Inſtit. de Action.*

13 Additur notanter, *ex Conſtitutione Juſtiniani.* Siquidem hæc pœna Tripli non habet locum de Jure Canonico; prout notat Jo. Andreas *in cap. un. n. 11.* & Abbas *ibid n. 9. h. t.* Pirhing *eod. n. 8.* Vallenſis *n. 4* & alii contra Gloſſam *in cap. un. verſ. Amplius h. t.* Ratio eſt: Tum quia Pontifex aſſignando pœnas plus petentium, nihil meminit de pœna Tripli: & conſequenter rigor Juris Civilis non procedit in perſonis, ac negotiis Eccleſiaſticis, *arg. cap. 1. de Dolo & contum.* Nam, ſi Papa in ipſis voluiſſet etiam pœnam Tripli obſervari, potuiſſet inter alias pœnas & hanc expreſſiſſe, *c. Inter corporalia §. Sed neque de Tranſlat. Epiſc.* Tum quia Sportulæ non præſtantur in Foro Eccleſiaſtico, *c. Cùm ab omni de Vita & honeſt. Cleric* ergo neque pœna Tripli ſub nomine Sportularum: nam quod non eſt, triplicari nequit.

14 Et hæc poſterior ratio tam fortiter ſtringit, ut in Foro quoque Civili, ubi de conſuetudine non præſtantur ſportulæ, non ſit locus huic pœnæ Tripli. Jo: Andreas, & Abbas, *ubi ſuprà.* Quinimò moribus hodiernis plus petentem loco, re, vel cauſa; ad ſolum damnum expenſas & intereſſe condemnari notat Zoeſius *Tit. de Action. Inſt. num 6. in Addit.* & Chriſtoph. Clingenſperger *l. 4 Inſtit. tit. de Action. q. 100.* Mareſcottus *cit. lib. 2. Variar. Reſol. cap. 131. n. 8.*

15 Addit Ludov. Engel *h. t. n. 3.* & Sannig *eod. c. 2. n. 4.* præfatas pœnas locum non habere ſi Actor probaverit, ſe non malitioſè, ſed juſto errore ductum plus petiiſſe: ut putà, quia totum Legatum petivit, eò quod vigore Teſtamenti id ſibi competere credebat, poſtmodùm verò proferatur alia Teſtatoris ſcriptura, ſive Codicillus Legatario incognitus, in quo dimidia pars Legati ipſi adempta, & alteri data fuit. Nam Jura hactenus allata, & pœnam plus petentibus ſtatuentia, fundant ſe in dolo, ſeu importunitate plus petentium: ut patet *ex L. un. C. de Plus petition.* ibi: *Odioſas contrahentium calliditates:* juncto *cap. un. h. t.* ibi: *Punitur enim importunitas plus petentium*, cum ſimilibus. Accedit, quòd error facti juſtam præſtet excuſationem; cùm optimi quoque, & conſtantiſſimi tali errore labi poſſint, *§. Si quis agens, Inſtit. de Actionib.*

16 Quæritur III. Utrùm, ſi Actor plus debito petens pœniteat, ſive à petitione illa deſiſtat, per hoc evitet pœnas plus petentibus inflictas? Reſp. I. Poteſt Actor ante factam litis conteſtationem impunè pœnitere; atque tunc deſiſtens à facta plus petitione, non incurrit prædictas plus petentiùm pœnas. Ita Gloſſa *cap. un. ℣. In judicio, h. t.* & ſequuntur Doctores paſſim, propter textum *cit. cap. un. h. t.* ſatis clarum; dum ait: *Punitur enim importunitas plus petentium, ſi ſuper petitione ſua duxerint in judicio perſiſtendum.* Atqui ante litem conteſtatam, nondum cenſetur Actor plus petens in judicio perſiſtere: ſiquidem ante litis conteſtationem necdum judicium intelligitur cœptum; cùm ipſa ſit lapis angularis, & fundamentum judicii. Accedit, quòd Actor liberè poſſit libellum mutare uſque ad litis conteſtationem, ut ſuprà *Tit. 3. n. 27. & ſeqq.* oſtenſum fuit.

17 Notat tamen Gloſſa marginalis *cit. cap. un. h. t.* poſt Hoſtienſem *ibid.* quòd licèt Actor plus petens poſſit ante litis conteſtationem deſiſtere, teneatur nihilominus adverſario ad intereſſe, ſive ad reſtituendas expenſas, ſi quas idcircò fecit. Et meritò: nam quia Actor dictarum expenſarum ſua importuna plus petitione fuit cauſa, iniquum foret, tales expenſas indebitè cauſatas ab ipſo non reſarciri. Sicut econtrariò, ſi Actor in ſua plus petitione perſiſtens nullum exinde Reo damnum procreaſſet, ad nullam ſolvendarum expenſarum (utpote reverà non factarum) pœnam condemnari poſſet: cum Reus nullum in hoc intereſſe prætenderet, neque prætendere valeret. Abbas *h. t. n. 8.*

Reſp. II. Etiam poſt factam litis conteſtationem, ſed 18
ante latam ſententiam, Actor à ſua plus petitione deſiſtens, evitat præfatas pœnas. Ita Abbas *cit. cap. un. n. 6. h. t.* ac valdè probabile cenſet Pirhing *h. t. n. 10.* contra Gloſſam *in d. cap. un. ℣. In judicio h. t.* & plures alios Doctores. Ratio eſt: quia *in cit. cap. un. h. t.* punitur ſolùm, qui perſiſtit in judicio ſuper ſua importuna plus petitione: atqui deſiſtens ab ea ante ſententiam, non ſic perſiſtit in judicio; cùm hoc duret, quamdiu cauſa diſcutitur, *c. Forus 10. de Verb. ſignif* & in materia pœnali verba ſtrictè ſint accipienda, atque cum effectu. Accedit textus *in l. Qui cum natu major § Accuſaſſe, ff. de Bonis libertor.* ubi ſic legitur: *Accuſaſſe eum dicimus, qui crimina objecit, & cauſam peroravi uſque ad ſententiam effecit.* Item *l. In ſervitutem §. Petiſſe, ff. eod.* ibi: *Petiſſe in ſervitutem non videtur, qui ante litem conteſtatam deſtitit: ſed & ſi poſt litem conteſtatam, dicendum eſt, nec id nocere debere: quia non uſque ad ſententiam duravit.* Idem ergo dicendum in propoſito, veluti in materia pœnali ſicque requirente perſiſtentiam in judicio, ut pœna legalis incurratur.

Dices *in L. un. C. h. t.* expreſſè habetur, quòd ante li- 19
tem inchoatam, ſive conteſtatam, poſſit plus petens pœnitere, non verò poſtea. Reſp. id eſſe ſpeciale in caſu dictæ Legis, propter duplex debitum Actoris. Ideò enim ibidem non eſt locus pœnitentiæ poſt litem conteſtatam, quia Actor ille deliquit in duobus. Primò, quia certa quantitate ſibi debita, ſuper majori pecunia per dolum malum exegit cautionem. Secundò, quia inſuper doloſe petiit plus, ſive majorem illam quantitatem: atque idcircò gravius punitur talis, ut non ſolùm poſt litem conteſtatam nequeat ampliùs pœnitere; ſed inſuper convictus in judicio in deteſtationem gemini delicti, privetur toto debito. Hinc in ſimili, ſi uſurarius v. g. exigat cautionem de duplo veræ ſortis (ut putà de ducentis florenis, cùm mutuaſſet duntaxat centum) & poſteà in judicio exigat totum, v. g. ducentos florenos, lite jam conteſtata nequit ampliùs pœnitere: ſimulque convictus ſuper majori illa quantitate, privetur toto debito; niſi vel cum Reo tranſigat ſuper pœna alia, vel Reus ultrò confiteatur, ſe totum debere: nam hi duo caſus *in c. L. un. C. h. t.* excipiuntur. Abbas *cit. cap. un. n. 6. & 7. h. t.* poſt Bartolum *in l. In criminali C. de Juriſdict. omn. judic.*

Quæritur IV. An Actore plus petente poſſit Reus 20
ſimpliciter negare totam petitionem? Hæc quæſtio quotidiana eſt, & habet locum etiam circa poſitiones habentes aliquam partem falſitatis: ut ſi Titius arguatur, quòd percuſſerit Cajum in Foro, quem percuſſit quidem, ſed alibi, an is poſſit ſimpliciter negare poſitionem illam, eò quòd reverà Cajum in Foro non percuſſerit; aut ſi arguatur, quòd debeat viginti, qui tamen non debet viginti, ſed decem ſolummodò.

Reſp. Actore plus petente poteſt Reus abſolutè nega- 21
re totam petitionem, ut proponitur. Ita Abbas *in cap. un. n. 15. h. t.* poſt Gloſſam *in cap. ult. ℣. Abſque rationabili cauſa de Confeſſis in 6.* Covarruvias *lib. 1. Var. Reſolut. cap. 2. n. 5.* allegans Baldum *in c. Dudum II 2. de Election. n. 29.* & alios; quibus accedunt citandi *n. ſeqq.* Deſumitur Concluſio *ex l. Si is, qui ducenta §. Virùm ff. de Rebus dubiis*; ubi dicitur: *Significatio, quæ ſumitur ex univerſo, in quo aliquid falſum eſt, totam orationem falſam efficit.* Concordat *can. Si ad ſcripturas diſt. 9.* juncta Gloſſa, *℣. Quid in eis:* quæ pluribus Juribus probat, quòd quando inſtrumenta, vel atteſtationes, pro parte inveniuntur falſa, in totum reprobentur.

Et in ſimili, quando poſitio continet alterum verum, 22
alterum falſum (eadem quoque eſt ratio de plus petitione) poſſe ipſam ſimpliciter negari propter additam partem falſam, tenet Gloſſa *in cap. 2. ℣. Singillatim*

*de Teſtib. l. 6.* Idemque docet Jaſon *l. Sive autem alterutra n. 17. C. de Judic.* & Speculator *tit. de Litis conteſtatione §. Nunc dicamus n. 3.* Quia (inquit) talis non ſimpliciter negat, ſed negat narrata, prout narrantur. Et quòd communiter Advocati ſequantur hanc opinionem in Practica, teſtatur Abbas *cit. cap. un. n. 15. h. t.* Quin & Doctor Subtilis *in 4. diſt. 15. q. 4. §. In tertio ℣. Quid ergo*, refert, & commendat cautam illam reſponſionem Juriſtarum: *Nego propoſita, ut proponuntur.*

23 Fatendum tamen, quòd Bartolus *in L. 1. §. Si ſtipulanti, ff. de Verb. obligat. & l. Si quis cùm totum ff. de Exception. rei judic.* allatam doctrinam tam illimitatè non admittat, ſed quandam adhibeat diſtinctionem. Aut enim (inquit) illud, quod continetur in libello vel poſitione, eſt falſum ratione qualitatis; aut ratione quantitatis. Si primum, poteſt negari in totum; & ſic etiam juxta Bartolum procedit allata Concluſio. Si ſecundum, hoc eſt quando falſitas eſt in quantitate; ut ſi quis petat viginti, cùm ſolùm debeantur ipſi decem; aut ſi petat totum, ubi pars duntaxat habetur: tunc (inquit Bartolus) non poteſt quis in judicio negare totum, ſed ſolummodò partem indebitam, & debitam debet confiteri. Ratio ipſius eſt: quia, qui petit totum, etiam quamlibet ejus partem petere cenſetur; ergo & viciſſim, qui ſimpliciter negat totum, etiam quamlibet ejus partem cenſetur negare: atqui hoc non poteſt fieri abſque falſitate, quando pars aliqua debetur, ergo

Antecedens principale, ſive quod petendo totum in quantitate etiam quælibet pars ejus peti videatur, probatur ex eo: quia pars in toto eſt, *l. Si quis cùm totum. ff. de Exception.* juncta *Reg. 80 Juris in 6.* ibi: *In toto partem non eſt dubium contineri.* Et manifeſtum eſt in viginti & decem ineſſe, *L. 1. §. Si ſtipulanti ff. de Verb. obligat.* 24

Conſequentia verò ſic probatur. Tum quia contrariorum eadem eſt diſciplina, *L. 1. ff. De his qui ſunt ſui, vel alien. jur.* cum concordantiis. Tum quia *in l. Pupillus. §. fin. ff. de Verb. ſignif.* habetur, quòd negans rem eſſe ſuam, hoc ipſo videtur etiam negare, eam eſſe ſibi cum altero communem; & ampliùs notat Gloſſa *in can. Nulli. 12 quæſt. 1. verſ. Hoc meum eſt.* Accedit, quòd Reus in judicio teneatur reſpondere ad petitionem Actoris, eumque certificare, quid neget: & conſequenter vel debet negare duntaxat partem indebitam; vel ſimpliciter negando totum, etiam quamlibet ejus partem negare videbitur (quod tamen abſque falſitate fieri nequit) ſicut & Actor, petendo totum, etiam hanc petivit. 25

# T I T U L U S XII.

## De Cauſa Poſſeſſionis & Proprietatis.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*

1 CUm frequentiſſimè in Judiciis occurrant cauſæ poſſeſſionis, & proprietatis; viſo jam generatim de Ordine cognitionum, meritò nunc agitur de cauſa poſſeſſionis, ac proprietatis in ſpecie, & ordine cognoſcendi de utraque. Quia verò hæc materia eſt ampliſſima, uſuque frequentiſſima, ac proinde non nihil latiùs explicanda, expedit eam in paragraphos ſubdividere.

### §. I.

### Quid ſit Poſſeſſio, & quæ ejus diviſio?

*S U M M A R I U M.*

2 *Poſſeſſio, unde ſic dicatur? Et n. ſeqq.*
3 *Poſſeſſio rerum immobilium eſt dignior, quàm mobilium, quæ vilis eſt.*
4 *Poſſeſſionis definitio. Et n. ſeqq.*
5 *Ejus nomen quandoque tribuitur ipſis rebus poſſeſſis.*
6 *Poſſeſſio propriè, eſt rerum corporalium: quaſi poſſeſſio, incorporalium.*
7 & 8 *Definitio ipſius declaratur. Et n. ſeqq.*
9 Poſſidere, & eſſe in poſſeſſione, *differunt.*
10 *Poſſeſſio ſolo animo acquiri nequit, bene tamen acquiſita retineri.*
11 *Quænam poſſideri non poſſint?*
12 *Primaria poſſeſſionis diviſio, quæ?*
13 *Poſſeſſio juris, ſeu civilis,*
14 *Poſſeſſio facti, ſeu naturalis, &*
15 *Poſſeſſio juris & facti ſimul, quid?*
16 *Qui alieno nomine poſſidet, non poſſidet.*
*Et qualiter tunc Dominus retineat poſſeſſionem? Ibid.*
17 *Poſſeſſio civiliſſima, quæ?*
18 *Poſſeſſio juſta, & injuſta; item bonæ, vel malæ fidei, quæ?*
*Poſſeſſor bonæ fidei, & malæ fidei, quis? ibid.*
19 *Poſſeſſio vacua, ejuſque requiſita. Et n. ſeqq.*
20 *Poſſeſſio libera, &*
21 *Poſſeſſio non vacua, quæ?*
22 *Poſſeſſio plena, & proprietas plena, quæ?*
23 *Poſſeſſio pacifica, & pacificè poſſidere, quid?*
24 *Poſſeſſio habens plus juris, quàm facti.*
25 *Et habens plus facti, quàm juris.*
26 *Et habens multum juris, & multum facti declaratur.*

QUæritur I. Unde derivetur Poſſeſſio, & quid ſit? 2
Reſp. I. *Poſſeſſio* ſic dicitur à pedibus; & ſonat idem, ac *pedum quaſi poſitio*, prout notatur *in L. 1. ff. de Acquirend. poſſeſſ.* Ideò autem poſſeſſio potiùs denominatur à pedibus, quàm ab alia corporis parte: quia pedes ſunt firmum totius corporis ſuſtentaculum, & baſis reliquarum partium ejus, ac proinde res naturaliter (hoc eſt, de Jure naturali primævo) cenſetur teneri, ſive poſſideri ab eo, qui pedibus ſuis eidem inſiſtit; juxta illud Deuter. cap. 11. *Omnis locus, quem calcaverit pes veſter, veſter erit*, & concordat textus *in cit. L. 1.* juncta Gloſſa, *verſ. Quia naturaliter.* Et licèt manus quoque ſint inſtrumentum acquirendi poſſeſſionem rerum, præſertim mobilium, quæ manibus apprehenduntur: nihilominùs rerum immobilium poſſeſſio à pedibus, eorumque inſiſtentia corporali, primævam originem duxit.

Quia inſuper poſſeſſio rerum immobilium eſt multò dignior, quàm poſſeſſio mobilium, quæ vilis eſt & abjecta, ut inquit Gloſſa *in l. Rem quæ nobis, verſ. Erepta, ff. de Acquir. & amitt. poſſeſſ.* atque faciliùs perditur, *d. Rem quæ nobis & l. Si rem mobilium ff. eod.* Ideò à *pedibus*, veluti à digniori inſtrumento poſſidendi, meritò trahitur denominatio poſſeſſionis: haud obſtante, quòd Jaſon *in l. Poſſeſſio appellata n. 14. ff. de Acquir. poſſeſſ.* & Andreas Alciatus *l. In lege cenſoria verſ. Sedes, ff. de Verb. ſignif.* & quidam alii aliam dicti nominis etymologiam pognant; dicentes, quòd *Poſſeſſio* non à *pedibus*, ut vulgò legitur *in L. 1. ff. de Acquir. poſſeſſ.* ſed à dictione *pos*, unde *impos & compos.* itemque *à Sedibus* dicta ſit. Et favet Gloſſa *in d. L. 1. verſ. A pedibus*; ubi notat, quòd aliàs ibi legatur, *à Sedibus.* Verùm prior opinio, ſicut eſt conformis textui Juris, ut communiter legitur, ita magis eſt recepta, præſertim cùm roboretur etiam rationibus proximè allegatis. 3

Reſp. II. *Poſſeſſio*, quantùm ad propoſitum, eſt rei corporalis detentio, corporis & animi, & juris adminiculo concurrente. Ita poſt Azonem Gloſſa *in d. L. 1. verſ. A pedibus ff. de Acqu. poſſeſſ.* & de facto recipitur communiter contra Bartolum, & quoſdam alios ipſam impugnantes. 4 Quamvis ultrò fatendum ſit, quod data definitio ſolummodo conveniat poſſeſſioni naturali, & civili ſimul, utpote quæ eſt perfectiſſima non autem poſſeſſioni juris, ſive civili tantùm, quæ eſt rei corporalis detentio, animi & juris duntaxat adminiculo: neque poſſeſſioni naturali, ſive facti tantùm; qualis datur in fure, & quocunque injuſto rei alienæ detentore, atque habetur ſine juris adminiculo, & proin eſt imperfecta.



5 Additur notanter, *poſſeſſio, quantùm ad propoſitum.* Quia interdum iſtud nomen tribuitur ipſis rebus poſſeſſis; ut Pſalm. 77. *Tradidit poſſeſſionem eorum igni.* Et Matth. cap. 19. *Erat enim habens multas poſſeſſiones*, & alibi. Quin etiam in Jure Civili quándoque *poſſeſſionis* nomen accipitur pro rebus poſſeſſis; ut *l. Interdum ff. de Verb. ſignif.* Unde ſi quis poſſeſſiones ſuas alteri legavit, vel vendidit; cenſetur legaſſe, aut vendidiſſe, non nudam poſſeſſionem, ſed proprietatem rei, ſive ipſammet rem poſſeſſam: ut *cit. l. Interdum* eſt reſponſum; atque ulteriùs patet *ex l. Si ea quæ* juncta Gloſſa, *verſ. Poſſeſſiones C. de Fidejuſſorib. minor. & l. Poſſeſſiones, C. Si quis ignorans rem Minor. &c.* cum ſimilibus. Verum hæc acceptio poſſeſſionis non eſt ad propoſitum.

6 Dicitur primò in data poſſeſſionis definitione, *Rei corporalis.* Siquidem poſſeſſio propriè duntaxat eſt rerum corporalium: nam *poſſeſſio* (ut jam dictum) *appellata eſt à pedibus, & eſt pedum quaſi poſitio, quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei inſiſtit*, juxta citatam *L. 1. ff. de Acquir. poſſeſſ.* quod non niſi de rebus corporalibus verificari poteſt. Unde incorporalia, ſicut non poſſunt corporaliter apprehendi, ſeu detineri, ita & propriè non poſſidentur, ſed dicuntur, *quaſi poſſideri*; prout liquet *ex c. Cùm Eccleſiæ 3. h. t. & c. Conqueſtus 16. de Foro compet.* ubi Pontifex poſſeſſionem juris ſpiritualis eligendi, appellat *quaſi poſſeſſionem.* Quod ipſum Gloſſa *in cit. c. Conqueſtus, verſ. Quaſi poſſeſſione*, extendit ad omnia jura ſpiritualia, & ſervitutes, *arg. l. Sequitur, §. Si viam, ff. de Uſucapion.* Concordat textus *in l. Si quis diuturno, ff. Si ſervitus vendicetur*, ibi: *Si quis diuturno uſu, & longa quaſi poſſeſſione jus aquæ ducendæ nactus fuerit.*

7 Et additur *Detentio*; vel, ut alii legunt, *retentio.* Nam data definitio convenit poſſeſſioni, non ſolùm, prout eſt in fieri, ſive prout in eſſe producitur (ſicut nonnulli cum Bartolo exiſtimarunt, atque ob id datam definitionem veluti inſufficientem rejecerunt) ſed etiam, prout conſideratur in facto eſſe, ſeu in eſſe producto: prout indicat ly *detentio*, vel *retentio*, utpote importans perſeverantiam actus.

8 Dicitur ulteriùs, *corporis, & animi &c.* Quia hic definitur poſſeſſio civilis, & naturalis ſimul, ut dictum: ad hanc autem conjunctim requiritur & corporis, & animi adminiculum; hoc eſt, ut quis rem corporaliter apprehendat ſeu detineat, ſimulque ut eam detineat tanquam ſuam, ſive animo poſſidendi: nam unum ſine alio non ſufficit. Hinc Depoſitarius non dicitur poſſidere Depoſitum, quia non detinet illud tànquam ſuum, ſicque non animo poſſidendi: idemque accidit in Commodatario, qui detinet rem ab alio ſibi commodatam, & aliis hujuſmodi.

9 Inſuper miſſus in poſſeſſionem rei ſervandæ cauſa, non non cenſetur *poſſidere* (quia nimirum non detinet rem illam ut ſuam, ſed ſolùm cuſtodiæ cauſa) ſed *eſſe in poſſeſſione*, quæ duo ſunt longè diverſa, *l. Si quis ante, ff. de Acquir. poſſeſſ.* Nam ei, qui poſſidet, competunt Interdicta poſſeſſoria; non item illi, qui ſolùm eſt in poſſeſſione: quia hæc eſt pura detentio, prout & aſinus detinet librum in dorſo ſuo. Zaſius *L. 1. n. 3. ff. Ne vis fiat ei. qui in poſſeſſionem &c.*

10 Accedit alia ratio apponendi ly, *corporis & animi adminiculo* Quia licèt poſſeſſio legitimè acquiſita poſſit ſolo animo retineri (prout accidit in poſſeſſione civili tantùm) ea tamen nudo animo acquiri non poteſt; ſed præter animum requiritur etiam apprehenſio, ſive detentio corporalis ipſius rei, *l. Licèt, C. de Acquir. poſſeſſ.*

11 Dicitur tandem, *& juris adminiculo concurrente*; hoc eſt, jure non reſragante. Quibus verbis partim indicatur, hic ſermonem eſſe duntaxat de poſſeſſione juſta: ſicque excluditur poſſeſſio manifeſtè injuſta, qua fur v. g. detinet rem furtivam; eſtque poſſeſſio facti ſolùm, ſeu duntaxat naturalis; Partim indicatur quòd tali poſſeſſioni, de qua loquimur, Jus non debeat refragari, ſeu reſiſtere: de qua cauſa Eccleſia, Forum, Teatrum, ac hujuſmodi à privatis poſſideri non poſſunt, cùm Jus commune refragetur, ut *L. 1. §. fin. & l. Qui univerſas. ff. de Acquir. poſſeſſ.* Similiter Laici decimas, & alia jura ſpiritualia, taliter poſſidere nequeunt; quia jus eiſdem refragetur, *c. Cauſam 7 de Præſcription.* cum concordantiis. Quamvis enim Laici decimas v. gr. de facto, ſive naturaliter detinere præſumant; nunquam tamen eas civiliter poſſidere poſſunt, cùm careant juris adminiculo.

Quæritur II. Quænam ſint Poſſeſſionis diviſiones? 12
Reſp. I. Inter varias ejus diviſiones primaria & principalis eſt ea, qua ipſa generatim accepta dividitur in poſſeſſionem juris, in poſſeſſionem facti, & in poſſeſſionem juris & facti ſimul. Ita Gloſſa *in reg. 3 verſ. Sine poſſeſſione de reg. juris in 6.* & ſequuntur DD. communiter: quamvis Mynſinger *in §. Poſſidere n. 4. Inſtit. de Interdictis*; citans pro ſe Placentinum, & Azonem velit, unam tantùm eſſe poſſeſſionem, quæ tamen duplicem habet rationem, ſeu qualitatem poſſidendi, naturalem ſcilicet & civilem Verùm quantum ad rem ipſam hoc parum refert.

*Poſſeſſio juris*, quæ & *civilis*, nuncupatur, eſt ea quæ habetur cum juris adminiculo Et quidem, ſi hæc ſit civilis tantùm, aliud in re non eſt, quàm ipſummet jus poſſidendi ſolo animo retentum: ut ſi quis corpore abiit à rebus ſuis, inde tamen non diſceſſit animo relinquendi poſſeſſionem, ſed poſteà reverſurus; cenſetur interim res illas de jure, ſive civiliter tantùm poſſidere, *l. Licèt 4. C. de Acquir. poſſeſſ.* Et hoc procedit, quamvis inde diſceſſerit nullo alio pro ſe in poſſeſſione relicto, *arg. d. l. Licèt*, ibi: *Prædiorum deſertam poſſeſſionem.* Idque clariùs habetur *in L. 1. §. Interdictum autem hoc, ff. de Vi & vi armat.* Porrò hujuſmodi poſſeſſio ſemper eſt juſta, utpote juris adminiculo ſubnixa: & dicitur etiam *civilis*, eò quòd Juris Civilis diſpoſitione fuerit introducta, ejuſque authoritate fulciatur ſeu defendatur. 13

*Poſſeſſio facti* (quam & *naturalem*, ſeu *corporalem* appellant) eſt ipſemet actus poſſidendi, ſeu corporalis detentio alicujus rei. Et talis poſſeſſio facti quandoque eſt juſta, quandoque injuſta. Juſta quidem, quoties ipſa eſt conjuncta cum civili, habeturque concurrente juris adminiculo. Injuſta verò, ſi ſit naturalis tantùm, ſeu facti duntaxat abſque jure: qualis convenit furi reſpectu rei furtivæ, & aliis injuſtis rerum alienarum detentoribus. 14

Tandem *Poſſeſſio juris & facti* ſimul, ſeu *civilis & naturalis*, dicitur illa, quæ includit utrumque; hoc eſt, tam jus quam actum poſſidendi. Et talis ſemper eſt juſta, convenitque cuilibet Domino rem ſuam per corporalem inſiſtentiam detinenti, ſeu poſſidenti. Porrò hujuſmodi *poſſeſſio* dicitur *naturalis*, eò quòd Jure naturali primitùs fuerit inducta, & apud omnes Populos peræque cuſtodita, juxta illud jam allegatum Deuteron. c. 11. *Omnis locus, quem calcaverit pes veſter, veſter erit* Unde hæc vim ſuam non habet ex mera diſpoſitione Legum Civilium, quamvis poſteà per has etiam ob ſuam naturalem æquitatem fuerit approbata; & hac ratione appelletur ſimul *poſſeſſio naturalis & civilis.* 15

His adde, quòd ſi quis alieno nomine poſſidet, utpotà Procurator, Inquilinus, ſervus &c. talis reverà non cenſeatur poſſidere. *Nec enim idem eſt poſſidere; & alieno nomine poſſidere*: nam in tali caſu *is poſſidet, cujus nomine poſſidetur*, prout habetur expreſſum in *l. Quod meo §. 1. ff. de Acquir. poſſeſſ. & c. Cùm veniſſent 9. §. fin. de Reſtitut. ſpoliat.* Unde ſi quis perſonaliter quidem abeſt à rebus ſuis, tamen ibi reliquit Procuratorem, Cuſtodem, vel alium, qui ſuo nomine ſit in poſſeſſione ipſarum: talis non ſolùm retinet poſſeſſionem civilem animo ſuo, ſed etiam naturalem corpore alterius, *l. Generaliter 9. ff. eod.* ac notat Summarium ibidem. Concordat textus *in L. 1. §. Non alii ff. de Vi & vi armat.* ubi Gloſſa ℣. *Retineo*, inquit, quòd talis retinet poſſeſſionem civilem per ſe, & naturalem per alios. 16

Addunt Doctores hoc loco aliam *Poſſeſſionem*, quam vocant, *civiliſſimam*: eſtque illa, quæ acquiritur ex mera diſpoſitione Legis, conſuetudinis, aut ſtatuti, abſque alio actu corporis noſtri, *arg. l. Raptores. C. de Epiſcop.* 17

*& Cleric.* ibi: *Eccleſia verò omnem proprietatem, & plenam poſſeſſionem earundem rerum, noſtro habeat beneficio.* Cæterùm hæc non conſtituit novam ſpeciem Poſſeſſionis civilis, ſed ſolùm importat differentiam in modo acquirendi: nam utraque habetur ex Legis diſpoſitione, ſed cum hoc diſcrimine, quòd poſſeſſio civilis prærequirat apprehenſionem veram, vel fictam rei poſſeſſæ; non item poſſeſſio civiliſſima, utpote quæ ex ſola Legis, aut conſuetudinis diſpoſitione acquiritur abſque alio actu apprehenſionis corporalis vero, vel ficto: Jaſon *in l. Poſſeſſio. n. 72. ff. de Acquir. poſſeſſ.*

18 Reſp. II. Poſſeſſio ut ſic ulteriùs dividitur in juſtam, & in injuſtam; prout liquet ex proximè dictis *n. 14.* Item in eam, quæ eſt bonæ fidei, vel malæ fidei, *l. Poſſidere. §. Genera. ff. de Acquir. poſſeſſ.* Et ſi quidem aliquis detineat rem alienam bona fide (hoc eſt, non habens notitiam rei alienæ, ut explicat Abbas *in c. Si diligenti. n. 13. de Præſcript.* ſeu probè exiſtimans, ejuſmodi rem eſſe ſuam, quæ tamen revera non eſt ſua, ſed alterius) dicitur is *Poſſeſſor bonæ fidei*. Sin autem poſſideat rem alienam mala fide (id eſt, cum notitia rei alienæ; ſeu benè cognoſcendo, quod ea ſit alterius, prout fur detinet rem furtivam) dicitur talis eſſe *Poſſeſſor malæ fidei*.

19 Inſuper poſſeſſio alia dicitur vacua, alia non vacua; *Poſſeſſio vacua* in propoſito cenſetur ea, quæ à nemine detinetur, neque animo, neque corpore, *l. Cùm quærebatur.* juncta Gloſſa, *V. Vacuam. C. Unde vi.* Hinc ſi quis rem de facto detineat, etſi non juſtè, poſſeſſio non cenſetur vacua, *arg. cap. Cum noſtris. 6. de Conceſſ. Præbend.* Nam quia poſſeſſio alia eſt juris, alia facti, alia juris & facti ſimul; ut poſſet dici ſimpliciter vacua, deberet hoc verificari tam in jure, quàm in facto. Idque vel maximè procedit in Litteris Beneficialibus, utpote quæ ſunt ambitioſæ, ac ſtrictæ interpretationis. Abbas *in cit. cap. Cùm nobis. n. 6. & 7.* juncto textu, Gloſſa, & DD. ibidem. Inſuper Poſſeſſio non cenſetur vacua, ſi alius eſt in poſſeſſione rei, quamvis eam non poſſideat, *l. Si in emptione. §. 2. ff. de Action. empti.*

20 Secùs dicendum, ſi res ſolummodò debeat ſervitutem aliquam realem, à nemine tamen poſſideatur, nec aliquis ſit in poſſeſſione ejus cuſtodiæ cauſa, vel hujuſmodi: nam talis Poſſeſſio adhuc cenſetur vacua, & qui eam tradit alteri, dicitur ipſi tradere poſſeſſionem vacuam, *l. Mevius. §. Fundo. ff. de Legat. II.* Interim tamen fatendum, quòd talis non ſit *Poſſeſſio libera*, eò quod habeat annexam ſervitutem. Atque idcircò Notarii in confectione Inſtrumentorum ſuper tractanda poſſeſſione rei vacuæ, non ſuperfluè, ſed cautè ſolent addere, atque cavere, ut rerum poſſeſſio & vacua tradatur, & libera. Felinus *in c. Cum Joannes n. 30. & 31. de Fide inſtrument.* Zoeſius *l. In conventionalibus. §. Si quis vacuam. num. 4. ff. de Verb. obligat.* Jaſon *eod. §. Si quis vacuam. num. 2* & alii: atque ulterius deſumitur *ex l. Si profundo. C. de Tranſaction.*

21 Ex dictis facilè colligitur, quid ſit *Poſſeſſio non vacua*; nempe hæc eſt ea, quam quis alius poſſidet corpore, vel animo, vel ſaltem exiſtit in ejus poſſeſſione. Nam quòd aliud ſit *poſſidere*, aliud *eſſe in poſſeſſione*, paulò ſuperiùs *n. 9.* jam dictum fuit.

22 Rurſus Poſſeſſio quandoque dicitur plena, quandoque pacifica. Et quidem per *Poſſeſſionem plenam* in propoſito non intelligitur ea, quæ opponitur vacuæ: ſed illa, qua quis poſſidet rem civiliter, & naturaliter, ſimulque pacificè. Sicut enim *Plena proprietas* intelligitur haberi, quando quis habet proprietatem, & uſumfructum, & jus alienandi tanquam rem propriam, *arg. l. Fœminæ. §. Illud. C. de Secundis nuptiis*; ac notat Baldus ibidem: ita *Poſſeſſio plena* cenſetur ea, quando quis rem poſſidet civiliter ac naturaliter, ac ſimul pacificè. Jaſon *in l. Ædes. n. 7. ff. de Legatis I.* poſt Baldum *in l. Raptores. §. Sin autem. C. de Epiſc. & Cleric.*

23 Porrò *Poſſeſſio pacifica* vocatur ea, quæ nullam patitur juris, vel facti controverſiam intra, vel extra judicium. Felinus *in d. c. Cùm Joannes. n. 33. de Fide Inſtrument.* & Barboſa *part. 2. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 19. numer. 16.* Hinc *pacificè poſſidet*, qui ſine lite poſſidet. Gloſſa *in Clem. un. V. Anteà. de Sequeſtrat. poſſeſ.* Rebuffus *tract. de Pacifica poſſeſſion. nu. 1065.* Et quidem Poſſeſſio pacifica ſemel acquiſita, non deſinit eſſe pacifica, ſi ex poſt factò deſuper controverſia moveatur. Gloſſa *in c. Commiſſa. 35. V. Pacificam. de Election. in 6.* juncta Gloſſa *margin. ibid.* iſtud poſt Lapum intelligente, quando quis poſſeſſionem aliquandiu, putà per menſem, vel duos menſes, obtinuit ſine litigio. Secùs dicendum, ſi in ipſamet apprehenſione ſibi moveatur lis, *l. Si poſt perfectam. C. de Evictionib.* vel ſaltem incontinenti poſt, *arg. c. Officii. 38. de Election.* & ampliùs probat Gloſſa, *ubi ſuprà*.

24 Dividitur præterea *Poſſeſſio* in eam, *quæ habet plus juris quàm facti*; & in eam, quæ econtrà *plus habet facti quàm juris*; & in eam, quæ ſimul *habet multum juris, & multum facti*. Atque hæc poſſeſſionis diviſio clarè deſumitur *ex c. Cùm noſtris. 6.* juncta Gloſſa, *V. Plus habet facti. de Conceſſ. Præbend. & l. Poſſeſſio quoque. 49. ff. de Acquir. poſſeſſ.* Et quidem tunc *Poſſeſſio* cenſetur *habere plus juris, minus facti*, quando in ea plus verſatur, atque operatur juris diſpoſitio, quàm noſtrum factum: ut eſt poſſeſſio, quæ acquiritur nobis per ſervum, aut aliam perſonam in noſtra poteſtate conſtitutam, *d. l. Poſſeſſio &c.* Nam in hac parum intervenit de facto noſtro (cùm acquiratur nobis etiam ignorantibus, atque ex tunc jam currat uſucapio, *L. 2. ff. Pro ſoluto.*) ſed totum quaſi procedit ex Juris humani artificio, ſeu diſpoſitione. Hoc idem accidit in retinenda poſſeſſione: nam ex Juris diſpoſitione hæc retinetur etiam ab abſente, qui diſceſſit animo revertendi; & procedit præſcriptio, ſive uſucapio ex parte ſic poſſidentis.

25 Econtrà tunc *Poſſeſſio* dicitur *plus habere facti, quàm juris*, quando in ea plus operatur factum noſtrum, quàm juris diſpoſitio. Sic accidit in acquirenda poſſeſſione, eò quòd hæc ſine corporali apprehenſione non procedat, *l. Licèt. C. de Acquir. poſſeſſ.* Et quia poſſeſſio per corporalem apprehenſionem pariter jam acquirebatur ante omnem humani Juris diſpoſitionem, ſic ea in acquirendo parum habet juris, & plus facti. Aliud exemplum habetur *in d. c. Cùm noſtris. de conceſſ. Præbend* ubi refertur poſſeſſio Præpoſituræ plus habens facti, quàm juris: quia videlicet corporaliter quidem detinebatur, ſed cum dubio juris, aut titulo ſolùm colorato.

26 Tandem datur *Poſſeſſio habens multum juris, & multum facti*: ut fit, ſi poſſeſſio nobis acquiratur per Procuratorem. Nam ex Juris diſpoſitione acquiritur ipſa nobis etiam ignorantibus, ſed vi ejus non procedit uſucapio, niſi nobis ſcientibus, *d. L. 2. ff. Pro ſoluto*: ac proinde multum habet juris, & multum facti noſtri, utpote ſimul requiſiti. Gloſſa *in d. c. Cùm noſtris* & Abbas *ibid. n. 14. de Conceſſ. Præbend.* & alii. Tacentur nonnullæ aliæ poſſeſſionis diviſiones, utpote de quibus ſuo loco commodiùs agetur.

## §. II.

## De differentiis Poſſeſſionis & Proprietatis, illiuſque commodis.

### SUMMARIUM.

27 *Poſſeſſionis nomen interdum ſignificat proprietatem.*
28 *Ita tamen differunt, ut nihil commune habeat proprietas cum poſſeſſione.*
29 *Solvitur inſtantia.*
30 *Poſſeſſio, & proprietas, differunt quoad propriam naturam.*
*Ex diverſis non fit bona illatio, ibid.*
31 *Proprietas, & Dominium, important propemodum idem.*
32 *Niſi quòd Dominium ſit terminus magis amplus; idque declaratur.*
33 *Poſſeſſio, & proprietas, differunt quoad modum acquirendi.*
34 *Et quoad modum amittendi, & qualiter?*
35 *Differunt etiam quoad effectus.*
36 *Et quia poſſeſſio eſt effectus dominii, ſeu proprietatis.*
37 *Sententia lata ſuper proprietate rei, abſorbet ſententiam ſuper poſſeſſione latam pro adverſario.*
38 *In aliquibus etiam dici poteſt, quòd effectus poſſeſſionis ſit dominium.*

39 Poſſeſ-



39 *Poſſeſſionis commoda ſunt valdè eximia. Et numer. ſeqq.*
*Beati Poſſidentes. Ibid.*
40 *Poſſeſſio relevat ab onere probandi, & transfert iſtud in Actorem.*
41 *Niſi præſumptio ſtet contra poſſeſſorem.*
42 *Aut Actor intentionem ſuam habeat fundatam in Jure.*
43 *Vel uterque contendat ſe poſſidere.*
44 *In pari delicto, vel cauſa, melior eſt conditio poſſidentis; & cur?*
45 *Idque exemplificatur.*
46 *Fallit hoc in cauſis favorabilibus, & quæ ſint tales.*
47 *Fallit eadem regula in Simonia reali.*
48 *Poſſeſſio parit præſumptionem bonæ fidei pro poſſidente.*
49 *Niſi appareat de poſſeſſore antiquiori.*
50 *Nec junior poſſeſſor poſſediſſet per tempus longiſſimum.*
51 *Vel ſaltem per decem annos.*
52 & 53 *Referuntur alii caſus, in quibus poſſeſſio non parit præſumptionem bonæ fidei.*
54 *Poſſeſſio parit etiam præſumptionem dominii.*
55 *Si duo habent cauſam ab eodem domino, melior eſt conditio ejus, qui poſſidet, ſeu cui res tradita fuit.*
56 *Fallit hoc in cauſis matrimonialibus,*
57 *Et beneficialibus,*
58 *Ac nonnullis aliis caſibus.*
59 *Poſſeſſio cauſat uſucapiendi conditionem.*
60 *Poſſeſſio debet exprimi in privilegio, quod tendit in præjudicium tertii poſſidentis.*
61 *Et parit reſtitutionem ſpoliati.*
62 *Poſſeſſio bonæ fidei tribuit poſſeſſori jus adminiſtrationis.*
63 *Poſſeſſor bonæ fidei lucratur fructus ex re poſſeſſa perceptos: ſecùs dicendum de poſſeſſore malæ fidei.*
64 *Poſſidens nec vi, nec clam, nec precario, debet à Judice in ſua poſſeſſione manuteneri.*
65 *Etiam vitioſa poſſeſſio prodeſt adverſùs extraneos.*
66 *Poſſeſſor invaſus poteſt vim vi repellere.*
67 *Alia poſſeſſionis commoda. Remiſſivè.*

27 QUæritur I. An, & quomodo Poſſeſſio differat à Proprietate? Reſp. I. Quamvis interdum nomen *poſſeſſionis* ſignificet etiam *proprietatem*: tanta nihilominùs, & tam multiplex inter utràmque eſt differentia, ut meritò proprietas cenſeatur nihil habere commune cum poſſeſſione. Ita communis. Et quidem prior pars habetur *ex l. Interdum ff. de Verb. ſignif.* ibi: *Interdum proprietatem quoque verbum poſſeſſionis ſignificat: ſicut in eo, qui poſſeſſiones ſuas legaſſet, reſponſum eſt*, cum concordantiis; eſtque jam dictum ſuprà *n. 5.*

28 Altera pars reperitur expreſſa *in l. Naturaliter ff. Nihil commune, ff. de Acquir. poſſeſſ.* illis verbis: *Nihil commune habet proprietas cum poſſeſſione.* Etſi enim iſta jura poſſint intentari, atque frequenter intententur ſuper eadem re; adhuc tamen ſunt penitùs diſtincta jura, & diverſi effectus amborum; ſimulque ſententia lata in uno, non præjudicat in altero. Et quia inſuper nec ut pars, nec ut totum ſeſe invicem contingunt, neque unum neceſſariò ſequitur ad alterum, quin etiam ab invicem ſeparari poſſunt: hinc non immeritò proprietas nihil cenſetur habere commune cum poſſeſſione. Sic quippe non rarò contingit, quòd aliquis ſit poſſeſſor, qui non eſt dominus; alter dominus quidem, ſed non poſſeſſor, *L. 1. §. Hujus autem ff. Uti poſſidetis*; atque patet in rebus mobilibus furto ablatis; *l. Si rem mobilem 47. ff. de Acquir. poſſeſ.* cum ſimilibus. Sicut etiam nonnunquam obtinet aliquis in poſſeſſorio, & ſuccumbit in petitorio; ut *c. Cùm Eccleſiam 3. & c. Cùm ſuper 4. h. t.*

29 Nec obſtat, quod tam poſſeſſio, quàm proprietas ſit jus quoddam ſpirituale. Reſp. enim, hinc ſolùm ſequi, quòd in jure ſpirituali conveniant veluti in genere; non autem, quòd ipſe in ſpecie, atque ſecundùm naturam ſuam ſpectatæ, habeant quid commune: ſicut à pari homo nihil cenſetur habere commune cum aſino, licèt cum ipſo conveniat in animali, veluti in genere proximo. Jaſon *l. Si quis autem n. 31. ff. de Acquir. poſſeſſ.* Accedit, quòd nihil obſtet; quin poſſeſſio & proprietas ſub uno reſpectu dicantur nihil habere commune, quatenus nimirùm ſunt diſtincta jura, & ab invicem ſeparabilia; adeò ut ſententia lata ſuper uno eorum, non præjudicet in altero: & tamen ſub alio reſpectu habeant quid commune, nempe unitatem generis, vel etiam identitatem objecti, atque connexitatem cauſæ, de quorum ultimo plura inferiùs *§. 8. n. 248. & ſeqq.*

30 Reſp. II. Poſſeſſio, & Proprietas, differunt imprimis quoad propriam naturam, atque eſſentiam ſuam. Siquidem *poſſeſſio* eſt jus, quo rem detineo ut meam: *proprietas* verò, ſive dominium, eſt ipſummet jus, quo res eſt mea, atque ego ſum dominus ejus. Et hinc fit, quòd de poſſeſſione non liceat argumentari ad proprietatem, nec econtrà: nam generaliter ex diverſis non fit bona illatio de uno ad aliud, *arg. l. Papinianus exuli ff. de Minorib. & L. ult. ff.* de *Calumniat.* Abb. *Conſil. 10. n. 1. l. 1.* Barboſa *tract. de Axiomat. axiom. 114.* Card. Tuſchus *Litt. A. Concl. 510. n. 2.* Et hoc procedit tam poſitivè, quàm negativè: ita ut id non liceat neque quoad poſitionem, neque ad remotionem.

31 Notantes *num. præced.* dictum eſt, *proprietas, ſive dominium*. Hæc enim duo propemodùm idem important: nam proprietas accipitur etiam pro dominio *in L. 1. §. Hujus autem ff. Uti poſſidetis*. Et, quòd idem ſit dicere, *Cauſa proprietatis*, ac *Cauſa dominii*, dum diſcutitur, cujus ſit res, notat Abbas *in c. 1. n. 2. h. t.*

32 Dicitur, *propemodum idem*. Poterit enim ſequens diſcrimen inter dominium; ac proprietatem notari: videlicet, quòd *Dominium* ſit terminus magis amplus & comprehendat quodcunque dominium, tam directum videlicet, quàm utile. *Nam & uſusfructus pars dominii eſt*; prout habetur *in l. Uſusfructus in multis, ff. de Uſufruct.* *Proprietas* verò accipitur ſolùm pro dominio directo, & vero; prout liquet ex ipſa nominis etymologia. Siquidem *proprietas* dicitur quaſi *propriè tua res*: adeò, quòd in tali jure parem non habeas. Unde fit, quòd proprietas nunquam ponatur pro ſolo dominio utili; ſicque Emphyteuta, Feudatarius, & hujuſmodi, qui habent utile duntaxat dominium, non dicatur habere proprietatem rei, ſed ſolus Dominus directus, Jaſon. *in l. Naturaliter, §. Nihil commune n. 13. & 14. ff. de Acquir. poſſeſſ.*

33 Reſp. III. Poſſeſſio, & proprietas, differunt etiam quoad modum acquirendi. Nam proprietas quandoque acquiritur ſolo animo, & ante actualem apprehenſionem rei: prout adita hæreditate illicò tranſeunt omnia jura ad hæredem, *l. Cùm hæredes, ff. de Acquir. poſſeſſ. & §. fin. Inſtit. de Hæredum qualit.* Econtrà poſſeſſio nequit acquiri ſolo animo, & ſine omni apprehenſione vera, vel ficta, *cit. l. Cùm hæredes & l. Poſſideri ff. de Acquir. poſſeſſ. & l. Licèt C. eod.* cum ſimilibus. Deinde poſſeſſio ex pluribus cauſis non contrariis haberi poteſt: proprietas verò, ſive dominium, non niſi ex unica cauſa, *d. l. Poſſideri §. Ex pluribus, & l. Non ut ex pluribus cauſis, ff. de Reg. jur.* Nam, *quod meum eſt, ex alia cauſa meum fieri non poteſt, niſi deſierit eſſe meum*; ut inquit Pontifex *in c. Inter dilectos §. Cæterùm de Fide inſtrument.* junctis concordantiis ibi à Gloſſa relatis.

34 Reſp. IV. Poſſeſſio, ac proprietas, differunt ulterius in pluribus aliis. Nam proprietas ſolo animo amitti non poteſt, *l. Si quis vi §. 2. de Acquir. poſſeſſ.* Quod tamen cum Gloſſa ibidem intellige de ſolo animo, & retenta adhuc poſſeſſione rei: nam alioquin perditur dominium, & habetur res pro derelicta, ſi eam dominus abjecit eo animo, ut in numero rerum ſuarum eſſe nolit, *§. pen. Inſtit. de Rerum diviſ.* Poſſeſſio econtra ſolo animo amitti poteſt, *d. l. Si quis vi, & l. Poſſideri §. In amittenda ff. eod.* ac dicetur ampliùs *infrà §. 6. n. 185. & ſeqq.*

35 Inſuper proprietas cauſat Petitorium, ſive rei vendicationem. Poſſeſſio autem cauſat Interdicta, vel Remedia poſſeſſoria, de quibus infrà *§. 3. n. 76. & ſeq.* Et ſic etiam quoad effectus nihil habent commune, cùm cauſent valdè diverſos.

36 Tandem, ut nonnullæ aliæ Poſſeſſionis, & Proprietatis differentiæ taceantur, differunt ex eo: quia poſſeſſio eſt effectus dominii ſeu proprietatis, eſtque commodum iſtius, *arg. c. Sæpè contingit. 18. de Reſtit. ſpoliat.* & notat Abbas *ibid. n. 1.*

37 Et hinc ſententia lata ſuper proprietate rei, eſt majoris efficaciæ, atque in executione prævalet, & abſor-

bet ſententiam ſuper poſſeſſione latam in favorem adverſarii, *c. Cùm Eccleſia 3. & c. Cùm dilectus 6. h.t.* atque ampliùs declarabitur *infrà n. 272. & 292. & ſeqq.*

38 Quamquàm loquendo de iis, quæ vel ſub nullius dominio extiterunt, ſicque ſiunt primò occupantis (ut fera animalia, piſces maris, gemmæ ac lapilli in littoribus inventi) vel quæ in bello juſto capiuntur, etiam dici poſſit, quòd effectus poſſeſſionis ſit dominium, *arg. l. Poſſeſſio §. 1. ff. de Acquir. poſſeſſ.* ac notat Zaſius *ibid. n. 3.* Idem accidit vi uſucapionis, & præſcriptionis; ubi conſtat, quòd effectus poſſeſſionis, bona fide ac debito tempore continuatæ, ſit dominium rei, utpote vi dictæ poſſeſſionis legitimè præſcriptum, ſicque acquiſitum.

39 Quæritur II. Quæ ſint commoda, & privilegia Poſſeſſionis? Reſp. I. Horum plura ſunt, & valdè eximia; adeò, ut *in §. Retinendæ Inſtit. de Interdict.* rectè notetur, quòd *quia longè commodius eſt & potius, poſſidere quàm petere; ideò plerumque, & ferè ſemper ingens exiſtat contentio de ipſa poſſeſſione.* Quinimò Gloſſa *in lib. Feud. tit. De pace tenend. verſ. Acquirat*, eos qui tenent & poſſident, *Beatos* appellat; niſi fortè eorum adverſarius probaverit de jure ſuo, ipſaque proprietate. Unde

40 Reſp. II. Poſſeſſio imprimis relevat ab onere probandi, & transfert iſtud in Actorem. Nam *Actore non probante, qui convenitur, etſi nihil præſtiterit, obtinebit*, ut dicitur *in c. Cùm Eccleſia §. fin. h.t.* Concordat textus in *l. Poſſeſſione C. de Probat.* ibi: *Non enim poſſeſſori incumbit neceſſitas probandi eas* (poſſeſſiones) *ad ſe pertinere; cùm te* (Actore) *in probatione ceſſante, dominium apud eum remaneat*, cum ſimilibus.

41 Limitatur tamen regula iſta, & Concluſio, multipliciter cum Gloſſa *in can. Accuſator 6. q. 5. & cap. un. verſ. Actore non. Ut beneficia Eccleſiaſtica &c.* Nam primò ratione præſumptionis ſtantis contra poſſeſſorem aliquando transfertur onus probandi in Reum, ſeu poſſeſſorem: uti fit *in cit. cap. un. Ut beneficia Eccleſiaſtica & cap. ult. §. Sanè de Jure jur.* ubi ratione præſumptionis contra Reum poſſeſſorem, & pro Actore ſtantis, defertur Reo poſſeſſori onus probandi.

42 Deinde hoc ipſum accidit, quoties Actor intentionem ſuam habet fundatam in Jure communi: nam tunc alia probatione non indiget, ſed Reo poſſeſſori incumbit onus probandi, *arg. can. contra morem diſt. 100. & l. Sive poſſidetis C. de Probat.* Hinc etiam *in cap. ult. de Reſtitut. ſpoliat. in 6.* Eccleſia, quæ petit reſtitutionem Decimarum in aliena Parochia poſſeſſarum non auditur, niſi anteà probet, quòd earum poſſeſſionem legitimè fuerit aſſecuta: nam de Jure communi (niſi aliud ſpeciale oſtendatur) Decimas ſpectare ad propriam Eccleſiam Parochialem, certum eſt, ac patet ex *toto Tit. de Decimis.*

43 Ulteriùs fallit data regula, ſeu Concluſio, in duplicibus judiciis: nam ibi utraque pars litigantium tenetur probare; & quæ meliùs probaverit ſuam intentionem, obtinet, per textum *in c. Ex litteris. 3. de Probat.* & ampliùs dicetur infrà *§. 7. n. 238.* Idem dicendum, quando uterque contendit ſe poſſidere, *c. Licèt cauſam 9. de Probat.* Tacentur nonnullæ aliæ limitationes memoratæ regulæ, de quibus Gloſſa *n. 41.* citata, & alii.

44 Reſp. III. Inſuper multùm prodeſt poſſeſſio, & affert inſigne commodum, dum *in pari delicto, vel cauſa, melior eſt conditio poſſidentis*, juxta Reg. 65. Juris in 6. & concordat textus *in l. In pari ff. eod.* Quia enim in pari cauſa, duos titulos habet poſſidens; unum minùs certum, parem tamen cum ejus adverſario, nempe quòd proprietas rei ad ipſum pertineat; alterum verò certum (quo caret adverſarius ipſius) videlicet, quòd poſſeſſio talis rei penes ipſum exiſtat: meritò in pari cæteroquin cauſa, poſſeſſor præfertur ſuo adverſario; cum fortiùs ſtringant duo vincula, quàm unum *cap. 1. de Tregua & pace;* juncto illo Eccleſiaſtes cap. 4. *Funiculus triplex difficilè rumpitur.*

45 Hinc ubi cauſa dubia reperitur, ac ſuborta inter quoſdam controverſia ſuper rei proprietate, poſt factam diligentem inquiſitionem adhuc remanet dubium: melior eſt conditio poſſidentis, & ipſi adjudicatur cauſa, reique proprietas.

46 Excipe tamen hinc Cauſas favorabiles, matrimonii videlicet, libertatis, dotis, ac teſtamenti. Nam ſi in iſtis utriuſque partis probationes extiterint æquales, non pro poſſeſſore, ſed pro valore matrimonii, ſive teſtamenti, dote, aut libertate, profertur ſententia: idque favore talis cauſæ liberalis. Textus eſt *in c. Ex litteris, 3. de Probat. & cap. ult. de Sent. & re judic.* ubi proin Gloſſa allegat illos vulgatos verſiculos:

*Sit Teſtamentum, libertas, conjugium, dos:*
*Si ſint æquales qui producuntur utrinque.*

47 Fallit inſuper allata regula in Simonia reali: nam recipiens aliquid per eam, tenetur acceptum reſtituere, *c. De hoc, 11 de Simon.* haud obſtante, quod par ſit delictum dantis, ac recipientis ſimoniacè. Tacentur aliæ fallentiæ: ac proin allata regula, & prædictum poſſeſſionis privilegium, intelligi debet procedere regulariter; & niſi circa aliqua Jus ſpeciale quid diſponat.

48 Reſp. IV. Poſſeſſio inſuper parit præſumptionem bonæ fidei: adeò, quod quilibet poſſidens cenſeatur in dubio eſſe poſſeſſor bonæ fidei. Ita Gloſſa *in c. Si diligenti, V. Bona fides, de Præſcript. & c. Sanctorum. V. Sincerè,* ac notat Petrus de Ubaldis *Repetit. in cit. c. Si diligenti, n. 28. de Præſcript.* & Maſcardus *Concl. 1207. de Probat. n. 12.* ubi cum pluribus Doctoribus à ſe citatis docet, quòd poſſidere bona fide quis præſumatur, niſi probetur contrarium; ut *L. pen. C. de Eviction.* cum ſimilibus. Et meritò: quia nemo præſumitur malus, niſi probetur malus, *arg. cap. un. de Scrutinio in ordin. faciend. & cap. ult. de Præſumpt.* Et quia nemo delinquere præſumitur, quin potius in dubio quilibet jure ſuo uti cenſendus eſt, *l. Merito, ff. Pro ſocio:* hinc pariter ſequitur, quòd poſſidens niſi aliud probetur, nec vi, nec clam, nec precariò poſſidere præſumatur. Maſcardus *de Probation. Concl. 1197. num. 57. & 58.*

49 Fallit tamen data Regula; & adductum proximè privilegium, in nonnullis caſibus. Primò, quando apparet de poſſeſſore antiquiori: tunc enim poſſeſſio recens præſumitur vitioſa, clandeſtina & minùs juſta; atque ipſemet poſſidens (niſi titulum verum, aut ſaltem putativum, allegare valeat) præſumitur eſſe in mala fide, *arg. c. Licèt cauſam 9. de Probat.* ac notat Abbas *c. Si diligenti, n. 15. & 16. de Præſcript.* Bartolus *in L. ult. circa fin. C. Unde vi, & l. Lucius, §. Quæro pone, ff. de Uſucapion.* Petrus de Ubaldis *loc. cit. n. 35.* & alii. Accedit ratio: tum quia contra talem juniorem poſſeſſorem (niſi titulum allegare valeat) rectè antiquior poſſeſſor opponere poterit malam fidem, juxta illud: Quod tuum non erat, ſcire debebas ad alium pertinere, *L. ult. C. Unde vi.* Tum quia duo ſimul, ac in ſolidum, eandem rem poſſidere non poſſunt: ille verò, qui olim poſſedit, etiam hodie poſſidere præſumitur, *arg. l. Licèt, C. de Acquir. poſſeſſ. & l. Sive poſſidetis, C. de Probat.* & cum communi notat Maſcard. *Concl. 1200. de Probat. n. 6.* & alibi. Unde conſequens eſt, poſſeſſionem juniorem (ſi ejus juſtitia aliunde non oſtendatur) præſumi vitioſam, & clandeſtinam. Etenim ille cenſetur *Clam poſſidere*, qui furtivè ingreſſus eſt in poſſeſſionem eo ignorante, quem ſibi controverſiam facturum ſuſpicabatur, & ne faceret, timebat, *text. clar. l. Clam poſſidere, ff. de Acquir. poſſeſſ.*

50 Intellige, dummodò noviter poſſidens non poſſediſſet per longiſſimum tempus, putà per triginta annos: alioquin enim iſte præſumeretur eſſe in bona fide, quantumcunque appareat de poſſeſſione antiquiori alterius. Abbas *cit. nu. 16.* Bartolus *in l. ult. circa fin. C. Unde vi.* Petrus de Ubaldis *cit. n. 35* allegans alios.

51 Quinimò, ſi junior poſſidens probaverit, ſe à decem annis citrà poſſediſſe, atque antiquiorem poſſeſſorem illis decem annis deſiiſſe poſſidere; ſimiliter non procedit dicta præſumptio contra eum ex antiqua poſſeſſione: quia per deſiſtentiam longi temporis, ſive decennii, inducitur negligentia, oblivio, atque amiſſio poſſeſſionis ex parte alterius, qui habuit anteriorem poſſeſſionem, ab ea tamen per decennium deſtitit. Maſcardus *d. Concl. 1200. n. 86 & ſeqq.* poſt Bartolum *in cit. l. Lucius §. fin. ff. de Uſucap.* Baldum, & alios.

52 Fallit ulterius data regula, ſive quòd poſſeſſio pariat præſumptionem bonæ fidei, quando intervenit denunciatio: ut ſi denunciatum fuerat à domino, ne quis emat, eò quòd res non ſit diſtrahentis. Nam talis denunciatio conſtituit emptorem malæ fidei poſſeſſorem, *l. Si fundum, C. de Rei vendicat.*





53 Fallit tertiò, quando quis rem acquirit contra jus: ut *l. Quemadmodum, C. de Agricol. & cenſib. lib. 10.* Vel mercatur contra leges, harumque prohibitionem, juxta Reg. 82. Juris in 6. ibi: *Qui contra jura mercatur, bonam fidem præſumitur non habere.* Ut ſi quis emit à prodigo, cui bonis interdictum fuit, *l. Qui fundum. §. Qui ſciens, ff. Pro emptor. & l. Si quis, ff. eod.* Tacentur aliæ hujuſmodi fallentiæ, quarum quindecim adducit Petrus de Ubaldis *c. Repet. in c. Si diligenti n. 30. & ſeqq. de Præſcript.*

54 Reſp. V. Poſſeſſio ulterius parit præſumptionem dominii, *arg. l. ult. C. de Rei vendicat. & §. Retinendæ. Inſtit. de interdict.* Proinde *habere is dicitur, quiutitur, & jure poſſeſſionis fruitur*, per textum notabilem *in l. Prætor ait. 2. §. Habere, ff. Ne quid in loco publico &c.* Et quòd poſſeſſor præſumatur etiam eſſe dominus, & qui dicit contrarium, probare debeat, tradit Card. Tuſchus *Litt. P. Concl. 417. nu. 13.* poſt Paulum de Caſtro *Conſil. 139. lib. 1.* idemque docet Federic. de Senis *Conſil. 13. §. Secundum eſt.* ac Mynſinger *d. §. Retinendæ n. 12.* Ubi tamen iſtud ait eſſe intelligendum, quando dominium deducitur in judicium incidenter: ſecùs, ſi principaliter, ut quia rei vendicatione agitur; nam tunc probatio dominii neceſſaria eſt, *arg. c. Cùm Eccleſia 3. h.t.* ac notat etiam Maſcardus *de Probation. Concl. 1201. n. 71. & ſeqq.*

55 Reſp. VI. Inſuper poſſeſſio illud commodi affert, quòd ſi duo habeant cauſam ab eodem domino, melior ſit conditio ejus in detinendo dominio; qui poſſidet, ſive cui res tradita fuit. Patet hoc clarè *l. Quoties, C. de Rei vendicat.* ubi exemplum hujus ponitur de fundo duobus in ſolidum vendito: nam (inquit textus) *manifeſti juris eſt, eum cui priori traditum eſt in detinendo dominio eſſe potiorem.*

56 Fallit tamen hoc ipſum in pluribus caſibus: videlicet in cauſis matrimonialibus, *c. Tuas 5. de Sponſa duor.* ubi deciditur: quòd is, qui duas per verba de præſenti deſponſavit, primam deſponſatam habere debeat in uxorem, etiamſi priùs cognoverit ſecundam. Nam vinculum matrimonii Jure Divino exiſtit indiſſolubile, quod per conſenſum de præſenti ritè contrahitur.

57 Fallit inſuper in Beneficiis Eccleſiaſticis, in quibus valet prior collatio, non poſterior, etiamſi hæc ſit conjuncta cum poſſeſſione, ſeu actuali receptione ipſius Beneficii, *c. Tibi qui 12. de Reſcript. in 7. & c. Eum cui 7. de Prebend. in 6.*

58 Quin etiam, ut taceantur nonnulli alii caſus, fallit id ipſum in Eccleſia, vel alio Loco Religioſo, aut Civitate emptore: nam iſta vi ſpecialis privilegii, cauſa Religionis, vel ob favorem publicum talibus conceſſi, excludunt ſecundum emptorem, non obſtante traditione mercis huic facta, & poſſeſſione ejus ſubſecuta, *l. Ut inter, C. de Sacroſanct. Eccl.*

59 Reſp. VII. Poſſeſſio plura alia affert commoda, & privilegia: nam ulteriùs, atque ſeptimò cauſat uſucapiendi conditionem: & ſi cum bona fide, atque legitimo tempore fuerit continuata, parit præſcriptionem; ita quidem, ut res, quæ priùs reverà non fuerat poſſeſſoris, elapſo tempore à Jure præfinito fiat propria poſſeſſoris, & iſte non ampliùs teneatur eam priſtino domino poſteà primum ipſam repetenti, reſtituere, *L. 3. ff. de Uſucapion.* cum ſimilibus.

60 Octavò. Poſſeſſio debet exprimi in privilegio, quod tendit in præjudicium tertii poſſidentis: alioquin iſtud non præjudicat poſſeſſioni, *arg. c. Dudum. 31. de Privileg. & cap. 2. §. 1. de Decimis in 6.* Neque enim intentio Principis eſt, per ſuum privilegium interturbare, ſeu cuiquam auferre jus poſſeſſionis, niſi id exprimat; aut ſaltem verba privilegii ſint adeò univerſalia, & clara, ut ipſis mens Principis, ſive concedentis, ſatis appareat, quòd voluerit etiam poſſeſſionem comprehendere. Tuſchus *Litt. P. Concl. 427. n. 1. & 2.* & alii.

61 Nonò. Poſſeſſio, à qua aliquis privata alterius violentia fuit dejectus, vel clam ea privatus, parit reſtitutionem ſpoliati. Et hæc quidem ante omnia neceſſariò debet fieri, non obſtante, quod ſpoliator, ſive occupator rei ab altero priùs poſſeſſæ, alleget titulum, velitque probare, rem illam eſſe ſuam. Siquidem reſtitutio ſpoliati ante omnia fieri debet, *c. In litteris, 5. & ſeqq. de reſtitut. ſpoliat.* atque ibidem ampliùs dicetur.

62 Decimò. Poſſeſſio bonæ fidei tribuit poſſeſſori jus adminiſtrationis. Hinc, ſi quis ſit in poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione eligendi, præſentandi, vel inſtituendi Clericos in Beneficio, aut hujuſmodi: valida eſt electio, præſentatio &c. ab ipſo facta, quamvis poſtmodum appareat, tale jus non ad ipſum, ſed ad aliquem alium pertinuiſſe. Patet hoc ex *c. Querelam 24.* juncta Gloſſa, *V. Super jure de Election.* & clarius *c. Conſultationibus, 19. de Jurepatronat.*

63 Undecimò. Poſſeſſio bonæ fidei id juris tribuit poſſeſſori, ut hic lucretur fructus ex re aliter poſſeſſa perceptos, neque ipſos jam conſumptos cogatur domino poſtmodùm comparenti reſtituere, *§. Si quis à non domino. Inſtit. de Rerum diviſ. & l. Bonæ fidei, §. 1. ff. de Acquir. rerum domin.* atque ex profeſſo declarabitur *Tit. ſeq. §. 6. n. 127. & ſeqq.* Secùs dicendum de malæ fidei poſſeſſore: nam is indiſtinctè omnes fructus, licèt conſumpti fuerint, cogitur reſtituere, *cit. §. Si quis à domino*, cum ſimilibus.

64 Duodecimò. Poſſeſſio præſtat hoc commodum, ut ſi quis tempore motæ litis in poſſeſſione reperiatur, & nec vi, nec clam, nec precariò poſſideat, à Judice defendi, & in ſua poſſeſſione manuteneri debeat, *L. 1. ff. Uti poſſidetis, & L. 1. C. de Servitut.* cum concordantiis.

65 Quinimò etiam vitioſa poſſeſſio prodeſt adversùs extraneos, etſi non contra Dominum rei. Textus eſt in *L. ult. ff. de Acquir. poſſeſſ. & d. L. 1. §. fin. Uti poſſidetis.* Hinc Pontifex *in c. In litteris, 5, de Reſtitut. ſpoliat.* inquit, quòd etiam prædo ſecundùm rigorem juris ſit reſtituendus: de quo tamen plura *Tit. ſeq. §. 3. n. 59. & ſeq.*

66 Tandem poſſeſſio id commodi tribuit, quòd poſſeſſor ab altero invaſus poſſit vim vi repellere, remque ſuam defendere, adhibitis etiam armis, ſi ita opus fuerit: aut jam expulſus, poſſeſſionem ſuam repetere, dummodò id ſtatim, ſive incontinenti fiat, *c. Olim cauſam, 12. de Reſtitut. ſpoliat. & l. Idem eſt, ff. de Vi & vi armat.*

67 Alia plura poſſeſſionis commoda, ſeu privilegia exiſtunt; adeò, ut Barbatia *in Repetit. Rubr. de Cauſa poſſeſſionis, & proprietatis*, centum privilegia poſſeſſionis enumeret. Verùm præmiſſa ſunt principaliora.

## §. III.

## De Cauſa poſſeſſionis & proprietatis; ubi & de Interdictis.

*SUMMARIUM.*

68 *Cauſa poſſeſſionis, quæ?*
69 *Appellatur etiam momentanea; & cur?*
*Judicium poſſeſſorium, quod? Num. 68.*
70 *Cauſa proprietatis, quæ?*
*Judicium petitorium, quod? Ibid.*
71 *Judicium poſſeſſorium eſt triplex; & quale?*
72 *Judicia poſſeſſoria alio nomine appellantur Interdicta.*
73 *Interdicta, unde ſic dicantur?*
74 *Interdicti nomine non intelligitur hic Cenſura Eccleſiaſtica.*
75 *Interdictum in propoſito, quid?*
76 *Differentiæ inter Interdicta, & Actiones, olim erant plures.*
77 *Hodie in effectu nulla remanet differentia.*
78 & 79 *Interdicta variè dividuntur. Et num ſeqq. Nempe ex parte rerum, quibus competunt.*
80 *Item ab effectu, & ſic dividuntur in*
81 *Interdicta prohibitoria, reſtitutoria, & exhibitoria; & quid?*
82 *Interdicta mixta, quæ?*
83 *Aliæ Interdictorum diviſiones.*
84 *Interdictum adipiſcendæ poſſeſſionis, quid?*
85 *Eſt triplex.*
86 *Interdictum* Quorum bonorum, *unde ſic dicatur?*
87 *Quid?*
88 *Et quale ſit?*
89 *Interdictum* Quorum legatorum, *&*
90 *Interdictum Salvianum, quid?*
91 *Interdictum retinendæ poſſeſſionis, quid?*
92 *Dividitur in Interdictum* Uti poſſidetis, *& in Interdictum* Utrobi, *& quid?*

93 *Interdicta hæc, quando locum habeant?*
94 *Quando de poſſeſſione conſtat, dantur alia Remedia retinendæ poſſeſſionis. Et num. præc.*
95 *Interdictum recuperandæ poſſeſſionis, quid?* *Appellatur* Interdictum Unde vi. *Ibid.*
96 *Interdictum hoc, quibus competat?*
97 *An, & quando etiam competat vi, vel clàm poſſidendi? Et num præced.*
98 *Interdictum* Unde vi, *pertinet ſolùm ad res immobiles;*
99 *Non verò ad mobiles.*
100 *Niſi acceſſoriè, ſeu niſi exiſterent in re immobili.*
101 *Præter Interdictum* Unde vi, *dantur plura Remedia recuperandæ poſſeſſionis.*
102 *Quæ tamen non ſunt Interdicta.*

68 QUæritur I. Quid ſit cauſa poſſeſſionis & proprietatis, & quale Judicium utrique correſpondeat? Reſp. I. *Cauſa poſſeſſionis* eſt, in qua principaliter poſſeſſione agitur de ſola poſſeſſione, vel quaſi ſive adipiſcenda, ſive retinenda, ſive recuperanda: ut ſi Actor principaliter petit per Judicem declarari, quòd poſſeſſio cujuſpiam rei ad ipſum pertineat, quiſquis interim illius ſit dominus. Et huic correſpondet *Judicium poſſeſſorium;* eſtque illud, in quo controvertitur ſuper ſola rei poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione.

69 Porrò Cauſa poſſeſſionis alio nomine appellatur *momentanea:* uti videre eſt *in L. ult. C. Qui legitimam perſonam ſtandi &c.* ubi dicitur: *Momentaneæ poſſeſſionis actio:* juncta Gloſſa, *V. Momentaneæ.* Concordat textus *in can. Et qui appellat. §. de Poſſeſſione. 6. q. 2.* illis verbis: *De poſſeſſione etiam, & ejus momento:* id eſt, ut explicat Gloſſa, *de momentanea poſſeſſione.* Et dicitur, *momentanea,* quia apta eſt durare momento: nam poteſt contingere, quòd quis vincat in poſſeſſorio, ſicque ipſi poſſeſſio adjudicetur, ejuſque adverſarius ſuperet in petitorio, ac proin huic res controverſa mox reſtituatur: hac enim ratione alterius poſſeſſio durabit momento, ſive tempore modiciſſimo; ut extat exemplum *in c. Cùm Eccleſia, 2. & c. Cùm dilectus. 6. h. t.* Gloſſa *ubi ſuprà.* Felinus *cap. Edoceri. n. 3. §. Reſtringe tamen. de Reſcript.* & alii.

70 *Cauſa proprietatis* econtrà eſt illa, in qua principaliter diſceptatur de proprietate, ſive de dominio, aut alio jure cujuſpiam rei, extra poſſeſſionem vel quaſi poſſeſſionem; ut ſi Actor poſtulet declarari per Judicem, quòd proprietas ſive dominium talis rei ſibi competat, Reus verò id neget. Et *Judicium* ſuper tali cauſa inſtitutum, appellatur *petitorium,* eò quòd Actor petat rem ipſam; velitque, ejus proprietatem, ſive dominium, ſibi per Judicem adjudicari. Quòd ſi tam cauſa poſſeſſionis, quàm proprietatis, ſimul in judicium deducatur, dicitur *Agi ſuper poſſeſſorio, & petitorio* ſimul, atque utrumque judicium cumulari.

71 Quæritur II. Quotuplex ſit Judicium poſſeſſorium, & unde dicatur Interdictum? Reſp. I. Judicium poſſeſſorium generatim eſt triplex, videlicet adipiſcendæ, retinendæ, & recuperandæ poſſeſſionis. Patet hoc *ex §. Sequens diviſio. Inſtit. de Interdict.* Et ratio eſt: quia omnis actio, quæ ſuper poſſeſſione moveri poteſt, vel inſtituitur ratione adipiſcendæ poſſeſſionis, quam Actor nunquam habuit: vel ratione retinendæ poſſeſſionis, quam Actor habet; ſed in ea ab alio turbatur, aut impeditur: vel ratione recuperandæ poſſeſſionis, quam olim Actor habuit, ſed poſteà per injuriam alterius, aut infortunium amiſit. Patet igitur bonitas datæ diviſionis, quamvis ea non ſit eſſentialis, ſed duntaxat detur juxta diverſum reſpectum accidentalem habitæ, vel non habitæ priùs poſſeſſionis.

72 Reſp. II. Ejuſmodi Judicia poſſeſſoria alio nomine in Jure appellantur *Interdicta.* Textus eſt *in cit. §. Sequens diviſio. Inſtit. de Interdict.* ac notat Gloſſa communiter recepta *in c. Paſtoralis. V. Interdictum. h. t.*

73 Dicuntur autem *Interdicta,* non ab *interdicendo,* ut olim quidam voluerunt (nam Interdictis quandoque Prætor etiam aliquid fieri jubet; uti patet in Interdictis reſtitutoriis, & exhibitoriis, quibus aliquid reſtitui, aut exhiberi jubetur) ſed quia inter duos dicuntur, prout habetur *in §. Summa autem. Inſtit. de Interdict.* ac notat citata Gloſſa: vel quia ſunt quaſi *interim dicta.* hoc eſt, ad tempus, ſalvo jure partium, donec videlicet ſuper ipſa rei proprietate cognoſcatur; non verò in perpetuum. Mynſinger *ad cit. §. Summa autem, numer. 2.* Et quia de Interdictis non ſolum in Jure Civili, ſed etiam in Jure Canonico frequens ſit mentio; uti patet *ex cap. Paſtoralis, 5. h. t. & c. Audita, 4. & cap. Item cùm, 6. & cap. Cùm veniſſent, 9. & cap. Cùm ad Sedem, 15. de Reſtitut. ſpoliat.* junctis Summariis, & DD. ibidem: hinc pro meliori Interdictorum intelligentia

74 Quæritur II. Quid, & quotuplex ſit Interdictum? Ubi nomine *Interdicti* non intelligitur Cenſura Eccleſiaſtica (de hac enim alibi fit mentio, nimirum *L. 5. Tit. 27. de Clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante*) ſed Interdictum hoc loco ſumitur pro Judicio poſſeſſorio. Quo prænotato

75 Reſp. I. *Interdictum,* quantùm ad propoſitum, eſt ſolemnis conceptio verborum, quibus Prætor ſeu Judex aliquid fieri jubet, aut fieri prohibet, maximè ſuper poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione. Textus eſt *in §. 1. Inſtit. de Interdict.* ubi dicitur: *Erant autem interdicta formæ, atque conceptiones verborum, quibus Prætor aut jubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat: quod tunc maximè fiebat, cùm de poſſeſſione, aut quaſi poſſeſſione inter aliquos contendebatur.*

76 Et quidem antiquitus erat differentia inter Interdicta, & Actiones: haud obſtante, quòd Actio quoque fuerit certa quædam verborum conceptio, ſive formula, *L. 1. & 2. C. de Formulis & impetration. action. ſublatis.* Primò ſiquidem ſolemnitas Actionum, fuit introducta à Jure Civili: ſolemnitas interdictorum à Jure Prætorio. Deinde formula ipſa verborum in eis diverſa fuit: nam Interdicta reddebantur à Prætore loquente inter duos, qui Interdictum intentarunt (unde etiam Interdicta vocabantur, quaſi *inter duos dicta*) prout videre eſt *in L. 1. §. 1. ff. de Vi & vi armat.* ibi: *Prætor ait: Si tu vi illum dejeciſti &c.* Econtrà Actiones generaliter, & in perſonam omnium formabantur, *L. 2. §. Deinde ex his. ff. de Origin. juris.* Inſuper diverſa erat formula agendi: nam Interdicta à Prætoribus, Actiones à cæteris Magiſtratibus formabantur. Ulteriùs in Actionibus obſervare oportebat rectam viam judiciorum: econtrà verò Interdicta per Prætores reddebantur litigantibus ſub certa quidem & ſolemni verborum forma, ſed cauſa duntaxat ſummatim cognita. Hoſtienſis *in Summa, tit. de Cauſa propriet. n. 3.* Gloſſa *§. 1. Inſtit. de Interdict. V. Conceptiones.* Mynſinger *§ Ne ordine. n. 1. Inſtit. eod.* & alii.

77 Hodie tamen ſublatis Interdictorum, & Actionum ſolemnibus formulis, *per cit. L. 1. & 2. C. de Formul. action. ſublat.* nulla in effectu remanet differentia inter Interdictum, & Actionem. Quinimò *interdictum* eſt actio in factum Prætoria: hoc eſt, à Prætore inventa, & obligans in quantùm religioni judicantis æquum viſum fuerit, ac Reus facere potuerit. Sive (ut alii loquuntur) *Interdictum* eſt actio extraordinaria in factum ad poſſeſſionem vel adipiſcendam, vel retinendam, vel recuperandam, *§. fin. Inſtit. de Interdict.* juncta *l. 2. & 4. C. Unde vi.* Ac proinde non immeritò Rubrica *L. 43. ff.* ſic ponitur: *De interdictis, ſeu extraordinariis actionibus, quæ pro his competunt.* Ubi Gloſſa inquit: *Eſt ergo interdictum nihil aliud, quàm actio Prætoria; & quando que proponatur, non eſt vis, ſcilicet Actio in factum, vel interdictum.*

78 Reſp. II. Interdictorum variæ ſunt diviſiones; uti videre eſt *in L. 1. & 2. ff. de interd.* Et primò quidem reſpectu rerum, pro quibus competunt, dividuntur Interdicta in ea, quæ dantur de rebus Divinis, & quæ competunt de rebus humanis. De Divinis quidem, putà de Locis ſacris, & religioſis, datur Interdictum *Ne quid in loco ſacro fiat:* item, ut ſi quid indecens ſit factum, inde tollatur. Item Interdictum *de Mortuo inferendo,* & hujuſmodi; prout ibidem ſubjungitur.

79 Porrò in ordine ad res humanas. Interdicta variè ſubdividuntur. Quia aliqua dantur de illis rebus humanis, quæ nullius ſunt: ut perſonæ liberæ, quæ hoc ipſo, quòd liberæ ſint, nullius exiſtunt: & de his datur Interdictum *de Libero homine exhibendo;* item *de Liberis exhibendis.* Alia verò Interdicta competunt de illis rebus humanis, quæ ſunt alicujus: & hoc fit adhuc diverſimodè, ſunt & ipſæmet



ipſæmet res aut ſunt publicæ, puta viæ, flumina, aliaque loca publica; aut privatæ, quæ vel ſpectant ad univerſitatem, vel ad ſingulares perſonas, de quibus ſpecialia competunt Interdicta; prout *cit. L. 1. & 2. ff. de Interdictis,* & ibidem per plures ſubſequentes Titulos habetur, ac fuſius explicant Juris Civilis Interpretes.

80 Reſp. III Alia Interdictorum diviſio, deſumpta ab effectu, eſt in prohibitoria, reſtitutoria, & exhibitoria. Textus eſt *in cit. L. 1.* juncto Bartolo, & DD. *ibid. ff. de Interdict. & §. Summa autem, Inſtit. eod.* Et quidem

81 *Interdicta prohibitoria* ſunt, quibus Prætor aliquid fieri prohibet: ut Interdictum, *Ne vis inferatur ſine vitio poſſidenti,* aut in flumine publico naviganti, & hujuſmodi; prout *cit. §. Summa autem. Inſtitut. eod.* exemplificatur. *Interdicta reſtitutoria* dicuntur, quibus Prætor aliquid reſtitui jubet: ut cùm jubet, ei, qui vi de poſſeſſione fundi dejectus eſt, poſſeſſionem reſtitui, aut hujuſmodi. Tandem *Interdicta exhibitoria* ſunt, per quæ Prætor jubet aliquid exhiberi; hoc eſt, in publico oſtendi: ut eſt Interdictum de exhibendo homine, de cujus libertate agitur, & detinetur alicubi invitus: item de exhibendo liberto, cui patronus operas indicere vult, aut de exhibendis parenti liberis, qui in poteſtate ejus ſunt, & ab alio detinentur; uti exemplificatur *cit. §. Summa omnium, & ſeqq. Inſtitut. de Interdict. & L. 1. ff. de Liberis exhibend.* Hoſtienſis *in Summa, tit. de Cauſa proprietatis, num. 4. & 5.* & alii.

82 His Juris-Conſultus *in cit. L. 1. ff. de Interdict.* addit Interdicta mixta, quæ nimirum ſunt & prohibitoria, & exhibitoria: ut eſt Interdictum, *Ne vis fiat ei, qui in poſſeſſionem miſſus eſt:* nam Prætor prohibet vim fieri poſſidenti, ac ſimul jubet poſſeſſionem amiſſam reſtitui. Hoſtienſis *loc. cit. num. 5.* allegans alia exempla. Verumtamen Interdicta mixta non conſtituunt diverſam, ſeu quartam ſpeciem talium Interdictorum, cùm Juris-Conſultus ibidem tres ſolùm dicat eſſe horum ſpecies, uti notat ibi Bartolus.

83 Reſp. IV. Inter alias Interdictorum diviſiones, de quibus Hoſtienſis *cit. n. 4. & 5* cum aliis, ulterior, atque deſumpta à fine, propter quem conceduntur, eſt diviſio in Interdicta adipiſcendæ, retinendæ, & recuperandæ poſſeſſionis. Textus eſt *in L. 2. ff. de Interdict. & §. Sequens diviſio, Inſtit. eod.* Et quodlibet horum membrum ſubdividitur in alia membra: quæ quia etiam in Jure Canonico locum habent, præſertim circa Beneficia Eccleſiaſtica adipiſcenda, retinenda, vel recuperanda; operæ pretium eſt, de ſingulis ſpecialem quæſtionem proponere: unde

84 Quæritur III Quid, & quotuplex ſit Interdictum adipiſcendæ poſſeſſionis? Reſp. I. *Interdictum adipiſcendæ poſſeſſionis* eſt illud, quod competit illis, qui anteà non ſunt nacti poſſeſſionem. Textus eſt *in cit. L. 2. §. Adipiſcendæ. ff. eod.*

85 Reſp. II. Interdictum adipiſcendæ poſſeſſionis rurſus eſt triplex, videlicet Interdictum *Quorum bonorum,* Interdictum *Quorum legatorum, & Interdictum Salvianum.* Patet hoc *ex cit. L. 2. ff. & § Sequens diviſio. Inſtit. eod.* & tradit Gloſſa *in c. Paſtoralis. V. Quod de recuperanda.* & Abbas *ibid. n. 12. h. t.* & alii. Quamvis enim Jacobus Menochius *in Commentariis de adipiſcenda, retinenda, & recuperanda poſſeſſione,* addat nonnulla Remedia adipiſcendæ poſſeſſionis, quorum unum habetur *ex L. ult. C. de Edicto Divi Adriani tollendo.* Alterum *ex L. 3. C. de Pignorib.* Et tertium, ex Judicis Officio, de quibus fuſiſſimè tractat citatus Author *à Remedio 4. adipiſcendæ poſſeſſionis uſque ad Remedium 6.* hæc tamen non ſunt Interdicta, juxta dicenda inferiùs *nu.* 101. Igitur pergendo de Interdictis

86 Reſp. III. Interdictum *Quorum bonorum* ſic dicitur à primis verbis ſuis, quibus incipit, ac refertur *in L. 1. Quorum bonorum.* Sicut in ſimili Reſcripta Pontificia, ſeu Litteræ Papales, quandoque trahunt ſuam denominationem ab initiis: ut illa, quæ vocantur, *Si alteri, Si neutri, Si nulli, Si rationi congruit,* eò quòd tale initium habeant.

87 Porrò Interdictum *Quorum bonorum* eſt, quod competit hæredi ad capiendam hæreditatem, quam nunquam habuit, contra poſſidentem pro hærede (hoc eſt, contra eum, qui putat ſe hæredem eſſe, cùm tamen non ſit) aut contra poſſidentem pro poſſeſſore: hoc eſt, contra eum, qui nullo jure poſſidet hæreditatem ſciens eam ad ſe non pertinere. Ita deſumitur *ex cit. §. Sequens diviſio. Inſtitut. de Interdict. & L. 1. ff. Quorum bonorum.* Et quamvis ibi Interdictum *Quorū bonorum* concedatur directè ſoli hæredi Prætorio, ſive illi, qui *ſuccedit alteri jure Prætorio:* nihilominùs ob paritatem rationis, & æquitatis, iſtud etiam competit illi, qui ſuccedit alteri de Jure Civili, *arg. L. 1. C. Quorum bonorum.*

Et hinc Interdictum *Quorum bonorum* eſt directum reſpectu hæredis Prætorii, utpote cui Prætor illud directè conceſſerat: utile verò reſpectu hæredis de Jure Civili ſuccedentis; nam & iſte utiliter eodem experitur. Bartolus *in c. L. 1. ff Quorum bonorum. & L. 1. C. eod.* Quia verò Interdictum hoc datur contra poſſidentem pro hærede, vel pro poſſeſſore: hinc illud eſt reſtitutorium, adipiſcendæ poſſeſſionis gratia in bonis hæreditariis comparatum. Atque in effectu nihil aliud eſt, quàm Petitio hæreditatis: niſi quòd Petitio hæreditatis ſpectet ad Judicium petitorium, cauſamque proprietatis concernat; Interdictum *Quorum bonorum* verò reſpiciat Judicium poſſeſſorium, cauſamque poſſeſſionis, quæ facilioris eſt probationis, & non tam longas habet litis moras, ſicuti petitorium. 88

Reſp. IV. Interdictum *Quorum legatorum* dicitur illud, quod datur hæredi contra Legatarium, qui jacente hæreditate apprehendit legatum propria authoritate, ut iſtud hæredi reſtituat. Etenim æquiſſimum Prætori viſum eſt, unumquemque non ſibi ipſi jus dicere occupatis legatis, ſed hoc ab hærede petere, *L. 1. §. 1. Quorum legatorum.* Abbas *cit. c. Paſtoralis. n. 12. h. t.* & alii. Et iſtud ideò dicitur *Interdictum adipiſcendæ poſſeſſionis,* quia locum habet, ſi Legatarius occupando prævenit hæredem, ita ut hic rei legatæ nunquam habuerit poſſeſſionem: nam ſi iſtam habuiſſet, & amiſiſſet, competeret Interdictum *recuperandæ.* Melchior Kling *Tit. de Interdict. num. 5.* 89

*Interdictum Salvianum,* ſic appellatum ab Authore ſuo Salvo Juliano, etiam eſt adipiſcendæ poſſeſſionis: & competit Domino fundi de pignoribus, ſive de poſſeſſione rerum Coloni tacitè ſibi obligatarum, ne ſuam amittat penſionem, *L. 2. ff. de Interdict. & §. Sequens diviſio. Inſtit. eod.* Abbas *in d. c. Paſtoralis, n. 4. h. t.* & alii. Unde ſi res illæ, quas Colonus in fundum à ſe conductum intulit, ſicque tacitè ſunt obligatæ, ſeu oppignoratæ Domino fundi pro præſtanda annua penſione, ante ſolutam penſionem aliorſum exportentur; poteſt Dominus fundi per hoc Interdictum agere, ut earundem poſſeſſionem acquirat. Et datur hoc Interdictum, etiam adversùs tertium poſſeſſorem, qui res Coloni, prædium ruſticum vel urbanum conducentis, loco pignoris fundo illatas, vel aliàs pro debito obligatas occupat, *L. 1. ff. de Salviano interdict.* 90

Quæritur IV. Quid, & quotuplex ſit Interdictum retinendæ poſſeſſionis? Reſp. I. *Interdictum retinendæ poſſeſſionis* eſt illud, quo agimus, ut retineamus poſſeſſionem, quam habemus. Et ſervit hoc Interdictum vel maximè ad hoc, ut quis per Judicem conſervetur in poſſeſſione rerum ſive mobilium, ſive immobilium, de quarum proprietate inter aliquos controvertitur, & quæſtio anteà oritur, uter ex litigatoribus poſſideat: de hoc enim priùs conſtare debet, ut ſciatur, quis petere debeat, ſicque ipſi velut Actori onus probandi incumbat, *§. Retinendæ. Inſtit. de Interdict.* cum ſimilibus. 91

Reſp. II. Interdictum iſtud ſubdividitur in Interdictum *Uti poſſidetis,* & in Interdictum *Utrobi.* Textus eſt *in cit. §. Retinendæ. Inſtit. de Interdict.* ac notat Gloſſa *in c. Licèt cauſam, 11. V. Uti poſſidetis. de Probat.* & Abbas *in c. Paſtoralis. num. 16. h. t.* cum communi. Et quidem Interdictum *Uti poſſidetis* locum habet, quando contenditur de retinenda poſſeſſione rerum immobilium, v. g. fundi, ædium, & hujuſmodi. Interdictum *Utrobi* verò, quando quæſtio eſt de retinenda poſſeſſione rerum mobilium, *d. §. Retinendæ. & L. un. ff. Utrobi.* In quo poſteriori loco notanter additur, quòd *vis hujus ſit exæquata interdicto Uti poſſidetis; & is in hoc interdicto vincat, qui nec vi, nec clàm, nec precariò, dum ſuper hoc ab adverſario inquietatur, poſſeſſionem habet:* ac proin Judex decernere debeat, talem debere retinere poſſeſſionem ſuam; 92

ſuam; & ſicut hactenus poſſedit, ac poſſidet, ulteriùs liberè poſſidere.

93 Et hæc duo Interdicta præcipuè locum habent, quando orta ſuper rei proprietate controverſia priùs quæritur; atque inter partes litigantes contenditur ſuper poſſeſſione rei, eò quòd melior ſit conditio poſſidentis, *cit. §. Retinendæ inſtit. de interdict.* Nam, quando de poſſeſſione conſtat, fatendum eſt, plura alia Remedia retinendæ poſſeſſionis in Iure prodita reperiri, quibus poſſeſſor injuſtè ab alio moleſtatus, inquietatus, aut interturbatus, in ſua poſſeſſione retineatur: qualia ad longum enumerat Jacob. Menochius *in cit. Commentar. de adipiſcenda, retinenda, & recuperanda poſſeſſione, Remed. 1. & ſeqq. de Retinenda poſſeſſ.* & ſunt ſequentia: videlicet, præter duo jam enumerata.

94 Ulteriùs datur remedium retinendæ poſſeſſionis ex Interdicto, *Ne vis fiat ei, qui in poſſeſſione miſſus eſt:* ut loquitur Rubrica, & concordat textus *in L. 1. ff. eod.* Atque per hoc conſultum eſt illis, qui ſuam poſſeſſionem Prætoris, ſeu Judicis authoritate obtentam, tueri volunt. Item illud ex Interdicto *De Superficiebus*: quod prodeſt illi, qui turbatur in poſſeſſione ſuperficiei, quam habet in alieno ſolo. Item illud ex interdicto *De itinere, actuque Privato*. Item illud ex Interdicto *De Aqua quotidiana, & æſtiva*. Et aliud ex interdicto *de Rivis*. Et aliud ex Interdicto. *De Fonte*. Et tandem poſtremum, quod extat retinendæ poſſeſſionis remedium ex *Judicis officio*. De quibus omnibus (dempto ultimo) habentur diverſi, ac proprii *Tituli in Lib. 43. Digeſtorum*: & fuſè ibidem tractant Juris Civilis Interpretes, ac Menochius *loc. c.*

95 Quæritur V. Quid ſit Interdictum recuperandæ poſſeſſionis? Reſp. I. *Interdictum recuperandæ poſſeſſionis* eſt, quod datur pro recuperanda poſſeſſione rerum immobilium, utpura fundi, vel ædium, unde quis vi dejectus, ſeu expulſus fuit. Textus eſt *in §. Recuperandæ. Inſtitut. de interdict.* ubi hujuſmodi Interdictum aſſignatur unicum, quod ſpeciali nomine appellatur Interdictum *Unde vi*, à primis videlicet verbis Prætoris Interdictum hoc proponentis, *L. 1. ff. de Vi & vi armata*, ibi: *Unde tu illum vi dejeciſti &c.*

96 Atque iſtud Interdictum competit, & ſuffragatur illis, qui per alium, vel ejus familiam, vi à ſua poſſeſſione fuerunt dejecti, ſeu expulſi: nam vi hujus Interdicti cogitur ille, qui dejecit, reſtituere alteri poſſeſſionem, *cit. L. 1. ff. de Vi & vi armat.* juncto toto *Tit. de Reſtitut. ſpoliat.* Et hoc etiam procedit in eo caſu, quo quis ab eo, qui dejecit, antea per intervallum vi, vel clàm, aut precario poſſeſſionem acquiſivit: nam etiam talis eſt reſtituendus, *d. §. Recuperandæ. inſtit. de interdict. & c. In litteris. 5. de reſtitut. ſpoliat.* ubi dicitur, quod etiam prædo, ſi ſpolietur, ſit reſtituendus.

97 Notanter tamen additur, *anteà per intervallum*. Nam hoc poſterius tunc ſolummodò procedit, quando quis eum vi, vel clàm cœpit poſſidere, non incontinenti, ſed primum ex intervallo ex ſua poſſeſſione expellat: nam tunc tenetur hoc Interdicto, ac proinde cogitur reſtituere alteri poſſeſſionem. Secùs eſt dicendum, quando quis eum, qui vi, aut clam incipit poſſidere, expellit incontinenti; id eſt, illicò antequàm ad alios actus extraneos divertat: quia tunc vim vi repellere licet, *L. 3. §. Eum igitur ff. de Vi & vi armat. & l. Qui poſſeſſionem. ff. eod.* ac notat Gloſſa *in d. §. Recuperandæ. V. Is.* Abbas *cap. Olim. numer. 9. & 10. de reſtitut. ſpoliat.* id ulteriùs probans ex textu illius Capituli. Vallenſis *tit. de reſtitut. ſpoliat. §. 1. num. 4.* & alii.

98 Reſp. II. Interdictum recuperandæ poſſeſſionis, ſeu *Unde vi*, non pertinet niſi ad res immobiles. Patet hoc *ex L. 1. §. Et generaliter. ff. de Vi & vi armat. & d. §. recuperandæ. Inſtit. de Interdict.* & ibi Mynſinger. *n. 3.* Ferrarius, Kling, ac Pirhing *tit. ſeq. n. 1.* Ita tamen, ut ſub rebus immobilibus, etiam comprehendantur jura incorporalia; utputa ſervitutes, Redditus annui, Beneficia, Penſiones, Juriſdictiones, ac hujuſmodi: nam talia jura incorporalia, computantur inter immobilia; ſicque, qui vi expellitur à talium poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione, rectè agit Interdicto *Unde vi*, prout deſumitur *ex c. Olim inter. 17. & c. Piſanis. 19. de reſtitut. ſpoliat.*

99 Cæterùm pro rebus mobilibus, earumque poſſeſſione recuperanda, non competit iſtud Interdictum, ſed actio furti, vel actio vi bonorum, aut actio ad exhibendum: *text. clar. d. L. 1. §. Illud utique. ff. de Vi & vi armat.*

Intellige, *principaliter*. Nam, ut illicò ibidem ſubjun- 100
gitur, ſi tales res mobiles exiſterent in re immobili, putà, in fundo aut ædibus, unde quis vi dejectus eſt: tunc Interdictum *Unde vi*, quod principaliter ſolummodò datur pro recuperanda poſſeſſione rerum immobilium; datur etiam ſecundario, acceſſoriè ſive in conſequentiam, pro recuperanda poſſeſſione illarum rerum mobilium, utpote ſolo vel ædificio cedentium. Concordat textus *in l. Idem eſt, §. Pertinet. ff. eod.* ac notat Gloſſa *in l. Rem quæ nobis. V. Erepta eſt, ff. de Acquir. poſſ.* Maranta *p. 4. Speculi Aurei, diſt. 7. n. 29.* Vallenſis *loc. c. n. 2.* Pirhing. & alii.

Tandem ſciendum, quòd quidem *in cit. §. Recuperandæ.* 101
*Inſtit. de interdict.* unicum aſſignetur Interdictum recuperandæ poſſeſſionis, videlicet Interdictum *Unde vi*; nihilominùs præter hoc dentur plura alia Remedia pro recuperanda poſſeſſione: adeò, ut Menochius *loc. citat.* univerſim enumeret ſeptendecim talia Remedia. Maranta *verò d. p. 4. Speculi Aurei, diſt. 7. nu. 29. & ſeqq.* viginti alleget.

Verumtamen hæc non ſunt interdicta, ut inquit Ma- 102
ranta *cit. numer. 29.* poſt Bartolum, Alexandrum, & alios *in l. Rem quæ nobis, ff. de Acquir. poſſeſſ.* ubi negant, pro rebus mobilibus, earumque poſſeſſione, dari Interdictum, etſi dentur alia Remedia recuperandæ poſſeſſionis ipſarum. Et hujus ratio afferetur infrà *Tit. ſeq. §. 2.* ubi commodiùs agetur, de aliis Remediis ſpoliatorum in ſpecie.

## §. V.

## De Acquiſitione, & in alium Translatione Poſſeſſionis rerum corporalium per apprehenſionem veram, vel fictam.

### *SUMMARIUM.*

103 *Poſſeſſio rerum corporalium generatim acquiritur tribus modis; & quibus?*
104 *Quando res anteà in nullius bonis extitit, requiritur ad acquirendam poſſeſſionem vera ejus apprehenſio.*
*Nemo poſſidet piſces in ſtagnis, & feras in ſylvis liberè evagantes. Ibidem.*
105 *Quando res jam anteà in alicujus bonis extitit, ſufficit apprehenſio ficta, ut tertius quis ejus poſſeſſionem acquirat.*
106 *Solo tamen animo nunquam acquiritur poſſeſſio corporalium. Et n. præced.*
107 *Haud obſtante, quòd ea ſolo animo retineri poſſit: & cur?*
108 *Apprehenſio vera, quæ?*
*Quid ſufficiat ad capiendam poſſeſſionem domus, vel fundi? Ibid.*
109 *Per ingreſſum domus comparatur poſſeſſio rerum mobilium in ea contentarum.*
110 *Secus dicendum de Theſauro ibidem latente; & quæ diſparitas?*
111 *Apprehenſio ficta, quæ, quibuſque modis fiat?*
112 *Poſſeſſio non acquiritur ſine corporali apprehenſione, quomodo intelligendum?*
113 I. Viſu, *ſive aſpectu, transfertur rerum poſſeſſio.*
114 *Idque exemplificatur. Et n. præc.*
115 *Ut viſu transferatur rerum poſſeſſio, quæ concurrere debeant?*
116 *Per apprehenſionem fictam acquiritur vera poſſeſſio.*
117 II. Clavibus *transfertur rerum poſſeſſio; idque exemplificatur.*
118 *Inter alia requiritur ad hoc animus transferendi poſſeſſionem.*
*In dubio præſumitur traditio clavium facta cuſtodiæ cauſa, ibid.*
119 *An etiam ad id requiratur, ut traditio clavium fiat*



*in conſpectu rei, cujus claves traduntur? Ponitur ſententia affirmativa.*
120 *Contraria quorundam ſententia refertur.*
121 *Sed relinquitur. Et n. ſeqq.*
122 *Dictio* Apud *quandoque obtinet vim dictionis* Coram.
123 *Solvitur aliud fundamentum ſententiæ contrariæ.*
124 *Et declaratur ſententia affirmativa.*
125 *Dicta de traditione clavium extenduntur ad inveſtituram in Beneficio cum traditione annuli, pilei &c.*
126 *Atque ad traditionem veſtis.*
127 *Poteſt etiam conſuetudine induci actus aliquis, per quem transferatur poſſeſſio rei abſentis.*
128 III. Chartis, *ſeu traditione ſcripturæ, transfertur rerum poſſeſſio.*
129 *Nec opus eſt, ut traditio ſcripturæ fiat in conſpectu rei traditæ.*
130 *IV. Transfertur poſſeſſio* Rei mutuatæ venditione: *& qualiter hoc intelligendum?*
131 *V. Transfertur etiam rerum poſſeſſio ficta apprehenſione,* Mea ſi conduco ſcienter; *ſive* Titulo conſtituti. *Et n. ſeq.*
132 *Is poſſidet, cujus nomine poſſidetur.*
133 *Retinens uſumfructum rei, quam alteri donavit, &c. cenſetur ejus poſſeſſionem in alterum transferre.*
134 *Per ſolutionem penſionis, factam de conſenſu prioris poſſeſſoris, transfertur poſſeſſio rei in eum, qui recipit penſionem.*
135 *Signatio rei habetur pro traditione.*
136 *Et quid dicendum de dolio vini ſignato?*
137 *Quando apponitur cuſtodia rei venditore conſentiente, cenſetur illa tradita.*
138 *Atque in hujuſmodi caſibus acquiritur vera rei poſſeſſio, ita ut Notarii de ea poſſint teſtari.*
139 *Utrum Lege, Statuto, vel conſuetudine poſſit introduci, quod transferatur poſſeſſio abſque omni apprehenſione rei? Et ratio dubitandi, ac negativam tenendi.*
140 *Sententia affirmativa eſt communis.*
141 *Quæ probatur.*
142 *Et ſolvitur ratio dubitandi.*
*De Jure naturali requiritur corporalis apprenſio rerum ad acquirendam harum poſſeſſionem; & quando? Et n. 139.*

103 Quæritur I. Quibus generatim modis, qualique apprehenſione acquiratur & transferatur poſſeſſio rerum corporalium? Reſp. I. Generatim loquendo, poſſeſſio rerum corporalium acquiritur ac transfertur tripliciter, ſeu tribus modis; videlicet apprehenſione vera, apprehenſione ficta, & diſpoſitione Legis. Ita Sannig *h. t. cap. 2. num. 1.* eſtque in re communis; prout patebit ex ſequentibus Concluſionibus.

104 Reſp. II. Quando res anteà in nullius bonis extitit, ad acquirendam ejus poſſeſſionem requiritur vera apprehenſio, ſive corporalis detentio ipſius. Ita Hoſtienſis *in Summa, tit. de Cauſa poſſeſſionis, n. 2.* cum communi; & patet ex *L. 1. §. 1. ff. de Acquir. poſſeſſ.* cum concordantiis. Unde piſces in publicis ſtagnis, aut feras in ſylvis liberè evagantes nemo poſſidet, quamdiu captæ, ſeu apprehenſæ non fuerint: quoniam manent in libertate ſua naturali, *l. Poſſideri. 3. §. Item feras. ff. eod.* Ubi idcircò falſum dicitur, quòd ſi quis emerit ſylvam, omnes ejus feras poſſideat. Neque enim per venditionem ſylvę poteſt venditor transferre in emptorem poſſeſſionem ferarum ibidem latitantium, eò quòd hanc ipſemet non habeat, feris illis ſua naturali libertate fruentibus: atqui *nemo poteſt plus juris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur*, ut loquitur Reg. 79. Juris in 6.

105 Reſp. III. Quando res corporalis jam anteà extitit in alicujus bonis, non ſemper requiritur apprehenſio vera ſeu corporalis, ut ejus poſſeſſio acquiratur, ſeu transferatur in aliquem tertium, ſed ſufficit etiam apprehenſio ficta, ſeu quaſi apprehenſio ipſius: nihilominus ſolo animo, & abſque ulla apprehenſione vera, vel ficta, poſſeſſio corporalium nunquam poteſt acquiri, ſicque nec transferri in alium. Ita communis. Et quidem prior pars patebit ex declaratione apprehenſionis veræ, & fictæ, de qua proximè.

Poſterior autem pars Concluſionis expreſsè habetur *in* 106
*l. Licèt. C. de Acquir. poſſeſſ.* ibi: *Poſſeſſio nudo animo acquiri non poteſt.* Concordat textus *in l. Quemadmodum. ff. eod.* ibi: *Nulla poſſeſſio acquiri niſi animo & corpore poteſt*: juncta *l. Poſſideri 3. §. 1. ff. eod. & §. Poſſidere. Inſtit. de Interdictis.*

Nec obſtat, quòd ſolo animo retineri poſſit poſſeſſio, 107
*d. l. Licèt. C. eod. & cit. §. Poſſidere. inſtit. de Interdict.* Reſp. enim, plùs requiri ad acquirendam, quàm ad retinendam poſſeſſionem; uti convincunt textus Juris hactenus allegati. Accedit ratio diſparitatis: quia, ſi ſolo animo poſſet acquiri rerum poſſeſſio, malè proviſum eſſet Reipublicæ, & quietæ hominum ſocietati: tum quia avarus quiſque quaslibet res facilè concupiſceret, & animo earum poſſeſſionem acquirere intenderet. Tum quia, cùm motus animi non tam facilè dignoſci, atque probari valeant, conſtare haud poſſet, quis inter plures priùs animo ſuo rei poſſeſſionem acquiſiviſſet. Hæc autem incommoda neutiquam urgent in retinenda ſolo animo, ſeu civiliter tantùm rerum poſſeſſione, uti patet conſideranti. Quinimò, niſi poſſeſſio ritè acquiſita deinceps poſſet ſolo animo retineri, longè graviora urgerent incommoda; cùm dominus vel rebus ſuis ſemper actu inſiſtere cogeretur (quod perquam difficile foret) vel in recuperanda tali poſſeſſione novas ſemper deberet moleſtias, aut lites experiri. Unde ad præcavendum talibus incommodis, merito Imperator *cit. §. Poſſidere. Inſtit. de interdict.* dixit: *Animo quoque ſolo retineri poſſeſſionem placet.* Nunc pro majori intelligentia prioris partis datæ Concluſionis

Quæritur II. Quid ſit apprehenſio vera & ficta, quibuſ- 108
que modis contingat? Reſp. I. *Apprehenſio vera*, ſeu corporalis, dicitur ea, quæ fit vero actu corporali: utputà, manibus rem mobilem apprehendendo, vel pedibus inſiſtendo rei immobili à nobis poſſidendæ. Non tamen ad hanc requiritur, ut qui domum v. gr. vel fundum poſſidere vult, ſingulas ejus partes circumambulet; ſed ſufficit quamlibet ipſius partem ingredi, ea mente & cogitatione, quòd totam domum vel fundum poſſidere velit; prout habetur *l. Poſſideri. §. 1. de Acquir. poſſeſſ.*

His adde, quod per ingreſſum domus comparetur et- 109
iam poſſeſſio rerum mobilium in ipſa contentarum, dummodò animus poſſidendi ad eas ſeſe extenderit; Siquidem res mobiles eatenus poſſidentur, quatenus ſub cuſtodia noſtra ſunt, *cit. l. poſſideri. §. Nerva filius. ff. eod.* Atqui adepta poſſeſſione domus, res mobiles in ipſa contentæ jam cenſentur eſſe in noſtra cuſtodia; ergo etiam una cum domo poſſidentur, dummodò adſit animus ipſas poſſidendi. Et hoc ultimum idcircò additur: quia, quando quis emit ſolam domum, non vero ſuppellectilem, vel alias res mobiles ipſius, adepta poſſeſſione domus non cenſetur harum rerum mobilium poſſeſſionem acquirere: deeſt enim animus, qui unà cum corpore ſimul requiritur ad acquirendam poſſeſſionem, *l. Quemadmodum. ff. de Acquir. poſſeſſ.*

Nec obſtat, quòd ſecùs ſit dicendum de Theſauro in 110
fundo domus latente, utpote qui non poſſidetur, donec apprehendatur, *d. l. Poſſideri. §. Neratius. ff. eod.* Reſp. enim diſparitatem eſſe manifeſtam. Siquidem Theſaurus (ſermo eſt de Theſauro propriè dicto, non de ſola pecunia cuſtodiæ cauſa in terram recondita, *arg. l. Peregrè. ff. eod.*) non eſt ſub noſtra cuſtodia, cùm nec extet ejus memoria, *l. Nunquam, ff. de Acquir. rerum domin.* unde nec animus ipſum poſſidendi intervenit, cùm ignoti nulla ſit cupido. Benè tamen ſub noſtra cuſtodia ſunt res in domo à nobis poſſeſſæ contentæ: & quia harum habetur proba notitia, etiam ad eas affectus poſſidendi ſeſe extendit.

Reſp. II. *Apprehenſio ficta* dicitur ea, quæ quidem non 111
fit vero actu corporeo, nihilominùs Juris fictione, ſeu diſpoſitione, habetur pro vera apprehenſione, ejuſque effectus operatur. Atque hæc alio nomine appellatur *Quaſi apprehenſio*: & contingit variis modis, quorum præcipuos adducit Gloſſ. *in c. Ex litteris 2. V. Signum, de Conſuet.* & continentur verſiculis illis.

*Viſu, ſive rei mutuatæ venditione,*
*Clavibus, & chartis: mea ſi conduco ſcienter:*
*Quamvis non aliter detur poſſeſſio, tranſit.*

Un-

112 Unde licèt regulariter verum ſit, quòd poſſeſſio non acquiratur ſine corporali apprehenſione, *d. l. Poſſideri & l. Quemadmodum ff. de Acquir. poſſeſſ.* cum concordantiis. Fallit tamen hoc in actibus illis, quibus ex artificioſa Juris diſpoſitione, abſque alia corporali apprehenſione, transfertur rei poſſeſſio: quamvis, quia etiam in talibus actibus ſolet intervenire aliquis ſenſus corporis, v. g. viſus poſſit dici *Quaſi apprehenſio* concurrere.

113 I. Igitur hac ratione (ſive per fictam apprehenſionem) *Viſu*, ſive oculis & aſpectu, transfertur, & acquiritur poſſeſſio. *Non enim corpore, & actu neceſſe eſt apprehendere rem, ſed etiam oculis & affectu;* prout habetur, ac variè exemplificatur in *L. 1. §. Si juſſerim, ff. de Acquir. poſſeſſ.* Unde, ſi dominus oſtendat rem oculis, ac tradat verbis, putà, dicendo, *Pono te in poſſeſſionem illarum rerum, quas vides, & à me emiſti*, cenſetur transtuliſſe, alterique tradidiſſe poſſeſſionem. Abbas *in c. Ex litteris. n. 10. de Conſuetud.* Concordat textus notabilis *in l. Quod meo. §. Si venditorem. ff. de Acquir. poſseſs.* ubi inter alia ſic dicitur: *Si vicinum mihi fundum mercatum venditor ex mea turre demonſtret, vacuamque poſſeſſionem ſe tradere dicat, non minùs poſſidere cœpi, quàm ſi pedem finibus intuliſſem.*

114 Idem eſt, ſi venditor mercem, quam emerim, in domo mea me jubente deponat; aut juſſus eam meo procuratori me vidente tradat. Nam cenſeor ego ipſemet poſſeſſionem ejus acquirere (& quidem per memetipſum, non per procuratorem ſolùm: adeò quòd de hoc poſſit teſtificari Notarius in publico Inſtrumento. Jaſon *d. L. 1. §. Si juſſerim. n. 2. & 4. ff. eod.*) quamvis rem ipſam non attigerim. Textus eſt *in cit. l. Quod meo. § 1.* juncta Gloſſa *V. Præſtat. & §. Si venditorem. ff. de Acquir. poſseſs.*

115 Cæterùm, ut viſu transferatur rerum poſſeſſio, nonnulla debent concurrere. Primò, ut res prius ab alio fuerit poſſeſſa: nam quæ nullius ſunt, non ſolo aſpectu, ſed corporali ſolùm apprehenſione poſſidentur; cùm fiant primò occupantis, *§. Feræ. Inſtit. de Rerum diviſ.* cum ſimilibus. Secundò, ut res illa ab alio tertio non poſſideatur: nam ſi alius quis exiſteret in poſſeſſione rei, per talem fictam traditionem non poſſet privari ſua poſſeſſione, *arg. d. l. Quod meo. §. Si venditorem*, ibi: *vacuamque poſſeſſionem*, ac notat Abbas *in c. Ex litteris. num. 10. de Conſuetud.* Jaſon *loc. cit. nu. 13.* & alii. Tertiò, ut verbalis traditio poſſeſſionis fiat per ipſummet dominum poſſidentem, qui demonſtrando emptori, v. g. rem venditam, dicat, ſe vacuam ejus poſſeſſionem tradere: nam ſecùs eſt dicendum, ſi interveniat nuntius, vel executor, qui non erat in poſſeſſione; cùm Jura præallegata hoc ſolum admittant poſſeſſori. Abbas *cit. n. 10.* & Jaſon *in d. L. 1. § Quod juſſerim ff. de Acquir. poſſeſſ.* poſt Bartolum, & alios.

116 Notandum inſuper, quòd quidem traditio poſſeſſionis, ejuſque apprehenſio, quæ ſit per viſum ſive aſpectum, ſit ficta: nihilominus poſſeſſio, quæ ex ipſa acquiritur, ſit vera & propria poſſeſſio. Jaſon *loc. cit. nu. 10.* Et hoc idem dicendum in ſequentibus caſibus, in quibus pariter, Jure ſic diſponente, per apprehenſionem fictam acquiritur vera & propriè dicta poſſeſſio, & non ficta duntaxat; prout rurſus dicetur infra *n. 138.*

117 II. *Clavibus*, ſive traditione clavium facta circa rem præſentem, & animo trasferendi ejus poſſeſſionem, transfertur, atque ab altero acquiritur poſſeſſio. Textus eſt *in l. Clavibus. 74. ff. de Contrahend. emption.* ibi: *Clavibus traditis, ita mercium in horreis conditarum poſſeſſio tradita videtur, ſi claves apud horrea traditæ ſint: quo facto confeſtim emptor dominium & poſſeſſionem adipiſcitur, etſi non aperuerit horrea.* Concordat textus *in L. 1. §. Si juſſerim. ff. de Acquir. poſseſs.* ubi dicitur, *Vina tradita videri, cum claves cellæ vinariæ emptori traditæ fuerint.*

118 Cæterùm, ut traditione clavium transferatur, & ab altero acquiratur rei poſſeſſio, præter hoc, quòd res illa à nullo alio poſſideatur, ſicque vacua tradi poſſit poſſeſſio, juxta dicta *num. 115.* requiritur vel maximè animus transferendi poſſeſſionem mediante illa traditione clavium: non enim ſufficit, ſi hæ tradantur merè cuſtodiæ gratia. Et quia veriſimile non eſt, quòd quis facilè renunciet poſſeſſioni ſuæ abſque cauſa, *arg. c. Super hoc. de Renunciat.* hinc in dubio præſumitur quòd traditio clavium facta fuerit ſolius cuſtodiæ cauſa; non autem animo transferendi poſſeſſionem rerum ſub clavibus contentarum, niſi præceſſerit titulus venditionis, donationis, vel alius. Jaſon *L. 1. §. Si juſſerim. num. 16 ff. de Acquir poſseſs.* Cardin. Tuſchus *Litt. P. Concl. 407. n. 6.* & alii.

119 Requiritur ulterius, ut ejuſmodi traditio clavium fiat in conſpectu ipſius rei, cujus claves traduntur. Abbas *c. Ex litteris. n. 12. de Conſuetud.* Covarruvias *lib. 3. Variar. Reſolut. cap. 16. n. 11.* poſt Bartolum *L. 1. n. 18. de Acquir. poſseſs.* Jaſon *l. Poſſeſſio appellata. num. 91. ff. eod.* Maſcardus *de Probat. Concl. 1190. num. 18. & ſeqq.* citans plures alios. Et deſumitur hoc *ex d. l. Clavibus*, ibi: *Si claves apud horrea traditæ ſint:* ac tenet Gloſſa *ibid. V. Horrea.* id firmans ulteriùs *ex L. 1. §. Si juſſerim, & l. Quod meo. §. Si venditorem. ff. de acquir. poſseſs.*

120 Contrarium nihilominus tenet Alexander *in d. L. 1. n. 78. ff. de Acquir. poſseſs.* & poſt eum Decius *Conſil. 55. n. 2.* qui volunt, non eſſe neceſſe, quòd claves tradantur in conſpectu, vel præſentia rei, cujus ſunt claves, v. gr. horrei; ſed ſatis eſſe, ſi tradantur in loco propinquo, adeò ut emptor facilè poſſit ad ipſam pervenire. Fundat hanc ſuam opinionem Alexander in verbis *cit. l. in Clavibus*, ibi: *Apud horrea:* hoc enim (inquit) jam ſalvatur, ſi traditio clavium fiat propè horreum, ſive in loco propinquo, quamvis non fiat in conſpectu horrei. Addit etiam, quòd alioquin ſupervacanea foret, nihilque operaretur traditio clavium; cùm ſolus aſpectus, unà cum voluntate verbis expreſſa prioris poſſeſſoris volentis trāſferre, jam ſufficiat ad acquirendam poſſeſſionem, juxta dicta ſuperius *n. 113. & 114.*

121 Verùm hæc ſententia paſſim ab aliis relinquitur, ob textus Juris ſuprà allegatos. Quamvis enim traditio clavium facta extra conſpectum rei, cujus ſunt claves, operetur effectum licentiæ ingrediendi rem illam, & capiendi propria authoritate poſſeſſionem mercium in ea exiſtentium, ſibique venditarum: non tamen actualiter per ipſam transfertur poſſeſſio. Abbas *cit. nu. 12.* Romanus *Conſil. 337. n. 6.* & Card. Tuſchus *d. Concl. 407. n. 7.* quamvis *ibid. n. 5.* non nihil etiam faveat ſententiæ Alexandri.

122 Nec obſtant rationes in contrarium *n. 120.* allegatæ. Non quidem prima, ex illis verbis deprompta: *Apud horrea.* Siquidem dictio *apud* in Jure quandoque obtinet vim dictionis *Coram*; ut accidit *in l. Eum pro quo. ff. De in jus vocando*, ibi: *apud officium cavit: apud acta promiſit:* id eſt coram Judice, vel Officialibus, ut explicat Gloſſa. Idem ſic *L. De jure. §. 1. ff. ad Municipalem*, ibi: *apud Præſidem Provinciæ agere debet*, cum ſimilibus. Barboſa *Tract. de Dictionib. Dict. 40.* Maſcardus *loc. cit. num. 23.* & alii.

123 Neque obſtat altera ratio. Quia, licèt traditio clavium debeat fieri in conſpectu rei, cujus ſunt claves, putà in conſpectu horrei; non tamen neceſſe eſt eam fieri in conſpectu mercium in horreo v. g. contentarum, de quarum poſſeſſione transferenda agitur; ac proinde multùm operatur traditio clavium, nempe quòd transferat poſſeſſionem mercium, quæ non videntur, neque exiſtunt in conſpectu partium.

124 Et per hoc patet diverſitas inter hunc, & priorem, ſeu *num. 113* allegatum caſum. Ibi enim agitur de transferenda poſſeſſione rerum, quæ videntur ſecundùm ſe: ut eſt domus, horreum &c. Hic vero ſermo eſt de illis rebus, quæ ſecundùm ſe non ſunt in conſpectu, ſed clauſæ in alio, puta in horreo: ac proinde non mirum, quòd hic præter conſpectum rei, cujus ſunt claves, v. g. horrei, requiratur traditio clavium; nulla verò traditio clavium requiratur in altero caſu, ſed ſufficiat ſola traditio verbalis in conſpectu ipſius rei facta ab eo, qui eam priùs poſſidebat. Jaſon *cit. n. 91.* Covarruvias *d. nu. 11.* Maſcardus *n. 22.* & alii.

125 Porrò quæ hactenus dicta ſunt de traditione clavium, ea ob paritatem rationis extendunt, atque intelligunt Doctores etiam de inveſtitura, quæ fit in Beneficio Eccleſiaſtico cum traditione annuli, libri, vel pilei. Hæc enim, ſi fiat extra conſpectum Beneficii vacantis, non ſufficit ad adipiſcendam ejus poſſeſſionem abſque alia corporali inſtitutione; juxta Gloſſ. communiter receptam *in cap. authoritate. V. Inſtituatur. de Inſtitut.* ſed habet vim collationis duntaxat; vel, ſi hæc jam præceſſit, confirmationis juris illius, quod quis per collationem in Beneficio acquiſivit. Si verò dicta inveſtitura cum traditione annuli, libri, vel pilei, fiat per Prælatum valentem inſtituere in conſpectu Beneficii, quòd à nemine alio poſſidetur; tunc reverà poſſeſſio corporalis ipſius Beneficii acquiſita cenſetur. Jo. Andreas *in cap. Tranſmiſſum. n. 13. & 14.* Abbas *cit. c. Ex litteris, nu. 10. de Conſuetud.* Covarruvias *cit. lib. 3. Variar. Reſolut. c. 16. num. 10.* & alii.



126 Hoc ipſum extende ad traditionem vectis. Nam ſicut ſub clave, ita & ſub vecte continentur omnia, quæ intùs exiſtunt: ac proin ob eandem rationem transfertur poſſeſſio per traditionem vectis, ſicut per traditionem clavium, factam in conſpectu rei, quæ claudit alias res tradendas. Maſcardus *d. Concl. 1190. n. 10.* Guido Papæ *Conſil. 71. n. 7.*

127 Quin etiam *in c. Ex litteris, 2. de Conſuetud.* habetur quòd ex conſuetudine poſſit introduci actus aliquis, per quem abſque apprehenſione corporali transfertur poſſeſſio rei abſentis. Exemplum hujus ponitur ibidem de conſuetudine illa, in partibus Daciæ vigente: ubi ſi quis pro remedio animæ ſuæ voluit Locis Religioſis poſſeſſiones aliquas conferre, ſolebat is modicum terræ in manu accipere, illudque poſtmodum vel in extremitate pallii, quod manu Prælati Eccleſiæ ſuſtinetur, vel ſuper Altare ponere, ſub teſtimonio videntium & audientium proferendo ſimul certam verborum formulam. Et hujuſmodi ſignum quod *Scotatio* vulgariter appellatur, ſub obtentu memoratæ laudabilis conſuetudinis, non ſolum eſſe argumentum factæ donationis, ſed etiam traditæ poſſeſſionis, declarat Pontifex ibidem.

128 III. Per fictam apprehenſionem transfertur, & acquiritur rerum poſſeſſio *Chartis*; hoc eſt, traditione ſcripturæ, aut inſtrumenti, in quo priſtinum jus tradentis continetur. Textus eſt *in L. 1. C. de Donation.* ubi dicitur, quòd qui tradit inſtrumentum, videtur tradere poſſeſſionem rei. Intellige cum Gloſſa ibidem, dummodò tradens poſſidebat anteà: aliàs enim ſecùs foret. Accedit *c. Cùm pridem. 4. de Pactis, & c. Sanè dilecto 7 de Renunciat.* cum concordantiis, idem à Gloſſa *V. Reddens.* adductis: ex quibus liquet, quòd tradendo litteras, quis renunciet juri ſuo; & donatis, ac traditis inſtrumentis, v. gr. mancipiorum, ipſa quoque mancipia donata, & tradita eſſe intelligantur.

129 Et ſciendum, quòd impræſentiarum non ſit neceſſe, traditionem hujuſmodi inſtrumenti, ſive ſcripturæ & chartæ, facere in conſpectu rei traditæ: quia tradens ſcripturam, ſive inſtrumentum, in quo continetur jus ipſi competens ad rem donatam, vel venditam, creditur eidem renuntiare, juxta Gloſſam *loc. cit. V. Reddens.* ac proinde cenſetur illud totum unà cum poſſeſſione transferre in alium. Covarruvias *lib. 3 Var. Reſolut. cap. 16. n. 12* Maſcardus *d. Concl. 1190 nu. 24* cum communi aliorum, quos citat. Unde aliud eſt in traditione clavium, aliud in traditione ſcripturæ, ſive inſtrumentorum: & hoc tum propter majorem cohærentiam, ſive expreſſionem juris, quæ reperitur in ſcriptura, ſeu inſtrumento rei venditæ, ſive donatæ alteri tradito, potiùs, quàm in clavibus: tum quia propter diverſam Juris diſpoſitionem circa iſta.

130 IV. Transfertur poſſeſſio *Rei mutuatæ venditione.* Quod intellige non ſolùm de venditione rei, quæ erat emptori mutuata, hoc eſt, commodata, ſed etiam de venditione rei ipſi locatæ vel pignoris loco datæ, aut penes ipſum depoſitæ. Quotieſcunque enim rem meam penes te actualiter exiſtentem tibi vendidero, vel donavero, aut dotis nomine dedero: ſtatim abſque alia nova traditione acquiritur tibi dominium, ſimulque poſſeſſio illius. *§ Interdum Inſtit. de Rerum diviſ.* & notat Abbas *in c. Ex litteris. n. 12. de Conſuet.* Hoſtienſis *in Summa. tit. de Cauſa poſſeſſ. n. 1. verſ Sequitur.* & alii. Ratio eſt: quia, cum res illa corporaliter jam à te detineatur, & apud te exiſtat, ſuperflua foret nova ejus traditio: ac proinde hac neutiquam opus eſt, ſed ſufficit ſola patientia domini, volentis, rem illam eſſe tuam, & apud te manere; haud obſtante, quòd tali animo, talique de cauſa eam tibi priùs non tradiderit. *d. § Interdum. Inſtit. de Rerum diviſ. & l. Qua ratione. §. Interdum. ff. de Acquir. rerum domin.*

131 V. Ficta apprehenſione transfertur rerum poſſeſſio, *Menſi conducto ſcienter*: ſive (ut Abbas *loc. cit. n. 14.* loquitur) *Titulo conſtituti*. Quando enim quis rem ſuam, quam poſſidet, alteri vendidit, vel donavit, ac poſteà eam rurſus ab eo conducit, vultque poſſidere nomine ipſius; illicò transfertur poſſeſſio civilis in iſtum alterum, *l. Quædam mulier. ff. de Rei vendicat.* Ubi Summarium ex Bartolo, ſic ait: *Si venditor, vel donator rem conducit ab eo, cui dedit, ipſa conductione transfert poſſeſſionem, quam habet, & etiam dominium.* Concordat textus *in l. Qui bona. §. 1. ff. de Acquir. poſſeſſ.*

132 Accedit ratio: quia is poſſidet, cujus nomine poſſidetur, *l. Quod meo. § 1 ff. de acquir. poſſeſſ & c. Cùm veniſſent. §. fin. de Reſtit. ſpoliat.* cum concordantiis. Unde hoc ipſo, quòd quis rem ſuam poſſideat nomine alterius, cui ipſam vendidit, vel donavit, cenſetur ejuſmodi emptor, ſeu donatarius rem illam poſſidere; utpote à quo ipſam venditor, vel donans denuò conduxit, ejuſque nomine nunc poſſidet. Intellige, dummodò hoc faciat ſcienter: nam aliàs ſecùs foret dicendum, *l. Si aliquam rem. ff. de Acquir. poſſeſs.*

133 Aliud talis fictæ apprehenſionis exemplum habetur *in l. Quiſquis rem. C. de Donation.* Ubi ſi quis rei, quam alteri donavit, aut in dotem dedit, vel vendidit, uſumfructum ſibi retineat; hoc ipſo cenſetur in alterum transferre & dominium, & poſſeſſionem illius rei: adeò, ut quadam juris fictione idem ſit, in talibus caſibus uſumfructum retinere, quod tradere rem ejuſmodi; ſicque retentio uſusfructus inducat traditionem poſſeſſionis, quæ erat penes donantem, vendentem &c. Hoc ipſum habetur expreſſum *in l. Si quis argentum. §. Sed ſi quidam. C. de Donationib.*

134 Rurſus per ſolutionem penſionis ex titulo donationis, vel alio titulo habili ad tranſlationem dominii, ſimulque de authoritate ſive conſenſu prioris poſſeſſoris factam, videtur tranſlata poſſeſſio rei in eum, qui recipit ejuſmodi penſionem; v. g. in donatarium. Ita deſumitur *ex c. Cùm veniſſet.* juncta Gloſſa *V. Annuam de Reſtit. ſpoliat.* ac notat Abbas *ibid. in Summario, & n. 11.* & Pirhing. *eod. tit. n. 99.* dicens, quòd per talem penſionis acceptationem acquiratur poſſeſſio civilis, & vacante poſtmodùm poſſeſſione naturali per mortem Coloni, vel Uſufructuarii, poſſit iſtam occupare is, qui poſſidebat civiliter, propria authoritate etiam ſine licentia illius qui rem anteà conceſſerat, ſeu donaverat.

135 Sunt & alii modi acquirendi rerum poſſeſſionem ficta apprehenſione, qui tamen ad unum præmiſſorum commodè reducuntur. Ut ſi quis rem emptam, v. g. pecora ex grege aliquo ſibi vendita, venditore conſentiente capiat, & ſignet, *l. Quod ſi neque. ff. de Periculo. & commod. rei vend.* ibi: *Videri autem trabes traditas, quas emptor ſignaſſet.* Ubi Gloſſa inquit, ſignationem pro traditione haberi.

136 Nec obſtat textus *in L. 1 §. Si dolium. ff. de Periculo & commod. rei vendit.* ubi dicitur, per hoc quòd dolium vini ſit ſignatum, non cenſeri traditum vinum; addita illa ratione: quia dolium magis ſignari ſolet, ne ſubmoveatur, aut ſubvertatur, quàm ut traditum videatur. Reſp. enim, ibi ſermonem eſſe de dolio ſignato, ut ſibi ex eo vinum in ſingulas, v. g. amphoras ſub certo pretio admetiatur: hoc enim non cenſetur traditum, donec admenſum fuerit, haud obſtante dicta obſignatione, *arg. l. Quod ſæpè §. In iis quæ. de Contrahend. empt.* Secùs ſi omne vinum, vel oleum, aut hujuſmodi, uno pretio fuerit emptum, ac dolium ejus ſignatum: tunc enim cenſetur jam traditum, non minùs, ac trabs ſignata; & proinde periculum ejus continuò cedit emptori, ſi aliter non convenit. Zoeſius *in cit. Tit. de Periculo & commod. rei vendit. ff. num. 4.*

137 Inſuper, quando emptor apponit cuſtodiam rei emptæ, v. gr. acervo lignorum, venditore conſentiente, hoc ipſo res illa cenſetur tradita, *l. Quarundam rerum, 51. ff. de acquir. poſſeſs.* Tacentur alia hujuſmodi exempla, de quibus Hoſtienſis *in Summa, tit. de Cauſa poſſeſſionis, n. 1. & 2.* Abbas *c. Ex litteris. n. 9. & ſeqq. de Conſuetud. & c. Cùm veniſſent. num. 11. 13 & ſeqq.* Pirhing. *h. t. num. 7.* Mynſinger. *in §. Interdum & ſeqq. Inſtit. de Rerum diviſ.* & alii.

138 Solùm adde, quòd in hujuſmodi caſibus, in quibus aliquis

aliquis ficta apprehenſione acquirit poſſeſſionem rei, quam nemo alius poſſidet, is acquirat veram & propriam illius poſſeſſionem; adeò, ut Notarii in inſtrumentis poſſint de ea teſtari. Hinc ſi poſteà prior dominus venderet, aut donaret illam rem, ejuſque corporalem poſſeſſionem traderet alteri, nihilominùs primus foret potior. Abbas *d. c. Ex litteris. n. 14. de Conſuetud.* eſtque jam dictum ſuprà *n.* 116.

139 Quæritur III. Utrùm Lege, Statuto, vel conſuetudine introduci valeat, quòd transferatur, & acquiratur poſſeſſio abſque omni corporali apprehenſione rei? Et notanter hoc additur: nam in caſibus fictæ apprehenſionis hactenus enumeratis, præter animum ſolet intervenire aliquis actus cujuſpiam ſenſus corporei; utpotà viſus ſive aſpectus rei, traditio clavium vel ſcripturæ, aut alius actus æquipollens actui corporeo. Ratio quoque dubitandi eſt: quia illud videtur repugnare Juri naturali, quod ad acquirendam rerum corporalium poſſeſſionem videtur requirere actum naturalem apprehenſionis veræ, vel fictæ, *arg. L. 1. & l. Poſſideri ff de Acquir poſſeſſ.* cum ſimilibus. Hoc tamen non obſtante

140 Reſp. Poteſt Lege, vel Statuto, ac etiam longæva conſuetudine induci, ut transferatur poſſeſſio ipſo jure abſque alia apprehenſione vera, vel ficta. Ita Jaſon *in L. 1. n. 1. C. Communia. de Legat.* poſt Bartolum *in l. Raptores C. de Epiſc. & Cleric.* Menochius *Remed. 1. de Recuperand. poſſeſſ. n. 404. & ſeqq* Covarruvias *lib. 3. Var. Reſolut. cap. 5. n. 6.* Gailus *lib. 1. Practic Obſervat 152. n 18.* eſtque communis aliorum. Et talis *Poſſeſſio* appellatur *civiliſſima* (de qua jam dictum *n. 17*) ſive artificialis, eò quod nihil facti habeat, ſed totum pendeat ex artificio Legis, ſive Statuti, cujus effectum etiam operatur conſuetudo longæva.

141 Probatur hæc Concluſio tum *ex l. Raptores. C de Epiſcop. & Cleric* ubi in Eccleſiam transfertur plena quarundam rerum poſſeſſio ex ſolo Legis beneficio. Tum *ex c. Ex litteris. 2. de Conſuetud.* ubi approbatur conſuetudo alicubi recepta transferendi rerum abſentium poſſeſſionem in Eccleſiam abſque reali ipſarum apprehenſione; uti jam dictum ſuprà *numer. 127* Tum tandem; quia Actor ex primo Decreto miſſus in poſſeſſionem bonorum cauſa rei ſervandæ, licèt eandem propter potentiam, & reſiſtentiam adverſarii intra annum adipiſci non poſſit; nihilominùs elapſo anno abſque alio actu verus conſtituitur poſſeſſor ipſius, *c. Contingit. 9. de Dolo & contum* juncta Gloſſa *fin l.* Accedit ratio: quia talis transmiſſio poſſeſſionis abſque alia apprehenſione corporali, revera non eſt prohibita de Jure naturali; ergo nihil obſtat, quò minus Lege, vel Statuto introduci poſſit, ſi ita Communitati expedire videatur.

142 Nec urget ratio dubitandi *n. 139.* allata. Nam licèt de Jure naturali neceſſaria ſit corporalis apprehenſio ad acquirendam poſſeſſionem rerum communium, quæ ſub nullius bonis ſunt, ac proinde Jure naturali fiant primò occupantis: negatur tamen, de Jure naturali itidem requiri verum, ac proprium actum ad acquirendam, ſeu transferendam poſſeſſionem illarum rerum, quæ priùs ab aliquo poſſeſſæ ſunt, atque in bonis ejus jam extiterunt, hoc enim ex nullo capite oſtenditur. Unde humana Lege, Statuto, vel conſuetudine benè fieri poteſt, ut poſſeſſio rerum ab uno in alium transferatur abſque alia apprehenſione ipſius vera vel ficta, quando ita Communitati expedire viſum fuerit: non minùs, ac de facto Lege humana ſtatutum fuit, quòd in certis caſibus ad transferendam rerum poſſeſſionem ſufficiat ſola apprehenſio ficta. Siquidem Jus naturale, requirens apprehenſionem ad acquirendam poſſeſſionem rerum, ſimpliciter loquitur de apprehenſione vera, ſeu corporali: apprehenſio autem ficta non eſt talis apprehenſio corporalis, ſed ſola Legum humanarum conſtitutione, ſeu quadam Juris fictione fuit introducta.

## §. V.

## De Acquiſitione, & in alium Translatione quaſi Poſſeſſionis incorporalium.

### SUMMARIUM.

143 *Incorporalium quaſi poſſeſſio acquiritur, atque in alium transfertur, corpore & animo ſimul concurrente.*
144 *Incorporalia aliquando cohærent corporalibus, aliquando non.*
145 *Quando incorporalia cohærent corporalibus, per horum poſſeſſionem acquiritur etiam illorum quaſi poſſeſſio.*
146 & 147 *Idque exemplificatur.*
148 *Solvuntur contraria. Et num. ſeqq.*
*Poſſeſſione unius rei apprehenſa, non cenſetur apprehenſa poſſeſſio alterius rei; & quando?*
149 *Incorporalia traditionem non recipiunt. Et n. 154.*
150 *Quomodo hoc intelligendum?*
151 *Ad acquirendam poſſeſſionem jurium incorporalium per ſe ſpectatorum, quæ requirantur? Et numer. ſeqq.*
152 *Ad eam inter alia requiritur adminiculum animi.*
153 *Pro acquirenda quaſi poſſeſſione juris eligendi, requiritur etiam, ut ſequatur confirmatio ejus.*
154 *Ad acquirendam quaſi poſſeſſionem jurium incorporalium, an requiratur exercitium juris?*
155 *Et quale? Et num. ſeq.*
156 *In aliquibus materiis complures actus ad id non ſufficiunt.*
157 *Niſi aliud appareat ex circumſtantiis.*
158 *In aliis materiis ſufficiunt quidem plures actus, non tamen unus.*
159 *In nonnullis verò ſufficit unicus actus; & quando?*
160 *Poſſeſſio juris eligendi acquiritur per electionem ſemel factam abſque proteſtatione.*
161 *Idque probatur.*
162 *Quid dicendum de quaſi poſſeſſione juriſdictionis?*
163 *Ad adipiſcendam quaſi poſſeſſionem jurium incorporalium, requiritur ſcientia, & patientia prioris domini. Et num. ſeq.*
164 *Idque probatur.*
165 *Scientia ejuſmodi, unde colligatur?*
166 *Præſumptio una tollit aliam.*
167 *Patientia domini hoc ipſo probatur, quòd ſciens non reclamaverit.*
168 *Aut reclamaverit quidem, ſed altero reſiſtente poſtmodum taceat.*
169 *Niſi forſan ejus contradictio non prodeſſet.*
170 & 171 *Tacens an in re oneroſa habeatur pro conſentiente? Et num. ſeq*
172 *Taciturnitas vicini non ſufficit ad conſtituendam in ejus prædio ſervitutem, niſi acceſſerit præſcriptio.*
173 *Ubi agitur de obligatione perſonali, taciturnitas non habetur pro conſenſu. Et num. 177.*
174 175 & 176 *Fallit hoc in pluribus caſibus; & quibus?*
177 *In materia concupiſcibili tacens habetur pro conſentiente*
178 *Ad quaſi poſſeſſionem incorporalium adipiſcendam, an requiratur bona fides? Et num ſeqq.*
*Ratio dubitandi, & affirmativam tenendi, proponitur. Ibid.*
179 & 180 *Sententia negativa ſtatuitur, & probatur.*
181 *Solvitur ratio dubitandi: Et num. ſeq.*
182 *Bona fides requiritur, ut quis agere poſſit Interdicto de aqua quotidiana, & hujuſmodi.*
183 *Sicut & ad validitatem actus ex tali quaſi poſſeſſione procedentis.*
184 *Et quæ hujus ratio.*

QUæritur I. Qua ratione acquiratur, atque ab uno in alium transferatur poſſeſſio, ſeu quaſi poſſeſſio rerum incorporalium, videlicet jurium, ac ſervitutum? Reſp. I. Generatim loquendo, incorporalium poſſeſſio, ſeu quaſi poſſeſſio non minùs, ac corporalium,



ralium, acquiritur corpore & animo ſimul concurrente, *L. 1. §. 1. & l. Poſſidere, §. 1. ff. de Acquir. poſſeſſ.* cum ſimilibus. Univerſaliter enim ad poſſeſſionem vel quaſi poſſeſſionem acquirendam, requiritur & corporis, & animi, ac (loquendo de juſta) juris adminiculum; prout liquet ex ipſa Poſſeſſionis definitione ſuprà *§ 1. n. 4. & ſeqq.* jam declarata. Atque idcircò, ut quaſi poſſeſſio incorporalium ritè ab uno transferatur in alium, neceſſe eſt, & corporis & animi, juriſque adminiculum intervenire. Verùm loquendo magis ſpecificè, ac particulariter de acquirenda quaſi poſſeſſione incorporalium, eſt diſtinguendum. Aliquando enim incorporalia adhærent corporalibus, ſuntque his connexa: aliquando non, ſed ſecundùm ſe conſiderata acquiruntur, vel deperduntur. Unde

144 Reſp. II. Quando incorporalia cohærent corporalibus, tunc per inductionem in poſſeſſionem talium corporalium transfertur, atque ab inducto acquiritur etiam poſſeſſio, vel quaſi poſſeſſio incorporalium (dummodò hæc à nullo tertio poſſideantur, juxta dicta *num 115.*) etiam ante uſum juris. Ita Abbas *in c. In litteris. nu. 20. de Reſtitut. ſpoliat.* ubi inter alia notanter ait: *Iſta incorporalia accedunt rei corporali: ideò acquiſita poſſeſſione rei corporalis, competit exercitium incorporalium, argum. eorum, quæ notantur in c. Tranſmiſſam. de Electeion.* Hæc ille. Idem tradit Paulus de Eleazaris *in Repetit. c. In litteris. nu. 17. de Reſtitut. ſpoliat.* citans Hoſtienſem *ibid.* contra Innocentium, & quoſdam alios, qui ulteriùs recipiunt uſum juris.

145 Concluſio probatur imprimis *ex c. Translato. de Conſtitut.* ubi de connexis idem cenſetur eſſe judicium. Accedit textus *in l. Omnium. 3. ff de Uſufruct.* ubi hæres uſumfructum legatum alteri *dare intelligitur, ſi induxerit in fundum Legatarium, eumve patiatur uti frui*. Nam dictio, *eumve*, cùm ſit disjunctiva, ſatis indicat, ad acquirendam quaſi poſſeſſionem uſusfructus ſufficere alterutrum illorum: nempe, quod hæres vel legatarium inducat in fundum, cui uſusfructus ipſi legatus cohæret; vel ipſum patiatur eodem fundo uti frui. Idem deſumitur *ex l. Si ego emi, § 1. ff. de Publician. in rem action.* ubi quaſi poſſeſſio uſusfructus, & ſervitutum, dicitur per rei, putà fundi, *traditionem conſiſtit, vel per patientiam; fortè, ſi per domum quis ſuam paſſus eſt aquæductum transduci.*

146 Unde, ſi cuipiam tradatur poſſeſſio domus, etiam jurium eidem competentium, ſeu cohærentium, quaſi poſſeſſio tradita cenſetur, *cit. l. Poſſideri, §. 1. ff de Acquir. poſſeſſ. & l. Gerit pro hærede, ff. de Acquir. hæred.* Similiter, ſi quis tanquam Canonicus inſtallatur in Choro & Capitulo, omnium jurium ad Canonicum pertinentium videtur acquiſiviſſe poſſeſſionem, *c. Relatum 9 & c. Dilectus 19. de Præbend.* ac notat Innocentius *ibid* ac Paulus de Eleazaris *cit. n. 17.*

147 Hinc etiam quaſi poſſeſſio jurium Eccleſiæ, probatur ex clavium Eccleſiæ traditione: nam illæ pariter transferunt quaſi poſſeſſionem talium jurium. Menochius *Remed. 3. de Retinenda poſſeſſ. n. 584* poſt Butrium *in c. ult. de Cauſa poſſeſſ. & propriet.* Nicol. de Milis *verſ. Poſſeſſio q. 24.* & Rebuffum *in Commentar. ad Reg. Conſtitut. Galliæ tom. 3. tit. de mat. poſſeſſ. in præfat. n. 69.* ac notat Maſcardus *Concl 1330. de Probat n 22. & ſeqq.* dicens, quòd adepta poſſeſſione Beneficii, cenſeatur etiam in conſequentiam acquiſita poſſeſſio jurium, & bonorum ipſius Beneficii; dummodò nullus alius fuiſſet in poſſeſſione eorum.

148 Nec obſtat, quòd poſſeſſione unius rei apprehenſa, non cenſeatur apprehenſa poſſeſſio alterius rei, *L. 1. §. Veteres* juncta Gloſſa *verſ. Per unum, ff. de Acquir. poſſeſſ. & l. Quòd meo, § fin. ff eod.* & tradit Menochius *cit. Remed. 3. de Retinenda poſſeſſ. nu. 282.* citans alios. Reſpondeo enim, iſtud dictum procedere in illis, quæ ſunt diverſa, & invicem non cohærentia: ſecùs verò eſſe dicendum, quando poſſeſſio, vel quaſi poſſeſſio unius eſt acceſſoria ad aliud; prout fit in propoſito, & in aliis ſimilibus. Tunc enim apprehenſa poſſeſſione unius, etiam in conſequentiam tranſit poſſeſſio, vel quaſi poſſeſſio alterius. Maſcardus *cit. Concl. 130. num. 33.*

149 Nec obſtat ulteriùs, quòd aliqui ad acquirendam quaſi poſſeſſionem talium jurium, inſuper requirant exercitium juris; ſive quòd quis tali jure actualiter uſus fuerit: quia aliter (inquiunt) incorporalia non traduntur, *arg. l. Servus qui bona, ff. de Acquir. rer. domin.* ubi dicitur *Incorporales res traditionem, & uſucapionem non recipere. manifeſtum eſt.* Reſp. enim: quamvis, ut ſimul interveniat exercitium, ſive actus aliquis illius juris, perquam ſit utile & conſultum, ac data opportunitate non facilè omittendum; eò quòd deſerviat ad confirmandam & fortiùs probandam talium jurium quaſi poſſeſſionem: nihilominùs tamen ad eam acquirendam in caſu noſtro, ejuſmodi exercitium juris non eſſe ſimpliciter neceſſarium. Nam tradita poſſeſſione rei corporalis, cui jus illud cohæret, etiam acceſſoriè, ac in conſequentiam, tranſit quaſi poſſeſſio illius juris.

Neque urget adductus textus *ex l. Servus qui bona ff. eod.* Loquitur enim de incorporalibus per ſe ſpectatis, & quæ corporalibus non cohærent, ſicque traditionem neutiquam requirunt: non autem de rebus, ſeu juribus incorporalibus, ut ſunt connexa corporalibus. Nam loquendo de iſtis, ſicuti ſervitutes, aliaque jura ſpiritualia, una cum fundis ſive ædificiis, quibus debentur ſeu cohærent, poſſunt uſucapi, licèt per ſe uſucapi nequeant, *text. clar. l. Si aliena §. Hoc jure ff. de Uſucap* Ita etiam una cum fundis, aliiſve corporalibus, quibus debentur atque cohærent, eorum quaſi poſſeſſio tradi, & transferri poteſt, licèt per ſe traditionem non recipiant. 150

Reſp III. Ad acquirendam quaſi poſſeſſionem jurium incorporalium per ſe ſpectatorum, & dum traditioni rerum corporalium non cohærent, tria vel maximè requiruntur. Primò, exercitium actus illius juris: deinde, ſcientia & patientia domini, ſive prioris poſſeſſoris, in cujus præjudicium actus ille exercetur: tandem adminiculum animi, ut nempe actus ille exerceatur veluti ex debito, ſive intentione acquirendi quaſi poſſeſſionem. Ita Gloſſa *in c. Cùm Eccleſia verſ. Vicecumque h. t.* & Abbas *ibid. n 22.* poſt Innocentium Bartolus *in L. 1. §. Hoc interdicto. ff. de Itinere actuque privat.* Sannig *h. t. c 2. n. 4.* & alii paſſim. 151

Et quidem duæ priores conditiones ex profeſſo examinabuntur, ac declarabuntur, in ſequentibus Quæſitis ſingillatim. Tertia verò, ſeu quòd requiratur adminiculum animi pro acquirenda poſſeſſione incorporalium, probatur; ſimulque declaratur exemplis. Sic enim quaſi poſſeſſio juris eligendi, vel præſentandi, acquiritur per hoc, quòd quis eligat, vel præſentet: dummodò hoc fiat ſcientibus, ac patientibus illis, qui fuerunt in poſſeſſione eligendi, vel præſentandi, *arg. c. Cùm Eccleſia h. t.* Simulque id fiat non ratione alicujus amicitiæ, ſeu invitationis honorificæ ſolum, aut ex cauſa conſilii dandi; ſed quaſi ex debito, ſeu intentione acquirendi quaſi poſſeſſionem: ut notat Gloſſa *loc. cit.* Concordat textus *in L. ult. ff de Itinere actuque privat.* ubi qui ſæpius commeavit per fundum proximi, non tamen tanquam id jure ſuo faceret, ſed ſi prohiberetur non facturus; per hoc non acquirit jus itineris in fundo illius. Idem probatur *ex L ult. ff. Quemadmodum ſervitutes amitt.* ibi: *Servitute uſus non videtur, niſi is, qui ſuo jure uti ſe credidit*, cum ſimilibus. 152

Addit Innocentius *in c. Cùm veniſſent. De in integrum reſtitut.* & poſt ipſum Abbas *ibid. n. 23* aliud adhuc requiſitum pro acquirenda quaſi poſſeſſione juris eligendi: nempe, quòd ſequatur confirmatio electionis per Superiorem facta. Tum quia alioquin exercitium illius actus, v. gr. electionis, vel præſentationis non haberet effectum: tum quia per ſolam electionem, vel præſentationem à ſe factam, ſed à Superiore repulſam, quis poſſideret ſolummodò labia ſua. Verùm hæc conditio commodè reducitur ad primam nempe ad exercitium actus illius juris: nam ibi ſermo eſt de actu perfecto, ſeu habente effectum ſuum. Nunc loquendo de aliis duabus conditionibus, ad acquirendam quaſi poſſeſſionem incorporalium requiſitis. 153

Quæritur II. An, & quale exercitium juris requiratur ad acquirendam quaſi poſſeſſionem jurium incorporalium per ſe ſpectatorum? Reſp. I. Certum eſt, ad acquirendum quaſi poſſeſſionem jurium incorporalium per ſe ſpectatorum, requiri aliquod talis juris exercitium. Et ratio eſt: quia jura incorporalia per ſe conſiderata, non recipiunt veram traditionem, *l. Servus qui bona, ff. de Acquir. rer. domin.* ſed ipſamet patientia exercitii talium 154

lium jurium, eſt loco traditionis; prout liquet ex *l. Quoties 20. ff. de Servitut.* ubi dicitur, *Uſum ejus juris, ſive ſervitutis, pro traditione poſſeſſionis accipiendum eſſe*. Concordat textus *in L. 1. §. fin. ff. de Servitut. ruſtic. prædior.* cum ſimilibus.

155 Reſp. II. Ad ejuſmodi exercitium juris, & acquirendam quaſi poſſeſſionem hujus, quandoque ſufficit unicus actus, quandoque requiruntur plures, & quandoque etiam multi non ſufficiunt: unde materia hæc multùm eſt arbitraria, atque ex qualitate actus, variiſque circumſtantiis penſandum, an ſufficiat unicus actus, vel quot requirantur. Ita Abbas *in c. Cùm Eccleſia nu. 22. & ſeqq. h. t.* Pirhing *h. t. num.* 10 & alii. Ratio diverſitatis eſt: quia ſunt nonnulla, quæ nunquam vel certè non facilè concedi ſolent ex amicitia, ſeu quadam indulgentia; alia quandoque ſic concedi ſolent, ſed non ſemper ſic conceduntur. Ut igitur Judex in dubio diſcernere poſſit, an hic & nunc actus fuerit exercitus quaſi ex debito, & à domino ſive priore poſſeſſore toleratus ut talis, vel potiùs ex amicitia ſolùm, probè erit conſideranda natura ſeu qualitas ſubjectæ materiæ.

156 Et quidem in illis materiis, quarum actus vel ſemper, vel ſaltem frequenter ex gratia & amicitia, ſeu benevolentia concedi ſolent: tunc complures etiam tales actus non ſufficiunt ad probandam quaſi poſſeſſionem alicujus juris. Hinc ſi quis ſæpiùs ad menſam alterius invitatus ſit, aut tanquam hoſpes in Monaſterio receptus, non per hoc præſumi poteſt, quòd ipſi quæſita ſit quaſi poſſeſſio juris cujuſpiam: quia hujuſmodi actus ſunt talis qualitatis, quòd præſumantur fieri, ac tolerari ex benevolentia, non autem tanquam debiti ex jure.

157 Intellige, niſi aliud ſufficienter appareat ex circumſtantiis: ut ſi Epiſcopus viſitando Monaſterium, ab eodem recipiatur, & procurationes ſibi exhibitas recipiat. Quia ob circumſtantiam viſitationis cenſetur illis uti veluti jure debitis, ſicque conſtituitur in quaſi poſſeſſione; ac tempore legitimo præſcribit tale jus, *c. Sopitæ. 14. de Cenſibus*.

158 Loquendo autem de materiis illis, in quibus quandoque ſolet admitti aliquis actus ex gratia, & ratione amicitiæ, non tamen multùm frequenter; tunc ad acquirendam quaſi poſſeſſionem juris exercendi ejuſmodi actus ſufficiunt quidem complures actus; non tamen ſufficit unicus actus, ſed requiruntur tam multi, ut veriſimile ſit, utentem voluiſſe uti pro jure ſuo, & dominum ita paſſum fuiſſe. Deſumitur hoc ex *L. 1. §. Hoc interdicto. ff. de Itinere actuque privat.* ubi ad acquirendam quaſi ſervitutem itineris requiritur, quòd quis in fundo proximi ſui nec vi, nec clàm, nec precariò tranſeundo, ad minùs triginta diebus per annum tali jure uſus fuerit: nam pauciores actus præſumerentur præmiſſi potiùs ex amicitia, quàm ex aliquo jure. Abbas *in d. c. Cùm Eccleſia n. 24 h. t.*

159 Loquendo tandem de illis materiis, quarum actus non facilè abſque expreſſa proteſtatione ſolent concedi ratione amicitiæ, ac ex mera gratia; utputà, quòd extraneus, ſive non exiſtens de gremio Capituli, admittatur ad dandum votum in electione, vel quòd quis gerat officium judicis, ac hujuſmodi: tunc in dubio ſufficit unicus actus ad acquirendam quaſi poſſeſſionem talis juris, dummodò concurrant cætera requiſita *num. 151.* inſinuata.

Infertur proinde, quòd quaſi poſſeſſio juris eligendi acquiratur per electionem ſemel factam, ſcientibus & patientibus, ſeu non proteſtantibus illis, ad quos ſpectat electio, *arg. cit. c. Cùm Eccleſia.* juncta Gloſſa, *verſ. In trium. h. t.* ac notat Innocentius, & Abbas *nu. 22. ibid.* Concordat *c. Cùm de beneficio. 5. de Præbend. in 6.* ubi hoc ipſum ſatis indicatur, dum per promotionem unius etiam Clerici, Beneficium regulare fit ſæculare, quando Clericus ille tempore ad præſcriptionem ſufficiente continuò id poſſedit.

160 Accedit ratio: quia, cùm actus tam graves non facilè ſoleant concedi ex gratia, & mera facultate agendi, abſque facta proteſtatione, *arg. c. Cùm una. 50. de Election. & can. Pontifices. 7. qu. 1.* juncta Gloſſa, *verſ. Cùm cautelæ*: hinc præſumendum eſt, quòd exercens hujuſmodi actum intendebat uti jure ſuo, & quòd dominus id ſciens pateretur eum uti veluti pro ſuo jure. Atqui per hoc jam ipſi acquiritur quaſi poſſeſſio talis juris: nam in hujuſmodi incorporalibus patientia habetur loco traditionis, *l. Si ego emi. §. 1. ff. de Publiciana in rem action.* cum ſimilibus. Concordat textus *in L. 1. §. Quæſitum. ff. de Aqua quotidian. & d. l. Si ego emi.* ubi quaſi poſſeſſio ſervitutis per unicum actum, quo quis per domum ſuam aquæductum tranſduci paſſus eſt, conſtitui dicitur.

161 Et ob eandem rationem etiam quaſi poſſeſſio Juriſdictionis, quando omnia capitula juriſdictionalia ſunt contigua & annexa, generaliter obtinetur per exercitium unius actus juriſdictionalis: ut ſi quis cognovit de una cauſa, vel aliud quidquam juriſdictionale exercuit, intentione utendi generaliter jure ſuo; nam hoc ipſo acquirit quaſi poſſeſſionem totius juriſdictionis. Intellige, dummodò id fiat ſciente, & patiente alio, cui paratur præjudicium; vel, ſi hic contradicit, reſiſtat utens dicendo, quòd utatur jure ſuo: nam ſi is, cui paratur præjudicium, hoc ignoret, nullum jus alteri acquiritur. Paulus de Elezaris *cit. Repetit in cap. in litteris num. 19. & ſeqq. de Reſtitut. ſpoliat.* poſt Innocentium *in cap. Bonæ memoriæ. 2. de Poſtulat. Prælat.* atque illicò ampliùs dicetur. Unde

162 Quæritur III. An, & quomodo requiratur, probetùrque ſcientia, & patientia domini, ſive prioris poſſeſſoris, ad acquirendam quaſi poſſeſſionem jurium incorporalium? Reſp. I. Certum eſt, ad hanc adipiſcendam requiri, quòd dominus, ſive priſtinus poſſeſſor, in cujus præjudicium tale jus incorporale acquiritur, ſciat & patiatur ejuſmodi actus exerceri. Ita Abbas *in c. 2. §. fin. De in integrum reſtitut.* & Innocentius *ibidem*, Paulus de Elezaris *cit. num.* 19. & communis. Idque deſumitur *ex L. 1. & 2. C. de Servitut.* ubi ad acquirendam, ſeu præſcribendam contra alterum ſervitutem, expreſsè requiritur, quòd actus eam inducentes *nec vi, nec clam, nec precariò* fiant, ſed *eo ſciente*, cui præjudicium generatur: junctis concordantiis ibidem à Gloſſa, *verſ. Sciente*, allegatis.

163 Accedit ratio: quia in corporalibus, utpote in quibus nequit habere locum vera traditio, ipſamet ſcientia, & patientia domini, ſeu prioris poſſeſſoris, habetur loco traditionis; prout liquet *ex L. 1. §. fin. ff de Servitut. ruſtic. prædior.* ibi: *Traditio planè, & patientia ſervitutum, inducit officium Prætoris.* Ubi Gloſſa ly, *& patientia*, explicat per ly, *id eſt*, *patientia*: hoc ipſo denotans, quòd patientia in corporalibus habeatur loco traditionis. Concordat textus *in l. Quoties. 20. ff. de Servitut. & l. Datio. §. Si iter. ff. de Action. empti.* ubi proinde Summarium inquit: *In incorporalibus patientia eſt pro traditione.* Quinimò, niſi adeſſet ſcientia & patientia domini, ſeu prioris poſſeſſoris, tolerantis tales actus exerceri, eo ipſo cenſeretur alter vi, vel clàm poſſidere; qualis poſſeſſio neutiquam ſuffragatur, *L. 1. cum ſeqq. ff. Quod vi, vel clam.* Nunc pergendo ad alteram partem propoſitæ Quæſtionis

164 Reſp. II. *Scire*, quantùm ad propoſitum, non ſolùm dicimur illud, quod nobis præſentibus, atque intelligentibus geſtum eſt, *l. Teſtium. C. de Teſtib.* verùm etiam ſcientia ex multis conjecturis colligi, atque probari poteſt. Maſcardus *de Probationibus*, *Concl. 1300. nu. 1. & ſeqq.* cum communi. Sic quippe præſumitur ſcientia rei, ſi res illa fuit nota in vicinia, *c. Quanto. 8. de Præſumpt.* Item colligitur ſcientia ex vicinitate locorum, ac diuturnitate temporis, quo actus aliquis fuit exercitus: unde ſi quis exercuit juriſdictionem in certo loco per longum tempus, præſumitur ſcientia vicinorum. Maſcardus *loc. cit. n. 15. & 16.* citans alios, & plures conſimiles ſcientiæ probationes adducens.

165 Nec obſtat Reg. 47. Juris in 6. *Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur.* Non obſtat, inquam: quia præſumptio una tollit aliam, *arg. c. Cùm Joan. 10. de Fide inſtrument. & l. Divus. ff. de Reſtitut. in integr.* Simulque in dubio per ejuſmodi conjecturas ſufficienter probatur ſcientia.

166 Reſp. III. Patientia domini quoad propoſitum eo ipſo probatur, quòd is ſciverit quodpiam in ſuum præjudicium agi, & non reclamaverit. Nec immeritò: Cur enim, ſi nolebat aliquid pati, non clamabat, & proteſtabatur, cùm poſſet? *arg. l. Si hypothecas C. de Remiſſion. pignor.*

ac



ac docet Maſcardus *de Probation. Concl. 1159. n. 2.* cum aliis. Unde patientia cum ſcientia conjuncta, cenſetur inducere conſenſum, atque æquiparatur ratihabitioni, *arg. l. Quo enim tutore §. Julianus, ff. Rem ratam haberi.*

168 Idem eſt, ſi dominus à principio quidem reclamavit, ſed altero reſiſtente, & allegante, quòd utatur ſuo jure, poſtmodùm tacet, & patitur; nam talis taciturnitas, ſeu patientia, habetur pro aſſenſu. Gloſſa *in l. Si fidejuſſor. verſ. Recuſare, ff. qui ſatis dare cog.* Paulus de Eleazaris, *ubi ſuprà n. 19.* Maſcardus *cit. Concl 1159. n. 40.* & alii. Idque deſumitur *ex L. ult. §. Idem ſi prædixerit. ff. Nautæ, caupon.* ubi proteſtatio, cui conſentit adverſarius, liberat proteſtantem.

169 Fallit tamen iſtud, quando contradictio cujuſpiam non prodeſt; ſive, ubi quis actum ab altero exercitum impedire non potuit: tunc enim tacendo, & patiendo talem actum, nemo ſibi præjudicat. Nam *culpa caret; qui ſcit, ſed prohibere non poteſt*, prout dicitur, *l. Culpa caret, ff. de Reg. Jur.* Ad idem facit textus *in l. Si fundus §. fin. ff. Locat.* Abbas *in c. Pervenit. n. 8. de Emption.* Maſcardus *cit. Concl. 1159. n. 47.* citans Bartolum *in l. Pomponius §. Ratum, ff. de Procurat.* & plures alios.

170 Dices. Ubi agitur de re oneroſa, tacens non habetur pro conſentiente, ſed potiùs pro contradicente; ergo nunquam poteſt acquiri quaſi poſſeſſio incorporalium ex ſola taciturnitate, ſeu patientia adverſarii. Antecedens probatur *ex l. Invitum, ff. de Servit. urban. prædior.* ibi: *Invitum autem in ſervitutibus accipere debemus non ſolùm, qui contradicit, ſed & qui non conſentit.* Concordat text. *in l. Filius familias, §. Invitum ff. de Procurat.* ubi pariter invitus cenſetur procurator, *qui conſenſiſſe non probatur.* junctis iis, quæ tradunt Gloſſa, & Doctores, *in c. Qui tacet. de Reg. Jur. in 6.*

171 Ad hanc notabilem inſtantiam plures ſolent afferri ſolutiones; uti videre eſt apud Gloſſam *in can. 1. diſt. 27. verſ. Tacuerit.* & aliam Gloſſam *d. l. Filius familias, verſ. Non probatur.* Breviter tamen reſpondetur. Antecedens non eſſe univerſaliter verum, præſertim ubi non agitur de onere magni præjudicii, per Jura *n. 167. & 168.* allegata, & notat Abbas *in c. Nonne benè dicimus, n. 3. de Præſump.* iſtud ulteriùs probans *ex l. Quam Tuberonis §. Sunt quidam ff. de Peculio*: ubi ad hoc, ut ſervus poſſit habere peculium, non neceſſariò requiritur conſenſus domini, ſed ſufficit iſtud non adimi. Atqui acquiſitio quaſi poſſeſſionis juris ſpiritualis non eſt magni præjudicii, cùm ante completam præſcriptionem facilè elidi poſſit contradicendo.

172 Ad probationem Antecedentis; & imprimis *ad cit. l. Invitum ff. de Servitut. urban. prædior.* dicitur, ibi ſermonem eſſe de ſervitute in prædio vicini conſtituenda: ad hanc autem de novo conſtituendam non ſufficit ſola vicini taciturnitas, ſed ob magnum præjudicium, quòd fit hominibus ſervitute quapiam gravandis, Jura pro ejus conſtitutione requirunt verum & expreſſum conſenſum ipſorum. Et quamvis per actus libertati contrarios poſſit acquiri quaſi poſſeſſio ſervitutis, prout in ſimili dictum eſt ſuprà *n. 160. & ſeqq.* non tamen idcircò conſtituitur, vel acquiritur jus ſervitutis: niſi etiam tanto tempore tales actus altero tacente exerceantur, ut tandem ſervitus ipſa legitimè præſcribatur. Gloſſa *ib. verſ. Invitum.* juncta *l. Hæc autem ff. eod.*

173 Ad alterum textum *ex l. Filius familias. ff. de Procur.* deſumptum, dicitur, ibi ſermonem eſſe de obligatione perſonali, putà, quòd quis conſtituatur procurator. Eſt autem regula, quòd quando agitur de obligatione perſonali, taciturnitas non habeatur pro conſenſu, ſed pro diſſenſu, *arg. d. l. Filius familias* ac notat Felinus *in cap. nonne n. 6. de Præſumpt.* Idque meritò: ſiquidem obligatio perſonalis eſt cæteris gravior.

174 Fatendum tamen, quòd hæc ipſa regula fallat, atque limitanda ſit in pluribus caſibus in Jure ſpecialiter expreſſis. Et primò quidem hoc fit favore Matrimonii, ratione cujus filius præſens, & tacens, obligatur matrimonio per parentes contracto, quamvis hæc ſit obligatio perſonalis, *c. un. de deſponſat. impuber. in 6.* Idem fit favore Pupillorum: qua de cauſa Fidejuſſores à Tutoribus nominati, ſi præſentes fuerint & non contradicendo nomina ſua referri in Acta publica paſſi ſint, jam obligantur, *l. Cùm oſtendimus ff. de Fidejuſſ. tutor.*

175 Inſuper dicta regula, ſeu quòd taciturnitas non habeatur pro conſenſu, ubi agitur de obligatione perſonali, fallit in odium contumaciæ. Nam contumax in reſpondendo habetur vel pro conſentiente, vel pro negante, quatenus vertitur magis in ſuum præjudicium eò quòd Judicem contemnere videatur; *l. De ætate §. Qui tacuit. ff. de Interrog. action. & c. Si poſt præſtitum de Confeſſ. in 6.*

176 Fallit tandem eadem regula, quando præter taciturnitatem intervenit aliquis actus poſitivus: nam tunc taciturnitas, ſeu patientia, cenſetur inducere conſenſum etiam in principali. Sic, qui ſcienter recipit litteras, in quibus conſtituitur procurator, & non proteſtatur, cenſetur eis præſtare aſſenſum, *Clem. 1. de Procurat.* Huic ſimile quid habetur in *l. Si filius familias abſente 18 ff. ad S.C. Macedon.* ubi paterfamilias receptis litteris, in quibus filius petit pecuniam à ſe mutuò acceptam ſolvi, continuò debet teſtationem contrariæ voluntatis interponere: alioqoin factum approbare videtur ſicque ſolvere debet pecuniam mutuò acceptam à filio.

177 Porrò in aliis caſibus, ubi Jus ſpeciale quid non exprimit, regula eſt, quòd in oneroſis, & maximè in obligationibus perſonam, tacens habeatur pro contradicente: licèt ſecùs ſit in materia concupiſcibili, ſeu commodum afferente. Abbas *in cit. c. Nonne n. 4.* & Felinus *ibid. n. 19. de Præſumpt.* poſt Baldum *in l. Quo enim ff. Rem ratam haberi*, & alios; atque uberiùs explicant Gloſſa, & Doctores *in reg. 44. & 45. Juris in 6.*

178 Quæritur IV. Utrùm ad quaſi poſſeſſionem incorporalium adipiſcendam requiratur bona fides? Hæc quæſtio ſub aliis etiam terminis proponi ſolet, interrogando videlicet, an ad acquirendam ejuſmodi quaſi poſſeſſionem ſufficiat, quòd quis actibus aliquibus intendat uti tanquam jure ſuo; vel ulteriùs neceſſe ſit credere, quòd utatur jure ſuo. Et ratio dubitandi, atque hoc poſteriùs aſſerendi, deſumitur *ex L. ult. ff. Quemadmodùm ſervitut. amitt.* ubi dicitur: *Servitute uſus non videtur, niſi is, qui ſuo jure uti ſe credidit*, cum ſimilibus.

179 Reſp. I. Ad acquirendam quaſi poſſeſſionem incorporalium non eſt opus bona fide, ſed ſufficit, intendere ipſis uti tanquam jure ſuo. Ita Abbas *in cap. Cùm Eccleſiam n. 26. h. t.* citans Innocentium *ibid.* Pirhing *h. t. n. 10. verſ. Porrò bona fides*, & alii. Ratio eſt clara: quia, ſicut in corporalibus, ita & in incorporalibus dari poteſt non ſolùm poſſeſſio, ſeu quaſi poſſeſſio civilis, quæ eſt juſta, & conjuncta cum bona fide; ſed etiam naturalis tantùm, *arg. c. In litteris 5. de Reſtit. ſpoliat.* Ubi Pontifex reſpondet, quòd violenter ejectus de poſſeſſione Beneficii Eccleſiaſtici, in eodem reſtitui debeat; haud obſtante, quòd adverſarius ipſius alleget, probareque velit, eum non fuiſſe canonicè inſtitutum.

180 Atque hoc reſponſum ſuum comprobat Papa ex eo quia ſecundùm rigorem Juris Civilis, etiam prædo eſt reſtituendus: hoc autem non procederet, niſi prædo acquireret poſſeſſionem (ſaltem naturalem) rerum malè ablatarum; & Clericus poſſeſſionem Beneficii, in quo non fuit canonicè inſtitutus: & conſequenter procedit poſſeſſio abſque bona fide. Cæterum qua ratione prædo ſit reſtituendus, ex profeſſo declarabitur *Tit. ſeq. §. 3. num. 59. & ſeqq.*

181 Nec obſtat Concluſioni textus *ex L. ult. ff. Quemadmodum ſervitut. amitt.* ac ſuprà *n. 178.* relatus. Reſp enim, ibi ſermonem eſſe de præſcribenda ſervitute urbana, ac de poſſeſſione ad eam præſcriptionem ſufficiente: talis enim procul dubio debet eſſe bonæ fidei, ſeu quòd poſſidens credat ſeſe uti jure ſuo: nam *poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit*, juxta Reg. 2. Juris in 6. Hinc Summarium *in cit. L. ult.* ſic habet. *In præſcribenda ſervitute requiritur, quòd bona fide quis utatur jure ſervitutis.*

182 Fatendum inſuper, quòd requiratur bona fides, non quidem ad quaſi poſſeſſionem ſimpliciter, ſed ut quis agere poſſit Interdicto de aqua quotidiana, *L. 1. §. Ariſto, ff. de Aqua quotidian.* vel alio tali Interdicto. Nam agens hujuſmodi Interdicto repelleretur, ſi probaretur ejus mala fides: non minùs, ac ſi vi, clàm vel precariò poſſediſſet, ſeu tali ſervitute uſus eſſet, *arg. L. 1. ff. Uti poſſidetis & L. 1. ff. de Itiner. actuque priv.* cum ſimilibus, ubi ejuſmodi Interdictum non conceditur niſi illi, qui *nec vi, nec clàm, nec precariò* actus poſſeſſorios exercuit.

183 Reſp. II. Nihilominùs quoad validitatem actus ex tali

tali quaſi poſſeſſione procedentis, v.g. factæ electionis, præſentationis, ac hujuſmodi omnino requiritur bona fides; id eſt, ad valorem talium actuum neceſſe eſt, credere, quòd quis utatur Jure ſuo. Ita Abbas *cit. c. Cùm Eccleſia n.26. h.t. & c. Cùm veniſſent . n. 23. De in Integr. reſtitut.* poſt Innocentium ibidem; ac ſuſiùs tradit Joannes de Selva *To.1. Tractatuum tract. de Beneficio q.7. n.1.* cum aliis. Et hoc deſumitur ex *c. Conſultationibus*, juncta Gloſſa *verſ. credebatur de jure patronat. & c. Cùm olim 7. h.t.* Ubi Gloſſa in caſu notanter ait, quòd ille, qui eſt electus, & inſtitutus ab eo, *qui eſt in pacifica poſſeſſione eligendi, obtinet ex ſola poſſeſſione, licèt poſteà appareat, jus ad alios pertinere.* Ubi ly, *in pacifica*, indicat poſſeſſionem bonæ fidei; & quòd aliàs ſecus foret dicendum. Concordat *c. Querelam 24. de Election.*

184 Accedit ratio: quia generaliter loquendo, licèt poſſeſſor bonæ fidei fructus faciat ſuos, non tamen poſſeſſor malæ fidei, *§. Si quis à non domino. Inſtit. de Rer. diviſ.* eſtque jam dictum ſuprà *§ 2. n. 63.* Atqui electio, ſive præſentatio, eſt quaſi fructus juris eligendi, ſeu præſentandi, ut notat Innocentius *in c. Cùm veniſſent. De in Integr. reſtit.* & Abbas *ibid. n. 23.* ac rurſum *c. Cùm Eccleſia n.26. h.t.* ergo non mirum, quòd eligens, ſeu præſentans cum mala fide, non debeat conſequi fructum ſuæ electionis, ſeu præſentationis. Unde, quandocunque conſtiterit de tali mala fide, & iniqua quaſi poſſeſſione illius juris, caſſanda erit electio; licèt ſecùs ſit in poſſeſſore bonæ fidei.

## §. VI.

## De Amiſſione Poſſeſſionis tum corporalium, tum incorporalium.

### S U M M A R I U M.

185 *An poſſeſſio rerum corporalium ſolo animo amitti poſſit, quæſtio eſt difficilis, ob apparentem Jurium contrarietatem.*
*Textus Juris pro parte negativa, ibid.*
186 *Alii textus juris pro parte affirmativa referuntur. Et n. 189.*
187 *Hi concordantur ab aliquibus, diſtinguendo inter poſſeſſionem naturalem, & civilem.*
188 *Inſtantia contra hanc Sententiam reſolvitur.*
189 *Refertur communior Doctorum ſententia, ſimulque probatur.*
190 *191 & 192 Ac explicatis Juribus in contrarium militantibus, ampliùs declaratur.*
193 *Poſſeſſio omnibus illis modis amittitur, quibus poteſt ab uno in alium transferri.*
*Duo in ſimul eandem rem, & eodem modo in ſolidum, poſſidere non poſſunt. Ibid.*
194 *Benè tamen diverſo modo.*
195 *Poſſeſſio rerum mobilium retinetur quamdiu manent ſub noſtra cuſtodia: amittitur, quando eas perdidimus, ut ignoremus ubi ſint.*
196 *Iſtud declaratur: & quid, ſi adhibemus diligentiam ad eaſdem recuperandas?*
197 *Poſſeſſio hominis, qualiter retineatur? Et n. ſeqq.*
198 *Servus fugitivus non privat dominum poſſeſſione ſui.*
199 *Qui deperdidit rem mobilem, non poteſt contra hujus inventorem uti Remediis poſſeſſoriis.*
200 *Poteſt tamen contra hunc agere Judicio petitorio.*
201 *Bona inventa ſunt dominis ſuis reddenda. Et num. præced.*
202 *Quid, ſi pecora noſtra in ſylva aberraverint, aut gallinæ vel anſeres avolarint?*
203 *Fera animalia quandiu poſſideamus?*
204 *Diſcrimen inter amiſſionem poſſeſſionis rerum immobilium,*
205 *Et mobilium ab alio injuſtè occupatorum, & quale?*
206 *Ac ratio talis diſcriminis.*
207 *Per aquarum inundationem perditur rerum poſſeſſio.*
208 *Niſi ea ſit utilis agris ſitientibus.*
209 *Vel Modica ſolùm.*
210 *Aut modico durans tempore.*
211 *Et niſi poſſeſſor reſiſtat inundationi objiciendo repagula.*
212 *Non tamen per inundationem amittitur rerum dominium.*
213 *Quaſi poſſeſſio jurium incorporalium, quæ competit ratione Dignitatis aut loci, hoc amiſſo deperditur.*
214 *Limitatur iſtud in caſu* Clem. un. de Foro compet.
215 *Amittitur inſuper per hoc, quòd quis ſciat tale jus exerceri ab alio, & non contradicat, ſed patiatur.*
216 *Secùs, ſi reſiſtat.*
217 *Aut ſaltem publicè proteſtetur.*
218 *Cur poſſeſſio incorporalium retineatur per ſolam reſiſtentiam, vel proteſtationem; non item corporalium?*

185 QUæritur I. An poſſeſſio rerum corporalium ſolo animo amitti poſſit? Reſp. Iſtud eſt unum ex difficillimis contrariis Juris, ut inquit Udalricus Zaſius *in l. Poſſideri § In amittenda, ff. de Acquir. poſſeſſ.* aſſerens, ſe ſemper ſuper eo dubitaſſe, ac difficile eſſe realem reperire ſolutionem. Idque accidit ob quoſdam textus Juris, ſatis prima fronte inter ſe pugnantes. Siquidem *in l. Quemadmodum, 8. ff. de acquir. poſſeſſ.* dicitur: *Quemadmodum nulla poſſeſſio acquiri, niſi animo & corpore poteſt: ita nulla amittitur, niſi in qua utrumque in contrarium actum eſt.* Concordat textus *in l. Ferè quibuſcunque, ff. de Reg. Jur.* ubi eadem verba habentur.

186 Econtrà *in l. Poſſideri. §. In amittenda, ff. de Acquir. poſſeſſ.* expreſsè dicitur, poſſeſſionem ſolo animo amitti poſſe, licèt ſolo animo acquiri non poſſit, verba ejus ſic ſonant: *In amittenda quoque poſſeſſione affectio ejus, qui poſſidet, intuenda eſt. Itaque ſi in fundo ſis, & tamen nolis eum poſſidere, protinùs amittes poſſeſſionem. Igitur amitti & animo ſolo poteſt, quamvis acquiri non poteſt.* Concordant Leges *n. 189.* allegandæ. Et quidem iſthæc apparens Jurium contrarietas multùm torquet Juris Civilis interpretum ingenia, & diverſas ab eis extorſit reſponſiones; uti videre eſt apud Gloſſam *in cit. §. In amittenda, verſ. Animo ſolo*, referentem quinque ſolutiones. Earum unam, vel alteram præ cæteris probabiliorem, juvat huc adducere; idque ſufficiat pro præſentis Quæſtionis reſolutione.

187 Primò igitur dicta Gloſſa *in Reſponſione prima*, & Mynſinger *§. Poſſidere, n.9. & 10. Inſtit. de Interdict.* ad concordandas memoratas Leges diſtinguit inter poſſeſſionem naturalem, & civilem: atque docet, quòd quidem poſſeſſio naturalis & civilis ſimul non poſſit amitti in totum, niſi corpore & animo concurrente, juxta *cit. l. Quemadmodùm, ff. de Acquir. poſſeſſ. & l. Ferè quibuſcunque, ff de Reg. Jur.* Nihilominùs poſſeſſio civilis ſolo animo amittatur, *arg. d. l. Poſſideri, §. In amittenda. ff. de Acquir. poſſeſſ.* Unde iſthæc ſententia vult, citatum Paragraphum *In amittenda*, loqui de poſſeſſione civili, priores Leges autem de naturali.

188 Nec dicas cum eadem Gloſſa, hanc reſponſionem poſtmodùm rejiciente. In *cit. §. In amittenda*, eſt etiam ſermo de poſſeſſione naturali; ut patet ex illis verbis, *Itaque ſi in fundo ſis &c.* & tamen ibidem ſubditur, ſolo animo eam amitti; ergo hæc ſolutio nequit ſubſiſtere. Reſp. enim neg. conſequent. Quia, ut notat Mynſinger *cit. n. 10.* in eo caſu, quando ſum adhuc in fundo, & tamen nolo poſſidere, amitto quidem poſſeſſionem civilem, non verò poſſeſſionem naturalem ſeu corporalem: ſicque adhuc ſalvatur allata concordia. Et quidem ejuſmodi poſſeſſio corporalis proderit mihi in tantùm, quòd ſolo, animo, ſi velim recuperem poſſeſſionem civilem, utpote quam ſolo etiam animo amiſeram: hoc quippe non licebit illi, qui de loco diſceſſit, & naturalem quoque poſſeſſionem amiſit, *arg. d. l. Poſſideri, §. 1. & l. Si quis vi, §. fin. ff. eod.* cum concordantiis Et conformiter dictis, explicatur ly, *Si in fundo ſis &c.* ac conceditur, quòd in *cit. §. In amittenda*, ſit quidem ſermo etiam de habente poſſeſſionem naturalem: negatur tamen, inde ſequi, quòd ſolo animo amittatur tunc poſſeſſio naturalis, cùm amittatur ſola civilis.

189 Secunda, & quidem communior Doctorum ſententia,



tia, abſolutè ac non adhibita præmiſſa diſtinctione docet, poſſeſſionem, ſicut corpore & animo acquiritur, ita corpore & animo viciſſim deperdi; quin etiam ſola animo amitti poſſe (modo inferiùs *n.191. & 192.* jam declarando) juxta *cit. §. In amittenda*, ponderando præſertim illa verba: *Si in fundo ſis, & tamen nolis eum poſſidere, protinus amittes poſſeſſionem.* Concordat textus *in l. Si quis vi, §. 2. de Acquir. poſſ.* ibi: *Poſſeſſio autem recedit, ut quiſque conſtituit nolle poſſidere.* Id ipſum ampliùs deſumitur *ex l. Peregrè, 44. §. fin. eod.* ubi dicitur: *Ejus quidem, quod corpore noſtro teneremus, poſſeſſionem amitti, vel animo, vel etiam corpore: ſi modo eo animo inde digreſſi fuerimus, ne poſſideremus.* Et hinc faciliùs amittitur, quàm acquiritur poſſeſſio, cùm ſolo etiam animo amittatur: præſertim, ſi quis *Titulo conſtituti* velit eam in alium transferre, juxta dicta *§. 4. n. 131. & ſeqq.*

190 Ad textus Juris *n. 185.* in oppoſitum allegatos, ſatis communiter reſpondent Doctores hujus poſterioris ſententiæ; In amittenda poſſeſſione utrumque, tam corpus videlicet quàm animum eſſe neceſſarium, ſi incipias à corpore: ſecùs verò, ſi incipias ab animo. Et addunt, hac ratione ritè concordari poſſe textus Juris ſuprà allegatos, qui cæteroquin prima fronte contrarii videntur. Atque ita reſpondet Gloſſa in ſæpè *cit. §. In amittenda, & l. Ferè quibuſcumque ff. de Reg. Jur.* Hoſtienſis *in Summa, tit. de Cauſa poſſeſſionis n. 4.* Udalric. Zaſius *d. §. In amittenda n. 4. ff. de Acquir. poſſeſſ.* Pirhing *h.t. num. 13.* & alii. Nam incipiendo à corpore, ſicut qui intrat fundum, non acquirit ejus poſſeſſionem, niſi concurrat animus poſſidendi; ita viciſſim, qui exit de fundo, non amittit ejus poſſeſſionem, niſi etiam concurrat animus derelinquendi poſſeſſionem: alioquin hanc adhuc civiliter retineret: & in hoc ſenſu explicantur Leges *n. 185.* adductæ.

191 Cæterùm incipiendo ab animo, tunc eſt diverſitas: nam ſolo quidem animo non acquiritur poſſeſſio, tamen ipſa ſolo animo amittitur: & hoc modo locum habet *d. §. in amittenda* cum concordantiis *cit. n. 185.* allegatis. Quamquàm ad hoc, ut animo ſolo amittatur poſſeſſio, neceſſe ſit, quòd qui animum poſſidendi depoſuit, poſteà etiam corpore ex fundo egrediatur, *arg. l. Peregrè, 44. ff. de Acquir. poſſeſſ.* ibi: *Si modò eo animo inde digreſſi fuerimus, ne poſſideremus.* Quo facto cenſetur quis poſſeſſionem amiſiſſe, non ab eo die, quo quis ex fundo diſceſſit, ſed ex illo temporis articulo, quo quis poſſidere noluit; prout notat Fachineus *lib. 8. Controv. Jur. cap. 21. ℣. Ego igitur.*

192 Et hac ratione commodè explicatur, atque ſalvatur textus in ſæpè *cit. §. in amittenda* ubi dicitur: *Si in fundo ſis, & tamen nolis eum poſſidere, protinus amittes poſſeſſionem.* Etſi enim dictio illa *protinus*, videatur indicare, poſſeſſionem amitti ante egreſſum ex fundo, ſicque iſtum non requiri: nihilominùs explicando citatum textum juxta datam proximè doctrinam, dictio illa *protinus* convenienter ſalvatur per hoc, quòd ſecuto poſtmodum corporali egreſſu è fundo, non cenſeatur quis amiſiſſe poſſeſſionem ex eo primùm tempore, quo è fundo egreſſus eſt; ſed ex illo jam tempore, quo animum poſſidendi depoſuit. Et hac etiam ratione verificatur illud, quod in eodem § *In amittenda*, ſubjungitur, illis verbis: *In amittenda poſſeſſione affectio ejus, qui poſſidet, intuenda eſt.*

193 Quæritur II. Qualiter amittatur poſſeſſio rerum corporalium præſertim mobilium? Reſp. I. Generatim loquendo, omnibus illis modis, quibus poſſeſſio corporalium ab uno poteſt transferri in alium, poteſt, ac ſolet ab altero ipſa amitti. Ita communis; & ratio eſt clara. *Quia duo in ſimul eandem rem, & eodem modo, in ſolidum poſſidere non poſſunt*, prout loquitur Pontifex *in c. Licèt 9. de Probat.* & concordat textus *in l. Poſſideri §. Econtrario ff. de Acquir poſſeſſ.* Ergo eo ipſo, quòd unus transfert poſſeſſionem in alterum, amittit ipſam.

194 Dicitur notanter in allata ratione, *eandem rem, & eodem modo.* Quia nihil obſtat, quin plures poſſideant eandem rem, ſed diverſo modo: ac proin quiſpiam tranſlata una poſſeſſione in alterum, adhuc retineat aliam. Sic enim benè poteſt unus habere poſſeſſionem civilem, alter naturalem; ut notat Gloſſa *cit. c. Licèt, verſ. Eodem modo.* Similiter Dominus proprietarius rei retinet poſſeſſionem dominii directi; quamvis alteri, puta Vaſſallo, Emphyteutæ, concedat uſumfructum, vel dominium utile, hujuſque poſſeſſionem. vel quaſi poſſeſſionem. Idem accidit, ſi plures eandem rem poſſideant pro diverſo: quia tunc nullus ipſorum poſſidet rem illam in ſolidum.

Reſp. II. Loquendo ſpecialiter de rebus mobilibus, poſſeſſio rerum mobilium, v.g. annuli, enſis, veſtimenti &c. ac etiam ſe moventium, putà equi, jumentorum, gallinarum, & ferarum beſtiarum, tamdiu à nobis retinetur, quamdiu manent ſub noſtra cuſtodia ſive poteſtate, etiamſi ad tempus neſciamus ubinam exiſtant Quod ſi verò ita deperdantur, ut adhibita diligenti inquiſitione ampliùs reperiri nequeant, illicò rerum mobilium, ac ſe moventium (homine excepto) amittitur poſſeſſio. Ita habetur expreſſum *in l. Poſſideri, §. Nerva filius, ff. de Acquir. poſſeſſ. & l. Si id quod 25. ff. eod.* ubi dicitur: *Si id quod poſſidemus, ita perdiderimus, ut ignoremus ubi ſit, deſinimus poſſidere.* Concordat textus *in §. Feræ, Inſtit. de Rerum diviſ.* 195

Cæterùm illud, quod habetur in allegato textu, *ut ignoremus, ubi ſit:* Fallit imprimis, quando adhuc ſcimus fundum, in quo res exiſtit, licèt ignoremus locum fundi, ſeu in qua parte ipſius ſit, *arg. l. Peregrè, §. 1. ff. de Acquir. poſſ.* ac tenet Gloſſa *in cit. l. Si id quod, ℣. Ubi ſit, ff. eod.* Fallit inſuper, quando adhibemus adhuc diligentem inquiſitionem ad ipſam recuperandam: nam quamdiu intendimus, quærimus, & ſollicitamus, ut inveniatur, necdum perdita eſt poſſeſſio: *arg. d. §. Nerva filius*, & notat Zaſius *ibid. n. 5. & 8.* Sed interim retinetur poſſeſſio civilis, cum ſpe recuperandi etiam naturalem; per ea, quæ notat Gloſſa *in l. Idem eſt, §. Eum igitur, ℣. Continenti, ff. de Vi & vi armat.* 196

Additur notanter in data *n. 195.* Concluſione, *excepto homine*, ſive mancipio noſtro. Nam, quia homo ratione utitur, poteſt is ſolo propoſito revertendi conſervare ſui poſſeſſionem proprio domino; ac proinde per amiſſam ejus cuſtodiam non perditur poſſeſſio ipſius, quamdiu nemo alius eum poſſidere cœpit, *l. Poſſideri, §. Nerva filius*, juncta Gloſſa, *verſ Homine, ff. de Acquir. poſſeſſ.* & clariùs habetur *in l. Si rem mobilem, ff eod.* 197

Quin etiam, ſi ſervus ſit fugitivus, atque à domino ſuo receſſerit animo non revertendi, nihilominùs ab iſto poſſidetur, donec ab alio poſſideri cœperit. Nam ſervus non poteſt dominum privare ſua poſſeſſione, ſibique aliquod jus acquirere, ſed quidquid acquirit, domino acquirit: atque ideò, quamdiu ab alio non poſſidetur, remanet in poſſeſſione prioris domini, *L. 1. § Per ſervum, ff. de Acquir. poſſeſſ. & l. Pomponius, §. 1. ff. eod.* Unde Gloſſa *loc. cit.* notanter inquit, quòd homo, ſive mancipium, etiamſi non ſit ſub noſtra cuſtodia, adhuc à nobis poſſideatur: vel quia propoſitum habet redeundi, ut dictum *n. præc.* vel ea ratione, *quia eſt*, ob proximè dicta. 198

Ex præmiſſis plura inferuntur corollaria. Primò, quando quis deperdidit rem mobilem, vel ſe moventem, ita ut ignoretur ubi ſit (modo jam declarato) & illa ab alio inveniatur; non poteſt prior dominus contra iſtum inventorem uti Remediis poſſeſſoriis, neque inſtituere Judicium poſſeſſorium contra eum; cùm reverà non ampliùs ſit poſſeſſor. ſed ipſam rei poſſeſſionem amiſerit. 199

Licebit tamen ipſi agere Judicio petitorio, & rem à ſe amiſſam, & ab altero inventam, petere per conditionem ex *L. ult. C. Unde vi.* Nam adhuc retinet dominium talium rerum, *arg. cit. L ult. & Pomponius §. 1. ff de Acq. poſſeſſ* cum ſimilibus Atque inſuper *omnes ſcire debent, quod ſuum non eſt, hoc ad alios modis omnibus pertinere:* prout dicitur *cit L ult. C. Unde vi.* Ubi proinde invaſores, ſeu poſſeſſores talium rerum, quas reſtituere nolunt, ut prædones & fures puniri jubentur. 200

Concordat textus *in can. Si quid, 14 q. 15.* clariſſimè dicens, bona inventa eſſe prioribus dominis reddenda, illis S. Auguſtini verbis: *Si quid inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti: quantùm potuiſti, feciſti.* Idem tradit D. Hieronymus, relatus *can. Multi, 14. q. 5.* dum inquit: *Multi ſine peccato putant eſſe, ſi alienum, quod invenerint, teneant: & dicunt, Deus mihi dedit: cui habeo reddere? Diſcant ergo, peccatum hoc eſſe ſimile rapinæ, ſi quis inventa non reddat.* Intellige, quando ſcitur prior dominus, qui talia deperdidit; prout ampliùs declaravi *in Theologia Morali, Tract. 7. Diſt. 5. n. 6. 7. & 8.* 201

Secundò infertur, quòd ſi pecora noſtra, vel greges 202

per jumentorum aberraverint in ſylva, ita ut poſt diligentem inquiſitionem ea ampliùs non inveniamus: tunc quidem ipſorum perdamus poſſeſſionem; non verò dominium. Unde ſi quis domeſticas gallinas, vel anſeres ex turbatione aliqua longiùs avolantes, lucri cauſa detinuerit, furtum committere intelligitur, *§. Gallinarum, Inſtit. de Rerum diviſ. & l. Naturalem, §. Gallinarum, ff. de Acquir. rerum domin.*

203 Tertiò infertur, quòd loquendo de feris animalibus, quamdiu ea ſub noſtra exiſtunt cuſtodia (putà, quia piſces incluſimus in piſcinis, feras beſtias in vivariis, aves in aviariis, aut ſaltem ipſæ cicuratæ conſuetudinem redeundi obtinent) tamdiu hujuſmodi feras beſtias poſſideamus, earumque retineamus dominium, *l. Poſſideri, §. Item feras, ff. de Acquir. poſſeſſ.* juncta *L. 3 & l. Naturalem, ff. de Acquir. domin. & §. Feræ, Inſtit. de Rerum diviſ.* Quòd ſi verò hujuſmodi feræ beſtiæ noſtram cuſtodiam effugerint, aut ſecundùm priſtinam conſuetudinem redire deſierint, non tantùm earum amittamus poſſeſſionem, ſed etiam dominium: eò quòd & noſtram evaſerint cuſtodiam, & in naturalem libertatem ſuam ſeſe receperint; ac proinde fiunt primò occupantis, prout in allegatis Juribus ampliùs declaratur.

204 Quæritur III. Qua ratione amittatur poſſeſſio rerum mobilium furtivè ſubtractarum, ac immobilium violenter ab alio occupatarum? Reſp. I. Inter amittendam poſſeſſionem rerum mobilium, & immobilium, ab alio violenter aut furtivè occupatarum, eſt notabile diſcrimen. Siquidem poſſeſſio rerum immobilium, per alium injuſtè occupatarum, non priùs amittitur, donec dominus recognita animum poſſidendi, ſive corporalem earum poſſeſſionem recuperandi depoſuerit: quia videlicet vel ob timorem futuræ reſiſtentiæ non audet reverti ad recuperandam poſſeſſionem fundi, v.g. vel Caſtri, ab alio violenter occupati, *L. 3. §. Si quis, & l. Sed ſi nolit, & l. Si id quod, ff. de Acquir. poſſeſſ.* Vel revertatur quidem, tamen reverſus non admittatur, ſed ab alio repellatur, *l. Si id quod. §. fin. ff. eod.* Nam, donec prior dominus animum poſſidendi rem ſuam immobilem depoſuerit cenſetur poſſeſſionem ejus civilem adhuc retinere: haud obſtante, quòd alius ipſo abſente occupaverit poſſeſſionem naturalem ipſius *l. Clàm poſſidere, §. fin. ff. eod.* ac notat Gloſſa communiter recepta *ibid. verſ. Non clàm.*

205 Econtra verò poſſeſſio rerum mobilium, per furem aut prædonem injuſtè ablatarum, hoc ipſo confeſtim amittitur, etiam ignorante domino, ſeu poſſeſſore priore. Patet hoc *ex l. Rem quæ nobis. ff. de Acquir. poſſ.* ubi expreſſum habetur, quòd rei nobis ſubtractæ, aut vi ereptæ, amittamus poſſeſſionem: niſi forſan ſurripuerit talis, qui in noſtra poteſtate eſt; quia tunc per ipſum poſſideremus: quæ eſt fallentia hujus cæteroquin generalis doctrinæ. Hinc Gloſſa *ibid. ℣. Erepta*, & Doctores paſſim inferunt, quòd *rerum mobilium vilis & abjecta eſt poſſeſſio*, utpote quæ tam facilè, domino etiam ignorante, deperditur; eſtque jam ſuprà §. 1. n. 3. dictum. Concordat textus *in l. Poſſideri, §. Si rem, & l. Si rem mobilem, ff. eod.* ubi, ſi quis rem apud ſe depoſitam, vel ſibi commodatam, furti faciendi cauſa contractaverit, ſive animo poſſidendi ut ſuam loco moverit, dominus confeſtim poſſeſſionem ipſius amittere dignoſcitur.

206 Accedit ratio diſparitatis inter res mobiles, & immobiles. Siquidem poſſeſſio mobilium (excepto homine) ex eo habetur: quia exiſtunt ſub noſtra cuſtodia, ſive poteſtate, *cit. l. Poſſideri. §. Nerva filius. & l. Si rem mobilem. ff. de Acquir. poſſeſſ.* Unde quam primùm earum cuſtodia jacet neglecta, vel amiſſa, ita ut, licèt velimus, ipſarum naturalem poſſeſſionem ampliùs nanciſci non poſſimus (ſive dein alius eas occupaverit, ſive non) perditur prior poſſeſſio, uti locis citatis dicitur. Econtra verò res immobiles noſtra cuſtodia non indigent, ſed ſemper manent loco affixæ, ſicque poteſt earum dominus ſemper, quandocunque voluerit, ipſarum naturalem poſſeſſionem adipiſci: ac proinde meritò cenſetur dominus earundem civilem retinere poſſeſſionem (haud obſtante, quòd ipſo abſente ab alio fuerint occupatæ) donec depoſuerit animum ipſum poſſidendi. Prout fieri cenſetur, ſi vel ex timore repulſæ non audet reverti ad recuperandam poſſeſſionem naturalem illius, vel revertens non admittitur, ſed repellitur, ut dictum.

Quæritur IV. Utrùm per aquarum inundationem amittatur rerum poſſeſſio? Reſp. I. Fundi, ſive loci cujuſpiam poſſeſſio perditur etiam inundatione aquarum, fluminis videlicet, aut maris. Textus eſt *in l. Poſſideri. §. Labeo. ff. de Acquir. poſſeſſ. & l. Qui univerſas. § Item quod à mari. ff eodem.* ubi dicitur: *Quod à mari, vel flumine occupatum ſit, poſſidere nos deſinimus.* Accedit ratio: quia, cùm aquis non facilè poſſit reſiſti, cenſetur quis animum poſſidendi depoſuiſſe, dum ſpes nulla adeò recuperandi fundum aquis obrutum. Udalricus Zaſius *cit. l. Poſſideri. §. Labeo. n. 1. & ſeqq.* & Jaſon *ib. n. 1. & ſeqq.* Ubi prolatus Jaſon corollariè infert, quòd per inundationem perdatur poſſeſſio, non ſolùm naturalis, ſed etiam civilis; ſicque per ejuſmodi inundationem interrumpatur præſcriptio: ſimulque, quòd talis amiſſio poſſeſſionis procedat etiam in ignorante. 207

Reſp. II. Nihilominùs data Concluſio plures patitur limitationes, ſeu fallentias. Et primò quidem ea fallit, eſtque limitanda, quando inundatio illa eſt utilis fundo, ſive agris ſitientibus: nam talis non nocet poſſeſſioni noſtræ. Prout Nilus quotannis inundare ſolet, totamque Ægyptum reddere frugiferam, *L. 2. Cod. de Alluvionibus.* 208

Deinde non perditur poſſeſſio per inundationem, ſi hæc ſit tam modica, quòd fundus adhuc pedibus calcari poſſit. Siquidem ad perdendam poſſeſſionem requiritur talis inundatio, quod vi & impetu aquarum poſſeſſores expellantur à naturali poſſeſſione fundi: ſi autem quis fundum adhuc pedibus calcaret, profectò naturaliter eidem inſiſteret. 209

Ulteriùs data Concluſio eſt intelligenda in inundatione diu duratura. Nam quæ modico tempore durat, utpote à per diem, biduum, aut etiam triduum, non tollit poſſeſſionem, imò nec attenditur, *arg. l. Prætia rerum. ff. Ad Legem Falcidiam, & l. Si ager cujus. ff. Quibus modis uſufruct. amitt.* ac notat Baldus *in c. Illud, n. 2. de Præſcr.* & Jaſon *cit. l. Poſſideri. §. Labeo. n. 9. & ſeqq. ff. de Acquir. poſſeſſ.* fuſiùs hoc declarans 210

Quartò limitatur eadem Concluſio, quando poſſeſſor reſiſtit inundationi objiciendo repagula, valla, & hujuſmodi: quia quamdiu quis reſiſtit, tamdiù non perdit poſſeſſionem, *arg. l. Si id quod. §. fin. ff. de Acquir. poſſeſſ.* Zaſius, & Jaſon *ubi ſuprà* cum aliis. 211

His adde, quòd, quamvis per inundationem (ceſſantibus dictis quatuor limitationibus) perdatur poſſeſſio fundi; non tamen idcircò dominus amittat proprietatem illius fundi, *l. Adeò quidem. §. Inſula. ff. de Acquir. rer. domin.* ubi dicitur: *Namque inundatio ſpeciem fundi non mutat; & ob id, cùm receſſerit aqua, palam eſt ejuſdem eſſe, cujus & fuerat.* Concordat textum *in l. Pomponius. § 1 ff de Acquir. poſſeſſ.* ubi lapidum tempore naufragii in Tyberim demerſorum, ſed poſt tempus extractorum, dominium prior dominus retinere dicitur, non verò poſſeſſionem. Siquidem poſſeſſio faciliùs perditur, quàm dominium, *l. Si quis vi. §. Differentia. ff. eod* junctis legibus proximè allegatis; & notat Jaſon *in l. Rem quæ nobis n. 6. ff. eod.* Et quia nihil commune habet proprietas cum poſſeſſione. *l. Naturaliter. § 2. ff. eod.* ex amiſſione unius non poteſt inferri amiſſio alterius. 212

Quæritur V Qualiter perdatur quaſi poſſeſſio incorporalium. Reſp. I. Quaſi poſſeſſio Jurium incorporalium, quæ competunt ratione certæ Dignitatis, vel loci, putà Caſtri, eo ipſo deperditur, quòd quis illius Dignitatis ſeu Caſtri poſſeſſionem amittat. Ita Abbas *in c. Olim inter. 17. n. 14. de Reſt. ſpol.* Imola *in Clem. un. §. 1. de Foro comp.* & alii, poſt Innocentium *in c. Cùm venissent. 2. De in integr. reſt.* ubi inquit, quòd ſi unus fuit ab alio excluſus à ſua Dignitate, ille alius exercebit jura Dignitatis, qui eſt in poſſeſſione; & non alter excluſus. Accedit ratio: quia tale jus incorporale cohæret Dignitati, vel loco, uti ſupponitur; prout v.g. juriſdictio cohæret territorio, ſeu adminiſtrationi, *L. ult. C. Ubi & apud quem &c.* Ergo expulſus ab hoc, etiam expulſus videtur à jure incorporali eidem inhærente: nam connexorum idem eſt judicium, *arg. c. Tranſlato. de Conſtitut.* cum ſimilibus; ac tradit Card. Tuſchus *Litt. C. concl.* 486. & Barboſa *tr. de Axiomat. Juris. Axiomat. 51.* citans alios. 213

Limitatur tamen hic in caſu *Clem un. de Foro compet.* ubi per Concilium Generale Viennenſe conceditur 214



tur Epiſcopis expulſis à Sedibus ſuis, quòd in locis aliarum Diœceſium (ſervata forma ibidem præſcripta) poſſint procedere contra expulſores, eorumque fautores & Conſiliarios; atque inter ſubditos ſuos jus dicere. Ratio ſpecialitatis hujus aſſertur ibidem, illis verbis: *Ne Injuria in eorum expulſione ipſorum irrogata Eccleſiis, hoc prætextu maneat impunita.* Quaſi diceretur, Epiſcopum, poſſe vindicare injuriam Eccleſiæ ſuæ illatam, etſi non propriam. Gloſſa *ib. ℣. Eccleſiis.*

215 Reſp. II. Inſuper quaſi poſſeſſio jurium incorporalium amittitur per hoc, quòd quis ſciat, tale jus, putà juriſdictionem, exerceri ab alio, & non contradicat, ſed patiatur; etiamſi hoc fiat, quia non audet contradicere: tunc etenim animo puſillanimi videtur poſſeſſionem deſeruiſſe, atque hanc in alium transtuliſſe. Ita Abbas *cit. n. 14.* poſt Innocentium *ibid.* eſtque communis aliorum: & concordant dicta ſuperiùs *§. 5. n. 167. & ſeq.* Accedit textus in *l. Et ſi fortè §. Sciendum. ff. Si ſervitus vendic.* ibi: *Sed & ſi patiente eo ædificavero, ego poſſeſſor ero effectus ſervitutis.* Ubi Gloſſa rectè concludit: *Sic ergo patientia præjudicat.*

216 Additur notanter, *non contradicat, ſed patiatur.* Quia, quandiu quis, quantùm in eo eſt, reſiſtit, & non permittit alterum tale jus, ſive juriſdictionem exercere, tamdiu non perdit quaſi poſſeſſionem illius. Hinc, quando Epiſcopus, v.g. non patitur populum Parochiæ ſuæ ſervare ſententiam Interdicti ab alio Epiſcopo prolatam, quinimo ſubditos eam obſervantes prohibet, punit, atque contra ipſos ſive ſpiritualibus, ſive temporalibus pœnis procedit (quod juſtè facere poteſt ad defendendum jura, ſua, *c. Olim cauſam. 12. de Reſt. ſpol.* cum ſimilibus) hoc ipſo conſervat poſſeſſionem jurium ſuorum: haud obſtante, quòd populus eo ignorante per aliquot dies, ex timore obſervaſſet dictam Interdicti ſententiam, ab altero Epiſcopo prolatam, *c. Olim inter. 17. eod.*

217 Quòd ſi verò propter potentiam alterius hoc non poteſt, aut ex timore non audet facere, conſilium erit, ut ad conſervandum jura ſua iſtud publicè proteſtetur, *arg. can. Pontifices 7. q. 1.* juncta Gloſſa *verſ. Cùm cautela, & c. Paſtoralis. 11. §. Veruntamen. de Offic. Ordinar. & c. ult. de Appellation.* cum ſimilibus.

218 Nec obſtat, quòd ad manutenendam poſſeſſionem rerum corporalium, etiam immobilium, non ſufficiat reſiſtentia, vel proteſtatio prioris poſſeſſoris, *l. Si id quod, §. fin. de Acquir. poſſeſſ.* ubi reverſus ad recuperandam poſſeſſionem fundi, ipſo abſente per alium occupati, ſed repulſus, cenſetur poſſeſſionem illius fundi amittere. Reſp. enim, diſparitatem eſſe inter corporalia & ſpiritualia, ſeu jura incorporalia: ſiquidem incorporalia tenaciùs inhærent, ſicque difficiliùs perduntur, quàm corporalia, quæ citiùs amittuntur, ac deſtruuntur, *c. Inter corporalia 2. de Tranſlat. Epiſc.* Unde non mirum, quòd poſſeſſio incorporalium retineatur per ſolam reſiſtentiam, vel proteſtationem: non item poſſeſſio corporalium ab alio invaſorum, ſeu occupatorum. Innocentius *in c. c. Olim inter.* & Jo. Andreas *ib. nu. 3.* & Abbas *nu. 14. de Reſtit. ſpoliat.* & alii.

## §. VII.

## De probatione Poſſeſſionis, præſertim in Interdicto *Uti poſſidetis.*

### *SUMMARIUM.*

219 *Probatio dominii eſt difficilis.*
220 *Non item probatio poſſeſſionis. Et n. ſeq.*
*Ad hanc probandam ſufficiunt leviores, ac ſemiplenæ probationes, & quando? Ibid.*
221 *Poſſeſſio poteſt probari variis modis. Et n. ſeq.*
*Qualiter probetur quaſi poſſeſſio incorporalium? Ibid.*
*Putà, alicujus Canonicatus? Ibid.*
222 *Et qualiter probatur poſſeſſio corporalium? Et num. præced.*
223 *In Interdicto retinendæ poſſeſſionis, ſeu* Uti poſſidetis, *quandoque uterque pars vult probare, ſe eſſe in poſſeſſione.*
224 *Et tunc obtinet ille, qui probat ſuam intentionem altero non probante.*
225 *Aut qui antiquiorem probat poſſeſſionem. Et num. ſeqq.*
Qui ſemel poſſedit, etiam hodie poſſidere præſumitur, *declaratur. Ibid.*
226 *Dictio* Maximè *eſt implicativa; & quid denotet?*
227 *Intrans poſſeſſionem alterius cenſetur injuſtè poſſidere, niſi probet quòd juſtè.*
228 *In dubio præſumitur pro antiquiori poſſeſſione, etiamſi junior habeat titulum.*
229 *Cæteris paribus vincit illa pars, cujus poſſeſſio habet titulum, & quidem meliorem.*
230 *In poſſeſſorio retinendæ non eſt neceſſe allegare titulum, & quando?*
231 *Data poſſeſſione, & titulo æqualis, obtinet illa pars quæ melioribus utitur rationibus.*
232 *Probationes quæ cenſeantur meliores, multùm relinquitur arbitrio Judicis.*
233 *Probatio illa cenſetur melior, quæ fit per teſtes plures.*
234 *Simul tamen honeſtiores, & magis veriſimilia deponentes: aliàs ſecùs.*
235 *Teſtes affirmativè deponentes præferuntur aliis negativè deponentibus.*
236 *Meliùs poſſeſſionem probant teſtes meliorem ſuæ ſcientiæ rationem aſſignantes.*
237 *Et quorum dicta conſonant Iuri Communi.*
238 *Regula illa,* Soli Actori incumbit onus probandi, *fallit in Iudiciis duplicibus.*
*Judicia, & Interdicta duplicia, quæ? Ibid.*
239 *Quando in Interdicto* Uti poſſidetis *quælibet pars æqualiter probat poſſeſſionem, tunc in cauſis Beneficialibus neuter litigantium obtinebit.*
240 *Loquendo autem de cauſis profanis, quæſtio eſt ardua.*
241 *Si tamen conſtet, quis primò ad judicium provocaverit, cæteris paribus ferìur ſententia in favorem provocati.*
242 & 243 *Alioquin Iudex pronunciabit ſecundùm formam Interdicti.* Uti poſſidetis, ita poſſideatis.
244 *Solvitur inſtantia. Et n. ſeq.*
245 *Cur ex tali ſententia non tribuatur litigantibus occaſio veniendi ad arma?*

QUæritur I. Quibus modis generatim probetur Poſſeſſio? Reſp. I. Poſſeſſionis probatio non uſque adeò difficilis eſt, haud obſtante, quòd probatio dominii ſit difficillima. Ita Maſcardus *de Probationibus, Concl. 871. n. 10.* juncta Gloſſa *Concl. 539. n. 1.* Maranta *in Praxi aurea, p. 4. diſt. 9. n. 43.* Gailus *l. 2. Pract. Obſerv. 26. n. 2.* & alii. Et quidem, quòd probatio dominii ſit difficilis, paſſim fatentur Doctores; eò quòd ad ejus probationem plura requirantur, *arg. l. Cùm res. C. de Probation.* Nam, ut inquit Gloſſa *ibid. verſ. In vacuum*, ſatis non eſt ad probationem dominii alicujus rei, putà fundi, quòd quis probet ejus emptionem; ſed ulteriùs oportet probare, quòd venditor fuerit dominus. Si enim venditor non fuiſſet dominus, etiam emptorem non potuiſſet facere dominum illius rei: quia *nemo plus juris ad alium transferre poteſt, quam ipſe habet*, ut dicitur *l. Nemo 55. ff. de Reg. Iur.* Atqui notum eſt, quanta ſit difficultas in probando, quòd venditor fuerit dominus rei venditæ. Facit ad hoc ipſum textus *in l. Ad probationem dominii. C de probation.* ubi pro in Gloſſa *fin.* notandum inquit; quòd *res mea pecunia empta, non ideò eſt mea, ut L. 1. C. Si quis alteri vel ſibi &c.* 219

Econtrà, quòd poſſeſſio ſit facilis probationis, ex eo liquet: quia hæc illicò probatur per traditionem rei à priore poſſeſſore factam: atqui patet, hoc eſſe faciliimum, ut taceantur plures modi probandi poſſeſſionem. Accedit ratio: quia quæſtio poſſeſſionis cenſetur eſſe parva, & modici præjudicii, utpote quod eſt reparabile in petitorio, *arg. L. un. C. Si de momentanea poſſeſſione &c. & l. Momentaneæ. C. Qui legitimam perſonam habent &c.* Unde, quòd in probanda poſſeſſione ſufficiant leviores, ac ſemiplenæ probationes, ut putà per formam, vel unum teſtem, tenet Bartolus *in L. 2. §. Si verò. C. Ubi in rem actio &c.* Menochius *de recuperanda poſſeſſione. Remed. 15. nu. 410. & ſeqq.* Maranta *cit. num. 43.* & 220

Maſcardus *loc. cit. Concl.* 1205. *n* 1. *& ſeqq.* allegans pluriſmos alios.

Fatendum tamen, quòd prædicti Authores iſtud duntaxat admittant in probatione poſſeſſionis momentaneæ, aut quæ eſt modici præjudicii, cùm facilè reparari poſſit in petitorio. Uti accidit in poſſeſſione ex Interdicto *Quorum bonorum*: item in poſſeſſione ex Carboniano Edicto, vi cujus impubes, cui movetur controverſia, an inter liberos ſit, cauſa ſummariter cognita datur poſſeſſio bonorum hæreditariorum, & judicium deſuper in tempus pubertatis differtur, *L. 1. & ſeqq. C. de Carboniano Edicto*. Et idem fit in poſſeſſione ventris nomine, quæ datur mulieri prægnanti in bonis mariti, ut inde alatur. Secùs eſt dicendum de probatione poſſeſſionis illius, quæ parat plenum præjudicium, utpote non reparabile per petitorium; eò quòd dominium ſit difficilis, & quandoque impoſſibilis probationis. Tunc enim maximi eſt præjudicii, poſſidere; eò quòd probata poſſeſſione, competat alicui manutentio in ea, *§. Retinendæ Inſtit. de Interdict.* una cum cæteris commodis poſſeſſionis, ſuprà *§. 2. n. 40 & ſeqq.* jam relatis: ac proinde in cauſa talis poſſeſſionis, veluti magni præjudicii, exactæ requiruntur probationes; quamquàm adhuc hæ ſint faciliores; ac probatio dominii, ob rationem ſuprà allatam.

221 Reſp. II. Poſſeſſio poteſt probari variis modis. Et primò quidem ea probatur per Inſtrumentum adeptæ poſſeſſionis: tale enim ad effectum manutentionis in poſſeſſione ſatis probat, alio non poſſidente. Rota *in una Calagurritana, Capellaniæ. 3. Julii 1628. coram Merlino, Deciſ.* 372. & Rota *Dec.* 506. *n.* 1. *p.* 1. *Diverſ.* Deinde probatur poſſeſſio ex confeſſione adverſarii, facta v.g. in ſua ſupplicatione, ſive libello Judici oblato, *l. Cùm precum. C. de Liberal. cauſa*. Rota *Dec.* 802. *p.* 1. *Div.* & alia Rota in una Lunenſ. Sarzanen. *Juris patr. 3. Julii, 1628. coram Merlino, Dec.* 374. Tertiò probatur poſſeſſio omnibus illis modis, de quibus hactenus per præcedentes Paragraphos dictum eſt; videlicet loquendo de poſſeſſione rerum corporalium, per apprehenſionem earum veram, vel fictam; prout fuſius declaratur ſuprà *§. 4. à n.* 103. *uſque ad n.* 138. afferendo varios fictæ apprehenſionis modos, ac poſteà *n.* 139. *& ſeqq.* ſubjungendo modum acquirendi rerum corporalium poſſeſſionem ex Legis diſpoſitione. Loquendo autem in incorporalibus, putà, de juribus, poteſtate eligendi, juriſdictione, ac hujuſmodi, qualiter, quibuſque actibus generatim quaſi poſſeſſio acquiratur, atque ab uno in alium transferatur, pariter dictum eſt *§. 5. per totum*, illicò poſtmodùm *§.* 6. ſubjungendo diverſos modos amittendi poſſeſſionem, tum corporalium tum incorporalium.

Præterea, & magis in ſpecie loquendo, quaſi poſſeſſio jurium incorporalium, poteſt probari ex gabellarum exactione, & perſolutione onerum ſibi debitorum; ex captura beſtiarum, harumque reſtitutione, ubi ab alio captæ fuerunt; ex condemnatione & punitione malefactorum; ex obedientia præſtita ſibi, vel ſuis Officialibus exercentibus in loco juriſdictionem; ac ex aliis hujuſmodi actibus poſſeſſoris, v.g. per actum eundi, vel agendi in fundo, per electionem, vel præſentationem ad Beneficium anteà factam, &c. Maſcardus *de Probation. Concluſ.* 1193. *&* 1194 *& ſeqq.* ac alii, & concordant dicta ſuperiùs *§. 5. numer.* 154 *& ſeqq.* Hinc etiam poſſeſſio, ſeu quaſi poſſeſſio Canonicatus, probatur probando exercitium particularium actuum ſolis Canonicis competentium ut, quòd quis habuerit ſtallum in Choro, locum in Capitulo, legerit ſeu cantaverit ut Canonicus, *c. In Geneſi* 55. & Abbas *ibid. n.* 6. *de Election.* Item, quòd per Capitulum obtinuerit domum, quæ ſolis Canonicis conſueverat aſſignari; & quòd fuerit receptus ad oſculum pacis eo tempore, quo ſoli Canonici recipiebantur, *c. Dilecto*. 25. & ibi Abbas *n.* 7. *de Præbend:* ac hujuſmodi.

222 Inſuper poſſeſſio rerum corporalium probatur ex perceptione fructuum, *arg. L.* 2. & ibi Bartolus *C. de Acquirend. poſſeſſ. & l. Litibus. C. de Agricol. & cenſib. lib.* 11. Sic ex depoſitione teſtium, qui exprimunt actus poſſeſſorios perceptionis fructuum, & locationis (putà, quòd viderint Titium collegiſſe fructus talis fundi, vel penſionem à colono ipſi ſolutam fuiſſe) plenè probatur poſſeſſio illius fundi. Rota *in una Romana, Vineæ die 27. Martii, 1628. coram Merlino, Dec.* 344. *n.* 1. & Rota *coram S. mem. Gregorio XV. Dec.* 160 Maſcardus *de Probat. Concl.* 1179. *n.* 1 *&* 2. allegans alios. Idemque dicendum de cultura agrorum: horum enim poſſeſſio ritè probatur ex eo, quòd curaverim terram ſeminari, arari & coli, juxta Gloſſam notabilem *in L. 3. ℣. Finiatur. C. Finium regund.* ubi Baldus *n.* 4. addit, quòd per dictam agrorum culturam poſſeſſio probetur, licèt de perceptis redditibus non conſtet. Maſcardus *Concl.* 1188, *n.* 1. *& ſeqq.* iſtud amplians, etiamſi alius meo nomine agrum colat, vel fructus ejus percipiat.

Rurſus probatur poſſeſſio ex eo, quòd quis confiteatur, ſe nomine meo poſſidere: nam *is poſſidet, cujus nomine poſſidetur*, prout habetur *c. Cùm veniſſet. 9. de Reſtitut. ſpoliat.* junctis concordantiis per Gloſſam *fin. ibid.* adductis. Inſuper probatur poſſeſſio per cuſtodis appoſitionem ad rem ipſam. *arg. L. 3. §. Narva filius & l. Si rem mobilem. ff. de Acquirend. poſſeſſ.* Item per lignorum inciſionem, & paſcuationem pecorum in tali loco factam: item ex demolitione ædificii, aut ex eo, quòd quis terram evulſis arboribus ad culturam redegerit. Generaliter enim poſſeſſio probatur per actus, qui communiter non ſolent fieri in rebus, niſi à dominis, vel poſſeſſoribus earum, *L. 2. C. de Acquirend. poſſeſſ.* Maſcardus *Concl.* 1196. *n.* 1 *& ſeq.* limitans, dummodò tales actus fiant meo nomine, & præcedente meo mandato, aut ſecuta ratificatione. Tacentur complures alii ſimiles modi probandi rerum poſſeſſionem, de quibus fuſiſſimè Maſcardus *de Probat. à Concl.* 1184. *uſque ad Concl.* 1207. & alii.

223 Quæritur II. Quid juris, ſi agatur Interdicto retinendæ poſſeſſionis, quod appellatur *Uti poſſidetis*, & utraque pars contendat, probareque ſatagat, ſeſe eſſe in poſſeſſione? Exemplum hujus habetur in *c. Ex litteris. 3. & c. Licèt cauſam. 9. de Probationib.* in quorum priori loco litigarunt duo Beneficiarii de quadam parte fundi ad ſuam Præbendam ſpectantis, quam uterque diu ſeſe poſſediſſe aſſerebat: in altero autem contendebatur ſuper juriſdictione, honore, atque diſtrictu in certo loco, reſpectu cujus utraque pars prætendebat poſſeſſionem, eamque probare conabatur. Idem accidit, quotieſcunque emergit quæſtio ſuper poſſeſſione juris venandi, piſcandi, paſcendi, vel ligna cædendi in certo loco, & utraque pars litigantium per anteà exercitos actus poſſeſſorios oſtendere ſtudet, ſeſe eſſe in poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione talis juris. Ad quod

224 Reſp. I. Quando unus litigantium deficit in probatione, enervatis videlicet rationibus, aut teſtibus ab ipſo productis, clarum eſt, quòd obtineat ille, qui probaverit ſuam intentionem, ſeu poſſeſſionem, altero hanc non probante. Nam generalis eſt regula, quòd Judex debeat judicare ſecundùm allegata & probata, *can. Judicet. 3. q. 7.* cum concordantiis per Gloſſam *ibid. ℣. Audit.* allegatis. Verùm hoc eſt extra ſtatum quæſtionis.

225 Reſp. II. Si uterque litigantium per anteà exercitos actus poſſeſſorios probaverit poſſeſſionem, obtinebit is, qui antiquiorem probat poſſeſſionem. Ita deſumitur ex *c. Licèt cauſam 9. de Probation.* ac notat Abbas *ibid. n.* 9. poſt Innocentium, & Jo. Andreas *n.* 24. & Felinus *n.* 9. Idemque tenet Bartolus *in l. Si duo, verſ. Circa principium ff. Uti poſſidetis.* & Maſcardus *de Probat. Concl.* 200. *n.* 1. *& Concl.* 202. *num.* 1. *& ſeq.* allegans illud vulgatum, iſtudque latè declarans: *Qui ſemel poſſedit, etiam hodie poſſidere præſumitur*: ſtante nimirum dubio, ſeu donec alius probaverit, priorem poſſeſſorem juſta ex cauſa amiſiſſe poſſeſſionem, ſeque in hanc admiſſum eſſe; cùm nemo rem ſuam jactaſſe præſumatur, *l. Cùm de indebito. ff. de Probat.* eſtque communis aliorum. Accedit ratio: quia, cùm duo eandem rem, ſimul & eodem modo poſſidere non poſſint, in dubio ſtat præſumptio pro legitimitate antiquioris poſſeſſionis; & conſequenter: quòd poſterior poſſeſſor non niſi propria temeritate, ſeu vi aut clam, ſicque injuſtè poſſeſſionem intraverit: unde nova ejus poſſeſſio, quamdiu de hujus juſtitia non conſtat, præſumitur clandeſtina, & vitioſa, *Licèt cauſam. 9. §. Ex præmiſſis. de Probation.* qualis meritò debet cedere priori legitimæ.

Nec obſtat, quòd *in d. cap. Licèt cauſam*, ſit ſermo ibi de poſſeſſione antiquiori etiam munita titulo: unde Summarium ibidem ſic habet: *Si Actor & Reus in Interdicto retinendæ poſſeſſionis probant, obtinet is, qui antiquiorem poſſeſſionem probat titulo maximè juſtificatam.* Reſp. enim, hinc ſolùm ſequi, quòd accedente titulo fortius militet ratio de antiqua poſſeſſione, non autem, quòd titulus neceſſariò requiratur: ſufficit enim ſola probatio antiquioris poſſeſſionis, donec alter probet, quòd juſtè poſſideat. Et hoc ipſum inſinuat dictio *Maximè*, in Summario proximè allato contenta: hæc enim dictio eſt implicativa, & ex propria vi atque natura implicat, ſeu denotat idem eſſe: quamvis ratio expreſſa, putà titulus deficiat, licèt ea ſtante magis illud urgeat, *arg. L. 1. Si ex dodrante. ff. de Collationib.*

227 Accedit ratio: quia *duo ſimul eandem rem, & eodem modo, in ſolidum poſſidere non poſſunt*, uti argumentatur Pontifex *in d. c. Licèt cauſam. de Probat.* atque procedit non ſolùm in corporalibus, ſed etiam in incorporalibus quoad effectum, juxta Abbatem *l. c. n.* 10. Ergo, quando conſtat de antiquiori poſſeſſione alicujus, quæ uſque ad præſens fuit continuata, intrans poſſeſſionem illius cenſetur aut clandeſtinè, aut violenter ac proinde injuſtè poſſidere, niſi probet, quòd juſtè, *d. c. Licèt cauſam. de Probation. & l. Clàm poſſidere. ff. de Acquir. poſſeſſ.*

228 Ex his ſiquidem Juribus apertè habetur, quòd quando non conſtat, novam poſſeſſionem eſſe juſtam (prout conſtaret, ſi hanc quis acquiſiviſſet à priori poſſeſſore mediante aliquo contractu, vel ex alio juſto titulo, v.g. hæreditatis) ſed dubium ſuper ejus juſtitia exiſtit; præſumatur pro antiquiori poſſeſſione. Adeò quidem, quòd antiquior poſſeſſio præferatur juniori, etiamſi junior habeat titulum, acquiſitum tamen poſt illam antiquiorem poſſeſſionem: quia in dubio etiam titulus ille præſumitur acquiſitus ab injuſto authore, ſtante poſſeſſione alterius antiquiori. Alexander *Conſil. 88. num. 12. vol.* 1. Maſcardus *cit. Concl.* 1200. *n. 7. & ſeqq.* citans plures alios.

229 Reſp. III. Quòd ſi neutra pars litigantium probaverit poſſeſſionem antiquiorem, ſed utraque parem in tempore, tunc præfertur illa, cujus poſſeſſio habet titulum; vel, ſi quælibet pars alleget titulum, tunc vincit illa, quæ probaverit titulum meliorem. Ita Bartolus *in l. Si duo. §. Circa principium. verſ. Sed ſi uterque. ff. Uti poſſidetis*, aſſerens ita tenere omnes. Maſcardus *d. Concl.* 1200. *n.* 48. *& ſeqq.* citans alios. Idque deſumitur *ex cit. c. Licèt cauſam. de Probation.* ubi præfertur poſſeſſio munita titulo, altera parte juſtum poſſeſſionis titulum non oſtendente. Concordat textus *in L. ult. C. de Edicto Divi Adrian. tollend.* ubi *ei poſſeſſio acquiritur, qui potiora ex legitimis modis jura oſtenderit.*

230 Nec obſtat, quòd in poſſeſſorio retinendæ non ſit neceſſe allegare, vel probare titulum: quia, ut *l. Juſta. ff. Uti poſſidetis*, dicitur quilibet *poſſeſſor hoc ipſo, quòd poſſeſſor eſt, plus juris habet, quàm ille, qui non poſſidet.* Reſp. enim, hoc dictum procedere tantùm, quando alter litigantium non poſſidet, prout loquitur citatus textus; ſecus tamen eſſe, quando uterque pari jam tempore fuit in poſſeſſione. Nam cæteris paribus ſuperat ille, qui non ſolùm parem poſſeſſionem oſtendit, ſed inſuper probat titulum ſuæ poſſeſſionis, quem alter non poteſt oſtendere, vel ſaltem non tam bonum.

231 Reſp. IV. Quando poſſeſſionem & titulum æqualem allegarunt ambæ partes, ſuntque omnia paria demptis probationibus, obtinebit illa pars, quæ melioribus, & validioribus utendo rationibus, ſuam poſſeſſionem probaverit. Ita habetur *d. c. Licèt cauſam. de Probation.* ac notant Abbas, & Felinus *in Summario ibid.* aliique paſſim; ac Bartolus *l. c. verſ. Quandoque uterque.* & fusè tradit Menoch. *de Retinenda poſſeſſ. Remed. 3 q. 87. n.* 718. *& ſeqq.* Nam, ubicunque cætera ſunt paria, probationes illæ meliores & efficaciores ita obſcurant, atque debilitant alias minùs efficaces, ut minùs veræ credantur; prout loquitur Menochius *cit. n.* 718. ac proinde mirum non eſt, quòd ille obtineat, qui meliùs probat, *arg. c. In noſtra, 32. de Teſtib. & l. Ob carmen. §. fin. ff. eod.* Verùm occaſione datæ Concluſionis

232 Quæritur III. Quænam probationes cenſeantur aliis meliores? Reſp. I. Quænam probationes cenſeantur meliores aliis, atque efficaciores, multùm tribuitur arbitrio Judicis, ejuſque relinquitur judicio diſcernendum. Ita Abbas *c. Licèt. n. 8. de Probat.* & Menochius *de Arbitr. Judic. Caſu* 90. *n.* 2 *&* 3. Idque liquet *ex c. Præterea. 27. de Teſtib. & l. Teſtium fides. §. Ideoque. ff. de Teſtib.* ubi Judicis arbitrio relinquitur, quanta fides teſtibus ſit adhibenda. Verùm deſcendendo ad magis ſpecialia.

Reſp. II. Illa probatio cæteris paribus cenſetur melior, ac efficacior, quæ fit per teſtes plures, ſimulque honeſtiores, ac magis veriſimilia deponentes. Ita communis; ac liquet *ex cit. c. Licèt cauſam. §. Ex præmiſſis de Prob. & c. In noſtra. de Teſtib. & l. Ob carmen ff. eod.* 233

Notanter tamen additur: *ſimulque honeſtiores, ac magis veriſimilia deponentes.* Siquidem non ad ſolam teſtium multitudinem oportet reſpicere, ſed etiam ad ipſorum qualitatem, ſive honeſtatem, atque exiſtimationem, & ipſorum depoſita. Unde *in cit. c. In noſtra 32. de Teſtib.* optimè Pontifex ſic loquitur: *Ad multitudinem tantùm reſpicere non oportet, ſed ad teſtium qualitatem, & ad ipſorum depoſita, quibus potiùs lux veritatis aſſiſtit.* Proinde meritò vincit illa pars, quæ intentionem ſuam probat per teſtes quidem pauciores, ſed majoris præeminentiæ & dignitatis exiſtentes, *arg. l. Teſtium. C. de Teſtib.* ac tradit Baldus *ibid. n.* 21. & Maſcardus *Concl.* 1200. *n.* 66. Item, quæ probat per teſtes pauciores, ſed veriſimiliora deponentes, *cit. c. In noſtra. & l. Ob carmen. ff. de Teſtib.* Maſcardus *n.* 68. allegans alios. 234

Reſp. II. Inſuper meliùs probare poſſeſſionem cenſetur ille, qui eam probat per teſtes affirmativè deponentes. Nam hi præferuntur aliis negativè deponentibus, juxta Gloſſam notabilem *in l. Diem proferre. ℣. Conſenſerunt. ff. de Receptis arbitris*, ubi ait: *Quia duobus aſſerentibus affirmativam magis creditur, quam etiam decem negativam proponentibus.* 235

Rurſus meliùs probat poſſeſſionem, qui eam probat per teſtes meliorem rationem ſcientiæ aſſignantes; ut putà, quia ſunt vicini, ſicque meliùs veritatem ſcire præſumuntur. Maſcardus *cit. Concl.* 1200. *nu.* 78. poſt Baldum *in l. Presbyter. C. de Epiſc. & Cleric.* Decium *Conſil.* 392. *n.* 18. & alios. 236

Tandem, ut alia his ſimilia taceantur, data paritate teſtium contraria deponentium, plus creditur illis, quorum dicta conſonant Juri communi. Abbas *in c. Licèt. n. 9. de Probat.* Sique efficacior eſt probatio illa, cui Lex aſſiſtit, quàm cui reſiſtit. Menochius *cit. Remed. 3. de retinend. poſſeſſ. q. 87. n.* 722. poſt Baldum *in ſua Diſputatione, Accuſatus de vi turbativa ℣. Quinto modo.* 237

Dices. Soli Actori incumbit onus probandi, eoque non probante, Reus, etſi nihil præſtiterit, obtinebit, *c. Cùm Eccleſia. §. fin. de Cauſa poſſeſſ.* Atqui in propoſito ille intelligitur eſſe Actor, qui primò ad judicium provocavit; *l. In tribus, ff. de Judiciis*; ergo huic ſoli incumbit onus probandi, & non alteri. Reſp. Regulam illam non procedere in Judiciis duplicibus, ut eſt *Judicium communi dividundo, Familiæ herciſcundæ, & Finium regundorum*, per textum *in l. Judicium. 10 ff. de judiciis finium regundor.* Neque in Interdictis duplicibus; quale eſt Interdictum *Uti poſſidetis*, & Interdictum *Utrobi*: uti habetur *§. Tertia diviſio. Inſtit. de Interd.* Quibus accedit Interdictum *De Superficiebus*, prout liquet ex *L. 1. §. Proponebatur. ff. de Superficieb.* In hujuſmodi enim Judiciis, atque Interdictis duplicibus, uterque litigans tam Actoris, quàm Rei partes ſuſtinet, *c. Ex litteris. 3. de Prob. & l. Si duo. ff. Uti poſſidetis.* junct. *cit. l. Judicium. & §. Tertia diviſio*: ac proinde utrique parti incumbit onus probandi, & quæ meliùs probaverit ſuam intentionem, obtinebit. Verùm ulterius. 238

Quæritur IV. Quid agendum, quando in Interdicto *Uti poſſidetis* quælibet pars æqualiter probaverit poſſeſſionem ſuam? Reſp. I. Quando pares omnino ſunt utriuſque partis probationes, & ambo litigantes vel nullum oſtendunt titulum, vel penitus æqualem (quod tamen in praxi non niſi rarò contingere videtur) tunc imprimis diſtinguendum eſt inter cauſas Beneficiales, & cauſas profanas, earumque poſſeſſionem retinendam. Et quidem in Beneficialibus neuter litigantium obtinebit, ſed ſtante omnino paritate probationum uterque ſuccumbet; quia mutuò ſeſe impediunt per concurſum: unde quia ſimul agitur de præjudicio Eccleſiæ, debet ab eis auferri Beneficium. Ita Felinus *in c. Capitulum S. Crucis. n. 20. & 21. de Reſcript.* Menochius *d. Remed. 3. de retinend.* 239

*nend. poſſeſſ. n* 739. citans inſuper Cardinalem *in c. Licèt cauſam. de Probat.* & alii.

240 Cæterùm loquendo de cauſis non Beneficialibus, ſeu profanis, valdè in reſolutione hujus Quæſtionis variant Doctores: uti videre eſt apud Gloſſam *in c. Licèt cauſam. ℣. Uti poſſidetis. de probat.* & Menochium *loc. cit. n* 740. *& ſeqq.* ubi adducit octo diverſas Doctorum ſententias. Verùm cæteris dimiſſis

241 Reſp. II. Loquendo de cauſis profanis, quando probationes hinc inde ſunt penitus æquales in Interdicto retinendæ poſſeſſionis, conſtat tamen, quis primò ad judicium provocaverit; tunc ſententia eſt ferenda in favorem provocati, & contra provocantem. Ita Gloſſ *loc. cit.* & Abb. *ibid. n.* 36. ac plures alii. Ratio eſt: quia provocatus tenet locum Rei, & provocans Actoris, *l. In tribus, de Judiciis*, & ampliùs tradit Gloſſa *in c. Ex litteris. ℣. Vices duorum. de Probat.* dicens, quòd quamvis in judicio duplici uterque cenſeatur Actor & Reus, ille tamen principaliter Actor dicatur, qui primò ad judicium provocaverit. Atqui favorabiliores ſunt partes Rei, quàm Actoris, *l. Favorabiliores. ff. de Reg. Jur.* Et, ut loquitur Reg. 11. Jur in 6. *Cùm ſunt partiū jura obſcura, Reo favendum eſt potiùs quàm Actori*, cum cōcordantiis; ergo.

242 Reſp III. Quòd ſi non conſtet, quis primò provocaverit ad judicium, putà, quia ambo ſimul ac ſemel provocaverunt: tunc Judex, pronunciare debet ſecundùm formam Interdicti *Uti poſſidetis, ita poſſideatis*; nimirum, ut donec de proprietate conſtet, uterque poſſideat communiter, & pro indiviſo Ita deſumitur *ex l. Si duo* §. 1. juncta Gloſſa, ℣. *Vincetur. ff. Uti poſſidetis*, ac tenet Bart. *ibid. circa fin.* & Abbas *in c. Licèt cauſam. n.* 37. *de Probat.* poſt Vincentium. Engel. *h. t. num.* 8. & alii. Concordat textus *in cit. c. Licèt cauſam. §. Cùm ergo. de Probat.* ubi Pontifex ideò negat, in caſu illius Decretalis locum eſſe Interdicto *Uti poſſidetis, ita poſſideatis*, eò quòd *probationes* unius partis, ſive *Eccleſiæ longè ſint potiores, & ideò ſit Interdicto ſuperior.* Ergo, ſi probationes hinc inde ſint penitus æquales, ac ex neutra parte potiores, ita locus eſt Interdicto *Uti poſſidetis*, ut dici debeat, *Uti poſſidetis, ita poſſideatis*: argumento à ſenſu contrario deſumpto, quod in Jure fortiſſimum eſt juxta Gloſſam *c. Cùm Apoſtolica. ℣. Datur intelligi. De his quæ fiunt à Prælat.* eſtque uberiùs dictum *lib. 1. tit. 2. de Conſtitut. §. 16. n.* 406. *& ſeq.*

243 Confirmatur data Concluſio *ex l. Titiæ textores, ff. de Legat. I.* ubi, quando duobus diverſæ ſpecies ſervorum legantur, ſervi illi, qui participant de utraque ſpecie, ac proinde non magis uni quàm alteri legari cenſentur: communes ambobus eſſe dicuntur. Favet eidem ſententiæ textus, *in L. ult. §. 1. ff. Uti poſſidetis*: ubi inter duos Fructuarios, æquè probantes ſe poſſidere, redditur Interdictum *Uti poſſidetis*; ita, ut uterque ſit in poſſeſſione medietatis pro indiviſo. Accedit ratio: quia cùm in tali caſu uterque litigantium æqualiter probet poſſeſſionem (uti ſupponitur) non eſt ratio, cur uni totum adjudicetur, alteri totum abjudicetur; ergo ſicut probarunt communiter poſſeſſionem, ita hanc ipſis communiter, & pro indiviſo, Judex adjudicabit dicendo, *Uti poſſidetis; ita poſſideatis*: ſic enim ſecundùm allegata & probata procedet; ac tantum cuilibet tribuet, quantum ſibi probavit deberi.

244 Nec obſtat, quòd hujuſmodi ſententia videatur eſſe de re incerta, cum non declaret, quis vicerit: ſimulque videatur continere impoſſibilitatem, cùm duo eandem rem poſſidere non poſſint. Reſp. enim negando aſſumptum: nam imprimis ſententia illa, qua Judex pronunciat, utrumque debere poſſidere communiter, ac pro indiviſo, continet rem certam, ac correſpondentem allegatis & probatis amborum litigantium: haud obſtante, quòd neuter eorum in totum vincatur, ac proinde ſicut unus, ita & alter poſſidere permittatur, *l. Si duo. §. 1 ff. Uti poſſidetis.* Deinde quamvis duo non poſſint eandem rem, ac eodem modo poſſidere in ſolidum: tamen nihil obſtat, quin eandem rem poſſideant communiter, ac pro indiviſo, *arg. c. Exiit. §. Præterea. de Verb. ſignif. in 6.*

245 Neque ulteriùs obſtat, quòd ex tali ſententia tribuatur partibus litigantibus occaſio veniendi ad arma quod Judex pati neutiquam debet, *l. Æquiſſimum. §. 1. ff de Uſufr.* Reſp. enim neg. ſequel. Quia, ſi partes voluerint obſequi ſententiæ Judicis, benè poſſunt communiter uti tali poſſeſſione: aut, ſi maluerint, alternis vicibus eadem potiri. vel eandem poſſeſſionem in medio dividere; prout ipſis meliùs expedire viſū fuerit, aut placuerit. Quòd ſi à rixis, & privatis contentionibus, ac violentiis non abſtinuerint, Judicis officium erit, pacem imperare: & ſi hoc nihil profecerit, poſſeſſionē ſequeſtrare; uſquedum vel amicabiliter ſeſe mutuò componant, aut tranſactionem perpetuam ineant; vel petitorium inſtituant, unde appareat, ad quē jure proprietatis res poſſeſſa pertineat.

## §. VIII.

## Quo ordine, & coram quo Judice, ſit tractanda cauſa Poſſeſſionis & Proprietatis?

*S U M M A R I U M.*

246 *Licitum eſt, priùs agere ſuper proprietate, quàm poſſeſſione;*
247 *Sed non conſultum.*
248 *Cauſa poſſeſſionis, & proprietatis, debet tractari coram eodem Judice delegato.*
249 *Et ſi Delegato abſolutè committitur cauſa, cenſetur utraque commiſſa.*
250 *Etiam Judex ordinarius, qui cognovit de poſſeſſione, debet cognoſcere de proprietate.*
251 *Poſſeſſio nihil habet commune cum proprietate: quomodo?*
252 *Fallit Concluſio, quando Actor & Reus ſunt diverſi Fori.*
253 *Et concordantur jura juribus.*
254 *Idque exemplificatur.*
255 *Ac ſolvitur inſtantia.*
256 *Quid, ſi Judex de utraque cauſa, poſſeſſionis nimirum & proprietatis, cognoſcere nequeat?*
257 *Cauſa poſſeſſionis rei ſpiritualis, an poſſit tractari per Judicem ſæcularem? Et n. ſeqq.*
258 *Nequit iſtud fieri, quando cauſa illa inſtituitur ſuper proprietate ſeu jure poſſidendi, aut habet annexam quæſtionem proprietatis.*
259 *Idque probatur.*
260 *Benè tamen, quando ſuper ipſa poſſeſſione eſt mera quæſtio facti.*
261 *Et hujus ratio.*
262 *Solvitur inſtantia.*

246 QUæritur I. An cauſa poſſeſſionis ſit præmittenda cauſæ proprietatis? Reſp. I. Quamvis nullo jure prohibitum ſit, priùs agere ſuper proprietate, quàm ſuper poſſeſſione cujuſpiam rei: communiter tamen conſultum non eſt, quòd Actor cauſam proprietatis intentet, quamdiu poteſt agere Remedio aliquo poſſeſſorio. Ita communis. Et quidem prima pars patet *ex c. Paſtoralis. 5. h. t.* ubi neglecto judicio poſſeſſorio, illicò quis litem proprietatis ingreſſus legitur, neque propter hoc repulſus fuit: cui ſimile quid habetur *in c. Significaverunt. 36. de Teſtib* Et poſſet hoc quandoque expedire pro finienda citiùs lite, dummodò Actor habeat paratas, claraſque probationes ad convincendam ipſam rei proprietatem: quod tamen rariùs accidere ſolet, uti probavit eventus rei in citatis Capitulis.

247 Altera pars habetur *l. Is qui deſtinavit. ff. de Rei vendicat.* Ubi etiam ratio hujus inſinuatur, illis verbis: *Quia longè commodius eſt ipſum poſſidere, & adverſarium ad onera petitionis compellere, quàm alio poſſidente petere*: Idque ob plura poſſeſſionis privilegia & commoda, de quibus jam ſuprà dictum fuit *n. 39. & ſeq.* Accedit, quòd probatio dominii ſit difficilis; econtrà verò probatio poſſeſſionis ſit facilis, ut jam ſuprà §. 7. *num. 219. & 220.* dictum fuit. Unde non immeritò Imola *in Clem. un. circa princip. h. t.* inquit: *Quòd ſi à principio intentatur petitorium, videtur intentari contra conſilium.*

248 Quæritur II An cauſa poſſeſſionis, & proprietatis, coram eodem Judice ſit tractanda, & terminanda? Reſp. I. Cauſa poſſeſſionis, & proprietatis, debet cumprimis tractari coram eodem Judice delegato: ita videlicet,



licet, ut non poſſit quis diverſos Judices delegatos per Reſcriptum obtinere, unum ſuper poſſeſſione, & alium ſuper proprietate; &, ſi ſecùs fiat, talis non ſit audiendus. Ita Gloſſa *in cap. ult. ℣. Super proprietate de Judiciis*, & Abbas *in c. Significaverunt n. 14. eod.* & communis. Idque deciſum habetur *in l. Nulli C. de Judiciis.* Ubi proin Summarium ſic loquitur: *Cauſæ continentia non debet dividi. & ideò non poteſt ſuper cauſa poſſeſſionis unus Judex, & ſuper cauſæ proprietatis alius Judex impetrari: & contra faciens punitur.* Concordat *cap. 1. h. t.* ibi; *Legali proviſione decretum eſt, tam momenti* (id eſt, poſſeſſionis, ut explicat Gloſſa) *quam proprietatis cauſam ſub uno eodemque judice debere cognoſci.*

249 Et hoc adeò verum eſt, ut ſi cuipiam Delegato abſolutè & indiſtinctè committatur cauſa, tunc tam cauſa poſſeſſionis, quàm proprietatis, eidem delegata cenſeatur: eò, quòd cauſæ *continentia dividi non debeat*, per textum expreſſum *in cap. 1. §. Cæleſtinus de Sequeſtrat. poſſeſſ.*

250 Reſp. II. Etiam coram Judice ordinario non eſt dividenda continentia cauſæ, ac proinde Judex ille ordinarius, qui cognovit de poſſeſſione, debet etiam cognoſcere de proprietate: dummodò Actor & Reus ſint ejuſdem Fori, nec aliud Canonicum obſtet. Ita Gloſſa, & Abbas, *ubi ſuprà.* Gailus *lib. 1. Practic. Obſervat.* 32. *n. 8. & 9.* addens, quòd ſi ſecus attentetur, poſſit opponi exceptio continentiæ cauſæ, quæ eſt declinatoria Fori. Idque deſumitur imprimis ex allegatis Juribus, utpotè indiſtinctè loquentibus, quòd continentia cauſæ non debeat dividi; atqui talis continentia cauſæ datur inter judicium poſſeſſorium, & petitorium ſuper eadem re; nam finis poſſeſſorii eſt initium petitorii. Baldus *in L. 1. C. Uti poſſidetis*, & Gailus *cit. num* 8. Simulque cognitio unius, affert magnam intelligentiam alterius: quia Judex ille, qui jam cognovit de poſſeſſione, majorem præ cæteris habet informationem ſuper toto negotio, ſicque faciliùs cognoſcet etiam de proprietate; ergo.

251 Dices. Juxta *l. Naturaliter §. 2. ff. de Acquir. poſſeſſ.* nihil commune habet proprietas cum poſſeſſione; ergo etiam cauſa poſſeſſionis, & proprietatis, nullam habent inter ſe continentiam, ſeu connexitatem. Reſp. neg. conſequent. Quia nihil obſtat, quin poſſeſſio, & proprietas, ſub uno reſpectu dicantur nihil habere commune; putà quoad acquiſitionem, eò quòd ſint diverſa jura, poſſintque ab invicem ſeparari, & habeant diverſos effectus: ac proin ſententia lata in uno, non præjudicet in altero judicio. Et tamen ſub alio reſpectu habeant aliquid commune, videlicet identitatem objecti, eò quòd proprietas & poſſeſſio verſentur circa eandem rem: ſimulque habeant connexionem ſubordinationis ad invicem, dum finis unius ſolet eſſe initium alterius, atque etiam cognitio unius juvat ex parte Judicis ad faciliorem deciſionem alterius; uti convincunt Jura hactenus allegata. Tacetur, quòd non detur juſta poſſeſſio abſque jure, ſeu titulo proprietatis.

252 Additur notanter in data *nu.* 250. Concluſione: *Dummodò Actor & Reus ſint ejuſdem Fori.* Nam ſecùs eſt dicendum, quando hi ſunt diverſi Fori: prout deſumitur *ex cap. ult. de Judiciis*, ubi Actor Clericus, ſeu Abbas cum Conventu S. Mariæ de Florentia, contrà Communitatem ſecularem obtinens in poſſeſſorio juris eligendi Rectorem in quodam Caſtro coram Judice ſeculari Rei, non cogitur poſtmodum coram eodem ſæculari Judice reſpondere ſuper proprietate memorati juris eligendi. Id enim accidit, quia Abbas cum ſuo Conventu eſt diverſi Fori, ſcil. Eccleſiaſtici; ſicque à Communitate illa ſæculari non potuit ſuper proprietate dicti juris eligendi, coram Judice laico conveniri.

253 Atque hinc evitatur omnis jurium contrarietas. Nam jura illa, quæ prohibent, ne cauſæ continentia dividatur, loquuntur in caſu, quo Actor & Reus ſunt ejuſdem Fori: at verò *cit. cap. ult. de Judic.* procedit in caſu, quo Actor & Reus ſunt diverſi fori; & ſic jura illa non contradicunt. Gloſſa *in cap. 1. ℣. Sub uno h. t.* & Abbas *in d. cap. ult. n. 14. de Judic.* & alii.

254 Unde, quando Actor & Reus ſunt diverſi Fori, Clericus v. g. in poſſeſſorio agit contra laicum coram Judice ſæculari (nam Clericus ut Actor tenetur ſequi Forum laici Rei, *c. Cùm ſit generale 8. de Foro compet.*) & obtinet contra laicum: ſi poſtmodùm Laicus contra Clericum illum coram eodem Judice ſæculari velit agere judicio petitorio ſuper proprietate ejuſdem rei, in cujus poſſeſſorio ſuccubuit; non tenebitur Clericus ille reſpondere in cauſa proprietatis coram dicto Judice ſæculari: ſed debet conveniri coram proprio Judice ſuo, nimirum Eccleſiaſtico. Siquidem in hoc caſu ipſamet neceſſitas, ſeu diverſitas Fori inter Actorem & Reum, cogit cauſam dividi, & ad diverſos Judices deferri. Abbas *in d. cap. ult. n. 14. de Judiciis.*

255 Nec obſtat, quòd durante judicio poſſeſſorio poſſit Laicus reconvenire clericum ſuper proprietate rei coram eodem Judice ſæculari, conformiter dictis *Tit. 4 De Mutuis Petitionibus §. 2. n.* 27. Reſp. enim, diſparitatem eſſe: quia reconventio propriè non fit, niſi durante eodem judicio: hic autem duo intervenirent judicia eò quòd poſt abſolutum poſſeſſorium, inſtitueretur novum judicium petitorium ſuper proprietate rei; unde in hoc altero judicio Clericus non niſi coram ſuo proprio, ſeu Eccleſiaſtico Judice conveniri poterit, ob privilegium Fori ipſi de Jure competens.

256 Additur ulteriùs in data *num.* 250. Concluſione, *Nec aliud canonicum obſtet.* Prout quid obſtaret, quando cauſa foret talis naturæ, ut idem Judex de utraque cauſa, tam poſſeſſionis videlicet quam proprietatis, non poſſet cognoſcere. Sic accideret, quando inter duos Laicos judicium poſſeſſorium circa rem ſpiritualem, vel ſpirituali annexam, inſtituitur coram Judice ſæculari, ita tamen, ut de poſſeſſione ſit mera quæſtio facti, juxta dicenda *num.* 260. Non enim coram eodem ſæculari Judice poterit viciſſim inſtitui judicium petitorium ſuper proprietate, ſeu jure illius rei ſpiritualis, ſed illud erit inſtituendum ſolummodò coram Judice Eccleſiaſtico; cùm Judex laicus de cauſa ſpirituali, ſeu Eccleſiaſtica, cognoſcere nullatenùs poſſit, *c. Decernimus 2. de Judic.* cum ſimilibus. Abbas *cit. n.* 14. Speculator *tit. de Reſcript præſentat. §. ult. n. 11. ℣ Item quod facit.* Vallenſis *h. t. §. 3. n.* 5. Pirhing *eod. n.* 20.

257 Quæritur III. Utrùm cauſa poſſeſſionis rei ſpiritualis poſſit tractari per Judicem ſæcularem, nec ne? Ratio dubitandi, & affirmativam tenendi, deſumitur ex Gloſſa *in c. Litteras 2. ℣. Rebus ſpiritualibus de Juram. calum.* ubi cauſam poſſeſſionis rei ſpiritualis cenſet eſſe quid temporale, adeoque etiam coram Judice ſæculari tractabile; dum inquit, eſſe notandum, *quòd licet ſpiritualibus cauſis de calumnia non juretur, tamen ſi agatur poſſeſſorio pro re ſpirituali, juratur de calumnia*, arg. c. Litteras de Reſtitut. ſpoliat. Concordat alia Gloſſa *in c. Cùm dilectus 32. ℣. Juramento de Election.* dicens, *quòd ſi agatur ad reſtitutionem rei ſpiritualis, ſic non agitur ſpiritualiter.* Et favet huic ſententiæ textus *in can. Petimus 11. q. 1. & cap. ult. de judic.* & plures alii, quos pro hac ſententia allegat Garcias *part. 1. de Beneficiis, c. 2. n.* 50. & Covarruvias *Pract. Quæſt. c. 35. n.* 1. Verùm hæc ſententia non ita ſimpliciter ac nudè admittenda eſt, ſed opus eſt convenienti explicatione, ſeu diſtinctione; hinc

258 Reſp. I. Quando cauſa poſſeſſoria rei ſpiritualis principaliter inſtituitur ſuper proprietate, ſeu jure poſſidendi, vel ſaltem habet annexam quæſtionem proprietatis, ſive ipſius juris poſſidendi: tunc ea per judicem ſæcularem tractari, & terminari non poteſt, ſed duntaxat per Judicem Eccleſiaſticum. Ita Abbas *loc. cit. n. 7. & 8.* Covarruvias, *ubi ſuprà. Concl.* 1. Garcias *loc cit. n. 51. & 52.* Zerola *part. 2. Praxis Epiſcop. ℣. Poſſeſſorium.* Azorius *part. 1. lib. 5. cap. 14. quæſt. 1.* Layman *lib. 4. Theol. Moral. tract. 9. cap. 2. n.* 11. Pirhing *h. t. n* 18. & alii.

259 Ratio eſt. Quia hujuſmodi cauſa poſſeſſoria non poteſt dici quid merè temporale; cùm vel principaliter intentetur ſuper ipſomet jure poſſidendi aliquid ſpirituale, v. g. Beneficium Eccleſiaſticum, jus decimandi aut jus patronatus, hac vel illa ratione ad ipſum perveniens: vel ſaltem habeat admixtam hujuſmodi quæſtionem, eò quòd in ipſa tractanda neceſſe ſit facere aliqualem probationem ſuper ipſomet jure poſſidendi. Unde ſicut jus patronatus, licèt non ſit aliquid merè ſpirituale, ſed ſpirituali annexum, *c. De jure 16. de Jurepatron.* tamen propter iſtam connexitatem cùm ſpirituali, cauſa juriſpatronatus ita ſpectat ad Eccleſiaſticum, ut nullatenùs in judicio ſæculari, ſed Eccleſiaſtico ſolùm valeat diffiniri,

niri, prout habetur deciſum *in c. Quanto 3. de Judiciis*, ita pari ratione dicendum in propoſito. Concordat *c. Tuam 3. de Ordin. cognit. & c. Cauſam quæ 7. Qui filii ſint legitim.* ubi cauſa ſpiritualis, incidens in judicio ſæculari, remittitur ad Forum Eccleſiaſticum: nam generale eſt, quòd Laici Eccleſiaſtica tractare negotia non debeant, *c. Decernimus 2. de judiciis*, cum concordantiis ibidem à Gloſſa, *verſ. Laici*, allegatis.

260 Reſp. II. Nihilominùs cauſa poſſeſſionis rei ſpiritualis, ſeu quaſi ſpiritualis, poteſt etiam per Judicem laicum cognoſci, atque terminari, quando non eſt aliqua quæſtio annexa ſuper proprietate ſeu jure poſſidendi, ſed ſuper ipſa poſſeſſione eſt mera quæſtio facti, nihilque proprietatis admixtum habens: ut putà, ſi agatur de ſolo facto Laici turbantis, ſive moleſtantis Clericum in poſſeſſione Beneficii Eccleſiaſtici, aut expellentis ipſum è poſſeſſione juris decimandi, præripiendo decimas, vel hujuſmodi. In tali ſiquidem caſu etiam Laicus eſt competens judex, adeoque poteſt Clericus contra Laicum (non verò contra alium Clericum, propter privilegium Fori) turbatorem, ſeu invaſorem, intentare Remedium retinendæ, aut recuperandæ poſſeſſionis juris Beneficii, ſeu decimarum, etiam coram ſæculari Judice. Ita Abbas *cit. c. Litteras n. 8. de Jurament. calum.* Menochius *Remed. 3. De retinend. poſſeſſ n. 324. ac ſeqq. & Remed. 15. De recuperand poſſeſſ. quæſt. 18. n. 223. & 234* Garcias *cit. part. 1. de Beneſic. cap. 2. n. 59.* Layman *lib. 4 tract. 9. cap. 2. n. 13.* aſſerens, eſſe receptiſſimam Doctorum ſententiam, quòd talis cauſa ſit mixti Fori. Pirhing *h. t. n. 19.* Gailus *lib. Pract. Obſervat. 38. n. 3.* hanc opinionem appellans communem, ac in Camera Imperiali obſervatam, & communi Judiciorum uſu approbatam; contra Covarruviam, *ubi ſuprà, n. 1. §. Verùm*, & Antonium de Butrio *in cap. ult. n. 20. de Judiciis*, & quoſdam alios.

261 Ratio Concluſionis eſt. Quia in tali caſu intervenit nuda quæſtio facti, concernens injuriam per Laicum poſſeſſori rei ſpiritualis, putà; Clerico illatam; hoc eſt, ſolummodò quæritur, & cognoſcitur, an reverà poſſeſſori, v. g. Beneficii Eccleſiaſtici, vel decimarum, aut juris eligendi Prælatum, fuerit illata turbatio ſeu violentia, nec ne: atqui iſtud cenſetur quid temporale, vel ſaltem, quatenus involvit injuriam ſeu violentiam perſonæ Eccleſiaſticæ in ſua poſſeſſione illatam, continet crimen ſacrilegii, quod eſt mixti fori; ergo. Accedit, quod in aliis quoque caſibus Judex laicus poſſit cognoſcere de injuria illata, Clerico, vel Eccleſiæ conſecratæ, *c. Cùm ſit generale 8. de Foro compet. & l. Si quis in hoc genus. C. de Epiſcop & Cleric.* putà, ut cogatur Laicus reſtituere Eccleſiæ Calicem furto ablatum, aut abſtinere ab injuriis Clerico illatis, *c. Prælatis de Homicid. in 6.* vel ut compellatur ſervare juramentum Clerico præſtitum, *arg. c. Licèt mulieres de jurejurand. in 6.* Non enim tunc Judex ſæcularis judicat de ipſa ſpiritualitate; ſed ſolùm, hac jam præcognita, cognoſcit de injuria ſpiritualitati illata: ſicut & præſuppoſita jam validitate juramenti, condemnat, atque urget partes ad hujus obſervantiam. Ergo pari ratione poteſt judicare de moleſtia, turbatione, aut violentia poſſeſſioni rerum ſpiritualium per Laicos illata; cùm non judicet ſuper jure ſpirituali Clericis competente (hoc enim non licere Judici laico, aliunde conſtat) ſed ſolùm de mero facto Laici, an revera intulerit injuriam, moleſtiam vel violentiam Clerico, vel ejus poſſeſſioni; ſicque Clericus ſit manutenendus, vel reſtituendus, nec ne. Atque hoc ipſum ſuadent rationes dubitandi, *n. 257.* allatæ, quas oportet in hoc ſenſu intelligere, atque explicare.

262 Nec dicas cum Covarruvia *loc. cit. §. Verùm*. Omnes cauſæ Eccleſiaſticæ debent tractari apud Judices Eccleſiaſticos, non apud ſæculares, *c. Decernimus 2. de Judiciis*: atqui cauſa poſſeſſoria indiſtinctè cenſetur Eccleſiaſtica; uti liquet *ex Clem. un. h. t. & Clem. un. de Sequeſtrat. poſſeſſ.* ergo. Reſp. Minorem procedere ſolùm de cauſa poſſeſſoria quoad proprietatem, ſeu quoad jus poſſidendi intentata: non verò, ſi in ea eſt mera quæſtio facti; prout convincunt inſtantiæ *n. præced.* adductæ, & advertit Menochius *cit. Remed. 15. n. 220.* Accedit, quòd *in cit. Clem. un. h. t* ſit ſermo de duobus Clericis, ſuper proprietate, vel poſſeſſione Beneficii Eccleſiaſtici litigantibus: (Laicus enim ipſius eſt incapax) unde non mirum, quòd talis cauſa coram ſolo Judice Eccleſiaſtico ſit tractanda; cum Clericus Clericum coram ſęculari Judice ſuper nullo negotio convenire valeat. Atque idipſum accidit *in cit. Clem. un. de Sequeſtrat. poſſeſſ.* uti patebit conſideranti textum: ac proinde hæ Clementinæ parùm urgent contra Concluſionem.

## §. IX.

## An, & quando cauſa Poſſeſſionis & Proprietatis cumulari poſſit?

*S U M M A R I U M.*

263 *Cumulare cauſam poſſeſſionis & proprietatis, quid & quot modis contingat?*

264 *Poſſunt hæ cumulari, proponendo utramque in eodem judicio.*

265 *Demptis certis caſibus; & quibus?*

266 *Orta poſſeſſionis & proprietatis lite, oportet prius judicare de poſſeſſione.*

*Et quando hoc verificetur? Ibid.*

267 *Cumulatio actionum eſt prohibita; & qualium? Et n. ſeqq.*

268 *Regula, quando admittatur actionum cumulatio.*

269 & 270 *Sententia lata in petitorio, an pariat exceptionem rei judicatæ in poſſeſſorio?*

271 *Sententia lata in poſſeſſorio, abſorbetur per ſententiam illicò pro parte adverſa latam in petitorio, quoad effectum principalem, non quo ad effectus ſecundarios. Et n. 292. ac ſeqq.*

272 *Sententia in poſſeſſorio operatur multùm quoad receptionem fructuum, quos ſpoliator interim perceperat.*

273 *Cauſa poſſeſſionis, & proprietatis, non poteſt in omni materia cumulari. Et n ſeqq.*

*Spoliatus agens poſſeſſorio recuperandæ, non tenetur ſpoliatori reſpondere ante factam reſtitutionem ſpolii. Ibid.*

274 *Dummodò excipiat contra ſpoliatorem: alias ſecùs.*

275 *Ipſemet ſpoliatus, ſi velit, poteſt ſimul agere poſſeſſorio recuperandæ, & petitorio.*

276 *Judicium poſſeſſorium retinendæ regulariter non poteſt cumulari cum petitorio.*

277 *An verò poſſit aliquando ſic cumulari, eſt quæſtio perdifficilis.*

278 *Sententia negativa refertur, ejuſque fundamentum. Et num. ſeqq.*

279 *Agens petitorio fatetur, ſe non poſſidere.*

*Contrarium. Num. 282. & ſeqq.*

280 *In juribus incorporalibus benè poteſt cumulari judicium petitorium, & poſſeſſorium retinendæ.*

*Actio confeſſoria, quæ? Ibid.*

281 *Eſtque probabilius, hoc ipſum aliquando fieri poſſe in rebus corporalibus.*

282 & 283 *Idque probatur.*

284 285 & 286 *Solvuntur rationes in oppoſitum.*

263 C*Umulare in judicio cauſam poſſeſſionis & proprietatis* idem eſt, ac utramque in judicio proponere; ſeu agere tam poſſeſſorio, quam petitorio. Et hoc quidem pluribus, generatim autem duobus modis, accidere poteſt. I. Quando utraque cauſa proponitur ab eadem parte: Sive dein id fiat ſimul, atque ab ipſo jam litis exordio; ut dum Actor, qui aſſerit, ſe per alium re ſua ſpoliatum fuiſſe, aut ab adipiſcenda poſſeſſione ejuſdem injuſtè impediri, intentat in libello Judici oblato judicium tum poſſeſſorium recuperandæ, vel adipiſcendæ, tum petitorium, petendo, ut ſibi tam poſſeſſio, quàm proprietas rei adjudicetur: ſive id fiat ſucceſſivè, ut dum Actor, poſtquàm cœpit agere petitorio, regreditur etiam ad poſſeſſorium. II. Quando cauſa poſſeſſionis & proprietatis in eodem judicio proponitur diviſim, ſeu ab utraque parte: ut dum Actor incipit Judicium poſſeſſorium, petendo, rei litigioſæ poſſeſſionem ſibi adjudicari; Reus autem excipiat, atque probare contendat, proprietatem ſeu dominium illius ſibi competere: aut dum tam Actor, quam Reus, contendit ſimul ſuper poſſeſſione ac proprietate rei. Quibus prænotatis

Quæri-



264 Quæritur I. Utrùm cauſa poſſeſſionis ac proprietatis poſſit cumulari, proponendo utramque ſimul in eodem Judicio? Reſp affirmativè. Idque probatur *ex c. Ad ultimum 2. h. t.* ubi Judices Delegati, ad parcendum gravioribus partium ſumptibus, commixtim audiunt probationes, atque teſtes tam ſuper cauſa poſſeſſionis, quàm proprietatis. Concordat *c. Cùm Eccleſia 3. & c. Cùm ſuper 4 & c. Cùm dilectus 6. h. t.* ubi ſuper poſſeſſorio, & petitorio, ſimul actum fuiſſe legitur. Et meritò illud de Jure permittitur: tum ut lites citiùs finiantur, juxta *l. Properandum C. de judiciis*: in tali enim caſu ambæ cauſæ eadem ſententia ſunt terminandæ, uti ampliùs infrà dicetur, ſicque evitatur perniciosus cauſarum circuitus. Tum ut hac ipſa ratione præcaveatur majoribus partium litigantium expenſis, *d. c. Ad ultim. h t.*

265 Solùm nota, quòd parte opponente, non admittatur cumulatio petitorii & poſſeſſorii ſimul; prout notat Ludovic. Poſtius *in tract. Mandati de Manutenendo, Obſerv. 7. n. 41.* citans Caputaquen. *Deciſ. 143. part. 3. n 2.* Et multo minùs poteſt petitorium cumulari cum Remedio poſſeſſorio retinendæ ex officio Judicis: quia nullo modo poteſt in hoc judicio miſceri petitorii cauſa. Menochius *de Retinend. poſſeſſ. remed. ult n. 30.* Poſtius *loc. cit. n 42.* Maſcardus *de Probation. Concl. 1211. n. 3.* una cum Bologn. *in l. Naturaliter § Nihil commune part. 2. in fin. ff. de Acquirend. poſſeſſ* Sicut & data Concluſio locum non habet quando ſpoliatus agit poſſeſſorio recuperandæ, ſimulque excipit contra ſpoliatorem volentem agere ſuper petitorio, ſeu ſuper proprietate rei; prout ampliùs infrà *num. 273. & 274.* declarabitur.

266 Objicies nihilominus contra præmiſſam Concluſionem. Pluribus in locis utriuſque Juris expreſſum habetur, quòd orta poſſeſſionis & proprietatis lite, oporteat priùs judicare de poſſeſſione; ergo hæ duæ cauſæ nunquam poſſunt cumulari, ſeu ſimul tractari in eodem judicio. Antecedens patet *ex l. Incerti juris C. de Interdict.* ubi dicitur: *Incerti juris non eſt, orta proprietatis & poſſeſſionis lite, priùs poſſeſſionis decidi oportere quæſtionem competentibus actionibus, ut ex hoc ordine facto, de dominii diſceptatione probationes ab eo, qui de poſſeſſione victus eſt, exigantur.* Concordat textus *in l. Ordinarii. C. de Rei vendicat.* ibi: *Ordinarii juris eſt, ut priùs exhibitis mancipiis de poſſeſſione judicetur; ac tunc demum proprietatis cauſa ab eodem judice decidatur.* Et quod plus eſt, hoc ipſum, quod Jure Civili anteà ſtatutum fuerat, expreſſis verbis approbat Pontifex *in dicto cap. Ad ultimum 2. h. t.*

Reſp Jura proximè allata procedere, quando dubitatur de ipſamet poſſeſſione, ſeu quis actu poſſideat: ut ſit, quando uterque litigantium & de poſſeſſione, & de proprietate contendit; ac neuter eorum in ſe ſuſcipere vult onus probandi proprietatem (eò quòd difficilis exiſtat probationis) ſed quilibet iſtud onus in alterum rejicere ſatagit. In hoc ſiquidem caſu non poteſt agi poſſeſſorio, & petitorio ſimul (neque enim appareret, quis probare teneretur in petitorio) ſed oportet priùs tractari, diſcuti, atque terminari quæſtionem ſuper poſſeſſione; ſic quippe ab eo, qui de poſſeſſione victus eſt, poterunt poſteà exigi probationes ſuper proprietate, *cit. l. Incerti juris. C. de Interdict. & l. Exitus, ff. de Acquir. poſſeſſ.* alioquin, ac niſi de proprietate docuerit, ſuccumbit etiam in petitorio. At verò data Concluſio noſtra, una cum Juribus in ipſa allegatis, procedit, quando non dubitatur de poſſeſſione, ſeu quis actu poſſideat: ſed, ſuppoſito, quòd Reus actu poſſideat, Actor contra eum intentat ſimul judicium petitorium, atque poſſeſſorium recuperandæ, ſi jam anteà poſſederat, ac ſe ſpoliatum contendat; vel (ſi anteà nondum poſſederat) adipiſcendæ poſſeſſionis. Abbas *d. c. Ad ultimum, n. 3. h. t.* Vallenſis *eod. §. 4. n. 5.*

267 Inſtabis. Cumulatio actionum eſt prohibita *in l. Quod in hærede. §. Eligere, ff. de Tributoria action.* ibi: *Eligere quis debet, qua actione experiatur: utrùm de peculio, an tributoria: cùm ſciat ſibi regreſſum ad aliam non futurum*, cum ſimilibus: ergo neque actio petitoria poterit cumulari cum poſſeſſoria. Reſp. Antecedens eſſe verum loquendo de illis actionibus, quæ vel ſunt contrariæ, vel quæ electione tolluntur, vel in quarum prima ſententia abſolutoria lata parit exceptionem rei judicatæ in ſecunda. Tunc ſiquidem meritò rejicitur cumulatio actionum: partim quia contrariorum eadem eſt ratio, ut poſito uno, alterum removeatur; ac proinde contrarias actiones nemo poteſt exercere. *L. un. C. Si ſervus extero &c. & L. 1. C. de Furtis.* Partim, quia, ubi actio aliqua electione alterius tollitur, hac electa præcluditur via ad alteram, *cit. L. 1. C. de Furtis, & l. Quod in hærede ff. de Tribut. action* Partim quia, ubi duæ actiones ita ſe habent ad invicem, quòd ſententia abſolutoria lata in primo judicio, pariat exceptionem rei judicatæ in ſecundo; & condemnatoria lata in ſecundo, pariat Reo præjudicium in primo, ſi admitteretur cumulatio earum, jam per ſecundam ſententiam fieret præjudicium primæ, & econtrà; quod eſt abſurdum, *arg. l. Fundum, 16 cum 2. ſeqq ff. de Exception.* ac fuſe tradit Dynus *in Reg. 20. Nullus pluribus, n. 9. & ſeqq de Reg. jur in 6.* & Abbas *in c. Cum dilectus, n. 6. Verſ. Tres enim ſunt, h. t.*

268 Econtrà verò eſt recepta Doctorum regula: *Ubi plures ſunt actiones non contrariæ, & quæ electione non tolluntur, & in quarum prima, ſententia abſolutoria lata non parit exceptionem rei judicatæ in ſecunda, ibi admittitur cumulatio.* Dynus, & Abbas *ubi ſuprà*. Jaſon *in l. Edita actio n. 34. C. de Edendo*, & alii. Atque idcircò, dum nullum horum impedit, rectè admittitur cumulatio cauſæ poſſeſſionis & proprietatis in eodem Judicio.

269 Urgebis. Sententia lata in petitorio, parit exceptionem rei judicatæ in poſſeſſorio; ergo non poſſunt cumulari, juxta regulas cumulationis proximè allatas. Antecedens probatur ex *c. Cùm Eccleſia, & c. Cùm dilectus, h t.* ubi ſententia lata ſuper proprietate, ita abſorbet atque elidit ſententiam latam ſuper poſſeſſione, ut hæc non debeat mandari executioni; ergo. Reſp. neg. antecedens. Quia cauſa poſſeſſionis eſt omnino ſeparata à cauſa proprietatis, nihilque cum ea habet commune, *l. Naturaliter § Nihil ff. de Acquir. poſſeſſ. & l. Permiſceri 52. ff. eod.* Ex diverſis autem non fit bona illatio, *arg. l ult. §. fin. ff. de Calumniat.* & notat Bartolus *ibid.* & Barboſa *tract. de Axiomat. axiom. 124.* citans alios.

270 Proinde, ſicut ſententia lata in poſſeſſorio, non parit exceptionem rei judicatæ in petitorio, *text. clar. l Et an eadem § fin ff de Exception. rei judicat* Ita pariter ſententia lata in petitorio, non parit exceptionem rei judicatæ in poſſeſſorio, *arg. l Julianus, 3. ff eod.* ac notat Dynus *ad Reg. 71 Quid ad agendum, n. 6. de Reg. jur. in 6.*

271 Ad probationem antecedentis negatur conſequentia. Quia, licèt in eo caſu, quo poſt ſententiam latam in poſſeſſorio pro favore unius partis, illicò ſequitur ſententia ſuper petitorio pro favore alterius partis, per hanc elidatur prior ſententia lata in poſſeſſorio quoad effectum ſuum principalem: ita videlicet, ut ipſa non debeat mandari executioni. Nihilominùs ejuſmodi ſententia ſeu verbalis adjudicatio poſſeſſionis, operatur nonnullos alios effectus ſecundarios, ſeu minùs principales, infrà *§. ſeqq. num. 292. & ſeqq.* enumerandos: ac proinde non penitùs eliditur, & abſorbetur per ſententiam latam in petitorio.

272 Accedit, quòd ſaltem non urgeat inſtantia, ejuſque probatio in eo caſu, quando una eademque pars, ſive Actor ſit ſive Reus, obtinet ſimul tam in poſſeſſorio, quam petitorio. Nam tunc ſententia lata in petitorio, non ſolùm non abſorbet alteram latam in poſſeſſorio, ſed potiùs hanc fovet & corroborat. Inſuper in tali caſu ſententia lata in poſſeſſorio, habet effectum notabilem, quem non haberet ſola ſententia in petitorio reportata: nam ſi quis ſua poſſeſſione ſpoliatus fuiſſet, prodeſſet ſententia ſuper poſſeſſione in ejus favorem lata quoad eos fructus, quos ſpoliator à tempore dejectionis ſeu ſpoliationis percepit, aut percipere potuit: quia hi omnes ſpoliato erunt reſtituendi, ut *c Gravis 11 de Reſtitut. ſpoliat. & L. 1. §. Ex die ff. de Vi & vi armat. l. Si de poſſeſſione. C. unde vi* Tales autem fructus ſibi reſtituendos non conſequeretur quis ex vi ſolius petitorii; ut tradit Abb. *in c. Paſtoralis n. 32. h. t.* ac notatur *in d. c. Gravis.*

273 Quæritur II An ſemper, & in omni materia, cauſa poſſeſſionis & proprietatis poſſit cumulari, ſimulque tractari? Reſp. negativè: patitur enim iſtud quaſdam limitationes. Et primò quidem in caſu factæ ſpoliationis: quando enim ſpoliatus agit poſſeſſorio recuperandæ poſ-

ſeſſionis

ſeſſionis contra ſpoliatorem, & iſte excipit contra eam ſuper proprietate, aut ipſum reconvenit intentando viciſſim petitorium ſuper proprietate rei per ſpoliationem acquiſitæ; certum eſt, quòd iſte nullo modo ſit audiendus, neque admittendus ad probandam rei proprietatem, niſi priùs reſtituerit ſpolium. Siquidem quæſtio ſpoliationis eſt privilegiata; adeò, ut ipſam intentans, atque probans, deinceps non teneatur ſuis ſpoliatoribus reſpondere ante factam ſibi reſtitutionem ſpolii, *text. clar. cap. ult. de Ordin. cognit.* Ac proinde, ſi ſpoliator velit agere ſuper proprietate, tenetur is anteà reſtituere ſpolium; & tunc primum, ſi quid habet, ſuper rei proprietate ſibi competente proponere valet.

274 Intellige hoc, dummodò ſpoliatus agens poſſeſſorio recuperandæ, excipiat contra ejuſmodi ſpoliatorem allegando iſtud privilegium ſpoliationis antequàm Reus ſpoliator audiatur. Nam ſi Actor ſpoliatus non exciperet, antequàm Reus ſpoliator audiatur, valeret reconventio ſuper proprietate: neque poterit deinceps Actor ampliùs excipere, poſtquàm Reus jam fuit auditus ſuper proprietate. Siquidem hæc eſt quædam exceptio dilatoria, ac proinde proponenda ante litis ingreſſum, *c. Inter Monaſterium 20. de Sent. & re judicat.* Abbas *d. cap. ult. n. 7. de Ordin. cognit.* & Innocentius *ibid.* Menochius *de Recuperand. poſſeſſ. Remed. 1. n. 174* citans alios.

275 Fatendum tamen, quòd ipſemet ſpoliatus, ſi velit, poſſit agere ſimul & poſſeſſorio recuperandæ, & petitorio judicio: quia nullo jure id ei prohibitum reperitur. Et tunc, quando Actor agit utroque judicio, etiam Reus ſeſe defendere poteſt ſuper utroque judicio; ut *c. Cùm Eccleſia 3. & c. Cum ſuper 4. h. t.* ac notat Gloſſa magna *in c. Cùm dilectus eod.* Verumtamen in tali caſu ad obtinendum in petitorio, non ſufficit probare ſolam poſſeſſionem, *arg. cap. ult. h. t.* juncto Summario *ibid.* Siquidem poſſeſſio & proprietas nihil habent commune, *l. Naturaliter, §. 2. ff. de Acquir. poſſeſſ.* ac proinde ab illa ad iſtam non eſt bona illatio, *cap. ult. h. t.* Igitur in hujuſmodi caſibus Actor probans poſſeſſionem & ſpoliationem, ſed non proprietatem ſpolii, obtinet in poſſeſſorio, ſed ſuccumbit in petitorio; nam Actore non probante, Reus abſolvitur.

276 Secundo allata doctrina paſſim limitatur in Judicio retinendæ poſſeſſionis. Nam, licèt certum ſit, judicium adipiſcendæ, & recuperandæ poſſeſſionis poſſe cumulari una cum petitorio, per rationes & Jura *n. 264.* allegata; hoc tamen de poſſeſſorio retinendæ plurimi Doctores negant: quia (inquiunt) agens poſſeſſorio retinendæ, & ſimul petitorio, allegarent contraria; juxta ampliùs dicenda *n. 278.* ſicque non foret audiendus. Et quidem hæc doctrina, ſeu limitatio, regulariter loquendo habet locum: utrùm autem in quodam caſu extraordinario ſecùs fieri poſſit, difficultas non modica exiſtit. Unde

277 Quæritur III. An Judicium poſſeſſorium retinendæ poſſit aliquando cumulari, ſimulque ab eodem proponi una cum petitorio? Reſp. I. Hæc quæſtio eſt ardua & perdifficilis, prout fatetur Fagnanus *in c. Cùm Eccleſia n. 14. h. t.* ac etiam perplexa juris quæſtio, quæ omnium ingenia exercuit; ut loquitur Menochius *de Retinenda poſſeſſ. Remed. 3. quæſt. 66. n. 511.* fuſiſſimè poſtmodùm eandem pertractans, atque in novem caſus diſtinguens.

278 Et quidem ſententiam negativam tenet Gloſſa *in c. Paſtoralis. ℣. Quod de recuperanda h. t.* & Abbas *ibid. n. 17.* Pirhing *eod. n. 39.* & alii plures. Fundamentum hujus ſententiæ eſt: quia judicium poſſeſſorium retinendæ (quale eſt Interdictum *Uti poſſidetis*, & Interdictum *Utrobi*) ac judicium petitorium ſuper eadem re, videntur inter ſe repugnare; unde utrumque ſimul intentans allegaret contraria, ſicque non eſſet audiendus. Antecedens probatur ex eo: quia, qui agit Interdicto retinendæ, aſſerit ſe poſſidere, petitque manuteneri in poſſeſſione contra adverſarium, qui ipſum in ſua poſſeſſione turbare, ſeu moleſtare conatur: qui autem agit petitorio, ſive rei vendicatione, hoc ipſo ſaltem tacitè aſſerit, atque fatetur, ſe non poſſidere, ſed adverſarium ſuum. Atqui poſſidere, & non poſſidere, ſunt contraria, ſeu potius contradictoria; & conſequenter hæc ſimul aſſerens, dum vult agere poſſeſſorio retinendæ ac petitorio ſimul, tanquam ſibi ipſi contradicens, & contraria allegans, non foret audiendus, ſed repellendus, juxta *c. Examinata 15. de Judiciis, & c. Sollicitudinem 54. §. fin. Appellat. & l. Ubi pugnantia ff. de Reg. Juris.*

Major hujus probationis quoad priorem partem eſt clara ex terminis: quoad alteram verò, ſive quòd agens petitorio fateatur hoc ipſo, ſe non poſſidere, ſed adverſarium, probatur ex eo: Quia ei, qui poſſidet, non datur actio in rem, & rei vendicatio, *§. Quod genus. Inſtit. de Action. & L. un C. de Alienat. jud. mut. cauſ.* Ut quid enim quis petat ab adverſario, id, quod actu jam poſſidet? Siquidem & *civilis & naturalis ratio facit, ut alius poſſideat, alius à poſſidente petat*, prout loquitur Imperator *in §. Retinendæ. Inſtit. de Interdict.* Accedit, quòd in *l. Incerti juris. C. de Interdict. & l. Ordinari. C. de Rei vendicat.* jubeatur priùs diſcuti, ac terminari judicium poſſeſſorium ante petitorium; ergo hoc ipſo videtur negari, poſſe petitorium cumulari una cum judicio poſſeſſorio, ſaltem retinendæ poſſeſſionis: nam de Interdicto adipiſcendæ, & recuperandæ, oppoſitum per alia Jura expreſsè liquet; ſimulque in iſtis nulla intervenit contrarietas cum petitorio. Verùm his non obſtantibus 279

Reſp. II. Loquendo de incorporalibus, ut puta ſervitutibus, aliiſque juribus, benè poteſt cumulari judicium petitorium & poſſeſſorium retinendæ. Ita Bartolus *in l. Naturaliter. §. Nihil commune verſ. Secunda combinatio quando unus & idem n. 18.* & Jaſon *ibid. n. 127. ff. de Acquir. poſſeſſ.* Menochius *cit. Remed. 3. de Retinend. poſſeſſ. quæſt. 66. n. 539.* citans Baldum & Caſtrenſem *in l. Ordinarii C. de Rei vendicat.* & plures alios. Idque deſumitur ex *§. Æquè ſi agat. Inſtit. de Actionib.* ubi clarè habetur, quòd in incorporalibus, putà in ſervitutibus, is qui poſſidet, poſſit agere actione in rem, quæ à Juriſtis dicitur *Actio confeſſoria*. Et hæc quidem eſt ea, quæ competit Actori aſſerenti, quòd habeat jus, ſeu ſervitutem in fundo, vel prædio proximi: nam mediante tali actione is, qui poſſidet jus ſervitutis, petit per ſententiam judicis declarari, quòd ei debeatur talis ſervitus hactenus jam poſſeſſa; ac proinde adverſario ſuo ipſum in tali jure, ejuſque quaſi poſſeſſione moleſtanti, imponatur ſilentium, vel cautio præſtanda de non impediendo. Mynſinger *ad cit. §. Æquè ſi agat. Inſtit. de Actionib.* Accedit ratio: quia loquendo de incorporalibus, putà de ſervitutibus, cumulatio judicii poſſeſſorii & petitorii nullam involvit contrarietatem, ſeu contradictionem; uti liquet ex proximè dictis. 280

Reſp. III. Etiam loquendo de rebus corporalibus videtur probabilius, quòd poſſit aliquando judicium poſſeſſorium retinendæ cumulari cum petitorio. Ita ex profeſſo Speculator *tit. de Petitorio & poſſeſſorio, §. 1. n. 29.* Zoeſius *h. t. n. 6.* Vallenſis *eod. §. 4. n. 4.* Engel *n. 9.* Conſentit nonnihil Menochius *loc. cit. n. 543.* aſſerens, tunc hæc judicia cumulari poſſe, quoties judicium petitorium eſt tale, ut judicio poſſeſſorio fomentum afferat. Et Imola *in Clem. un. §. Gloſſa ſpoliantis h. t.* ubi ait: Licèt poſſeſſorium retinendæ non poſſit regulariter intentari cum petitorio ratione contrarietatis, fallit tamen hoc in incorporalibus; ac etiam tunc, quando reſpectu diverſæ poſſeſſionis intentarentur, putà, poſſeſſorium ratione civilis, & petitorium ratione naturalis poſſeſſionis. 281

Ratio Concluſionis eſt, quia nulla in hoc reperitur repugnantia, ſive contrarietas; ergo, cum Jura indiſtinctè admittant cumulationem poſſeſſorii cum petitorio, *cap. 1. 2. 4. & 6. h. t.* non eſt, cur hinc penitus excludamus Interdictum retinendæ poſſeſſionis. Antecedens probatur ex *l. Naturaliter. §. fin ff. eod* ubi dicitur: *Non enim videtur poſſeſſioni renunciaſſe, qui rem vendicavit.* Item ex *c. Dilectus 2. de Capell. Monach.* ubi talis caſus indicatur. Hoc ipſum probatur enervando principale fundamentum oppoſitæ ſententiæ: ſiquidem agens petitorio, non idcirco fatetur, ne tacitè quidem, adverſarium poſſidere; ergo corruit principale fundamentum oppoſitæ ſententiæ. Antecedens patet *ex l. Officium 9. ff. de Rei vendicat.* ubi rejecta quorundam opinione contraria, admittitur rei vendicatio, ſeu judicium petitorium adversùs Depoſitarium, Commodatarium, Conductorem, aut qui legatorum ſervandorum cauſa, vel dotis; aut rei ſervandæ nomine in poſſeſſione eſt; & generaliter adversùs omnes illos, qui detinent, & reſtituendi facultatem habent. Atqui tales non poſſident, prout *in cit. l. Officium*, dicitur, juncta *l. Poſſideri §. fin. ff. de* 282



*ff. de Acquir. poſſeſſ.* Ergo, cum nihilominùs contra eos poſſit agi judicio petitorio, clarè ſequitur, quod Actor inſtituens petitorium contra Adverſarium, non per hoc fateatur, ne tacitè quidem, eum poſſidere; ſicque corruit principale fundamentum contrariæ ſententiæ *n. 278.* allegatum.

283 Confirmatur, atque hoc ipſum magis declaratur: quia ratione ſolius detentionis, qua quis detinet rem alterius, & ipſam poſtulatus cùm poſſet, non vult reddere, competit domino illius rei vendicatio, ſicque judicium petitorium; ut convincitur ex *cit. l. Officium ff. de Rei vendicat.* Nam Depoſitarius, vel Commodatarius detinet quidem rem depoſitam, vel commodatam, non tamen poſſidet: quia Dominus deponens, vel commodans, non ſolùm retinet ejus proprietatem, ſed etiam poſſeſſionem, *l. Licèt deponere ff. Depoſiti & l. Rei commodatæ, ff. Commodati*: & tamen contra Depoſitarium, vel Commodatarium, competit Domino rei vendicatio. Sufficit proinde ad inſtituendum petitorium, quòd alter rem noſtram detineat, aut in poſſeſſione ejus exiſtat, & requiſitus cùm poſſet, reddere nolit, licèt non poſſideat: quo facto Dominus rei ab altero injuſtè detentæ, poteſt contra eum inſtituere tum poſſeſſorium retinendæ, quia rem illam civiliter poſſidet, tum petitorium ratione proprietatis ſibi competentis: & ſi vult, poteſt etiam utrumque judicium cumulare, ac ſimul intentare; quia nulla in hoc reperitur contrarietas, aut repugnantia; ſimulque Pontifex *in cap. 1. 2. 4. & 6. h. t.* indiſtinctè concedit poſſeſſorium & petitorium ſimul in judicium deduci.

284 Et per hoc patet ad principale fundamentum oppoſitæ ſententiæ *num. 278.* relatum. Negatur enim, quòd agens petitorio, neceſſariò per hoc fateatur, ſaltem tacitè, alterum poſſidere: nam, ut dictum, ſufficit, quòd fateatur, alterum detinere, vel in poſſeſſione rei exiſteſtere: hæc autem ſunt valdè diverſa, *l. Si quis ante ff de Acquir. poſſeſſ.* eſtque jam ſuprà *§. 1. num. 9.* dictum. Ad primam probationem negatur aſſumptum, ob textum clarum *ex d. l. Officium ff. de Rei vendicat.* jam allegatum.

285 Ad *§. Quod genus. Inſtit. de Action.* dicitur, ibi imprimis clarè haberi, quòd in incorporalibus is, qui poſſidet, poſſit agere actione in rem, quæ à Juriſtis dicitur *Actio confeſſoria*: eſtque jam dictum ſuprà *num. 280.* Deinde, quamvis textus *in cit. §. Quod genus*, videatur velle: quòd in corporalibus ille duntaxat poſſit agere, qui non poſſidet; nihilominùs reſpondetur, iſtud procedere regulariter; fallere tamen in caſu, quando Actor civiliter poſſidet, Reus autem rem actualiter detinet, aut eſt in ejus poſſeſſione cuſtodiæ cauſa, vel alia conſimili ratione. Nam tunc Actor poteſt contra talem Reum agere in rem, ſive rei vendicatione, ac judicio petitorio, quando iſte debitè requiſitus non vult reſtituere rem illam, & tamen reſtituendi habet facultatem, per Jura in Concluſione allegata. Et pari modo reſpondetur ad *cit. §. Retinendæ. Inſtit. de Interdict.*

286 Porrò *in L. un. C. de Alienat. judic. &c.* ſolùm dicitur, quòd *in rem actionem poſſeſſio pariat adverſario*: non tamen negatur, quin poſſeſſio poſſit habere actionem in rem contra eum, qui rem detinet, eamque cùm poſſit, reddere non vult. Ad *l. Incerti juris & l. Ordinarii &c.* jam patet ex dictis *num. 265. & 266.* nam loquitur in caſu, ubi dubitatur de ipſa poſſeſſione, ſivè an quis poſſideat: alias ſecus.

## §. X.

## De modo procedendi ſuper cauſa Poſſeſſionis & Proprietatis ſimul intentata, ac de Regreſſu à Petitorio ad Poſſeſſorium.

*S U M M A R I U M.*

287 *Quando partes agunt judicio poſſeſſorio & petitorio ſimul, poteſt Judex commixtim ſuper utraque cauſa probationes, teſteſque recipere.*
288 *Et poſteà utramque cauſam una ſententia terminare.*
289 *Debet tamen priùs diſcuti, & terminari poſſeſſorium, quando dubitatur quis poſſideat; aut quando ſolùm conſtat de poſſeſſorio.*
290 *Qualiter Judex debeat cauſam poſſeſſionis & proprietatis una ſententia terminare? Et n. 288.*
291 *Et quomodo ſententia hæc dicatur una?*
292 *Sententia lata ſuper poſſeſſorio momentaneo, cur non ſuperfluat? Et n. ſeqq.*
293 294 & 295 *Hæc prodeſt ad plures effectus, & quales?*
296 *Tamen ſententia lata ſuper petitorio prævalet in executione; & cur?*
297 *Quando conſtat de ſola poſſeſſione, poteſt fieri executio ſuper ipſa, dilato impoſterum petitorio.*
298 *Et notabilis effectus talis ſententiæ ſuper poſſeſſorio latæ.*
299 *Petitorium judicium ingreſſus, poteſt regredi ad poſſeſſorium ante concluſionem in cauſa.*
300 *Et hujus congruentia.*
301 & 302 *Variaque exempla Juris.*
303 *Solvuntur inſtantiæ. Et n. ſeqq.*
304 *Talis regreſſus à petitorio ad poſſeſſorium quid deſerviat?*
305 *Poſt concluſionem in cauſa non licet Actori, à petitorio regredi ad poſſeſſorium.*
*Per concluſionem in cauſa ligantur manus, & clauditur os partibus. Ibid.*
306 *Non tamen Judici.*
307 *Et hinc ex gravi cauſa poteſt Judex etiam poſt concluſionem in cauſa concedere regreſſum ad poſſeſſorium.*
308 *Regreſſus à petitorio ad poſſeſſorium pariter locum habet in cauſis Beneficialibus, etiam per appellationem ad Sedem Apoſtolicam devolutis.*
309 *Solvuntur inſtantiæ. Et. n ſeqq.*
*Judex appellationis non poteſt cognoſcere niſi ſuper ea cauſa, à qua fuit appellatum, Ibid. Et n. 311.*
310 Clem. un. h. t. *procedit ſolùm, quando eſt appellatum ad Sedem Apoſtolicam: ſecùs dicendum in inferioribus.*
311 *Neque ejus deciſio eſt communis aliis cauſis, præter Beneficiales.*
312 *Appellatio non ſolùm ſuſpendit ſententiam judicis, ſed etiam effectum concluſionis in cauſa prioris inſtantiæ.*

Quæritur I. Quomodo procedendum ſit in cauſa, quando partes agunt judicio poſſeſſorio & petitorio ſimul? Reſp. I. Judex poteſt tunc commixtim ſuper utraque cauſa recipere probationes, teſteſque admittere. Textus eſt *in c. Ad ultimum 2. h. t.* ac tenet communis Doctorum. Et meritò: tum ne parcatur laboribus, & gravioribus partium expenſis, quas alioquin ſubire cogerentur in producendo bis teſtes ſuper dictis judiciis, ſi non niſi ſeparatim tractari poſſent, aut ſeorſim tractarentur. Tum quia mos eſt gerendus partibus probare volentibus, *l. Circa 14. ff de Probat. & c. Licèt eod.* 287

Reſp. II. Quando ſimul judicio poſſeſſorio & petitorio actum fuit, propoſitis hinc inde, atque examinatis ſufficienter probationibus, utrumque una ſententia terminari debet; ità tamen, ut in pronunciando præmittatur poſſeſſorium, ſed in exequendo prævaleat petitorium. Ita communis; & habetur expreſſum *in c. Cùm dilectus 6. h. t.* juncto *c. Cùm Eccleſia 3. & c. Cùm ſuper 4. eod.* Siquidem *Judex, de qua re cognoverit* (ſaltem principaliter, ut explicat Gloſſa) *pronunciare debet*, per textum *in cit. c. Cùm ſuper eod. & l. De qua re ff. de Judiciis*, & conſequenter; ubi Judex ſuper poſſeſſorio & petitorio ſimul cognovit, de utroque pronunciare debet. 288

Nec obſtat id, quod *in c. Ad ultimum 2. h. t.* legitur, videlicet quòd auditis ſuper utraque cauſa commixtim probationibus, poſſit Judex prius diſcutere probationes ſuper poſſeſſorio, illudque pronunciata ſuper poſſeſſione ſententia terminare. Reſp. enim, Capitulum iſtud procedere in caſu, quando dubitatur, quis poſſideat: ut ſi utraque pars litigantium contendat ſe poſſidere, ſimulque ſibi competere rei proprietatem: tunc enim omninò neceſſe eſt priùs, agi, diſcuti, atque terminari poſſeſſorium, ut ſic apparere valeat, cui incumbat onus probandi in petitorio; *l. Incerti juris C. de Interdict. & l. Ordinarii C. de Rei vendicat.* ac dictum eſt ſuprà *nu. 265. & 266.* Idem locum ſibi vendicat, quando ex allegatis & 289

gatis & probatis nondum liquere poteſt de utroque, ſed ſolummodò de poſſeſſorio; aut ſi ex aliis circumſtantiis, atque rationibus, ita expedire videatur: tunc enim Judex ex officio procedere poteſt, juxta tenorem *cit. c. Ad ultimum 2. h. t.* ac pronunciare tantùm ſuper poſſeſſione, dilato impoſterum judicio petitorio. Gloſſa *ad cit. cap. 2. verſ. Expreſſum*, & Abbas *ibid. num. 3.* & Imola *n. 4.* ac favet textus *in c. Significaverunt 36 §. fin. de Teſtib.*

290 Verùm ubi tam poſſeſſorium quàm petitorium ſimul fuit deductum in judicium, & ſuper utroque atteſtationes, aliæque probationes ſufficienter fuerint adductæ, procedunt dicta in Concluſione. Tunc enim debet Judex utramque cauſam ſimul una eademque ſententia terminare; ita tamen, ut primò pronunciet ſuper poſſeſſione, ac deinde incontinenti pronunciet etiam ſuper proprietate.

291 Et licèt hic videatur intervenire, ac re ipſa interveniat duplex ſententia, una concernens poſſeſſionem, altera proprietatem rei: nihilominùs hæc utraque, adhuc rectè dicitur eſſe unica ſententia. Et hoc fit tum propter unitatem ſeu continuationem temporis, quia videlicet una continuè, ſeu incontinenti profertur poſt alteram ſententiam, ſicque ſimul & eodem propemodùm tempore: tum etiam propter unitatem ſcripturæ, ex qua utraque ſententia recitatur; prout in ſimili dictum eſt ſuperiùs *Tit. 4. De Mutuis Petitionibus §. 3. num. 47.*

292 Dices. Sententia lata in tali caſu ſuper poſſeſſorio momentaneo penitus ſuperfluit; ergo non eſt aſſerenda, neque neceſſariò præmittenda. Antecedens probatur ex Juribus *n. 288.* allegatis, quæ volunt, tunc prævalere in exequendo ſententiam latam ſuper petitorio, quæ proin illicò abſorbet alteram latam in poſſeſſorio; uti contingit *in cit. c. Cùm Eccleſia 3. h. t.* Reſp. neg. anteced. cum ſuæ probationis conſequentia. Quia, ut jam breviter dictum eſt ſuperiùs *§. præc. num 271. & 272.* in tali caſu prævalet quidem ſententia lata ſuper petitorio in exequendo, quatenus hæc ſola debet mandari executioni, ſicque elidicur ſententia lata ſuper poſſeſſione quoad effectum ſuum principalem: non tamen hæc penitus abſorbetur, atque evacuatur, ſed habet plures effectus ſaltem ſecundarios, ac minùs principales. Idque oſtenditur inductione, enumerando dictos effectus.

293 Et primò quidem juvat ejuſmodi ſententia ſuper poſſeſſorio lata, ut ſatisfiat juri, atque petitioni litigantium, dum hac ratione poſſeſſio adjudicatur illi parti, cui ſecundùm allegata & probata de jure debetur; ut eſt caſus *in cit. c. Cùm Eccleſia 3. h. t.* Idque meritò: ſiquidem Judex de omni re, de qua cognoſcit, & quidquid juris deductum fuit in judicium, pronunciare debet, *cit. c. Cùm Eccleſia §. Verùm, & c. Cùm ſuper* juncta Gloſſa *V. Reſtituendum h. t.*

294 Deinde prodeſt ejuſmodi ſententia ſuper poſſeſſione lata, quantùm ad expenſas litis. Nam regula eſt, quòd victus debeat victori condemnari in expenſis *c. Calumniam. de Pœnis & l. Properandum § Sive autem alterutru C. de Judiciis*: talis autem in poſſeſſorio cenſetur victor.

Prodeſt inſuper talis ſententia propter fructus perceptos: nam poſſeſſor bonæ fidei non tenetur reſtituere fructus jam conſumptos, *§. Si quis à non domino. Inſtit. de Rerum diviſ.* Rurſus ipſa prodeſt: quia bonæ fidei poſſeſſor non tenetur de caſu, *l. Utique autem ff de Rei vendicat.* ac proinde obtinens in poſſeſſorio, non tenebitur rem illam, quæ caſu apud ipſum perierat, recompenſare adverſario obtinenti in petitorio.

296 Patet proinde ex tam multiplicibus ejus effectibus ſaltem ſecundariis, ac minùs principalibus, quod ſententia lata in poſſeſſorio non ſuperfluat: haud obſtante; quòd ſententia lata ſuper petitorio prævaleat in executione, *c. Cùm dilectus h. t.* Adeò, ut Actor obtinens in poſſeſſorio, ſed ſuccumbens in petitorio, non mereatur in actualem rei litigioſæ poſſeſſionem immitti. Et ratio hujus ulterior eſt. Tum quia proprietas, quæ eſt longè dignior poſſeſſione, attrahit ad ſe poſſeſſionem, abſorbetque effectum ſaltem primarium & principalem ſententiæ ſuper poſſeſſione latæ: nam magis dignum trahit ad ſe minùs dignum, *c. Quod in dubiis de Conſecrat. Eccleſ. & cap. un. eod. in 6.* cum concordantiis. Tum quia fruſtrà quis poſtulat mitti in poſſeſſionem illius rei, quam ſtatim cogitur reſtituere vero domino, ſeu obtinenti in petitorio. Quinimo *dolo facit, qui petit, quod redditurus eſt*; ſicuti dicitur *l. Dolo facit ff. de Doli mali exception.* juncta Gloſſa *ibid.*

297 Nec dictis obſtat *c. Suborta 21. de Sent. & re judicat.* ubi mandatur executioni ſententia lata ſuper poſſeſſorio, quamvis ibidem ſimul fuerit actum petitorio. Reſp. enim id accidiſſe ex eo: quia ibi priùs conſtabat de poſſeſſorio, & quidem per confeſſionem partis adverſæ; non verò ſic conſtabat de petitorio, utpote de quo gravis adhuc reſtabat difficultas. Poſſe autem in tali caſu, quo conſtat jam de poſſeſſione, ſed ſuper proprietate ſupereſt adhuc controverſia diutius protrahenda, terminari judicium poſſeſſorium, & ſic fieri executionem ſuper eo, dilato impoſterum petitorio, textus eſt *in c. Ad ultimum 2. h. t.* & notat Abbas *in c. Cùm dilectus n. 13. h. t.* eſtque jam dictum ſuperiùs *n. 289.*

298 Solùm dictis adde, quòd in tali caſu ſententia ſuper poſſeſſorio lata operetur adhuc alium notabilem effectum. Nam quando non ſtatim ſequitur ſententia ſuper proprietate in favorem adverſarii (fortè, quia cauſa proprietatis longiori indiget diſcuſſione) tunc ipſa liberat poſſeſſorem ſententialiter declaratum ab onere impoſterum probandi ipſam rei proprietatem, eidemque confert cætera poſſeſſionis commoda, de quibus plura ſuperiùs *§. 2. n. 40 & ſeqq.*

299 Quæritur II. An ille, qui petitorium judicium ſemel ingreſſus fuit, videns difficultatem in probanda rei proprietate, poſſit regredi ad poſſeſſorium? Reſp. affirmativè; dummodò id fiat ante factam concluſionem in cauſa. Ita habetur expreſſè deciſum *in c. Paſtoralis 5. h. t.* ac notant ibidem Doctores paſſim. Concordat Jus Civile *in l. Qui fundum fin. ff. de Vi & vi armat.* ibi: *Eum, qui fundum vendicavit ab eo, cum quo interdicto Unde vi potuit experiri, pendente judicio nihilominus interdicto rectè agere placuit.*

300 Et meritò talis regreſſus ad poſſeſſorium permittitur, ne alioquin Actor ingreſſus petitorium ac deficiens in probatione dominii, ſeu proprietatis rei, utpore difficillima, omni penitus remedio deſtituatur, atque ex integro cauſa cadere cogatur: ſed probans poſſeſſionem, aut quòd ea per alterum ſpoliatus fuerit, obtineat ſaltem in poſſeſſorio commodiſque ſeu privilegiis poſſeſſionis gaudere mereatur, donec alius probaverit dominium ſeu proprietatem rei.

301 Exemplum hujus habetur *in cap. Significaverunt 36. de Teſtib.* ubi Moniales quædam, ſuper cauſa proprietatis minùs cautè priùs litem ingreſſæ, poſtmodum cognita difficultate probandi proprietatem, ſuſpenſo petitorio (ſive hoc interim dilatio, donec poſſeſſorium fuit terminatum) intentarunt poſſeſſorium judicium: allegantes, & probantes, quòd illæ perſonæ quibus Moniales illæ ſucceſſerunt, ex poſſeſſione Prioratus tunc litigioſi violentes ejectæ fuerint.

302 Exemplum aliud poni poteſt in hærede: nam ſi hæres inſtitutus primò intentaverit petitionem hæreditatis ex teſtamento, ſed in progreſſu patiatur difficultates in probanda validitate ipſius teſtamenti: poteſt regredi ad poſſeſſorium, atque intentare Interdictum adipiſcendæ, petendo, ut immittatur in poſſeſſionem dictæ hæreditatis, *arg. c. Paſtoralis h. t.* ibi: *Seu adipiſcenda poſſeſſione &c.* Nam hac ratione, atque obtenta immiſſione in hæreditatem, onus probandi invaliditatem talis teſtamenti rejicietur in adverſarium, volentem ſuccedere ab inteſtato; & hæres inſtitutus non tenebitur probare validitatem illius.

303 Nec dicas. Actor poſt litem conteſtatam non poteſt mutare libellum, *l. Non poteſt 23. ff. de Judiciis*, eſtque jam dictum ſuprà *Tit. 3. de Libelli oblatione §. 1. n. 29.* ergo neque regredi ad poſſeſſorium intentato jam judicio petitorio. Reſp enim neg. conſequent. Siquidem in tali caſu libellus re ipſa non mutatur, ſed duntaxat emendatur ei aliquid ſuperaddendo, nempe poſſeſſorium, ſuſpenſo interim petitorio, quouſque conſtet de poſſeſſione: ita ut, ſi Actor poſt illum regreſſum ſuccumbat in poſſeſſorio, poſſit reverti ad petitorium. Gloſſa *in d. c. Paſtoralis. V. Pendente h. t.* Si igitur obtineat Actor in poſſeſſorio, tunc Judex præcipiat rem, cujus poſſeſſione ſpoliatus fuerat, eidem reſtitui; vel ipſum



ipſum in poſſeſſionem, ſi hanc anteà nunquam habuit, immitti, donec Reus probaverit ejus proprietatem ſibi competere, *arg. cit. c. Significaverunt de Teſtib.* ac notat Abbas *in d. c. Paſtoralis num. 32. h. t.*

304 Nec ulteriùs dicas. Talis regreſſus à petitorio ad poſſeſſorium ad nihil aliud deſervit, niſi ad tergiverſandum, & malitioſè procraſtinandum lites: atqui hoc eſt prohibitum, *auth. de Litigioſis §. Omnium Collat. 8.* Probatur ſequel. Siquidem ſententia lata in petitorio, abſorbet totum jus in poſſeſſorio, *c. Cùm Eccleſia 3. & c. Cùm ſuper 4. & c. Cùm dilectus 6. h. t* ergo. Reſp. neg. ſequel. Quinimò talis regreſſus multum prodeſſe poteſt Actori: hic enim alio quin, ſi poſt intentatum petitorium deficeret in probatione proprietatis, quæ eſt difficillimæ probationis, perderet totam cauſam: nam Actore non probante, Reus exiſtens in poſſeſſione, etſi nihil ipſe præſtiterit, obtinebit, atque ab Actoris impetitione abſolvetur, *c. Cùm Eccleſia §. fin. h. t.* cum concordantiis. Secùs verò eſt, quando Actor à petitorio regreſſus fuit ad judicium poſſeſſorium: nam ſi obtinuerit in iſto, rejiciet onus probandi proprietatem in adverſarium, ipſeque gaudebit omnibus privilegiis ſeu commodis poſſeſſionis, ut jam ſuperiùs dictum. Ad probationem ſequelæ rurſus negatur conſequentia: quia, ut patet ex proximè dictis *num. 292. & ſeqq.* ſententia lata in petitorio abſorbet quidem ſententiam in poſſeſſorio quoad effectum primarium, ſeu quatenus illa prævalet in executione: non verò quoad effectus iſtius ſecundarios, & minùs principales; ob quorum unum & *n. 298. & 300.* declaratum, inſtituitur regreſſus ille à petitorio ad poſſeſſorium, non verò in ordine ad procraſtinandam litem.

305 Additur notanter n. 299. *Dummodò id fiat ante factam concluſionem in cauſa.* Nam poſtquam concluſum fuit in cauſa, & partes ulterioribus allegationibus atque probationibus renunciaverunt, cauſamque cognitioni & deciſioni Judicis ſubmiſerunt; non ampliùs permiſſum eſt Actori, ab intentato petitorio regredi ad poſſeſſorium, ſed expectanda eſt ſententia: niſi Judex hoc ipſum ex juſta cauſa viderit expedire, prout habetur expreſſum *in cit. c Paſtoralis. §. Si verò h. t.* Et meritò: tum ne lites ex litibus oriantur; & via aperiatur fraudibus malitioſorum, hac occaſione poſt ſatis jam agitatum petitorium eludendi Judicem, ejuſque ſententiam illico proferendam retardandi per regreſſum ad poſſeſſorium. Tum etiam, quia per concluſionem in cauſa ligantur manus, & clauditur os partibus litigantibus. Jaſon *in Relect. l. Admonendi n. 62. ff. de jurejurand.* Gailus *l. 1. Practic. Obſervat. 107. n. 5. & ſeqq.* citans alios.

306 Secùs eſt dicendum reſpectu Judicis. Siquidem officium Judicis, utpote qui cuncta debet rimari, antequam ferat ſententiam, viget uniformiter uſque ad prolationem ſententiæ incluſivè: ac proinde per concluſionem in cauſa ligantur quidem manus partium, non tamen Judicis, *c. Cùm Joannes 10. de Fide inſtrument. & Clem. Sæpe contingit* juncta Gloſſa *V. Interrogabit de Verb. ſignif.* Ubi dicitur, quòd Judex poſſit interrogare partes, *ſive ad earum inſtantiam, ſive ex officio, ubicunque hoc æquitas ſuadebit*: & conſequenter etiam poſt concluſionem in cauſa, uti notat Jaſon, & Gallus *ubi ſup.* cum aliis.

307 Et hinc; ſi Judex æquitate ſuadente ita expedire viderit, poteſt etiam poſt factum à partibus concluſionem in cauſa permittere Actori, quòd ab intentato petitorio regredi valeat ad judicium poſſeſſorium: ut putà, ſi ex apertis indiciis appareat iniquitas invaſoris, factæque per ipſum ſpoliationis: aut quòd ſpoliato ſive per malitiam ſpoliatoris, ſive caſu fortuito, ſubtracta fuerit facultas probandi ipſam rei proprietatem: vel ſi alia gravis interveniat cauſa, quæ juſtè moveat animum Judicis ad concedendum ejuſmodi regreſſum, etiam poſtquam concluſum fuit in cauſa; prout expreſſum habetur in ſæpè dicto *c. Paſtoralis §. fin. h. t.*

308 Quæritur III. Utrùm regreſſus à judicio petitorio ad poſſeſſorium, etiam locum habeat in cauſis Beneficialibus; Reſp. affirmativè, per textum ſatis apertum *in Clem. un. h. t.* Ubi Clemens V. in Concilio Generali Viennenſi ita ſtatuit: *Cauſa Beneficiali per appellationem ad Sedem Apoſtolicam legitimè devoluta, tam appellanti, quam appellato licere decernimus nedum petitorium, ſed & poſſeſſorium intentare. Et in ſpoliantis odium ante cauſæ concluſionem ſuſpendere petitorium à ſe & ab adverſario intentatum, in ſolo poſſeſſorio procedendo.* Hæc ibi. Et meritò: ut ſic malitiæ ſpoliantium, ſeu dejicientium alios à poſſeſſione ſuorum Beneficiorum meliùs præcaveatur, in quorum odium proinde ſic ſtatutum fuit.

309 Dices. Judex appellationis non poteſt cognoſcere, niſi ſuper ea cauſa, à qua fuit appellatum, *Clem. Appellanti 5. de Appellat. & l. Eos qui § 1. C. eod.* Atqui ſolùm à cauſa in petitorio (uti ſupponitur) fuit appellatum; ergo. Reſp. Majorem procedere regulariter; fallere tamen, ſeu pati exceptionem in cauſis Beneficialibus ad Sedem Apoſtolicam per appellationem devolutis juxta *cit. Clem. un. h. t.* Etenim, quia in iſtis majus vertitur periculum, ne Eccleſiæ diutiùs maneant legitimo Rectore deſtitutæ; ſimulque, quia Papa eſt generalis Ordinarius, & habet concurrentem cum omnibus Ordinariis poteſtatem: meritò Pontifex cum Concilio permiſit, ut in deteſtationem factæ ſpoliationis, ac in cauſa Beneficiali per appellationem ad Sedem Apoſtolicam devoluta, liceat dicto modo tranſire à petitorio ad poſſeſſorium, atque etiam invita altera parte hoc ſolo procedere.

310 Additur notanter, Majorem illam *pati exceptionem in cauſis Beneficialibus ad Sedem Apoſtolicam per appellationem devolutis.* Quia, cùm Major illa regulariter procedat, per Jura allegata, ſimulque non cenſeatur plus de priori lege eſſe mutatum, quàm eſt expreſſum in poſteriori, ut *l. Præcipimus C. de Appellat.* cum ſimilibus: hinc diſpoſitionem *cit. Clem. un. h. t.* habere duntaxat locum in cauſis Beneficialibus per appellationem ad Sedem Apoſtolicam devolutis, ac proinde non procedere, quando fuit appellatum ad Inferiores; tenet Gloſſa *in cit. Clem. un. V. Ad Sedem Apoſtolicam*, & Abbas *ibid. n. 2.* & Imola *§. Gloſſa ad Sedem h. t.* contra quoſdam alios.

311 Inſuper dictam Clementinæ deciſionem non eſſe communem aliis cauſis præter Beneficiales, notavit Gloſſa *in d. Clem. un. h. t. in Caſu ac V. Beneficiali*, & Covarruvias *lib. 1. Var. Reſolut. cap. 16. n. 13.* allegans communiorem aliorum, contra Jaſonem *in l. Naturaliter §. Nihil commune n. 137. ff. de Acquir. poſſeſſ.* & quoſdam alios, qui volunt, etiam in aliis cauſis facta appellatione poſſe ſpoliatum tranſire ad poſſeſſorium, quamvis in prima inſtantia ſolùm petitorium fuerit agitatum. Sed quia non cenſetur plus de priori lege mutatum, quam eſt expreſſum in poſteriori, ut dictum: ſimulque Judex *ad quem* appellationis regulariter, & niſi alicubi habetur ſpecialis exceptio, ſolùm habet judicare, utrum appellatio fuerit juſta vel injuſta, *cit. l. Eos qui C. de Appellat.* ac poſtmodùm pronunciare, *Bene appellatum, male judicatum*, vel è contra: hinc prior ſententia meritò eſt retinenda, cùm dicta Clementina de ſolis cauſis Beneficialibus mentionem fecerit.

312 Urgebis contra datam Concluſionem: Regreſſus à petitorio ad poſſeſſorium nequit ampliùs fieri poſt concluſionem in cauſa, *c. Paſtoralis h. t.* ergo ipſe non videtur poſſe habere locum in cauſa appellationis, utpote quam concluſio in cauſa jam præceſſit. Reſp. neg. ſeq. Siquidem appellatio legitimè interpoſita non ſolùm ſuſpendit ſententiam Judicis, ſed etiam effectum concluſionis in cauſa, quæ facta eſt in priori inſtantia. Imola *ad cit. Clem. un. h. t. circa principium.* Unde ſicut in judicio appellationis pars litigans, credens, ſe priùs minùs benè allegaſſe ſeu probaſſe poteſt novis probationibus & allegationibus uti: haud obſtante priori concluſione in cauſa principali, dummodò hoc fiat ante concluſionem in cauſa appellationis: ita etiam ante hanc concluſionem poteſt quis à petitorio interim ſuſpenſo, redire ad poſſeſſorium. Et hoc intellige non ſolùm de prima, ſed etiam de ſecunda inſtantia appellationis. Barboſa *ad cit. Clem. un. n. 2. h. t.* Pirhing *eod. n. 42.*

# TITULUS XIII.

## De Reſtitutione Spoliatorum.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*

1 QUia Titulo precedenti tractatum fuit de cauſa poſſeſſionis in genere, meritò ſubjungitur præſens Titulus: Tum quia cauſa reſtitutionis etiam eſt poſſeſſoria: tum præſertim, quia neceſſe eſt, ut cognita natura poſſeſſionis ut ſic, etiam pateat remedium eandem vi ablatam denuo recuperandi. Et hoc fit per Interdictum *Unde vi*; ac per alia Remedia recuperandæ poſſeſſionis: de quibus cùm ſpeciales occurrant difficultates, rectè ſub proprio Titulo pertractantur, quem majoris claritatis gratia expedit dividere in paragraphos.

### §. I.

### De Remediis Spoliatorum in genere ac Interdicto *Unde vi* in ſpecie.

*SUMMARIUM.*

2 *Remedia ſpoliatorum, quot?*
3 *Eorum præcipua enumerantur. Et n. ſeqq.*
4 *Remedium ſpoliatorum ex Condictione Triticaria.*
5 *Et ex Conditione incerti.*
6 *Et ex Condictione indebiti, declaratur.*
7 *Interdictum* Unde vi, *quale?*
8 *Datur ad duo; & quæ?*
9 *Et ad quantum tempus de Jure Civili.*
10 *Et Canonico?*
11 *Interdictum* Unde vi *ſolùm competit ſpoliato ſua poſſeſſione.*
12 *Et quidem rei immobilis.*
13 *Dummodò tempore ſpoliationis poſſederit.*
14 *Et verè poſſederit.*
15 *Colono, Inquilino, vel Procuratore è poſſeſſione rei immobilis Domini ſui vi dejecto, Interdictum* Unde vi *competit Domino, non Colono &c.*
16 *Dummodò non fuerit Conductor ad longum tempus, Emphyteuta, Vaſallus, Uſufructuarius &c. Et cur?*
17 *&* 18 *Solvuntur inſtantiæ.*
19 *Interdictum* Unde vi *competit adverſùs eum, qui dejecit, vel ſpoliari juſſit, aut ſpoliationem ratam habuit.*
20 *Et qui clàm ordinavit dejectionem, aut ejus Familia vi alterum poſſeſſione ſua dejecit.*
21 *Et qualiter hoc poſtremum procedat?*
22 *An contra tertium poſſeſſorem; qui rem ſpolio ablatam ſcienter recepit, detur Interdictum* Unde vi? *Et num. ſeqq.*
*Refertur fundamentum ſententiæ affirmativæ. Ib.*
23 *Sententia probatur.*
24 *Solvitur fundamentum prioris ſententiæ.*

2 QUæritur I. Quot generatim ſint Remedia Spoliatorum, & quæ? Reſp. I. Circa numerum Remediorum, quæ ſpoliatis à Jure ſunt conceſſa ad recuperandam poſſeſſionem rerum ſibi ablatarum, variant Authores, dum alii plura, alii pauciora enumerant. Siquidem Speculator *tit. De Reſtitut. Spoliat.* atque Card. Tuſchus *Litt. S. Concl.* 384. & Lapus *allegat.* 52. ſolùm octo enumerant Remedia ſpoliatis conceſſa ad recuperandam poſſeſſionem amiſſam. E contrà verò Jacobus Menochius *in Commentariis de Adipiſcenda, retinenda, & recuperanda poſſeſſione*, ſeptendecim recenſet hujuſmodi Remedia: & Robert. Maranta *in Speculo Aureo* (*alias Tractatus de ordine Judiciorum* nuncupato) *part. 4. diſt. 7. n. 29. & ſeqq.* ex Jure Communi refert viginti talia Remedia; quibus addit duo alia locum habentia ex Conſtitutione Regni ſui.

3 Reſp. II. Hujuſmodi Remedia recuperandæ poſſeſſionis, ſpoliatis à Jure conceſſa; potiſſimùm ſunt ſequentia. I. Interdictum *Unde vi*. II. Condictio ex *c. Sæpè de Reſtitut. ſpoliat.* III. Condictio ex *can. Redintegranda 3. q. 1.* IV. Condictio ex *l. Si quis in tantum, C. Unde vi.* V. Condictio ex *l. Extat ff. Quod metus cauſa &c.* VI. Condictio *l. Invaſor C. Unde vi.* VII. Condictio ex *l. Cùm quærebatur*, ſeu ex *L. ult. C. Unde vi.* VIII. Remedio ex Officio judicis: Et iſta octo Remedia non ſolum referunt Speculator, & Card. Tuſchus, *ubi ſuprà*, ſed etiam Menochius, ordine tamen diverſo: de quibus velut principalioribus, in progreſſu ſingillatim dicetur.

IX. Remedium à Menochio, Maranta, & aliis ſuperadditum, habetur ex *Condictione Triticaria* (ſic dicta à Triticio authore ſuo, ut notat Gloſſa *ad Rubric. Tit. ff. de Condict. Triticar.*) quæ locum habet pro omni re ſive mobili, ſive immobili, quam quis verè poſſedit, atque ejus poſſeſſione privatus fuit, excepta duntaxat pecunia numerata (*L. 1. & 2. ff. de Condict. Triticar.* Unde hæc Condictio concurrit cum Interdicto *Unde vi*. Maranta *loc. cit. num.* 39. Niſi, quòd utilis ſit ad recuperandam etiam rerum mobilium (dempta pecunia) poſſeſſionem, ad quam non concedebatur Interdictum *Unde vi*. Menochius *Remed. 3. de Recuperand poſſeſſ. n. 1.* 4

X. Remedium ſpoliatorum datur *ex Condictione incerti* quæ competit ei, qui licèt non ſit dominus, habet tamen jus in re ſpoliata, ac proinde ipſius intereſt rem illam ſalvam eſſe: ut quia ipſe eſt creditor, habetque rem illam pignoris loco ſibi obligatam, & fuit ſpoliatus poſſeſſione ejus. Cùm enim talis non ſit dominus, habeat tamen jus aliquod in re, in locum Condictionis furtivæ, quæ datur ſoli domino, competit ipſi Condictio incerti ad recuperandam ejus poſſeſſionem. Textus eſt *in l. Et ideò. §. Neratius ff. de Condict. furti*, juncta Gloſſa *ibid. verſ. Incertis*, & Bartolo *in Summario*. Maranta *loc. cit. num.* 40. 5

XI. Remedium competit ex *Condictione indebiti*. Et hæc datur ei, qui per errorem ac indebitè ſolvit rem alienam, cujus ipſe fuerat poſſeſſor, ad recuperandam poſſeſſionem ejus, *l. Indebiti*, juncta Gloſſa *verſ. Ut vel ff. de Condict. indebit.* Menochius *loc. cit. Remed. 2. num. 1. & ſeqq.* Maranta *num.* 41. apud quos plura de cæteris Remediis recuperandæ poſſeſſionis: nam prædicta undecim ſunt principaliora. Nunc proſequendò per ordinem priora octo 6

Quæritur II. Quid ſit Interdictum *Unde vi*, & ad quid, & quamdiu detur? Reſp. I. Interdictum *Unde vi* (ſic dictum à primis verbis Prætoris, illud proponentis) *L. 1. §. 1 ff. de Vi, & vi armata* proponitur, ſequentibus verbis: *Prætor ait: Unde tu illum vi dejeciſti, aut familia tua dejecit: de eoque quod ille tunc ibi habuit, tantummodò intra annum: poſt annum verò de eo, quod ad eum, qui vi dejecit, pervenerit, judicium dabo.* Quamvis autem olim fuerit differentia inter vim armatam, & ſine armis (hoc eſt, an quis cum armis à ſua poſſeſſione fuerit dejectus, vel ſine armis) atque etiam nunc hodie quoad pænam non modica ſit differentia, & juxta atrocitatem violentiæ gravius plectatur vis armata: nihilominùs quoad poſſeſſionis reſtitutionem talis differentia hodie ſublata eſt, *arg. §. Recuperandæ. Inſtit. de Interdict.* ac notat Menochius *Remed. 1. De Recuperand poſſeſſ. num. 8.* & Pirhing *h. t. num. 1.* 7

Reſp. II. Interdictum *Unde vi* datur ad duo. Primò, ut ſpoliatus ante omnia reſtituatur in priſtinam poſſeſſionem: adeò, ut ſpoliator volens agere ſuper proprietate rei ablatæ, non ſit audiendus, niſi eam priùs reſtituerit, *cap. In litteris 5. h. t. & cap ſuper ſpoliatione 4. de Ordin. cognition.* & ampliùs declarabitur in progreſſu. Secundò, ut ſpoliatus reſtituatur ad totam cauſam: hoc eſt, non ſolùm in priſtinam poſſeſſionem (& quidem liberam, ut anteà, *arg. cap Piſanis 19. §. Porrò h. t.*) ſed etiam ad omne id, quòd ibi amiſit, licèt ad ſpoliatorem nihil pervenerit, *text. clar. L. 1. §. 1. ff. de Vi & vi armat.* Et quidem uſque ad obulum, ſive ultimum quadrantem, tam quoad rem ipſam, quam quoad fructus, damna & intereſſe. Barboſa *c. 1. n. 4 h. t.* poſt Rotam *Dec. 334. p. 3. diverſ.* & alios; atque ampliùs infrà *§. 5. à n. 117. uſque ad n. 121.* dicetur. Et hoc meritò ſtatutum fuit: partim in odium ſpoliantis, *Clem. un. de cauſa poſſeſ. & propriet.* Partim, quia Interdictum *unde vi* atrocitatem facinoris in ſe continet, *d. L. 1. §. Interdictum hoc ff. de Vi & vi armat.* Partim verò, & quidem præcipuè, quia æquitas naturalis idipſum poſtulat. 8



9 Reſp. III. Interdictum *unde vi* quoad perſecutionem damnorum per ſpoliatorem illatorum, ex quibus ad ſpoliatorem nihil pervenit, ſpectato Jure Civili datur ſolummodo intra annum (utilem tamen, *de L. 1. §. Annus ff. de Vi & vi armat.*) poſt annum autem datur tantum de eo: quod ad ipſum, qui vi dejecit, pervenerat. Textus eſt *in cit. L. 1. §. 1. ff. eod.* ac ſuprà *n. 7.* jam allegatus, juncta *l. ubi pulſos C. unde vi*. Sed hoc intellige agendo, nam excipiendo Interdictum *unde vi* eſt perpetuum, *arg. leg. purè §. fin. ff. de Doli mali except.* & notat Gloſſa *in d. L. ubi pulſos V. Annus*. Maranta *p. 4. Speculi Aurei diſt. 7. nu. 32.* Mynſinger *§. Summa autem n. 16. Inſt. de Interdict.* & alii.

10 Additur notanter, *ſpectato Jure Civili*. Nam quod de Jure Canonico Interdictum *unde vi* ſit perpetuum tam ad excipiendum, quàm ad agendum de damnis illatis; licet ad ſpoliatorem nihil devenerit; clarè deſumitur *ex can. redintegranda 3. q. 1.* & paſſim obſervant Doctores, quos ſequitur Mynſinger *loc. cit.* Exiſtimarunt etenim SS. Canones, tam immane facinus uno anno non rectè concludi: ſimulque completam redintegrationem omnium damnorum per ſpoliatorem injuſtè illatorum, quamvis inde ad ſpoliantem nihil pervenerit, poſtulat æquitas naturalis, ac virtus Juſtitiæ; haud obſtante ullo lapſu temporis, dummodo ſubſit poſſibilitas reſarciendi: prout idem contingit in aliis, proximum ſuum injuſtè damnificantibus.

11 Quæritur III. Quibus competat Interdictum *unde vi*? Reſp. Interdictum iſtud nulli competit, niſi ei, qui vi dejectus, ſive ſpoliatus fuit poſſeſſione rei immobilis. Patet hoc ex *d. L. 1. §. Dejicitur, & §. Interdictum autem hoc ff. de Vi & vi armat.* cum ſimilibus. Sufficit tamen, ſive quis poſſideat naturaliter, ſive civiliter tantùm: nam quacunque poſſeſſione quis detineat rem immobilem, ſeu fundo adhærentem, ſi tali poſſeſſione fuerit ſpoliatus datur ei iſtud Interdictum *unde vi*, dummodò rem illam verè poſſederit tempore illo, quo fuit dejectus.

12 Additur notanter, *poſſeſſione rei immobilis*. Nam de rebus mobilibus, utpote quarum poſſeſſio vilis eſt & abjecta, non competit Interdictum *unde vi*: ſed, quando aliquem his ſpoliari contingit, tunc furti, aut bonorum raptorum actio competit: poteſt tunc etiam ad exhibendum agi; prout habetur expreſſum *in d. L. 1. §. Illud utique ff. eod.* eſtque uberius dictum *tit. prec. §. 3. n. 98. & ſeqq.* Ubi tamen rectè ſubjungitur, quod quidem de rebus mobilibus non competat Interdictum *unde vi* principaliter; poſſit tamen de iſtis dari ſaltem ſecundario & acceſſoriè, quando nimirum res mobiles exiſtunt in re immobili, *l. idem eſt §. pertinet ff. de Vi & vi armat.*

13 Additur ulteriùs *dummodo verè poſſederit tempore illo, quo fuit dejectus*. Quia Interdictum *unde vi* ſolummodò illi competit, qui tempore ſpoliationis poſſedit, *cit. L. 1. §. Interdictum autem hoc ff. eod.* Unde non ſufficit quempiam probare, olim ſe poſſediſſe, niſi probet præciſè, etiam tempore ſpolii ſeſe poſſediſſe. Maranta *cit. par 4. Speculi Aurei, diſt. 7. n. 18.* Quamquam in dubio is qui olim poſſedit, etiam hodie poſſidere præſumatur, *c. Licet cauſam 9. §. Ex præmiſſis de probation. & l. Sive poſſidetis C. eod.* eò quod nemo præſumatur ſuum jactaſſe, *l. cum indebito ff. de probation.* ac latè tradit Maſcardus *Concluſion. 1212. num. 1. & ſeqq.* eſtque ampliùs dictum ſuprà *Titul. præced. num. 225. 227. & 228.*

14 Et dicitur, *verè poſſederit*. Nam ſi quis ſolummodò rem detineat, aut ſi tantùm in poſſeſſione, v. g. cuſtodiæ cauſa, reverà aut non poſſideat, & poſt modùm inde vi expellatur; etiam huic non competit Interdictum *unde vi*. Siquidem hoc Interdictum non datur, niſi poſſidenti dejecto, *cit. L. 1. §. Hoc Interdictum & §. Interdictum autem ff. de Vi & vi armat.* Tales autem non poſſident, ſed tantùm detinent. Speculator *tit. de primo Decreto §. Jam de effectu n. 14. cit. diſt. 7. n. 38.* & alii: qui tamen rectè notant, talibus poſſe ſubveniri per alia remedia recuperandæ poſſeſſionis, de quibus infrà *§. ſeqq.*



Reſp. II. Quando colonus fundo, Inquilinus domo, aut Procurator è poſſeſſione rei immobilis Domini ſui vi dejectus eſt: tunc Interdictum *unde vi* non iſtis, ſed Domino principali competit. Ita communis; & habetur expreſſum *d. L. 1. §. Dejicitur & §. quod ſervus ff. de Vi & vi armat.* In quo poſteriori loco ſic dicitur: *Quod ſervus, vel procurator, vel colonus tenent, dominus videtur poſſidere: ideò his dejectis, ipſe ejici de poſſeſſione videtur.* Accedit ratio: quia illi rem tantummodò detinent, non autem poſſident ſed quod illi tenent, Dominus poſſidere videtur (nam is poſſidet, cujus nomine poſſidetur, *can. cum veniſſent 9. §. fin h. t. & l. Quod meo 18. §. 1. de Acquir. poſſeſ.*) ac proinde illis dejectis, ipſemet Dominus de poſſeſſione dejici cenſetur, cui proin competit iſtud Interdictum *unde vi*, non illis, per Jura jam allegata. 15

Intellige, dummodò talis non fuerit Conductor fundi, ſive domus ad longum tempus, putà ad decennium; nec Emphyteuta, Vaſallus, Uſufructuarius vel Uſuarius. Siquidem Uſufructuario, imò & Uſuario, ſi ſpoliati fuerint, competit Interdictum *unde vi*: ex quacunque enim cauſa conſtitutus eſt uſufructus, vel uſus, hoc Interdictum locum habebit, *L. 3. §. unde vi, §. uti frui ff. de Vi & vi armat.* ac notat Jaſon *in l. Naturaliter num. 15. ff. de Acquir. poſſeſ.* Menochius *de recuperanda poſſeſſione, Remed. 1 num. 68. & ſeqq.* citans alios. Ratio eſt: quia tales habent dominium utile fundi; ac proinde; cum ſint in quaſi poſſeſſione juris utendi vel fruendi, ſive dominii utilis, *cit. l. Naturaliter §. 1. ff. de Acquir. poſſeſ.* rectè ipſis, quando ex tali poſſeſſione juris, ſeu dominii utilis dejecti fuerunt, datur interdictum *unde vi*. Idem dicendum de Conductore rei immobilis ad longum tempus, ut putà ad decennium: ſiquidem locatio ad longum tempus, eſt quædam alienatio dominii utilis, *can. Nulli de Rebus Eccleſiaſticis non alienand.* cum concordantiis; ac proinde poſſeſſio dicti dominii utilis, eſt penes ejuſmodi Conductorem: unde hic ſuper tali jure poterit agere tam poſſeſſorio, quam petitorio judicio, & quidem ſuo nomine. Menochius *d. num. 68.* Pirhing. *h. t. n. 4.* aliique. 16

Dices. Etiam mero Inquilino, vel Colono, quamvis non conduxerit rem ad longum tempus, ſi ſpolietur à tertio, competit iſtud Interdictum *unde vi*; ergo. Antecedens probatur *ex l. Colonus & l. cum fundum ff. de Vi & vi armat.* Reſp. nego anteced. per Jura in Concluſione allegata. Ad ejus probationem, atque ad *l. Colonus & l. Cum fundum ff. de Vi & vi armat.* dicitur, ibi ſermonem eſſe Colono, qui prius intervertit poſſeſſionem; & non ampliùs Domino, ſed ſibi poſſidere cæpit: nam, ſi talis poſt poſſeſſionem domini interverſam ſpolietur à tertio, tunc contra tertium iſtum dejicientem datur tali Colono Interdictum *unde vi*, non domino; quamvis dominus poſteà habet regreſſum, atque Interdictum iſtud contra Colonum, qui ſe anteà dejecit, ſuamque poſſeſſionem intervenit. Gloſſa *in d. L. 1. §. Dejicitur V. Si Colonus ff. eod.* Menochius *cit. remed. 1. de recuperand. poſſeſſ. num. 66.* citans alios Pirhing. *h. t n. 3.* 17

Nec dicas. Si Uſufructuario, vel Conductori ad longum tempus, competit Interdictum *unde vi*, cur non idem dicendum de Colono, vel Conductore ad breve tempus? cum etiam talis vi locationis cenſeatur acquiſiviſſe jus utendi, fruendi, iſtudque jus poſſidere. Reſp. diſparitatem eſſe: quia ibi intervenit vera alienatio dominii utilis, iſtudque ſuo nomine poſſidet uſufructuarius, vel Conductor ad longum tempus. Secùs dicendum in Colono, vel Conductore ad breve tempus: nam per locationem fit ſolùm conceſſio rei ad uſum certa mercede interveniente, non autem transfertur dominium utile: & hinc Colonus, ſeu Conductor hujuſmodi ſolummodò rem detinet, nempe ad uſum, non autem poſſidet: Dominus enim eſt, qui poſſidet per Jura *n. 15.* allegata, cui proinde ſoli facta ſpoliatione competit Interdictum *unde vi*. Poterit tamen Colonus ſpoliatus tunc alio remedio ſibi conſulere, ac præſertim officio Judicis. Menochius *cit. rem. 1. de recup poſſeſ. n. 62.* & ampliùs patebit ex dicendis *§. ſeq. per totum*. 18

I Quæ-

19 Quæritur IV. Contra quem competat ſpoliatis Interdictum *unde vi*? Reſp. I. Interdictum iſtud competit adverſus eum, qui alterum poſſeſſione ſua vi dejecit, ſeu ſpoliavit, *L. 1. §. 1. ff. de Vi & vi armat.* Deinde adverſus eum qui mandavit, vel juſſit, ut aliquis dejiceretur, dummodo effectus fuerit ſecutus: ſiquidem parum refert, ſuis manibus quis dejiciat, an per alium, *d. L. 1. §. Dejeciſſe.* Item adverſus eum, qui dejectionem, ſive ſpoliationem ſuo nomine factam, ratam habuit: nam ratihabitio in maleficiis comparatur mandato, *d. L. 1. §. Sed & ſi ff. eod.* Concordat *c. cum ad ſedem 15. §. fin. h. tit.* ubi Pontifex negat Interdictum *unde vi* in caſu illius Decretalis locum habuiſſe, eò quod reus nec ſpoliaverit, nec ſpoliari mandaverit, nec ſpoliationem ratam habuerit: & conſequenter, argumento à ſenſu contrario deſumpto, quodlibet horum ad illud ſuffeciſſet, ac ſufficit.

20 Reſp. II. Interdictum *unde vi* datur etiam contra eum, qui clam fecit, ſive ordinavit dejectionem alterius à ſua poſſeſſione, *l. Si vi me dejeceris ff. de Vi & vi armat & l. competit. §. fin. ff. Quod vi aut clàm.* Item contra eum, qui fraudulenter perſuaſit, ſive dolo malo fecit, quod quis armis dejiceretur, *l. Idem eſt 3. §. Hoc interdictum etiam ff. de Vi & vi armata.* Et meritò: quia talis re ipſa non differt à mandante, vel conſulente dejectionem. Competit inſuper adverſùs eum, cujus Familia vi dejecit, licet ipſe dominus non juſſerit, *text. clar. L. 1. §. 1. & §. quod ergo ff. eod.*

21 Solùm hic notandum eſt, quod in iſto poſteriori caſu Dominus, qui non juſſit, nec ratam habuit dejectionem (nam ſi unum horum interveniſſet, ipſemet dejeciſſe cenſeretur, juxta dicta *nu. 19.*) non teneatur reſtituere omne id, quod ſpoliatus ibi habuit, & amiſit: ſed ſufficiat præſtare factum ſuorum ſervorum, qui dejecerunt; nimirum reſtituendo id, quod ad ipſum dominum pervenit; aut ſi nihil pervenit ad eum, ſervos maleficii cauſa noxæ dedendo: nam hoc facto dominus erit immunis, nec amplius gravari poterit; prout habetur deciſum *in cit. L. 1. §. quod ergo.* juncta Gloſſa *ibid. V. erit. ff. de Vi & vi armat.*

22 Quæritur V. An contra tertium poſſeſſorem: qui rem à ſpoliatore invaſam ſcienter recipit, competat Interdictum *unde vi*? Gloſſa *in c. cum ad ſedem V. Interdictum. h. t.* videtur affirmare, id probans ex *c. ſæpè 18. eod.* idemque tenuit Goffredus, ut refert Abbas *in c. c. Sæpè n. 8.* ac ſequitur Barboſa *in Collectan. ad c. Sæpè n. 2. h. t.* citans alios pro hac ſententia. Et ratio eſſe poteſt: quia *in d. c. Sæpè h. t.* Pontifex cum Concilio Generali ſancivit, quòd *contra poſſeſſorem* illum, qui ſcienter rem invaſam à ſpoliatore recepit, *ſpoliator per reſtitutionis beneficium ſuccurratur.* Atqui per iſtud reſtitutionis beneficium intelligitur Interdictum *unde vi*; nam de hoc ibidem eſt ſermo, ut patet ex contextu, ac præſertim ex verbis illis præcedentibus: *Non obſtante Juris Civilis rigore*; ergo. His tamen non obſtantibus.

23 Reſp. breviter. Interdictum *unde vi* non datur contra tertium poſſeſſorem, qui rem à ſpoliatore invaſam, ſcienter recepit; ſed contra ipſum ſubvenitur ſpoliato per aliud remedium (infra *n. 27. & ſeqq.* declarandum) quod appellatur *Condictio ex c. Sæpè h. t.* Ita Abbas *in c. c. Sæpè n. 8.* & Jo. Andreas *ib. n. 5. h. t.* aſſerens, quod quidquid alii dicant, ſpoliatus ſuccumberet, etiam ſecundum Canones ſi proponeret Interdictum *unde vi.* Alexander *Conſ. 94. nu. 12. & 15. vol. 5.* Zoeſius *h. t. n. 4.* Pirhing. *eod. n. 104.* Maranta *p. 4. Speculi Aurei, diſt. 7. n. 36.* citans alios. Fundatur hæc ſententia *in l. Cùm ad te, ff. de Vi & vi armat.* ubi clare dicitur, quod in eum, qui non ſpoliavit, minimè intentetur Interdictum *unde vi*, illis verbis: *Cum à te vi dejectus ſim, ſi quis eandem poſſeſſionem poſſidere cœperit, non poſſum cum alio quàm tecum Interdicto experiri.* Quam Legem Bartolus ibidem appellat notabilem. Concordat *cap. Cùm ad Sedem §. fin. 15. h. t.* ubi Pontifex ex eo, quod quis non ſpoliaverit, nec mandaverit ſpoliari; nec ſpoliationem ratam habuerit; pronunciat, in quæſtione illa Interdictum *unde vi* locum non habere. Atqui in illo, qui rem à dejectore ſeu ſpoliatore invaſam acquiſivit, etiam ſi eam ſcienter receperit, nullum horum trium intervenit, ergo nec contra eum poteſt intentari Interdictum *unde vi.*

Nec obſtat *cit. cap. Sæpè h. t.* Cùm enim expediat jura juribus concordare, & eorum correctiones, ſi fieri poteſt, evitare, *c. cum expediat 29. de Elect. in 6.* Hinc dicendum, quod Pontifex *in cit. c. Sæpè 18. h. t.* non intenderit, ſpoliatis contra tertium detentorem rei ſpoliatæ concedere Interdictum *unde vi*, (hoc enim pugnat contra *cit. l. cum à te ff. de Vi & vi armat.* imo & contra *d. c. cum Sedem h. t.*) ſed quia non multum intereſt quoad periculum animæ, injuſtè detinere, ac alienum invadere, ſolummodò voluit Papa providere de novo remedio recuperandæ poſſeſſionis, quod appellant *Condictionem ex c. Sæpè de reſtit. ſpoliat.* de quo mox plura. Nam hoc ipſum ſatis denotat ly *Sancimus* (hoc eſt de novo conſtituimus) quo utitur Pontifex cum Concilio generali *in cit. c. Sæpè h. t.* ac notat Abbas *ib. num 8.* eò præſertim, quia per tale remedium & ſufficienter providetur ſpoliatis, & præcavetur periculo animæ tertii ſcienter rem ſpoliatam detinentis. Ac per hoc patet ad rationem prioris ſententiæ *n. 22.* allatam: negatur enim minor. 24

## §. II.

## Declarantur alia Remedia Spoliatorum in ſpecie.

*S U M M A R I U M.*

25 *Cætera remedia recuperandæ poſſeſſionis, non dicuntur Interdicta; & cur?*

26 *Condictio, & Condicere, quid?*
*Condictio ex Lege, quid? ib.*

27 *Condictio ex* c. Sæpè de Reſt. ſpoliat. *in quo conſiſtat?*

28 *Datur contra quemcunque tertium poſſeſſorem, qui rem invaſam ſcienter, & à quocunque, recepit.*

29 *Secùs, ſi ignoranter.*

30 *In dubio præſumitur ignorantia, niſi invaſio ſit notoria.*

31 *Condictio ex* can. Redintegranda 3. q. 1. *declaratur. Et num. ſeqq.*

32 *Extenditur ad quoſcunque Clericos.*

33 *An etiam competat Laicis pro recuperandis rebus profanis.*
*Proponitur ſententia negativa, una cum ſuis rationibus. Ibid.*

34 *Affirmativa ſententia eſt communis, ejuſque fundamentum.*

35 *Solvitur inſtantia.*

36 *Et reſpondetur ad rationes ſententiæ negativæ. Et nu. ſeqq.*

37 *Circa Remedium ſpoliatorum ex* can. Redintegranda 3. q. 1. *aderat diverſitas opinionum ſicque aliud certum ex* c. Sæpè h. t. *non ſuperfluit.*

38 *Condictio ex* l. Si quis in tantam C. Unde vi, *adverſus quem competat, quidque conferat?*
*Pœnæ hujus Legis locum duntaxat habent poſt ſententiam Judicis. Ib. Et n. 74.*

39 *Condictio ex* l. Extat ff. de iis, quæ vi metusve cauſa &c. *declaratur.*

40 *Condictio ex* l. Invaſor. C. unde vi, *explicatur.*

41 *Remedium iſtud poſſeſſorium habet duo ſpecialia; & quæ?*

42 *Condictio ex* L. ult. C. unde vi, *adverſus quem competat.*

43 *Et in quo differat à Condictione ex* l. Si quis in tantam C. Unde vi?

44 *Et à Condictione ex* l. Invaſor. C. Unde vi?

45 *Aliud remedium recuperandæ poſſeſſionis habetur ex Officio Judicis, eſtque extraordinarium.*

46 *Et quibus competat? Et n. præc. ac ſeqq.*

47 *Remedium extraordinarium non debet tribui habenti ordinarium, niſi illud ſit pinguius.*

Cum præter Interdictum *unde vi* dentur plura alia remedia Spoliatorum, ſeu recuperandæ poſſeſſionis, quæ ſuperiùs *n. 3.* jam ſunt enumerata: viſo de Interdicto *unde vi*, oportet alia quoque breviter declarare. Solum nota cum Maranta *p. 4. Speculi Aurei diſt. 7. n. 29.* citante Bartolum, Alexandrum, & alios *in Leg. Rem quæ nobis ff. de Acquir. poſſeſſ.* quod cætera ejuſmodi Remedia 25



recuperandæ poſſeſſionis, non dicantur Interdicta (*interdictum* enim eſt actio in factum Prætoria, hoc eſt, à Prætore inventa; eſtque unicum recuperandæ poſſeſſionis, nempe interdictum *unde vi.*) ſed appellentur *Condictiones ex lege.*

26 Cæterùm *Condictio* quantum ad propoſitum, aliud non eſt, quam actio in perſonam. *Condicere* enim idem eſt, ac rem ſuam in judicio petere perſonam pulſando, ſive inquietando, & ipſam dicendo ſibi obligatam eſſe ad aliquid dandum, vel faciendum: quod idem eſt ac per actionem perſonalem aliquid ab eo petere. Unde Condictio, ſicut & Vendicatio (Recentiores legunt *Vindicatio*) ad rei recuperationem pertinent; cum hoc tamen diſcrimine, quod Vendicatio ſit rei ſingularis atque actio in rem. Condictio autem ſit actio perſonalis, ſive actio in perſonam. Hinc *Condictio ex Lege* idem eſt, ac perſonalis actio, quæ ex Lege aliqua (iſtam exprimendo) cuipiam datur ad recuperandam rem, vel ejus poſſeſſionem. Et talis eſt multiplex; prout fuſiſſime declarat Menochius *in Commentariis de recuperanda poſſeſſione*; & Maranta *p. 4. Speculi Aurei diſt. 7. n. 39.* ac patet ex dictis *n. 3. & ſeqq.* ubi nonnullas Condictiones nunc declarandas retulimus. Igitur poſt interdictum *unde vi*

27 Secundum remedium ſpoliatorum, ſeu recuperandæ poſſeſſionis, habetur *Condictione ex c. Sæpè 18. de reſt. ſpol.* quod eſt valdè proficuum, & notabile. Si quidem antiquitus per Interdictum *unde vi* non ſatis conſulebatur ſpoliatis: quando enim res ſpoliata per ſpoliatorem in alium tranſlata fuit, ſive titulo venditionis, ſive donationis, aut alio hujuſmodi; tunc poſſeſſori dejecto, ſive ſpoliato non ſubveniebatur per Interdictum *unde vi*, utpote quod conformiter dictis *n. 23.* contra tertium poſſeſſorem non dabatur: ex quo ſæpè contingit, quod prior poſſeſſor amiſſo poſſeſſionis commodo, & poſtmodum deficiens in probatione juris proprietatis, quod eſt difficillimæ probationis, amiſerit totam cauſam, ipſamque rei proprietatem. Hiſce igitur incommodis præcavere volens Romanus Pontifex unà cum Concilio Generali (hoc eſt Lateranenſi, ſub Innocentio Tertio celebrato, ac in *d. cap. Sæpè 18. h. t.* relato) ſancivit, *Ut ſi quis de cætero ſcienter rem talem receperit, cùm ſpoliatori quaſi ſuccedat in vitium (eò quòd non multum interſit quoad periculum animæ, injuſtè detinere, ac invadere alienum) contra poſſeſſorem hujuſmodi, ſpoliato per reſtitutionis beneficium ſuccurratur.* Hæc ibi.

28 Ex quibus verbis liquet, quod ſpoliatus *Condictione d. c. Sæpè h. t.* agere poſſit contra quemcunque tertium poſſeſſorem, qui rem invaſam ſcienter (hoc eſt, ſciens, rem illam fuiſſe ab alio ſpoliatam) recepit: adeò, quod ipſe cogatur illicò rem ablatam reſtituere, quamvis ſpoliatus non probaverit ejus proprietatem, ſed duntaxat ſpoliationem. Et hoc procedit, etiamſi res ſpoliata per multas manus tranſierit: ut proinde, quicunque rem raptam, ſciens ipſam eſſe raptam, à quocunque receperit, teneatur hac Decretali, licèt res illa per mille manus tranſierit: adhuc enim urget ratio dictæ Decretalis, quia videlicet parum intereſt quoad periculum animæ, injuſtè detinere, ac alienum rapere. Innocentius *c. c. Sæpè* & Abbas *ib. n. 15. h. t.* Vallenſis *h. t. §. 2. n. 2. & 3.* Sannig. *eod. c. 3. n. 2. & ſeq.* & alii.

29 Additur verò in relata Decretali, *ſcienter.* Nam ſecus foret dicendum, quis ignoranter, ac bona fide, hujuſmodi rem ſpoliatam accepiſſet; ut notat Gloſſa *ad cit. c. Sæpè V. Scienter* & Abb *ib. n. 12. h. t.* Nam textus allatus aperte requirit ſcientiam: ſimulque ſe fundat in periculo animæ, ſive peccato recipientis, quod excluditur per bonam fidem, qua quis ignorans recepit alienum.

30 In dubio autem, an quis hoc ſciverit, præſumitur ignorantia; eò quod ſit factum alienum, circa quod *præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur*, juxta Reg. 47. Juris in 6. & DD. ibidem. Intellige, niſi invaſio notoriè facta fuerit: nam tunc præſumitur ſcientia, niſi probetur ignorantia, *arg. c. 1. de poſt. Prælat.* Idem dic, ſi recipiens ſpolium erat ſpoliatoris vicinus, *c. quoſdam & c. quanto de præſump.* aut niſi aliæ hujuſmodi conjecturæ concurrant. Abbas *in d. c. Sæpè n. 14 h. t.*

31 Tertium remedium recuperandæ poſſeſſionis, quod à Pragmaticis appellatur *remedium redintegrandæ*, habetur *Condictione ex can. redintegranda 3. q. 1.* ubi ſpoliatis, vel ejectis Epiſcopis, omnia ſive mobilia, ſive immobilia, in eodem loco, ubi ſibi erepta fuerunt, redintegrari, ſive reſtitui jubentur; & quidem ante accuſationem adeò ut ſpoliatus ante factam reſtitutionem omnium ſibi ablatorum accuſari non poſſit & accuſatus in Synodo ſpoliatoribus reſpondere non teneatur, antequam omnia ſibi fuerint reſtituta. Et hoc procedit *quacunque conditione temporis aut captivitate, aut dolo violentia majorum, aut per quaſcunque injuſtas cauſas, res Eccleſiæ, vel proprias, aut ſubſtantias ſuas perdidiſſe noſcuntur*; prout loquitur text. *In c. redintegranda 3. q. 1.*

Atque remedium iſtud, licèt ex profeſſo loquatur de expoliatis, & ejectis Epiſcopis; tamen ob paritatem rationis, favoremque Religionis communiter extenditur ad alios Clericos, qui vel ſuas, vel Eccleſiæ ſuæ res injuſtè perdidiſſe noſcuntur: & competit ipſis contra quemcunque talium rerum poſſeſſorem, ſive bona ſive mala fide poſſideat, & ſive ſcienter, ſive ignoranter, ſive cum vitio; ſive abſque vitio, ſive cum titulo, ſive ſine titulo res illa ad ipſum pervenerit. Unde remedium iſtud eſt pleniſſimum, & magis generale, atque utilius inter omnia remedia poſſeſſoria; ſimulque concurrit cum aliis remediis poſſeſſoriis. Alexander *conſ. 94. n. 22. vol. 5.* Maranta *p. 4. Speculi aurei, diſt. 7. n. 58.* Vallenſis *h. t. §. 3. nu. 1.* Sannig. *eod. c. 4. n. 1.* & alii. Ac procedit contra quemcunque poſſeſſorem etiam ignorantem, & non vitioſum. Abb. *c. cum ad ſedem n. 26. h. t.* poſt Innocentium *in ca querelam de elect.* Hoſtienſis *in Summa h. t. §. A quo peti poſſit num. 6. V. Sed conditio.* Bartol. *in l. rem quæ nobis §. quæro quia prædicta ff. de Acquir. poſſeſſ.* & alii. Verùm occaſione præmiſſorum 32

Quæritur I. An remedium *redintegrandæ* æquè competat Laicis pro recuperandis rebus profanis, ſicuti Clerici pro rebus Eccleſiaſticis? Reſp. In reſolutione hujus quæſtionis variare Doctores. Et quidem Gloſſa *in c. cum ad ſedem V. interdictum, h. t.* & Jo. Calderinus *ib* & nonnulli alii, apud Menochium *de recuperanda poſſeſſione, remed. 15. n. 16. & 17.* citati, partem negativam tenent. Ratio eorum eſt: quia *in cit. can. redintegrand. 3. qu. 1.* fit mentio duntaxat de Epiſcopis, veluti perſonis Eccleſiaſticis, & ſpecialiter privilegiatis; ſicque diſpoſitio illa non videtur extendenda ad Laicos: nam à ſermonis proprietate non eſt recedendum, niſi quando manifeſtum eſt aliud ſenſiſſe teſtatorem, ſeu Legiſlatorem, *l. Non aliter ff. de Legatis III.* Deinde, ſi remedium *can. redintegranda*, fuiſſet tam generale, ac etiam Laicis commune, ſuperflua fuiſſet memorata Decretalis *Sæpè h. t.* ubi Papa contra rigorem Juris Civilis induxit novum remedium poſſeſſorium: uti patet ex illis verbis, *Sancimus, ut ſi qui de cætero &c.* idque in odium ejus, qui ſcienter ſucceſſit in vitium ſpoliationis. Siquidem remedium *redintegrandæ*, ſi etiam ad Laicos extenderetur, hoc ipſum præſtaret; & quidem uberius, ac alterum *in c. c. Sæpè h. t.* noviter inductum, quod proinde ſuperfluum videretur. 33

Oppoſita nihilominùs, ſeu affirmativa ſententia, concedens dictum remedium non ſolùm pro rebus Clericorum, aut Eccleſiæ, ſed etiam pro rebus Laicorum, tum immobilibus, tum mobilibus, eſt communis aliorum, ac ſervatur in praxi. Ita Menochius *d. remed. 15. n. 13.* Alexander *Conſ. 94. n. 21. vol. 5.* Abbas *in c. cum ad ſedem n. 27. h. t.* Maranta *cit. p. 4. diſt. 7. n. 58.* & Jaſon *in l. rem quæ nobis n. 20. ff. de Acquir. poſſeſ.* allegans inſuper pro hac ſententia Bartolum, Lodovicum Romanum, & plures alios; idemque tenet Sannig. *h. t. c. 4. n. 2.* Vallenſis *eod. §. 3. n. 1.* addens, quod remedium iſtud, utpote pleniſſimum atque cæteris utilius, hodie ſit in frequentiſſimo uſu. Ratio eſt: quia Remedium *redintegrandæ* emanavit ad finem corrigendi peccata, ſeu ne quis ex re aliena injuſtè locupletetur cum alterius jactura; ergo, cum hæc ratio æquè militet in rebus Laicorum, idem erit jus de iſtis. Generaliter enim Jus Canonicum, ubi emanat ad finem corrigendi peccata, ſervandum eſt etiam in Foro Civili, *arg. cap. ultim. de præſcript. & cap. 2. de Jurejurand. & capit. penultim. & ultim. de ſecundis nuptiis*, cum ſimilibus. 34

Nec obſtat, quod hoc Remedium competat etiam adverſùs poſſidentem bona fide, & cum titulo; in quo tamen caſu ceſſat peccatum, ſicque ratio dicti Canonis. Non obſtat, inquam: quia, poſtquam reo convento con- 35

conſtiterit de mala fide authoris ſui, & quod per ipſum alius fuerit ſpoliatus poſſeſſione talis rei; deficit ejuſmodi bona fides, & militat ratio peccati, *arg. c. Licèt & c. ult. de reſcr.* ac notat Jaſon *loc. cit. n. 22.* ſicque manet res illa obnoxia reſtitutioni.

36 Ad rationes in oppoſitum *n. 33.* allatas, & quidem ad primam earum, facilis eſt reſponſio. Nam diſpoſitio illa *can. reintegranda*, ex profeſſo loquens de Epiſcopis, ob identitatem rationis, ſeu correctionis peccatorum, rectè extenditur ad Laicos: Siquidem, ubi agitur favore animæ, & vitandi peccati cauſa, conceditur extenſio. Bartolus *in Auth. Sacramenta puberum n. 19. Cod. Si adverſus vendit.* & alii. Idipſum deſumitur ex §. 1. *cit. cauſ. 3. q. 1.* ubi generaliter dicitur, quod reſtitutio quibuslibet ſpoliatis danda ſit: Idque multis poſtmodum authoritatibus, ac ipſomet *c. redintegranda* comprobatur. Accedit, quod ſi dicatur, *cit. can. redintegranda 3. q. 1.* continere merum privilegium Epiſcoporum, ac non pati extenſionem ſequeretur, dictum remedium ſolis Epiſcopis competere non autem Clericis inferioribus, ut pote cum de ſpoliatis & ejectis Epiſcopis duntaxat mentionem faciat, non autem de aliis Clericis: hoc autem foret abſurdum, & contra adverſarios ipſoſmet.

37 Ad alterum oppoſitæ ſententiæ Fundamentum, ac *n. 33.* relatum, quodque fortiùs ſtringit, dici poteſt, *cit. c. Sæpe h. t.* ex profeſſo agere contra Leges Civiles, quæ juxta dicta ſuperiùs *n. 13.* denegant Interdictum *unde vi* reſpectu tertii poſſeſſoris, etiam ſcienter detinentis rem ab alio ſpoliatam, juxta quarum tenorem quidam Judices Eccleſiaſtici procedebant: unde ad præcavendum tali praxi, & inde conſequentibus malis, opus fuit novo Jure, & expreſſo Decreto Pontificio. Et quamvis ſpoliati ſeſe juvare potuiſſent *remedio redintegrandæ*, utpote quinquaginta jam annis prius promulgato, ut notat Menochius *d. Remed. 15. nu. 6.* adhuc tamen alterum non ſuperfluit. Siquidem circa Remedium Spoliatorum ex *c. redintegranda 3. q. 1.* aderat, atque etiamnum adeſt, diverſitas opinionum inter Doctores, an militet etiam pro Laicis, eorumque rebus profanis; neque iſtis verba illius Canonis tam clarè patrocinabantur, quin aliqui Judices, etiam Eccleſiaſtici, oppoſitam partem fuerint ſecuti: ac proinde ad retundendam horum praxin, ſeu foventem peccatum, Pontifex novo atque expreſſo remedio opus eſſe cenſuit. Quia igitur non ſuperfluit remedium clarum & expreſſum, in concurſu alterius non adeò clari, ſed dubii: hinc pariter non ſuperfluit Remedium poſſeſſorium Condictionis *ex cap. Sæpe h. t.* in concurſu Conditionis *ex can. Redintegranda 3. quæſtion. 1.* ut pote etiamnum dubii. Nunc pergendo ad alia;

38 Quartum Remedium recuperandæ poſſeſſionis, habetur Condictione ex *l. Si quis in tantam C. unde vi.* Et hoc competit Spoliato adverſus eum, qui propria authoritate violenter (hoc eſt, vim inferendo perſonæ) ingreditur poſſeſſionem penes alium conſtitutam. Nam talis ita violenter ingrediens poſſeſſionem alterius, cumprimis hanc alteri reſtituere tenetur. Deinde, ſi invaſor fuit Dominus illius rei, præter poſſeſſionem, quam violenter ingreſſus eſt, ac proinde reſtituere cogitur, etiam dominium ejuſdem rei amittit: Si verò non fuerat dominus, præter poſſeſſionem reſtituendam, etiam æſtimationem dictæ rei reſtituere compellitur. Textus eſt *in d. l. Si quis in tantam C. unde vi.* Quamvis memorata pœna amiſſionis dominii, aut reddendæ æſtimationis rei, locum duntaxat habeat poſt ſententiam Judicis, non ipſo jure; ut notat Gloſ. *ib. ℣. Amittat.* Concordat textus in *can. placuit. 16. q. 6. & l. Invaſor. C. unde vi.* In quo poſteriori loco ſic habetur: *Invaſor locorum pœna teneatur legitima, ſi tamen vi loca eadem invaſiſſe conſtiterit.* Ubi Gloſſa *verſ. Legitima*, per pœnam legitimam intelligit eam, quæ eſt conſtituta in jam *cit. l. Si quis in tantam C. unde vi.*

39 Quintum remedium recuperandæ poſſeſſionis, habetur Conditione ex *l. Extat. ff. de iis, quæ vi metuſve cauſa &c. & l. Creditores ff. ad Legem Juliam de vi privat.* Ubi prioris Legis verba repetuntur. Siquidem hoc utroque in loco ſtatuitur, quod Creditor vim nullam Debitoribus inferat, ſed ſi Debitor ſponte debitum ſolvere recuſet, hunc in judicio conveniat: alloquin autem Creditor, qui per vim, ac propria authoritate, rem aliquam vel pecuniam ſibi debitam acceperit, aut vi illata ſolvi fecerit, & quaſi ſibi ipſi jus in rem illam dicendo poſſidere cœperit, cogatur rem acceptam reſtituere, ſimulque perdat jus crediti, & actionem ad illud. Unde liquet, quod iſtud rectè connumeretur ex parte Debitorum inter Remedia recuperandæ poſſeſſionis, qua per Creditorem vi illata privati ſunt. Cæterùm etiam hæc pœna privationis juris in rem creditam, non ipſo jure, ſed mediante ſententia Judicis inducitur; prout pluribus oſtendit Menochius *remed. 5. de recuperand. poſſeſ. n. 67.* quidquid nonnulli contradicant.

40 Sextus recuperandæ poſſeſſionis Remedium, competit Condictione ex *l. Invaſor. C. unde vi.* Et iſtud datur non ſolum contra eum, qui per vim loca aliqua invaſiſſe probatur, juxta dicta *n. 38.* ſed etiam contra eum, qui per errorem occupavit poſſeſſionem rei alienæ, aut ob domini incuriam ſine dolo id egit, occupando v. gr. poſſeſſionem fortè per multos jam annos vacantem, quam idcircò ut derelictam ingreſſus eſt. Nam poteſt dominus agere Condictione ex illa Lege, ac tenetur eidem occupator, non obſtante ſuo errore, ac bona fide, reſtituere poſſeſſionem: ita tamen, ut non teneatur pœna legitima, de qua fit mentio in *l. Si in tantum C. unde vi.*

41 Porrò Remedium iſtud poſſeſſorium habet duo ſpecialia. Primò, quia competit ei, qui tempore invaſionis non erat poſſidens, ſed ob ſuam incuriam poſſeſſio fuerat vacans. Bartolus ad *cit. l. Invaſor. C. unde vi.* Maranta *p. 4. Specul. Aurei diſt. 7. n. 50.* & alii. Secundò, quia prodeſt ex parte invaſoris conventi, ut pœnam legitimam, cæteroquin legibus contra violentos invaſores ſtatutam, ac *n. 38.* explicatam effugiat, ſi vel errorem ſuum, vel domini incuriam oſtenderit. Et meritò: nam ubi juſta cauſa excuſat à dolo, eadem per conſequens excuſabit pariter à pœna, *arg. l. Igitur §. poteſt ff. de Liberali Cauſ.* Menochius *de recuper. poſſeſ. rem. 7. n. 12. & ſeq.* Bartolus *ubi ſuprà*, & alii.

42 Septimum Remedium recuperandæ poſſeſſionis, habetur Conditione ex *L. ult. C. unde vi*, quæ incipit. *Cum quærebatur.* Et iſtud competit adverſus eum, qui dolosè occupavit poſſeſſionem rei alienæ vacantem: nam talis poſſeſſor ut prædo cenſetur, & ſic non ſolùm rem occupatam, ejuſque poſſeſſionem reſtituere tenetur; ſed etiam ſubjacet pœnis ſtatutis *in l. Si quis in tantam C. eod.* ac notat Gloſſa *in d. L. ult. ℣. Et generali & verſ. per ignorantiam C. unde vi.* Et hoc quidem Remedium intra annos triginta datur tam pro re mobili, quam immobili; prout in fine *cit. L. ult.* ſubjungitur, & ampliùs declarat Bartolus *ib.* Menochius *de recuperand. poſſeſ. remed. 13.* & Maranta *loc. cit. n. 54.*

43 Differt autem Remedium Condictionis ex *L. ult. C. unde vi* ab eo, quod habetur Condictione ex *l. ſi quis in tantam C. unde vi.* Nam iſtud requirit violentiam, ſeu vim factam perſonæ ipſius poſſeſſoris; non illud, utpote quo quis convenitur ſolùm ex eo, quod intraverit poſſeſſionem vacantem, ſicque nemini vim intulerit.

44 Differt etiam à Condictione ex *L. Invaſor. C. unde vi.* Nam iſtud remedium loquitur non ſolùm de eo, qui per vim invaſit rem alterius, ſed etiam de occupante poſſeſſionem ſine dolo, ſive per errorem, aut incuriam domini juxta dicta *n. 40.* Secùs dicendum de Condictione ex *l. ult. C. eod.* ibi quippe duntaxat ſermo eſt de eo, qui rem vacantem occupavit dolosè; hoc eſt, benè ſciens, quod res illa non ſit ſua. Et hinc etiam furti actione tenetur ille, qui alienam rem contra domini voluntatem attigerit, ſi ſcivit eſſe alienam, licèt ignoraverit, cujus ſit; prout loquitur textus *in cit. L. ult. C. unde vi* juncta Gloſ. *ib. verſ. teneatur.* Secus, ſi credidiſſet ſuam, *l. Vulgaris §. Sed & ſi quis ff. de Furtis.*

45 Octavum Remedium recuperandæ poſſeſſionis; habetur ex *Officio Judicis.* Quod quidem remedium eſt extraordinarium, ac ſubſidiarium; & competit imprimis ei, qui non poſſidet, ſed ſolum detinet, ac poſtmodum ſpoliatur: ut Commodatarius, Depoſitarius, Conductor ad breve tempus, aut qui rei ſervandæ cauſa, vel ventris aut dotis nomine eſt in poſſeſſione. Nam quia tales non poſſident, ſed ſolum detinent, *l. Officium ff. de rei vendicat.* hinc, ſi expellantur à detentione talium rerum, non habent ullum de ſuprà enumeratis remediis poſſeſſoriis ex defectu



fectu poſſeſſionis (illa enim remedia ſolum competunt poſſidentibus, & poſtmodum ſua poſſeſſione excidentibus) ac proinde, ſic ſuadente æquitate, fuit illis indultum in ſubſidium, ut poſſint implorare Officium judicis ad recuperandam rerum præhabitarum detentionem, à qua ceciderunt. Et hoc patet ex *l. Atilius ff. de donation.* ubi is, cui facultas inhabitandi cænaculum donata fuit, ſi inde expellatur, Officio judicis defendendus dicitur, quaſi loco poſſeſſoris conſtitutus. Concordat *l. Et non tantum*, juncta Gloſſa *℣. Facile ff. de petit. hæred.* Menochius *remed. 17. recuper. poſſeſ. n. 1.* Maranta *d. p. 4. Specul. Aurei, diſt. 7. n. 43.* poſt Bartolum, Decium, Alexandrum, & alios.

46 Addit Speculator *tit. de reſtitut. ſpoliat. num. 22.* & poſt ipſum Card. Tuſchus *Litt. S. Concl. 384. num. 16.* quod iſtud remedium *ex officio Judicis* etiam competat ſpoliato contra Legatarium, cui ſpolians rem violenter poſſeſſam legaverat, *arg. cap. quia V. 21. de Judiciis, & c. Bonæ memoriæ 15. de appell.* Inſuper, quod iſtud remedium ſit generale, *arg. c. Ex litteris. De in integr. reſtit.* notat idem Card. Tuſchus *loc. cit. num. 17.* poſt Lapum *Allegat. 52. num. 8.*

47 Hoc ultimum tamen intellige in caſu, quo aliud Remedium non ſuppetit. Siquidem officium Judicis eſt remedium extraordinarium, & ſubſidiarium; atque imploratur loco principalis actionis, cum alia actio non ſupereſt, *c. ult. de offic. Judicis*, & innititur æquitati, ne quis cum alterius jactura lucrum faciat, *l. planè ff. de petition. hæred.* Atqui, quamdiu quis munitus eſt communi auxilio, habetque medium ordinarium, non debet ei tribui extraordinarium, *l. in cauſæ §. 1. ff. de Minorib.* Dummodò remedium extraordinarium non ſit pinguius ordinario: nam tunc illud benè concederetur. Barboſa *Axiomat. 202. num. 2.* citans plures alios; eſtque uberius dictum *Lib. 1. tit. 41. De in integrum reſtitutione §. 1. num. 4. & 6.*

## §. III.

## De Reſtitutione Spoliatorum ante omnia facienda.

*S U M M A R I U M.*

48 *Regula eſt:* Spoliatus ante omnia eſt reſtituendus.
49 *Adeò ut non obſtet exceptio proprietatis &c.*
50 *Nec etiam exceptio criminis.*
51 *Dummodò iſtud perſonam Spoliati non reddat inhabilem ad agendum: ut excommunicatio.*
52 *Vel miſſis in bannum.*
53 *Nec ob crimen ejuſmodi, quis ipſo jure privatus exiſtat tam re, quam poſſeſſione ipſius.*
54 *Ut ſpoliatus ante omnia ſit reſtituendus, quid probare debeat?*
55 *Regula illa*, Spoliatus &c. *contra quos procedat, & num. ſeqq.*
56 *Spoliatus petens reſtitutionem, non tenetur allegato titulo præhabitam poſſeſſionem juſtificare.*
57 *Spoliatus etiam reſtituitur contra Minores, & Pupillos.*
58 *Imò & contra Eccleſiam.*
59 *Prædo etiam eſt reſtituendus, ſi ſpolietur.*
60 *Solvitur inſtantia.*
61 *Si tamen prędo concurrat cum domino rei in petenda reſtitutione, præſertim dominus.*
62 *Inſuper prædo notorius, ex intervallo ſpoliatus à domino, non reſtituitur.*
63 *Solvuntur contraria. Et n. ſeqq.*
64 65 & 66 *Textus* L. Si quis in tantam C. Unde vi, *declaratur.*
67 *Spoliatus poteſt ſpoliantem vi repellere, ac eundem incontinenti rurſus ſpoliare, non autem ex intervallo.*
68 *Ly* Incontinenti, *quid importet?*
69 *Dominus ex intervallo prædonem non notorium ſpolians, poteſt à prædone conveniri interdicto.* Unde vi.
70 *Facta tamen ipſi reſtitutione, poſtea prædo ille ſimili Interdicto obſtrictus erit domino.*

48 QUæritur I. An, & qualiter Reſtitutio ſpoliatorum ante omnia ſit facienda? Reſp. I. Regula eſt, *Spoliatus ante omnia eſt reſtituendus.* Textus eſt in *c. ult. de Ordine cognit. & can. Epiſcopi & can. Reintegranda 3. q. 1. & L. 1. §. 1. ff. de Vi & vi armat.* cum concordantiis. Siquidem ſpoliator ſemper delinquit, donec reſtituat; atque ideò non auditur, niſi purget vitium. Card. Tuſchus *Litt. S. Concl. 385. n. 5.* poſt Baldum *Conſ. 217. lib. 2.* hanc rationem aſſerens.

49 Reſp. II. Adeò verum eſt, quod ſpoliatus ante omnia ſit reſtituendus, ut regulariter non obſtet exceptio proprietatis, *c. 1. & c. In litteris 5. h. t. & c. c. ult. de ord. cogn.* Ac proinde Spoliator non audiatur ante factam ſpolii reſtitutionem, licet opponat rei ablatæ proprietatem ad ſe pertinere, ſeque offerat ad hanc illicò probandam; niſi Actor, ſeu ſpoliatus ultrò in hoc conſentiat, *d. c. 1.* juncta Gloſſa *℣. contentionem h. t.* Sed Actore non ſic conſentiente, reſtitutio ſpolii regulariter (hoc eſt, exceptis caſibus *§. ſeqq.* enumerandis) ante omnia fieri debet: ita tamen, ut cauſa proprietatis omnino integra ſervetur, & ſpoliator poſt factam reſtitutionem liberè poſſit ingredi judicium petitorium ſuper proprietate rei, *L. un. Cod. Si de momentanea poſſeſ. &c.* cum concordantiis.

50 Reſp. III. Inſuper regula illa locum habet in tantùm, ut agenti Interdicto *unde vi*, ſeu petenti reſtitutionem ſpolii, non obſtet exceptio criminis, ſed prius cognoſcendum ſit ſuper ſpolio: & ſi iſtud ritè probatum fuerit, reſtitutio ipſius facienda ſit, antequam cognoſcatur ſuper crimine. Textus eſt *in c. Item cum quis 6. h. t.* addita illa ratione. Quia, qui nos ſpoliavit bonis noſtris, præſumitur noſter inimicus exiſtere; atque ideò non admittitur ad criminaliter accuſandum nos, priùs quam ſpolium reſtituerit. Nam inimici accuſare non poſſunt, *can. accuſatores cum ſeqq. 3. q. 5.*

51 Intellige, dummodò non opponatur talis criminis exceptio, quæ perſonam ſpoliati reddat inhabilem ad agendum; ut eſt excommunicatio; *can. conſpiratores cum ſeqq. 3. q. 4. & c. Intelleximus 7. de Judiciis*, cum ſimilibus. Nam tunc agere non poteſt; neque intentare Interdictum *unde vi*, donec fuerit abſolutus. Gloſſa *in c. dilectus 26. ℣. excommunicationis* & Felinus *ib. n. 11. de reſcriptis.* Abbas *d. c. Item cùm quis n. 9. h. t.* Pirhing. *eod. num. 77.* Menochius *de recuperand. poſſeſſ. remedio 1. num. 350.* citans plures alios.

52 Hoc ipſum quoque procedit in Bannitis, ſive proſcriptis, & in bannum miſſis: quia tales, cùm in judicio audiri non poſſint, imò jure occidantur, non reſtituuntur ante omnia, ſi ſpolientur. Gloſſa *c. In litteris verſ. prædo* & Baldus *ib. n. 3.* addita illa ratione: quia, qui poteſt offendi in perſona, multò magis in bonis. Abbas *cit. nu. 9.* Menochius, *ubi ſupr. n. 351.* citans alios. Et meritò: quia talis petitio reſtitutionis adverſaretur Juri publico, ac proinde non eſt concedenda.

53 Idem intellige, dummodo non opponatur tale crimen, ex cujus commiſſione quis ipſo jure privatus exiſtit tam re, quam poſſeſſione ejus. Quia, ſi ipſo jure privatus fuiſſet & re, & poſſeſſione ejus, non diceretur poſſediſſe, ſicque fruſtrà ab eo intentaretur Interdictum *unde vi*: nam ad hoc non ſufficit probare ſpoliationem, niſi probet quis etiam, quod antea poſſederit. Gloſſa *c. ex p. 14. verſ. Commodo h. t.* Abbas *loc. cit.* Menochius, *ubi ſuprà n. 330.* citans alios. Et hoc exemplificari ſolet in Laico petente reſtitutionem Decimarum: ſiquidem Laici Decimas Eccleſiaſticas poſſidere non poſſunt, *c. cauſam 7. de præſcript.* Item in illo, qui repetit Beneficium Eccleſiaſticum, quo aſſerit ſe ſpoliatum; & contra ipſum viciſſim excipitur, quod non ſit Clericus, nec prima Tonſura initiatus. Item in eo, cui opponitur crimen Hæreſis, vel læſæ Majeſtatis: nam ob hæc crimina ipſo jure quis privatus exiſtit omnibus bonis ſuis. Veruntamen, cùm in his duobus ultimis caſibus, & aliis hujuſmodi, requiratur ſententia declaratoria Judicis ſuper crimine commiſſo, *c. cum ſecundum de hæretic. in 6.* dura videtur hæc exemplificatio, ut inquit Menochius *loc. cit. n. 331.* niſi intelligatur ſuppoſita dicta ſententia declaratoria Judicis.

54 Additur notanter n. 50 *Et ſi iſtud ritè reprobatum fuerit &c.* Quia, ut ſpoliatus ante omnia ſit reſtituendus, tunc is, dum petit reſtitui, tenetur ritè anteà probare ſpolium; ad hoc autem requiritur, ut duo copulative probet, ſcilicet ſe poſſediſſe, & ſe ſpoliatum fuiſſe, prout deſumitur ex *c. conſultationibus* 10. *de offic. deleg.* juncta Gloſſa, ℣. *poſſeſſionem & dejectionem*. Accedit textus in *L. 1. §. interdictum autem ff. de VI & vi armat.* ibi: *Interdictum autem hoc nulli competit, niſi ei qui tunc, cum dejiceretur, poſſidebat*. Idem tenet alia Gloſſa *in c. olim cauſam* 12. ℣. *reſtitutionem b. t.* iſtud colligens ex textu ibidem. Covarruvias *part. 2. cap. poſſeſſor. §. 1. num. 4. de Reg. Jur. in* 6. Fachineus *lib. 8. Controv. Jur. cap. 9.* ℣. *Altera eſt*, allegans alios. Atque hoc procedit, quando ſpoliatus agit ad recuperandam poſſeſſionem ex interdicto *unde vi*; de quo jam dictum eſt ſupra §. 1. *num. 7. & ſeqq.* atque loquitur allegatus textus ex §. *Interdictum autem*, uti patet ex Rubrica. Quòd ſi vero ſpoliatus agat ad recuperandam poſſeſſionem, ſive reſtitutionem rei ſpoliatæ, ex remedio *can. redintegranda 3. quæſt. 1.* (quod eſt pleniſſimum, & cæteris utilius, ac declaratur ſuprà *num. 31. & ſeqq.*) tunc ſufficit, ut Actor probet ſuam priorem poſſeſſionem, & novam alterius, ſeu Rei conventi prætenſam poſſeſſionem. Ita Innocentius *in cap. Sæpè num. 2. b. t.* Abbas *cap. cum ad ſedem num.* 28. *eod.* Menochius *de recuperand. poſſeſſ. Remed. 15. quæſt. 31. nu. 383. & ſeqq.* Maſcardus *Concl. 1328. num. 1. & ſeqq.* allegans plurimos alios, qui teſtantur de communi. Unde Innocentius, Abbas, *ubi ſuprà*, & alii inferunt, quod ſi quis poſſidebat rem bona fide, & alius poſteà ejuſdem rei poſſeſſionem acquirat bona etiam fide, niſi conſtiterit priorem poſſeſſorem juſtè poſſeſſionem ſuam amiſiſſe, fieri debeat reſtitutio poſſeſſionis, non probata alia ſpoliatione, *l. ſi Coloni C. de Agricol. & cenſit. lib. 11. Auth. de Mandatis Princip. §. ſed etiam Collat. 3. & can. redintegranda 3. q. 1.* Ratio hujus eſt: quia probata juſta antiquiori poſſeſſione, nova præſumitur clandeſtina & vitioſa, niſi probetur, hanc ex juſta cauſa fuiſſe acquiſitam; cum duo inſimul eandem rem, & eodem modo, poſſidere non poſſint, *c. Licèt cauſam 9. §. Ex præmiſſis de Probation.* cum ſimilibus.

55 Quæritur II. Contra quos procedat allata regula de reſtitutione ſpoliatorum? Reſp. I. Regula illa, *Spoliatus ante omnia eſt reſtituendus*, procedit non ſolùm, quando quis fuit ſpoliatus à privato, ut eſt certum, atque extra omnem controverſiam: ſed etiam, quando quis eſt ſpoliatus à ſuo Prælato, vel Judice extrajudicialiter, ſive non ſervato Juris ordine præcedente. Ita habetur deciſum in *c. conquerente 7. b. t.* ac notant Doctores ibidem. Siquidem Judex extrajudicialiter, atque prætermiſſo Juris ordine procedens, reputatur ut perſona privata, ac proinde non præſumitur pro eo: haud obſtante, quod ſi judicialiter procedat, propter authoritatem judiciariam præſumantur omnia legitimè geſta, donec contrarium probetur, *c. In præſentia 6. de renunc. & c. ſicut. 16. de ſent. & re judicat.* cum ſimilibus.

56 Atque occaſione *c. c. conquerente b. t.* eſt notandum, quod ſpoliatus petens reſtitutionem Beneficii Eccleſiaſtici (idem ſervata proportione dicendum de aliis) non teneatur juſtificare præhabitam poſſeſſionem, allegato juſto ejus titulo, nec alio modo: ſed ſufficiat probare poſſeſſionem, & ſecutam ejus ſpoliationem, ſive privationem; prout notat Abbas *in cit. c. conquerente n. 4. b. t.* argumento optimo inde deſumpto. Nam cùm Clericus quidam conqueſtus fuiſſet coram Alexandro Papa III quod Archiepiſcopus Cantuarienſis *ipſum ſua Eccleſia, ſine judicio* (ſive juris ordine prætermiſſo) *ſpoliaſſet*: Pontifex de hoc duntaxat inquirendum cenſuit (uti liquet ex illis ſubjunctis verbis. *Si ita eſt*) atque veritate hac deprehenſa illicò mandavit, ut Archiepiſcopus ille dicto Clerico præhabitam Eccleſiam unà cum redditibus inde perceptis reſtituat: & reſtitutione jam facta, tum demum conceſſit eidem Archiepiſcopo, ut ſi quid ſuper dicta Eccleſia proponere velit, id ordine judiciario coram Delegato Papæ poſſit experiri. Concordat celebre *c. In litteris 5 b. t.* ubi petenti reſtitutionem Eccleſiæ ſuæ, è cujus poſſeſſione ſeſe violenter ejectum fuiſſe conqueritur, non poteſt referri ſeu opponi quæſtio proprietatis, ſive inſtitutionis non Canonicæ, donec probata jam violenta ejectione, priùs fuerit facta ejus reſtitutio. Gloſſa *in caſu*, & Doctores ibidem: *Quia* (inquit Pontifex) *prædo etiam eſt ſecundum rigorem juris reſtituendus*. Ex quibus verbis liquet, quod proxima dicta non ſolùm habeant locum in Beneficiis Eccleſiaſticis, ſed etiam in aliis caſibus factæ ſpoliationis: nam ratio allegata à Pontifice, eſt generalis.

57 Reſp. II. Uſque adeò verum eſt, Spoliatum ante omnia eſſe reſtituendum, quod ſpoliatus, utpote munitus cauſa ſpolii ſpecialiter privilegiata, etiam reſtituatur contra Minores & Pupillos: ita tamen, ut hi ex culpa Tutorum vel Curatorum ſuorum, à quibus invaſio facta eſt, nullum damnum ſuſtinere cogantur; ſed iſti ſint eis condemnandi ad omne damnum, ſi quod idcircò incurrerint, reſarciendum, atque inſuper aliis legitimis pœnis plectendi. Patet hoc ex *l. Meminerint C. unde vi.* & DD. ibidem.

58 Inſuper privilegium iſtud competens ſpoliato, ut ante omnia, ſeu audita quæſtione ſuper proprietate ſpolii, audiatur, procedit etiam, ſi per Laicum ſpoliatum agatur contra Eccleſiam ſpoliantem. Abbas *in c. 1. n. 4. b. t.* & concordant Jura proximè allegata.

59 Quæritur III. Utrùm regula illa, *Spoliatus ante omnia eſt reſtituendus*, etiam ſuffragetur prædoni, ſi ſpolietur rebus à ſe vi poſſeſſis? Reſp. I. Regula iſta etiam ſuffragatur prædoni ſpoliato. Ita textus expreſſus *c. In litteris 5. b. t.* ibi: *quia prædo etiam eſt ſecundum rigorem juris reſtituendus*. Concordat alius textus in *L. 1. §. quia à me ff. de VI & vi armat.* ubi dicitur. *Quia à me vi poſſidebat, ſi ab alio vi dejiciatur, habet hoc Interdictum*. Siquidem etiam prædonis intereſt, ne ab alio ſpolietur; cum teneatur domino rem vi ablatam unà cum omnibus fructibus reſtituere, eique ſatisfacere.

60 Nec obſtat, quod prædo rem illicitè, & cum peccato detineat. Reſp. enim, cum quidem illicitè detinere rem reſpectu veri domini, non autem reſpectu tertii ſpoliatoris: unde reſpectu hujus, ut vero domino ſatisfacere valeat, poteſt agere Interdicto *unde vi*; quod eſt perſonale; ac locum habet illud vulgatum *L. ult. ff. de Acquir. poſſeſ.* ubi dicitur: *Adversùs extraneos vitioſa poſſeſſ. prodeſſe ſolet*. Et notanter additur ly, *Adverſus extraneos*, propter dicenda in progreſſu; unde

61 Reſp. II. Nihilominùs quando prædo concurrit cum Domino proprietario, & uterque petit ab aliquo tertio, qui prædonem ſpoliaverat, rem ablatam ſibi reſtitui, probata veritate, ſeu rei proprietate, præfertur Dominus. Ita Barboſa *c. In litteris n. 8. b. t.* poſt Surdum *Conſil. 116. nu. 12.* & alios. Siquidem proprietas veluti dignior trahit ad ſe poſſeſſionem, & huic prævalet in executione, *c. cum dilectus* 6. juncta Gloſſa ℣. *prævalere de Cauſa poſſeſ.* Concordat textus notabilis *in l. bona fides, §. Incurrit. ff. Depoſiti*: ubi loquendo de caſu, quo latro ſpolia ſua mihi ablata depoſuit apud alium, v. g. Titium, inſcium de malitia deponentis, & ego veniam ad ea petenda; deciſum legitur, quod illa mihi ſint reddenda, non latroni deponenti. Nam (ſubdit Juris Conſultus) *hanc probo eſſe juſtitiam, quæ ſuum cuique ita tribuit, ut non diſtrahatur ab ullius perſonæ juſtiore petitione*: id eſt: Nullus eſt alius, qui juſtiorem habeat petitionem, quàm dominus, qui proinde meritò præfertur, ut explicat Gloſſa *ib.* ℣. *Ut non diſtrahatur*.

62 Reſp. III. Inſuper ſi prædo, ſive injuſtus ſpoliator ſit notorius (ſeu ubi conſtat de injuſta deſpoliatione per ipſum facta) atque is ex intervallo rurſus ſpolietur per verum dominum re ſibi priùs ablata, non eſt reſtituendus ejuſmodi notorius prædo contra ſpoliatorem dominum. Ita Gloſſa *c. ad decimas* ℣. *præſumuntur b. t. in* 6. Abbas *cap. In litteris num. 9. & 10. b. t.* dicens; quod prædoni, etiam notorio, ſit concedenda reſtitutio ſpolii, ſi non concurrit cum domino; ſecùs, ſi conſtaret eum eſſe prædonem, ac peteret reſtitutionem contra dominum; quia obſtaret defectus proprietatis notorius. Pirhing *h. t. nu. 14.* ubi iſtud refundit in ipſam naturalem æquitatem, cui conſentaneum eſt, ut melior ſit conditio innocentis, quàm nocentis. Zoeſius *h. t. num. 13.* Menochius *cit. Remed. 1. de recuperand. poſſeſſ. num. 113. & ſeqq.* citans communem tam Canoniſtarum, quàm Legiſtarum. Ratio fundamentalis deſumitur *ex cap. Cum dilectus 6. de Cauſa poſſeſſion.* ubi deciſum habetur, quod ſi conſtet de





cauſa, ſeu jure proprietatis, ipſa in executione prævalere debeat cauſæ poſſeſſionis. Atqui, ubi prædo eſt notorius, qui denuò fuit ſpoliatus à vero domino, conſtat de jure proprietatis, utpote domino competentis; ergo hæc in executione debet prævalere, ſicque prædo non reſtituitur. Concordant dicenda inferiùs *§. ſeq. n. 76. & ſeqq.*

63 Nec obſtant Jura *num. 59.* allegata. Nam ea partim loquuntur de prædone reſtituendo contra extraneum, qui ipſum ſpoliavit, partim procedunt in caſu, quando non eſt notorium, quod alter ſit dominus, vel quaſi dominus rei; aut quod fuerit ſpoliatus ab eo, qui quidem à parte rei prædo eſt, talis tamen nondum apparet. Siquidem pro Foro externo paria ſunt, quod quis prædo non ſit, vel quod ſit prædo, non tamen talis eſſe appareat: unde meritò hujuſmodi prædo adversùs dominum reſtituendus eſt, donec ipſe & habitam poſſeſſionem, & illatam ſibi per alterum ſpoliationem probaverit; prout hoc ipſum accidit in aliis caſibus. Secùs dicendum de notorio prædone concurrente cum vero domino, quem conſtat eſſe dominum: nam tunc prævalet in executione proprietas probata; atque prædo per dominum ſpoliatus, ſi petierit adversùs ipſum dominum reſtitui, rectè removetur exceptione proprietatis huic notoriè competentis.

64 Quod ſi objicias. In execrationem ſpoliationis, atque odium ſpoliantis, Jure cautum eſt *l. Si quis in tantam cap. Unde vi*, ut dominus propria authoritate violenter invadens poſſeſſionem rei ſuæ apud alium conſtitutæ, non ſolùm teneatur ipſam reſtituere, verùm etiam dominium ejus amittat; ergo non videtur, quod dominus prædonem ſpolians, poſſit contra ipſum uti exceptione proprietatis, ſive dominii ſibi competentis, cum in pœnam factæ ſpoliationis illud amittere meruerit. Reſp. I. hanc pœnam amiſſionis dominii non incurri ipſo jure, ſed primùm poſt ſententiam Judicis: ut notat Gloſſa *in cit. l. Si quis in tantam* ℣. *amittat ff. eod.* Unde quod diſpoſitio, & pœna dictæ Legis, locum non habeat, niſi poſtquam à Judice declaratum fuit, ſpoliatorem in eam incidiſſe, rectè docet Menochius *cit. remed. 1. n. 238* & Maſcardus *de probationib. concl. 1333. n. 14.* cum aliis, eſtque jam dictum ſupra *§. præc. n. 38.*

65 Deinde, & magis ad propoſitum, reſpondetur cum eodem Menochio *loc. cit. n. 121. & 128.* dictam Legem, *Si quis in tantam*, non procedere in notorio prædone; cum de hoc ſpecialem mentionem non faciat, & alias Jure permiſſum ſit domino, adversùs manifeſtum prædonem jus ſibi dicere: prout tradit Decius *in l. qui juriſdictioni n. 11. ff. de juriſd. omn. jud.* ac favet textus *in c. propoſuit 24. de appell.* ubi pro crimine gravi, & notorio, dicitur quis *ipſo facto meritò eſſe damnandus*. Accedit Gloſſa *in c. 1.* ℣. *Rigor. de dolo & contum.* dicens, quod rigor ille Juris Civilis, de quo *in d. l. Si quis in tantam C. unde vi*, ſecundum Canones non ſit ſervandus in Eccleſiaſticis perſonis, & negotiis, per textum ibidem cum concordantiis; licet in cauſis privatorum ſervetur.

66 Tandem ad eandem inſtantiam reſponderi poteſt cum Gloſſa *in c. Paſtoralis 5.* ℣. *Intentare de cauſa poſſeſ.* quam approbat Abbas *ib. n. 23.* negando ſequelam. Siquidem, quod violentiam inferens ſuper re ſua, privetur dominio ipſius, id non provenit ex natura Interdicti *unde vi* (nam virtute hujus non privatur quis dominio, ſed compellitur ſolùm reſtituere rem cum fructibus) ſed illud oritur ex conſtitutione citatæ Legis pœnalis, *Si quis in tantam*. Ac proinde, ſi ſpoliatus velit ſibi adjudicari proprietatem rei, oportet, ut agat Condictione *ex l. Si quis in tantam C. unde vi*: etenim per interdictum *unde vi*, de quo loquitur data Concluſio, hoc non conſequeretur, ſed poſſeſſionem duntaxat rei cum fructibus. Et hanc ultimam Gloſſæ reſponſionem addere libuit pro meliori illius Legis intelligentia, nam ad noſtrum caſum magis deſervit prima, & ſecunda. Verum occaſione præmiſſorum

67 Quæritur IV. Utrùm ſpoliatus poſſit ſpoliatorem, putà prædonem, vi repellere, aut rurſus eundem ſpoliare? Reſp. I. Si quis ſpolietur, ſeu vi per alium, putà prædonem, dejiciatur à poſſeſſione ſua; licitè poterit invaſorem vi repellere; & ſi jam ſpoliatus fuerit, rurſus eundem ſpoliare: dummodò hoc faciat incontinenti, ſive confeſtim, non autem ex intervallo. Ita communis; atque habetur expreſſum *L. 3. §. cum igitur ff. de vi & vi armat.* Ratio Concluſionis, atque diſparitatis inter utramque ejus partem, eſt: quia vim vi repellere, ac violentum invaſorem dejicere incontinenti, ſive ſpolium eidem illicò eripere, ſpectat ad licitam rerum ſuarum defenſionem, atque ipſo Jure naturali permiſſum eſt, *c. ſignificaſti 18. de Homicid. volunt. & L. 1. §. Vim vi. ff. de vi & vi armat.* Econtrà verò dejectio violenta facta ex intervallo, potiùs cenſenda eſt vindicatio, quam juſta rerum defenſio ac proinde non eſt permiſſa, niſi interveniente authoritate Judicis.

68 Cæterùm *incontinenti*, ſive *confeſtim*, cenſetur ille vim vi repellere, qui hoc facit, antequam ad alia extranea negotia divertat, *l. continuus ff. de verb. ſignif.* ac notat Gloſſa *in d. L. 3.* ℣. *incontinenti ff. de Vi & vi armat.* Quæ Gloſſa hoc ipſum notabiliter extendit ad eum caſum, quo quis in via ſpoliatus venit in Civitatem, rogat amicos pro auxilio, & in hoc laborat per biduum, vel triduum, ac regreſſus cum amicis iterum expellit prædonem: quia talis (inquit) interim retinuit poſſeſſionem civilem, cum ſpe recuperandi naturalem. Neque ipſi obſtare poteſt, quod biduo, vel plùs moratus fuerit in Civitate: quia ſic erat opus pro tali negotio; ac proinde occupatus circa hoc non cenſetur divertiſſe ad extranea. Concordat Gloſſa *fin. in c. Significaſti 18. de Homicid.* & Hoſtienſis, ac Abbas *in c. olim cauſam n. 10 b. t.* Gailus *lib. 1. de pace publica, c. 16. n. 12.* Menochius *de Arbitr. Jud. lib. 2. caſu 11. n. 2. & 3. de recuperand. poſſeſſ. Remed. 1. num. 385.* citans plurimos alios. Quinimo plerique horum addunt, ly *incontinenti*, intelligendum eſſe pro ly, *quamprimùm fieri poteſt*, nempe collectis amicis & defenſoribus, & non divertendo ab alia negotia: atque iſtud tandem Judicis arbitrio pro rerum & perſonarum, ipſiuſque dejectionis, & rei invaſæ qualitate dijudicandum, ac determinandum relinquunt.

69 Reſp. II. Quod ſi verò dominus re ſua ſpoliatus, primum ex intervallo prædonem dejiciat, poteſt is à prædone (dummodò hic non ſit notorius; ob dicta *n. 62.*) poſteà conveniri Interdicto *unde vi*. Ita communis; & patet ex *l. Colonus & l. cum fundum ff. de Vi & vi armat.* Nam ultimum ſpolium eſt purgandum. Menochius *de recup. poſſeſſ. remed. 1. n. 128.* Atqui ultimum ſpolium, in propoſito eſt ſpolium domini contra prædonem ex intervallo ſpoliatum; ergo

70 Interim tamen facta prædoni reſtitutione, poſt modum prædo ſimili interdicto obſtrictus erit domino, vel priori poſſeſſori: dummodò hic probare poſſit, ac probet tam poſſeſſionem, quàm dejectionem ſuam, *cit. l. Colonus & l. cum fundum ff. eod.*

## §. IV.

## De nonnullis caſibus, in quibus non fit Reſtitutio Spoliatorum ante omnia.

*SUMMARIUM.*

71 *Regula illa*, Spoliatus ante omnia eſt reſtituendus *fallit in nonnullis caſibus*.
72 *Ut ſi ſpoliatus in hoc conſentiat*.
73 *Sive dein expreſſè, ſive tacitè conſenſerit*.
74 *Et tunc non poteſt Judex ex officio ſupplere reſtitutionem*.
75 *Niſi cæteroquin immineat periculum animarum*.
76 77 & 78 *Ob notorium defectum proprietatis ſpoliatus non reſtituitur; & qualiter hoc intelligendum? Et num. ſeqq.*
79 *Notorium, quibus modis aliquid fiat*.
80 *Reſtitutio ſpoliati non habet locum ob reſiſtentiam Juris communis contra ſpoliatum, niſi doceat de titulo. Et num. ſeqq.*
81 *Et alioquin præſumitur uſurpando poſſeſſionem invaſiſſe*.
82 *In Judicio recuperandæ poſſeſſionis non requiritur exacta probatio tituli*.
83 *Si Jus commune reſiſtat quidem ſpoliato, non autem faveat ſpoliatori; tunc admittenda eſt ejus reſtitutio*.

*84 Et hoc procedit non ſolùm in cauſis ſpiritualibus, ſed etiam temporalibus.*
*85 Limitatur tamen in cauſis Beneficialibus; & cur?*
*86 In Beneficialibus pro obtinenda reſtitutione debet titulus colorari, non in profanis. Et n. præc.*
*87 Quando ex reſtitutione ſpoliati imminet periculum animæ; tunc ea non eſt facienda.*
*88 Dummodò probationes ejus offerantur incontinenti paratæ: aliàs ſecùs. Et n. ſeqq.*
*89 Quid agendum mulieri recedenti à viro ſuo ob impedimentum dirimens matrimonii, ſi per Judicem Eccleſiaſticum eidem reſtituatur quoad thorum?*
*90 Probationes, quando cenſeantur incontinenti offerri paratæ?*
*91 Etiam non eſt facienda reſtitutio ſpoliati, quando exinde imminet publicum ſcandalum.*
*92 Aut damnum irreparabile.*
*93 Nec tunc, quando quis ante ſuam ſpoliationem ſpontè renunciavit dominio rei.*
*94 Et quæ hujus ratio?*
*95 Solvuntur contraria, & concordantur jura.*
*96 Quid, ſi quis gravi metu coactus renuntiet dominio rei ante ſpoliationem?*
*97 Aut poſt ſpoliationem omnino ſpontè?*
*98 Spoliatus non reſtituitur, quando poſt ſpoliationem inivit pactum cum ſpoliatore, quod nolit agere Poſſeſſorio recuperandæ.*
*99 Non valet tale pactum ante ſpoliationem initum, benè tamen poſt; & cur?*
*100 Neque reſtituitur ſpoliatus, qui poſt ſpoliationem ſpontè juravit, non agere Poſſeſſorio recuperandæ.*
*101 Solvitur inſtantia.*
*102 Regula illa,* Spoliatus ante omnia reſtituendus eſt, *fallit ob exceptionem excommunis, vel alterius criminis &c. Et n. 51. ac ſeqq.*
*103 Dantur aliæ fallentiæ dictæ regulæ. Remiſſivè.*

71 CErtum eſt, ac paſſim fatentur Doctores, quod ſicut in aliis materiis nulla ſolet eſſe Regula ſine exceptione; ita etiam Regula illa, *Spoliatus ante omnia eſt reſtituendus*, fallat in nonnullis caſibus, ſeu quaſdam patiatur exceptiones, quas & *Fallentias* appellant: prout habetur *in c. Litteras §. ſecunda h. t.* ibi: *Cum etiam in multis caſibus reſtitutio differatur ſecundùm Canonicas Sanctiones.* Unde

72 Quæritur I. An; & qualiter ob conſenſum Spoliati non fiat reſtitutio ſpolii ante omnia? Reſp. I. Certum eſt quod ſi conſentiat ſpoliatus, non ſit neceſſe, ut reſtituatur ante omnia; ſed eodem conſentiente poſſit Spoliator in judicio audiri ſuper proprietate rei ſibi competente. Textus eſt *in c. 1. h. t.* ubi Gloſſa, & DD. communiter. Siquidem poteſt ſpoliatus privilegio, ut ante omnia reſtituatur, ſpontè renunciare: cum privilegium iſtud in favorem Spoliati conceſſum fuerit, & quilibet juri ſuo renunciare valeat, *c. Si diligenti 12. de Foro comp.* Accedit, quod exceptio factæ ſpoliationis, impediens cognoſci ſuper proprietate ante factam ſpolii reſtitutionem: ſit exceptio dilatoria: atqui exceptioni dilatoriæ poteſt renunciari, *c. Inter Monaſterium 20. de Sent. & re jud.*

73 Reſp. II. Præmiſſa Concluſio procedit, etiamſi ſpoliatus non expreſsè, ſed tantùm tacitè conſenſerit, permittendo videlicet ſpoliatorem probare jus proprietatis ante factam ſpolii reſtitutionem, & non reclamando: hoc ipſo enim, quod non reclamet, ſeu non excipiat, nec replicet contra ſpoliatorem reum opponentem dominium, neque à Judice volente cognoſcere ſuper dominio appellet, ſubeundo hujuſmodi judicium cenſetur tacitè in iſtud conſentire. Ita deſumitur *ex c. c. Inter Monaſterium 20. de Sentent. & re judic.* ac notat Menochius *in Remed. 1. de recuperand. poſſeſſ. num. 163.* Sperellus *Deciſ. 100. Fori Eccleſiaſt. num. 12. & 13.* aſſerens, quod agens Remedio recuperandæ teneatur excipere, & inſtanter proteſtari de non cumulando petitorium cum poſſeſſorio; alioquin ſpoliatus, non ſit ante omnia reſtituendus. Maſcardus *Concl. 1332. de probationib. num. 7.* poſt Bartolum *in l. Si quis ad ſe fundum num. 2. C. ad Legem Juliam de vi publ.* & alios. Ratio eſt quia actio non excluditur, neque impeditur, niſi exceptio expreſſè opponatur, *arg. c. Paſtoralis 4. de Exception. & d. c. Inter monaſterium, de Sent. & re judicat.* Ergo etiam in propoſito non impeditur actio ſpoliatoris volentis probare proprietatem rei ſpolio ſublatæ ad ſe pertinere, niſi ſpoliatus expreſſè exceptionem factæ ſpoliationis opponat.

Reſp. III. Inſuper ſtante tali conſenſu Spoliati, ſive expreſſo, ſive tacito, non poteſt Judex ex officio ſupplere, ut ante omnia ſpoliatum reſtituat. Ita Menochius *l. cit. n. 173.* Maſcardus *d. Concl. 1332. n. 15.* & alii. Nam Judex regulariter non interponit ſuum officium, niſi petatur, *arg. c. Innotuit 20. §. fin. de Election. & L. 4. §. Hoc autem judicium ff. de Damno infecto*, cum ſimilibus: ac proinde tunc ſolùm ante omnia reſtitui debet ſpoliatus, quando petit, non autem ex mero officio Judicis; prout ulterius deſumitur *ex c. 1. & c. In litteris 5. & c. Item cùm quis 6. hoc. tit.* 74

Hoc tamen intellige, dummodò non immineat periculum animarum, ſi reſtitutio non fiat. Nam ſtante tali periculo poteſt Judex facere reſtitutionem etiam non petenti, ut evitetur periculum peccati, *arg. c. ex parte Abbatis 9. & c. ex parte tua 14. de Converſ. conjug.* in quorum priore loco conjugatus, faciens profeſſionem Religionis uxore conſentiente, & poſt hujus mortem ducens aliam, jubetur hac dimiſſa redire ad Monaſterium; in altero verò caſu reverti ad conjugem, ſi poſt propoſitum ſervandæ caſtitatis nolit religionem ingredi, ſed ſolùm in domo propria remanere: quia videlicet in utroque caſu imminet periculum animarum, cùm neutrum de jure fieri poſſit. Abbas *c. 1. n. 3. h. t.* Pirhing *eod. n. 26.* & alii, quos citat, atque innuit Gloſſa *in can. Quia præſulatus 1. q. 4. ℣. Ablata*, loquens de Presbytero, qui ſine propria culpa fuit excommunicatus, ſuaque Eccleſia privatus; ſicque reſtitui debebat, cum hanc alius ſine periculo animæ ſuæ retinere non potuiſſet. 75

Quæritur II. Utrum ſpoliatus ante omnia ſit reſtituendus, non obſtante notorio defectu proprietatis ex parte ipſius? Reſp. Stante notorio defectu proprietatis ex parte ſpoliati, tunc is non eſt reſtituendus ante omnia dummodò ſimul conſtet, proprietatem ſeu dominium ſpolii ſpectare ad ſpoliatorem; ut puta, ſi ex Actis judicii, aut per propriam ſpoliati confeſſionem, vel hujuſmodi, liquido conſtet, quòd proprietas rei ſpolio ablatæ non pertineat ad ipſum ſpoliatum, ſed ad ſpoliatorem. Ita Abbas *in cap. 1 num. 3. h. t.* poſt Innocentium *in cap. Conſtitutus. de Filiis Presbyt.* Maſcardus *de Probationibus, Concluſ. 1333. num. 1. & ſeqq.* Menochius *de recuperand. poſſeſſ. Remed. 1. num. 215. & 216.* citans Rotam *in novis Deciſionibus tit. de reſtitution. ſpoliat. Deciſ. 16. 17. & 19.* & alii. Notanter tamen additur in Concluſione, *dummodo ſimul conſtet, proprietatem rei ſpectare ad ſpoliatorem*: ob dicta ſuperius *num. 59.* ubi etiam prædo reſtituitur contra extraneum. 76

Ratio Concluſionis ſic declaratæ, eſt illa. Quia, quando notoriè conſtat de dominio ſpoliatoris, & quod proprietas rei ſpolio ablatæ pertineat ad ipſum, non verò ad ſpoliatum nunc agentem Interdicto recuperandæ, fruſtra hic mitteretur in poſſeſſionem rei illius; utpote quam ſtatim reſtituere cogeretur ſpoliatori, tanquam vero ac manifeſto domino. Accedit, quod ejuſmodi ſpoliatus ob talem notorium defectum proprietatis, veluti doloſus, jure repellatur: *nam dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eundem*, uti loquitur *Reg. 59. Juris in 6.* cum concordantiis. Atque hinc, quod prædo notorius non ſit reſtituendus adverſus dominum rei ſpolio ablatæ, jam ſuprà *§. præc. n. 62* dictum fuit. 77

Inſuper, quando de proprietate ſpoliatoris plenè liquet (uti conſtare de ea, ſupponitur in caſu notorietatis jam memoratæ) clarum eſt, quod proprietas tanquam dignior trahat ad ſe poſſeſſionem: *l. bona fides ff. Depoſiti.* Ubi hujus ratio refunditur in Jus naturale, ſeu *in juſtitiam, quæ jus ſuum cuique ita tribuit, ut non diſtrahatur ab ullius perſonæ juſtiore petitione.* Unde in ſimili, quando ſuper poſſeſſione ac proprietate ſimul agitur, & ita proceſſum eſt, ut liqueat de utraque: quamvis in pronunciatione ſententiæ primò præmittenda ſit poſſeſſio, nihilominùs in executione debet prævalere proprietas, *c. Cum dilectus 6. & c. cum Eccleſia §. fin. de cauſa poſſeſſ* cum ſimilibus; eſtque ampliùs dictum *tit. præc. §. 10. num. 296.* 78

Addi-



79 Additur notanter *nu. 77.* exempli gratia, *utputa, ſi ex Actis judicii &c.* Nam dicta fallentia procedit, ſive de ſpoliatoris dominio conſtet ex Actis judicii, v. g. per ſententiam jam ſemel pro ipſo latam in judicio petitorio: ſiquidem Acta judicialia faciunt notorium, *cap. ult. de cohabitat. Cleric.* Et quidquid in judicio probatum eſt, dicitur notorium, *arg. c. cùm olim 24. de Verb. ſignif.* ac notat Abbas *ibid. nu. 3.* hoc ultimum intelligens de probatione in jure facta, poſtquam concluſum fuit in cauſa, quia tunc demum facit notorium. Menochius, *ubi ſupra nu. 231.* citans alios. Sive de eodem ſpoliatoris dominio conſtet per confeſſionem ipſiuſmet ſpoliati: quoniam confeſſio propria, eſt probatio probata, & aliarum verior atque potentior, *l. Generaliter. C. de non numerat. pecun.* Menochius *loc. cit. n. 217.* Sive de tali ſpoliatoris dominio conſtet per publicum inſtrumentum: nam & inſtrumenta rem faciunt notoriam. Rota *in cit. deciſ. 16. tit. de Reſtit. ſpoliat. in novis.* Maſcardus *d. Concl. 1333. n. 6. & 7.* Menochius, *ubi ſup. 223. & ſeqq.* id tamen intelligens, dummodò contra tale inſtrumentum nihil objiciatur: ſi enim quid opponeretur, res deſineret eſſe clara. Sive tandem de dicto ſpoliatoris dominio conſtet per teſtes, à ſpoliato jam admiſſos: quia per teſtes etiam res ſit notoria, *L. ult. C. de Probat.* ſimulque inſtrumenta, & teſtes, pari modo procedunt, *l. In exercendis C. de Fide inſtrum.* Abbas *in cap. 1. nu. 3. h. t.* Menochius *loc. cit. nu. 226.* & alii. Quamquam poſt oppoſitam ſpolii exceptionem, teſtes ſuper proprietate à ſpoliatore adducti ampliùs audiri non debeant, donec ſpoliatus reſtituatur: ac proinde notanter hic fuerit additum cum citato Abbate, *Per teſtes admiſſos &c.*

80 Quæritur III. An reſtitutio ſpoliati locum habeat non obſtante reſiſtentia Juris communis contra ipſum? Reſp. I. Superius allata regula, quod *Spoliatus ante omnia ſit reſtituendus*, fallit ulteriùs ob reſiſtentiam Juris communis contra ſpoliatum, & aſſiſtentiam pro ſpoliatore: unde quando Jus commune favet ſpoliatori, & reſiſtit ſpoliato, iſte poſtulans reſtitui adverſus eum, qui Jure communi juvatur, non auditur, neque ante omnia reſtituendus eſt, niſi prius docuerit de titulo. Ita Abbas *c. In litteris n. 18. & 24. h. t.* Jo: Andreas *in c. Ad decimas n. 2. h. t. in 6.* & Gloſſa *ibid. in Addit.* & Barboſa *cit. c. Ad decimas nu. 2.* Pirhing *h. t. n. 42.* & alii. Idque clarè deſumitur ex *d. c. Ad decimas 2. h. t. in 6.* ubi Eccleſia, quæ petit reſtitutionem Decimarum, quas ait ſe intra Parochiam alterius poſſediſſe, non auditur, neque reſtituitur, niſi priùs probaverit, ſeſe earum poſſeſſionem legitimo titulo aſſecutam fuiſſe. Accedit ratio ibidem allegata quia, niſi talis docuerit de legitimo titulo acquiſitæ poſſeſſionis, præſumitur injuſte ejuſmodi Decimas in aliena Parochia occupaſſe; cùm manifeſtum ſit (niſi aliud oſtendatur) Decimas ad Eccleſiam propriæ Parochiæ pertinere, *cap. ult. de Parochiis.* Idem ergo dicendum de ſimilibus caſibus, ubi contra agentem judicio reſtitutorio militat Jus commune, & juvat alterum, contra quem agitur.

81 Confirmatur idipſum ex *can. Contra morem diſt. 100* ubi dicitur, morem Eccleſiæ univerſalis, & conſequenter Juris communis eſſe obſervandum, niſi quis conſuetudine generali, aut privilegio ſeſe munitum oſtendere valeat: alioquin enim uſurpaſſe ſe comprobat, quod fecit. Hoc quippe applicando ad propoſitum, ex quo manifeſtum eſt, quod jus commune reſiſtat ſpoliato, ſimulque aſſiſtat ſpoliatori, pariter conſtat de dominio ſpoliantis, & quod ſpoliatus non niſi uſurpando ejus poſſeſſionem invaſerit: niſi hoc poſſit oſtendere legitimum titulum, vel ſaltem præſumptionem ejus, puta, ex poſſeſſione longi temporis deſumptam.

82 Et hoc ultimum notanter additur. Siquidem in dubio, & ſtante præſumptione tituli, favorabilioris conditionis debet eſſe ſpoliatus, ſicque ante omnia reſtitui: ſtat enim tunc in poſſeſſione Regula. Accedit, quod in judicio recuperandæ poſſeſſionis non requiratur exacta probatio tituli, ſed ſufficiat levis. Pirhing *h. t. num. 42. & 47.* Nam, ut inquit Maſcardus *de Probat. Concl. 1329. n. 2.* cum aliis, ut ſpoliatus poſſit agere ad petendam reſtitutionem, ſufficit probatio ſummaria, ſive ut coloretur poſſeſſio præhabita: non enim tunc agitur ad reportandam ſententiam diffinitivam, ſed per modum cujuſdam præparamenti; cum contra reſtitutum poſtea agi poſſit judicio petitorio.

Dicitur notanter in Concluſione, *Quando Jus commune favet ſpoliatori &c.* Nam ſi iſtud ſolùm reſiſtat ſpoliato, non autem aſſiſtat ſpoliatori, tunc (extra cauſas Beneficiales, juxta dicenda *n. 85.*) admittendam eſſe reſtitutionem non obſtante illa Juris communis reſiſtentia, paſſim fatentur Doctores: ut Gloſſa *in cit. c. Ad decimas ℣. Eundem Clericum h. t. in 6.* Covarruvias *lib. 1. Var. Reſol. cap. 17. n. 6. verſ. Quamobrem ſunt.* Barboſa *in d. c. Ad decimas n. 6. h. t. in 6.* citans alios. Et meritò: tum quia allegatum *c. Ad decimas*, expreſſe loquitur in caſu, quo Jus commune reſiſtit poſſeſſori ſpoliato, & viciſſim aſſiſtit ſpoliatori, niſi ſpoliatus oſtenderit titulum: ergo ad hunc ſolum caſum eſt reſtringendum: nam regulæ Juris, ut eſt præſens de Reſtitutione ſpoliatorum, ſunt tenaces, ipſiſque eſt inhærendum, donec de fallentia doceatur. Menochius *loc. cit. n. 359.* poſt Bartolum *in L. 2. n. 1 ff. Si quis in jus vocatus &c.* & alios. Tum quia etiam prædo eſt reſtituendus adverſus extraneum *c. In litteris h. t.* haud obſtante, quod Jus naturale eidem reſiſtat: quia videlicet iſtud extraneo non aſſiſtit. 83

Reſp. II Hactenus dicta locum habent non ſolùm in Decimis, Beneficiis Eccleſiaſticis, & cæteris cauſis ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus. Ita Barboſa *in cit. c. Ad decimas nu. 14. h. t. in 6.* aſſerens; ita tenere ferme omnes Doctores prioris ſententiæ; cùm inter res ſpirituales, & temporales non diſtinguant, paucis exceptis. Accedit ratio: quia de cauſis quoque temporalibus militant rationes *n. 80. & 81.* allatæ. Deinde, ſi non obſtante Juris communis reſiſtentia contra ſpoliatum, illiuſque aſſiſtentia pro ſpoliatore, adhuc ante omnia, ſeu ante oſtenſum à ſpoliato titulum, facienda foret ejus reſtitutio; æque tam in temporalibus, quam ſpiritualibus, urget periculum animæ, & præſumptio injuſtæ poſſeſſionis: nam poſſidens aliquid contra Juris diſpoſitionem, præſumitur malæ fidei poſſeſſor, donec oſtenderit titulum, *arg. cit. c. ad decimas h. t. in 6.* & notat Gloſſa *ibid. in caſu.* 84

Atque hanc Concluſionem intellige, quando non ſolùm reſiſtentia Juris communis eſt contra ſpoliatum, nullo titulo etiam colorato munitum (idemque ſi notorie conſtet de defectu proprietatis ex parte ipſius) ſed inſuper aſſiſtentia Juris communis (vel notorietas proprietatis) ſtat pro ſpoliante. Alioquin enim, ſecluſo hoc poſteriori, datur manifeſta diſparitas inter cauſas Beneficiales, & profanas: nam, ut ſpoliato denegetur reſtitutio ad Beneficium Eccleſiaſticum, ſufficit, quod notorium ſit, nullum jus in Beneficio cuipiam ſpoliato competere, *arg. c. Quoniam 10. & c. Conſtitutus 8. de Presbyt.* ac notat Abbas *c. In litteris 11. h. t.* cum aliis, alioquin enim daretur ingreſſus vitioſus, & abſque inſtitutione canonica, in Beneficium Eccleſiaſticum, contra *Reg. 1. Juris in 6.* cum ſimilibus. Unde, ne contra Clericum ſpoliatum præſumatur vitioſus ingreſſus, oportet, ut oſtendat legitimum titulum, ſaltem coloratum. 85

Econtra in aliis cauſis, præſertim profanis, ad reſtitutionem denegandam non ſufficit notorius defectus proprietatis (nam etiam prædo eſt reſtituendus contra extraneum, ut dictum) ſed ulteriùs requiritur, ut ſpoliatori Jus commune aſſiſtat, aut aliunde conſtet de proprietate ſpolii huic competente. Abbas *loc. cit. n. 10.* Pirhing *h. t. n. 27* & concordant dicta ſuperius *n. 76. & ſeqq.* Atque in hoc ſenſu videtur accipienda Deciſio Rotæ *20. tit. de Reſtit. ſpoliat. in antiq.* quam citat, & cum nonnullis aliis ſequitur Maſcardus *Concl. 1329. nu. 10.* dicens, quod in Beneficialibus omnino debeat titulus colorari; in profanis verò non ſit titulus colorandus, ſed tunc ſpoliatus reſtitui debeat ſine aliqua probatione. Hoc quippe rectè aſſeritur, ubi præter notorium defectum proprietatis, aut reſiſtentiam Juris communis ex parte ſpoliati, non aſſiſtit ſpoliatori Jus commune, nec aliunde conſtat de proprietate ſpolii ipſi competente: alias ſecùs, uti convincunt hactenus dicta & probata. 86

Quæritur IV. Utrùm reſtitutio ſpoliati ſit facienda non obſtante periculo animæ, ſcandalo, vel damno irreparabili? Reſp. I. Quando imminet periculum animæ, ſi ſpoliatus reſtituatur, tunc non eſt facienda reſtitutio: dummodò probationes ejus offerantur incontinenti paratæ. Ita Abbas *in c. Litteras nu. 5.* Barboſa *ibid. nu. 5. h. t.* 87

Me-

Menoch. *Remed. 1. de recuperand. poſſeſſ. n. 115. & n. 248.* Pirhing *h.t. n. 27.* Engel *eod. n. 5.* & alii. Deſumitur hoc *ex cit. c. Litteras 13. h. t.* ubi marito repetenti conjugem, quæ propria authoritate ab ipſo diſceſſerat, poſtmodum præmiſſo juramento de malitia, & oblatis probationibus incontinenti paratis, opponebat impedimentum dirimens matrimonii; reſtituitur conjunx quoad cohabitationem tantùm (cohabitare enim licite poterat) non autem quoad thorum, donec cognoſcatur ſuper ejuſmodi impedimento dirimente. Nam ſtante veritate hujus exceptionis, pro qua ſimul offerebantur probationes incontinenti paratæ, mulier quoad thorum reſtitui non poterat abſque detrimento animæ: cùm cognito dicto impedimento dirimente, atque nullitate matrimonii, ſine offenſa Dei, & peccato mortali, debitum viro reddere nequiviſſet.

88 Additur notanter in data Concluſione, *dummodo probationes ejus offerantur incontinenti paratæ.* Aliàs enim ſecus foret dicendum; prout notat Abbas *cit. nu. 5.* atque probat textus *in d. c. Litteras h.t.* Ibi ſiquidem *§. penult.* expreſſe ſubjungitur, quod ſi mulier non habeat probationes incontinenti paratas ad probandum impedimentum dirimens matrimonii; ipſa plenarie, ſicque etiam quoad thorum, viro ſuo ſit reſtituenda, donec probationes offerat præparatas. Præſumitur enim mala fides contra ipſam, eò quòd propria temeritate, & abſque judicio Eccleſiæ, à viro ſuo receſſerit.

89 Nec obſtat, quod talis ſententia Judicis Eccleſiaſtici, ſeu reſtitutio illius mulieris quoad thorum viro ſuo facta, videatur mulierem illam conjicere in manifeſtum periculum animæ, ſeu peccati fornicationis. Nam quia Eccleſiæ non conſtat, neque tam facile conſtare poteſt per probationes, utpote diutius protrahendas, de allegato impedimento dirimente; quin etiam contra mulierem ſtet præſumptio, quod forſan in fraudem iſtud confingat contra jus matrimonii: hinc ſtante tali caſu locus eſſe debet regulæ generali, quod ſpoliatus ante omnia ſit reſtituendus. Neque idcircò mulier illa cogitur peccare: quia aut non certo conſtat ſibi de allegato impedimento (forte, quia illud in fraudem confinxit, vel ſaltem de eo dubitat) & deponat ſuam fraudem, vel conſcientiam dubiam. Aut de dicto impedimento dirimente matrimonii certo ipſi conſtat, & tunc debet viro petenti negare conſortium thori, haud obſtante ſententia Judicis, atque cenſura Eccleſiaſtica (hanc enim humiliter tolerare debet, donec probaverit impedimentum, prout ibidem ſubjungit Pontifex) imò etiam non obſtante periculo mortis; cum potius ſit moriendum, quam fornicandum. Verum occaſione prædictorum

90 Petes. Quandonam cenſeantur probationes *incontinenti* offerri paratæ? Reſp. Tunc dicuntur probationes *incontinenti* offerri paratæ, quando non petuntur dilationes magnæ, ſed offeruntur faciendæ intra aliquod breve tempus, arbitrio Judicis taxandum. Ita Abbas *in cit. c. Litteras n. 6.* & Barboſa *ibid. nu. 6. h. t.* Menochius *lib. 2. de Arbitrar. Judic. Caſu 12. n. 4.* citans alios. Idque meritò: nam in mora modici temporis non eſt periculum, *l. Si debitori ff. de Judiciis.*

91 Reſp. II. Fallit etiam allata ſuperius regula propter ſcandalum: nam reſtitutio ſpoliati non eſt facienda ante omnia, ſi exinde imminet publicum ſcandalum, *arg. can. In primis 2. qu. 1.* ac notat Gloſſa *ibid. verſ. In primis* & alia Gloſſa *cap. Ad petitionem verſ. Et ſi reſtituendus de Accuſat.* Menochius *cit. Remed. 1. de Recuperand. poſſeſſ. numer. 319.* citans Rotam *Deciſ. 12. tit. de Reſtitut. ſpoliat. in noviſſ.* & plurimos alios. Siquidem propter ſcandalum quandoque aliquid omittitur, quod de jure foret faciendum, *can. Aliquantas diſt. 51.* Sicut & multa alia ſolent concedi, ut evitentur ſcandala: nam poteſt Judex partes cogere ad concordiam, ſeu tranſactionem ineundam, ut evitetur ſcandalum, ac perturbatio Reipublicæ: item poteſt Judex ſub ſequeſtro retinere poſſeſſionem, quando aliàs ob contentionem partium oriturum foret ſcandalum, & quies publica interturbaretur; de quibus alibi. Idque eo magis in propoſito locum habet, quia modicum præjudicium infertur ſpoliato, dum ipſi ad evitandum publicum ſcandalum non ſtatim poſſeſſio ablata reſtituitur: hanc enim in petitorio vel illicò erit recuperaturus, vel alioquin amiſſurus.

Reſp. III. Fallit ulterius dicta regula propter damnum irreparabile, quod facta ante omnia reſtitutione ſpoliati ſecuturum foret. Ita Menochius *cit. remed. 1. n. 308. & ſeqq.* allegans communem aliorum. Idque clare deſumitur *ex c. Litteras 13. §. fin. h. t.* ubi ob magnam viri ſævitiam, cui per ſufficientem cautionem præcaveri neque, decernitur, mulierem trepidantem non eſſe reſtituendam, etiam in eo caſu, in quo cæteroquin reſtituenda foret: nam ſævitia talis viri afferret uxori reſtitutæ damnum irreparabile, puta, ſi ab ipſo graviter percuteretur, mutilaretur, vel interficeretur. 92

Quæritur V. An propter renunciationem dominii, ceſſet reſtitutio ſpoliati? Reſp. I. Regula de reſtitutione ſpoliati ante omnia facienda, fallit ulterius, & patitur limitationem, quando ſpoliatus ante factam ſuam ſpoliationem ſponte renunciavit dominio rei per ſpolium ablatæ. Ita Abbas *in c. Accepta nu. 4* & Barboſa *ibid. n. 1. & ſeqq. h. t.* Menochius, *ubi ſupra nu. 197.* poſt Rotam *dec. 7. & 16. de reſtit. ſpoliat.* & alios. Atque hoc aperte colligitur *ex c. Accepta 3. h. t.* ubi petens reſtitutionem Beneficii Eccleſiaſtici (idemque à pari, ſervata tamen proportione, dicendum de aliis rebus) non auditur, licet probet ſpoliationem, quando probatur, eum nullo metu aut vi coactum, ſed ſpontaneè, prius illud Beneficium coram legitimo Superiore reſignaſſe. 93

Accedit ratio: quia per ſpontaneam renunciationem remiſit Reſignans omne jus ſuum, non ſolùm quoad proprietatem (huic enim reſignans cedit) ſed etiam quoad poſſeſſionem, *l. Si quis vi §. Differentia ff. de Acquir. poſſeſſ.* Unde amplius non poteſt prætendere ſpoliationem, ob defectum poſſeſſionis; neque, ſi inde quoquo modo dejectus fuerit, reſtituitur: cùm facto proprio, ſive ex ſpontanea renunciatione, jam antea poſſeſſionem amiſerit, licet adhuc corpore inſiſtat. Siquidem Interdictum *Unde vi* non competit, niſi ei, qui poſſeſſione ſua actualiter habita ſpoliatus fuit, *L. 1. §. Dejicitur & §. Interdictum autem hoc ff. de Vi & vi armat.* 94

Nec obſtat textus in *c. Sollicite 2. h. t.* ubi petenti reſtitutionem Beneficii, non obſtat renunciatio facta poſt ſpoliationem. Reſp. enim, hic ſermonem eſſe de renunciatione facta primum poſt ſpoliationem: unde quia tempore ſpoliationis adhuc erat in poſſeſſione, meritò locum habet Interdictum *Unde vi*, ſicque ſpoliatus reſtituitur. Accedit, quod renunciatio facta primum poſt ſpoliationem, præſumatur non ſpontanea: *Quia non eſt veriſimile, quod ſponte juri ſuo renunciaverit, qui renunciavit ſpoliatus*, ut loquitur ibidem Pontifex. Notum autem eſt, quod ea, quæ vi aut metu fiunt, vel ſint ipſo jure nulla, vel ſaltem per ſententiam Judicis reſcindenda *cap. 2. De iis quæ vi metuſve cauſ.* cum ſimilibus. Econtra in data Concluſione, ſicut & *in cit. c. Accepta h.t.* ſermo eſt de renunciatione ſponte facta, & quidem ante ſpoliationem, dum quis adhuc quiete poſſidebat: unde non mirum, quod illhæc renunciatio cenſeatur valida, cùm ſit facta ſponte, ſimulque à poſſidente: & ſic citata Jura non contradicunt. Gloſſa *in c. Super hoc verſ. reſignavit de renunciat.* & alia Gloſſa *in cit. c. Sollicite verſ. Eum ſpoliation* & Abbas *ibid. nu. 8. h. t.* 95

Fatendum tamen, quod ſi quis vi, aut metu gravi injuſte incuſſo coactus renunciet ante ſpoliationem, poſſit poſtmodum, ſi ſpolietur ejus poſſeſſione, petere reſtitutionem: argumento à ſenſu contrario deſumpto ex cit. c. *Accepta*, & notat Abbas *ibid. num. 4. h. t.* Generaliter enim, quæ vi metuſve cauſa fiunt, vel ſunt ipſo jure nulla, vel ſaltem ad inſtantiam partis læſæ per Judicem reſcindenda. 96

Et econtrà, ſi quis poſt ſpoliationem omnino ſponte, & abſque ulla vi aut metu reſignet, valere talem reſignationem, cenſet Barboſa *in d. cap. Sollicite num. 4. h. t.* Azorius *part. 2. lib. 7. cap. 26. qu. 7.* Idipſum admittit etiam Abbas *in c. Sollicite num. 9. & 10. h. t.* addens, quod talis renuncians videatur velle purgare vitium ſpoliationis, ſaltem reſpectu poſſeſſionis conſequendæ; cùm poſſeſſio ſequatur proprietatem, ubi hæc notoria eſt, *c. Cum dilectus de Cauſa poſſeſſ.* cum ſimilibus. Idque vel maxime procedit, quando talis reſignatio poſt ſpoliationem facta eſt coram competenti Judice: quia legitima Judicis authoritas omnem ſuſpicionem violentiæ, ac metus excludit. Azorius *cit. qu. 7.* Flaminius Pariſius 97



*de Reſignatione lib. 13. quæſt. 5. numer. 28.* allegans communem.

98 Quæritur VI. An dentur alii caſus, in quibus fallit regula de Reſtitutione ſpoliatorum ante omnia facienda? Reſp. I. Dari plures alios. Sic quippe fallit ulterius ſæpe dicta regula, quando ſpoliatus poſt ſpoliationem inivit pactum cum ipſomet ſpoliatore, quod nolit agere Poſſeſſorio recuperandæ. Nam poſt tale pactum non eſt reſtituendus: & ſi agens poſſeſſorio reſtitui petat, removetur exceptione talis pacti. Ita Gloſſa *in cap. Ex inſinuatione, verſ. Aliud canonicum de Procurat.* Abbas *in cit. cap. Sollicite num. 16 h. t.* Innocentius *cap. Super hoc de renunciat.* Alexander *Conſil. 93. num. 5. lib. 5.* Menochius *d. Remed. 1. de recuperand. poſſeſſ. nu. 281.* citans inſuper Rotam *deciſ. 16. tit. de reſtitut. ſpoliat. in novis*, & alios quamplures. Ratio eſt, quia pacta eſſe cuſtodienda, & ea quæ promittuntur opere complenda, textus eſt *in cap. 1. & 3 de Pactis*; & comprobat ipſum Jus naturale. Et licet de rigore Juris Civilis ex pacto nudo non detur actio, datur tamen exceptio, *l. Juris gentium §. Sed cùm nulla ff. de Pactis.*

99 Dices. Non valet pactum ante ſpoliationem initum cum ſpoliatore, quod quis nolit agere poſſeſſorio recuperandæ, *text. clar. l. Si unus verſ. Pacta ff. de Pactis*, ergo nec valet tale pactum poſt ſpoliationem. Reſp. neg. conſequent. Nam ejuſmodi pactum ante ſpoliationem initum daret anſam delinquendi, & animaret homines ad ſpoliandum, ac proinde veluti continens turpem cauſam, meritò reprobatur à Jure, & non valet. Secus dicendum de pacto non agendi poſſeſſorio, ſeu remiſſione talis juris poſt ſpoliationem: quia hæc duntaxat reſpicit rem familiarem, dum per ipſam fit renunciatio ſuper jure agendi poſſeſſorio, quod competit ſpoliato, non autem datur anſa de novo delinquendi, ſive dolum committendi, quod cederet in offenſam Dei, ac in perniciem Reipublicæ. Hinc *in cit. l. Si unus §. Illud & §. Pacta ff. de Pactis*, recte dicitur, non valere, *Si paciſcar, ne furti agam, vel injuriarum, ſi feceris, expedit enim timeri furti, vel injuriarum pœnam: ſed poſt admiſſa hæc paciſci poſſumus.* Ubi Gloſſa *verſ. Poſſumus* breviter dat rationem hujus, illis verbis: *Quia per hoc non publico, ſed juri noſtro renunciamus, quod fieri poteſt; ut L. penult. C. eod.*

100 Reſp. II. Fallit inſuper eadem regula propter exceptionem Juramenti. Nam quando ſpoliatus poſt ſpoliationem, etiam ſecluſo alio pacto, ſponte juravit non agere Poſſeſſorio recuperandæ, neque moleſtare ſpoliatorem ſeu poſſeſſorem, ampliùs non reſtituitur ante omnia, ſed obſtat ipſi exceptio talis juramenti. Ita Abbas *in d. c. Sollicit. nu. 16. h. t.* Alexander *cit. conſil. 93. nu. 5. lib. 5.* Zaſius *in §. Nihil commune nu. 55. ff. de Acquir. poſſeſſ.* Menochius, *ubi ſupra nu. 287.* citans Rotam *deciſ. 16. tit. de reſtit. ſpoliat. in novis*, & alios. Et hoc præter illa, quæ in fallentia præcedenti allata ſunt, probatur ulterius ex eo: quia tale juramentum poteſt ſervari abſque diſpendio ſalutis æternæ; ergo eſt ſervandum, *c. Ad noſtram 7. & c. Si verò 8. de Jurejur.* ac notat Gloſſa *in c. Pervenit. §. Poſſit conſtringi eod.*

101 Nec obſtat *cit. cap. Sollicite 2. h. t.* ubi petenti reſtitutionem non obſtat exceptio juramenti, ſeu renunciationis juratæ poſt ſpoliationem. Reſp. enim, *in cit. cap. Sollicite* ſermonem eſſe de juramento facto poſt ſpoliationem, ac reſpiciente poſseſſionem ſpolii, quam amplius non habebat ſpoliatus, ſicque nec huic renunciare poterat; ſimulque de tali juramento, quod præſumitur præſumptione juris non fuiſſe ſpontaneum. Secùs eſt in præſenti fallentia, ubi ſermo eſt de juramento, quod quidem fit poſt ſpoliationem, non tamen reſpicit poſseſſionem ſpolii, ſed cadit duntaxat ſuper jus non agendi; ſimulque ſupponitur eſſe ſpontaneum, ac præſumptionem in contrarium purificari vel per confeſſionem ſpoliati juramentum hoc emittentis, vel per publicum inſtrumentum deſuper confectum, aut ſaltem per hoc, quia contra tale juramentum nihil opponitur. Abbas *cit. numer. 16.*

102 Reſp. III. Fallit etiam ſæpe dicta regula ob exceptionem excommunicationis, vel alterius criminis, reddentis perſonam ſpoliati inhabilem ad agendum, vel ipſo jure inducentis privationem ſpolii ac poſseſſionis ejus. Sed de his criminibus exceptis, & in quibus locum non habeat diſpoſitio, *c. Inter cùm quis 6. h. t.* volentis, quod non obſtet exceptio criminis agenti Interdicto *Unde vi*, jam dictum eſt ſuperiùs *§. 3. n. 50. & 51. ac ſeqq.*

Tacentur nonnullæ aliæ fallentiæ illius regulæ, *Spoliatus ante omnia reſtituendus eſt.* Nam præmiſſæ ſunt principaliores, de quibus & quibuſdam aliis, fuſiſſime tractat Menoch. *cit. remed. 1. de recuperanda Poſſeſſione, per totum.* 103

## §. V.

## De diviſione Fructuum, horumque reſtitutione per Spoliatorem, aut malæ fidei poſſeſſorem facienda.

### SUMMARIUM.


104 *Fructus generatim, qui?*
*Beneficiorum Eccleſiaſticorum collatio continetur inter fructus. Ibid.*
105 *Fructuum appellatione in Jure qui veniant?*
106 *Obligatio reſtituendi fructus rei alienæ, qualiter intelligenda?*
107 *Fructus alii ſunt naturales, alii induſtriales. Et num. ſeqq.*
108 *Fructus Civiles non conſtituunt tertiam Fructuum ſpeciem, ſed reducuntur ad induſtriales.*
109 *Fructus naturales, &*
110 *Fructus induſtriales, qui?*
111 *In dubio quales ſint, Judicis arbitrio id diſcutiendum. Et nu. ſeqq.*
112 & 113 *Lac, & lana in pecoribus &c. an ſint fructus induſtriales, vel naturales?*
114 *Fructus percepti, &*
115 *Fructus percipiendi, ac*
116 *Fructus conſumpti, qui?*
117 *Spoliator violentus tenetur reſtituere rem ablatam, & omnes fructus ejus.*
118 *Etiam illos, quos prior poſſeſſor percipere potuiſſet.*
119 *Et hoc amplius declaratur.*
120 *Spoliator tenetur etiam omnia damna illata plenarie reſarcire.*
121 *Et antequam audiatur ſuper proprietate, præmiſſa omnia ſpoliato ad obulum reſtituere.*
122 *Ubi de illata ſpoliato violentia conſtat, damna & intereſſe probantur per Actoris juramentum; & qualiter?*
123 *Requiruntur tamen ad hoc quatuor conditiones; & quæ?*
124 *Poſſeſſor malæ fidei, licet violentus non ſit, tenetur reſtituere fructus ex re aliena perceptos.*
125 *Imò & eos, qui à domino percipi potuiſſent.*


Quæritur I. Quid intelligatur nomine Fructuum? 104
Reſp. I. Generatim loquendo *Fructus à ferendo* ſic dicti, appellantur illi, quos fundus, vel quælibet alia res fert, ſeu reddit. Et in tali tam generica ſeu ampla acceptione, *Fructuum* appellatione continetur etiam collatio Beneficiorum Eccleſiaſticorum, utpote quæ inter bona Epiſcopalia, & fructus computatur, juxta Gloſsam *fin. in c. cùm olim 15. de Majorit. & obed.* Hac ratione pariter dicuntur *Fructus Menſæ Epiſcopalis*, hoc eſt, redditus ipſius, quos videlicet ſolet annuatim ferre. Sed magis loquendo ad propoſitum

Reſp. II. *Fructuum* appellatione in Jure intelliguntur illi, qui ſuperſunt *deductis impenſis, quæ quærendorum, colligendorum, conſervandorumque eorum gratia fiunt.* Ita loquitur textus expreſſus *in l. Si à domino 39. §. fin. ff. de Petition. hæredit.* eo addito, quod hoc non ſolùm in bonæ fidei poſseſſoribus locum habeat, verùm etiam in malæ fidei, puta, in prædonibus. Idipſum tradit Gloſsa *in c. Grave, verſ. Fructus h. t.* eſtque communis. 105

Infertur proinde, quod dum dicitur quemplam, puta injuſtum rei alienæ ſpoliatorem, teneri præter rem ipſam reſtituere omnes ejus fructus, id de illis duntaxat fructibus, qui ſuperſunt neceſsariis impenſis, intelligendum 106

dum ſit: non autem includendo ipſas expenſas, quæ factæ fuerunt, utpute reſpectu frumenti in arando, triturando, & conducendo, aut conſervando horreum, in quo reconditum fuit. Gloſſa *in cit. l. Si à domino, verſ. Quærendum & ſeqq.* Neque enim poteſt cenſeri fructus, niſi quod ſupereſt expenſis, computando ſimul pretium laboris impenſi in cultura rei alienæ.

107 Quæritur II. Quotuplicis generis ſint Fructus? Reſp. I. Fructus alii ſunt naturales, alii induſtriales. Ita Gloſſa *in d. c. Gravis verſ. Fructus h. t.* & alia Gloſſa *in l. Et ex diverſo, verſ. Non habendam ff. de Rei vendicat.* & Doctores communiter: quamvis Abbas *in cit. c. Gravis nu. 3. h. t.* & Bartolus *l. Et ex diverſo §. ultimo ff. de Rei vendicat.* & Alexander Imolenſis *lib. 4. conſil. 56. n. 9.* ac Menochius *de recuperand. poſſeſſ. remed. 15. num. 576.* addant tertiam Fructuum ſpeciem, videlicet *Fructus Civiles*: ut ſunt uſuræ, penſiones domorum, navium vecturæ, & obventiones, ac his ſimilia.

108 Verùm *Fructus* iſti, quos alii vocant *Civiles*, commode reducuntur ad induſtriales; hoc ipſo, quod magis induſtria hominum, quam natura proveniant, prout ſentit Covarruvias *lib. 1. Var. reſol. cap. 3. num. 6.* citans Aretinum *conſil. 100.* Myſinger *§ Si quis à non domino nu. 7. Inſtit. de Rer. diviſ.* Card. Tuſchus *Litt. F. Concl. 485. nu. 1. & ſeqq.* Quinimò Baldus *in l. Si traditio in fin. C. de Act. empt.* hoſce Fructus vocat *induſtrialiſſimos*, eò quòd hominis induſtria in navibus, vel ædibus locandis impenſa proveniant, & ſine tali induſtria non habeantur. Et hinc Menochius *lib. 2. de Arbitrar. Judic. caſu 218. n. 27. & 29.* revocat priorem ſuam ſententiam, qua *cit. remed. 15. de recuperand. poſſeſſ. nu. 576.* admiſerat tertiam illam ſpeciem Fructuum Civilium: & credit, commentitiam eſſe denominationem hanc, cum nullo Jure probetur; ac negari non poſſit, majorem in his induſtriam hominis verſari, ac in cæteris fructibus. Itaque dimiſſa Fructuum Civilium ſpecie, ſive ipſa ad Fructus induſtriales reducta.

109 *Fructus naturales* ſunt illi, quos natura ſua ſponte producit, nihil aut parum cooperante induſtria hominis: ut poma, ficus, nuces, ceraſa, fœnum, ligna & hujuſmodi, quæ vi ac beneficio naturæ principaliter, non diligentia, & opera hominis proveniunt, *arg. l. Fructus percipiendo ff. de Uſuris.* Ubi idcircò pomum cenſetur eſſe fructus naturalis, *quia non ex facto hominis is fructus naſcitur.* Licet enim in hiſce colligendis, aut etiam plantandis arboribus, requiratur aliquis labor hominis, atque induſtria ipſius; hæc tamen modica eſt reſpectu naturæ, quæ totum ferme agit.

110 *Fructus induſtriales* econtrà dicuntur illi, qui diligentia & cura hominis proveniunt, *l. Bonæ fidei §. 1. ff. de Acquir. rerum domin.* Sive, qui proveniunt, ac percipiuntur potiùs ex induſtria hominis, quam ex ipſa natura: ut ſegetes ſive frumenta, utpote quæ non niſi opera hominis, ſive excolendo terram, atque ſerendo acquiruntur; prout exemplificatur *in d. l. Fructus percipiendo.* Idem dicendum de vino, oleo, ac ſimilibus, *arg. l. Si ejus ff. de Rei vendicat.* ubi vinum & oleum, clare diſtinguntur ab uvis & olivis, ſicque ob novam formam, quam eiſdem homo per expreſſionem ſua induſtria tribuit, *§. Cùm ex aliena Inſtitut. de Rerum diviſ.* inter Fructus induſtriales connumerari merentur; haud obſtante, quod uvæ & olivæ, ad inſtar pomorum poſſint dici fructus naturales. Menochius *de Arbitrar. Judic. cit. caſ. 210. nu. 21. & ſeqq.* quamvis Card. Tuſchus *cit. Concl. 485. n. 4.* allegans Bartolum *Conſil. 125. nu. 2. lib. 1.* olivas numeret inter fructus induſtriales, eò quòd hominis induſtriam requirant.

111 Cæterùm loquendo de aliis fructibus, in quibus non ſatis per Leges determinatum reperitur, an ſint naturales, vel induſtriales, id relinquitur Judicis arbitrio: qui tum ex allatis exemplis motum animi ſui informare poteſt, *arg. l. Non poſſunt ff. de Legib.* tum circa caſus particulares attendere debet, utrùm in hujuſmodi fructibus producendis plus valeat induſtria hominis, quam ipſa natura, vel econtrà. Si enim magis in illis verſetur induſtria hominis, erunt induſtriales, ſi verò magis natura, dicentur Fructus naturales, *arg. l. Quæritur ff. de Statu homin. & can. Si teſtes §. Hermaphroditus 3. quæſt. 4.* Abbas *in c. Gravis n. 3. h. t.* Covarruvias *lib. 1. Var. reſolut. cap. 3. nu. 6.* Menochius *d. Caſu 210. nu. 20.* & alii.

112 Hinc fit, quòd inter Fructus induſtriales non pauci Doctores numerent lac, & lanam in pecoribus; ut Gloſſa *§. Si quis à non domino, verſ. Cura. Inſtit. de rer. diviſ.* Abbas *cit. numer. 3.* Bartolus *l. Et ex diverſo num. 2. ff. de rei vendicat.* Anton. Nebriſſenſis *in Vocabulario Juris verſ. Fructus induſtriales.* Menochius *cit. Caſu 210. numer. 26.* & quidam alii: eo, quod non proveniant abſque magna cura hominis, qui niſi diligenter cuſtodiret & paſceret oves, nec lac nec lanam ab his acciperet. Econtra verò Menochius *d. remed. 15. de recuperand. poſſeſſ. num. 577.* Mynſinger *d. §. Si quis à non domino n. 7. Inſtit. de rerum diviſ.* Spiegelius *in Lexico Juris verſ. Fructus naturales*, & quidem alii, lac & lanam pecorum inter fructus naturales connumerant. Et hoc ipſum de fœtibus animalium, ut hædulis, agnis, vitulis, plerique Doctores tenent, quod nempe ſpectent ad fructus naturales; cum magis ex natura, quam hominum induſtria proveniant.

113 Verùm hoc non poſſe univerſaliter affirmari, ſed id juxta diverſas locorum qualitates, & circumſtantias, Judicis arbitrio fore determinandum, inquit Joan. Garſias *Tom. 17. Tractatuum, tract. De Expenſis & meliorat. cap. 23. num. 8.* Nam alicubi oves, capræ, in ſylvis & montibus abſque cura hominum vagantur, concipiunt & pariunt; ſicque meritò eorum fœtus cenſentur eſſe fructus naturales. Alibi verò id non accidit abſque magno labore & induſtria hominis, qui eas in ſtabulis cuſtodire; ad paſcua deducere, ipſaque paſcua juxta illarum genium atque indigentiam mutare, pluraque alia præſtare cogitur: ubi proin meritò fœtus talium animalium inter fructus induſtriales numerari valent. Idem dicendum de herbis, quæ alicubi ſponte naſcuntur, alicubi magnam hominis induſtriam & culturam, ut naſcantur, requiritur; prout præſertim videre eſt in hortalitiis.

114 Reſp. II. Inſuper Fructus alii ſunt percepti, alii percipiendi, ſeu adhuc pendentes: ex perceptis verò alii ſunt conſumpti, alii non conſumpti. *Ita communis*: Et quidem *Fructus percepti*, non ſolùm dicuntur illi, qui perfecte ſunt collecti; veluti, qui jam conjecti ſunt in horreum: ſed etiam, qui induſtria hominis ſunt à ſolo ſeparati, licet nondum ſint in horreis, vel cellariis reconditi, *l. Si uſufructuarius ff. quibus modis uſusfructus amitt.* ubi dicitur, *Fructum percipi ſpica, aut fœno cæſo, aut uva adempta, aut excuſſa olea, quamvis nondum tritum frumentum, aut oleum factum, vel vindemia coacta ſit.* Secùs dicendum de ea olea, quæ per ſe decidit, ac proin abſque hominis induſtria ſeparatur à ſolo, ſicque nondum inter fructus perceptos numerari meretur; prout *in cit. l. Si uſufructuarius*, ſubjungitur.

115 *Fructus percipiendi* dicuntur illi, qui adhuc pendent, boniſque aliis connexi adhærent. Et tales fundo cedunt, fundumque ſequuntur; ac proinde una cum fundo (deductis tamen impenſis) reſtituendi ſunt: *nam fructus pendentes, pars fundi eſſe videntur*, prout loquitur textus *in l. Fructus pendentes 45 ff. de rei vendicat.*

116 *Fructus conſumpti* appellantur illi, quos poſſeſſor in ſuos uſus convertit, nec ampliùs exiſtunt in rerum natura. *Fructus non conſumpti* econtrà cenſentur qui adhuc ſunt in rerum natura. Et hac multiplici Fructuum diviſione præſuppoſita, quantum ad alteram partem præſentis Paragraphi.

117 Quæritur III. Utrùm ſpoliator violentus tum rem ablatam, tunc fructus ejus & damna illa reſtituere teneatur, & qualiter? Reſp. I. Spoliator, ſeu violentus invaſor, non ſolùm tenetur, ac judicialiter compelli debet reſtituere rem ablatam, ſed etiam omnes fructus ejus; tam perceptos, & conſumptos, vel adhuc extantes; quam etiam illos, quos prior poſſeſſor percipere potuiſſet, ſi ipſi poſſidere fuiſſet licitum. Textus eſt *in c. Gravis 11. h. t.* atque concors Doctorum ſententia. Concordat Jus Civile *l. Si de poſſeſſione C. Unde vi*; ubi pariter dicitur, quod conventum Interdicto *Unde vi*, ſeu violentum poſſeſſorem, *cauſam omnem præſtare oportet: in qua fructus etiam, quos vetus poſſeſſor percipere potuit, non tantùm quos prædo percepit, venire non ambigitur.*

118 Et notanter hoc ultimum additur. Quia, dum dicitur, quod poſſeſſor malæ fidei teneatur reſtituere illos etiam fructus, qui percipi potuiſſent: iſtud ly, *percipi potuiſſent*, referendum eſt ad petitorem ſpoliatum: non verò ad poſſeſſorem violentum, ſeu prædonem ſpoliatorem; ut liquet tum ex poſterioribus verbis *cit. l. Si de poſſeſſione. C. Unde vi*; tum etiam *ex d. cap. Gravis h. t.* Ubi Pontifex, loquens de reſtitutione fructuum percipiendorum, ſatis clare idipſum inſinuat, illis verbis: *Sed quos (ſi eis poſſidere fuiſſet licitum) poſſeſſores veteres percepiſſent, reddi facîatis eiſdem.* Abbas *in cit. cap. Gravis nu. 13. & ſeqq. h. t.* & Bartolus *in l. Et ex diverſo §. Sequitur in Gloſſa ff. de Rei vendicat.* Solventes contraria.

119 Nec immeritò hoc dicitur atque notatur. Quia ex qualitate culturæ, quam exercet petitor, ſeu dominus ſpoliatus, facile contingere poteſt, ut ex re ſpolio ablata majores ille fructus percipere potuiſſet, ac ipſemet ſpolians poſſeſſor ſive prædo. Quod ſi verò econtrà ſpoliator majores inde fructus potuiſſet percipere, non videtur, quod exinde petitor ſpoliatus poſſit prætendere intereſſe: tum quia nullum ob id damnum paſſus eſt: tum quia *in cit. c. Gravis h. t.* ſolummodò fit mentio de fructibus, qui per antiquum poſſeſſorem percipi potuiſſent. Abbas *loc. cit. n. 14. in fin.* iſtud aſſerens eſſe notandum.

120 Reſp. II. Inſuper ſpoliator, ſeu violentus invaſor, tenetur omnia damna, ex ſua deſpoliatione alteri illata, plenarie reſarcire, atque pro illatis injuriis competenter ſatisfacere. Ita unanimis Doctorum; & præter Jura proxime allegata, patet ex *L. 1. §. Non ſolùm ff. de Vi & Vi armat. & L. 1. & ſeqq. C. Unde vi*, cum ſimilibus. Idipſum, & quidem clarius, habetur expreſſum in jure Canonico *cap. ult. de Injuriis, & damno dat.* Idque meritò: ſiquidem lumen naturale, atque ipſa Juſtitiæ virtus, non ſolùm exigit reſtitui alienum, ſeu rem violenter alteri ablatam; ſed etiam reſarciri pro poſſibili omnia damna injuſte allata, & pro injuriis undequaque ſatisfieri, ne proximus indebite gravetur, moleſtetur, atque gravatus remaneat, contra illud lumine naturali notum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

121 Atque hæc ad materiam præſentis Tituli applicando, eſt ſciendum, quod antequam ſpoliator audiatur, ſpoliatus debeat reſtitui quoad fructus & expenſas. Barboſa *in c. Gravis n. 4. h. t.* allegans Rotam *in Lavellen. ſeu Melphien. pecuniaria 16. Novemb. 1610. coram Ubaldo & in Romana ſylvæ 15. Maii 1628. coram Vereſpio.* Adeò quidem, ut conformiter dictis ſupra *nu. 8.* ſpoliatus ad obolum uſque ſit reſtituendus, antequam ſpoliator audiatur ſuper proprietate ſpolii. Menochius *Remed. 1. de recuperand. poſſeſ. nu. 239.* citans plures alios. Concordat Abbas *in can. Gravis nu. 2. h. t.* aſſerens, quod ex Interdicto *recuperandæ* non ſolùm veniat reſtitutio rei invaſæ, ſed etiam plenaria reſtitutio omnium mobilium inde ablatorum, reſarcitio damnorum, atque plenaria reſtitutio fructuum tum perceptorum, tum eorum, qui percipi potuiſſent: quamvis enim Interdictum *unde vi* de rebus mobilibus non detur principaliter, bene tamen accesſorie, ut jam ſupra *Tit. præc. §. 3. nu. 99. & ſeqq.* dictum fuit.

122 Reſp. III. Siquidem conſtet de violentia illata, certum autem non ſit, quantum damnum per ſpoliatorem fuerit illatum, & ſpoliatus ſingula, quæ perdidit, comprobare nequeat, ſicque ſuper ipſiſmet rebus ablatis, vel invaſis, ac damno dato controverſia ſubſiſtat: tunc Judex inſpecta perſonarum, & negotii qualitate, debet illud taxare, & juramentum Actori, ſive petitori ſpoliato deferre; & hoc jurante, quod tantum damnum, & non minus, paſſus fuerit, ſtatur juramento ejus, ac juxta quantitatem taliter juratam Judex Reum, ſeu ſpoliatorem condemnare debet. Ita DD. communiter; & patet ex *cap. ult. De iis quæ vi metuſve cauſa &c.* Idemque habetur expreſſum *in l. Si quando C. unde vi*, ubi Summarium breviùs ſic loquitur: *Contra violentum, conſtito de violentia, damna & intereſſe probantur per Actoris juramentum, judicis taxatione præmiſſa.*

123 Porrò ut locum habeat diſpoſitio hujus Legis, ac *cit. cap. ult. De iis quæ vi metuſve cauſa &c.* Sequentia quatuor copulative requiruntur. I. Quod violentia plene probetur; puta, per propriam ſpoliatoris confeſſionem, vel per teſtes, aut hujuſmodi; non autem per ſolum juramentum ſpoliati: Siquidem juramentum non eſt liquida probatio; ac proinde, ubi requiritur legitima probatio, non ſufficit juramentum ſolum, juxta Gloſſam notabilem *in l. Cùm de indebito verſ. Legitimis ff. de Probation.* II. Quod inſpecta negotii, ac perſonæ qualitate, fiat taxatio damni per Judicem. III. Quod juretur per ſpoliatum juxta formam taxatam. IV. Quod ſequatur condemnatio facta à Judice ſecundùm formam illam taxatam, Jaſon *in d. l. Si quando nu. 7. C. unde vi*; & patent ſingula ex verbis illius Legis, atque ex *cit. cap. ult. De iis, quæ vi metuſve cauſa fiunt.*

124 Quæritur IV. An poſſeſſor malæ fidei, licet violentus non ſit, teneatur fructus ex re aliena perceptos reſtituere? Reſp. affirmativè. Idque patet *ex l. Si fundum C. de Rei vendicat. & l. Certum eſt. C. eodem* ubi dicitur: *Certum eſt, malæ fidei poſſeſſores omnes fructus ſolere cum ipſa re præſtare.* Concordant textus expreſſus *in §. Si quis à non domino. Inſtit. de rerum diviſ.* de quocunque malæ fidei poſſeſſore indiſtinctè pronuncians: *Qui alienum fundum ſciens poſſederit, cum fundo etiam fructus (licet conſumpti ſint) cogitur reſtituere.* Ubi Gloſſa *verſ. Cogitur reſtituere*, inquit, quod malæ fidei poſſeſſor teneatur de conſumptis, *Condictione ſine cauſa*; & de extantibus, *Rei vendicatione.*

125 Quinimò poſſeſſor quilibet malæ fidei, non ſolùm tenetur præſtare fructus perceptos; ſed etiam, qui à domino honeſte percipi potuiſſent, *l. Fructus non modo ff. de Rei vendic.* juncta Gloſſa *ib. in Caſu*, [illegible] intelligente de quolibet malæ fidei poſſeſſore, [illegible] do, an ſit violentus, nec ne. Menochius [illegible] *poſſeſſ. remed. 15. num. 602.* & communis. Concordant proxime dicta *nu. 117. & ſeqq.* Et de his minor eſt controverſia inter Doctores: major autem de reſtitutione fructuum per bonæ fidei poſſeſſorem præſtandorum ex re aliena, ſeu poſtmodum per dominum illius rei evicta. Unde ſit

## §. VI.

## De Reſtitutione Fructuum à bonæ fidei poſſeſſore ex re aliena perceptorum, ſed nondum conſumptorum facienda.

*S U M M A R I U M.*

126 *Præmittitur ordo quæſtionum.*
127 *Poſſeſſor bonæ fidei, etiam ſine titulo; fructus induſtriales ex re aliena perceptos, facit ſuos &c. & numer. ſeqq.*
128 129. & 130 *Idque probatur.*
131 *Eos tamen adhuc extantes tenetur domino* [illegible] *reſtituere. Et nu.* [illegible]
132 *Sicque dominium* [illegible] *eſt perfectum, &* [illegible]
133 *Et* [illegible] *reddendi?*
134 *Hæc* [illegible] *reſtituti non procedit, ſi bonæ fidei poſſeſſor* [illegible] *triennii ipſo* [illegible] *ſucepit.*
135 [illegible] *fidei cum titulo legitimo, ſaltem colorato, lucratur fructus naturales;* [illegible]
136 & 137 *Ratio prioris partis.*
138 139. & 140 *Prop*[illegible] *& ſolvitur notabilis inſtantia.*
[illegible] *Et concordatur* [illegible] Fructus percipiendo ff. de [illegible] l. Bonæ fidei de Acquir. rer. dom. [illegible] *& ſeqq.*

126 QUæritur I. Utrùm bonæ fidei poſſeſſor teneatur reſtituere fructus induſtriales ex re aliena perceptos, ſed nondum conſumptos? Et notanter additur, *fructus induſtriales*: quia de naturalibus eſt alia quæſtio, de qua agetur proxime poſt iſtam. Additur etiam, *ſed nondum conſumptos*: nam de conſumptis pariter eſt ſpecialis difficultas, de qua ex profeſſo [illegible] §. *ſeq.* Quo prænotato

127 Reſp. I. Poſſeſſor bonæ fidei, ſive cum titulo, ſive abſque titulo, fructus induſtriales ex re aliena perceptos, facit ſuos: ita tamen, ut hoſce necdum conſumptos ſed adhuc extantes, teneatur domino ſupervenienti una cum re evicta reſtituere; ſicque dominium [illegible] non ſit omnino perfectum, & irrevocabile. Ita Gloſſa *in l. Et ex diverſo verſ. Non habendam*, [illegible] Bartolus *ibid. §.*

Sed

*Sed fructus induſtriales ff. de Rei vendicat.* Abbas *in c. Gravis nu. 4. h. t.* Speculator *tit. de Fructibus & Intereſſe §. 1. n. 2.* Covarruvias *lib. 1. Var. reſolut. cap. 3. nu. 6.* & alii. Menochius *de recuperand. poſſeſſ. remed. 15. num. 594. & ſeqq.* & alii.

128 Concluſio hæc quoad primam partem deſumitur *ex l. Bonæ fidei 48. ff. de Acquir. rerum domin. & l. Qui ſcit §. Porrò ff. de Uſur. & §. Si quis à non domino Inſtit. de rer. diviſ.* In quo poſteriori loco etiam hujus ratio inſinuatur, dicendo, bonæ fidei poſſeſſoris eſſe fructus induſtriales, ex re aliena perceptos, *pro cultura & cura.*

129 Nec obſtat, quod prædictæ Leges ex profeſſo loquantur de eo, qui bona fide poſſidet cum titulo, v.g. emptionis, donationis, aut hujuſmodi. Siquidem hoc ipſum communiter extendunt Doctores ad bonæ fidei poſſeſſorem etiam ſine titulo, juxta Gloſſam *loc. cit.* ubi ait, quod fructus induſtriales *quilibet bonæ fidei poſſeſſor, ſive cum titulo, ſive ſine titulo facit ſuos, ſecundùm omnes.* Idque meritò, cum ob allatam rationem impenſæ, culturæ, & laboris: tum propter textum *in l. Fructus percipiendo*, juncta Gloſſa *V. Donata ff. de Uſuris*; ubi cum titulo illegitimo (qualis pro non titulo habetur *l. Quoties ff. qui ſatiſdare cogant.*) lucratur quis fructus induſtriales.

130 Accedit ratio. Quia ſpectato ſolo Jure naturali, omnes fructus fundi alieni ſpectarent ad verum dominum ipſius fundi (nam quælibet res domino ſuo fructificat) ſicque non efficerentur bonæ fidei poſſeſſoris: ſed Jus Civile, ob impenſam, culturam, & induſtriam, juncta bonæ fidei poſſeſſione, hunc primùm efficit dominum talium fructuum, per Jura allegata, & notat Sanchez *lib. 2. in Decalogum cap. 23. n. 71.* Ergo, ſicut in ſimili ex ejuſdem Juris Communis ordinatione ad præſcriptionem ſufficit poſſeſſio bonæ fidei, ſive cum titulo, ſive abſque titulo (quamquam hic requiratur longius tempus) ita impræſentiarum etiam ſufficiet bonæ fidei poſſeſſio, licet non interveniat ſpecialis titulus: nam tempus illud longius abunde ſupplebit induſtria, & labor reſpectu fructuum induſtrialium à bonæ fidei poſſeſſore impenſus.

131 Altera pars Concluſionis probatur per textum *in l. Certum eſt C. de Rei vendicat.* ubi dicitur: *Certum eſt, malæ fidei poſſeſſores, omnes fructus ſolere cum ipſa re præſtare: bonæ fidei verò extantes.* Ubi Gloſſa *verſ. Bonæ fidei*, hoc intelligit [illegible] bona fide cum titulo, ſive abſque titulo [illegible] A utroque enim caſu fructus extantes [illegible] reſtituendi, per textum allegatum. Et hoc vel maximè procedit de fructibus adhuc pendentibus, ſeu percipiendis: hi enim fundo cedunt, cujus pars eſſe cenſentur, *l. Fructus pendentes ff. de Rei vendic.* ac proinde clarum eſt, [illegible] cum fundo (deductis tamen expenſis) reſtitui debent. Idipſum procedit de fructibus jam perceptis, nondum tamen conſumptis: nam & hi, unacum re evicta, vero domino reſtitui debent; uti conſtat *ex d. l. Certum eſt*, ibi: *Bonæ fidei verò extantes.* Idem deſumitur *ex §. Si quis à non domino. Inſtit. de rerum diviſ.* ubi, licet bonæ fidei poſſeſſor pro cultura & cura, fructus perceptos dicatur facere ſuos, illicò tamen ſubjungitur: *Et ideo, ſi poſtea [illegible] ſupervenerit, & fundum vendicat, de fructibus ab eo conſumptis agere non poteſt.* Ex quibus verbis, argumento à ſenſu contrario [illegible] clare colligitur, quod de fructibus nondum [illegible] adhuc extantibus dominus ſuperveniens agere [illegible] notat Gloſſa *ibid. verſ. Non poteſt.* Sanchez *loc. cit. nu.* [illegible] Menochius *de recuperand. poſſeſſ. remed. 15. nu. 596.* allegans alios.

132 Atque ex dictis ſequitur ultima pars datæ *nu. 127.* Concluſionis, quod nimirum, licet ex diſpoſitione & beneficio Legis poſſeſſor bonæ fidei [illegible] induſtriales ex re aliena perceptos faciat ſuos; [illegible] ſalvo jure, tutaque conſcientia [illegible] quamdiu judicialiter nemo [illegible] quod [illegible] non ſit [illegible]. Durat enim [illegible] tamdiu, donec dominus [illegible] una cum [illegible] tunc [illegible] per dominum ſuperveniens [illegible] id [illegible] per Jura pro[illegible] dumtaxat eſt imperfect[illegible]

Et ſi petas, qua actione id fieri poſſit? Reſp. I. Quod in tali caſu bonæ fidei poſſeſſor teneatur reddere fructus extantes, non quidem rei vendicatione, quia ipſos ſuit lucratus: ſed vel officio Judicis, eò quòd fructus illi provenerint ex re alterius, *arg. d. l. Certum eſt C. de Rei vendic.* & notat Gloſſa *in d. l. Et ex diverſo*, & Bartolus *ibid. §. In fructibus induſtrialibus ff. de Rei vendicat.* & Abbas *cap. Gravis n. 6.* & alii. Vel ſaltem condictione ſine cauſa, *arg. l. Si & me & Titium 32. ff. certum petatur*; ac ſuadet æquitatis ratio proxime allegata, quia videlicet fructus illi provenerunt ex re alterius. Covarruvias *cit. lib. 1 Var. reſolut. cap. 3. n. 6. Concl. 1.* poſt Ang. Aretinum *§. Si quis à non domino Inſtit. de rer. diviſ.* & alios. 133

Reſp. II. Nihilominùs præfata fructuum reſtitutio eſt intelligenda, dummodò bonæ fidei poſſeſſor nondum per lapſum triennii fructus illos uſuceperit, ſive præſcripſerit. Nam ſi is probaverit, ſeſe tales fructus (imò & naturales) ſive conſumptos, quamvis inde factus ſit locupletior, ſive nondum conſumptos jam habuiſſe, ac bona fide poſſediſſe per integrum triennium, antequam ab Actore, ſeu vero domino, una cum fundo repeterentur, cenſetur eos præſcripſiſſe, *l. Sequitur §. Fructus*, juncta Gloſſa *verſ. Non fuerint ff. de Uſucapion.* ac proinde ipſos amplius reſtituere non tenetur. Ita Covarruvias *cit. cap. 3. num. 7.* Menochius, *d. remed. 15. de recuper. poſſeſſ. num. 588.* citans plures alios. Et hæc de fructibus induſtrialibus necdum conſumptis: nunc pergendo ad fructus naturales. 134

Quæritur II. Utrùm bonæ fidei poſſeſſor lucretur etiam fructus naturales? Reſp. I. Probabilius eſt, quod talis cum titulo legitimo, ſaltem colorato, lucretur etiam fructus naturales; non item, quando nullum habet titulum. Ita Abbas *in cit. c. Gravis n. 4. h. t.* Bartolus *in d. l. Et ex diverſo §. Sequitur ff. de Rei vendic.* Covarruvias *cit. lib. 1. Var. reſolut. cap. 3. nu. 6. Concl. 1. & 2.* Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 23. nu. 68.* citans alios; ac præſertim Joannes Garſias *tom. 17. Tractatuum, tract. de Expenſis, & meliorat. cap. 23. nu. 36.* Etſi contrarium teneat Gloſſa *in cap. Gravis verſ. Fructus h. t.* & Gloſſa alia *in §. Si quis à non domino verſ. Fructus, Inſtit. de rer. diviſ.* Speculator *tit. de Fructibus n. 1. & 2.* & non pauci alii, qui moti *ex l. Fructus percipiendo, ff. de Uſuris*, infra *n. 138.* allegando, tenent, bonæ fidei poſſeſſorem, etiam cum titulo, fructus naturales non facere ſuos; ſed teneri reddere univerſos, tum extantes, & quidem rei vendicatione; tum conſumptos, dando eorum pretium. Et horum ſententia una cum allato textu Juris, convincit alteram partem Concluſionis, juxta dicenda inferiùs. Verùm quantum attinet ad primam ejus partem, ac loquendo de bonæ fidei poſſeſſore cum titulo, ſaltem colorato 135

Probatur Concluſio *ex l. Bonæ fidei 46. ff. de Acquirend. rerum domin.* ubi dicitur: *Bonæ fidei emptor non dubie percipiendo fructus ex aliena re, ſuos interim facit: non tantum eos, qui diligentia, & opera ejus provenerunt, ſed omnes, quia quod ad fructus attinet, loco domini pene eſt.* Ubi clauſula illa, *Sed omnes*, vel maximè ponderanda eſt: nam, quia dicit *omnia*, nihil excipit, *c. Solitæ §. Nobis de majorit. & obed.* cum ſimilibus: ac proinde ſub clauſula illa comprehenduntur fructus etiam naturales. 136

Neque ſufficit cum Gloſſa *ibid. verſ. Sed omnes*, hanc clauſulam torquendo explicare de fructibus, qui diligentia alterius provenerunt: ut ſenſus ſit, talem non tantum lucrari fructus induſtriales, qui ſua propria induſtria, ſed etiam qui diligentia alterius provenerunt. Nam contra eſt [illegible] quia [illegible] *omnes* non referuntur ad operantes, ſed ad fructus ipſos: ac proinde generaliter de [illegible] omnibus, etiam naturalibus, intelligi debet. Tum quia, niſi de iſtis omnibus Lex illa loqueretur, fruſtra ſubjungeretur ratio illa generalis: *Quia quod ad fructus attinet* (non diſtinguendo inter naturales, & induſtriales) *loco domini pene eſt.* Tum tandem, quia dictio *Sed*, eſt adverſativa; ergo, ut juxta naturam adverſativæ prioribus adverſetur, non tantùm de induſtrialibus, verùm etiam naturalibus accipi debet. Garſias *loc. cit. n. 35.* 137

Objicies aſſerendo præcipuum oppoſitæ ſententiæ fundamentum. In *l. Fructus percipiendo 45. ff. de uſuris*, ita habetur: *Fructus percipiendo uxor, vel vir [illegible] ſuos facit illos tantum, quos ſuis operis acquiſierit (veluti ſerendo) nam ſi pomum decerpſerit, vel ex ſylva [illegible]* 138

non



*non fit ejus, ſicut nec cujuſlibet bonæ fidei poſſeſſoris: quia non ex facto ejus is fructus naſcitur*; ergo data Concluſio non ſubſiſtit. Hæc inſtantia multùm torquet ingenia Juriſtarum; adeò, ut non defuerint, qui putaverunt, in proxime allegatis Legibus, nempe *l. Bonæ fidei ff. de Acquir. rer. domin. & l. Fructus percipiendo ff. de uſur* reperiri antinomiam Juris Civilis, ſive repugnantiam. Reſponſa, ut voluit Pinellus apud Garſiam *cit. nu. 35.* Otomanus *§. Si quis à non domino. Inſtit. de rer. diviſ.* apud Sanchez *cit. cap. 23. nu. 68.* Verum quia contrarietates in Jure non tam facile oportet admittere, *l. Tanta §. Contrarium. Cod. de Veter. Jure enucleand.* & jura juribus, quantum fieri poteſt, concordanda ſunt, *c. cùm expediat 29. de Elect. in 6.* paſſim hæc opinio relinquitur, excogitando diverſos modos, quibus dictæ Leges commode inter ſe concilientur.

139 Unde reſpondent aliqui, dictas Leges ex eo ſibi invicem non contrariari; quia loquuntur de diverſis caſibus, & circumſtantiis. Nam *in cit. l. Bonæ fidei*, ſermo eſt de poſſeſſore cum titulo competente ex contractu oneroſo, nimirum ex emptione: econtra *in d. l. Fructus percipiendo*, agitur de poſſeſſore cum titulo lucrativo, nempe ex donatione ſuborto. Ac proinde (inquiunt) mirum non eſt, quod ille fructus naturales faciat ſuos, non verò iſte: cùm aliud ſit, lucra non facere, v. gr. ex donatione; & aliud, damna pati, *L. ult. C. de Codicill* quale damnum pateretur bona fide emens, ſi fructus naturales ex re empta non lucraretur, quos tamen lucraturus fuiſſet ex emptione cum alio celebrata. Ita nonnulli apud Garſiam *cit. cap. 23. nu. 35.* & Sanchez, *ubi ſupra nu. 63.* Verùm quia *in d. l. Fructus percipiendo*, generaliter ſubjungitur: *Non fit ejus, ſicut nec cujuſlibet* (N. B.) *bonæ fidei poſſeſſoris*: ſimulque negari non poteſt, poſſeſſorem ex titulo oneroſo, dum præter fructus induſtriales petit acquirere naturales, etiam agere de lucro captando: hinc præſens reſponſio, veluti inſufficiens, meritò ab aliis relinquitur.

140 Deinde, ac meliùs reſpondent alii, in ſæpe dicta *l. Bonæ fidei ff. de Acquir. rerum domin.* ſermonem eſſe de bonæ fidei poſſeſſore cum titulo legitimo (hoc eſt, Legibus approbato, & quantum eſt de ſe, ſufficiente ad transferendum rei dominium) ut eſt emptio: econtra vero *in cit. l. Fructus percipiendo ff. de uſur.* agi de poſſeſſore bonæ fidei ſine titulo, ſaltem legitimo, prout *n. ſeqq.* oſtendetur. Ac proinde (inquiunt) mirum non eſt, quod iſte non cenſeatur fructus naturales facere ſuos; bene tamen ille, abſque ulla dictarum Legum contrarietate, eò quòd de tam diverſis caſibus loquantur.

141 Hac igitur reſponſione retenta, ad inſtantiam *ex l. Fructus percipiendo ff. de uſur. n. 138.* allatam, negatur conſequentia. Concluſio quippe noſtram loquitur de bonæ fidei poſſeſſore cum titulo legitimo (hoc eſt, Legibus approbato) ſaltem colorato: econtrà textus *cit. l. Fructus percipiendo*, dum vult poſſeſſorem bonæ fidei fructus naturales non facere ſuos, loquitur de poſſeſſore bonæ fidei ſine titulo, ſaltem legitimo. Et hoc patet ex eo: quia *in §. l. Fructus percipiendo*, fit quidem mentio de aliquo titulo, ſed ſolùm de titulo donationis factæ inter virum & uxorem atqui hujuſmodi titulus non eſt legitimus, hoc eſt, per Leges approbatus: quin potiùs per Leges eſt reprobatus. cùm donatio inter virum & uxorem de jure non ſubſiſtat: ut *cap. ultim. de Donat. inter virum & uxorem & L. 1. ac ſeqq. eod.* Quia igitur paria ſunt, non habere titulum, & habere titulum à Jure improbatum (nam talis pro non titulo habetur, *l. Quoties ff. Qui ſatiſdare cogantur*) haud immeritò, ſimulque abſque ulla contrarietate, *in cit. l. Bonæ fidei* cenſetur poſſeſſor bonæ fidei fructus facere ſuos, utpote perceptos cum titulo legitimo, de quo ibidem eſt ſermo: atque hoc ipſum rectè negatur *in d. l. Fructus percipiendo* de eo, qui hujuſmodi fructus ex re aliena percepit ſine titulo, ſaltem legitimo colorato.

## §. VIII.

## De Reſtitutione fructuum à bonæ fidei Poſſeſſore jam conſumptorum facienda.

### S U M M A R I U M.

142 *Bonæ fidei poſſeſſor non tenetur reſtituere ullos fructus ante litem conteſtatam conſumptos, ſi ex eis non eſt factus locupletior.*
143 *Idque probatur de fructibus induſtrialibus.*
144 *Ac etiam de naturalibus.*
145 *Quando quis cenſeatur locupletior factus?*
146 *Tenetur tamen is reſtituere omnes fructus poſt litem conteſtatam conſumptos.*
147 *Et, ſi factus eſt locupletior, tenetur reſtituere fructus naturales ante litem conteſtatam conſumptos.*
148 *Ac in Judiciis univerſalibus quoſlibet fructus.*
149 *Iſtud in Judiciis particularibus multi Doctores negant.*
150 *Refertur fundamentum hujus ſententiæ negativæ.*
151 *Ac ſolutio contrariorum.*
152 *Et quinam teneant iſtam ſententiam negativam.*
153 *Affirmativa tamen ſententia eſt communior, & probabilior. Et nu. 149. & nu. 154. ac ſeqq.*
154 *Et hæc amplius probatur. Et nu. præc.*
155 *Ac ſolvuntur rationes in oppoſitum.*

QUæritur I. An fructus bona fide ex re aliena percepti, & jam conſumpti, debeant reſtitui quando ex eis poſſeſſor non eſt factus locupletior? Reſp. I. Bonæ fidei poſſeſſor non tenetur reſtituere fructus ante litem conteſtatam conſumptos, quando ex eis non eſt factus locupletior: idque procedit non ſolùm de fructibus induſtrialibus, ſed etiam naturalibus; & ſive cum titulo, ſive abſque titulo quis poſſederit. Ita Gloſſa *in c. Gravis V. Fructus* & Abbas *ibid. nu. 6.* & Barboſa *nu. 8. h. t.* Speculator *tit. de Fructibus & Intereſſe §. 1. nu. 2.* Covarruvias *lib. 1. Var. reſolut. cap. 3. n. 6.* Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 23. nu. 4.* & communis aliorum. 142

Concluſio hæc, loquendo de fructibus induſtrialibus, patet *ex §. Si quis à non domino. Inſtit. de rer. diviſ.* ubi fructus induſtriales adjudicantur bonæ fidei poſſeſſori pro cultura & cura; adeò, *ut ſi dominus ſupervenit, & fundum vendicet, de fructibus ab eo conſumptis agere non poſſit*: Ne quidem ad pretium, ut explicat, & probat Gloſſa *ibid. V. Non poteſt.* Accedit ratio: quia obligatio reſtituendi ex duplici ſolùm capite oritur; nempe vel ex parte rei acceptæ, ſeu poſſeſſæ, quæ domino ſuo reddi debeat; vel ratione injuſtæ acceptionis: atqui in propoſito neutrum horum urget. Non ſecundum: quia loquimur de bonæ fidei poſſeſſore. Nec primum: quia neque res ipſa, neque aliquid rei apud poſſeſſorem illum remanet, quando bona fide omnia conſumpſit, nec inde factus eſt locupletior; ergo non tenetur ad aliquid reſtituendum. Et hæc ratio urget etiam de cæteris partibus datæ Concluſionis: nihilominùs ſpecialiter 143

Probatur etiam altera pars Concluſionis *ex l. Sed & loci 4. §. Poſt litem ff. Finium regundor.* Ubi generaliter, & abſque diſtinctione inter fructus induſtriales & naturales, vel inter bonæ fidei poſſeſſorem cum titulo, & ſine titulo, dicitur: *Nam aut bona fide percepit, & lucrari eum oportet, ſi eos conſumpſit.* Concordant textus illi, quibus ſtatuitur, bonæ fidei poſſeſſores de fructibus conſumptis teneri ſolùm reſtituere id, in quo locupletiores facti ſunt: inde enim à contrario ſenſu rectè infertur, eos ad nihil teneri, quando non ſunt facti locupletiores. Sic quippe habetur *in l. Item veniunt §. Eos autem ff. de Petition. hæredit.* ubi dicitur: *Eos autem, qui juſtas cauſa habuiſſent, quare bona ad ſe pertinere exiſtimaſſent, uſque eo duntaxat, quo locupletiores ex ea re facti eſſent, condemnandos eſſe.* Et hoc ampliùs declaratur *in l. Sed etſi lege §. Conſuluit, ff. eod* illis verbis. *Conſuluit Senatus bonæ fidei poſſeſſoribus, ne in totum damno afficiantur, ſed in id duntaxat teneantur, in quo facti ſunt locupletiores.* Adeò quidem, ut bonæ fidei poſſeſſores nec teneantur ad pretium, 144

tium, niſi quatenus facti ſunt locupletiores, *l. Utrùm autem ff. eodem* ubi iſtud ex profeſſo habetur deciſum.

145 Cæterùm ex re aliena conſumpta tunc cenſetur quis *Locupletior factus*, quando hac occaſione bona ſua fuerunt aucta: ut quia ſumptus aliquos cæteroquin ex propriis bonis facturus, non fecit; aut quia ratione illius rei alienæ aliquod lucrum fecit: ſin minùs, non cenſetur factus locupletior. Hinc *in cit. l. Sed etſi lege §. Quod autem ff. de Petition. hæredit.* dicitur, ſi quis ex re aliena, v. g. hæreditate ſibi bona fide facta, lautius ad victum quotidianum impendit, quam aliàs impenſurus fuiſſet, eum non cenſeri factum locupletiorem quoad impenſas lautiùs factas, ſed ſolùm quoad ſumptus ordinarios, quibus hac occaſione pepercit. Similiter *in cit. l. Sed etſi lege §. Conſuluit. ff. eodem*, declaratur. Quod ſi bonæ fidei poſſeſſor ex re aliena; putà ex hæreditate, extraordinarios ſumptus fecerit, ſive aliquid dilapidaverit aut perdiderit, dum re ſua ſe abuti putabat, non videatur factus locupletior; atque idcircò non ſit condemnandus ad reſtitutionem. Idem dicendum, ſi quis hac occaſione donavit aliquid quamvis idcircò alterum obligaverit ad remunerandum: ſecùs dicendum, ſi dona, ſive antidora accepiſſet; nam talis cenſetur factus locupletior, non ille, prout *in cit. §. Conſuluit.* notatur. Et ex his exemplis poterunt alia dijudicari.

146 Reſp. II. Nihilominùs bonæ fidei poſſeſſor, re per dominum evicta, tenetur reſtituere univerſos fructus ejus poſt litem conteſtatam conſumptos. Ita Gloſſa *in cit. can. Gravis verſ. Fruct.* & Abbas *ibid. n. 6* & Barboſa *n. 8. h. t.* cum communi; eſtque expreſſum in *l. Certum eſt C. de Rei vendicat.* ubi dicitur, quod bonæ fidei poſſeſſor fructus ante litis conteſtationem perceptos ſoleat cum ipſa re præſtare *extantes: poſt litis autem conteſtationem univerſos*. Et meritò: quia, ut inquit Gloſſa *fin. ibid.* malæ fidei incipit eſſe quoad fructus poſt litem conteſtatam primùm perceptos. Concordat textus *in l. & ex contrario §. Ubi autem ff. de Rei vendic.* & *l. Ædiles etiam 25. §. Item ſciendum. ff. de Ædilit. edict.* & *§. et ſi hæreditas Inſtit. de Offic. Judicis*, cum ſimilibus.

147 Quæritur II. An bonæ fidei poſſeſſor obligatus ſit ad reſtituendos fructus etiam induſtriales, ante litis conteſtationem conſumptos, quando ex eis factus eſt locupletior? Et additur, *etiam induſtriales*: nam de fructibus naturalibus, qui ſuperſunt deductis omnibus impenſis, ipſaque mercede culturæ, & curæ impenſæ pro eorum acquiſitione minor eſt difficultas, quod reſtitui debeant quoad exceſſum factæ locupletationis: idque à fortiori, ob rationes *num. 153. & ſeqq.* afferendas. Quo prænotato

148 Reſp. I. Certum eſt; quod in Judiciis univerſalibus adſit obligatio reſtituendi quoslibet fructus, per quos poſſeſſor bonæ fidei factus eſt locupletior. Ita communis omnium; atque habetur expreſſè deciſum *in l. Item veniunt. & l. Sed etſi lege ff. de Petition. hæredit.* cum ſimilibus *nu. 144.* jam allegatis, quæ ex profeſſo loquuntur de Judiciis univerſalibus, utputa, de petitione hæreditatis, ac hujuſmodi: nam quia fructus illi, quibus poſſeſſor factus eſt locupletior, pertinent v. g. ad totam ſubſtantiam hæreditatis, non immeritò iſthac per verum dominum evicta, etiam fructus illi deberi cenſentur. Porrò quænam Judicia dicantur univerſalia, & quæ particularia, habetur ſuperiùs *Tit. 1. §. 2. n. 53. & ſeqq.*

149 Reſp. II. Quamvis nonnulli Doctores velint, bonæ fidei poſſeſſorem non teneri reſtituere fructus jam conſumptos in Judiciis particularibus, tametſi ex eis factus fuerit locupletior: oppoſita tamen ſententia, ſeu talem obligationem admittens, eſt communior, probabilior, ac proinde meritò tenenda. Ita Covarruvias *d. lib. 1. Var. reſolut. cap. 3. n. 6. Concl. 3.* Sanch. *lib. 2. in Decalog. cap. 23. nu. 76. & 77.* citans non paucos Doctores pro priori (quorum aliqui infrà *nu. 152.* allegabuntur) plurimos autem pro poſteriori ſententia.

150 Fundamentum principale eorum Doctorum, qui tenent, in Judiciis particularibus non adeſſe obligationem reſtituendi fructus bona fide conſumptos, tametſi quis ex eis factus ſit locupletior, conſiſtit in hoc. Quia (inquiunt) Jura indiſtinctè aſſerunt, bonæ fidei poſſeſſorem lucrari fructus conſumptos; ut *l. Sed & loci ff. Finium regun.* ibi: *Nam ut bona fide percepit, & lucrari eum oportet, ſi eos conſumpſit*. Neque teneri eoſdem jam conſumptos reſtituere; ut *§. Si quis à non domino* juncta Gloſſa *V. Non teneri Inſtit. de rer. diviſ.* & *§. Et ſi hæreditas. Inſtit. de Officio Judicis*. In quo poſteriori loco notabiliter dicitur de fructibus ante litem conteſtatam conſumptis, in hæc verba: *Si verò bonæ fidei poſſeſſor fuerit, non habetur ratio neque conſumptorum, neque non perceptorum fructuum*: niſi poſt litem conteſtatam.

Neque urgent textus ſupra *nu. 134.* ex *l. Item veniunt, & l. Sed & ſi lege, ff. de Petition. hæred.* allegati, qui vellе videntur, poſſeſſorem bonæ fidei teneri reſtituere fructus conſumptos, quatenus ex eis factus eſt locupletior. Nam illhæc Jura (inquiunt hujus ſententiæ Authores) procedunt in Judiciis univerſalibus; uti eſt petitio hæreditatis, de qua ibidem ex profeſſo agitur: Secùs dicendum in Judiciis particularibus, nam in his Jura indiſtinctè attribuunt fructus jam conſumptos bonæ fidei poſſeſſoribus. Accedit (inquiunt) ratio diſparitatis: quia in Judiciis univerſalibus, puta in petitione hæreditatis, locupletatio facta ex fructibus conſumptis inerat ipſi ſubſtantiæ hæreditariæ, ac proinde hac petita, & evicta, etiam illa jure debetur. At verò in Judiciis particularibus ceſſat hæc ratio; quinimò fructus bona fide conſumpti expreſſè relinquuntur poſſeſſori pro cultura & cura, *d. §. Si quis à non domino. Inſtit. de Rer. diviſ.* cum concordantiis. 151

Et ideò hanc ſententiam negativam, loquendo tamen de fructibus induſtrialibus, tenent Joannes Garſias *Tom. 17 Tractatuum, tract. de Expenſis cap. 23. n. 40.* poſt Gloſſam *in l. Et ex diverſ. V. Non habend. Verſ. De conſumptis, ff. de Rei vendicat.* dicentem, quod bonæ fidei poſſeſſor *de fructibus conſumptis nullo modo tenetur, quia lucrifacit eos pro cultura & cura*. Et Gloſſæ hujus doctrinæ communiter acquieſcere Doctores, fatetur Bartolus *ibid. §. Sequitur in Gloſſa*, Quamvis poſtea teneat oppoſitum. Cynus *in l. Non eſt. C. Familiæ Herciſcund.* Baldus *in L. 3. C. de Uſur. & fructib. legat.* Angelus, & Imola *in l. Sequitur § 1 ff. de Uſucap.* pluresque alii, quos pro hac ſententia allegat tum Garſias *cit. cap. 23. nu. 40.* tum Covarruvias *d. nu. 6. Concl. 3.* & Sanchez, *ubi ſupra*, appellans hanc opinionem valdè probabilem; cui etiam multùm favet Abbas *in c. Gravis nu. 6. h. t.* Quamvis oppoſita ipſi magis placeat tanquam æquiſſima. 152

Altera verò pars datæ Concluſionis, ſeu quod bonæ fidei poſſeſſor teneatur reſtituere fructus etiam induſtriales conſumptos, in quantùm ex eis factus eſt locupletior, eſt Abbatis *lo. cit.* & Bartoli, *ubi ſupra*. Eandemque ſententiam, ceu veriorem tenet Covarruvias *cit. l. 1. Var. reſolut. cap. 3. num. 6. Concl. 3.* Alexander *Conſil. 21. num. 10. lib. 4.* Jaſon *l. Si me & Titium num. 1. ff. Si certum petatur*, allegans alios, & Sanchez *cit. lib. 2. in Decalog. cap. 23. num. 76. & ſeqq.* Fundamentum hujus ſententiæ deſumitur ex naturali æquitate: quia enim augmentum illud, quo locupletior factus es ex re mea, ad te pervenit, nec ſubeſt ratio, cur apud te remanere debeat (neceſſariæ enim impenſæ una cum æſtimatione operarum tuarum, jam ſupponuntur deductæ) & quælibet res domino ſuo fructificat: hinc non obſtante, quod nullum tecum contractum inierim, illud augmentum *à te mihi reddi; bonum & æquum eſt*, prout in ſimili caſu habetur deciſum *l. Si & me & Titium, ff. Si certum petatur*. Confirmatur: quia poſſeſſor bonæ fidei tenetur verò domino ſupervenienti reſtituere fructus, etiam induſtriales, adhuc extantes: & hoc vel officio Judicis, vel condictione ſine cauſa, juxta dicta *num. 131. & ſeqq.* ergo idem dicendum in propoſito. Siquidem fructus illi, ex quibus poſſeſſor factus eſt locupletior; licet ſecundùm ſe ac ſubſtantiam ſuam ſint conſumpti; nihilominus adhuc extant, & perſeverant in illo augmento, per quod poſſeſſor factus eſt locupletior. Unde bonum & æquum eſt, ut hujuſmodi augmentum (deductis prius expenſis) reddatur vero domino rei: tum quia quælibet res domino ſuo fructificat, ut dictum. Tum quia *hoc natura æquum eſt, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem*; prout habetur *l. Nam hoc natura ff. de Condict. indebit.* & *l. Jure naturæ ff. de Regul. Jur.* Tum tandem: quia hic adeſt unum ex duobus capitibus obligationem reſtitutionis inducentibus, videlicet alterum, *ex parte rei acceptæ*, ſeu poſſeſſæ deſumptum, quæ reddi debet domino ſuo: tunc enim poſſeſſor retinet adhuc rem alterius ſaltem quoad augmentum, ſeu partem illam, qua locupletior factus eſt, quæ proin obnoxia manet reſtitutioni. 153



154 Confirmatur hoc ipſum. Secundùm Leges *num. 144.* allegatas, in petitione hæreditatis debet fieri reſtitutio fructuum quoad illud augmentum, quo bonæ fidei poſſeſſor ex fructibus perceptis locupletior factus fuit; ergo à pari, imò & à fortiori, idem eſt dicendum in propoſito. Probatur conſequentia: quia in Judicio univerſali petitæ hæreditatis, hæres ante aditam hæreditatem ſolùm habet jus ad rem reſpectu illius nondum aditæ: & tamen vi dictarum Legum debetur ipſi poſtmodùm ſupervenienti augmentum locupletationis, ex fructibus jam conſumptis à bonæ fidei poſſeſſore acquiſitum: ergo hoc idem, & quidem à fortiori, eſt admittendum in Judicio particulari; nam in hoc verus dominus habet non ſolùm jus ad rem, ſed etiam jus in re, verumque dominium, putà alicujus fundi ab alio bona fide poſſeſſi; prout argumentatur Bartolus, *ubi ſupra*, & Sanchez *cit. cap. 23. n. 77.*

Neque obſtant rationes *numer. 150.* pro priori ſententia allatæ. Nam imprimis Jura ibidem allegata commode intelliguntur de fructibus conſumptis, ita ut nihil eorum remaneat, nequidem augmentum, quo poſſeſſor ex ipſis fuerat locupletior factus: alioquin enim adhuc extarent, atque perſeverarent in tali augmento. Deinde reſpondetur, fructus conſumptos, ex quibus poſſeſſor eſt factus locupletior, lucrari quidem à bonæ fidei poſſeſſore; ſed ſolùm in eo ſenſu, in quo is pro cultura & cura fructus perceptos adhuc extantes dicitur facere ſuos: nempe revocabiliter per officium Judicis, aut condictionem indebiti; non autem perfectè ac irrevocabiliter, prout dictum eſt ſuperiùs *nu. 127. & 132. & 133.* 155

# TITULUS XIV.

## De Dolo & Contumacia.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*

1 CUm Spoliatus quandoque dolo, vel contumacia Rei, nequeat conſequi reſtitutionem ablati ſpolii: hinc præſens Titulus rectè ſubjungitur præcedenti, quem etiam claritatis gratia juvat in paragraphos dividere.

### §. I.

### De Dolo, & variis ipſum concernentibus.

*S U M M A R I U M.*

2 *Dolus bonus, &*
3 *Dolus malus quid?*
4 *Calliditas, Fallacia, & Machinatio differunt & qualiter?*
5 *Dolus an vitiet contractus? Et nu. ſeqq.*
*Error, & Dolus: in quo differant? Ibid.*
6 *Ob dolum circa ſubſtantiam rei, contractus jure naturæ eſt irritus. Et nu. ſeqq.*
7 *Errantis nullus eſt conſenſus.*
8 *Quid, ſi dolus ſolùm verſetur circa qualitates accidentales. Et nu. ſeqq.*
9 *Si dolus non det cauſam contractui, ſed ſolùm incidat, valet ipſo jure contractus.*
10 *Adeò, ut nec reſcindi poſſit &c. Et nu. præced.*
11 *Tenet contractus non obſtante dolo per tertium commiſſo.*
12 *Datur tamen actio de dolo contra illum tertium. Et num. præced.*
*Quid, ſi ille non ſit ſolvendo? Ibid.*
13 *Dolus dans cauſam contractui ſtricti juris, eum non reddit ipſo jure nullum, licet reſcindi poſſit.*
14 *Bene tamen contractum bonæ fidei ipſo jure efficit nullum.*
15 *Idem firmatur authoritate Doctorum; & quæ ratio diſparitatis?*
16 *Limitatur hoc poſterius, quando deceptus vult ſtare contractui.*
17 *Item in contractu matrimoniali.*
18 *Aliqui etiam tenent oppoſitum.*
19 *Quot auxilia competant ex Dolo?*
20 *Nomine* Juris Civilis, & Juris Prætorii, *quid intelligatur?*
21 *Actio Civilis, & Actio Prætoria, quæ?*
22 *Et quale diſcrimen inter eas?*
23 *Exceptio doli, quid?*
24 *Hanc objiciens probare debet, dolo Actoris aliquid factum eſſe, non alterius.*
*Exceptis caſibus, in quibus dolus unius nocet alteri. Ibid.*
25 *Exceptio doli datur adverſus omnes, qui contra æquitatem naturalem aliquid exigunt.*
26 *Demptis Parentibus, Patronis.*
27 *De qua exceptione adverſus hoc utantur Liberi, vel Liberti graviter læſi?*
28 *Actio de dolo, quid?*
29 *Eſt actio Prætoria.*
30 *Et perſonalis.*
*An tranſeat in hæredes? Ibid. Et nu. ſeqq.*
31 *Actiones perſonales tranſeunt in hæredem, quæ?*
*Hæres cenſetur eadem perſona cum defuncto. Ibid.*
32 *Actio de dolo non procedit ſecluſo dolo malo.*
33 *Nec admitti debet niſi cauſa cognita, attendenda videlicet ad tria; & quæ? & nu. ſeqq.*
34 *Ea non datur pro modica ſumma, ſeu quæ non excedit duos aureos.*
35 *Neque omni tempore, ſed intra biennium duntaxat.*
36 *Nec adverſus eas perſonas, quibus pietate, officio, reverentia obligamur.*
37 *Neque, ubi alia actio, exceptio, aut reſtitutio in integrum ſuppetit.*
38 *Actio de dolo, & exceptio doli, in aliquo conveniunt.*
39 *Differunt tamen in pluribus. Et nu. ſeqq.*
*Illa finitur biennio, non hæc. Ibid.*
40 *Iſthæc non infamat, bene tamen illa.*
41 *Actio de dolo eſt extraordinaria, & ſubſidiaria. Exceptio de dolo eſt generalis, & concurrit cum omnibus exceptionibus in factum.*
42 *Illa eſt arbitraria: ſecus dicendum de iſta.*

QUæritur I. Quid ſit Dolus? Ubi prænotandum, quod impræſentiarum agatur de Dolo malo; prout *Lib. 4. Digeſtorum, Tit. 3.* inſcribitur Rubrica, *de Dolo malo*. Et hoc fit ad differentiam *Doli boni*, qui eſt ſolertia quædam, qua citra reprehenſionem machinamur aliquid in hoſtem, ponendo v. gr. ipſi inſidias *cap. Dominus 23. quæſt. 2.* Aut in latrones, ut fraudem ipſorum alias 2

nobis nocituram repellamus, ſeu declinemus, *L. 1. §. Non ſunt ff. de Dolo malo*, ubi Gloſſa *verſ. Hoſtem*, & DD. ibidem. Hoc prænotato

3 Reſp. *Dolus* (videlicet malus) *eſt omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita.* Ita communis; & patet ex *l. Dolum ff. de Dolo malo*, ubi relicta alia ejus definitione Dolus allatis verbis deſinitur: qualis dolus vel maximè committitur in contractibus humanis. In Rubrica tamen præſentis Tituli Dolus magis ſpecialiter accipitur, quatenus videlicet contumaciæ adhæret, atque is *in Dolo* eſſe cenſetur, qui ad circumveniendum proximum in judicio comparere recuſet: nam contumacia non committitur ceſſante dolo, ſive abſque culpa, *l. Contumacia 53. ff. de Re judicat.*

4 Dices. In data definitione ſuperfluunt verba illa, *calliditas, fallacia*; ergo ipſa non eſt bona. Reſp. neg. anteced. Eò quòd iſta duo vi nominis aliud quid ſignificent, quam machinatio: nam *Calliditas* committitur tacendo, juxta illud Proverb. 12. *Qui diſſimulat injuriam, callidus eſt*. Quomodo venditor committit dolum, dum ſcivit rem eſſe alienam, vel alteri obligatam, aut debere ſervitutem quandam; neque de hoc certificavit emptorem, *l. Tenetur §. Si dolo ff. de Actionibus empti.* At verò *Fallacia* committitur decipiendo mendaciis, *l. Falſus §. Si quis nihil ff. de Furtis* Tandem *Machinatio* committitur factis, ſive occulte inſidiando, *arg. cap. 1. & cap. Super hoc 3. de eo qui duxit in matrim.* Hoſtienſis *in Summa h. t. nu. 2. & ſeqq.*

5 Quæritur II. Utrùm Dolus malus vitiet contractus, & qualiter? Ubi prænotandum, quod hæc quæſtio multum coincidat cum illa, *Utrùm contractus, qui ex errore celebrantur, ſint validi?* Nam Error, ſi naturaliter contingant, abſolute dicitur *Error*; ſeu Ignorantia: ſi verò proveniat ex alterius malitia, ſive calliditate, fallacia vel machinatione, appellatur *Dolus* ſumendo Dolum in partem malam, ſeu pro dolo malo. Hoc prænotato

6 Reſp. I. Quando alteri contrahentium dolus infertur verſans circa ſubſtantiam rei, contractus Jure naturæ eſt irritus pro omni Foro. Ita communis; idque exemplificari ſolet in emente aurichalcum pro auro, vel vitrum pro gemma dolo alterius ſubſtitutum, aut hujuſmodi. Ratio eſt; quia tunc deeſt conſenſus ſubſtantialis ad contractum requiſitus; nam emens intendit emere aurum vel gemmam, non verò aurichalcum vel vitrum: ſine conſenſu autem contractus eſt nullus Jure naturæ.

7 Nec obſtat, quod dolo alterius inductus hic & nunc videatur conſentire Nam conſenſus, ſi quis intervenit, procedit ex errore per dolum alterius cauſato, & quidem circa ipſam rei ſubſtantiam: atqui *nullus eſt errantis conſenſus*, ut dicitur *l. Non idcircò. C. de Juris & facti ignorant*

8 Reſp. II. Si dolus verſetur ſolùm circa qualitates accidentales rei, ſeu quaſdam extrinſecas circumſtantias contractus: tunc oportet diſtinguere, an dolus dederit cauſam contractui, vel actui, utputa quia dolosi ſuaſionibus ad contrahendum quis inducebatur, alias non contracturus: vel non dederit cauſam contractui, ſed ſolùm incidat in contractum; prout fieret, ſi quis alias contracturus eſſet, dolo autem alterius in pretio, vel alia ratione decipiatur. Et horum utrumque adhuc dupliciter poteſt contingere: quia ejuſmodi dolus vel cauſatur ab altera parte, cum qua quis contrahit, vel ab aliquo tertio. Proinde ulteriùs agendo ſpeciatim de ſingulis

9 Reſp. III. Si dolus non det cauſam contractui, ſed ſolùm incidat in eum, conveniunt Doctores, quod contractus ipſo jure ſit validus: adeò, ut etiam per exceptionem doli ad petitionem decepti nequeat reſcindi; licèt taliter decepto competat actio contra decipientem, ut ſolvat, quanti ſua intereſt dolum adhibitum non fuiſſe. Ita Hoſtienſis *in Summa h. t. num. 5. verſ. Quid ſi deceptus*. Pirhing *eodem numer. 4.* Zoeſius *tit. de Dolo malo ff. num. 12.* Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 5. cap. 5. numer. 2* allegans communem. Ratio prioris partis eſt: quia dolus iſte, utpote incidens ſolùm, non tollit conſenſum circa ſubſtantiam contractus; & conſequenter iſtum Jure naturali validum relinquit.

Altera pars ex eo ſuadetur: quia hujuſmodi dolus (uti ſupponitur) non dedit cauſam contractui, imò eo cognito adhuc quis contracturus fuiſſet: ergo non eſt ratio, cur cognita rei veritate contractus ad petitionem partis infirmari, & reſcindi debeat: dummodò ſolvatur decepto, quanti ejus intereſt dolum adhibitum non fuiſſe. Idipſum clare deſumitur ex *l. Julianus §. Si venditor. ff. de Action. empti*: ubi dolo rem pluris vendens, tenetur actione ex empto, non ad reſciſſionem contractus, ſed ad præſtandum, ſeu ſolvendum decepto, quantum pluris ei vendidit 10

Reſp. IV. Inſuper, quando dolus non ab altero contrahente, ſed eo ignorante per tertium quendam commiſſus fuit, ſimulque contractus vel ab utraque, vel ſaltem ab altera contrahentium parte completus eſt, tenet contractus: datur tamen actio de dolo contra illum tertium. Ita Gloſſa *in c. cùm dilecti verſ. Deceptione circa fin. de emption.* Bartolus *in l. & eleganter § Venio ad tertium ff. de Dolo.* Zoeſius *Tit. de Dolo malo ff. numer. 11.* Pirhing *h. t. num. 9.* Layman *cit. tract. 4. cap. 5. num. 3* allegans alios. Ratio eſt; quia, cùm neuter contrahentium cauſaverit dolum (uti ſupponitur) jam hoc ipſo dolus non debet alterutri eorum obeſſe: hoc autem fieret, ſi eo invito contractus ex ſua parte completus reſcinderetur. Idipſum deſumitur ex *cit. l. & eleganter ff. de Dolo.* 11

Cæterùm, quod ille tertius, qui dolum commiſit, actione de dolo teneatur ei, qui exinde læſus eſt, deſumitur *ex L. 2 ff. de Proxeneticis.* Ubi in ſimili de Proxeneta dicitur, quod *ſi dolo & calliditate creditorem circumvenerit; de dolo Actione tenebitur*: junctis concordantiis ibidem per Gloſſam allegatis. Quod ſi forſan ille ſolvendo non ſit, ſuccurrendum erit circumvento ratione reſultantis inæqualitatis, reducendo contractum ad æqualitatem. Zoeſius *cit. num. 11.* 12

Reſp. V. Loquendo tandem de dolo circa qualitates accidentales ab alterutro contrahentium commiſſo, ſimulque dante cauſam contractui, eſt diſtinguendum inter contractus bonæ fidei, & ſtricti juris. Et quidem loquendo de contractibus ſtricti juris, communiter tenent Doctores, quod dolus dans cauſam contractui ſtricti juris, eum non reddat ipſo jure nullum; ſed talis contractus primùm ad petitionem decepti ſit reſcindendus per Judicem, *arg. §. 1. Inſtit. de exception. & l. Dolo vel metu. C. de Inutilib. ſtipulat.* In quo poſteriori loco ſermo eſt de ſtipulatione, quæ eſt ſtricti juris, & ſic habetur: *Dolo vel metu adhibito, actio quidem naſcitur; ſi ſubdita ſtipulatio ſit: per doli mali tamen, vel metus exceptionem ſubmoveri poteſt.* 13

Quod ſi verò dolus det cauſam contractui bonæ fidei, tunc (inquiunt plerique Doctores) efficitur contractus ipſo jure nullus; ut *l. & eleganter.* juncta Gloſſa *verſ. Si in hoc ipſo*, & Bartolo *ibidem ff. de Dolo malo & in l. In cauſæ §. 1. ff. de Minoribus, & l. ea verò §. fin. ff. Pro Socio* ubi dicitur: *Societas* (quæ eſt contractus bonæ fidei) *ſi dolo malo, aut fraudandi cauſa inita ſit, ipſo jure nullius momenti eſt: quia fides bona contraria eſt fraudi & dolo.* 14

Atque hanc ſententiam, & diſtinctionem, præter Gloſſam, & Bartolum, *ubi ſupra*, tenet alia Gloſſa *in c. cùm dilecti verſ. Deceptione*, & Abbas *ibid. num. 6. de emption.* Zoeſius *tit. de dolo malo ff. num. 3.* eandemque communi Doctorum ſuffragio recipi, refert Covarruvias *part. 2. in cap. Poſſeſſor. de Reg. Jur. in 6. §. 6. num. 6.* citans alios. Quamquam difficile ſit, reddere veram rationem diſparitatis, cur contractus bonæ fidei ipſo jure ſint irriti, non item contractus ſtricti juris: niſi recurratur ad diſpoſitionem Juris Communis, ſic ordinantis ex ea congruentia, quod con- 15

tra-



tractus bonæ fidei judicentur ex æquo & bono, ac ſecundùm bonam fidem, etiam ultra id, quod nominatim eſt conventum; & ſic, cùm bonæ fidei vel maxime contrarietur dolus, non cenſeatur quis habuiſſe animum contrahendi, ubi dolus dedit cauſam contractui: ſecùs in contractibus ſtricti juris, utpote in quibus præciſe judicatur ſecundùm ea, de quibus nominatim conventum eſt, prout jam dictum *lib. 1. Decretalium Tit. 35. de Pactis §. 6. n. 127. ac ſeqq.* Et hanc diſparitatem inſinuant Abbas, & Bartolus, *ubi ſupra.*

15 Limitatur tamen hæc poſterior pars primò, quando deceptus vult ſtare contractui. Nam contractus, etiam bonæ fidei, ita demum eſt nullus, ſi dolo alterius circumventus velit, quod ſic nullus: alioquin enim eo volente, ſicque conſenſum ſuum præſtante, contractus valet in præjudicium doloſi, teneturque hic omnia complere, acſi contractus ab initio tenuiſſet. Gloſſa *in cit. l. & eleganter verſ. Si in hoc ipſo ff. de Dolo malo.* Abbas *loc. cit. nu. 5.* Bartolus, Zoeſius, *ubi ſup.* & alii. Idque meritò: ne alioquin dolus poſſit prodeſſe doloſo, contra illud *c. Sedes 15. & c. Ex tenore 16. de Reſcript.* allegatum: *Fraus & dolus alicui patrocinari non debet.* Simulque, quia deceptis, & non decipientibus, Jura ſubveniunt, *c. cùm univerſorum 8. de rerum permutat.*

17 Limitatur ſecundò eadem doctrina in contractu matrimoniali. Hic enim non redditur ipſo jure nullus ob dolum quoad accidentalia ab altero commiſſum; utputa, ſi ſponſa aſſerat ſe divitem, quæ tamen non eſt talis, Abbas *loc. cit. n. 7.* atque jam dixi in *Theolog. Moral. tract. 14. diſtinct. 14. nu. 52.* Nam contractus iſte eſt ſpiritualis, & à Chriſto Domino elevatus ad rationem Sacramenti: ſicque Jus Civile nihil de eo diſponere potuit.

18 Additur notanter num. 14. *inquiunt plerique Doctores.* Quia, licet dicta ſententia ſit communior, adhuc tamen non deſunt Doctores, qui tenent, etiam contractus bonæ fidei non eſſe ipſo jure irritos ac nullos, etiamſi dolus quoad accidentalia ab altero commiſſus dederit cauſam contractui; quamvis per exceptionem doli reſcindi poſſint, ac debeant, ſi deceptus velit. Atque ita antiquitus tenuit Petrus de Bellapertica, ut refert Abbas *in d. c. cùm dilecti nu. 6. de Emption.* eandemque ſententiam noviſſime tenet Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 4. cap. 5. nu. 6.* citans Gloſſam *§. 1. V. Efficax eſt Inſtit. de Exception.* Leſſium *lib. 2. de Juſtit. & jur. c. 17. dub. 5. concl. 3.* & alios; ac ſequitur Pirhing *h. t. nu. 6.*

19 Quæritur III. Quot auxilia competant ex dolo? Reſp. Auxilia ex dolo, ſeu remedia dolo circumventis duo competunt, nimirum Exceptio doli, & Actio de dolo. Ita Hoſtienſis *in Summa h. t. n. 5.* & communis. Idque patet ex *L. 1. ff. de Doli mali exception. & L. 1. ff. de Dolo malo, & L. 2 C. eodem* cum ſimilibus, ubi hæc auxilia dolo deceptis per Prætorem conceduntur. Quia enim non obſtante dolo circa accidentalia contractuum commiſſo, tenet horum obligatio de Jure civili, juxta dicta *n. 13.* hinc Prætor locis citatis tum exceptionem doli, tum actionem de dolo *propoſuit, ne cui dolus ſuus per occaſionem Juris Civilis contra naturalem æquitatem proſit*; prout loquitur textus *in cit. L. 1. ff. de Doli mali exception.*

20 Ubi ſciendum, quod nomine *Juris Civilis*, per cujus occaſionem non vult Prætor dolum cuipiam prodeſſe contra naturalem æquitatem, intelligatur illud, quod ex his quinque ejus partibus conſtat, videlicet ex Lege duodecim Tabularum, Plebiſcitis, Senatus-Conſultis, Principum placitis, & Reſponſis Prudentum. Udalric. Zaſius *in §. Sed iſtæ n. 3. Inſtit. de Actionib* Chriſtoph. Clingenſperg *lib. 4. Inſtit. Imperial. tit. 6. qu. 26.* & alii. Atque iſtud appellatur *Jus Civile primarium* (quod proinde in allegato textu abſolute *Juris Civilis* nomine indigitatur) ad differentiam *Juris Prætorii*, quod conſtat ex edictis Magiſtratuum, Prætorum, Præſidum, Ædilium, & hujuſmodi. Zaſius *loc. cit. num. 4.* & concordant dicta *in Proœmio §. 9. n. 178.* Licet enim etiam iſtud diceretur *Jus*, nihilominùs ad differentiam Juris Civilis primarii, non ita ſimpliciter nomen *Juris* obtinuit: ſed quia per Prætorem ad illius interpretationem, & moderamen, ex æquo & juſto ſtatuebatur, *Jus Prætorium* appellari cœpit. Covarruvias *part. 2. in c. Poſſeſſor. de reg. jur. in 6. §. 6. num. 6.* poſt Franc. Duarenum *l. In actionibus nu. 15 ff. De in litem jurand.* & alii.



Sciendum ulteriùs conformiter dictis, quod Actio ut ſic ex parte ſuæ originis, ſeu cauſæ efficientis, dividatur in Civilem, & Prætoria *§. Sed iſtæ quidem Inſtit. de Actionib.* Harum prior dicitur, quæ deſcendit ex Jure Civili proxime explicato, ſive ex memoratis quinque partibus ejus. Poſterior verò, ſive *Actio Prætoria* eſt, quam Prætor ſua juriſdictione comparavit; hoc eſt, adinvenit, ac ſecundùm æquum & juſtum ſuis Edictis propoſuit. Et hoc ultimum idcircò additur: quia ſi Prætor actionem quandam, utputa actionem Depoſiti, vel Commodati, ſolùm confirmavit, non verò adinvenit, Actio illa nihilominus cenſetur civilis, *arg. cit. §. 3.* & Mynſinger *ibid. nu. 3. & 4. Inſtit. de Actionib* & alii. 21

Eſt autem notabile diſcrimen inter haſce Actiones. Nam Actiones Civiles natura ſua perpetuæ ſunt, ſeu durant triginta annis: Prætoriæ verò non item, ſed hæ plerumque ſunt annuæ, *l. In honorariis ff. de Actionibus, & obligat.* Chriſtoph. Clingenſperger *cit. quæſt. 26* & ampliùs declarant Juris Civilis Interpretes. 22

Quæritur IV. Quid ſit Exceptio doli, & contra quos competat? Reſp. I. *Exceptio doli* dicitur illa, quæ competit dolum paſſo adverſus exigentem id, quod ſuo dolo malo promiſſum eſt, aut factum. Unde, ſi mihi vendidiſti agrum tacita ſervitute ejus, & urgeas me, ut ſtem contractui, poſſum te ſubmovere exceptione doli; opponendo videlicet contra te, quod tacueris ſervitutem agri, ſicque ob dolum à te commiſſum non tenear ſtare contractui; prout liquet ex *§. 1. Inſtit. de Except.* & toto *Tit. ff. de Doli mali except.* ubi ex profeſſo de hoc agitur. 23

Solùm hic notandum, quod in exceptione doli neceſſe ſit, ut eam objiciens alleget, & probet dolo Actoris quid factum eſſe: nam de dolo Actoris excipere oportet, non alterius, *l. Palam autem §. Sequitur ff. de Doli mali except.* Dummodo hinc excipiantur caſus, in quibus dolus minus nocet alteri, puta dolus Tutoris Pupillo, Curatoris Minori, Teſtatoris Hæredi, & hujuſmodi: tunc enim, licet pupillus v. g. agat, ſufficit excipere de dolo Tutoris, iſtumque probare, *cit. l. Palam autem §. Sequitur juncta Gloſſa verſ. Noceat. & l. Apud Celſum §. Illa etiam & §. Si quis autem ff. eod.* 24

Reſp. II. Exceptio doli datur adverſus omnes, qui contra æquitatem naturalem aliquid exigunt. Patet hoc ex *cit. l. Apud Celſum ff. de Doli mali exception.* Ubi ad longum pluribuſque exemplis iſtud declaratur. Adeo, ut etiam Pupillus, cui quis ſolvit ſine Tutoris authoritate id quod debuit, ſubmoveatur doli exceptione, ſi poſtmodum allegata prioris ſolutionis nullitate ob defectum authoritatis Tutoris, denuo petat cum lucro ſuo ſolutionem, *cit. l. Apud Celſum §. Si quis Pupillo.* Et ſimile quid habetur *l. Si debitor. ff. eod.* Nam etſi ab initio Pupillus dolo caruerit, nihilominus poſtea non eſt extra dolum, dum contra naturalem æquitatem vult locupletari ex re alterius. Zoeſius *tit. de Doli mali exception. ff. n. 9.* Pirhing *h. t. nu. 12.* & alii. 25

Excipiuntur hinc Parentes, & Patroni: his enim exceptio doli à Liberis, vel Libertis opponi nequit, ſive ex ſuo contractu agant, ſive ex alieno. Textus eſt *in cit. l. Apud Celſum §. Adverſus parentes ff. de Doli mali except.* Et merito: ſiquidem exceptio doli apud proximos bonam famam ſugillat: famæ autem parentum, & patronorum, omnimodis eſt parcendum ac debita Jure naturæ ipſi reverentia exhibenda non tantùm vivis, ſed etiam defunctis: Adeo, ut ſi Libertus ab hærede Patroni conveniatur, non poſſit excipere de dolo Patroni, prout ibidem ſubjungitur. 26

Si igitur Liberi, vel Liberti facto parentis, aut Patroni graviter læſi fuerint, utuntur alia exceptione non ita famam ſugillante: utputa; exceptione pecuniæ non numeratæ, ſi forte hanc nondum ſibi numeratam repetant, per textum *cit. §. Adverſus parentes* aut alia hujuſmodi exceptione in factum, vel generaliter utendo exceptione, ne iis ſui defenſio denegetur. Zoeſius *loc. cit. nu. 10.* Alia exceptionem doli concernentia patebunt ex differentiis inter hanc, & Actionem de dolo intercedentibus, de quibus *nu. 19. & ſeqq.* 27

Quæritur V. Quid ſit Actio de dolo, & qualiter ab Exceptione doli differat? Reſp. I. *Actio de dolo* eſt Actio Prætoria, & perſonalis, quæ datur decepto adverſus decipientem dolo malo, cauſa cognita, ſi nulla alia actio ſuppetat decepto pro conſequenda ſua indemnitate. Ita in re 28



com-

communis, ac præſertim Mynſinger *lib. 4. Inſtit. tit. de Actionib. §. Præterea n. 29.*

19 Dicitur imprimis, *Actio Prætoria*. Quia, ne cui dolus ſuus per occaſionem Juris Civilis contra naturalem æquitatem proſit, ea per Prætorem fuit adinventa, propoſito Edicto *in L. 1. §. 1. ff. de Dolo malo*; ubi in hæc verba loquitur: *Quæ dolo malo facta eſſe dicitur, ſi de his rebus alia actio non erit, & juſta cauſa eſſe videbitur judicium dabo*. Unde hæc cenſetur eſſe Actio Prætoria, conformiter dictis *nu. 21.*

30 Et additur, *perſonalis*: quia ex maleficio doli mali naſcitur in perſonam ejus, qui alium decepit. Unde hæc actio ſolùm datur adverſus decipientem, ſive dolum committentem: in hæredes autem, vel ſucceſſores ipſius, non aliter datur, niſi quatenus ad eos ratione doli commiſſi pervenit, ſeu locupletior eorum hæreditas effecta eſt, *l. Si plures & l. In hæredem ff. de Dolo malo*. Aut quo minùs pervenerit, dolo eorum factum eſt, *l. Dolo ... ff. eod.*

31 Nec obſtat, quod aliæ actiones perſonales tranſeant in hæredem, *l. Pertinet. §. fin. ff. de Capitis diminut. & l. Ex contractibus ff. de Verb. obligat. & l. Si hominem §. 2. ff. Depoſiti*: eò quòd hæres eadem cenſeatur eſſe perſona cum defuncto, *Auth. de jurejurand. §. 1. Collat. 5.* Reſp. enim cum Gloſſa *in cit. l. Ex contractibus ff. de Verb. oblig.* & aliis, iſtud procedere in actionibus, quæ veniunt ex contractibus, vel quaſi contractibus, prout liquido ſeſe explicant citatæ Leges: ſecùs autem eſſe dicendum de actionibus, quæ proveniunt ex delictis extra contractum. Siquidem iniquum foret, quempiam ultra id, quod ad eum pervenit, ex alieno delicto obligari; quia non debet aliquis alterius odio prægravari, juxta *reg. 22. juris in 6.* ac proinde actiones illæ, quæ veniunt ex delicto, ad hæredem non tranſeunt, niſi quatenus ad eum pervenit. Accedit textus *in L. 1. ff. de Privatis delict.* ubi Jure Civili (imò, ut explicat Gloſſa *verſ. Civili*) etiam hoc dictante natura, conſtitutum legitur, *pœnalibus actionibus hæredes non teneri, nec cæteros quidem ſucceſſores*: intelligendo hoc de actionibus pœnalibus ex delicto venientibus: ſecùs, ſi ex contractu, ut explicat alia Gloſſa *ibid. V. Actionibus.*

32 Dicitur tertio in data definitione Actionis de dolo, *quæ datur decepto adverſus decipientem dolo malo*. Quia ſecluſo dolo malo ex parte damnum inferentis, hæc actio non procedit: puta, ſi quis bona fide, vel jure ſuo uſus quidpiam egit, ex quo alteri damnum emergit. Nam Prætor *cit. L. 1. § 1 ff. de Dolo malo* hanc actionem duntaxat concedit de illis, *quæ Dolo malo facta dicuntur*. Atqui nullus videtur dolo facere, qui ſuo jure utitur, *l. Nullus ff. de reg. jur.*

33 Et additur *cauſa cognita*. Siquidem hæc actio, utpote famoſa, paſſim inſtitui non poteſt, neque admitti debet, niſi cauſa cognita, *L. 2. C. de Dolo malo*. Ubi Gloſſa *fin.* & Mynſinger *in cit. §. Præterea nu. 32. & ſeqq.* advertunt, quod in hac cauſæ cognitione ſpecialiter tria attendenda ſint, videlicet quantitas ſeu res, tempus, & perſonæ, per Jura proximè allegata.

34 Et primò quidem in hujus cauſæ cognitione debet attendi *Res*, ſeu quantitas ejus. Non enim actio tam famoſa, paſſim indulgenda eſt pro quacunque modica ſumma; ſed tum demum, *ſi juſta cauſa eſſe videatur*, ut loquitur Prætor *in L. 1. §. 1. ff. de Dolo malo*. Unde Judicium iſtud non indulgetur, niſi quantitas damni, per dolum alterius cauſati, duos aureos excedat, *l. Si oleum §. fin. & l. Id eſt uſque* juncta Gloſſa *un. ff. eod.*

35 Deinde in memorata cauſæ cognitione attendendum eſt *Tempus*. Neque enim omni tempore hæc actio conceditur, ſed intra biennium duntaxat à tempore doli commiſſi continuo numerandum, & non ultra: adeo, ut etiam actio iſta intra biennium debeat terminari, & alias ipſo jure tollatur. Textus eſt *in L. ult. C. de Dolo malo*, juncto Summario, & DD. *ibid.* Zoeſius *tit. eod. ff. n. 26.*

36 Tandem etiam debent cognoſci *Perſonæ*. Quia hæc actio, ceu famoſa, non conceditur adverſus eas perſonas, quibus pietate, officio, reverentia obligamur. Unde nec Liberis adverſus Parentes, nec Libertis adverſus Patronos, nec Subditis adverſus Dominos, neque vilibus perſonis adverſus conſtitutos in Dignitate, de dolo agere licet: quamquam loco hujus poſſint uti Actione in factum, verbis tamen ita temperatis, ut Doli mentio non fiat, ſed nudum factum narretur, nihilque aliud petatur, quam quòd Judex ex bona fide, ſive ex æquo & bono juſtum arbitrabitur per textum *in l. Non debet ff. de Dolo malo.*

Dicitur poſtremò in allata *nu. 28.* definitione, *& nulla alia actio ſuppetat decepto*. Quia actioni de dolo, veluti famoſæ, non aliter locus eſt, quam ſi deſit alia actio, *cit. L. 1. §. 1. ff. de Dolo malo & L. 2. C. eod.* Adeò, ut ſi cuipiam ſufficiat ſola doli mali exceptio, putà contra creditorem debitum repetentem, is actione de dolo non poſſit agere: ſufficit enim doli mali exceptio, ſicque per hanc actio illa excluditur *L. ult. ff. de Dolo malo*. Imò, ſi quiſpiam poſſit uti beneficio reſtitutionis in integrum, non debet ei hæc actio competere, *text. clar. L. 1. §. Idem Pomponius ff. de Dolo malo.* 37

Reſp. II. Actio de dolo, & Exceptio doli, conveniunt potiſſimùm in hoc, quod utraque ſit auxilium contra dolum. Utraque enim per Prætorem fuit adinventa in odium dolum committentis, & ne cuipiam dolus ſuus contra naturalem æquitatem patrocinetur per occaſionem Juris Civilis; dum juxta iſtud contractus dolo interveniente celebrati (dummodò dolus non verſetur circa ſubſtantiam rei, ſed ſolùm circa ejus qualitates) validi exiſtunt, atque obligant, donec oppoſita exceptione doli, vel inſtituta actione de dolo elidantur, atque reſcindantur, prout jam proxime dictum fuit. 38

Differunt tamen in pluribus aliis. Nam exceptio doli eſt perpetua: Actio de dolo autem, certo tempore finitur, nempe biennio, *L. ult. C. de Dolo malo, & L. Pure § fin. ff. de Doli mali exception.* In quo poſteriori loco ratio diſparitatis datur, quod Actor quidem in ſua poteſtate habeat, quando utatur ſuo jure, Reumque in judicio convenire velit: non item Reus, quando conveniatur, & ſic contra Actorem exceptionis remedio uti valeat. 39

Deinde Exceptio doli non infamat. Ea enim oppoſita non damnatur Actor, ſed ſolummodò Reus abſolvitur; nemo autem ex dolo infamis redditur, niſi qui de dolo malo ſuo nomine damnatus fuit, *L. 1. & l. Athletas §. fin. ff. De his qui notantur infam. & L. 2. §. Item quæritur ff. de Doli mali exception.* Econtrà Actio de dolo eſt famoſa, & condemnatis perpetuæ ignominiæ notam inurit, per Jura proxime allegata, juncto *§. Et quibuſdam Inſtit. de Pœnis temere litigant.* 40

Ulteriùs differunt: quia Actio de dolo eſt extraordinaria, & ſubſidiaria; &, cùm ſit actio tam triſtis ac famoſa, non debet admitti, quamdiù ſuppetit alia actio, qua quis experiri, & indemnitatem ſuam conſequi valet, *L. 1. ff. de Dolo malo*, eſtque jam dictum ſupra *num. 37.* At verò Exceptio doli eſt generalis, *l. Apud Celſum §. Metus cauſa ff. de Doli mali exception.* & concurrit cum omnibus exceptionibus in factum. Quia enim dolo facit, quicunque id petit, quod qualibet exceptione elidi poteſt; hinc ex omnibus in factum exceptionibus, etiam doli oritur exceptio: nam nunc petendo facit doloſè (niſi forſan ignorantia excuſet dolum) etſi ab initio nihil dolo malo fecerit. Textus, & DD. *in L. 2. §. Et generaliter ff. eod.* 41

Tandem, ut aliæ differentiæ taceantur, Actio de dolo eſt arbitraria: utpote in qua reſtitutio fieri jubetur arbitrio judicis, *l. Arbitrio ff. de Dolo malo*. Secùs eſt in Exceptione de dolo, quia per hanc præciſe perimitur actio Actoris doloſi, *§. Appellantur Inſtit. de Exceptionib.* 42

## §. II.

## De Contumacia, ejuſque requiſitis, ac modo procedendi contra Contumaces.

### *S U M M A R I U M.*

43 *Contumacia, quid?*
44 *Eſt delictum perſonale.*
45 *Contumacia erga Judicem poteſt pluribus modis contingere.*
46 *I. In non veniendo.*
47 *Atque iſtud tribus modis.*





48 *II. In non reſpondendo.*
49 *III. In obſcure reſpondendo.*
50 *IV. Recedendo abſque Judicis licentia.*
51 *V. In non jurando.*
52 *VI. In non reſtituendo.*
53 *Intra quod tempus Reus condemnatus reſtituere debeat?*
54 *VII. In non exhibendo.*
55 *Et aliis adhuc modis.*
56 *Contumacia eſt duplex, vera, & ficta.*
57 *Et ratio hujus diviſionis.*
58 *Verus contumax.*
59 *Et ficte, ſeu præſumptive contumax, qui?*
60 *Et quid in dubio, an citatio per Edictum ad notitiam citati pervenerit?*
61 *Vel ſi talis poſtea moram purgaverit, allegando juſtam cauſam abſentiæ?*
62 *Ut quis dicatur contumax, requiritur, ut ſit citatus tribus Edictis, vel uno peremptorio.*
*Et quomodo hoc ſit intelligendum?*
*Ibid. & nu. 114.*
63 *Requiritur ulterius, quod nullo juſto impedimento detentus fuerit, dum in termino citationis non comparuit.*
64 *& 65 Iſthæc impedimenta exemplificantur.*
*Et nu. 63.*
66 *Judex nequit procedere contra contumacem, niſi ad inſtantiam partis.*
67 *Limitatur hoc.*
68 *An Judex elapſo termino poſſit expectare contumacem in aliam horam, vel diem ſequentem?*
*Et num. ſeqq.*
*Nequit hoc fieri, quando tunc expirat juriſdictio Judicis delegati. Ibid.*
69 *Bene tamen, ſi ejus juriſdictio poſt terminum peremptorium adhuc duret.*
70 *Et hujus ratio.*
71 *Tota dies cedit citato.*
72 *Solvuntur contraria, & nu. ſeqq.*
73 *Non poteſt tunc Judex remittere expenſas, quas pars præſens fecit ob abſentiam alterius.*
74 *Terminus peremptorius eſt quædam ſententia interlocutoria.*
*Hæc tranſit in rem judicatam quoad partes, non quoad Judicem. Ibid.*
75 *Judex etſi poſſit, non tenetur expectare contumacem in diem ſequentem. Et nu. ſeqq.*
76 *Non quidquid judicis poteſtati permittitur, juris ſubjicitur neceſſitati.*
*In arbitrariis prodeſt habere Judicem favorabilem. Ibidem.*
77 *Judex ex æquo & bono debet moderari ſuum arbitrium.*

43 Quæritur I. Quid ſit, quibuſque modis committatur Contumacia? Reſp. I. *Contumacia* generatim loquendo, & quantum ad propoſitum, eſt Inobedientia erga Judicem commiſſa. Additur notanter, *commiſſa*: quia non ſemper eſt obediendum Judici, ſed tum primùm, quando juris ordine ſervato quidpiam præcipit. Et tunc, ſi quis non obtemperaverit Judici præcipienti, puta ad comparendum cogenti, committitur contumacia.

44 Porrò contumacia eſt delictum perſonale; hoc eſt, ſequitur perſonam inobedientis, neque ipſam egreditur. Unde, ſi Procuratores, Tutores vel Curatores, Judici non obtemperaverint, ipſi ſoli tenentur, ac puniri debent; non autem Dominus, Pupillus, vel Minorennis *L. un. § Si procurator ff. Si quis jus dicenti non obtemp.* Spiegelius *in Lexico Juris V. Contumacia.*

45 Reſp. II. Contumacia erga Judicem poteſt pluribus, ac præſertim ſequentibus modis, contingere; videlicet: in non veniendo, in non reſpondendo, in reſpondendo obſcure, in recedendo abſque licentia infecto negotio, in non jurando, & in non exhibendo; ut puta, in non reſtituendo pignus, aut non edendo rationes ad mandatum Judicis, & hujuſmodi. Atque de his omnibus ... ant vulgati verſiculi apud Gloſſam *in cap. Ex literis h. t.*

*Non veniens, non reſtituens, citòque recedens.*
*Nil dicens; pignuſque tenens, jurareque nolens,*
*Obſcureque loquens: iſti ſunt jure rebelles.*

I. Itaque committitur contumacia *in non veniendo*, ſi videlicet quis legitime citatus non venit, ſed ſui præſentiam coram Judice facere contemnit. Et de tali contumacia in præſenti Titulo potiſſimum eſt ſermo. 46

Porrò iſthæc contumacia in non veniendo, poteſt adhuc tribus modis contingere. Primò, quia peremptoria citatione recepta quis venire contemnit. Secundò, quia malitioſe ſeipſum occultat, ne citari poſſit. Et tertiò, quia impedit, ac procurat, ne citatio ad ipſum quoquo modo perveniat; prout liquet *ex c. Quoniam §. Porrò. Ut lite non conteſtata &c.* ac tradit Gloſſa *1. in l. Contumacia ff. de re judicata*. Huc pertinet ille, qui quidem comparet, ſed venit minùs competenter inſtructus, *arg. c. cùm dilecti 6 h. t. & cap. 1. §. fin. de Appellation. in 6.* Abbas *c. Ex literis nu. 8. h. t.* qui iſtud poſtremum ulterius probat *ex cap. 1 de Election. in 6.* ubi loquendo de negotio electionis, jubentur illi, quos cauſa contingit, intra certum tempus comparere apud Sedem Apoſtolicam *per ſe, vel per procuratores in cauſa inſtructos*: alioquin autem in negotio procedatur. 47

II. Contumacia committitur *in non reſpondendo*. Tenentur enim partes, ſi juris ordine ſervato interrogentur, reſpondere Judici interroganti, veritatemque confiteri: nam ad hoc obligantur Jure naturæ, & vi quarti præcepti Decalogi de præſtanda obedientia legitimis Superioribus; ſiquidem Judex eſt ſuperior reſpectu eorum, qui judicantur. D. Thomas *2. 2. quæſt. 69. art. 1.* Navarrus *cap. 25. Manual. nu. 36.* & communis. 48

III. Committitur contumacia *in obſcure reſpondendo*, ita ut incertum relinquat Judicem interrogantem: nam hoc idem eſt, ac non reſpondere, *l. De ætate §. Qui tacuit. & §. Nihil ff. de Interrogator. actionib.* 49

IV. Incurritur contumacia *recedendo abſque judicis licentia* infecto negotio, nec revertendo; ut *c. Proe. 4 h. t. & c. Conſtitutis 12. de Procurat. & c. Certum eſt 11. q. 3.* Unde contra tales proceditur veluti contra contumaces, per Jura allegata. 50

V. Contumacia fit *in non jurando* ad mandatum Judicis, *l. Manifeſtæ ff. de Jurejurand.* juncto *cap. ult. de Juram. calumn.* Ubi idcircò Actor recuſans juramentum (demptis caſibus, in quibus illud de jure recuſare poteſt) ab inſtituta cadit actione: Reus autem ipſum recuſans, habetur pro confeſſo; prout jam dictum ſuprà Tit. 7. *De Juramento calumniæ §. 3. nu. 32. & ſeqq.* 51

VI. Committitur contumacia *in non Reſtituendo* ad præceptum Judicis. In quo caſu poterit ipſi res, quam poſſidet, ac reſtituere juſſus eſt, etiam auferri manu militari ex officio Judicis, *l. Qui reſtituere ff. de Rei vendicat.* 52

Et quidem in actione reali, ſi Reus dixerit, ſe velle parere ſententiæ, iſthæc ſtatim mandatur executioni; alias verò poſt decem dies, ſi non fuit appellatum. Niſi forſan Reus condemnatus non habeat facultatem rei tam citò reſtituendæ; quia tunc præſtita ſufficienti cautione, ſeu datis fidejuſſoribus, indulgetur ipſi aliud tempus, intra quod reſtituere debeat *§. Et ſi in rem Inſtit. de Offic. judic.* Gloſſa *in cap. Querenti verſ. Quadrimeſtre de Offic. Delegat.* At verò in actione perſonali, dantur Reo condemnato quatuor menſes ad ſolvendum, *cit. cap. Querenti 26. de Offic. Delegat. & L. 2. & 3. C. de Uſuris rei judicat.* Gloſſa *loc. cit. & cap. cùm apud 11. quæſt. 3. verſ. Animadverſione.* Nam ut *l. quod dicimus ff. de Solution.* habetur declaratum. *Debere ſtatim ſolvere, cum aliquo temperamento temporis intelligendum eſt: nec enim cum ſacco adire debet.* 53

VII. Committitur contumacia *in non exhibendo*, v. g. rationes, pignus, ad mandatum Judicis; prout patet *ex l. Creditor §. Juſſus ff. de Appellat.* Atque iſtud ultimum in ſupra allegatis verſiculis denotatur per ly, *Pignuſque tenens*. Nam ob paritatem rationis idem dicendum de aliis ſimilibus, quæ quis in judicio exhibere juſſus, non exhibet. 54

Cæterùm per hactenus dicta neutiquam negatur quin contumacia aliis quoque modis committi valeat: quinimò generaliter loquendo, contumacia verſatur circa omnes Judicii partes, in quibus Actor, aut Reus, 55

Judici legitimè jubenti non obtemperat; neque enim ipſa eſt aliud, ac inobedientia erga Judicem commiſſa. Pirhing *h. t. nu. 21. tit. 6. §. quibus committit. contum. nu. 22.* Sannig *h. t. cap. 3. nu. 4.* & alii. In propoſito tamen præcipue agitur de Contumacia in veniendo; unde de hac loquendo

56 Quæritur II. Quotuplex ſit Contumacia in veniendo? Reſp. I. Contumacia hæc eſt duplex, alia vera, alia ficta ſive præſumpta. Ita Hoſtienſis *in Summa tit. de Contumacia nu. 1.* Maranta *par. 6. Speculi Aurei §. de Contumacia n. 8.* & alii, quamvis Gloſſa *fin. in Clem. un. h. t.* poſt Speculatorem *tit. de Contumacia n. 3.* addat tertium membrum, videlicet *Contumaciam evidentem*, qualem committit ille, qui citatus expreſſe dicit, ſe non venturum. Verùm hæc ſub contumacia vera jam continetur.

57 Ratio Concluſionis eſt, quia vel citatio apprehendit citatum; tunc *Contumacia* ab ipſo commiſſa vocatur *vera*. Vel ipſum non apprehendit perſonaliter, neque ad ejus notitiam pervenit; ut quia citatus latuit, nec inveniri potuit, tamen citatio ſolemniter facta eſt ad ejus domum, vel publicas valvas Eccleſiæ, ſeu Curiæ: & tunc ejus abſentia in termino conſtituto, appellatur *Contumacia ficta*, ſeu *præſumpta*; eò quòd juris fictione, ſeu præſumptione, talis reputetur contumax, niſi moram purgaverit.

58 Hinc *verus contumax* dicitur ille, quem citatio legitime facta apprehendit (hoc eſt, qui tribus Edictis, aut uno peremptorio, perſonaliter citatus fuit) & tamen ceſſante legitimo impedimento in termino præfixo non comparet; ut *l. Contumacia, & ſeqq. ff. de Re judicat. & can. De illicita §. Quicunque 24. qu. 3.* Huic adde illum, qui citatus peremptorie non eſt inventus, aliunde tamen conſtat, ipſum habuiſſe notitiam factæ ſuæ citationis, nec tamen comparuit, *arg. l. Ex conſenſu §. fin. ff. de Appellation.* Ubi Bartolus illud exemplificat de eo, qui citatus eſt ad domum, & poſtea ad ejus notitiam citatio tempore congruo pervenit: quia, ſi non comparuerit, dicitur verus contumax. Pirhing *h. t. numer. 20.* Maſcardus *de Probationibus, Concluſ. 450. numer. 10.* Benedict. Capra *Repet. in Clem. Si ante num. 14. & 15. de Dolo & contumac.* refutans contrariam quorundam opinionem.

59 *Ficte* autem, ſeu *præſumptive contumax* dicitur ille, qui quidem perſonaliter, ac in faciem citatus non fuit, eò quòd inventus non ſit; tamen ſolemniter citatus eſt per Edictum affixum ad domum ejus, vel valvas Eccleſiæ, aut Curiæ, nec comparet in termino præfixo. Jus enim violenter præſumit, quod ad taliter citati notitiam citatio devenerit, vel (quod non relevat) ipſe impedierit, aut fecerit ſe celando, ne ad eum potuerit pervenire citatio, *Extravag. Rem non novam h. t. inter Communes, & Clem. 1. de Judiciis*. Unde dicto modo per Edictum publice propoſitum citatus, habetur pro citato *cap. ult. h. t. & can. Ex tuæ 11. de Cleric. non reſident. & can. Venerabilibus §. Idem eſt 7. de Sentent. excommun. in 6.* cum ſimilibus. Et ſi in termino præfixo non venerit, præſumptive, ſeu juris fictione cenſetur eſſe contumax; ſicque contra ipſum veluti contumacem poteſt procedi, *can. cùm Bertoldus 18. de Sentent. & re judicat.* & notat Gloſſa *fin. in Clem. un. h. t.* Abbas *in can. Venerabilis nu. 8. eodem* Speculator *tit. de Contumacia §. 1. nu. 2.* Hoſtienſis *eodem tit. num. 2.* & communis.

60 Nec obſtat dubium, an ſolemnis illa citatio per Edictum ad notitiam citati pervenerit. Adhuc enim, ſi in termino præfixo non comparuerit, ob violentam illam juris præſumptionem cenſetur talis ficte contumax, poteſtque contra ipſum procedi. Maranta *part. 6. Speculi Aurei, tit. de Contumacia numer. 8.* poſt Bartolum *in L. ultim. §. Reſpondeo ad primum ff. de Reſtitut. in integr.* Angel. *in Conſil. 186.* & Cardinal. *in Clem. 1. quæſt. 9. de Dolo & contumacia*. Quinimò, ſi conſtaret, citationem perveniſſe ad citatum, nec tamen iſte compareret in termino, jam reputaretur verus contumax, ut proximè dictum.

61 Atque hæc procedunt, niſi poſtea talis moram purgaverit, allegando videlicet juſtam cauſam abſentiæ, ſeu cur in termino præfixo non venerit: aut ſaltem, loquendo de ficte contumace, is per juramentum, quod citatio ſolemnis per Edictum ad ejus notitiam non pervenerit, nec per eum ſteterit, quo minùs perveniret, violentam contra ſe præſumptionem juris elidere valeat, juxta Gloſſam *in can. Ex litteris verſ. Ad plenum De in integrum reſtitut.* Nam legitime impediti, neutiquam reputantur contumaces, neque pœnam contumacium patiuntur, *text. clar. l. Contumacia §. Pœnam contumacis ff. de Re judicat. & l. Sancimus ſi quis. C. de Fidejuſſoribus*. Quinimò, ſi contra talem jam proceſſum fuiſſet, atque ipſe in contumaciam condemnatus; nihilominùs probata poſtmodùm juſta cauſa abſentiæ, is ſine difficultate reſtituitur, & lata contra eum ſententia revocatur, ſeu retractatur; ut *cap. cùm Bertoldus 18.* juncta Gloſſa *verſ. Juſtam cauſam de Sentent. & re judicat.* & Abbas *ibid. numer. 35.* Speculator *cit. tit. de Contumacia §. 1. numer. 2.*

62 Quæritur III. Quæ requirantur, ut quis poſſit dici contumax? Reſp. I. Ad hoc imprimis requiritur, quod ſit legitime citatus, videlicet tribus Edictis, vel uno peremptorio pro omnibus. Textus eſt *in l. Contumacia ff. de judicat. & can. De illicita §. Quicunque 24. quæſt. 3.* cum ſimilibus. Quamquam iſtud non ita accipiendum ſit, quaſi ad primam, aut ſecundam citationem comparere contemnens, nullam committat contumaciam: verè enim talis committit inobedientiam quandam erga Judicem citantem, ſicque exiſtit contumax; & tenetur alteri parti comparenti ad refundendas expenſas, quas fecit in veniendo, juxta dicenda inferius *nu. 113.* Sed quia requiritur trina citatio, vel una peremptoria ad hoc, ut contra talem poſſit perveniri ad ſententiam diffinitivam, vel ad miſſionem in poſſeſſionem ex primo, & ſecundo Decreto; prout explicat Bartolus *in d. l. Contumacia, §. Contumax eſt ff. de Re judicat.* & Jaſon *l. Sancimus num. 8. C. de Judiciis*, citans alios, junctis dicendis infra *§. 5. numer. 114.*

63 Reſp. II. Ad hoc, ut quis contumax reputetur, ulterius neceſſe eſt, ut nullo juſto impedimento detentus fuerit, dum in termino citationis non comparuit. Textus eſt *in l. Contumacia §. Contumax eſt & L. ſeq. ff. de Judiciis.* Ubi iſtud exemplificatur de eo, quem adverſa valetudo detinet: item, quem majoris cauſæ occupatio defendit: vel, qui obedire non tenetur, eò quòd ad juriſdictionem citantis non pertineat: item, ſi quis Reipublicæ cauſa abſit: vel qui ad majus Tribunal evocatus, coram inferiore Judice non comparet. Talis enim non videtur contumax, prout ibidem declaratur.

64 Idipſum accidit, atque non comparens excuſatur à contumacia, quando citatus eſt ad comparendum in loco non tuto: puta, ob inſidias inimicorum, quos habet capitales in loco, ad quem citatur; vel ſi illuc accedere tuto non poteſt ob metum hoſtium, peſtilentiam graſſantem, vel inundationem fluminis, & hujuſmodi. Farinacius *lib. 1. Criminalium tit. 1. quæſt. 11. nu. 52. & 53. & ſeqq.* citans alios; atque liquet ex *cap. Accedens 4. Ut lite non conteſtata & c. Ex par. 46. de Appellat. & Clem. Paſtoralis §. Notorium, & §. Eſt igitur.* juncta Gloſſa, & DD. *ibid. de Re judicat.*

65 Inſuper; quando Judex in termino peremptorio eſt abſens, nec pro Tribunali ſedet, tunc Reus non comparens, neutiquam cenſetur contumax. Gloſſa *fin. in l. Ex quacunque ff. Si quis in jus vocatus &c.* Maranta *par. 6. Speculi Aurei tit. de Contumacia nu. 1.* qui tamen ſubdit, quod debeat talis comparere die ſequenti reverſo Judice, ac pro Tribunali ſedente, ſine alia citatione. Item inter juſtas abſentiæ cauſas connumeratur mors parentis, *arg. L. 2. ff. De in jus vocando*, juncta Gloſſa *penult. & ultim. ibid.* quæ iſtud extendit ad mortem Familiarium, quibus aliquis funeralia exequi debet. Item, quando quis habet conſanguineum infirmum: quia etiam Infirmitas ſuorum excuſat à contumacia, ſecundùm Alexandrum *in l. Quæſitum eſt ff. de Re judicat.* & Maranta *loc. cit. numer. 3.* Tacentur aliæ conſimiles cauſæ excuſantes abſentem à contumacia: quarum plures ſunt, Judicis tamen arbitrio remittendæ; prout notat Farinacius *loc. cit. n. 52.* & Menochius *lib. 2. de Arbitrar. Judic. Caſ. 153. num. 4. & 5.*

66 Quæritur IV. Quando Judex contra contumacem procedere poſſit? Reſp. I. Judex de jure nunquam poteſt procedere contra contumacem ad aliquem actum, niſi altera parte inſtante, ac petente. Ita deſumitur *ex l. Ad peremptorium & ſeqq. ff. de Judiciis*; ubi ſtatuitur, quod *quis petat poſt abſentiam adverſarii edictum primum, mox alterum, & tertium: quibus propoſitis tunc peremptorium impetret*: ſicque hæc omnia non niſi ad inſtantiam, ſeu petitionem partis, Judex decernit: quinimò, ſi pars adverſa iſtud non petat, videtur conſentire in abſentiam ſui adverſarii, eamque tacitè approbare, ſeu remittere. Concordat textus *in l. Properandum §. 1. C. eod. & Auth. Qui ſemel* & Bartolus *ibid. 1. C. Quomodo & quando &c. & Auth. Et qui appellat. §. Venio ad finem. C. de Temporib. appellat.* Jaſon *in l. Properandum §. Et ſi quidem nu. 3. de Judiciis*. Maſcardus *de Probationibus, concl. 450. nu. 8. & 9.* Maranta *par. 6. Speculi Aurei tit. de Contumacia n. 15.* Gailus *lib. 1. Pract. Obſervat. 55. nu. 3.* & alii. Siquidem Judex officium ſuum impertiri non debet, niſi petitum ſit; præſertim, ſi de facto, & non de jure controvertatur, *arg. l. Dies §. Hoc autem ff. de Damno infecto*.

67 Limita tamen datam Concluſionem in caſibus illis, in quibus Judex poteſt procedere, ac procedit ex officio: prout in ſimili jam dictum eſt ſupra *Tit. 3. de Libelli oblatione §. 2. nu. 58. & 59.* Item in caſu mulctæ pecuniariæ, utpote quam Judex poteſt imponere Reo contumaciter abſenti in pœnam commiſſæ erga ſe inobedientiæ, etiam altera parte non petente *l. Ex quacunque ff. Si quis in jus vocatus &c.* & ampliùs dicetur infrà *§. 5. nu. 134. & ſeqq.* His adde dicta, aliudque exemplum ſuprà *Tit. 3. de Libelli oblatione §. 3. n. 100. & 101.* jam allegatum.

68 Quæritur V. Utrùm elapſo termino peremptorio poſſit Judex expectare contumacem in aliam horam, vel diem ſequentem? Reſp. I. Quando poteſtas Judicis delegati expirat eadem hora, vel die termini peremptorii, nequit Judex expectare contumacem in alıud tempus; ſed oportet, ut is hora adhuc competente procedat ad exequendum id, propter quod partibus citatis terminum peremptorium legitime aſſignavit: ne alioquin, expirante ejuſdem juriſdictione, tota judicialis inſtantia fruſtra evaneſcat. Textus eſt *in c. Conſul. 24. de Offic. Delegat.* ac tradit ibidem Abbas *in Summario*. Barboſa *in Collectan. nu. 1.* & communis aliorum.

69 Reſp. II. Loquendo de Judice ordinario, vel etiam Delegato, cujus juriſdictio adhuc durat poſt aſſignatum terminum peremptorium, poteſt is partem abſentem de æquitate expectare in ſequentem diem; ac proinde, ſi partes ad certum diem, vel etiam certam horam diei, peremptorie fuerint citatæ, & alterutra earum tunc non compareat, pars abſens, etiam ad inſtantiam partis præſentis, atque alterius contumaciam accuſantis, non ſtatim neceſſariò condemnanda eſt in contumaciam. Ita deſumitur ex *cit. c. Conſuluit. 24. de Offic. Delegat.* ubi loquendo de Judice delegato, cujus juriſdictio in termino peremptorio non expirat (idemque, à paritate rationis, dicendum de Judice ordinario) Pontifex deſuper conſultus reſpondet, quod partibus ad certam diem peremptorie citatis, & altera earum contumaciter ſe abſentante, Judex in diem alterum, æquitate ſuadente, poterit expectare. Ubi proinde Gloſſa, *verſ. Gratiam fecerit*, notabiliter ſic loquitur: *Ecce quanta poteſtas datur Judici circa judicia, ut poſſit parcere contumaci in præjudicium alterius, ut L. 1. C. Quomodo & quando &c.* Hæc Gloſſa. Idipſum tenet Jo: Andreas *in cit. c. Conſuluit. n. 6.* & Abbas *in Summario nu. 2. & ſeqq.* & Felinus *n. 1.* & Barboſa *n. 1. de Offic. Delegat.* citans alios complures. Bartolus *in tr. Super Poſſeſſorio Generis humani, paulò poſt initium.* Speculator *tit. de Citatione §. Viſo n. 4.* Menochius *de Arbitrar. Judic. lib. 1. quæſt. 36. n. 3. & quæſt. 63. nu. 1.* Pirhing *tit. de Offic. Delegat. n. 90.* & Maſcardus *de Probationibus, Concl. 1236. nu. 1. & ſeqq.* allegans plurimos alios, nonnullis tamen diſſentientibus.

70 Accedit ratio: quia Judex non ſolùm utitur mera juſtitia, & rigore juris, ſed etiam quandoque æquitate, videlicet juxta exigentiam perſonarum, cauſarum, & locorum & temporum, *arg. can. Sicut dignum §. 1. de Homicid. & l. Quod ſi Epheſi ff. De eo, quod certo loco &c. & l. Placuit C. de Judiciis*. Atqui ratio æquitatis plerumque ſuadet, ut pars abſens non illicò condemnetur in contumaciam; ergo. Min. probatur: quia poteſt contingere, nec rarò contingit, quod juſtum impedimentum intervenerit, quo minùs pars citata in præfixo citationis termino comparere potuerit. Hoc autem facto, & probato, ceſſat contumacia, *l. contumacia ff. de Rei judic.* eſtque poſtea expectandum tempus, quo pars illa comparere poſſit; & ſi ſecùs attentatum fuerit, ſententia contra abſentem ex legitimo impedimento prolata, nullius eſt valoris, atque revocari debet, *c. Querelam 2. Procurat. & c. cùm Bertholdus 18.* juncta Gloſſa *V. Juſtam cauſam de Sentent. & re judicat.* Siquidem juſte impedito tempus ad agendum non currit, *arg. l. Quæſitum eſt ff. de Re judicat.* Unde ad evitandum illud inconveniens æquum eſt, ut Judex nonnihil expectet, donec de contumacia abſentis meliùs conſtet.

71 Deinde, quamvis citatus teneatur comparere hora diei ſibi in citatione præfixa, vel ſi non exprimitur hora, quam Curia ſolita eſt tenere, ut dictum ſupra *Tit. 3. De Libelli oblatione §. 2. nu. 65.* Nihilominùs non dicitur contumax, eò quòd illa hora non comparuerit, ſi ante ultimam adhuc horam totius diei venerit: quia tota dies citato cedit, *arg. l. omnis ſtipulatio. Inſtit. de Verbor. oblig.* Additio ad Abbatem *in c. Conſuluit. V. Hora diei præfixa de Offic. Deleg.* Bartolus, *ubi ſuprà*. Card. de Luca *de Judiciis. Diſc. 11. numer. 18.* poſt Rotam *Deciſ. 199. part. 5 Recentior.* quamvis addat, in hoc deferendum eſſe Tribunalium ſtylis.

72 Dices. Judex ita tenetur utramque partem litigantium audire, ut neutri præjudicium inferat: atqui hoc fieret, ſi poſſet parti abſenti, ſeu contumaci parcere, ac terminum peremptorium prorogare in aliam horam, vel etiam diem ſequentem; hoc enim vergeret in præjudicium partis præſentis, & alterius contumaciam accuſantis; ergo. Reſp. neg. min. Tum quia Judex ita prorogaret terminum peremptorium æquitate ſuadente, Jureque permittente, ne alioquin forſan innocentem, ſeu ex juſto impedimento non comparentem, damnaret in contumaciam. Tum quia ejuſmodi prorogatio modici temporis nequit cedere in magnum præjudicium partis præſentis (de modico autem non eſt curandum, *l. Scio ff. de reſt. in integr.*) quia in mora modici temporis non eſt periculum, *l. Si debitori ff. de Judiciis*.

73 Accedit, quod ſi revera pars præſens idcircò pateretur grave præjudicium, putà, quia majores feciſſet expenſas in veniendo de longinquo, tunc contumaciter abſens teneretur has refarcire, neque poſſet eas Judex remittere: alioquin ipſe de ſuo reſtituere cogeretur expenſas. *l. Sancimus C. de Judiciis* Gloſſa *in cit. can. Conſuluit. V. Gratiam fecerit* & Abbas *ibidem n. 9. de Offic. Deleg.* citans Innocentium Pirhing. *h. t. num. 90.* & alii, nonnullis tamen exceptis, quos allegat Abbas *loc. cit.*

74 Urgebis. Terminus peremptorius citationis videtur eſſe quædam ſententia interlocutoria; quia Judex cenſetur tacitè pronunciare, quod quis ceſſante juſto impedimento tunc abſens, non audiatur poſt illum terminum, *arg. l. A procedente*, juncta Gloſſa *fin. C. de Dilationib.* Atqui ſententia interlocutoria, à qua intra decendium non eſt appellatum, tranſit in rem judicatam. *can. Significaverunt 36. de Teſtib. & c. un. quod ad conſultationem 15. de ſent. & re judicat.* & conſequenter terminus ille nequit amplius per Judicem, invita altera parte, prorogari. Reſp. diſt. min. Sententia Interlocutoria, à qua non eſt appellatum, tranſit in rem judicatam, quoad partes litigantes, conced. quoad Judicem, neg. Licet enim ſententia illa interlocutoria tranſeat in rem judicatam quoad partes, atque idcircò pars negligens, ſeu contumaciter abſens, non poſſit ex ſe, atque ex jure ſuo petere, quod poſt elapſum terminum peremptorium adhuc audiatur: ab hoc enim, virtute peremptorii, jam intelligitur excluſa. Secùs tamen eſt dicendum quoad Judicem: in hunc quippe talis ſententia interlocutoria non cadit, ac proinde quoad ipſum etiam non tranſit in rem judicatam. Quinimò, ut notat Maſcardus *de probationib. Concl. 1236. n. 15. & 16.* poſt Bellameram *deciſ. 744.* & alios, ejuſmodi ſententia interlocutoria cenſetur habere tacitam illam conditionem, niſi Judex ſuadente æquitate partem abſentem adhuc duxerit eſſe admittendam: poteſt enim ipſe ſententiam ſuam interlocutoriam remittere, ac revocare, *l. quod juſſit ff. de re judicat.*

75 Reſp. III. Quamvis Judex poſſit parcere contumaci, eumque in diem alterum expectare; adeò, ut pars adverſa non poſſit contradicere, eò quod utatur poteſtate ſibi per legem conceſſa, ut hactenus dictum: nihilominus

minus Judex ille ad hoc non tenetur, ſed ſi voluerit, termino peremptorio elapſo poterit illicò, ad inſtantiam partis præſentis, condemnare abſentem in contumaciam: Ita definitur ex cit. can. Conſuluit juxta Gloſſa verſ. Æquitate de Offic. Deleg. & tradunt Doctores proxime allegati. Accedit ratio: quia pars abſens revera incidit in contumaciam: & adeò ſibi imputet, quod fuerit negligens. Aut, ſi forſan ex juſto impedimento abfuiſſet, tunc vel tempeſtive oportuiſſet mittere excuſationem abſentiæ ad Judicem; vel ſaltem in poſterum oportebit juſtam cauſam abſentiæ allegare, & probare: quo facto ad ejus inſtantiam revocatur ſententia condemnatoria in contumaciam contra eum lata, ipſeque reſtituitur in integrum, ut iam dictum ſupra num. 61.

76 Nec urget, quod Judex poſſit abſentem expectare in diem alterum. Reſp. enim, hinc nentiquam ſequi, quod etiam teneatur expectare: quia non omne, quod poteſt Judex, etiam neceſſe habet facere; ſive, *non quidquid judicis poteſtati permittitur, id ſubjicitur juris neceſſitati*, ut loquitur textus *in l. Non quidquid ff. de Judiciis & L. 1. C. Quomodo & quando &c.* Ac proinde Judex ille, motus æquitate, & quaſi ex gratia, poteſt quidem partem abſentem expectare, & admittere in diem ſequentem, ſi voluerit, haud obſtante lapſu temporis peremptorii: ad hoc tamen non tenetur, ne quidem ad inſtantiam partis, utpote per lapſum temporis peremptorii jam excluſæ. Maſcardus *loc. cit. num. 14.* & alii. Unde in hujuſmodi arbitrariis multum prodeſt, habere Judicem favorabilem. Abbas *in cit. can. Conſuluit. num. 2. de Offic. Delegat.* Menochius *de Arbitrar. Judic. lib. 1. quæſt. 63. num. 3.* allegans alios.

77 Accedit, quod Judex poſſit quidem prorogare terminum peremptorium in diem ſequentem, ſed non niſi *æquitate ſuadente*, per textum *in cit. can. Conſuluit*. Etſi enim termini judiciales ſolùm excludant partem, non verò judicem: debet tamen Judex ex æquo & bono moderari, atque regulare ſuum arbitrium, habito reſpectu ad jus alterius partis, ejuſque præjudicium: & ſi adeſſet concurſus æquitatis ex parte ambarum partium, contra negligentem foret judicandum, nam jura vigilantibus ſubveniunt, non negligentibus, *l. Non enim ff. Ex quibus cauſis majores &c.* Maſcardus *cit. Concl. 1236. num. 20.*

## §. III.

## De Contumacia Actoris, modoque contra hunc procedendi.

### SUMMARIUM.

78 *Actor qualiter cenſeatur committere contumaciam?*
79 *Et cur hæc quandoque à nonnullis committatur?*
80 Invitus agere nemo cogitur *quomodo intelligendum.*
81 *Contra Actorem contumacem, quomodo ſit procedendum? Et n. ſeqq.*
82 *Ejus citatio quomodo fieri debeat?*
*Præſertim, ſi ſit abſens, vel latitet? Ibid.*
83 *Dicta de citatione Actoris contumaciter abſentis, etiam procedunt in citatione Rei contumacis.*
84 *Contra Actorem contumaciter abſentem poteſt Judex procedere uſque ad ſententiam, etiam lite non conteſtata.*
85 *Quale citationum, ac temporis intervallum, ad hoc de jure Civili requiratur?*
86 *Et quid ſpectato jure Canonico, & conſuetudine Fori Eccleſiaſtici?*
87 *Ad litis conteſtationem an requiratur ſimultanea utriuſque partis præſentia?*
88 *Contra reum contumaciter abſentem non poteſt procedi lite necdum conteſtata; & cur? Et n. ſeq.*
*Major eſt contumacia Actoris, quam Rei. Ibid.*
89 *Magis præſumitur contra Actorem, quam contra Reum contumaciter abſentem.*
*Rei in jure appellantur* Fugientes; *& cur? Ibid.*
90 *Cur non fruſtra ad inſtantiam rei fiat proceſſus ſuper cauſa principali, Actore contumaciter abſente, ſicque nihil probante.*
91 Actore non probante Reus abſolvitur: *quomodo intelligendum?*
92 *Quatuor Remedia juris competunt Reo contra actorem contumaciter abſentem.*
93 *I. Ut Reus petat circumduci Edictum: & quale ſit hoc remedium.*
94 *Actor in termino citationis contumaciter abſens, tenetur Reo comparenti ad expenſas.*
95 *Secùs, ſi nec Reus comparuit.*
96 *Nec ampliùs Actor ille eſt audiendus, niſi præter reſtitutas expenſas etiam præſtet cautionem de comparendo in termino citationis.*
97 *Et qualis debeat eſſe hæc cautio?*
*Ubi in jure requiritur cautio, qualis ea debeat eſſe? Ibid.*
98 *II. Ut Actore non comparente, Reus petat ſe abſolvi ab obſervatione judicii.*
99 *An ad obtinendum iſtud remedium requiratur nova citatio Actoris?*
100 *III. Ut Reus præſens petat ſe diffinitive abſolvi ab impetitione Actoris contumaciter abſentis.*
101 *Litigatoris abſentia DEI præſentia repletur.*
102 *Ante ejuſmodi tamen ſententiam diffinitivam debet judex diligenter examinare negotium pro utraque parte.*
103 *Et quid, ſi viderit, quod Actor abſens meliorem cauſam habeat?*
104 *IV. Ut Reus etiam pro ſe pronunciari poſtulet.*
105 *Remedium illud eſt cæteris pinguius; & quid ad illud obtinendum requiratur?*
106 *In arbitrio Rei eſt, unum ex dictis remediis contra Actorem contumacem eligere.*

Quæritur I. Qualiter Actor cenſeatur committere contumaciam? Reſp. Id contingit, quando Actor propoſita ſemel actione (ſaltem mediante libelli oblatione) & per Judicem Reo cognita, ad mandatum Judicis ſtatuto tempore comparere, ac litem proſequi contemnit. Ita communis; & patet ex *Auth. Qui ſemel. C. Quomodo & quando &c.* 78

Solent enim quandoque aliqui malitioſi, præſertim prætextu Litterarum Apoſtolicarum, facere Reos citari, ubi volunt; nec tamen comparent in termino à judice ſtatuto, ut ſic citatos ampliùs indebite gravent. Speculator *tit. de Contumacia §. Nunc nu. 2.* Interdum etiam Actores contumaciter ſe abſentant, nec legitime citati coram judice comparere volunt, eò quòd diffidant de jure ſuo: ſicque ſua abſentia judicis ſententiam ſubterfugere, vel ſaltem prolongare cupiunt; aut dum vident, Reum habere nunc paratas ſuas defenſiones ex teſtibus, vel aliis modis, ſeſe abſentant, donec interim teſtes illi moriantur, vel quoquo modo paratæ Rei probationes intereant. Gl. Marginalis *in c. Cauſam 3. h. t.* 79

Nec ipſos juvat illud, quod habetur *L. un. C. Ut nemo invitus &c.* ibi: *Invitus agere, vel accuſare nemo cogatur.* Reſp. enim, præter alias hujus Legis fallentias, ſeu limitationes, quas ponit Gloſſa ibidem, Regulam hanc ſolùm procedere ante cœptam litem, ſive dum quis nondum agere incœpit: tunc enim in uniuſcujuſque arbitrio eſt, agere vel non agere; atque oportet Actorem præmeditari, an ſufficienter inſtructus comparere poſſit. Secùs dicendum poſt cœptam ſemel litem, ac re non ampliùs integra: tunc enim, ne Reus malitioſè vexetur, poteſt is cogere Actorem ad perſiſtendum in lite, & propoſitam ſemel actionem ad finem uſque proſequendam; ac proinde petere, ut Actor contumaciter abſens citetur, juxta *Auth. de Litigioſis §. Omnem verò Collat. 8.* & mox ampliùs declarabitur. 80

Quæritur II. Quomodo citandus ſit Actor, vel Reus contumax? Reſp. I. Si actor eſt contumax, & comparere renuit, Reo inſtante, Actor per Judicem trina denunciatione, vel una peremptoria perſonaliter citari debet, dummodò reperiri poſſit: quòd ſi is nullo modo reperiri valeat, ut quia ſe occultavit, aut penitus receſſit, citandus eſt Procurator ejus, ſi quem reliquit: ſi autem nullum dimiſit Procuratorem, aut eſt incertum, an hunc dimiſerit, tunc citatio ipſius debet fieri per Edictum ad domum ejuſdem Actoris, vel ad valvas Curiæ, aut Eccleſiæ affixum. Ita habetur ſtatutum *c. Cauſam 3. h. t.* ac notat Gloſſa, & Do- 81



Doctores ibidem communiter. Et meritò: quia, antequam ad ulteriora procedatur, citatio partis adverſæ abſentis cum primis eſt neceſſaria, cum ſit fundamentum judicii, ac etiam de Jure naturali, & Divino requiratur; ut dictum ſuprà *tit. 3. de Libelli Oblatione §. 2. n. 67. & ſeqq.*

82 Porrò hujuſmodi citatio Actoris abſentis, non niſi reo inſtante fieri debet, juxta dicta ſuperiùs *n. 66.* Deinde dicta citatio partis abſentis, debet eſſe perſonalis; hoc eſt, facta in perſona citandi, ſi reperiri valeat: ſive deinde ea fiat per miſſas à Judice litteras, ſive per publicum Miniſtrum, aut Nuntium, citationem ex mandato Judicis oretenùs deponentem. Quando autem citatio perſonalis fieri non poteſt, eò quod citandus lateat, neque reperiatur; tunc, juxta dicta in concluſione, facienda eſt citatio in perſona ſui Procuratoris, ſi quem pro ſe dimiſit. Aut ſi Procuratorem loco ſui non reliquerit, ſimulque abſens ſit, vel latitet, oportet fieri citationem ipſius per Edictum, affixum ad domum ſuam, vel valvas Curiæ, aut Eccleſiæ illius loci, ubi citandus morari conſuevit, *cit. cap. cauſam 3. h. t.* juncta Gloſſa *ib. V. ad domum* & Abbate *n. 5. ac ſeq. ead.* & communi concordat textus *in L. 4. §. prætor ait ff. de Damno infecto & Auth. qui ſemel. C. quomodo & quando &c. Clem. 1. de Judiciis.* ac præſertim *Extravag. non novum, h. t. inter Communes*; ubi additur, quod facta citatione Edictali, ut ſuprà jus violenter præſumat, quod ipſa ad notitiam citati devenerit aut (quod non rulevat, *c. quoniam §. Porrò. ut lite non conteſtata &c.*) ipſemet fecerit, atque impediverit malitioſè ſe occultando, ne ad ipſum citatio pervenire potuerit; quare hoc ipſo cenſetur contumax.

83 Reſp. II. Quæ nunc dicta ſunt de citatione Actoris contumaciter abſentis, eadem pariformiter (ſervata proportione) procedunt de citatione Rei contumacis; utpote de quo militat eadem ratio, ac loquuntur pleraque allegata Jura, juncto *c. ult. h. t.* ubi ſpecialiter modus iſte citandi Reum abſentem, & latitantem, determinatur. Præmiſſis accedunt dicta ſuperius *tit. 3. de Libelli oblatione §. 2. & 3.* ubi de Citatione, & variis ipſam concernentibus ex profeſſo tractatur.

84 Quæritur III. Utrum contra Actorem contumaciter abſentem poſſit Judex procedere? Reſp. I. Facta citatione Actoris contumacis, ut ſuprà, ſive ejus Procurator venerit, ſive non; tunc reo præſente, & inſtante, poteſt Judex procedere ſuper negotio principali, atque in hunc finem teſtes recipere, auditiſque allegationibus, & comperta veritate ſententiam diffinitivam ferre, etiam lite non conteſtata. Patet hoc ex *c. c. Cauſam 3. h. t.* juncta Gloſſa & Abbate *n. 1.* & Barboſa *n. 1.* Emanuel Gonzalez Tellez *d. c. 3. n. 3.* aliiſque DD. *ib.* & concordat textus *in l. properandum §. Et ſi quidem C. de Judiciis & Auth. qui ſemel C. quomodo & quando &c.* Idque meritò ſtatutum fuit, ut Actoribus ſubtrahatur omnis occaſio malitioſè vexandi Reos, dum non ampliùs licet ipſis pro libitu à lite jam cœpta recedere, ſed coguntur judicium cœptum ad finem perducere, ſi pars adverſa voluerit.

85 Reſp. II. Nihilominus ſpectato rigore Juris Civilis quoad tempus inchoandi talis proceſſus diſtinguendum eſt inter Actorem contumaciter abſentem ante litis conteſtationem, ac poſt litis conteſtationem. Et ſi quidem Actor poſt oblatum judici libellum, & per hunc reo cognitum, ante litis conteſtationem contumaciter abſit, litemque proſequi differat; tunc poſtulante Reo citandus eſt tribus Edictis, quolibet, habente intervallum triginta dierum: quod ſi non venerit, indulgetur ei adhuc ſpatium unius anni; ita tamen, ut intra annum veniens non audiatur niſi refuſis reo expenſis: ſi verò non venerit, tunc primum Judex poſſit, ut ſuprà, procedere ſuper negotio cauſamque examinare, ac veritate cognita legitimam proferre ſententiam. Si autem Actor contumaciter abſit poſt litis conteſtationem jam factam, tunc Reo inſtante tribus Edictis, unoquoque eorum pariter non minùs triginta dierum ſpatium continente, citandus eſt: & ſi intra id temporis Actor non venerit, non expectato ulteriori ſpatio Judex procedet ad cognitionem negotii principalis; atque ubi liquet de meritis cauſæ ſententiam diffinitivam proferet pro eo, qui juſtam cauſam fovet: alioquin verò reum abſolvet ab obſervatione judicii nullo regreſſu ad cauſam reſervato Actori; ſimulque actorem, ſive vincatur, ſive vincat, condemnabit reo præſenti in expenſis. Patet hoc totum ex *Auth. qui ſemel. C. quomodo & quando &c.* juncta *Auth. de Litigioſis §. omnem Coll. 8.* & tradit Speculator *tit. de contumacia §. Nunc n. 3.* Pirhing *h. t. n. 25.*

Additur notanter, *ſpectato rigore Juris Civilis*. Nam de Jure Canonico intervallum dictarum dilationum non procedit, *arg. c. 1.* juncta *Gl. V. Rigor & c. cauſam 3. h. t.* Neque etiam ex conſuetudine Fori Eccleſiaſtici ſervantur; ſed ſtatim actore, vel ejus Procuratore, poſt trinam legitimam, vel unam peremptoriam citationem non comparente, teſtibus receptis, proceditur reo inſtante in cauſa ad veritatem inquirendam & ſententiam ferendam, ut ſuprà. Abb. *c. c. cauſam n. 15. in fin. h. t. & c. 1. n. 7. eod.* Pirhing. *cit. n. 25. h. t.* junctis dicendis infrà *§. 4. n. 110.* 86

Fatendum tamen, quod Eman. Gonzalez Tellez *in c. cauſam 3. nu. 3. h. t.* arbitretur, ſuppoſitum hujus ſecundæ Concluſionis, (ſeu quod actor poſt oblatum Judici libellum, & propoſitam in eo ſuam petitionem, aliquando contumaciter abſit ante litem conteſtatam) continere caſum impoſſibilem, Rationem dat: quia, ſi reus citatus poſteà compareat, actoriſque petitioni contradicat, hoc ipſo inter eos cenſetur lis eſſe conteſtata: ſiquidem litis conteſtatio fit per petitionem Actoris, & negationem rei (qualis in dato caſu jam intervenit) neque ad eam requiritur ſimultanea utriuſque partis præſentia; nullo enim Jure iſtud cavetur, quinimò in *c. un. de litis conteſt. & c. dudum Eccleſia 54. §. licèt autem de elect.* cum ſimilibus, de ſola petitione actoris in judicio propoſita, & reſponſione rei ſubſecuta ſit mentio, eaque facta litis conteſtatio fieri cenſetur. Verùm, quidquid ſit de hac ſententia, quod litis conteſtatio utraque parte præſente facienda ſit, tenet Hoſtienſis *in c. un. de Litis conteſt.* & Bartolus *in l. un. n. 6. C. eod.* allegans communem, & iſtud probans per textum *ib.* ex quo patet, multum intereſſe inter editam actionem, & litis conteſtationem: & *Auth. qui ſemel C. quomodo & quando &c.* Ubi, cum Actor porrexiſſet Judici libellum, & receſſiſſet, reo negante contenta in libello, & litem proſequente, nihilominùs dicitur in cauſa procedi lite non conteſtata; & conſequenter ad hanc inducendam non ſufficit ſola libelli oblatio ex parte actoris, & negatio ſubſecuta ex parte rei; niſi actor præſens ſit, & vel viva voce repetat narrata ſui libelli reo poſtmodum illa negante prout communiter fieri ſolet; vel ſaltem ipſo facto eandem conteſtetur, nempe procedendo ad probationem actionis intentatæ, ut limitat, atque in Camera obtinuiſſe refert Gailus *l. 1. pract. obſerv. 73. nu. 3.* Atque juxta hanc communem ſententiam procedit data Concluſio, contra quam tamen majoris claritatis gratia 87

Objicies primò. Quando reus contumaciter eſt abſens non proceditur altera parte inſtante ad receptionem teſtium, multò minùs ad ſententiam diffinitivam, lite necdum conteſtata, *c. Accedens 2. & c. Duæ fraternitatis 3. & c. quoniam 5. §. In aliis ut lite non conteſt. &c.* Ergo hoc ipſum eſt viciſſim dicendum, quando actor eſt contumax, & abſens. Reſp. neg. conſ. & paritatem: ſiquidem magna eſt diſparitas inter actorem contumacem, & reum contumacem, uti notat Gl. *in d. c. cauſam V. ad domum* & Abb. *ib. n. 15. h. t.* primò enim major eſt contumacia actoris, quam rei: nam à principio in poteſtate actoris erat, non agere, non item rei, qui invitus convenitur, *l. pure §. fin. ff. de Doli mali except.* ac proinde plus imputatur actori contumacia, quam reo. 88

Deinde, ſi non poſſet procedi contra actorem contumacem, ut ſuprà, etiam lite necdum conteſtata, foret in ejus poteſtate, reum vexare citando, quandocunque vellet; quod utique eſt abſurdum, hæc autem ratio ceſſat ex parte rei, cum hic non niſi provocatus ab actore in judicium veniat. Huc facit nota illa regula juris, *favorabiliores rei potius, quam actores habentur*, prout habetur in *l. Favorabiliores ff. de reg. jur.* juncta *reg. 11. jur. in 6.* cum ſimilibus. Et hæc diſparitas, patet, ſequitur ex præcedenti.

Tandem quando actor, qui alterum provocavit, contumaciter non venit, magis præſumitur contra ipſum, quam contrà reum abſentem. Siquidem rei generatim in Jure appellantur *fugientes*, ſeu fugitivi, juxta textum in *l. properandum §. Et ſi quidem C. de judiciis* quia ut explicat Gloſ. *ib. V. fugientes*, rei conſueverunt fugere; unde ſi fugiunt, ſeque abſentant, faciunt ſecundum naturam ſuam, *arg. can. 1. cauſ. 4. q. 4.* & proinde nihil mali contra illos præſumitur. Secus dicendum in actore: nam iſte fugiendo, dire- 89

directè facit contrarium ejus, à quo denominatur, quodque præſtare debet, nempè agere: unde præſumitur contra ipſum quod ſe idcircò malitioſè abſentet, quia videt reum habere defenſiones paratas; & ſic velit expectare donec iſtæ tractu temporis pereant, *arg. c. quoniam §. 1. ut lite non conteſtata &c. & c. ſignificavit 41. de Teſtib.* Qua de cauſa quandoque actori præfinitur certum tempus ad agendum, *l. Diſſimari C. de ingenuis manum. & c. 1. de reſt. ſpoliat. in 6.*

90 Urgebis. Fruſtrà in tali caſu fit receptio teſtium, & proceſſus ſuper cauſa principali ad inſtantiam rei; ergo. Antecedens probatur: quia generaliter *Actore non probante* (prout Actor contumaciter abſens nihil probat) *reus eſt abſolvendus*, per textum expreſſum in *c. cum Eccleſia 3. de cauſa poſſeſ. & l. qui accuſare C. de edendo*, cum ſimilibus, ergo. Reſp. neg antec. cum ſuæ probationis conſequent. Quia poteſt accidere caſus, ut reo melius ſit, nunc proſequi litem, dum habet paratas probationes, quam alio tempore, ac mortuis jam teſtibus, quos nunc producere potuiſſet. Et hinc ad ejus inſtantiam non inutiliter tunc fit receptio teſtium, & proceſſus ſuper cauſa principali, prætermiſſa mera abſolutione ab obſervantia judicii, atque impetitione Actoris, juxta allegata Iura.

91 Accedit, quod regula illa, *Actore non probante reus abſolvitur*, plures patitur fallentias, ſeu limitationes, quas ponit Gloſſa in *can. accuſatores 6. q. 5.* Cæteris tamen dimiſſis, regula illa tunc ſolum procedere dignoſcitur, quando utraque pars litigantium fuit præſens, ſimulque omnes dilationes ad probandum Actori jam fuerunt datæ, & tamen nihil probavit: nam quia ex tunc liquet, actori nullum jus competere adverſus reum, meritò ab ejus petitione reus abſolvitur, etſi ipſe nihil præſtiterit. Secus dicendum in noſtro caſu, ubi Actor eſt abſens, etſi contumaciter, & necdum ipſi datæ fuerunt legitimæ dilationes ad probandum: tunc enim, licet reus poſſit petere circumduci Edictum factæ citationis, ita ut tali citatione ampliùs non aſtringatur, & liberè poſſit recedere; aut etiam petere, ſeſe abſolvi ab obſervatione judicii, juxta proximè dicenda: non tamen poteſt definitivè abſolvi ab impetitione actoris (hoc eſt, ab inſtantia ejus ſuper re petita) multò minus declarari dominus talis rei, niſi obſervaverit, atque obſervari petierit dicta in Concluſione. Quod ut meliùs intelligatur

92 Quæritur IV. Quot remedia Iuris competant reo contra Actorem contumaciter abſentem? Reſp. cum Abbate in *cit. c. cauſam n. 18. h. t.* Bartolo *in Auth. qui ſemel n. 13. Cod. quomodo & quando &c.* Sigiſ. Scaccia *l. 1. de Judiciis c. 19. n. 9.* & aliis, quatuor eſſe remedia Juris, quæ competunt reo præſenti adverſus actorem contumaciter abſentem, & ſunt ſequentia, quorum ſemper unum eſt pinguius altero.

93 I. Ut reus præſens petat *circumduci edictum*, hoc eſt deleri peremptoriam citationem, ejuſque virtutem tolli ita ut abſolvatur a facta citatione, ſicque liberè poſſit à Judicio reſilire, *l. Et poſt edictum*, juncta Gloſ. ℣. *Circumducendum ff. de Judiciis* Et illud remedium cæteris eſt levius, ac facilè obtinetur etiam ſine nova citatione: non tamen per illud eſt plenè conſultum reo, quia poterit actor, ſi voluerit, redire, ac denuò (reſtitutis tamen expenſis, quas anteà reus in judicio comparens ex ſua comparitione fecerat) reum citari facere, & procedere ſuper priùs agitatis. Quin etiam, licèt reus petierit circumduci edictum, ſeque abſolvi ab obligatione factæ citationis peremptoriæ, poterit nihilominus Judex, æquitate ſic ſuadente, actorem expectare in diem ſequentem & non illicò licentiare reum, *c. conſuluit. 24. de offic. delegat.* eſtque jam dictum ſuperius *n. 69. & ſeqq.*

94 Additur notanter, *reſtitutis tamen expenſis* &c. Siquidem jure cautum eſt, quod actor, qui ad certum terminum citari adverſarium fecit, & tamen ipſemet in termino illo citationis contumaciter (ſive ceſſante juſto impedimento non comparet,) condemnari debeat reo comparenti in expenſis, quas reus veniens ex ſua comparitione legitimè feciſſe probatur; prout habetur *c. 1. h. t. in 6.* juncta Gl. marginali, & DD. *ib.* & concordat textus in *l. Sancimus 13. C. de Judiciis, & Auth. de Litigioſis §. fin collat. 8.* Idque meritò quia æquitas naturalis non patitur, ut quis innocens damnum ſentire cogatur ob culpam alienam: ſimulque non deberi aliquis alterius odio prægravari, ut loquitur *Reg. 22. Juris in 6.*

95 Quod ſi tamen nec reus comparuit in termino citationis, tunc actor ad nullam reſtitutionem expenſarum condemnari debet. Tum quia tunc reus nullas fecerat expenſas in veniendo, cum non venerit. *Gl. c. 1. ℣. venienti h. t. in 6.* Tum quia in tali caſu una contumacia compenſatur cum altera, *l. ſi duo ff. de dolo malo, & l. ſi ambo ff. de Comp.*

96 His adde, quod actor ſemel in termino citationis contumaciter non comparens, præter expenſas reo venienti reſtituendas; juxta proximè dicta, puniatur etiam in hoc; quod; ſi iterùm citari petat reum, non ſit audiendus, niſi priùs ſufficientem præſtiterit cautionem, ſeſe in termino conſtituto fideliter compariturum; prout habetur expreſſum *in cit. c. 1. h. t. in 6.* Et ratio eſt: tum quia æquum eſt, ut quis puniatur in eo, in quo deliquit, *c. Literas 13. de Temp. ordinat.* Tum quia juxta reg. 8. juris in 6. *Semel malus ſemper præſumitur eſſe malus* (intellige, in eodem genere delicti, ut explicat Gloſſa ibidem) ac proinde Actor ſemel contumax, iterum præſumitur futurus contumax, niſi ſufficientem de veniendo, ſeu comparendo in termino conſtituto, cautionem præſtiterit.

97 Et hæc quidem cautio, quam tenetur præſtare actor ſemel contumax, debet eſſe fidejuſſoria, vel pignoratitia: talis enim exigitur, quoties in Jure requiritur ſufficiens, ſeu idonea cautio, *l. Si mandato §. fin. ff. Mandati*: dummodò quis eam præſtare poſſit. Quod ſi verò talem fidejuſſoriam, vel pignoratitiam cautionem præſtare nequeat, dabit ſaltem juratoriam, juxta Gl. *d. c. 1. ℣. Sufficienter h. t. in 6.* & favet textus *in c. per veſtras 7. de Donat. inter vir. & uxor.*

98 II. Remedium rei contra actorem contumacem eſt: ut actore non comparente poſt legitimas citationes, reus petat ſe abſolvi ab obſervatione judicii; hoc eſt, ab inſtantia intentatæ actionis. Et hoc eſt aliquantulum pinguius remedium, quam primum: nam per illud tollitur tantum virtus factæ citationis, & abſolvitur reus ab ipſa; per iſtud autem tolluntur, & annullantur omnia geſta in tali inſtantia, ſive judicio, *l. properandum §. Et ſi quidem C. de Judiciis*. Ita quidem, ut ſi actor rediens, ſolutis reo expenſis priùs factis, denuò agere velit, novam actionem, ſeu judicium inſtituere debeat: Gloſſa *ib. ℣. Judicii*.

99 Requiritur tamen ad obtinendum iſtud remedium nova citatio partis abſentis, ſeu Actoris contumacis, cum altera citatio ad hunc actum non emanarit, *arg. l. Aut qui aliter §. 1. ff. quod vi aut clam* & notat Innocentius in *c. Conſuluit de offic. deleg.* ac Speculator *tit. de Contumacia §. 2. n. 4.* Niſi forſan antea promiſiſſet actor intra certum tempus litem exequi: tunc enim reo comparente, & actore expectato, ac intra decem dies poſt conſtitutum tempus non comparente, abſolvendus eſt reus ab obſervatione judicii ſine alia citatione; eſtque actor condemnandus ad præſtandum Reo factas expenſas, *Auth. quod fieri C. de Dilation.* ac notat Bartolus *in Auth. qui ſemel. Cod. quomodo & quando &c.* & Abbas *c. c. cauſam n. 18. h. t.*

100 III. Remedium contra actorem contumacem, eſt. Ut reus præſens petat ſe diffinitivè abſolvi ab impetitione actoris contumaciter abſentis, ita ut poſtea actor ſuper eodem negotio ampliùs non audiatur, & ſi denuò agere velit, repellatur exceptione rei judicatæ. Atque iſtud remedium eſt magis pingue præ duobus jam enumeratis, ſimulque perpetuum: non tamen poteſt obtineri, niſi duobus modis. Et primò quidem, quando ex probationibus actoris jam factis conſtat, nullum jus actori competere; aut quando datis ipſi omnibus juridicis dilationibus actor nihil probavit: tunc enim locum habet illud vulgatum: *Actore non probante, qui convenitur, etſi nihil ipſe præſtiterit, obtinebit*, prout habetur *c. Cum Eccleſia 3. §. fin. de cauſ. poſſeſ.* cum concordantiis. Secundo, quando reus ipſemet, etiam lite nondum conteſtata; vult in ſe ſuſcipere onus probandi de injuſta petitione actoris: tum ſecuta hac probatione, ſive per teſtes, ſive per alia legitima argumenta, proferri debet à Judice ſententia diffinitiva, reuſque abſolvi ab impetitione actoris, judicialiter pronunciando, quod reus non debeat actori rem petitam: ut *cap. cauſam 3. h. t. Auth. qui ſemel C. quomodo & quando &c.*

101 Neque tunc obſtat abſentia actoris. Siquidem ſtante ſua contumacia, ipſius actoris ſeu litigatoris abſentia Dei præſentia repletur juxta textum notabilem in *l. properandum §. Sin autem, C. de Judiciis*, ſicque nihil obſtat abſentia illa præſertim, cum etiam tunc in favorem actoris, licet contumaciter abſentis ob Dei cuncta videntis præſentiam, & evitandam ejus offenſam, oporteat Judicem inquirere, teſteſque recipere, ut illico magis dicetur.

102 Unde notandum, quod quando proceditur contra Actorem contumaciter abſentem in ordine ad obtinendam ſententiam diffinitivam, Judex diligenter examinare debeat negotium pro utraque parte. Siquidem Judex uſque ad prolationem ſententiæ debet univerſa rimari, *c. cum Joannes 10. §. ad hoc de Fide inſtrum.* ac proinde poteſt, & debet, in favorem etiam actoris abſentis (utpote cujus abſentiam tunc ſupplet rei præſentia) inquirere veritatem; atque ex officio ſuo ſupplere abſentiam ejus recipiendo teſtes, aliaſque probationes, *arg. c. un. De eo, qui mittitur in poſſ. in 6.* juncta Auth. *de Litigioſis §. omnem. col. 8.*

103 Et hoc adeò verum eſt, ut ſi Judex ex actis apud ſe geſtis, ſeu ex allegatis & probatis, perſpexerit, quod actor licet contumaciter abſens, meliorem cauſam habeat, pro ipſo definitivam ferre ſententiam teneatur: ita tamen, ut expenſas litis reo reddere teneatur, quas ipſe præſens cum taxatione Judicis legitimè ſeſe expendiſſe juraverit. Siquidem hanc pœnam actori, licet meliorem cauſam habenti, Jura ſtatuerunt propter ſolam contumacis abſentiæ pœnam, *l. properandum §. Et ſi quidem C. de Judiciis*, juncta Gloſſa, *& DD. ib. & l. Et poſt edictum §. 1. ff. eodem*.

104 IV. Remedium rei contra actorem contumaciter abſentem eſt: ut in tali caſu reus non ſolum definitivè ab impetitione actoris ſeſe abſolvi petat, ſed etiam pro ſe pronunciari poſtulet. Exemplo iſtud declaratur. Titius actor rei vendicatione petivit agrum à Cajo poſſeſſum, & poſtmodum Titius contumaciter ſe abſentat: quo cognito Cajus adhibitis pro ſua intentione idoneis probationibus, petit non ſolùm abſolvi ab illa impetitione Titii per diffinitivam ſententiam, qua declaratur agrum illum non deberi Titio, ſed inſuper poſtulat judicialiter pronunciari, quod ipſe ſit verus dominus illius agri. In hoc quippe caſu Cajus utetur quarto iſto remedio, quo impoſterùm non ſolùm contra Titium, ſed contra quemcunque tertium ſeſe defendere poſſet, opponendo exceptionem rei judicatæ.

105 Unde patet, quod iſtud remedium cæteris omnibus ſit pinguius. ad illud tamen obtinendum non ſufficit probare duntaxat, rem illam, v. g agrum, non eſſe Titii Actoris (licet hoc ſatis ſit ad remedium tertium proximè explicatum) ſed requiritur ulterius, quod Cajus Reus etiam probet de jure ſuo. nempe quod ipſe ſit dominus agri, *arg. c. olim ex litt. 25. de reſcrip.* & notat Gl. *fin. c. un. De eo, qui mittitur in poſſ. in 6.* Et meritò: quia non ſequitur, *Ager ille non eſt Titii actoris, ergo eſt Caii Rei*, niſi hoc ſpecialiter probetur: quia poſſet eſſe alicujus tertii. Abbas *cit. c. cauſam n. 18. h. t.*

106 Porrò in arbitrio rei eſt, quale remedium ex præfatis velit arripere contra actorem contumaciter abſentem: nimirum, an velit ſolùm petere, abſolvi ſe à facta citatione; aut etiam ab obſervatione judicii, ſeu à facta inſtantia cum refuſione expenſarum per Actorem præſtanda: vel, an inſuper petere velit abſolvi ab impetitione actoris: aut, an etiam deſideret pro ſe pronunciari, ſibique rem controverſam adjudicari; atque in hunc finem velit onus probandi in ſe ſuſcipere, ac proinde etiam abſente actore uſque ad ſententiam diffinitivam procedere, juxta *cit. c. cauſam h. t.* Dummodo hoc ultimum non temerè fiat, ſed probè perpenſis ſuis probationibus & rationibus, ne alioquin contra ipſum pronunciari contingat, ubi uno ex præcedentibus remediis indubitatam pro tunc potuiſſet ſperare victoriam.

§. IV.

## De modo procedendi contra Reum contumacem.

### SUMMARIUM.


107 *Reus in prima citatione contumax, ſecundò & tertiò citandus eſt.*

108 *Prima citatio vocatur conventionalis, ſecunda monitoria & tertia peremptoria.*

109 *Tres illæ citationes de Jure civili fieri per intervallum ſaltem decem dierum.*

110 *De Iure Canonico intervallum iſtud eſt poſitum in arbitrio Judicis.*

111 *Dummodò hic terminum illum non nimis reſtringat.*

112 *Utrùm reus, qui tantum fuit contumax in prima citatione, condemnari debeat actori in expenſis? Et ratio dubitandi.*

113 *Affirmativa ſententia eſt vera.*

114 *Solvuntur Jura in contrarium.*

115 *Reus extra judicium ſi ad primam citationem reſpondeat ſe nolle comparere, debet ſecundo & tertiò citari: ſecus, ſi in judicio ita reſponderit.*

116 & 117 *Idque probatur. Et n. ſeq.*

118 *Confeſſio facta ex calore iracundiæ non tenet, niſi in ea detur perſeverantia.*

119 *Quid agendum cum reo extra judicium reſpondenti, ſe nolle comparere?*

120 *Præſertim, ſi in termino citationis non comparuerit;*

121 *Et quid ſi in judicio ita reſponderit?*

122 *Judex, antequam procedat ad infligendas reo abſenti pœnas, debet eum declarare contumacem.*

123 *Attendendo priùs, an non habeat juſtam cauſam abſentiæ, & aliqualiter expectando.*

124 *Cur non ſit fruſtraneum, quod Judex in tali caſu expectet. Et n. ſeqq.*

*Mandatum de comparendo in judicio ad certum tempus, duo involvit, & quæ l. ib.*

125 *Si reus citatus veniat intra terminum prorogatum citationis, vel poſteà, quid proſit?*


Quæritur I. Utrùm, ac intra quale temporis intervallum, reus ſemel contumax, de novo ſit citandus? Reſp. I. Quando reus fuit contumax in prima citatione, & in termino ejus non venit per ſe, nec per idoneum Procuratorem; tunc is ad inſtantiam Actoris ſecunda vice, & necdum comparens tertia vice citandus eſt: niſi primitus uno pro tribus peremptorio Edicto citatus fuerit. Ita communis; & patet *ex can. De illicita 24. q. 3. & l. Contumacia. ff. de rei judic. & l. ad peremptorium, & l. Nonnunquam ff. de Judiciis*. cum ſimilibus. Alioquin quippe contra reum, niſi taliter citatum, ad ſententiam diffinitivam, vel miſſionem ex primo, aut ſecundo Decreto, perveniri non poſſet; ut jam ſuprà §. 2. *n. 62.* declaratum fuit. 107

Circa quod notat Speculator *tit. de Contumacia §. Viſo n. 16.* quod prima citatio, vocetur *Conventionalis*: quia in ea dicitur: *Venias tali die coram tali Judice*: Secunda *Monitoria*; quia Judex dicit: *Vade, mone eum, ut veniat*. Tertia vero, appellatur *peremptoria*; quia dicitur in ea: *Niſi venerit procedet Judex &c.* condemnando; vel abſolvendo. 108

Reſp. II. Etſi de rigore Juris Civilis dictæ tres citationes rei contumacis debeant fieri ſaltem dato intervallo decem dierum, inter unam & alteram citationem interponendorum: de Iure tamen Canonico rigor iſte non procedit, ſed intervallum illud eſt poſitum in arbitrio Judicis. Prior pars habetur *in l. Ad peremptorium & l. per intervallum ff. de Judiciis*: ubi expreſſè ſancitur, ſingulas tres citationes eſſe faciendas ſucceſſivè *per intervallum non minus decem dierum* Quamvis enim in *Auth qui ſemel C. quomodo & quando &c.* longius intervallum videatur præfigi, ſtatuendo, ut inter ſingulas citationes interponatur ſpatium triginta dierum: tamen Authentica illa non loquitur de citatione rei contumacis, ſed in alio caſu ſpeciali; nempe, quando actore per contumaciam abſente, reus 109

vult

vult proponere probationes ſuas, ut pro ipſo feratur ſententia diffinitiva: prout jam ſuprà *tit. 8. de dilationibus §. 2. n. 26 & 27.* dictum fuit.

110 Altera pars eſt Gloſſæ *in can. de illicita 24. q. 3. ℣. peremptorio*, & Archidiaconi, *ib. n. 1* dum aſſerunt, quod iſtud in arbitrio Judicis ſit poſitum, idemque tenet Abbas *in c. 1. n. 7. de Dilationib.* & Pirhing. *h. t. nu. 25.* Ratio eſt: tum quia in Eccleſiaſticis perſonis, ac negotiis, rigor juris Civilis non requiritur, ubi juſtitia propter hoc non periclitatur, *c. 1. de Dolo & contumac.* juncta Gloſ. *℣. rigor & ℣. Non periclitatur* & DD. *ib.* Tum quia de Jure Canonico ſpatium illud decem dierum, intra unam, & alteram citationem interponendum, nullibi præſcribitur, neque de conſuetudine Fori Eccleſiaſtici obſervatur, ut inquit Abbas *cit. n. 7.* Unde ſequitur, quod dictum temporis ſpacium ſit poſitum in arbitrio Judicis Eccleſiaſtici, qui conſiderata qualitate negotii, conditione perſonarum, ac locorum diſtantia, intervallum illud moderari, vel etiam ampliari poteſt, *arg. c. cum ſit Romana 5. de appel.* ac notat Gl. *in c. 1. ℣. Nimis brevem* & Abb. *ib. n. 7. de dilation.* poſt Innocentium & alios.

111 Intellige, dummodò Judex terminum illum non nimis reſtringat, ne juſta præbeatur cauſa appellandi, juxta textum. & DD. *in d. c. 1. de dilation.* Siquidem in his, quæ Judicis arbitrio relinquuntur, tenetur Judex arbitrari ut bonus vir. Et hoc ipſum procedit in caſu, quo fit unica citatio peremptoria: quamvis enim nonnulli voluerint, eam debere continere tantum intervallum, quantum continerent tres ſucceſſivè factæ meliùs tamen dicitur, hoc ipſum eſſe poſitum in Judicis arbitrio. Gl. *in cit. can. de illicita 24. q. 3. ℣. peremptorio.* His adde d. ſuperiùs *tit. 8. de dilationib. §. 2. n. 23. & ſeq.* ubi etiam *n. 29. & 30.* referuntur cauſæ, ob quas Judex poteſt abbreviare, vel prolongare intervalla citationum.

112 Quæritur II. Utrùm reus, qui tantum fuit contumax in prima citatione, non item in ſecunda vel tertia poſſit condemnari in expenſis per actorem factis tempore primæ citationis, in qua reus non venit? Ratio dubitandi eſt: quia talis nondum cenſetur committere contumaciam: cum contumax ille ſit, qui tribus Edictis, vel uno peremptorio evocatus, venire contemnit, *l. Contumacia ff. de re judicat. & can. de illicita 24. q. 3.* Et hinc ſententiam negativam tenent Jo. de Aret. & Fulgoſius *in l. Sancimus C. de Judiciis*, ut refert Jaſon illicò citandus. Verùm hoc non obſtante.

113 Reſp. Si Reus non venerit in prima vel ſecunda citatione, licet poſtea veniat, nihilominùs condemnari debet actori in expenſis, quas actor tunc veniendo fecerat. Ita Gloſſa notabilis *in can. Honoratus diſt. 74. ℣. Tot ſcriptis* & alia Gloſſa *in c. querelam ℣. rationabili cauſa* & Abbas *ib. n. 8. de procurat.* Speculator *tit. de citatione §. Viſo n. 10.* Bartolus *in l. contumacia §. contumax eſt ff. de re judicat. & in Auth. Qui ſemel. § nota tertiò, C. quomodo & quando &c.* & Jaſon *in l. Sancimus n. 18. C. de Judiciis*, citans alios, & ſubjungens quod hæc ſit veritas. Ratio eſt: quia ex prima citatione, dum quis venire contemnit, jam committitur inobedientia erga Judicem; ſicque contrahitur contumacia. Idipſum probatur *ex cit. c. querelam 2. de procurat.* argumento à ſenſu contrario deſumpto. Concordat textus *in L. 2. ff. ſi quis in jus vocatus &c. & l. Sancimus C. de Judiciis* ubi contumax ſeu citatus & non veniens, ſi poſteà comparuerit, amplius non auditur, niſi refectis priùs adverſario expenſis. Et meritò: ne alioquin innocens damnum pati cogatur ob culpam alterius, & hujus odio prægravetur.

114 Nec obſtant Jura *n. 112.* in contrarium allata. Nam ſolùm volunt, quod quis ante trinam factam citationem, aut unam peremptoriam, non cenſeatur contumax, quantum ad hoc, ut contra eum poſſit deveniri ad primum & ſecundum Decretum, vel ad ſententiam diffinitivam; prout explicat Bartolus *in cit. l. Contumacia § Contumax eſt ff. de re judicat.* & Jaſon *cit. l. Sancimus n. 18. C. de Judic.* cum aliis; neque etiam cenſeatur contumax, quantum ad incurrendam excommunicationem, & alias pœnas contumacibus debitas: non verò loquuntur de expenſis, earumque reſtitutione parti adverſæ innocenti præſtanda, ne indebitè gravetur. Gloſſa *cit. can. honoratus diſt. 74. ℣. Tot ſcriptis*. Abbas *cit. n. 8.* & alii. Licèt enim ſatis ſit ad effugiendas Juris pœnas, comparere in uno dictorum terminorum: tamen quia talis in primo jam citationis termino fuit inobediens Judicis præcepto cum damno par[tis] adverſæ, rectè condemnatur inſtante parte læſa ad reſarciendas ipſi factas expenſas.

Quæritur III. An ſi reus ad primam citationem dixerit, ſe nolle comparere, is denuò ſit citandus? Reſp. I. Quando Reus citatus extra judicium ſic reſpondit nuntio citanti, tunc is rurſus ſecunda, & tertia vice citandus eſt: ſecùs, ſi ipſe in judicio prædixerit Judici, amplius ſe non compariturum. Ita Abbas *in c. cum parati n. 12. de Appell.* Engel. *h. t. n. 13.* & alii & quamvis Gloſſa *in can. de illicita 24. q. 3. ℣. peremptorio*, indiſtinctè aſſerat, quod ſi reus ad primam citationem dicat, ſe nolle venire, non ſit denuò citandus, tamen dictum iſtud ſolùm procedere ſub data diſtinctione, benè notat alia Gloſ. *in c. Venerab. ℣. In judicio de Sent. excom. in 6.* 115

Probatur Concluſio quoad utramque partem, imprimis *ex cit. c. Venerabilibus §. porrò de Sent. excom. in 6.* nam ibi expreſſè dicitur, quod *ſi quis fortè prædixerat in judicio, quod minimè compareret, manifeſta ſit contumacia ejus.* Ubi ponderanda dictio illa, *In judicio*: ſecùs ergo dicendum quando quis extra judicium hoc dixerit, prout argumentatur Gl. *ib. ℣. in jud.* Confirm. quia ideò citationes geminantur, & ter fieri jubentur, ut ſufficienter pateat de voluntate citati, deque ejus contumacia, ſi non comparuerit, *arg. l. Contumacia ff. de re judicat.* Atqui, ſi citatus dicat in judicio, ſe nolle venire, jam conſtat de ejus voluntate, eſtque manifeſta ipſius contumacia. Secùs ſi extra judicium ſic dixerit: ergo in hoc poſteriori caſu denuò erit citandus, non autem in priori; quia in incertis, non in certis eſt locus conjecturæ, *l. continuus § Ita ff. de Verb. ſign.* 116

Confirmatur ſpecialiter prima pars Concluſionis. Quia aſſertio nuntii, dicentis quod citatus dixerit ſe non venturum, non facit plenam probationem; ergo ad ſolius nuntii verbum non poteſt illicò procedi contra reum, veluti contumacem. Antecedens probatur: quia nuntio, etiam jurato, non creditur, niſi de ſuo actu (v. g. quod alterum citaverit) non autem de actu alieno ad ſuum officium non pertinente; ut eſt memorata reſponſio rei citati. Abbas *cit. n. 12.* Gailius *lib. 1. pract. obſerv. 54. n. 4.* 117

Deinde, licet per alios teſtes legitimè probari poſſit reum citatum ita nuntio citanti reſpondiſſe, potuit tamen citatus id dixiſſe ex calore iracundiæ: atqui confeſſio facta ex calore iracundiæ non tenet, niſi in ea detur perſeverantia, juxta Gloſſam *c. ex litteris ℣. Admonita de Divort.* & favet textus *in l. quidquid 49. ff. de reg. jur.* ibi: *Quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur non priùs ratum eſt, quàm ſi perſeverantia apparuerit judicium animi fuiſſe.* 118

Sequitur ergo, quod in tali caſu expectandus ſit terminus factæ citationis: etſi mutata voluntate reus citatus in ipſo comparuerit, propter illam ſolam locutionem extrajudicialem non debeat cenſeri contumax, quamvis ob aliqualem contemptum Judici illatum pœna extraordinaria puniri poſſit. Actori verò nihil per hoc juris accreſcit, utpote qui tunc primùm de contumacia rei conqueri poteſt, quando is in termino citationis non comparuit: nam hoc intereſt Actoris, ipſique præjudicat in factis expenſis, non illud dictum extrajudiciale rei. 119

Sequitur ulteriùs, quod reus ille, licet in primo termino citationis non comparuerit, ſecundò, & tertiò citari debeat: ſiquidem reſpectu cauſæ nondum eſt manifeſtè contumax; ſimulque Jura requirunt trinam citationem, vel unam pro omnibus peremptoriam, antequam in contumaciam procedi poſſit, *can. de illicita 24. q. 3.* cum concordantiis. Et hæc eſt benignior ſententia, quam tenet Engel *h. t. n. 14.* Quamvis Abbas *in c. c. cum parati n. 12. de appell.* & poſt ipſum Pirhing. *h. t. n. 47.* velint, reum illum, qui nuntio citanti dixit, ſe nolle comparere, ſimulque poſtea in termino non comparuit, haud amplius fore citandum: quia (inquiunt) tum inſurgunt duæ præſumptiones contra reum abſentem; una, quæ oritur ex contumacia, ſeu abſentia ſua in termino, *c. Nullus de præſump.* altera, quæ jam orta eſt ex relatione nuntii, aliquam etiam fidem faciente, *arg. cap. cum parati 19. § Cumque de appell.* Verùm quia ambæ hæ præſumptiones non convincunt manifeſtam reſpectu cauſæ contumaciam, & adhuc urgent allata noſtræ Concluſionis fundamenta; non videtur recedendum à benigniore ſententia, ſed adhuc Reus ille citandus erit. 120



121 Secus dicendum: quando reus in judicio dixiſſet, ſe non ampliùs compariturum. Nam quia confeſſio facta in judicio, parit notorium, *c. ult. de cohabit. Cleric.* jam ejus contumacia foret manifeſta, *c. Venerabilibus §. porrò de Sentent. excom. in 6.* ac proinde contra talem, veluti manifeſtè contumacem, illicò poteſt Judex procedere, non facta ulteriori ejus citatione. Siquidem citationes ſolùm geminantur, ut appareat de voluntate citati; ergo ubi notoriè conſtat, talem nolle comparere, fruſtrà ampliùs adhibentur. Innocentius *c. ad petitionem de accuſat.* Abbas, *ubi ſuprà*, & alii junctis dictis ſuperiùs *n. 116.*

122 Quæritur IV. Quid agendum ſit Judici, antequam contra Reum contumacem procedat ad infligendas pœnas? Reſp. Quando Reus legitimè citatus, contumax eſt non comparendo in termino peremptorio; tunc Actore inſtante, reique abſentis contumaciam incuſante, Judex, antequam ad pœnas contumaci infligendas procedat, debet ipſum declarare, ſeu pronunciare contumacem. Ita deſumitur ex *c. cum dilecti 6. §. fin.* ac notat Abbas *ib. n. 8. h. t.* Speculator *tit. de contumacia §. Sequitur nu. 1.* & alii. Et meritò: Neque enim contra aliquem, veluti contumacem, procedi poteſt infligendo pœnas jure ſtatutas, niſi priùs de ejus contumacia conſtet in judicio; alioquin enim injuſta foret executio pœnæ, ſi infligeretur nondum condemnato, ſeu ante ſententiam ſaltem declaratoriam judicis ſuper commiſſo crimine, ſeu contumacia, *arg. c. cum ſecundum de Hæreticis in 6. & l. ejus qui delatorem ff. de Jure fiſci*, ibi: *Verùm oportet conſtare priùs, & de crimine pronunciari.*

123 Oportet tamen, ut priùs Judex attendat, atque inveſtiget, an Reus tunc abſens non habeat juſtam cauſam abſentiæ, ſive legitimum impedimentum, quo minùs in termino præfixo venerit, ſicque excuſetur à delicto contumaciæ, *arg. c. Conſuluit 24. de offic. Deleg.* ubi idcircò, æquitate ſic ſuadente, poteſt Judex contumacem expectare in diem alterum poſt terminum peremptorium & *cit. c. cum dilecti §. expectantibus h. t.* Ubi hac de cauſa Pontifex reum abſentem diu ultra aſſignatum terminum peremptorium expectavit, antequam eum declararet contumacem, atque damnaret in legitimis expenſis litis, parti adverſæ à tempore factæ citationis præſtandis. Huc facit textus *in l. Si finita §. ſi fortè ff. de Damno infecto*, ubi in ſimili dicitur, *non debere prætorem feſtinare ad decernendum*, putà ad referendum ſententiam ſuper contumacia.

124 Dices: Fruſtraneum eſt, quod Judex in tali caſu expectet reum abſentem in aliud tempus: ergo malè hoc aſſeritur. Antecedens probatur: quia citatio peremptoria fuit affixa ad certum diem, ſicque hoc elapſo, ſive culpabiliter ſive inculpabiliter, abſentem reum non amplius afficit, non minùs, ac præceptum certa die jejunandi, vel Miſſam audiendi, eodem elapſo non ampliùs obligat. Reſp. neg. antec. cum ſua probatione, ac paritate. Nam præceptum jejunii, vel Miſſæ audiendæ eſt ſimplex, ac certo diei affixum: Econtrà verò, ut notat Pontifex *in d. c. cum dilecti h. t.* quando mandatur alicui, ut ad certum terminum ſe Judici præſentet, duo (ſaltem virtualiter, ac implicitè) ſub hac forma præcipiuntur: videlicet primò, ut ad Judicem veniat, quod eſt principale; ſecundo, ut die præfixo veniat, quod eſt minùs principale, ac ſecundarium. Unde ſi venire non poſſit ad diem præfixum ob aliquod legitimum impedimentum tunc occurrens, tenetur nihilominus venire poſtea, quamprimum poterit, cum hoc ſit præceptum principale. Sicut à pari quando cuipiam mandatur, ut alteri ſolvat quampiam pecuniam ad certum diem, etſi ſolvere non potuerit die illo præfixo ob aliquod impedimentum, non per hoc liberatus eſt à mandato de ſolvendo, ſed tenetur ſolvere quamprimum poterit, etiam elapſo jam die ſolutioni præfixo. Concordat textus *in l. Celſus ait § Sed ipſe ff. de recept. arbitr.* ubi dicitur, in tali caſu duo eſſe præcepta: unum, pecuniam dari: aliud intra tempus certum dari.

125 Accedit, quod in ejuſmodi caſu non ſit futura fruſtranea comparitio rei citati. Si enim is venerit ad Judicem intra terminum citationis, ſaltem prorogatum, evitabit contumaciam, ejuſque pœnas, *arg. c. conſuluit 24. de offic. deleg. & c. cum dilecti 6.* juncta Gl. *℣. diutiùs h. t. & l. Et ſi poſt tres ff. Si quis cautionibus &c.* Quamvis Abbas *in c. c. cum dilecti n. 15. h. t.* hinc excipiat expenſas, quas Actor præſens ob moram rei fecit, ſibique reſtitui poſtulat; ſi autem intra terminum citationis juſto impedimento detentus non venerit, veniat autem poſteà, quamprimum potuerit, atque alleget, probetque impedimentum, ob quod in termino citationis præfixo non venit: etiam revocanda, ſeu evacuanda erit ſententia interim contra ipſum veluti contumacem lata, & ipſe reſtituitur in integrum, eò quod reverà contumax non fuerit; ut *c. querelam 2. de procur. & c. cum Bertholdus* juncta Gl. *℣. Juſtam cauſam de ſent. & re judic.* & alia Gloſſa *in c. conſuluit ℣. Æquitate de offic. deleg.* eſtque jam dictum ſuprà *§. 2. n. 61.*

## §. V.

## De Pœnis Rei contumacis.

### SUMMARIUM.

126 *Pœnæ Rei contumacis ſunt plures.*
127 *Has non incurrit, qui ſolùm citatur, ut veniat, ſi ſua intereſſe putaverit.*
128 *In pœnis infligendis ſemper incipiendum eſt à minori, & creſcente contumacia creſcere debet & pœna.*
129 *Reus contumax, & poſteà veniens, non auditur, niſi refuſis Actori expenſis, & præſtita cautione de judicio ſiſti.*
130 *Ob ejus contumaciam mittitur actor ex primo Decreto in poſſeſſionem rei petitæ.*
131 *Ac poſt annum conſtituitur verus rei petitæ poſſeſſor.*
132 *Poteſt quandoque judex, ob contumaciam Rei ſequeſtrare fructus rei petitæ.*
133 *Sed non niſi concurrentibus certis circumſtantiis.*
134 *Reus contumax poteſt mulctari à Judice.*
135 *Etiam altera parte non petente.*
136 *Hæc mulcta eſt arbitraria.*
137 *Et habet locum duntaxat in vero contumace, non autem in ficte contumace.*
138 *An, & quando pro mulcta imponenda debeat quis de novo citari.*
139 *Reus contumax poteſt realiter citari.*
140 *Ac excommunicari.*
141 *Ad excommunicationem tamen non eſt deveniendum niſi deficientibus aliis pœnis.*
142 *Excommunicatus per annum, redditur ſuſpectus de hæreſi.*
143 *Reus contumax habetur pro præſenti in ſui præjudicium.*
144 *Hinc poteſt Judex contra eum procedere per miſſionem in poſſeſſionem bonorum ejus, ſi lis nondum fuit conteſtata.*
145 *Et, ſi lis jam erat conteſtata, procedere uſque ad ſententiam diffinitivam, &c.*
146 *Ratio contumaciæ rei, an, & quando detur Actori vera poſſeſſio rei petitæ? Et n. præc.*
147 *Reus contumax perdit beneficium appellandi.*
148 *Intelligendo iſtud de reo contumace in non veniendo: ſecus, in non exhibendo; & cur?*
149 *Item de reo verè contumace, & non tantùm ficte.*
150 *Alia rei contumacis pœna, eſt litis damnum.*
151 *Et qualiter hoc intelligendum.*
152 & 153 *Pœna rei contumacis in non reſpondendo, vel obſcurè reſpondendo, quæ.*
154 *Aliæ contumacium pœnæ. Remiſſivè.*

Quæritur I. Quæ ſint pœnæ Rei contumacis? Reſp. I. Plures ſunt ejuſmodi pœnæ in reos contumaces ſtatutæ; adeò, ut Maranta *p. 6 Speculi Aurei §. de Contumacia n. 9. & ſeq.* viginti quatuor tales pœnas enumeret. Earum principaliores cæteris dimiſſis, breviter hic enumerabuntur: circa quas tamen. 126

Advertendum eſt, quod ille duntaxat puniatur ut contumax, qui citatur petendo aliquid fieri, vel dari ab ipſo, ſecùs, ſi citetur ſolùm, ut veniat, ſi ſua intereſſe putaverit. Nam iſthæc citatio cenſetur citato voluntaria, ſeu ad ipſius libitum facta, ſicque non arctat citatum ad comparendum; cum nihil ab eo petatur fieri, vel dari, ſed potius moneatur, ut veniat, ſi ſua putaverit intereſſe: unde ſi non venerit, contumax dici nequit, nec puniri, quam- 127

quamvis ſibi ipſi præjudicet negligendo proprium intereſſe. Maranta, *ubi ſuprà n. 38.*

128 Advertendum ulterius, quod in pœnis infligendis ſemperà minori pœna, quantum fieri poteſt ſit incipiendum: & poſtmodum creſcente contumacia, creſcere debeat & pœna, *arg. c. veritatis* juncta Gloſſa *V. Excommunicationis h. t.* ubi Epiſcopus contumaciter abſens primò ſuſpenditur ab officio, & beneficio; deinde excommunicatur, & tandem omnino deponitur. Concordat *c. quoniam §. In aliis. Ut lite conteſtata &c.* ubi reo contumaciter abſente Actor primò mittitur in poſſeſſionem rei petitæ cauſa cuſtodiæ: deinde creſcente alterius contumacia ſive poſt lapſum anni tunc actor efficitur verus poſſeſſor. Simile quid habetur *l. Relegati ff. de pœnis*, ubi pœnæ relegati contumacis ſemper augentur, addita illa generali ratione: *Nam contumacia ejus cumulat pœnam.* His prænotatis

129 Reſp. II. Inter complures pœnas rei contumacis prima eſt, quod is poſteà veniens non audiatur ampliùs, niſi refuſis actori expenſis; ſimulque idoneam antea præſtiterit cautionem de judicio ſiſti, *c. quoniam §. In aliis*, juncta Gloſſa *V. Cautione. Ut lite non conteſtata* & concordat dicta ſuperius *§. 3. n. 94. & 96 & §. 4. n. 12. & ſeqq.*

130 II. Rei contumacis pœna eſt, quod ob ejus contumaciam mittatur actor ex primo Decreto in poſſeſſionem bonorum ipſius cuſtodiæ cauſa, ut reus tædio affectus veniat ad reſpondendum; prout ex profeſſo declarabitur infrà *tit. ſeq.* fermè per totum.

131 III Pœna eſt, quod ſi reus perſeveret per annum in contumacia, graviùs procedatur contra ipſum, dum Actor vel ipſo jure poſt lapſum unius anni conſtituitur verus rei petitæ poſſeſſor; prout accidit in actionibus realibus vel ſaltem loquendo de actionibus perſonalibus, actor mittitur in poſſeſſionem quorundam bonorum rei pro qualitate debiti declarati ex ſecundo Decreto, ex quo is etiam conſtituitur verus ipſorum poſſeſſor; ita ut impoſterum reus non niſi ſuper proprietate eorundem audiatur *text. clar. c. quoniam §. fin. ut lite non conteſt.* atque amplius dicetur *tit. ſeq. n. 17. & ſeq. & n. 24 & n. 50. & ſeq.*

132 IV. Rei contumacis pœna, eſt ſequeſtratio fructuum rei petitæ: nam poteſt quandoque Judex, ſpectatis variis circumſtantiis ob contumaciam rei non mittere actorem in poſſeſſionem rei petitæ, ſed duntaxat hujus fructus ſequeſtrare uſque ad exitum cauſæ. Et hoc deſumitur ex *c. Olim ex litteris 25. de Reſcript.* ubi in cauſa Beneficiali, ob contumaciam partis adverſæ, legitur facta talis ſequeſtratio fructuum, quam etiam Papa approbaſſe videtur, dum alteri parti adjudicavit Eccleſiam una cum fructibus ſequeſtratis; prout notat Felinus *ib. n. 1.* & Abbas *n. 4. & 5.* Concordat *c. ex litteris 2. h. t.* ubi licet Monachi quidam, ob contumaciam partis adverſæ, ſive Canonicorum Lincoonenſium, fuiſſent mittendi in poſſeſſionem rerum petitarum, nihilominus Judices delegati, intuitu religionis, cum Canonicis illis mitiùs agere volentes, poſſeſſionem illarum rerum ſequeſtrari fecerunt, ut ſic Canonici, ſaltem tædio affecti, in judicio ſtare cogerentur.

133 Additur notanter, *ſpectatis variis circumſtantiis.* Nam regulariter propter contumaciam rei debet fieri miſſio in poſſeſſionem rei petitæ, nec habet locum ſequeſtratio fructuum, utpote quæ regulariter eſt prohibita; cum non expediat judicium ab executione inchoari, ut notat Gl. *in d. c. olim ex litteris V. ſequeſtrari*, ac Felinus, & Abb. *ubi ſuprà*; nihilominùs, quando concurrentibus certis circumſtantiis nequit fieri miſſio in poſſeſſionem rei petitæ; prout accidit in cauſis Beneficialibus, & quoties in miſſione facienda timetur ſcandalum exoriturum, aut aliàs Judex viderit hoc melius eſſe: tunc poteſt etiam rem petitam ſequeſtrare, & loco miſſionis in poſſeſſionem decernere ſequeſtrationem adhibendam, per Jura allegata, & Doctores citatos, & ſequitur Pirhing. *h. t. n. 38.*

134 V. Rei contumacis pœna, eſt mulcta: quia reus contumax propter ſuam contumaciam, commiſſamque erga Judicem inobedientiam, poteſt ab eo mulctari; hoc eſt, impoſita pœna pecuniaria puniri. Ita habetur *l. Ex quacunque 2. ff. Si quis in jus vocatus non ierit. & L. 1.* juncta Gl. & DD. *ff. Si quis jus dicenti non obtemp.*

135 Et quidem hujuſmodi pœnam, ſive mulctam, poteſt Judex imponere contumaci, etiam altera parte non petente. Nam hæc facultas mulctandi contumacem, competit Judici ex ipſo jure, per Leges citatas. Quinimò reſpectu multæ imponendæ nulla parti adverſæ competit actio, ſed totum expeditur officio Judicis; utpote cujus juriſdictio & authoritas contemneretur impunè, niſi hujuſmodi pœna exigi valeret. Abbas *c. De Quodvultdeo n. 7. de Judiciis*, poſt Bartolum *in L. 2. ff. Si quis in jus vocat.*

136 Porrò hæc mulcta eſt arbitraria, & juxta gravitatem contumaciæ, ac conſuetudinem Curiarum moderanda; ſimulque per Judices inferri non ſolet, quando non intererat actoris, Reum in termino citationis comparere, puta; quia dies erat feriatus, *d. l. Ex quacunque 2. §. fin. ff. Si quis in jus vocatus &c.* ac notat Zaſius *ib. n. 6.*

137 Cæterum hæc pœna habet duntaxat locum in vero contumace: hoc eſt, in eo, quem apprehendit citatio, eò quòd vel perſonaliter citatus fuerit, vel ſaltem citatio edictalis ad ejus notitiam pervenerit; non autem in ficte contumace, ſive in illo, de quo dubitatur, an citatio edictalis ad ipſius devenerit notitiam. Nam fictus contumax mulctari non poteſt, ſecundum Alexandrum, & DD communiter *in L. 1. §. fin. ff. Si quis in jus dicenti &c.* Maranta *loc. cit. n. 9.*

138 Addunt Doctores, quod ex contumacia non debet quis mulctari incontinenti, ſed oporteat ipſum pro mulcta imponenda de novo citare, *arg. c. Veniens §. fin. de Accuſat.* & ibi Abbas *nu. 10.* Verumtamen hoc eſt intelligendum, quando contumacia non eſt notoria: tunc enim requiritur nova citatio, cùm ad aliud nunc agatur, ad quod prior citatio ſe non extendit: ſimulque, quia poſſet in abſentem cadere aliqua excuſatio, ac quædam ipſi defenſio competere, *arg. l. Ex quacunque 2. ff. Si quis in jus vocatus &c.* & docet Bartolus ibidem. Secùs dicendum, ſi contumacia fuerit manifeſta, & in judicio v. g. commiſſa, ac proinde certum eſt, quod abſenti nulla poſſit competere defenſio; tunc enim nova citatio non requiritur, *arg. c. De Quodvultdeo 1. de Judiciis*, ubi contumaciter recedens à Judicio, abſque alia citatione fuit excommunicatus; & notat Abbas *ibid. nu. 28. & ſeqq.* Concordat textus *in c. Conſtitutis 12. de Procurat.* ubi Reus illicentiate recedens à judicio, ſicque manifeſte contumax, abſque alia citatione condemnatur parti adverſæ in expenſis: nam de his, & de imponenda mulcta pecuniaria, videtur eadem ratio.

139 VI. Rei contumacis pœna eſt, quod contumax poſſit realiter citari: hoc eſt, capi ut violenter ducatur ad judicium. Ita deſumitur ex *l. Conſentaneum*, juncta Gloſſa *verſ. Ad [illegible]ndum eum*, & Bartolo *ibid. C. Quomodo & quando &c. & Auth. de Exhibendis Reis §. Si verò etiam quidam Collat. 5.* Abbas *in c. Prout n. 18. h. t.*

140 VII Pœna eſt, quia Reus contumax poteſt excommunicari. Idque patet ex *c. Tuæ fraternitatis. Ut lite non conteſtata &c.* atque practicatum legitur *in c. De Quodvultdeo, 1. de Judiciis*, & *c. Olim ex litteris 25. de reſcript.* Abbas *c. Veritatis n. 8. h. t.* & alii.

141 Cæterùm quia in Eccleſia non datur major pœna, quam excommunicatio, *can. Corripiantur. 24 q. 3* ad eam non eſt deveniendum, niſi deficientibus, aut fruſtra attentatis aliis pœnis minoribus juxta dicta *n. 128.* Quinimò Concilium Trid *Seſſ. 25. cap. 3. de reformat.* ſaluberrime mandat omnibus Judicibus Eccleſiaſticis, quod ad pœnam excommunicationis infligendam non procedant, quandocunque executio realis, vel perſonalis adverſus Reos fieri poterit: cùm experientia doceat, ſi temere, aut levibus de rebus incutiatur, eam magis contemni, quam formidari; & perniciem potiùs parere, quam ſalutem.

142 VIII. Pœna eſt, quod ſi Reus fuerit excommunicatus propter ſuam contumaciam, & in tali excommunicatione per annum continuum pertinaciter perſtiterit, elapſo anno reddatur ſuſpectus de hæreſi: quia videtur contemnere poteſtatem Eccleſiæ, cujus claves, atque excommunicationem non timet. Unde contra talem, tamquam de hæreſi ſuſpectum, procedi poterit, juxta Concilium Trident. *cit. c. 3.*

143 IX. Rei contumacis pœna eſt, quod contumax habeatur pro præſente in ſui præjudicium. *Auth. Qua in provincia. C. Ubi de criminibus agi oportet*, ibi: *Quia contumacia ejus pro præſentia eſt.* Nam tunc *litigatoris abſentia Dei præſentia repletur*, ut dicitur *in l. Probandum §. Sin autem Reus. C. de Judic.* atque in ſimili notanter *cap. 2. de Arbitris in 6.* & notat Abbas *in c. Veritatis n. 12. h. t.* Maranta *loc. cit. n. 30.* citans ulteriùs Gloſſam *in l. De unoquoque ff. de Re judicat.* & Baldum *in l. Cùm fratrem. C. de his quibus ut indignis &c.*



144 Et hinc fit, quod Judex contra Reum contumacem poſſit procedere per miſſionem in poſſeſſionem bonorum ejus, prout ex profeſſo declarabitur *tit. ſeq §. 2. & ſeqq.*

145 Quinimò in actionibus realibus, & quando lis jam fuit conteſtata, & poſteà primùm reus contumaciter ſe abſentat, poteſt Judex procedere non ſolùm ad receptionem teſtium, ſed etiam uſque ad diffinitivam ſententiam ſi liqueat de meritis cauſæ, *c. prout 4. h. t. & l. properandum §. Sin autem reus. C. de Judiciis.* Quod ſi verò de cauſa, ſive meritis ejus, liquere non poſſit, tunc actori præſenti adjudicatur ſaltem vera poſſeſſio rei petitæ, ſola quæſtione proprietatis ſuper ea reo abſenti reſervata, *d. c. prout §. fin.* juncta Gl. *V. Terminetis h. t.* atque amplius declarabitur *tit. ſeq. §. 2. 14. & ſeq.*

146 Dices. Ratione contumaciæ non eſt danda ſtatim vera poſſeſſio rei petitæ, ſed Actor tantùm mittitur in poſſeſſionem ejus cauſa cuſtodiæ: *c. quoniam 10. §. in aliis. Ut lite non conteſtata &c.* ergo hoc ultimum aſſertum non ſubſiſtit. Reſp. Antecedens ſolùm procedere ante litem conteſtatam, prout indicat rubrica citati Tituli: *ut lite non conteſtata &c.* Secùs dicendum, ſi reus poſt litem jam conteſtatam fuerit contumaciter abſens: tunc enim gravior cenſetur eſſe contumacia ejus, fortiorque contra ipſum oritur præſumptio, quod ſe ideò abſentet, quia diffidit de jure ſuo; ac proinde meritò non ſolùm mittitur actor in poſſeſſionem rei petitæ cauſa cuſtodiæ, ſed etiam acquirit veram ejus poſſeſſionem, juxta *cit. c. prout.* ac notat Abbas *ib. num. 18. h. t.*

147 X. Rei verè contumacis pœna, eſt, quod is perdat beneficium appellandi; adeò, ut à ſententia contra ipſum abſentem, ut proximè dictum eſt, diffinitivè lata appellare non poſſit. Patet hoc ex *cit. l. properandum. §. Sin autem reus C. de Judic.* ibi: *Nec pertimeſcat Judex appellationis obſtaculum, cum ei, qui contumaciter abeſſe noſcitur, nulla ſit provocationis licentia.* Idem patet ex *L. 1. C. quorum appellat. non recip. & l. Et poſt edictum §. fin. ff. de Judiciis & l. Ex conſenſu §. fin. ff. de appellat.* Ubi hujus ratio inſinuatur, fundata in hoc, quod in poteſtate Rei fuerit, antea die præſtituta pro Tribunali reſpondere, ſeque ibidem defendere, ac proinde contumaciter tunc ſe abſentans, poſteà non rectè provocare cenſeatur. Et hoc procedit etiam in illa ſententia, quæ nunquam tranſiit in rem judicatam: nam verus contumax non appellat. Jaſon *L. 1 §. Si procurator. n. 13. ff. ſi quis jus dicent.* Ant. de Butrio, & Imola *in c. Tenor. de Sent. & re judic.* Maranta *loc. cit. num 19.*

148 Nec obſtat textus *in l. Creditor. §. Juſſus ff. de appell.* ubi contumax in non exhibendo, ſi idcircò condemnetur, auditur appellans. Reſ. enim, hoc procedere in eo, qui eſt contumax in non exhibendo, ſive non reſtituendo rem à Judice reſtitui, aut exhiberi præceptam: ſecùs autem eſſe dicendum de contumace in veniendo, per Jura allegata. Accedit ratio diſparitatis, ib. per Gloſſam, *V. appellandi*, inſinuata: quia plus delinquit contumax in non veniendo, quàm non exhibendo; hic enim delinquit ſolùm in uno, ille in duobus; quia & Judicis authoritatem contemnit, & ſeipſum defendere negligit: nam horum poſterius non facit contumax in non exhibendo.

149 Inſuper proximè dicta pœna eſt intelligenda de vero contumace: ac proinde *n. 147.* notanter additum fuit ly, *Rei verè contumacis pœna eſt &c.* Nam fictus contumax, quem citatio non apprehendit (ut quia fuit citatus ad domum, & non venit in judicium, allegans ignorantiam factæ citationis) benè poteſt appellare. Si tamen judicialiter probaretur, quod citatio ad ejus notitiam pervenerit, nec tamen venit, cenſebitur verus contumax, niſi probet legitimum impedimentum. Gloſ. magna *in Clem. un.* & Abbas *ib. n. 4. & 5. h. t.* & concordant dicta ſuperius *§. 2. n. 58. & ſeqq.*

150 XI. Rei contumacis pœna, eſt litis damnum; prout liquet *ex l. contumacia ff. de re judicat.* ibi: *Contumacia eorum, qui jus dicenti non obtemperant, litis damno coercetur.* Non quod Judex propter contumaciam poſſit aliquem punire in tota cauſa, ita ut hic propter eam ſolam perdat cauſam principalem; hoc enim foret contra omnia Jura, quibus reo, etiam contumaciter abſenti, reſervatur quæſtio proprietatis; ut *c. c. prout. 4. h. t. & c. Quoniam §. In aliis. Ut lite non conteſt.* cum ſimilibus; ac notat Gloſ. *in d. l. Contumacia V. Litis damn.* Jaſon *L. 1. §. Hoc judicium ff. Si quis in jus dicenti &c.* Menochius *de Arbitr. Judic. Caſu 280. num. 4.* cum aliis.

151 In tantum igitur contumax litis damno coercetur, quatenus imprimis reus contumax condemnatur adverſario in expenſis. Deinde, quatenus ipſe appellans non auditur, juxta dicta *n. 147. & 148.* Et tandem ex eo, quia contumaci in una cauſa, poteſt Judex denegare ſuam juriſdictionem atque audientiam in alia cauſa, ſaltem inter eaſdem perſonas, *arg. l. Sed & ſi §. Sed & ſi dum ff. Ex quibus cauſis majores &c.* juncta Gloſſa marginali *ib* & alia Gl. *in l. Contumacia V. Litis damno ff. de re judic.*

152 XII. Pœna rei contumacis in non reſpondendo eſt, quod ſi contumaciter non vult reſpondere coram Judice, habeatur pro negante, vel affirmante, prout eſt magis ipſi præjudiciale. Ita Abbas *in c. 1. n. 5 ut lite non conteſtata &c* Maranta *cit p. 6. Speculi Aurei §. de Contumacia n. 32.* cum aliis, & patet *ex l. de ætate § Qui tacuit ff. de Interrog. actionib.* Nam quia talis Prætorem contemnere videtur, meritò hanc ſuæ contumaciæ pœnam ferre debet; prout argumentatur ibidem Juris-Conſultus.

153 His adde, quod non ſolum ille hac pœna teneatur, qui Judici interroganti penitus nihil loquitur; ſed etiam is, qui quidem aliquid dixit, tamen non reſpondet ad interrogata: nam & talis omnino non reſpondere videtur, *d. l. De ætate §. quod autem* Eadem quoque pœna conſtringitur ille, qui ita obſcurè reſpondet, ut Judicem interrogantem relinquat incertum: nam obſcure reſpondere, & nihil reſpondere, paria ſunt, *d. l. de ætate §. nihil intereſt. ff. de Interrog. action.*

154 Tacentur aliæ contumacium pœnæ: ut eſt illa, qua Actor recuſans ſine cauſa præſtare juramentum calumniæ, cadit ab inſtituta actione; Reus autem idipſum præſtare recuſans, habetur pro confeſſo. *c. ult. § fin. de Jurament. calum.* Itèm illa, qua reus ſimiliter habetur pro confeſſo, ſi interrogatus, juſſuſque à Judice, abſque rationabili cauſa nolit reſpondere poſitionibus ad adverſario ſibi factis, aut poſtmodum contumaciter ſe abſentet, *c. Si poſt præſtitum de Confeſſu. in 9.* Nam de hiſce contumacium pœnis commodiùs agetur in propriis Titulis: cæteræ verò ſunt uſu minùs frequentes, poterunt tamen videri apud Marantam, *ubi ſuprà.*

# TITULUS XV.

## De eo, qui mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*
*Nigrum quandoque eſt generalius* Rubro. *Ibid.*

1 POſtquam præcedenti Titulo dictum eſt de Contumacia, rectè ſubjungitur præſens Rubrica, cù quod per contumaciam ſæpè perveniatur ad miſſionem, vel immiſſionem in poſſeſſionem bonorum contumacis. Et quia in Rubrica fit duntaxat mentio de Miſſione in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ, qualis datur ex primo Decreto judicis; poſtmodum autem in Nigro (ſeu in textibus Capitulorum) tractatur etiam de interpoſitione ſecundi Decreti, per quod transfertur vera poſſeſſio: hinc patet, quod *Nigrum* quandoque ſit generalius *Rubro*; prout fit in propoſito. Idipſum accidit in Rubrica *de officio & poteſtate Judicis Delegati in* 6. ubi ſimiliter *c.* 1. & 2. & *c. ult.* tractatur de Conſervatoribus, qui in pluribus differunt à Iudice Delegato, juxta Gloſſam *in d. c. ult.* ℣. *Edicta*: & tamen de ipſis Rubrica non meminit. Gl. & Abbas *ad rubricam h. t.* Concordant dicta in *Proœmio*, §. 6. *n.* 99. & 100. *ac ſeqq.*

### §. I.

### De Miſſione ex primo, & ſecundo Decreto judicis, ejuſque requiſitis.

*S U M M A R I U M.*

2 *Miſſio in poſſeſſionem ex primo Decreto, quid?*
3 *Ex ea non acquiritur dominium, vel poſſeſſio, ſed duntaxat detentio bonorum cuſtodiæ cauſa.*
*Aliud eſt* poſſidere: *aliud*, eſſe in poſſeſſione. *Ib.*
4 *Miſſio in poſſeſſionem ex ſecundo Decreto, quid?*
5 *Miſſio ex primo, vel ſecundo Decreto, non eſt ſententia diffinitiva, ſed interlocutoria.*
6 *Sicque poteſt per Judicem revocari.*
7 *Neque in ea requiruntur ſolemnitates ſententiæ diffinitivæ.*
8 *Miſſionis ex primo Decreto requiſita, quæ? Et n. ſeqq.*
*Ad eam requiritur, ut Actio ſit intentata. Ib.*
9 *Et trina citatio, vel una peremptoria.*
*Nova tamen citatio, non eſt neceſſaria. Ib.*
10 *Requiritur etiam, ut cauſa, propter quam fit, ſit vera.*
11 *Simulque quædam ſummaria dictæ cauſæ cognitio præcedat.*
12 *Et qualis ſufficiat? Ac n. præc.*

2 QUæritur I. Quid ſit Miſſio in poſſeſſionem bonorum ex primo, & ſecundo Decreto judicis? Reſ. I. *Miſſio in poſſeſſionem ex primo decreto*, eſt prima juſſio Iudicis, per quam Actor ob contumaciam rei mittitur in poſſeſſionem bonorum petitorum cuſtodiæ cauſa, ut ſic reus tædio affectus in judicium venire, ac reſpondere cogatur. Ita in re communis; & habetur *c. quoniam* 10. *§. In aliis. Ut lite non conteſtata &c.* quamvis Eman. Gonzalez Tellez *in c. Tuæ fraternitatis* 3. *nu.* 11 *ut lite non conteſtata &c.* poſt ly, *cuſtodiæ cauſa*, legat: *ut eam pignoris vice detineat, donec reus veniat reſponſurus.* Et talis juſſio Iudicis rectè inter Decreta connumeratur: nam *decreti* nomine comprehenduntur omnia, quæ cauſa cognita per Iudicem ſtatuuntur, *L.* 1. *ff. de Conſtitut. Princip. & Leg. penult ff. de offic. Prætor.* Io: Calvinus *in Lexico Juridico.* ℣. *decretum autem* & Gonzalez Tellez *loc. cit. num.* 7.

3 Additur verò in data definitione, *cuſtodiæ cauſa*. Quia ſive agatur actione reali, ſive perſonali, per miſſionem ex primo decreto non acquirit Actor miſſus, ſeu immiſſus in bona rei contumaciter abſentis, dominium, aut veram poſſeſſionem, ſed duntaxat detentionem eorum cuſtodiæ cauſa. Siquidem ex primo Decreto mittitur Actor ſolum in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ; uti loquitur rubrica præſentis Tituli, juncto *c. ult. eod.* Atqui aliud eſt, *poſſidere*, aliud, *eſſe in poſſeſſione*: ſuntque hæc duo valdè diverſa, *l. Si qui ante* 10 *ff. de Acquir. poſſeſ.* Nam ille poſſidet, qui ſuo nomine poſſidet, vel cujus nomine poſſidetur, *c. Cum veniſſet §. fin. de reſt. ſpoli.* cum concordantiis: at verò *Eſſe in poſſeſſione*, tantum denotat nudam detentionem rei: & competit etiam Depoſitario, Commodatario, Conductori, & aliis, qui rei ſervandæ nomine ſunt in poſſeſſione, *l. Officium ff. de Rei vendic.* junctis dictis ſuprà *tit.* 12. *De cauſa poſſeſſionis & proprietatis §.* 1. *n.* 9. Unde ex miſſione in poſſeſſionem, non poteſt inferri vera poſſeſſio; multò minùs proprietas, & dominium rei illius, in quam Actor miſſus fuit.

4 Reſp. II. *Miſſio in poſſeſſionem ex ſecundo Decreto*, eſt ſecunda juſſio Iudicis, per quam Actor ob perſeverantem Rei contumaciam verus conſtituitur poſſeſſor illorum bonorum, quæ prius ex primo Decreto detinebat, ſervata tamen reo legitima defenſione ſuper proprietate ſive dominio eorundem, ſeu facultate impoſterum agendi ſuper eiſdem judicio petitorio. Ita Speculator *tit. de ſecundo decreto §.* 1. *num.* Scaccia *de Iudiciis*, *lib.* 1. *c.* 96. & 97. Zoeſius *h. t. num.* 2. & Pirhing. *num.* 17 cum aliis. Idque probatur ex *c.* 1. *h. t.* & *l. Prætoris §.* 1. & *l. Si finita §. Iulianus ff. de Damno infecto*: ubi miſſus in poſſeſſionem ex ſecundo Decreto, dicitur poſſe præſcribere per longum tempus: atqui ad præſcriptionem requiritur vera poſſeſſio; ergo.

5 Quæritur II. An ejuſmodi Miſſio ſit ſententia diffinitiva, nec ne? Reſp. Miſſio ſive ex primo, ſive ex ſecundo Decreto Iudicis, non cenſetur eſſe ſententia diffinitiva, ſed interlocutoria ſolùm. Ita Abbas Panormit. *in c.* 1. *n.* 10 *h. t.* poſt Innocentium *in c. Dilecto de Verb. ſignif.* & alii paſſim. Siquidem per huiuſmodi miſſionem non imponitur finis controverſiæ principali, cum adhuc reus poſteà veniens audiatur ſuper proprietate: ſed ſolùm Iudex pronunciat ſuper aliquo emergenti inter principium & finem cauſæ; idque ob contumaciam rei abſentis.

6 Infertur proinde, quod, ſicut Iudex poteſt ſententiam interlocutoriam ſuam revocare, etſi non diffinitivam, *l. Quod juſſit. ff. de re judic.* Ita pariter Iudex revocare valeat factam à ſe miſſionem, quandocunque conſtiterit eam indebitè factam.

7 Infertur ulterius, quod in interponendo primum, vel ſecundum Decretum, non ſit neceſſe ſervare omnes eas ſolemnitates, quæ requiruntur ad ſententiam diffinitivam: nam eiuſmodi Decretum primum, vel ſecundum regulatur potius ſecundum naturam ſententiæ interlocutoriæ, non diffinitivæ. Innocentius, & Abbas, *ubi ſuprà*.

8 Quæritur III. Quæ generatim requirantur ad faciendam Miſſionem ex primo Decreto. Reſp. Plura ad eam requiri; adeò, ut Card. Tuſchus *Litt. M. Concl.* 283. allegatis aliis Authoribus, enumeret tredecim ejus requiſita: eorum tamen quatuor ſequentia ſunt principaliora. Primò equidem ad miſſionem in poſſeſſionem ex primo Decreto requiritur, quod cauſa ſit intentata, & actor mittendus accuſata contumacia rei abſentis, petat à Iudice ſe mitti in poſſeſſionem: alioquin enim non poteſt emanare primum Decretum; ut *l. dies §. Hoc autem judicium ff. de damno infecto.*

9 Secundo requiritur trina citatio, vel una peremptoria: alioquin enim reus in ordine ad miſſionem in ſua bona faciendam non cenſeretur contumax, *can. de illicita* 24 *q.* 3. eſtque amplius dictum, *tit. præc. n.* 62. & 114. Veruntamen citatio nova non requiritur ad videndum decerni primum Decretum: quia ſufficit, peremptorium eſſe emanatum, & reus ſit contumax; nam in peremptorio iam debet dici: *Comparens tali die, & peremptoriè, aliàs procedetur contra te.* Bartolus *in l. Si finita §. Iulianus n.* 25. ℣. *Quamvis poſtquam eſt contumax ff. de damno infect.* Card. Tuſchus *loc. cit. num.* 29.

Ter-



10 Tertiò requiritur, ut cauſa, propter quam fit miſſio, ſit vera: quia falſa cauſa vitiat miſſionem. Baldus *Conſil.* 53. *lib.* 4 Romanus *Conſil.* 96 *n.* 6. ℣. *Quinimò.* Atque ideò, ſi debitum pro quo fit miſſio, non eſt verum, primum Decretum nullius exiſtit roboris. Card. Tuſchus *loc. cit. num.* 5. & 6. allegans inſuper Baldum *Conſil.* 261. *lib.* 5. Idemque dicendum, ſi Reus probaverit juſtam abſentiæ cauſam: quia erit reſtituendus, *l. Si finita §. Si fortè ff. de Damno infect.* vel potiùs ipſo jure invalida eſt miſſio, *arg. c. Cum Bertholdus* 18. *de Sentent. & Re judicat.* & *l. Imperatores ff. de Privileg. credit.*

11 Quarto proinde ad decernendam miſſionem requiritur quædam ſummaria dictæ cauſæ cognitio, & probatio debiti, ſaltem facta per præſumptiones & juramentum Actoris. Licèt enim ad hoc, ut concedatur primum Decretum, non requiratur, quòd plenè conſtet de debito; ſed ſufficiat, quòd ſummatim, aut per juramentum Actoris probetur, ex quo modicum inde paratur præjudicium, & ſtatim reparabile per adventum Rei intra annum, ut notat Gloſſa *in l. Cùm proponas.* ℣. *Conſtat.* & Bartolus *ibid. §. Tertio quæro C. de Bonis auctorit. jud. poſſid.* & Maranta *p.* 6 *Speculi Aurei tit. de Contumacia n.* 12. nihilominùs Judex non illico debet feſtinare ad faciendam talem miſſionem, ſed debet prius ſaltem ſummatim examinare negotium, & attendere, utrùm adſint pro Actore aliquæ præſumptiones, ne calumnioſe petat; ſimulque exigere ab ipſo juramentum calumniæ, quòd vera ſint petita, nec ea petat per calumniam: debet etiam ſaltem ſummatim inquirere, an Reus ullam habeat juſtam cauſam abſentiæ; prout deſumitur *ex c. Quoniam §. In aliis* juncta Gloſſa *ibid.* ℣. *Summatim*, & Abbate *nu.* 21. *Ut lite non conteſtata &c.*

12 Hoc ipſum docet Card. Tuſchus *cit. Concl.* 283. *n.* 13. & *ſeqq.* ſed addit, variare opiniones, an ſufficiat ſolùm juramentum calumniæ, ut indicat Bartolus, *ubi ſupra*, & Baldus *Conſil.* 261. *n.* 4. *lib.* 5. allegans communem. Vel an inſuper requiratur ſummaria probatio, ſaltem per præſumptiones, aut unum teſtem; prout in decernenda miſſione ex actione perſonali requirit Abbas *cit. n.* 21. licèt ſecùs teneat, quando agitur actione reali, ubi miſſio ex primo Decreto ſit potiùs ad hoc, ut Reus tædio affectus veniat reſponſurus in judicio.

### §. II.

### In quibus locum habeat Miſſio ex primo, & ſecundo Decreto?

*S U M M A R I U M.*

13 *Eſt hic diſtinguendum inter actiones reales, & perſonales.*
14 *In actionibus realibus, quando lis jam eſt conteſtata, non habet locum miſſio ex primo Decreto*
15 *Et qualiter tunc procedendum? Et n. præc.*
16 Actore non probante Reus abſolvitur: *Limitatur, & declaratur.*
17 & 18 *Quid juris in actionibus realibus, quando lis nondum eſt conteſtata, & Reus contumaciter abeſt? Et n. ſeqq.*
19 *Tunc Actor ex primo Decreto miſſus in bona petita, poſt annum efficitur verus poſſeſſor. Et n.* 17.
*Poteſt tamen etiam deveniri ad ſecundum Decretum. Ibid.*
20 *Annus ille, quando tunc incipiat currere? Et n. ſeqq.*
21 *Si inter primum Decretum judicis, & actualem miſſionem, mediat tempus ex culpa Rei, annus ille computatur à die interpoſitionis primi Decreti*
22 *Et Actor, qui ob reſiſtentiam adverſarii rem cuſtodiendam nanciſci non poteſt, poſt annum ſtatim verus conſtituitur poſſeſſor.*
23 *Alias annus ille primùm currit à die actualis miſſionis.*
24 *In actionibus perſonalibus, qualiter Actor ob contumaciam Rei ſit mittendus in poſſeſſionem ex primo Decreto? Et n. ſeqq*
25 *Actor tunc poſt annum non acquirit poſſeſſionem bonorum abſque ſecundo Decreto.*
26 *Idque amplius probatur.*
27 *Notabilis differentia inter actiones reales, & perſonales.*
28 & 29 *Miſſio ex primo Decreto, an & quando locum habeat in cauſis Beneficialibus.*
30 *Et quid in cauſis matrimonialibus.*

QUæritur I. Utrùm, & quando in actionibus realibus locum habeat Miſſio in poſſeſſionem ex primo Decreto? Et notanter additur, *in actionibus realibus*; hoc eſt, actionibus in rem, quæ videlicet adhærent rei, ipſamque vendicant & inſequuntur, putà agrum, vel domum, quam Actor Reo negante dicit eſſe ſuam. Nam de actionibus perſonalibus, ſeu quæ proximè tendunt in perſonam nobis obligatam ex contractu, vel delicto, ſpecialis eſt difficultas inferius examinanda. Quo prænotato, ac diſtinguendo ulterius, an in actione reali lis jam fuerit conteſtata, nec ne: 13

Reſp. I. In actionibus realibus, quando lis jam fuit conteſtata, non habet locum miſſio in poſſeſſionem ex primo Decreto, quamvis poſtea Reus contumaciter ſe abſentet. Si enim liquet, aut liquere poteſt de cauſa, ejuſque meritis, ut putà per inſtrumenta, vel teſtes receptos, ſive recipiendos, aut confeſſionem propriam; tunc illicò Judex poteſt procedere ad ſententiam diffinitivam, abſolvendo, vel condemnando, prout exigunt merita cauſæ: ita tamen, ut ſive pro Reo contumaciter abſente, ſive contra eum pronunciaverit, ſemper eum in expenſis condemnet; neque Reus contumaciter abſens à ſententia contra ipſum lata appellare poſſit, Ita habetur *in l. Properandum §. Sin autem Reus & §. Sin autem Reus & §. Sin autem ex geſtis. C. de Judicis. &c. Prout.* juncta Gloſſa *fin. de Dolo & contumac* Speculator *tit. de Calumnia §. Sequitur num.* 2. & alii; & concordant dicta ſuperius *Tit. præced §.* 5. *n.* 144. & *ſeqq.* 14

Quòd ſi verò tunc non liquet, nec liquere poteſt de meritis cauſæ; ut quia Actor pro ſe non producit idoneos teſtes, neque inſtrumenta, quibus plenè probet de jure ſuo, nec etiam per talia conſtare poſſit de jure adverſarii: tunc ob adeò fortem præſumptionem illam, quia præſumitur contra Reum lite conteſtata contumaciter ſe abſentantem, quòd hoc fecerit diffidendo de jure ſuo; ſimulque in pœnam contumaciæ ſuæ, transfertur poſſeſſio bonorum petitorum in Actorem præſentem, & huic adjudicatur vera ipſorum poſſeſſio, ut ſtatim fiat verus poſſeſſor, ſola quæſtione proprietatis Reo abſenti reſervata. Patet hoc totum *l. Conſentaneum. C. Quomodo & quando &c.* & *cit. c. Prout de Dolo & Contumac.* ibi: *Vel præſenti adjudicetis ſaltem poſſeſſionem*: ac notat Gloſſa, & Speculator, *ubi ſuprà*, cum aliis. Et meritò illud de jure ſtatutum fuit, tum in odium contumacis, contra quem fit præſumptio, *can. Decernimus* 3. *q.* 9. Tum quia præjudicium illud, quòd Reus abſens ſua culpa per amiſſionem poſſeſſionis incurrit, iterum eſt reparabile in petitorio judicio, ſi ipſe probaverit de proprietate bonorum illorum. 15

Dices. Aut Actor probat intentionem ſuam, & tunc condemnandus eſt Reus, juxta dicta *n.* 14. aut non probat, & abſolvendus eſt Reus: nam generaliter Actore non probante, Reus abſolvitur, *c. Cùm Eccleſia §. fin. de Cauſa poſſeſſ* cum ſimilibus: ergo caſus iſte poſterior non procedit. Reſp. neg. anteced. quoad alteram partem: nam ſpecialiter à Jure ita ſtatutum fuit, ut ſi lite jam conteſtata Reus contumaciter ſe abſentet, is poſſeſſionem bonorum petitorum privandus ſit, licèt Actor jus ſuum non plenè probaverit, per Jura & rationes jam allegatas. Unde dictum illud, *Actore non probante Reus abſolvitur*, potiſſimum procedit, quando utraque pars eſt præſens, & neutra contumaciter abſens. Gloſſa *in cit. can. Decernimus* 3. *q.* 9. ℣ *Manifeſtum*, eſtque jam dictum ſuprà *Tit. præced §.* 3 *n.* 19. 16

Reſp. II. Loquendo de actionibus realibus, quando lis nondum fuit conteſtata, tunc Reo contumaciter abſente, non poteſt procedi ad receptionem teſtium, aut ſententiam diffinitivam; neque etiam poteſt Actori adjudicari poſſeſſio bonorum petitorum: ſed Actor eſt mittendus in poſſeſſionem rei petitæ ex primo Decreto judicis, ut Reus tædio affectus veniat in judicium ad reſpondendum. Et ſi quidem Reus infra annum venerit, ſimulque expenſas ab 17

Actore ſactas, & idoneam cautionem in judicio ſiſti præſtiterit, ſalvam ſuam poſſeſſionem una cum fructibus recuperabit: adeò, ut Actor non ampliùs cenſeatur eſſe in poſſeſſione bonorum petitorum, neque horum detentionem habere. Quod ſi verò Reus intra annum venire, ſeu præfatam cautionem offerre neglexerit; tunc Actor anno elapſo, abſque alio judicis Decreto, efficitur verus dictorum bonorum poſſeſſor, ſicque gaudebit omnibus poſſeſſionis commodis, ſola proprietatis quæſtione, atque defenſionem Reo reſervata. Ita Gloſſa *in c. Contingit V. Conſtituatur*, & Abbas *ibid n. 10. de Dolo & contumac.* Menochius *de retinend. poſſeſſ. remed.* 3. *n* 206. & 207 Pirhing *tit. Ut lite non conteſtata &c. nu.* 26. & alii: quamvis Gonzalez Tellez *in c. Tuæ fraternitatis n. 32. Ut lite non conteſtata &c.* aſſerat, verius eſſe, quòd tam in actionibus realibus, quam perſonalibus, neceſſarium ſit ſecundum Decretum judicis, etiam poſt lapſum anni, ut poſſeſſio in Actorem transferatur.

18 Prima pars Concluſionis patet ex *c. Accedens 2. & c. Tuæ fraternitatis 3. Vt lite non conteſtata &c.* cum concordantiis. Et cur Actore contumaciter abſente poſſit procedi ad receptionem teſtium, atque ſententiam diffinitivam, non item Reo contumaciter abſente, ſi lis nondum conteſtata fuit, multiplex diſcriminis ratio jam fuit allata *Tit. præc. §. 3. num. 84. & 88. ſeqq.* Altera pars quoad ſingula ſua membra ex profeſſo habetur deciſa *in c. Quoniam §. In aliis. Vt lite non conteſtata &c.* juncta Gloſſa & Doctoribus ibidem, fuſius hoc declarantibus.

19 Concordat *cit. c. Accedens eod. & cap. 1. & ult. h. t. & l. Si quis emptionis. §. Sed & ſi quis C. de Præſcript. 30. vel 40. ann.* cum ſimilibus. Ubi Reo contumaciter abſente, & lite nondum conteſtata, Actor ſolùm mittitur in poſſeſſionem rei petitæ cauſa cuſtodiæ, ſive ex primo Decreto: poſt lapſum autem unius anni veram & incommutabilem rei petitæ poſſeſſionem acquirere dicitur, quando Reus infra annum non venit, aut veniens idoneam de juri ſtando cautionem non præſtitit. Quod ultimum inſuper confirmatur ex *c. Paſtoralis 11. §. Verumtamen de Offic. judic. ordin.* ibi: *Poſt annum verus efficiatur poſſeſſor.* Quamquàm per hoc non negetur, quin poſt lapſum anni poſſit deveniri ad ſecundum Decretum, etiam in actionibus realibus: quia licèt lapſus anni habeat vim ſecundi Decreti, iſtud tamen ſolùm contingit tacitè; non ergo impedit, quin id etiam expreſſè fieri valeat, prout notat Menochius *cit. n.* 207 Atque in hoc ſenſu poteſt admitti contraria ſententia Gonzalez Tellez, *n. 17. in fin.* relata. Verùm occaſione præmiſſorum

20 Quæritur II. Utrùm annus ille, quo elapſo Actor in actionibus realibus conſtituitur verus poſſeſſor, incipiat à die editi primi Decreti, vel potiùs à die factæ actualis miſſionis in bona Rei contumacis? Contingit enim quòd quandoque inter Decretum judicis, & actualem miſſionem in bona contumacis, intercedat aliquod tempus medium: idque vel ob reſiſtentiam aut dolum Rei, vel ob culpam ſeu negligentiam Actoris, ſive etiam abſque culpa utriuſque. Et in hujus quæſtionis reſolutione variant Doctores; uti videre eſt apud Abbatem *in c. Quoniam §. In aliis n. 47. Vt lite non conteſtata &c.* & Annotationem Jo. Andreæ ad Speculatorem, *tit. De ſecundo Decreto §. Videndum. V. Tractandum imminet.* Omiſſis tamen aliorum opinionibus juvabit eandem congrua diſtinctione reſolvere: unde

21 Reſp. I. Quando mediat tempus inter primum Decretum judicis, & actualem miſſionem ex culpa Rei, ut putà ob hujus reſiſtentiam vel dolum, tunc ejuſmodi annus ſtatim incipit currere, eſtque computandus à die interpoſitionis primi Decreti. Ita Abbas *cit. n. 47.* & Speculator *tit. De ſecundo Decreto §. Videndum n 20.* ubi quidem ſimpliciter docet, quòd annus ille ſit computandus à tempore interpoſitionis primi Decreti, ſed quia hoc ſuum aſſertum probat ex *c. Contingit 9. de Dolo & contum.* ubi ſermo eſt de caſu reſiſtentiæ, vel doli per Reum commiſſi, ne Actor conſequatur decretam ſibi poſſeſſionem ex primo Decreto, vel maximè favet Concluſioni. Accedit ratio: quia Actor per potentiam, ſive dolum adverſarii impeditus; ne admittatur in poſſeſſionem authoritate Judicis ſibi decretam cauſa cuſtodiæ, hoc ipſo juris fictione habetur jam pro immiſſo, per textum notabilem in *l. Quamvis* juncta Gloſſa V. *Perinde habetur ff. de Bonis authoritat. judic. poſſidend.* Concordant *cit. c. Contingit. de Dolo & contumac.* quæ poſterior probatio ut melius intelligatur

22 Eſt ſciendum, quòd cùm Actori, ob contumaciam adverſæ partis, adjudicatur (cauſa rei ſervandæ) poſſeſſio, & ipſe propter Rei adverſarii potentiam, ſive dolum, infra annum rem cuſtodiendam nanciſci non poteſt, vel acquiſitam amitti; tunc Actor elapſo anno abſque alia reali apprehenſione poſſeſſionis ſtatim verus conſtituatur ejus poſſeſſor. Ita enim de æquitate Canonica habetur deciſum in Concilio Generali (ſive Lateranenſi, ſub Innocentio III. celebrato (ac refertur in dicto *c. Contingit 9. de Dolo & contum.* addita illa ratione: Ne alioquin Reus contumax commodum de ſua malitia reportet; neve contumax melioris, quàm obediens conditionis exiſtat. Atqui hoc non procederet, niſi in iſto caſu annus ille ſtatim currere inciperet à die interpoſiti Decreti primi cauſa rei ſervandæ; ergo. Concordant dicta ſuperius *Tit. 12. de Cauſa poſſeſſionis & proprietatis §. 4. n. 140. &* 141.

23 Reſp. II. Quòd ſi verò inter Decretum primum judicis, & actualem miſſionem, intermediet tempus abſque culpa Rei (ut putà, quia vel Actor fuit in culpa, vel neuter extitit culpabilis) tunc annus ille, poſt cujus lapſum Actor ipſo jure conſtituitur verus poſſeſſor bonorum petitorum, primùm incipit currere à die actualis miſſionis. Ita Abbas, *ubi ſuprà, n. 47.* cum aliis. Concluſio hæc deſumitur ex jam *cit. c. Contingit. 9. de Dolo & contumac.* ubi Concilium Generale loquens de Actore, qui ob potentiam, vel dolum Rei, non poteſt nanciſci poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ ſibi decretam, ſubjungit quòd is *ſecundum multorum aſſertionem verus non efficeretur poſt lapſum anni poſſeſſor.* Hæc enim propoſitio negativa nullatenùs verificaretur, ſi annus ille ſtatim, & univerſaliter, inciperet currere à die editi primi Decreti. Et quamvis ibidem hoc ſtatuatur in caſu, quo Actor ob culpam Rei, nequit adipiſci decretam ſibi poſſeſſionem: tamen iſtud de æquitate Canonica pro caſu illo ſpeciali ita ſtatutum fuit, ne contumax melioris, quàm obediens, conditionis exiſtat, ut loquitur textus; ac proinde, veluti materia odioſa & pænalis, ad alium caſum non extenditur: & conſequenter ceſſante dolo, & reſiſtentia Rei, currit annus ille primùm à die factæ miſſionis. Accedit, quòd miſſio ex primo Decreto fiat, ut Reus tædio affectus ſaltem intra annum deſiſtat à ſua contumacia, & veniat reſponſurus in judicio, *c. Quoniã §. In aliis. Vt lite non conteſtata &c.* Sed antequã fiat miſſio actualis, non poteſt dici tædium illatum; ſicque ceſſat ratio, computandi tempus actualem miſſionem antecedens intra annum præfatum.

24 Quæritur III. An, & qualiter in actionibus perſonalibus locum habeat miſſio ex primo, vel ſecundo Decreto? Reſp. I. Quando Reus actione perſonali conventus in judicium venire contemnit, ſeu contumaciter abeſt, etiam lite necdum conteſtata, tunc Actor ex primo Decreto mittendus eſt cuſtodiæ cauſa in poſſeſſionem bonorum ipſius Rei, pro modo debiti in libello Actoris declarati; & primò quidem in poſſeſſionem bonorum mobilium; deinde, ſi mobilia Reus non habeat, vel ſaltem non ſufficientia, in poſſeſſionem bonorum immobilium; ita tamen, ut ſi Reus intra annum, vel etiam poſt annum ante interpoſitionem ſecundi Decreti venerit, & reſtitutis expenſis caverit de judicio ſiſti, is audiri debeat, ſimulque recuperet res ſuas, harumque detentionem & cuſtodiam. Ita habetur expreſſum *in cit. c. Quoniam §. Vt lite non conteſtata &c.* ac notat Gloſſa *ibid. V. Si* & Abbas *§. In aliis num. 1.* & communis aliorum.

25 Reſp. II. Quamvis ejuſmodi Reus diutiùs in contumacia perſtiterit, nihilominùs Actor poſt lapſum unius anni, vel etiam longioris temporis, non acquirit ipſo jure poſſeſſionem bonorum illorum, in quæ pro menſura debiti in ſuo libello declarati miſſus fuerat ex primo Decreto cuſtodiæ cauſa: ſed opus eſt ſecundo Decreto judicis. Ita Gloſſa *in c. Contingit V. Conſtituatur de Dolo & contumac.* Abbas *in c. Quoniam §. In aliis n. 16. & 37. & 40. Vt lite non conteſtata.* Speculator *tit. De ſecundo Decreto §. Videndum n. 20.* Zoeſius *h. t. n. 1.* Vallenſis *n. 2.* Engel *eod. n. 3.* Pirhing *n. 17.* & alii communiter. Accedit ratio: quia nullibi Jura in actione perſonali attribuunt Actori poſt miſſionem ex primo Decreto, & lapſum unius anni, veram poſſeſſionem bonorum pro modo debiti petitorum, ſicut fit in actione reali: ſicque illud non eſt aſſerendum; quia *Erubeſcimus ſine textu loqui*, juxta *Auth. De Triente & Semiſſe. §. Conſideremus Collat.* 3. cum ſimilibus.

26 Accedit, quòd in actione perſonali Reus non ſolùm intra annum, ſed etiam poſt annum ante interpoſitum ſecundum Decretum veniens, recuperet res ſuas, earumque poſſeſſionem, dummodò Actori reſtituat expenſas, ac præſtet cautionem de judicio ſiſti; prout habetur *d. c. Quoniam §. fin.* juncta Gloſſa *V. Diſtinctione* & DD. *ibid. & l. Cum proponas & Auth. ſeqq. C. de Bonis authorit. judic. poſſid.* Atqui hoc eſſet falſum, ſi Actor in actione perſonali illicò poſt lapſum anni, & abſque interpoſitione ſecundi Decreti, acquireret veram & incommutabilem talium bonorum poſſeſſionem; ergo.

27 Nec obſtat, quòd ſecus accidat in actione reali, ubi quis poſt lapſum anni illicò, & ipſo jure, verus efficitur poſſeſſor illius rei, in quam ob contumaciam Rei abſentis authoritate Judicis ex primo Decreto, ſeu cuſtodiæ cauſa miſſus eſt. Non obſtat, inquam. Tum quia in actione reali iſtud Jura ſatis clarè ſtatuerunt, ut dictum *num. 17. & 19.* ſecùs in perſonali. Tum quia inter utramque magna intercedit ratio diſparitatis: nam in actione reali miſſus ex primo Decreto prætendit jus in re, contendendo videlicet, rem illam, in cujus poſſeſſionem ob contumaciam Rei miſſus fuit, eſſe ſuam in ſpecie: ſimulque hoc Actoris petitum eſſe verum, fortiter præſumi facit contumacia Rei ultra annum poſt primum Decretum ſeſe abſentantis; & hinc meritò Jura ipſofacto poſt lapſum anni attribuunt Actori veram poſſeſſionem, ſola defenſione proprietatis Reo ſervata. Secùs accidit in actione perſonali: nam ibi Actor non prætendit jus in re, quin potiùs ex primo Decreto miſſus eſt in poſſeſſionem rei non ſuæ, ſive quam in ſpecie vendicare non intendit, neque dicere poteſt eam eſſe ſuam; cùm ſolam perſonam rei contendat ſibi eſſe obſtrictam ad aliquid dandum, vel faciendum: & hinc non mirum, quòd ad acquirendam veram & incommutabilem poſſeſſionem rei illius, quam Actor ſibi in ſpecie non eſſe obligatam ultrò fatetur, requiratur ſecundum Decretum judicis etiam poſt lapſum anni; & ante emanatum iſtud Decretum ſemper poſſit res illa recuperari per Reum ſupervenientem, ſolutis tamen expenſis, ac præſtita cautione de judicio ſiſti.

28 Quæritur IV. Utrùm miſſio in poſſeſſionem ex primo Decreto, locum habeat in cauſis Beneficialibus? Reſp. I. Quando agitur de Beneficio Eccleſiaſtico quoad titulum obtinendo, tunc ob contumaciam Rei abſentis non fit miſſio Actoris in poſſeſſionem dicti Beneficii ex primo Decreto cauſa rei ſervandæ; ſed procedendum eſt ad recipiendas probationes, atque examinato ritè negotio (ſi de meritis cauſæ liqueat) uſque ad ſententiam diffinitivam, etiam lite non conteſtata. Ita habetur expreſſum *in cap un. h. t. in 6.* quod eſt deſumptum ex Concilio Lugdunenſi, celebrato ſub Innocentio IV. Et quantùm attinet priorem partem, meritò ſic ſtatutum fuit: ne alioquin hac occaſione ad Eccleſiaſtica Beneficia vitioſus patere valeat ingreſſus; prout loquitur textus ibidem. Non enim ex poſſeſſione, vel contumacia alterius, ſed ſolùm ex canonica inſtitutione, Beneficia Eccleſiaſtica obtineri poſſunt, ac debent, *c. Ex frequentibus 3. de Inſtitut. & cap. 1. de Reg. Juris in 6.* cum ſimilibus. Ratio autem poſterioris partis eſt: ne alioquin propter longiorem moram, in ſpiritualibus & temporalibus Eccleſia patiatur detrimentum, *c. Quoniam §. Porrò. Ut lite non conteſtata &c.*

29 Reſp. II. Quando agitur de proprietate Eccleſiarum, non autem de Beneficio quoad titulum obtinendo, tunc benè habet locum miſſio ex primo Decreto. Ita Gloſſa *in cit. c. un. V. Vitioſus h t. in 6.* Idque patet *ex c. Cùm ſicut 2. h. t.* ob allegatam Rei contumaciam, Moniales aliquæ fuerunt miſſæ in poſſeſſionem Eccleſiæ petitæ cauſa rei ſervandæ. Ex quo proinde loco rectè Abb. *ib. n. 2* ac Zoeſius *h. t. nu. 4.* & Gonzalez Tellez *in c. Tuæ fraternitatis n. 11. Ut lite non conteſtata &c.* cum aliis colligunt, quòd ſi petitur Eccleſia ut proprietas, habeat locum miſſio ex primo Decreto: non quòd fiat miſſio in jura Eccleſiæ, ſed in ipſum corpus Eccleſiæ cauſa rei ſervandæ.





Cæterùm, id, quod *num. 28.* dictum, eſt, videlicet miſſionem in Beneficia Eccleſiaſtica quoad titulum non habere locum, ſed lite etiam non conteſtata, eſſe teſtes recipiendos, ac negotio ritè examinato (ſi de cauſa liqueat) ferendam ſententiam diffinitivam, procedit pariter in cauſis matrimonialibus, ubi alter conjugum peremptoriè citatus venire contemnit, ſeu malitioſe ſe occultat, aut impedit, ne ad ipſum citatio pervenire poſſit; prout habetur deciſum *cit. c. Quoniam, §. Porrò Ut lite non conteſtata &c.* Et ratio eſt: ut hac ratione evitetur periculum animarum, & cauſa diutiùs ob abſentiam partis contumacis protracta, non præbeatur viro, aut mulieri, occaſio fornicationis. 30

## §. III.

## De neceſſitate, tempore, ac effectibus Miſſionis ex primo, & ſecundo Decreto.

### *SUMMARIUM.*

31 *In actionibus realibus non eſt opus ſecundo Decreto.*
32 *Et cur tale fuerit interpoſitum*, cap. 1. h. t.
33 *Poteſt tamen impetrari ad cautelam.*
34 *Nec talis cautela eſt damnoſa. Et n. præc.*
35 *In actionibus perſonalibus opus eſt ſecundo Decreto, ad acquirendam veram bonorum poſſeſſionem.*
36 *Eſt in arbitrio Judicis, quo tempore miſſionem ex ſecundo Decreto facere velit.*
37 *Poteſt, præſertim ob nimiam contumaciam Rei, in actionibus realibus interponi ante lapſum anni. Et n. præc*
38 *Et tunc Actor incipit lucrari fructus, veluti verus poſſeſſor.*
39 *Idem fieri poteſt in actionibus perſonalibus, ſed ordinariè expectatur annus.*
40 *Effectus primi Decreti ſunt plures. Et n. ſeq.*
*Per illud acquirit Actor cuſtodiam, & detentionem bonorum: quod exemplificatur.*
41 *Item Interdictum*, Ne vis fiat ei. &c.
42 *In actionibus perſonalibus miſſus ex primo Decreto in bona Rei contumacis, non acquirit veram iſtorum poſſeſſionem.*
43 *Utrum in actionibus realibus miſſus ex primo Decreto acquirat veram poſſeſſionem, variant Doctores. Et n. ſeqq.*
*Opinio affirmativa; ejuſq; fundamentum refertur, ib.*
44 *Negativa eſt communis Canoniſtarum, eaque probatur.*
45 *Solvuntur rationes in contrarium.*
46 *Inter utramque ſententiam nulla, aut parva in effectu eſt differentia: idque declaratur. Et nu. ſeqq.*
47 *Miſſus ex primo Decreto, poſt annum lucratur fructus, etiam prioris anni.*
48 & 49 *In quo conſiſtat Tædium, quo afficitur Reus ob miſſionem ex primo Decreto?*
50 *Effectus miſſionis ex ſecundo Decreto principalis eſt; quòd quis conſtituatur verus & incommutabilis poſſeſſor.*
*Quibus verbis interponi ſoleat? Ibid.*
51 *Miſſus ex ſecundo Decreto in bona contumacis, lucratur fructus ejus.*
52 *Et onus probandi proprietatem eorum, incumbit Reo poſtmodùm revertenti.*
*In actionibus realibus hoc ipſum accidit poſt lapſum unius anni. Ibid.*
53 *Alii effectus ipſius. Remiſſivè.*

Quæritur I. Utrùm tam in actionibus realibus, quàm perſonalibus, opus ſit Miſſione in poſſeſſionem bonorum contumacis ex ſecundo Decreto? Reſp. I. In actionibus realibus non eſt opus ſecundo Decreto judicis; ſed, ſi Reus contumax exhibita congrua ſatisfactione expenſarum & præſtita cautione de judicio ſiſti, infra annum poſt factam primi Decreti interpoſitionem comparere neglexerit, Actor poſt annum abſque alio ſecundo judicis Decreto ſtatim ipſo jure verus rei petitæ conſtituitur poſſeſſor; adeò, ut Reus contumax poſteà primùm 31

veniens non audiatur, niſi ſuper proprietate. Textus eſt in *c. Quoniam §. in aliis. Ut lite non conteſtata, &c.* Ubi Gloſſa ℣. *Conſtituetur*, proinde inſert, quòd in realibus actionibus locum non habeat ſecundum Decretum, niſi aliquis ad cautelam illud impetret: quia ſolus tranſcurſus anni conſtituit aliquem poſſeſſorem verum. Idipſum deſumitur *ex c. Paſtoralis* 11. juncta Gloſſa ℣. *Poſſeſſor. de Offic. Ordin. & c. Contingit de Dolo & contumac.* ac tradit Gloſſa alia *hic* ℣. *Conſtituatur*, eſtque communis Doctorum, juxta dicta ſuperius *n. 17. & 19.*

32 Nec obſtat textus *in cap. 1. h. t.* ubi Pontifex actione reali legitur interpoſuiſſe ſecundum Decretum. Reſp. enim illud factum ex eo, quia ibi dubitabatur ſuper valore cautionis, quam Reus anteà contumax intra annum facere voluit, ſed ex proprio defectu non præſtitit: unde quia tali voluntate concertabatur, & dubitabatur, an ſufficeret, hoc ipſum antea examinatum fuit; & comperto, quòd ex proprio defectu non fuerit deducta in opus, voluntas illa judicabatur inſufficiens: & ideò datum fuit ſecundum Decretum, quo miſſis ex primo Decreto adjudicabatur vera & incommutabilis rei petitæ poſſeſſio. Gloſſa *fin.* juncto Summario *ibid.* Quinimò in effectu illud potiùs fuit quædam declaratio veræ poſſeſſionis, ipſo jure jam acquiſitæ poſt lapſum anni, quàm ſecundum Decretum judicis, ut notat Abbas *ibid. n. 6.*

33 Addit notanter Gloſſa n. 31. relata, *niſi aliquis ad cautelam illud impetret*. Quia, licèt, ſuperfluis remediis utendum non ſit, *c. Sicut 2. de Probation.* Et fruſtra à Principe impetretur, quod de Jure communi conceditur, *l. Impetratores*, & Bartolus *in Summario ibid ff. de Privileg. creditor.* Nihilominùs non negatur, quin ob quorundam improbitatem, & majorem cautelam (cùm abundans cautela non noceat, *l. Teſtamentum C. de Teſtam*) etiam in actione reali poſſit quis impetrare ſecundum Decretum: quamquàm iſtud neceſſario non requiratur, cùm ipſemet lapſus anni Actorem ipſo jure conſtituat verum & incommutabilem poſſeſſorem, per Jura jam allegata. Gloſſa *c. Contingit* ℣. *Conſtituatur*, & Jo. Andreas *ibid de Dolo & contumac.* & Abbas *in cap. 1. n. 6. h. t.*

34 Nec obſtat, quòd Odoffredus, & nonnulli alii dicant, hanc cautelam eſſe damnoſam. Quia malè loquuntur, ut inquit Gloſſa marginalis, & Jo. Andreas *loc. cit.* hancque Odoffredi ſententiam ex profeſſo rejicit Speculator *tit. de ſecundo Decreto §. Videndum n. 20. & 21.* ſolvens contraria.

35 Reſp. II In actionibus perſonalibus omnino opus eſt ſecundo Decreto Judicis ad acquirendam veram poſſeſſeſſionem bonorum, in quæ ob contumaciam Rei abſentis Actor miſſus eſt ex primo Decreto. Ita Gloſſa *in c. Contingit* ℣. *Conſtituatur de Dolo & contumac.* Speculator *cit. tit. de ſecundo Decreto. §. Videndum n. 20. & ſeqq.* & communis aliorum. Ratio diverſitatis inter actiones reales, & perſonales eſt: quia in actione reali Actor prætendit jus in re reſpectu illius, in quam ex primo Decreto miſſus eſt; non item in actione perſonali, ut jam dictum ſuprà *n. 24. & ſeqq.* ubi plura de hoc.

36 Quæritur II. Quo tempore poſſit interponi ſecundum Decretum judicis? Reſp. breviter in arbitrio Judicis poſitum eſſe, quo tempore miſſionem ex ſecundo Decreto facere velit: cùm hujuſmodi tempus à Jure non fuerit præfinitum. Ita, rejectis aliorum opinionibus, notat Gloſſa *in l. Cùm proponas* ℣. *Tempore*, & Bartolus *ibid. C. de Bonis author. judic. poſſidend.* Jo. Andreas *in c. Quoniam n. 4.* & Abbas *ibid. §. in aliis num. 41. Ut lite non conteſtata &c.* & idem Abbas *in c. 1. n. 5. h. t.* aſſerens, quod ſecundum Decretum poſſit interponi arbitrio Judicis, etiam ante lapſum anni, non ſolùm in actione perſonali, ſed etiam reali, ad effectum transferendi ante lapſum anni veram poſſeſſionem. Maranta *part. 6. Speculi Aurei tit. de Contumacia n. 12.* Menochius *lib. 2. de Arbitrar. Judic. Caſu 6. nu. 13.* allegans communem aliorum, aſſerentium, quòd hæc opinio procedat non ſolùm de Jure Civili, ſed etiam Canonico. Accedit ratio jam allegata in Concluſione: quia videlicet tempus interponendi ſecundum Decretum, non habetur à Jure præfinitum; unde ſubintrat regula, ex *L. 1. §. fin. ff. de jure deliberand.* deprompta, ubi habetur: *Cùm Prætor dicit tempus, nec addicit diem, ſine dubio oſtendit eſſe in jus dicentis poteſtate, quem diem præſtituat.*

Hinc in actionibus realibus, etſi poſt lapſum anni non ſit opus ſecundo Decreto, ut proximè dictum: nihilominùs Judex non cogitur ſemper integrum annum expectare, præſertim ubi intervenit nimia contumacia Rei, utputà, quia dixit ſe non venturum: ſed pro ſuo arbitrio, & quando ita expedire viderit, poteſt ſecundum Decretum etiam ante lapſum anni interponere in ordine ad transferendam veram poſſeſſionem, quæ alioquin ante annum non transferretur. Atque in hoc caſu ſecundum Decretum non eſt merè ad cautelam, ſed neceſſarium. Abbas *in cap. 1. n. 6. h. t.* 37

Et adde, quòd quando Judex ob nimiam Rei contumaciam ante finitum annum mittit Actorem in poſſeſſionem bonorum petitorum ex ſecundo Decreto, quòd tunc hoc ipſo Actor incipiat lucrari fructus eorum, veluti verus poſſeſſor. Idipſum contingere poteſt, ſi ob eandem nimiam contumaciam Rei Judex decreverit, ut miſſus ex primo Decreto lucretur fructus bonorum petitorum; prout fieri poſſe, liquet *ex l. Fulcinius §. fin. ff. Quibus ex cauſis in poſſeſſ. eatur*, ac notat Abbas *cit. n. 6.* 38

Similiter in actionibus perſonalibus poteſt arbitrio Judicis, ac ex gravi cauſa, ſecundum Decretum interponi ante lapſum anni, *arg. l. Si finita §. Non autem ſtatim ff. de Damno infecto.* Gloſſa *in c. Conſultationibus* ℣. *Reſtitutionem de Offic. Deleg.* Abbas *cit. n. 6.* Nihilominùs, cùm in actione reali primùm poſt annum Reus contumax perdat ipſo jure poſſeſſionem illorum bonorum, in quæ Actor ex primo Decreto miſſus fuerat: hinc pariter in actione perſonali ſecundum Decretum ordinarie non ſolet interponi, niſi poſt lapſum anni. Abbas *in c. Quoniam §. In aliis num. 37 Ut lite non conteſtata &c.* Engel *h. t. n. 3* Zoeſius *eod. num 2.* & alii. 39

Quæritur III. Qui ſint effectus primi Decreti judicis? Reſp. I. Multi ſunt effectus primi Decreti, quos fuſius, ac per ordinem enumerat Speculator, *tit. De primo Decreto §. Jam de effectu n. 1. ac ſeqq.* Imprimis enim per illud acquirit Actor cuſtodiam, & defenſionem bonorum illorum, in quorum poſſeſſionem ex primo Decreto, ſeu cauſa rei ſervandæ, miſſus eſt; uti liquet ex Rubrica præſentis Tituli, loquens *De eo, qui mittitur in poſſeſſeſſionem cauſa rei ſervandæ*; hoc eſt, ex primo Decreto judicis. Hinc ita miſſus non ſolùm in actione reali, ubi pinguius jus acquiritur, ſed etiam in perſonali, poteſt cuſtodire fructus illius rei, in quam miſſus eſt, ne diſſipentur; ac etiam diſtrahere eos, qui conſervari non poſſunt, *arg. l. Is cui. §. Qui legatorum ff. Ut in poſſeſſione legatorum &c.* Speculator *loc. cit num. 7.* Abbas *c. Quoniam §. In aliis num. 14. Ut lite non conteſtata &c.* iſtud inter alia exemplificans de bonis mobilibus, puta de equo: nam ſi hunc dominus contumax vellet ducere ad aquam minùs ſalubrem, poterit eum miſſus prohibere, equumque ducere ad aquam magis ſalubrem: cùm ipſe habeat cuſtodiam equi. 40

Deinde per miſſionem ex primo Decreto competit miſſo Interdictum, *Ne vis fiat ei, qui in poſſeſſionem miſſus eſt.* Fruſtrà enim Prætor, ſive Judex, in poſſeſſionem mitteret rei ſervandæ cauſa, niſi miſſos tueretur, & prohibentes venire in poſſeſſionem coerceret: unde Edictum iſtud eſt generale, ac pertinet ad omnes, qui in poſſeſſionem à Judice miſſi ſunt. Textus eſt *in L. 1. §. Hoc interdictum ff. Ne vis fiat ei, qui in poſſeſſ. &c.* Tacentur alii effectus primi Decreti, utpote de quibus minor eſt difficultas; ac poſſunt videri apud Speculatorem, ubi ſuprà. Potiſſima difficultas eſt, utrùm per miſſionem ex primo Decreto etiam acquiratur vera poſſeſſio illorum bonorum, in quæ quis miſſus fuit: verùm ſeparando certa ab incertis, & diſtinguendo inter actiones reales, ac perſonales 41

Reſp. III. Loquendo de miſſione in bona contumacis ex primo Decreto in actionibus perſonalibus, omnino tenendum eſt, quòd miſſus ex primo Decreto in bona Rei contumacis non acquirat veram iſtorum poſſeſſionem, ſed duntaxat cuſtodiam & defenſionem, donec perſeverante Rei contumacia, fuerit interpoſitum ſecundum Decretum. Ita communis omnium, ut teſtatur Abbas *in c. Quoniam §. in aliis nu. 16. Ut lite non conteſtata &c.* Et deſumitur ex *cit. c. Quoniam §. fin.* ubi loquendo de Reo actione perſonali convento, ac contumaciter abſente, ſtatuitur in hæc verba: *Si autem ſuper perſonali actione contenatur*, 42



*mittendus eſt Actor in poſſeſſionem bonorum ipſius &c.* Atqui aliud eſt, eſſe in poſſeſſione, aliud poſſidere, *l. Si quis autem ff. de Acquir. poſſeſſ.* Concordat textus in *l. Si finita §. Si quis autem & §. Non autem ſtatim ff. de Damno infect.* ubi *ex primo Decreto in poſſeſſionem miſſus, nondum poſſidere* dicitur; videlicet, ante ſecundum Decretum, uti explicat Gloſſa ibidem.

43 Cæterùm loquendo de actionibus realibus, ſunt duæ opiniones doctorum; uti notat Abbas *in cit. c. Quoniam §. In aliis, num. 14. & 16. Ut lite non conteſtata &c.* & Jaſon *in l. Poſſideri §. Genera num. 20. ff. de Acquir. poſſeſſ.* Prima opinio tenet, quòd ſi agatur de reali, miſſus in poſſeſſionem ex primo Decreto fiat verus poſſeſſor, licèt revocabiliter ſolùm, & non incommutabiliter: quia videlicet, ſi Reus intra annum venerit (reſtitutis tamen expenſis, ac præſtita cautione de judicio ſiſti) recuperat poſſeſſionem, prout habetur in *cit. cap. Quoniam §. In aliis. Ut lite non conteſtata &c.* Ubi Gloſſa ℣. *Affectus*, inquit, quòd in hoc caſu miſſus in poſſeſſionem expellet Reum de poſſeſſione, & erit poſſeſſor, & percipiet fructus, & conſervabit eos. Concordat textus *in cap. Paſtoralis*, 11. *§. fin. de Offic. Judic. ordin.* ubi pariter paſſus miſſionem, ac præſtita cautione reverſus, *recuperare poſſeſſionem* perhibetur. Item *leg. Si quis emptionis. §. penult. C. de Præſcript. 30. vel 40. ann.* ubi in reali paſſus miſſionem ex primo Decreto, ſi intra annum præſtita cautione venerit; *eandem rem recipere* dicitur. Atqui (inferunt hujus ſententiæ Authores) Reus ejuſmodi non reciperet rem, neque ejus poſſeſſionem recuperaret, niſi hanc anteà per miſſionem, ſeu primum Decretum judicis, Actor acquiſiviſſet, etſi non incommutabiliter; ergo. Et ideò hanc opinionem tenet Gloſſa *loc. cit.* Speculator *tit. De primo Decreto §. Jam de effectu n. 9* poſt Azonem, Goffredum, & Roffredum. Maranta *part. 6. Speculi Aurei §. de Contumacia n. 12.* & Jaſon *cit. n. 20* allegans inſuper Bartolum, & Legiſtas communiter. Verùm his non obſtantibus, oppoſita eſt communior, & inter Canoniſtas magis recepta ſententia, cum qua

44 Reſp. III. Etiam in actionibus realibus miſſus ex primo Decreto, non conſtituitur infra annum verus poſſeſſor, ſed detentor duntaxat & cuſtos illarum rerum, in quas miſſus eſt. Ita Gloſſa alia, & priori contraria, *in cit. Quoniam §. In aliis verſ. Poſſeſſionem recuperet. & verſ. Verus* & Abbas *ibid. n. 4. 14. ac ſeqq.* & Vivianus *in Rationali, ibid. Ut lite non conteſtata &c.* Pithing *h. t. n. 4.* & Canoniſtæ communiter, ut inquit Jaſon *loc. cit. nu. 21.* ſeu, ut loquitur Speculator, *ubi ſuprà n. 9.* quaſi omnes Canoniſtæ. Fundamentum hujus Concluſionis, ſeu communioris ſententiæ Canoniſtarum, deſumitur *ex cit. c. Quoniam §. In aliis.* ℣. *Ut lite non conteſtata &c.* ubi loquendo de Reo actione reali convento, & contumaciter abſente, ſtatuitur in hæc verba: *Quòd ſi Reus cautionem offerre neglexerit infra annum, Actor poſt annum verus conſtituatur poſſeſſor*, ergo, cum Actor primùm poſt annum verus conſtituatur poſſeſſor, nondum fuit verus poſſeſſor infra annum, ſed duntaxat cuſtos, ſive miſſus in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ. Concordat textus *in c. Paſtoralis 11. §. fin. de Offic. Judic. ordinar.* ibi: *Veruntamen ne alius poſt annum verus efficiatur poſſeſſor*: Ubi ponderanda eſt dictio illa *poſt annum*: hæc enim ſtat excluſivè, quando ponitur in diſpoſitione, in qua tempus ſtatuitur; ac declarat, præcedentem diſpoſitionem non comprehendi in ſequenti. Barboſ. *Diction. 269. n. 2.* citans alios. Fortiùs hoc ipſum probatur *ex c. Contingit. 9. de Dolo & contumac.* ubi dicitur quòd *Actori ob contumaciam adverſæ partis adjudicatur (cauſa rei ſervandæ) poſſeſſio*, & conſequenter ſecundum Canones, ex primo Decreto conſtituitur quis duntaxat cuſtos bonorum petitorum, non autem verus poſſeſſor, juxta allegatam parentheſin, *cauſa rei ſervandæ*, juncta Gloſſa *ibid.* ℣. *Servandæ.*

45 Nec obſtant rationes in contrarium *n. 43.* adductæ. Nam, ut notat Gloſſa *in cit. §. In aliis.* ℣. *Poſſeſſionem recuperat.* & Abbas *ibid. n. 14.* verba illa debent exponi, ut ſenſum faciant, *poſſeſſionem*, hoc eſt, *detentionem poſſeſſionis* recuperet. Nec immeritò: ſiquidem hujuſmodi detentio bonorum petitorum, quam Actor miſſus acquiſivit cuſtodiæ cauſa, donec Reus tædio affectus veniat in judicium, etiam eſt quædam poſſeſſio facti, licèt non juris; ſicque potiùs imaginaria, non autem vera poſſeſſio. Vel dic, *recuperet*, hoc eſt, retineat veram poſſeſſionem, quam needum am ſit; prout in ſimili *can. Priuſquam 27. q. 2.* verum *accipere*, ſumitur pro *retinere*.

Solùm adde cum Abbate in ſæpè *cit. §. In aliis n. 14.* ℣. *Et ſecundum hunc*, quòd in effectu nulla, aut parva ſit differentia, utrùm Actor in actione reali miſſus in poſſeſſionem bonorum petitorum ob contumaciam Rei abſentis dicatur ante annum poſſidere, vel non. Imprimis enim, ſive cum noſtra Concluſione dicatur, quòd ejuſmodi Actor intra annum ſit detentor duntaxat, & cuſtos illorum bonorum; ſive cum oppoſita opinione teneatur, quòd ſit eorundem verus poſſeſſor, etſi non incommutabiliter: utraque hæc ſententia ultrò fatetur, quòd Reus intra annum veniens, poſt ſolutas Actori factas expenſas, & præſtitam debitam cautionem de judicio ſiſti, recuperet rem cum fructibus ſuis, deductis tamen expenſis; & conſequenter Actor fructus interim collectos non faciat ſuos, ſed illos una cum bonis poſtmodùm evictis teneatur Reo reſtituere. Gloſſa, Speculator, *ubi ſuprà*, & alii. 46

Quòd ſi verò Reus actione reali conventus, & contumax, intra annum non venerit, aut ſaltem intra annum ſolutis expenſis debitam cautionem præſtare neglexerit; tunc rurſus utraque allata extrema ſententia fatetur, quòd Actor tunc ipſo jure fiat verus, & incommutabilis poſſeſſor: adeò, ut fructus exinde faciat ſuos, imò etiam intra annum jam perceptos non teneatur reſtituere. Siquidem poſt annum Reus comparens, ampliùs non auditur, *niſi ſuper proprietate duntaxat*; ut loquitur Pontifex *in cit. c. Quoniam §. In aliis Ut lite non conteſtata &c.* & conſequenter nec ampliùs auditur ſuper fructibus prioris anni, prout notat Abbas *ibid. n. 17.* Hoc ipſum verbis clarioribus tradit Card. Tuſchus *Litt. M. Concl. 284. n. 7.* poſt Zabarellam *conſil. 78 circa fin.* docens, quòd miſſus in poſſeſſionem, poſt annum nedum lucretur fructus perceptos poſt annum, ſed etiam perceptos intra annum, quos tunc non fecerat ſuos: niſi forſan alicubi ſit conſuetudo in contrarium. Ita ille. 47

Petes autem occaſione præmiſſorum, in quo conſiſtat *Tædium* illud, ob quod Actor ex primo Decreto mittitur in poſſeſſionem rerum petitarum, ut *Reus tædio affectus veniat reſponſurus*, juxta textum *in cit. cap. Quoniam §. In aliis. Ut lite non conteſtata &c.* Reſp. Gloſſa *ibid.* ℣. *Affectus*, cùm Abbate *n. 14.* & aliis. *Tædium* illud præcipuè conſiſtere in hoc; quia Actor in Actione reali ex primo Decreto in poſſeſſionem rei petitæ miſſus, vel obtinet hujus veram poſſeſſionem, licèt non incommutabiliter (juxta aliorum ſententiam *n. 43.* relatam) vel ſaltem ejus detentionem & cuſtodiam, juxta Concluſionem *num. 44.* datam: ſicque Reus contumax expelletur ex ejus poſſeſſione, vel ſaltem detentione & cuſtodia. Atqui iſtud meritò ſolet magno tædio afficere Reum expulſum; præſertim cùm ſciat, elapſo uno anno, niſi venerit, Actorem ſtatim, ac ipſo jure, acquiſiturum eſſe poſſeſſionem bonorum petitorum. Accedunt alii effectus primi Decreti, de quibus jam ſuprà. 48

Porrò in actionibus perſonalibus, ubi Actor ex primo Decreto ſolùm acquirit cuſtodiam & defenſionem, non autem poſſeſſionem aut detentionem bonorum illorum, in quæ miſſus eſt: ex eo ſaltem Reus contumax tædio afficitur, quia tenetur ſuſtinere Actorem, liberè ſecum admittendum in agrum, ut cuſtodiat fructus ejus, ne ab ipſo conſumantur; aut ingredientem domum ſuam pro ejus cuſtodia, vel rerum ibidem exiſtentium; in quarum poſſeſſionem miſſus eſt. Gloſſa, & Abbas, *ubi ſuprà.* 49

Quæritur IV. Qui ſint effectus miſſionis ex ſecundo Decreto? Reſp. Præcipuus ac principalis effectus miſſionis ex ſecundo Decreto, & à quo cæteri promanant, eſt, quòd per illam quis conſtituatur verus & incommutabilis poſſeſſor bonorum illorum, in quæ ob contumaciam Rei authoritate Judicis ita miſſus fuit. Patet hoc *ex cap. 1. h. t.* ubi formula talis miſſionis continetur, ſimulque Concluſio apertè traditur, illis verbis: *Ideoque decernimus, ut amodò poſſeſſionem dictæ Eccleſiæ (ſalvo jure, quod idem Præpoſitus in petenda Eccleſia habere dignoſcitur) abſque contradictione aliqua habeatis.* Ubi idcircò Abb. *n. 9.* & Innocentius *ib.* inquiunt; ſecundũ Decretum interponi ſimilibus verbis Judice utente: *Decerno, jubeo, & conſtituo te eſſe verum poſſeſſorem talis rei.* Similem formam ſecun- 50

di Decreti refert Speculator *tit. De ſecundo Decreto §. Nunc dicamus*, *num.* 13.

51 Infertur proinde, quòd miſſus ex ſecundo Decreto in poſſeſſionem bonorum contumacis, fructus inde collectos lucretur, eoſque faciat ſuos. Speculator, & Abbas, *ubi ſuprà*, & alii. Nam generale eſt, quòd bonæ fidei poſſeſſor lucretur fructus ex re poſſeſſa perceptos, neque eos jam conſumptos cogatur domino poſteà comparenti reſtituere, *§. Si quis à non domino. Inſtit. de Rerum diviſ.* cum ſimilibus. Atqui *juſtè poſſidet, qui authore Prætore poſſidet*; ut dicitur, *l. Juſtè ff. de Acquir. poſſeſſ.*

52 Infertur ulteriùs, quòd, licèt Reus poſtmodùm reverſus audiatur ſuper cauſa proprietatis illorum bonorum, in quorum poſſeſſionem Actor ex ſecundo Decreto miſſus fuit: tamen onus probandi dictam proprietatem incumbat Reo reverſo, utpote nunc petitori. Siquidem ejus adverſarius per miſſionem ex ſecundo Decreto, jam acquiſivit veram & incommutabilem eorundem poſſeſſionem, *c. 1. h. t.* Atque hoc ipſum, loquendo de actionibus realibus, contingit poſt lapſum unius anni: quia tunc Actor ſtatim, & abſque alio 2. Decreto, acquirit veram poſſeſſionem bonorum in quæ miſſus eſt, juxta dicta *n.* 22. ac proin ex tunc lucratur fructus illius. Pirhing *h. t. n.* 3. non verò anteà, demptis caſibus ſuprà *n.* 37. & 38. expreſſis.

Tacentur alia veræ poſſeſſionis commoda, quæ pariter miſſo ex ſecundo Decreto competunt, ſicque inter effectus ipſius connumerari merentur. Nam de iſtis copioſè ſuperiùs *Tit. 12. De Cauſa Poſſeſſionis & Proprietatis §. 2. n. 39. & ſeqq.* jam actum fuit. 53

---

# TITULUS XVI.

## Ut lite pendente nihil innovetur.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*

1 NE ex dictis Titulo præcedenti perperam quis inferre poſſit, generaliter licitum eſſe, quidpiam lite pendente innovare circa ſtatum cauſæ pendentis, eò quod ob contumaciam Rei abſentis Actor mitti poſſit in poſſeſſionem bonorum petitorum: meritò præſens Rubrica ſubjungitur, tradendo regulam, & quidem negativè conceptam, *Ut lite pendente nihil innovetur*: tale videlicet, quo ſtatus cauſæ pendentis immutatur in præjudicium partis adverſæ. Quod ut meliùs intelligatur, ſit

### §. I.

### De requiſitis ad litis pendentiam, hujuſque effectibus.

**SUMMARIUM.**

2 *Lis pendere quando cenſeatur? Et n. ſeqq.*
3 *Differentia quoad hoc ex parte Actoris, & Rei.*
4 *Ad litis pendentiam plura requiruntur. I. Quod citatio emanaverit.*
*II. Et ſit facta à Judice competente: haud obſtante, quòd hujus juriſdictio poſſit per exceptionem elidi. Ibid.*
5 *III. Ac pervenerit citatio ad Reum citatum.*
5 *Diſparitas inter perpetuationem, juriſdictionem, & inter inducendam litis pendentiam.*
7 *IV. Ad litis pendentiam requiritur, quòd citatus plenè inſtruatur, ſuper qua cauſa conveniatur.*
8 *V. Et quod nuntius citationem ſufficienter inſinuaverit.*
9 *Item, quòd citatio ſit apta.*
10 *Effectus litis pendentiæ ſunt plures.*
*I. Lite pendente non debet poſſeſſor privari commodo ſuæ poſſeſſionis.*
11 *Etiam intelligendo iſtud in cauſis matrimonialibus.*
12 & 13 *Et qualiter?*
14 *II. Reſcriptum lite pendente impetratum, cenſetur ſubreptitium, non facta mentione de ea.*
15 *Reſcriptum poſt cauſam Delegatis commiſſam impetratum, poteſt nullitatis argui tum ex vitio ſubreptionis, tum ex vitio attentati poſt litis pendentiam.*
16 *III. Alienatio rerum litigioſarũ eſt prohibita. Et n. ſeqq.*
17 *Et cur?*
18 & 19 *Exceptis tamen certis caſibus; & quibus?*
20 *Eſtque vel ipſo jure irrita,*
21 *Vel ſaltem irritanda.*
22 *Quæ differentia inter contractus ipſo jure irritos, & irritandos?*

2 QUæritur I. Quando Lis pendere cenſeatur? Reſp. I. *Lis*, quantum ad propoſitum, *pendere* dicitur, quando citatio à Judice facta pervenit ad citatum, vel per ipſum ſtetit, quò minùs perveniret; dummodò in citatione fuerint ea expreſſa, per quæ citatus plenè potuit inſtrui, ſuper quo conveniatur. Ita Gloſſa in c. *Ut debitus 59. ℣. Si dicat de Appellat.* Menochius *de Arbitrar. Judic. caſu 202. n. 7.* Sigiſm. Scaccia *lib. 1. de Judiciis, c. 64. n. 11.* Pirhing *h. t. n. 1. & 2.* ac alii. Et habetur deciſum in *Clem. 2. h. t.* ibi: *Cùm lite pendente nihil debeat innovari, litem quoad hoc pendere cenſemus, poſtquàm à Judice competenti in ea citatio emanavit, & ad partem citatam pervenit, vel per eum factum fuit, quo minùs ad ejus notitiam perveniret: Dum tamen in citatione prædicta talia ſint expreſſa, per quæ plenè poſſit inſtrui, ſuper quibus in judicio conveniatur.*

Notat tamen Felinus *in c. Super litteris n. 13. de Reſcript.* Sigiſm. Scaccia *lib. 1. de Judiciis, cap. 65. n. 11.* & Menochius *cit. caſ. 202 n. 8.* poſt Rotam *Deciſ. 15. n. 4. de Dolo & contumac. in novis*, & *deciſ. 6. Ut lite pendente &c. in novis*, quod *cit. Clem. 2. h. t.* dum vult, litis pendentiam non induci niſi executa citatione, ut ſuprà, procedat ſolùm reſpectu Rei, non autem reſpectu Actoris. Diſparitas eſt: quia Actor poſt impetratum à ſe, & à Judice emanatum Decretum citationis, hoc ipſo novit litis pendentiam, quam ſollicitavit, & procuravit; unde nec indiget alia citatione, vel dictæ citationis executione: talis autem requiritur ex parte Rei, utpote cæteroquin ignorantis citationem illam emanaſſe. Unde loquendo præcipuè de litis pendentia ex parte Rei 3

Notandum eſt, quòd ex verbis *cit. Clem. 2. h. t.* Gloſſa, & Imola *ibid. §. 2.* aliique plures eliciant conditiones, quæ requiruntur ad hoc, ut inducatur *Litis pendentia*; &, ſi quid innovetur, *Vitium litigioſi*. I. Quòd citatio emanarit. II. Quòd ſit facta à Judice competente: hoc eſt, illo, qui cauſæ juriſdictionem habet cum exercitio. Nec obſtat, quòd talis juriſdictio poſſit per exceptionem elidi. Quia enim certum eſt, quòd in hujuſmodi caſibus valeat proceſſus in principali, quando non excipitur, *c. Inter Monaſterium 20 de Sentent. & re judicat.* cum ſimilibus; hinc meritò Judex ante exceptionem cenſetur competens, ac proinde valet ejuſmodi citatio, quantùm ad inducendam litis pendentiam. Gloſſa *in cit. Clem. 2. verſ. Competenti*, & Abbas *ibid. n. 4. h. t.* & Imola, *ubi ſuprà*, poſt Lapum iſtud intelligens de exceptione dubia: ſecùs, ſi ſit notoria, & talis, ut juriſdictio ſit ipſo jure nulla, *arg. can. Quoniam de Filiis Presbyt. & Clem. Paſtoralis*, juncta Gloſſa *verſ. Notorio de Sentent. & re judicat.* 4

III. Ad litis pendentiam requiritur, quòd citatio pervenerit ad Reum citatum, aut per hunc ſteterit, quò minùs perveniret. Nam is, qui doloſe facit ſeu procurat, ne citatio ad ipſum perveniat, habetur pro citato, *arg. c. Quoniam §. Porrò verſ. Ut lite non conteſtata &c. & l. Si idio ff. de Evictìon.* Idque meritò: tum, ne alioquin ex malitia, ſive dolo ſuo, quis commodum reportet, contra illud: *Fraus, & dolus, alicui patrocinari non debent*, uti habetur *c. Sedes 15. & c. Ex tenore 16. de Reſcriptis*. Tum, ne 5

contu-



contumax melioris, quàm obediens conditionis exiſtat contra id, quod legitur *in c. Contingit de Dolo & contumac.*

6 Dices. Ad perpetuandam juriſdictionem ſufficit citationem emanaſſe, licèt nondum pervenerit ad citatum; ut *c. Licèt 30. & c. Gratum 20. de Offic. Deleg. & cap. ult. de Offic. Legat.* ergo idem dicendum de inducenda litis pendentia. Reſp. neg. conſeq. & paritatem. Siquidem perpetuatio juriſdictionis eſt favorabilis; ac proinde faciliùs perpetuatur juriſdictio, quàm inducatur litis pendentia, quæ eſt odioſa. Unde non mirum, quòd ad illam perpetuandam ſufficiat, citationem emanaſſe: ad hanc verò inducendam ulterius requiratur, quòd citatio pervenerit ad citatum, ſicque ille innovando quidpiam incurrat vitium litigioſi. Imola *in cit. Clem. 2. §. Gloſſa*, & *ad partem h. t.*

7 IV. Ad litis pendentiam requiritur, quòd ex tenore factæ citationis citatus plenè inſtruatur, ſuper qua cauſa in judicio convenitur. Unde ſi Judex dicat, *Compareas tali die Titio reſponſurus ſuper quadam domo*, hæc non erit ſufficiens expreſſio; cùm citatus non ſufficienter inſtruatur per talem citationem, eo quod per hanc cognoſcere nequeat, ſuper qua domo conveniatur, vel quare: ac proinde necdum cenſetur lis pendere ſuper domo, nec domus illa eſſe litigioſa. Gloſſa *fin.* & Imola, & Abbas *num. 7. in cit. Clem. 2. h. t.* qui idcircò pro bono Actoris conſulunt, ut ad inducendam litis pendentiam una cum citatione tranſmittatur Reo copia Libelli; ut *cap. 2. de Dilationibus*.

8 V. Ad inducendam litis pendentiam ulteriùs requiritur, quòd nuntius citationem hujuſmodi ritè inſinuaverit: alioquin non inducitur litis pendentia. Proinde ad hanc inducendam non ſufficit, quòd Judex nuntio citationem ſufficienter expreſſerit, ſi nuntius eam ſufficienter non retulit: nam requiritur, quòd ipſa citatio plenè devenerit ad notitiam citati, *cit. Clem. 2. h. t.* ac notat Imola *ib. §. fin.* Et hinc ad obviandum imperfectæ nuntiorum relationi erit de cautela, ut una cum citatione tranſmittatur Reo copia Libelli, juxta proximè dicta.

9 Addit Pirhing *h. t. n. 3.* ſextam conditionem, quòd nimirum citatio ſit apta. Verùm hæc conditio ad primam reducitur: nam citatio inepta, aut tempore indebito facta, ſicut de jure nulla eſt, nullumque inducit effectum, ita meritò pro non citatione habetur, *arg. l. Quoties, ff. Qui ſatiſdare cogantur.*

10 Quæritur II. Qui ſint effectus Litis pendentis? Reſp. Eſſe plures, præcipuè verò ſequentes. Primò enim lite pendente Reus, ſive poſſeſſor, commodo ſuæ poſſeſſionis privari non debet; ac proinde durante lite æquè, ſicut priùs fructus ex re poſſeſſa colligere poteſt. Patet hoc *ex c. 1. h. t.* ac notat Abbas *ibid. in Summario*, cum communi. Accedit ratio: quia ideò lite pendente nihil eſt innovandum, ſed omnia ſunt relinquenda in eo ſtatu, in quo erant tempore motæ litis, ne quis conqueratur, ſe injuſtè privatum fuiſſe ſuo jure, atque in præjudicium ſuum quidpiam eſſe attentatum circa rem controverſa; juxta *cit. cap. 1. h. t.* ibi: *Nullum ſibi præjudicium faciant.* Atqui magnum foret præjudicium, ſi quis privaretur commodo ſuæ poſſeſſionis, aut hujus uſus & exercitium ipſi interdiceretur; ergo.

11 Et hoc adeò verum eſt, videlicet quòd poſſeſſio rei controverſæ maneat penes poſſeſſorem, donec lis deciſa fuerit, ut iſtud etiam procedat in cauſa matrimoniali. Patet hoc *ex cap. 2. h. t.* ubi accuſatus de adulterio in ordine ad ſeparationem thori, non debet lite pendente privari poſſeſſione conjugali, ſive poſſeſſione juris, quod habet in corpus conjugis. Idemque dicendum, quando accuſatur matrimonium ob impedimentum dirimens, v. g. ob conſanguinitatem, vel aliud impedimentum perpetuum: nam pari ratione non eſt ejuſmodi matrimonium lite pendente ſeparandum, nec ejus uſus ſtante dubio de veritate impedimenti dirimentis conjugibus interdicendus ante finem cauſæ, ſeu donec conſtet per legitimas probationes de impedimento dirimente. Gloſſa *in d. cap. 2. in Caſu*, & Abbas *ibid. n. 2.* Pirhing *h. t. n. 10.* & alii. Accedit ratio: quia ſtante dubio illo adeſt præſumptio pro poſſeſſore, quòd juſtè poſſideat.

12 Intellige tamen iſtud potiſſimum in ordine ad Judicem, utpote qui juxta diſpoſitionem *cit. cap. 2.* non debet privare, lite pendente, alterum conjugem commodo poſſeſſionis juris conjugalis: ſtat enim præſumptio pro poſſeſſore, quòd juſtè poſſideat, donec probatum fuerit impedimentum dirimens. Cæterùm loquendo in ordine ad partes, ſive ipſoſmet conjuges, ille qui certò ſcit adeſſe impedimentum (ſecùs, ſi de hoc ſolùm dubitet) neque poteſt petere debitum conjugale, neque reddere, ne peccatum incurrat; quin potiùs, ſi ad hoc per Judicem compellatur, humiliter ſuſtinere debet excommunicationem, *can. Litteras. §. Porrò de Reſtitut. Spoliat.*

Inſuper illud eſt intelligendum, dummodò matrimonium anteà fuerit conſummatum. Quia enim ante ejus conſummationem non eſt quis in poſſeſſione commercii conjugalis; ergo nec lite pendente poterit hoc uti: nam lite pendente debent omnia in ſuo ſtatu relinqui, ſicut fuerunt ante motam litem. Sanchez *l. 2. de Matrim. diſp. 41. n. 50.* Engel *h. t. n. 2.* 13

Secundus effectus litis pendentis eſt, quòd Reſcriptum, aut Privilegium, lite pendente in præjudicium partis adverſæ impetratum, niſi de litis pendentia mentionem faciat, cenſeatur eſſe ſubreptitium. Deſumitur hoc *ex cap. 1. ac ult. h. t. & c. Cauſam quæ vertitur 19. de teſtib.* ubi Gloſ. ℣. *Noviter* & Abb. *n. 3.* citans Hoſtienſem. Menoch. *lib. 2. de Arbitr. Judic. caſu 202. n. 4.* Sigiſm. Scaccia *lib. 1. de Judic. c. 64. n. 11.* qui citant alios, atque iſtud intelligunt de litis pendentia per ſolam citationem, conformiter dictis ſuprà *n. 2. & 3* Concordat textus *in l. Tutor petitur §. 1 ff. de Excuſat. tutor.* Accedit ratio: quia in dubio, & niſi aliud exprimatur, Princeps non cenſetur velle juri alterius prejudicare, vel ſtatum litis immutare: ac proinde, ſi tales litteræ exhibeantur, præſumuntur eſſe falſæ, & ſubreptitiè obtentæ, *arg. c. Cùm adeò 17. & c. Super litteris 20. de Reſcript* & ſic erit expectanda ſecunda juſſio Principis. Abb. *in c. 1. n. 6. h. t.* 14

Hic tamen breviter nota, quòd Reſcriptum poſt cauſam Judicibus Delegatis jam commiſſam impetratum, duplici ratione poſſit nullitatis argui. Primò, ex Vitio ſubreptionis: ut quia fuit impetratum tacita veritate de facta jam commiſſione; prout liquet *ex d. c. Cauſam quæ vertitur 19.* juncta Gloſſa *verſ. Noviter de Teſtib.* Secundò, ex Vitio attentati ob litis pendentiam, & juxta proximè dicta: & in hoc poſteriori caſu requiritur citatio, una cum ſufficienti inſtructione Rei, non in priori. Nam ad vitium ſubreptionis incurrendum ſufficit ſola taciturnitas commiſſionis cauſæ Judicibus Delegatis factæ, ac in ſupplicatione non expreſſæ poſt ejus notitiam. Imola *in Clem. 2. §. Gloſſæ citatio h. t.* Abbas *in can. Cauſam quæ 19. num. 5. de Teſtib* & alii 15

Tertius litis pendentis effectus eſt, quòd rerum litigioſarum, actionìſque alienatio, lite pendente ſit prohibita; & ſi attentetur, vel ipſo jure ſit irrita & nulla, vel ſaltem per Judicem irritanda. Quod ut meliùs intelligatur 16

Quæritur III. An, & qualiter rerum litigioſarum alienatio lite pendente ſit prohibita? Reſp. I. Certum eſt, quòd rerum litigioſarum alienatio lite pendente fieri non poſſit, ſed ſit prohibita: exceptis certis caſibus in Jure ſpecialiter expreſſis Patet hoc *ex can. ult. cauſ. 11. q. 1. & c. 3. & 4. h. t. L. 2. & ult. C. de Litigioſis*: in quo poſteriori loco certæ pœnæ in alienantes rem litigioſam ſtatuuntur, de quibus infrà *n. 47. & ſeqq.* agetur. Ratio hujus probationis eſt: Ne alioquin per alienationem rei litigioſæ durior fiat conditio adverſarii contra illud Jure naturali notum: *Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri*, ac refertur *l. Non debet 75. ff. de Reg. Jur.* 17

Additur tamen in Concluſione, *exceptis certis caſibus in jure ſpecialiter expreſſis*. Nam hinc excipiuntur nonnulli caſus, in quibus ob ſpeciales rationes fieri poteſt alienatio rei litigioſæ, quæ referuntur *in cit. L. ult. C. de Litigioſ.* Nimirum, ſi ea fiat *dotis nomine, vel ante nuptias, donationis*: tunc enim excuſat cauſa neceſſitatis, dum fortè non ſuppetit alia res, quæ in dotem detur: ſimulque, quia tunc ceſſat præſumptio cupiditatis divexandi adverſarium. Item, ſi alienatio rei litigioſæ fiat nomine *tranſactionis*, dum quis tranſigit, cum adverſario de re quapiam inter eos controverſa; ut explicat Gloſſa *ibid. verſ. Tranſactionis*: quia tunc excuſat bonum pacis. Item quando alienatio rei litigioſæ fit nomine *diviſionis rerum hæreditariarum*, *vel per legati*, *vel per fidei commiſſi cauſam*; prout loquitur textus *in cit. L. ult. C. de Litig.* Quamquàm ipſe defactò ſit intelligendus juxta *Auth.* 18

*de Litigioſ. Coll.* 8. uti notant Abbas *in c.* 3 *n.* 7. & 8. *h. t.* atque ampliùs declarant Interpretes Juris Civilis.

19 Alium adhuc caſum addit Gloſſa *in cit. cap.* 3 *V. Litigioſ. h. t.* Siquidem in Judiciis univerſalibus, ubi agitur de hæreditate, Prætor permittit quandoque fieri alienationem; videlicet pro expenſis funeris, pro ſolutione debitorum, & pro cibariis familiæ: talem enim alienationem, ſeu hæreditatis litigioſæ diminutionem tunc fieri, urget plerumque ipſa neceſſitas, *l. Divus Pius* §. 1. *de Petition. hæredit.*

20 Reſp. II. Quando extra caſus permiſſos, ac proximè enumeratos, res litigioſa alienatur, tunc ejuſmodi alienatio lite adhuc pendente facta, vel eſt ipſo jure irrita & invalida, vel ſaltem per Judicem irritanda. Ita in ſe communis. Et quidem, quòd dicta alienatio ſit ipſo jure irrita, videtur tradi *in can. ult. cauſ.* 11. *q.* 1. juncta Gloſſa *ib. verſ. Quia res. & in l.* 2. *C. de Litigioſ.* ibi: *Tanquam ſi nihil actum ſit*; ac tenet Abbas *in c.* 3. *n.* 10. & 14. *h. t.* Bartolus *in L.* 1. §. *Quæro quid habeat. ff. de Litigioſ.* Engel *h. t. n.* 4. & plures alii. Adeò, ut nec firmitatem habeat, *arg. c. In nomine Domini.* 2. *de Teſtib.* Nec valeat, quod ſequitur ex ea, vel ob ipſam, *l. Non dubium. C. de Legib & c. ult. de Rerum permutat.* cum ſimilibus, & docet Hoſtienſis *in Summa h. t. n.* 3. *verſ. Quidquid igitur.*

21 Quòd autem ejuſmodi alienatio rei litigioſæ primùm ſit irritanda per Judicem, videtur docere Zoeſius *h. t. n.* 3. dum inquit, quòd ſi attentatum quid fuerit lite pendente, ſive alienando, ſive quocunque alio modo, illud ſit revocandum. Et huic ſententiæ etiam favet Pirhing *h. t. n.* 13. dum ſub disjunctione ait, quòd alienatio tunc facta vel ſit ipſo jure nulla, vel ſaltem irritanda. Accedit ratio: quia, ſi pars altera, in cujus præjudicium facta eſt alienatio rei litigioſæ, nihil contra eam opponat, cenſetur eam approbare, ratamque habere; prout in aliis ſimilibus dici ſolet.

22 Fatendum tamen, quòd ſit aliqua differentia inter præmiſſos modos loquendi. Nam ſi alienatio lite pendente facta, eſt ipſo jure irrita, tunc hoc ipſo, quòd deceptus aut læſus declarat ſe nolle eam valere, in judicio ac extra alienatio illa eſt nulla, & irrita ipſo jure, ſicque opus non eſt actione ad eam reſcindendam, cùm ab ipſa Lege reſcindatur; *cit. l. Quæ ſub conditione* §. *fin. de Conditionib. inſtitut.* Secùs eſt, ubi ſolùm datur actio ad reſcindendam factam lite pendente alienationem. Bartolus *in l. Et eleganter.* §. *Dicendum eſt ergo. ff. de Dolo malo*, ita diſcurrens de contractibus contra Juris prohibitionem celebratis.

## §. II.

## De Re litigioſa, & revocatione attentatorum Lite pendente, pœniſque Contractus litigioſi.

### SUMMARIUM.

23 *Res litigioſa, quæ?*
24 *Ad hanc requiritur, ut moveatur quæſtio ſuper ejus dominio, vel quaſi dominio.*
25 *Et non tantum de aliquo onere illius.*
26 *Nec ſolummodò ſuper ejus poſſeſſione.*
27 *Quamvis tunc ipſa poſſeſſio fiat litigioſa.*
28 *Res efficitur litigioſa non ſolùm per litis conteſtationem, ſed jam anteà.*
29 *Et quantum ad hoc, correctum eſt Jus antiquum.*
30 *Non tamen ſimplex interdictio, ne vendatur, facit rem litigioſam.*
31 *Ut actio tum perſonalis, tum realis, fiat litigioſa, requiritur litis conteſtatio.*
32 *Ante litem conteſtatam actio liquida poteſt liberè cedi, vel vendi.*
33 *Et quid de actione dubia, ſeu controverſa?*
34 *Attentata lite pendente, dicuntur laborare* Vitio litigioſi.
35 *Quidquid innovatur lite pendente, debet revocari in priſtinum ſtatum.*
36 *Adeò, ut parte opponente impediatur proceſſus ad ulteriora.*
37 *Si res litigioſa alienetur, oportet eam reſtitui.*
38 *Aut, ſi reſtitui non poſſit, aliam æquivalens in ejus locum ac jus ſubrogari. Et num. præced.*
39 *Quæ poſteà alienari, vel oppignorari non poteſt.*
40 *Debetque eſſe libera ab onere, ſicut erat res litigioſa indebitè alienata.*
41 *Inſuper poteſt Actor ſuſpenſo petitorio, tranſire ad vitium litigioſi.*
42 & 43 *Quomodo lite pendente nihil ſit innovandum circa Beneficia. Et n. ſeqq.*
44 *Differentia inter caſum* cap. 1. & cap. 2. h. t. in 6. *relatum.*
45 *Lite pendente inter duos præſentatos ad Beneficium, nequit Patronus Eccleſiaſticus variare, ſeu alium præſentare.*
*Præſentatio Patroni Eccleſiaſtici habet vim electionis. Ibid.*
46 *Nec etiam Patronus laicus poteſt tali lite pendente variare: haud obſtante, quòd alioquin intra quadrimeſtre variare poſſit.*
47 & 48 *Quis conferre poſſit Beneficium, ſi duobus ſuper eo ſibi collato litigantibus, mori contingat unum, vel utrumque eorum?*
49 *Contractus litigioſus, quis?*
50 *Quando ambo contrahentes ignorant rem eſſe litigioſam, contractus quidem eſt nullus, ſed nullæ pœnæ incurruntur.*
51 *Difficile tamen eſt, in alienante reperiri ignorantiam rei litigioſæ.*
52 *Quæ ſint pœnæ, quando uterque contrahentium ſcivit, rem eſſe litigioſam?*
53 *Et quid, ſi ſolus emptor ignoravit, rem eſſe litigioſam?*
54 *Dicta de ſcienter, vel ignoranter vendente, aut emente rem litigioſam, procedunt in quolibet contractu.*
55 *Rem litigioſam ſcienter Sacris dedicans, punitur in duplum.*

Quæritur I. Quid ſit, & qualiter res, vel actio, efficiatur litigioſa? Reſp. I. *Res litigioſa dicitur, ea de cujus dominio cauſa inter petitorem & poſſidentem movetur, aut per judiciariam conventionem, aut per preces Principi oblatas, & inſinuatas Judici, ac per eum adverſario interpellatoris cognitas.* Ita habetur *in Auth. de Litigioſis* §. 1. *collat.* 8. ubi ex profeſſo agitur de rebus corporalibus, tum mobilibus, tum immobilibus: quamquàm Gloſſa *in c. ult. cauſ.* 11. *q.* 1. majoris claritatis gratia, ſic legat: *De cujus dominio, vel quaſi dominio cauſa movetur.* Concordat textus *in clement.* 2 *h. t.* ut ſupra *n.* 2. *jam relatus.* 23

Dicitur, *de cujus dominio*: quod intellige ſub addita clauſula, *vel quaſi dominio.* Quia, ut res efficiatur litigioſa; & alienari ſit prohibita, ſufficit, quòd quæſtio judiciaria moveatur, vel ſuper ejus proprietate ac dominio, vel quaſi dominio. Gloſſa *in Auth. Litigioſa. V. Dominio. C. de Litig.* Abbas *in c.* 3. *n.* 7. *h. t.* & alii. 24

Secùs dicendum, ſi tantùm agatur de aliquo onere rei illius: ut putà, quia agitur hypothecaria, dum Actor dicit, rem ſibi jure hypothecario obligatam eſſe. Tunc enim res ipſa non efficitur litigioſa; ac proinde poteſt vendi, cum onere tamen ſuo. Textus eſt *in Auth. de Litigioſis.* §. *Ab hoc autem. Collat.* 8. Abbas *cit. n.* 7. 25

Inſuper, ſi agatur ſolummodò de poſſeſſione rei, pariter res ipſa per hoc non efficitur litigioſa. Gloſſa *in c. Si quis. v. Litigioſa.* & Abbas *ibid. n.* 5. & Fagnanus *n.* 9. *de Confirm. utili &c.* Nam quia proprietas nihil habet commune cum poſſeſſione, *l. Naturaliter* §. 2 *ff. de Acquirend. poſſeſſ.* meritò mota duntaxat controverſia ſuper poſſeſſione, non efficitur ipſa proprietas litigioſa: & ideò poterit tunc alienari proprietas rei ſine vitio litigioſi; prout infert Abbas *in cit. c. Si quis. n.* 5. *de Confirmat. utili.* 26

Fatendum tamen, quòd tunc ipſamet poſſeſſio, ſuper qua movetur controverſia, efficiatur litigioſa. Abbas *loc. cit.* Fagnanus, *ubi ſup. n.* 10. allegans Cravettam *Conſ.* 279. *n.* 3. & Lancellotum *de Attentatis*, *p.* 2. *c.* 4. *in Præf. n.* 493. ubi refert, ita fuiſſe reſolutum in Rota. Nam ubi principaliter agitur ſuper poſſeſſione, ea habet ſe ad inſtar proprietatis, ut innuit Gloſſa *in Auth. Litigioſa. verſ. Dominio. C. de Litigioſ.* Tunc enim poſſeſſio eſt res illa, de qua controvertitur, ad quem ex litigantibus pertineat. 27

Reſp.



28 Reſp. II. Res efficitur litigioſa non ſolùm per litis conteſtationem, ſed etiam per libelli oblationem, poſtquàm tamen ſecuta eſt citatio Rei, ſimulque huic inſinuatio contentorum in libello per Judicem ſufficienter facta fuit. Ita Gloſſa *in cit. Auth. de Litigioſis verſ. Movetur. Collat.* 8. ac probat textus ibidem, juncta *Clem.* 2. *h. t.* & conditionibus ad inducendam litis pendentiam requiſitis, de quibus jam dictum ſuprà *n.* 2. & 7. *ac ſeqq.*

29 Nec obſtat, quòd *L.* 1 §. 2. *ff. de Litigioſ.* requiratur litis conteſtatio ad hoc, ut res fiat litigioſa. Reſp. enim, hoc fuiſſe de Jure antiquo: ſecùs eſſe hodie poſt dictam *Auth. de Litigioſ. Collat.* 8 ſiquidem per hanc corrigitur Jus antiquum quoad propoſitum, Gloſſa *loc. cit. verſ. Movetur.* & Gloſſa *c.* 1. *verſ. Litigantib. h. t. in* 6. plura pro & contra allegans. Bartolus *in l. Lite. n.* 1. *C. de Litigioſ.* & Abbas *in c.* 3. *n.* 7. *h. t.*

30 Cæterùm ſimplex interdictio, ſive ſola denunciatio adverſarii, ne res vendatur, non facit rem litigioſam. Textus eſt *in L.* 1. *ff. de Litigioſ.* & *L.* 1. *C. eod.*

31 Reſp. III. Nihilominùs, ut actio tum perſonalis, tum etiam realis, fiat litigioſa, ita ut in alium cedi, aut vendi, vel donari non poſſit abſque vitio litigioſi, requiritur litis conteſtatio. Ita Jo. Andreas *in c. ult. n.* 12. *h. t.* & Abbas *in c. Eccleſia ſanctæ Mariæ.* 3. *n.* 7. *eod.* quamvis loquendo de actione reali, & mixta univerſali, oppoſitum teneat Bartolus *in cit. l. Lite. C. de Litigioſ.* & quidam alii, volentes, idem eſſe tenendum de talibus actionibus, quod de re ipſa: nempe, quòd fiant litigioſæ mox per conventionem judiciariam Reo inſinuatam; ſicque jam ante litis conteſtationem. Ratio autem Concluſionis eſt: quia, ut res, vel actio fiat litigioſa, requiritur conteſtatio litis ſpectato, Jure antiquo; ut patet *ex L.* 1. §. 2. *ff de Litigioſ.* juncta *L.* 2. *C. eod.* Atqui de jure novo (ſive per *cit. Auth. de Litigioſis Collat.* 8. utpote loquentem ſolum de rebus, non verò de actionibus) nihil reperitur immutatum quoad actiones; ergo in his ſtatur adhuc Juri antiquo, *l. Præcipimus. C. de Appell.* Et conſequenter, ſicut antiquitus, ita & nunc requiritur litis conteſtatio, ut actiones fiant litigioſæ, & inducant vitium litigioſi, ſi alienentur: aliud enim eſt vitium, quod afficit rem: aliud, quod afficit actionem, prout loquitur Jo. Andreas *c. n.* 12.

32 Petes autem occaſione præmiſſorum, utrùm ſaltem ante litem inchoatam poſſit actio in alium cedi, ſive alienari? Ad hoc breviter dicendum cum Gloſſa *in c.* 2. *V. Sanctiones. de Alienat. judic. mutand. cauſ.* Engel *h. t. n.* 5. & aliis, quòd tunc actio liquida poſſit in alium liberè cedi, & vendi, ac quovis alio modo alienari, *l. Venditor actionis. ff de Hæred. vel action. vend.* juncta *L. ult. C. eod.*

33 Actio dubia, ſive controverſa, donari quidem poterit ante litem conteſtatam, non autem vendi, *l. Per diverſas. & l. Ab Anaſtaſio, C. Mandati.* Quòd ſi verò actio controverſa vendatur pro pretio minori (prout communiter fieri ſolet) aut ex parte vendatur, & ex parte ſolùm donetur (in quo caſu donatio illa præſumitur eſſe ſimulata) tunc ſi emptor ille vincat, non in plus ipſi condemnabitur Reus conventus, quàm is pro actione illa expendit: vendens autem actione privatur. Idque meritò ſtatutum fuit, ne alioquin, ſi quid lucri acquirere poſſet emptor actionis, facilè alienæ lites redimerentur, quærendo prædam ex aliorum jurgiis, & forſan lites dudum ſopitæ reſuſcitarentur. Plura de hoc ſuprà *Lib.* 1. *Tit.* 37. *de Poſtulando. n.* 46 & *ſeqq.* & *Tit.* 42 *De Alienatione judicii mutandi cauſa*, *n.* 15.

34 Quæritur II. Qualiter attentata lite pendente ſint revocanda? Ubi ſciendum, quòd Attentata lite pendente, ſive actus circa rem litigioſam in præjudicium partis adverſæ quidpiam innovantes, dicantur laborare *Vitio litigioſi*: de quo fit mentio *in c. Eccleſia.* 3 *h. t.* & ampliùs explicat Gloſſa *ibid. verſ. Litigioſi.* Quo prænotato

35 Reſp. I. Quidquid innovatur lite pendente, ante omnia debet revocari in ſtatum priſtinum. Ita communis; & patet ex *c. Eccleſia Sanctæ Mariæ.* 4. *h. t.* & *c.* 1. *de Sequeſtrat. poſſeſſ.* Quod enim contra leges fit, per leges diſſolvi meretur, *c. Vides. diſt.* 10. Idque eo magis, quia hujuſmodi innovata firmitatem non habent, *cap. In nomine domini. de Teſtib.* junctis dictis ſuprà *n.* 20.

36 Et hoc adeò verum eſt, ut antequam innovata revocentur, parte opponente impediatur proceſſus ad ulteriora. Hoſtienſis *in Summa. h. t. n.* 3. Engel *n.* 6. & alii.

Neque valebit, quod ſequitur ex talibus innovatis, vel ob illa. *l. Non dubium.* §. *Sed & ſi C. de Legib.* & in ſimili dicitur *in c. Qualiter.* 17. *de Elect.* & *c. ult. de rerum permut.* Atq; inſuper is, qui lite pendente aliquid innovat, in expenſis ſuo adverſario condemnandus eſt, *arg. c.* 2. *de Dolo & contum.* & *c.* 1. §. *fin. de Sequeſtr. poſſeſſ.* Undè ulterius

Reſp. II. Quando res litigioſa alienatur, oportet eam reſtitui in ſtatum priſtinum: & ſi res ipſa reſtitui ampliùs non poſſit, debet in ejus locum ac jus ſubrogari alia æquivalens: Textus eſt *in c.* 3. juncta Gloſſa *verſ. litigioſi.* & Abbate *ibid. n.* 1. & 5. *h. t. eod.* & DD. communiter. Ratio eſt: quia alienatio rei litigioſæ vel eſt ipſo jure nulla, vel ſaltem irritanda, ut dictum *n.* 20 & 21. & conſequenter reſtituenda in ſtatum priſtinum, ne deterior per ejus alienationem evadat conditio adverſarii. Accedit ratio *in c.* 3 *h. t.* allata: quia, niſi res litigioſa poſt alienationem reſtitueretur, vel ſaltem alia æquivalens in ejuſdem locum ac jus ſubrogaretur, in vanum Actor laboraret; quia etiamſi vinceret in judicio, non haberet quod evinceret, atque obtineret. Hoc autem eſt abſurdum, quia ſic judicium de facto eſſet fruſtratorium, & fruſtratoria rei petitæ adjudicatio; ergo 37

Additur notanter in Concluſione, *In ejus locum ac jus ſubrogari &c.* Quia, quando ipſamet res litigioſa alienata ampliùs reſtitui non poteſt, non ſolùm in ejus locum ſubſtitui debet alia æquivalens, ſed etiam in jus ipſius. Siquidem res, quæ in locum ſuccedit alterius, eodem jure cenſetur cum ea, *arg. c. Cùm tu* 5. §. *fin. de Uſuris*, & ampliùs probat Gloſſa *in c.* 3. *V. Succeſſerunt. h. t.* Nam ſubrogatum ſapit naturam ejus, in cujus locum ſubrogatur. Everardus *in Locis Legalibus. loco à vi ſubrogationis.* Barboſa *Axiomat.* 213. *n.* 1. latiſſimè iſtud probans. 38

Infertur proinde, quòd ſicut ipſamet res litigioſa non poteſt alienari, nec locari ſaltem ad longum tempus, neque oppignorari lite pendente, ne deterior ſeu durior fiat conditio Actoris; prout uberiùs oſtendit Abbas *in c.* 3. *n.* 9. *h. t.* ita & altera res, quæ in ejus locum ſubrogatur, alienari, locari vel oppignorari non valeat. Abbas *in c.* 4 *n.* 2 *eod.* Etenim ſubrogatum ſapit naturam ejus, in cujus locum ſubrogatur; ſicque aſſumit ejus conditionem, juxta proximè dicta. 39

Infertur ulteriùs, quòd ſi res litigioſa, quæ indebitè alienabatur, fuerat libera, v. g. ab onere pignoris; etjam res in ejus locum ſubroganda, libera eſſe debeat à tali onere. Idque deſumitur *ex c.* 4. *h. t.* ubi proin Pontifex poſſeſſiones illas, quæ in locum litigioſæ rei alienatæ ſubrogabantur, & cuipiam erant pignori obligatæ, anteà ab onere illo liberari fecit. Et meritò; tum quia ſubrogatum debet ſapere naturam ejus, in cujus locum ſubrogatur: Tum quia obligatus ad tradendam rem aliquam, debet eam tradere liberam & expeditam, ſicque liberatam ab onere pignoris, *arg. L.* 1. & 2. *ff. de Actionib. empt.* Abbas *in cit. c.* 4. *n.* 4. *h. t.* 40

Reſp. III. Ut attentata lite pendente meliùs in irritum revocentur, hinc inſtituto petitorio ſuper rei vendicatione, poteſt Actor hoc ſuſpenſo tranſire ad vitium litigioſi, ſi quid innovatum fuerit. Deſumitur illud *ex c.* 3. *h. t.* ubi in tali caſu ſub disjunctione conceditur, vel de vitio litigioſi, vel de proprietate experiri: & tradit Abbas *ibid. n.* 4. Sicut enim pendente judicio petitorio poteſt Actor eo ſuſpenſo tranſire ad poſſeſſorium, *c. Paſtoralis.* 5. *de Cauſa poſſ. & propr.* ita pendente petitorio poteſt tranſire ad vitium litigioſi. Et hoc quidem fortiùs eſt aſſerendum, ob odium alienantis rem contra præceptum Legis. 41

Quæritur III. Quomodo nihil ſit innovandum lite pendente circa Beneficia Eccleſiaſtica? Reſp. I. Si duo electi in diſcordia ſuper electione de ſe celebrata litigent, non poteſt ad aliam electionem procedi, quamvis aliquis ipſorum moriatur, vel juri ſuo renunciet, aut à proſecutione ſuæ cauſæ quoquo modo excludatur, quamdiu lis ſuper electione ſuperſtitis electi pendet: alìas electio lite adhuc pendente celebrata, ipſo jure invalida exiſtit. Ita habetur deciſum *in c.* 1. *h. t. in* 6. Accedit ratio: quia alienatio rei litigioſæ ſpectato Jure Civili eſt nulla, *L.* 2. & *L. ult. C. de Litigioſ.* ergo hoc ipſum meritò Sacri Canones extendendum cenſuerunt ad Beneficia Eccleſiaſtica. 42

Concordat *c.* 2. *h. t. in* 6. ubi pariter habetur deciſum, quòd ſi Beneficiarius, contra quem ſuper Beneficio Eccleſiaſtico, quod poſſidet, per alium litigatur, forſan mo- 43

rla-

riatur, vel ſponte juri ſuo renunciet, & contra ſuperſtitem lis nondum finita fuerit; non poſſit lite taliter pendente Beneficium illud alteri conferri, nec ad illud quiſpiam eligi, vel etiam præſentari: & ſi ſecùs actum fuerit, illud eo ipſo irritum habetur.

44 Eſt tamen inter hunc, & præcedentem caſum, nonnulla differentia: nam in priori, qui refertur *c. 1. h. t. in 6.* ſermo eſt de electione, ac Beneficio litigioſo, quod neuter litigantium poſſidet: at verò in poſteriori caſu, qui refertur *c. 2. eodem in 6.* alter litigantium jam fuerat Beneficium adeptus, illudque poſſidebat. Gloſſa *cit. c. 2. verſ. Poſſident.* Alioquin certè poſterius Capitulum ſuperflueret, niſi adeſſet talis diverſitas caſus.

45 Reſp. II Doctrina proximè allata etiam procedit in præſentatione ad Beneficium Eccleſiaſticum: adeò, ut lite inter duos Præſentatos pendente (etiam uno eorum mortuo, vel cedente) Patrono non permittatur abſque vitio attentati alium præſentare, donec lis cum ſuperſtite finita fuerit. Ita Jo. Andreas *in c. 1. n. 1. h. t. in 6.* & Franchis *ib.* Aloyſ. Riccius *p. 1. in Praxi Juriſpatronatus, reſol. 160. n. 1.* aſſerens hanc eſſe communiorem DD. ſententiam, quam etiam tenuit Rota *dec. 442. n. 7. p. 1. Diverſ. & in una Zamorens. Beneficii de Morales. 30. Maii 1586. coram Orano.* Covarruvias *Pract. q. c. 36. n. 7. verſ. Tertiò quandoque.* Robertus Lancellotus *tom. 5. Tractatuum; tr. de Attentatis, p. 2. n. 557. & ſeqq.* hanc appellans communem opinionem. Et quidem loquendo de duobus præſentatis à Patronis Eccleſiaſticis, res caret difficultate; nam præſentatio ab his facta, habet vim electionis; unde etiam ipſi ampliùs variare non poſſunt, *c. Cùm autem. 24. de Jurep.* & notat Abbas *ibid. n. 3.* allegans Innocentium, & Lancellotus *cit. n. 557.* Ac proinde, non mirum, quòd diſpoſitio *cit. c. 1. h. t. in 6.* expreſsè loquens de electione duorum lite pendente, pariter procedat in præſentatione duorum, per diverſos Patronos Eccleſiaſticos in diſcordia peracta, liteque deſuper pendente.

46 Major difficultas eſt de Patrono laico, utpote cui cæteroquin conceſſum eſt poſſe variare intra quadrimeſtre, non quidem totaliter à priori Præſentato recedendo, ſed alium cumulativè præſentando *cit. can. Cùm autem. 24. & can. Paſtoralis. 29. de Jurepatr.* Difficultas inquam eſt, utrùm intra quadrimeſtre tempus poſſit Patronus laicus taliter variare, non obſtante litis pendentia inter duos priùs præſentatos? Sed verius eſt, quòd Patronus laicus lite pendente variare non poſſit, ſicque etiam reſpectu ipſius procedat diſpoſitio *cit. c. 1. h. t. in 6.* Ita Lancellotus *l. c. n. 550. & ſeqq.* referens contrarias aliorum opiniones, & tutiſſimè hanc materiam declarans Covarruvias *cit. n. 7.* Riccius *d. reſol: 170. n. 4.* allegans alios, & à Rota ita deciſum referens *in dec. 10. de Jur. patr.* Ratio eſt: quia, licèt cęteroquin Patronus laicus variare poſſit, tamen in dato caſu talis variatio eidem prohibita videtur propter litis pendentiam: tum quia generaliter lite pendente nihil eſt innovandum, juxta *Rubr. h. t.* Tum quia dicta variatio tendere poſſet in præjudicium Eccleſiarum, eò quòd in harum damnum lites prorogari contingeret per novos adverſarios, qui malitiosè interdum prioribus ſubrogantur.

47 Reſp. III. Si duobus ſuper Beneficio ſibi collato litigantibus, mori contingat utrumque, vel alterutrum eorum: tunc obſervanda erit diſpoſitio *Clem. 1. h. t.* Et ſi quidem uterque moriatur, tunc vel uterque moritur in Romana Curia, vel ſolus poſſidens, aut neutro poſſidente unus tantùm illorum in Curia Romana moritur, altero alibi decedente: & ſic ad Romanum Pontificem ſpectat collatio illius Beneficii. In caſibus autem converſis pertinet ejus collatio ad ordinarium Collatorem, dummodò aliquis tertius in dicto Beneficio jus non habeat.

48 Quòd ſi verò lite pendente alter tantummodò decedat, & ſuperſtes nihilominùs litem proſequatur; tunc (niſi ad ſuperſtitem Beneficium illud pertinere dignoſcatur) ex futuro patebit eventu, ad quem collatio ſpectet. Nam quando declaratur, Beneficium pertinuiſſe ad defunctum in Curia Romana, pertinebit collatio ad Papam: ſi autem pronuncietur, illud pertinuiſſe ad defunctum extra Curiam, ſpectabit collatio ad Ordinarium: quòd ſi ad neutrum ipſorum Beneficium ſpectaſſe conſtiterit, pariter ad Ordinarium collatio pertinebit. Salva tamen in præmiſſis omnibus plenitudine poteſtatis Pontificiæ. Ita habetur expreſſum *in cit. Clem. h. t.* juncta Gloſſa, & Doctoribus ibidem.

49 Quæritur IV. Quæ ſint pœnæ Contractus litigioſi? Ubi prænotandum, quòd per *Contractum litigioſum* intelligatur ille, qui circa rem litigioſam celebratur, in præjudiciū partis adverſæ lite pendente quidpiā innovando; ut putà, ipſam vendendo, donando, aut hujuſmodi. Contractus quippe tales dicuntur laborare vitio litigioſi: ut eſt textus *in c. Eccleſia. 3. h. t.* & ampliùs explicat Gloſſa *ib. v. Litigioſi.* & Abbas *n. 9.* & alii. Quo prænotato, & diſtinguendo inter eos, qui ſcienter rem litigioſam alienant, vel recipiunt, aut ignoranter id faciunt.

50 Reſp. I. Quando ambo contrahentes ignorant rem eſſe litigioſam, contractus quidem ſuper re illa eſt invalidus, juxta dicta *n. 20.* pœnæ tamen non incurruntur. Ita communis. Siquidem in tali caſu excuſat contrahentes à pœnis incurrendis probabilis ignorantia; ut *c. Cognoſcentes. 2. de Conſtit.* Ubi dicitur *Rem quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*: junctis Concordantiis ibidem per Gloſſam, *verſ. culpa caret*, relatis.

51 Solùm nota, quòd in venditore, vel alio alienante, difficile ſit reperiri talem ignorantiam rei litigioſæ, & huc propter denunciationem anteà ipſi faciendam: niſi forſan is ſucceſſerit alteri, & probabiliter ignoraverit, ejuſmodi denunciationem illi factam fuiſſe. Unde in hoc caſu impeditur quidem contractus, ſed aliæ pœnæ ceſſant. Abbas *in c. 3. n. 10. h. t.*

52 Reſp. II. Quando uterque contrahentium ſcivit, rem eſſe litigioſam, tunc imprimis contractus, ſive alienatio ejuſdem non tenet, ac reſtituta re illa litigioſa procedit actio, ut anteà, juxta hactenus dicta Deinde verò ſcienter emens rem litigioſam, amittit pretium ejus; vendens autem eam ſcienter, tantundem dabit de ſuo: atque utraque hæc quantitas Fiſco applicabitur. Ita ſtatutum habetur *in L. ult. C. de Litigioſis*; ac notat Gloſſa *in c. 3. V. Litigioſi. h. t.* Abbas *cit. n. 10.* Pirhing. *h. t. n. 14.* & Sannig. *eodem c. 2. n. 4.*

53 Reſp. III. Quando autem ſolus emptor neſcivit rem eſſe litigioſam, & ſic eam emit ignorans, quòd ſit litigioſa, tunc is pretium ejus repetit, atque ultra iſtud lucratur tertiam partem æſtimationis rei à venditore ſibi dandam. Textus eſt *in cit. L. ult. C. de litigioſis.* Et meritò bonæ fidei emptor pretium repetit, ne abſque ſua culpa damnum ſuſtinere cogatur, Lucratur vero tertiam partem pretii, quia hanc Jura ipſi concedunt, eò quòd à doloſo venditore fuerit circumventus, dum ipſi non manifeſtavit rem eſſe litigioſam Etenim ſcienter vendens rem litigioſam tantum de ſuo debet dare, quantum eſt pretium rei venditæ, atque illud Fiſco applicatur, ut dictum *n. præced.* Si autem emptorem circumvenit, una tertia conceditur emptori ob illatam ipſi injuriam: & ſolùm cæteræ duæ tertiæ applicantur Fiſco per textum *in cit. L. ult. C. de Litigioſis.*

54 Porrò quæ hactenus dicta ſunt de ſcienter, vel ignoranter vendente, aut emente rem litigioſam; eadem ſimiliter procedunt in donatione, & quolibet alio contractu circa rem litigioſam ſcienter, aut ignoranter celebrato: nam ſcienter alienans, vel rem alienatam recipiens, punitur ut ſuprà: teneturque ſtatutam pœnam de ſuo refundere. Textus eſt *in cit. L. ult. C. de litigioſis*, & concordat Gloſſa, & Abbas *loc. cit.* Et hæc procedunt demptis caſibus illis, in quibus alienatio rei litigioſæ conceditur, juxta *n. 18. & 19.*

55 Solùm adde, quòd ſi quis rem litigioſam ſcienter Sacris dedicaverit, ſeu conſecraverit, in duplum adverſario applicandum puniatur; per textum *in L. ult. ff. de Litigioſ.* & notat Abbas *loc. cit. n. 10.* poſt Hoſtienſem, & Zoeſius *tit. de Litigioſis. ff. n. 6.* Idque fit propter contumeliam in Deum, quem talis falſa religionis ſpecie colit, in detrimentum adverſarii.

TITU-



# TITULUS XVII.

## De Sequeſtratione Poſſeſſionum, & Fructuum.

*1 Ratio continuationis Rubricarum.*

CUm Titulo præcedenti dictum fuerit, quod lite pendente nihil ſit innovandum: nihilominùs cum non rarò, dum lis pendet, petatur ſequeſtratio rei litigioſæ, ſive fructuum ejus: hinc meritò ſubjungitur præſens Rubrica ad declarandum ex profeſſo, an, & quando ejuſmodi ſequeſtratio locum habeat. Unde ſit

### §. I.

### Quid, & quotuplex ſit Sequeſtratio, & in quibus caſibus fieri poſſit.

*S U M M A R I U M.*

2 *Sequeſtratio, quid? Et n. ſeq.*
3 *Et qualiter differat à Depoſitione? Et n. 5.*
4 *Datur tum de re mobili, tum immobili.*
5 *Sequeſter, quis?*
6 *Sequeſtratio eſt duplex. Et n. ſeqq.*
*Sequeſtratio voluntaria, quid? Ibid.*
7 *Et qualiter hæc cenſeatur voluntaria?*
8 *Sequeſter, an officium ſuum deponere valeat?*
9 *Sequeſtratio neceſſaria, quæ?*
10. *Hæc fit dupliciter: nempe, vel officio Judicis.*
11 *Vel ad inſtantiam partis.*
12 *Sequeſtratio de re non litigioſa, ex duplici cauſa fieri ſolet; & quali?*
13 *Et quibus modis ea fiat de re litigioſa? Remiſſivè.*
14 *Sequeſtratio voluntaria eſt permiſſa.*
15 *Neceſſaria verò regulariter prohibita.*
16 *Et quæ hujus ratio?*
17 *In pluribus tamen caſibus Sequeſtratio neceſſaria eſt permiſſa. Et n. ſeq.*
18 *I. Quando Reus diſſipat fructus, quos conſervare debet.*
19 *II. Quando petitur res mobilis, & perſona eſt ſuſpecta, ne fugiat cum ea.*
20 *Perſonam taliter ſuſpectam eſſe, ex quatuor mediis probari poteſt: & quibus?*
21. *Non tamen eſt neceſſe, omnia quatuor conjunctim haberi.*
22 *III. Si timetur de dilapidatione.*
23 *IV. In re dotali, & accedente juſta cauſa.*
24 *V. Quando appellatur ab executore ſententiæ diffinitivę modum excedente.*
25 *VI. Si quis de poſſeſſione ſervitutis proclamet in libertatem.*
26 *VII. Si Colonus neget locationem.*
27 *VIII. Si pendente lite ſuper valore matrimonii, ex parte mulieris timeatur de ſævitia viri.*
28 *IX. Si timetur, ne ſponſæ, de cujus matrimonio agitur, violentia inferatur, aut ipſa corrumpatur.*
29 *Vel ſi ſervi conquerantur de tyrannide Dominorum ſuorum.*
*Aut Religioſi de ſuis Prælatis. Ibid.*
30 *X. Quando aliquid dicitur ablatum illi, qui eſt de familia Judicis.*
31 *XI. Fit quandoque ſequeſtratio fructuum rei petitę ob contumaciam Rei.*
32. *XII. Fit ſequeſtratio Beneficii, & fructuum ejus, quando contra ejus poſſeſſorem apud Sedem Apoſtolicam fuit promulgata una ſententia diffinitiva &c.*
33 *XIII. Fit ſequeſtratio ob timorem ſcandali.*
34 *XIV. Et ne perdatur occaſio vendendi rem litigioſam, quæ ſervari nequit.*

QUæritur I. Quid, & quotuplex ſit Sequeſtratio? Reſp. I. Sequeſtratio, quantum ad propoſitum, eſt rei controverſæ, vel fructuum ejus, apud tertium facta depoſitio. Ita in re communis; & patet *ex l. Sequeſter. ff. de Verb. ſignif.* ibi: *Sequeſter dicitur, apud quem plures eandem rem, de qua controverſia eſt, depoſuerunt*, cum concordantiis.

3 Dicitur imprimis, *rei controverſæ*: ad differentiam Depoſitionis, quod eſt genus ad Sequeſtrationem. Nam omnis Sequeſtratio eſt Depoſitio, non autem econtrà: ſiquidem *Deponi* poſſunt etiam illæ res, de quibus nulla eſt lis, neque controverſia. *Sequeſtrantur* autem duntaxat res litigioſæ, ad hoc ut poſt cauſam deciſam, & litem ſopitam, reddantur ei, qui vicerit, *l. Licet. 17. §. 1. ff. Depoſiti.* Et additur, *vel fructuum ejus*. Quia non ſolùm ipſa res controverſa ſequeſtrari poteſt, ſed etiam fructus ejus, ne ab aliquo indebitè alienentur, aut etiam diſſipentur, *c. 2. & 3. h. t.*

4 Porrò ſub ly, *rei controverſæ*, non ſolùm intelligitur res mobilis, ſed etiam immobilis: utraque enim poteſt ſequeſtrari, & in utramque propriè cadit Sequeſtratio. Et quidem de re mobili, textus eſt *in l. Ab executione. C. Quorum appell. non recip. & l. Si fidejuſſ. § Si ſatiſdatum. ff. Qui ſatiſdare cogantur*, cum ſimilibus. De re immobili autem hoc ipſum docet Barboſa *ad Rubric. h. t. n. 7.* Card. Tuſchus *Litt. S. Concl. 201. n. 6.* Pirhing *h. t. n. 4.* Idque deſumitur *ex c. 1. h. t. & c. 2. de Dolo & contumacia*, quidquid contradicat Jaſon *in l. Si fidejuſſ. §. Si Satiſdatum. n. 7. ff. Qui ſatiſdare cog.* aſſerens, ſequeſtrationem ſolùm dari de re mobili, non de immobili.

5 Dicitur ulteriùs, *apud tertium* (qui proprio nomine *Sequeſter* appellatur) ad majorem differentiam Depoſitionis ut ſic. Nam non tantum plures, ſed etiam unus poteſt apud alterum, veluti Depoſitarium, quiſpiam deponere: Sequeſtrare autem, ſive apud Sequeſtrum deponere, non poſſunt niſi plures, ſive mota controverſia inter plures, *cit. l. Licet. ff. Depoſiti. & l. Propriè. 6. ff. de eod. & l. Sequeſter. ff. de Verb. ſign. f.*

6 Reſp. II. Sequeſtratio proximè definita eſt duplex, voluntaria videlicet, & neceſſaria. Ita Abbas *in c. Dilectus. n. 11. h. t.* & communis aliorum. *Sequeſtratio voluntaria* dicitur illa, quæ fit mutuo partium conſenſu. Solent enim quandoque partes de aliqua re litigantes vel ratione ſcandali vitandi, vel alia de cauſa, rem illam deponere apud tertium, ſive Sequeſtrum, ut eam interim cuſtodiat, & poſtmodum tradat vincenti.

7 Et hujuſmodi *Sequeſtratio* rectiſſimè dicitur *voluntaria*: quia ad hanc faciendam regulariter partes cogi nequeunt, ſed ipſam faciunt propria ſua voluntate, mutuoque conſenſu. Dicitur etiam *conventionalis*, ob eandem rationem: fit enim non coactè, ſed ex mutua conventione partium, ac prout inter ipſas convenerit. Veruntamen etſi hujuſmodi Sequeſtratio cenſeatur voluntaria, ob rationem proximè dictam: nihilominus, ex quo ſemel mutuo partium conſenſu facta eſt, ampliùs ab ea recedere non licet. Nam, uti in contractibus humanis, qui ſimiliter mutuo partium conſenſu celebrantur, ita & impræſentiarum procedit illud vulgatum: *Quod à principio eſt voluntatis, ex poſt facto fit neceſſitatis*, juxta textum notabilem *in l. Sicut initio. Cod. de Action. & obligat.*

8 Atque ob eandem rationem etiam Sequeſter officium ſuum, quod ſemel ſuſcepit, amplius ſua ſponte deponere non valet, niſi juſta de cauſa, & interveniente authoritate Judicis, uti colligitur ex *l. Et apud quem. §. fin. ff. Depoſiti*: ubi Bartolus *in Summario.* Jaſon *in l. Si fidejuſſ. §. Si ſatiſdatum. n. 4. ff. Qui ſatiſdare cogantur*, & alii.

9 *Sequeſtratio neceſſaria* econtrà eſt illa, quæ fit authoritate, & mandato Judicis. Et dicitur *neceſſaria* quia fit ſine communi partium conſenſu: ac plerumque altera parte invita; ſimulque quia neceſſe habent partes litigantes tali Sequeſtro ſtare, eidemque obtemperare. Dicitur etiam *judicialis*, eò quòd fiat Judicis autoritate. Pirhing *h. t. n. 3.*

Quæ-

10 Quæritur II. Quot modis contingat fieri Sequeſtrationem neceſſariam? Reſp. cum communi. Sequeſtratio neceſſaria generatim fit dupliciter, nimirum vel motu proprio, ſive (ut vocant) ex officio nobili judicis, vel ad inſtantiam partis, ſeu ex officio judicis mercenario. Prius accidit, quando Judex ex ſua, ſive juris authoritate, ac veluti ex officio ſuo, ſic ſuadente bono communi facit ſequeſtrationem: etiamſi nemo eam petat: ut quia videt quamlibet partem contendere ſe poſſidere, & procedere cum armis ad eam manutenendam. Tunc enim, quia Judicis eſt obviare tantis malis Reipublicæ, communique civium quieti proſpicere, poteſt is ex officio ſuo nobili rem ipſam ſequeſtrare apud tertium, donec partes de ſuo jure debitas probationes depoſuerint. Archidiaconus *c. Quia res. 11. q. 1. n. 9.* Jo. Andreas *in Reg. Locupletari. n. 6. & 7. de Reg. Jur. in 6.* Abbas *in c. Dilectus. n. 12. h. t.* & alii.

11 Poſteriori modo, ſive ad inſtantiam partis, & officio judicis mercenario, variè contingit Sequeſtrationem fieri. Primò, ad petitionem Sequeſtri: quando videlicet Sequeſter, allegata legitima cauſa deſiderat liberari à ſuo officio; atque in hunc finem accedit Judicem, petendo, ut ex ejus ordinatione res ſequeſtrata apud alium deponatur, *l. Ei apud quem §. fin ff. Depoſiti.* Secundò, ad petitionem partis: & hoc adhuc dupliciter, nimirum aut de re litigioſa, aut de re non litigioſa.

12 Et quidem de re non litigioſa, Sequeſtratio ex duplici cauſa fieri poteſt: nempe vel ad conſervationem ſui juris (videlicet illius, qui petit à Judice fieri ſequeſtrationem ejuſmodi) vel ad evitationem alicujus oneris, ſeu præjudicii cæteroquin ſibi imminentis. Exemplum prioris habetur *in l. Cæteræ. & ſeqq. ff. Familiæ erciſcund.* ubi pro manutenendo jure plurium cohæredum, æquales partes habentium, ſequeſtrantur Tabulæ teſtamentariæ, ſi inter eos non convenerit, apud quem potius eſſe debeant. Exemplum poſterioris ponit Abbas *cit. c. Dilectus. n. 15. h. t.* in Debitore, qui vult ſolvere debitum, ſed Creditor non vult acceptare ſolutionem, aut non comparet, ut poſſit ipſi ſolutio fieri; vel ſi ex duobus uterque prætendit, ſibi debere fieri ſolutionem, & non alteri: nam Debitor ille poterit debitam pecuniam Judici conſignare, ut ejus authoritate ſequeſtretur, ſeu deponatur ad Ædem ſacram, ſive quemdam tertium, donec Creditor compareat, aut oſtendatur, cui ex duobus illis debeatur pecunia.

13 Cæterùm Sequeſtratio de re litigioſa poteſt variis modis intelligi fieri: quia vel poteſt peti pendente principali negotio, vel pendente negotio appellationis; idque adhuc diverſis modis, prout fuſiùs declarat Jo. Andreas *in cit. Locupletari. n. 8. de Reg. Jur. in 6.* Verùm his non videtur diutiùs inhærendum, eò quòd iſthæc ſequeſtratio neceſſaria regulariter ſit prohibita, prout illicò ampliùs dicetur. Unde

14 Quæritur III. An, & in quibus caſibus Sequeſtratio permittatur fieri? Reſp. I. Sequeſtratio voluntaria, ſeu quæ fit mutuo partium conſenſu, regulariter eſt permiſſa: nam poſſunt partes ſibi ipſis, ſi volunt, præjudicare, remque litigioſam, donec lis decidatur, apud tertium cuſtodiendam deponere. dummodò quid aliud non obſt. Ita Abbas *in c. Dilectus. n. 11. h. t.* Hoſtienſis *in Summa n. 4. h. t.* Gailus *lib. 1. Pract. Obſerv. 148. n. 7.* aſſerens, ſequeſtrationem, ſeu quæ fit ex voluntate ſive conſenſu partium, ſemper licitam eſſe, *l. Si ſolutus. ff. de Solutionib.* & alii. Idemque patet *ex l. Propriè. ff. Depoſiti & l. Intereſſe puto. ff. de Acquir. poſſeſſ. & l. Si ſoluturus. ff. de Solutionib.*

15 Reſp. II. Sequeſtratio neceſſaria, ſeu quæ fit authoritate Judicis, regulariter eſt prohibita. Ita Gloſſa *in can. Dilectus, v. Sequeſtrari.* & Abbas *ib. n. 7. h. t.* Gailus *lib. 1. Pract. Obſerv. 148. n. 1.* Sigiſmund. Scaccia *lib. 1 de Judiciis, c. 38. num. 4.* aſſerens, de hoc nulli eſſe dubium; & communis. Idque patet *ex L. un. C. de Prohibita ſequeſtr.* Concordat *c. 1. h. t.* ubi Innocentius III. revocavit ſequeſtrationem, quam Cæleſtinus Prædeceſſor ſuus fecerat *pro ſuo arbitrio*: hoc eſt, non juſtè, ut explicat Gloſſa *ib. v. Arbitrio*; & Hoſtienſis *in Summa; n. 4. h. t.* qui proinde Rubricam hujus Tituli ſic legit: *De Sequeſtratione poſſeſſionum, & fructuum generaliter prohibita.*

16 Accedit ratio. Tum quia non oportet judicium ab executione incoare, ſed oportet, ut Actor anteà de ſuo jure doceat; Reumque ſuper debito convincat, *cit. L. un. C. de Prohibit. ſequeſt.* Tum quia, priuſquam Actor docuerit de ſuo jure, præſumptio eſt pro Reo, *c. Ex litteris, de Probat. & L. ult. C. de Rei vendic.* Ergo non eſt turbandus Reus in ſua poſſeſſione vel ejus uſu, per ſequeſtrationem mandato Judicis factam; cùm lite pendente nihil ſit innovandum. Abbas *c. Dilectus n. 16. h. t.* & alii. Additur tamen notanter in data Concluſione, *regulariter eſt prohibita*, propter illicò dicenda: unde

Reſp. III. His tamen non obſtantibus dantur nonnulli caſus, in quibus æquitate ſic ſuadente (ne ſcilicet judicium reddatur eluſorium, & Actor re litigioſa per Reum jam dilapidata poſt obtentam in cauſa victoriam nihil obtineat; aut, ne alia graviora incommoda eveniant) Jus ipſum permittit, fieri ſequeſtrationem neceſſariam. Ita communis; & patet referendo principaliores hoſce caſus cum Gloſſa, *in c. Dilectus. v. Sequeſtrari. h. t.* & Abbate *ib. n. 7. & ſeqq.* & Hoſtienſi *in Summa. n. 4. eod.* Sannig *h. t. c. 3.* & aliis paſſim. Et quidem 17

I. Sequeſtratio neceſſaria poteſt ad inſtantiam alterius partis per Judicem fieri, quando Reus diſſipat fructus, quos conſervare debet: *c. Dilectus, & c. ult. h. t.* Et hic caſus comprehendit ſub ſe plures alios, ubi quis tenetur fructus conſervare, & tamen eos indebitè alienat, diſſipat, ſeu depopulatur; ut *can. Quoties poſt auditam. 2. q. 1.* juncta Gloſſa *v. Sequeſtranda.* ubi jubetur fieri ſequeſtratio, quando poſſeſſor victus appellat, & incipit diſſipare fructus, vel alienare. Si enim tunc ob talem ejus dilapidationem non poſſent durante lite fructus ſequeſtrari, hac ſententialiter deciſa Actor reportans pro ſe ſententiam finalem, nihil lucraretur niſi verba, dum fructus ab adverſario jam fuiſſent dilapidati: ne igitur iſtud fiat, tunc æquitate naturali ſic ſuadente Jura admittunt ſequeſtrationem. Quamquàm, ut fiat ſequeſtrum propter dilapidationem, oporteat hanc priùs probari, *arg. d. c. Dilectus. h. t.* ibi: *Si eſt ita.* ac notat Abbas *ib. n. 22.* 18

II. Sequeſtratio locum habet, quando petitur res mobilis, & perſona eſt ſuſpecta, quòd cum ea fugiat. Patet hoc *ex l. Si fidejuſſor §. Si ſatiſdatum. ff. Qui ſatiſdare cogantur*, ubi ejuſmodi res mobilis, quam quis à perſona ſuſpecta petit, authoritate Judicis deponenda dicitur apud Officium (hoc eſt, apud Officiales) donec vel ſufficiens detur ſatiſdatio, vel lis finem accipiat. Concordat textus *in l. Senatus Conſulto*, juncta Gloſſa *v. Et deponatur ff. de Officio Præſid.* Atque ſuadetur hoc ipſum ex æquitate naturali proximè inſinuata: nam Reo cum re mobili litigioſa aufugiente, redderetur pariter judicium eluſorium, cùm non ampliùs adeſſet, quod Actori in cauſa vincenti daretur. 19

Cæterùm, quòd perſona aliqua ſuper re mobili conventa cenſeatur ſuſpecta, ita ut ex hoc capite, ſive ad præcavendam fugam illius cum re litigioſa, licitè fiat ſequeſtratio: ex ſequentibus quatuor mediis probari poteſt, quæ enumerat Gloſſa *in cit. l. Si fidejuſſor. v. Officium. ff. Qui ſatiſdare cogantur*, quam approbat Bartolus *ibid.* & ſequuntur alii. Primum eſt, ſi perſona de fuga ſuſpecta, nulla poſſideat bona immobilia, argumento à ſenſu contrario deſumpto *ex l. Sciendum. §. 1. ff. Qui ſatiſdare cog.* Alterum eſt, ſi pauca immobilia poſſideat, ita ut reſpectivè inopia laborare videatur, *l. Si creditores. ff. de Privil. creditor.* Ad tertium medium probandi perſonam ſuſpectam, pertinent mores mali, quos perſona illa habet, eiſque ſeſe ſuſpectam reddit, *§. fin. Inſtit. de Suſpectis tutorib.* Quartum eſt, ſi priùs malè fecerit, aut malè adminiſtraverit, *c. Semel malus. de Reg. Jur. in 6. & l. Si cui. §. Eiſdem. ff. de Accuſation.* cum ſimilibus. 20

Porrò ad probandam perſonam ſuſpectam non eſt neceſſe, omnia iſta quatuor conjunctim haberi, imò quandoque ſufficit alterutrum eorum juxta materiam ſubjectam, aut alias circumſtantias, Abbas *in cit. c. Dilectus. n. 9. h. t.* & Bartolus *in cit. l. Si fidejuſſor. §. Si ſatiſdatum. ff. Qui ſatiſdare cogantur.* 21

III. Licitè fit ſequeſtratio, ſi timeatur de dilapidatione, *l. Imperatores. §. fin. ff. de Appellat.* ac notat Gloſſa, & Abbas *in d. c. Dilectus. n. 10. h. t.* junctis dictis ſuprà *n. 18.* Intellige tamen hunc caſum conformiter proximè dictis, quando rationabiliter timetur de ſecutura dilapidatione: & hoc vel ob præſentes malos mores perſonæ, vel quia antehac dilapidaverat. Alioquin enim nemo præ- 22



ſumitur malus, ſicque non habebit locum ſequeſtratio, niſi ſucceſſu temporis incipiat actu diſſipare bona, vel fructus illorum.

23 IV. In re dotali, & accedente alia juſta cauſa, locum habet ſequeſtratio. Nam ſi maritus vergat ad inopiam, aut vir nullius frugis dotem uxoris diſſipare incipiat, ſequeſtratur dos; prout notatur, & ampliùs dicitur *in c. Per veſtras. 7. de Donation. inter vir. & uxor. & l. Si cùm dotem. §. Si verò. ff. Soluto matrim.* cum aliis juribus à Gloſſa *in cit. c. Dilectus. verſ. Sequeſtrari. h. t.* relatis. Hoſtienſis *in ſumma n. 4. h. t.* & alii. Idipſum ſuadet æquitas naturalis: ne videlicet uxori innocenti graviſſimum præjudicium ex ſocordia, vel malitia viri inferatur, ſi dos ipſius non ſequeſtraretur.

24 V. Sequeſtratio procedit, quando appellatur ab executione ſententiæ diffinitivæ, eò quòd Executor modum executionis, ſive dictæ ſententiæ excedat. Et in tali caſu, ſi lis fuerat de re mobili, ea auferetur Reo, & apud ſequeſtrum idoneum deponitur, poſtmodùm reddenda ei qui obtinebit: ſi autem lis erat de re immobili, ſequeſtrantur fructus illius ſimiliter poſteà tradendi victori; Ita textus, & Doctores *in l. ab executore. C. Quorum appellat. non recip.*

25 VI. Fit ſequeſtratio, ſi quis de poſſeſſione ſervitutis proclamet in libertatem: nam ſequeſtrantur res illæ, quas habere videtur. Et hoc meritò: tum ne Dominus ejuſmodi res diſſipet: tum quia oportet anteà diſcutere, utrùm ejuſmodi res ſint Domini, vel potiùs ejus, qui dicit ſe liberum. Patet hoc *ex L. 3. C. Quibus ad libertatem proclamare &c. & L. 1. §. Super peculio. C. de Aſſertion. tollend.* & Gloſſa magna *in L. un. C. de Prohibit. ſequeſtrat.* & alia Gloſſa *in c. dilectus. verſ. Sequeſtrari.* & Abbas *ib. n. 10. h. t.* Hoſtienſis *cit. n. 4.* & alii.

26 VII. Si Colonus neget locationem, & contra Dominum ſuper dominio terræ litiget: tunc vel Colonus tenetur ſatiſdare de reſtituendis fructibus, ſi ſuccubuerit; vel fructus illi ſequeſtrantur uſque ad deciſionem cauſę, *l. Litibus, C. de Agricolis & cenſib. lib. 11.*

27 VIII. Si pendente lite ſuper valore matrimonii, ex parte mulieris timeatur de ſævitia viri: nec poſſit ſufficienter caveri, aut ſecuritati mulieris provideri: hæc non reſtituitur viro petenti, ſed ab eo potiùs amovetur; ſicque fit ſequeſtratio aliqua, *c. Litteris. 13. §. fin. de Reſtit. ſpoliat.*

28 IX. Si adeſt ſuſpicio, ſeu juſtus timor, ne ſponſæ, de cujus matrimonio contrahendo lis agitur, violentia quędam inferatur, ſicque conſenſus ejus non ſit omnino liber; vel ſubſit periculum, ne puella illa corrumpatur. Tunc enim debet Judex providere locum tutum & honeſtum, donec cauſa illa fuerit terminata; ſicque quodammodò fit ſequeſtratio ejus; *c. Cùm olim. 14. de Sponſal. & c. Cauſam matrimonii. 14. de Probat.* ubi talis puella jubetur poni in Monaſterio, quod anteà intraverat, ut ibi interim ſecurè valeat commorari. Gloſſa *in c. Dilectus. v. ſequeſtrari.* & Abbas *ib. n. 10. h. t.* Covarruvias *p. 2. de Matrimonio, c. 3. §. 6. n. 2.* iſtud intelligens, ſive inter duos viros ſit contentio de matrimonio contrahendo, vel contracto; ſive aliunde Judex intelligat, liberum puellæ conſenſum impediri, *L. 3. §. Hoc interdictum. ff. de Libero homin. exhibend.* Aloyſ. Riccius *p. 1. Praxis Matrimonial. Reſolut. 227. n. 1. & 2.* ubi addit, quod inter loca honeſta, in quibus interim reponi poſſit puella ſequeſtranda pro exploranda ſua voluntate, præter Monaſterium etiam connumeretur domus materna, niſi fortè inſtaret mater pro diſſolutione matrimonii, prout fuit deciſum in Rota *in una Romana matrimonii. 29. Aprilis 1579. coram Illuſtr. Blanchetto.*

29 Hoc ipſum extenditur ad Servos conquerentes de tyrannide Dominorum ſuorum, timeturque probabiliter, quòd hac occaſione Domini ſæviant in illos; *arg. L. 1. §. Quod autem. ff. de Offic. Præfecti Urbis. & §. Sed & major. Inſtit. De iis qui ſui vel alien. jur. ſunt.* Idem ob paritatem rationis ampliatur ad Religioſos, qui conqueruntur de ſuis Prælatis: quia etiam hos lite pendente debet Judex conſervare illæſos, & ſi opus fuerit, ſequeſtrare, *arg. c. Olim. 26. de Accuſation.* Abbas *cit. n. 10.*

30 X. Fit ſequeſtratio, quando aliquid dicitur fuiſſe ablatum illi, qui eſt de familia Judicis. Tunc enim, ne Judex judicet in facto familiæ ſuæ; ſicque evadat ſuſpectus, lis quidem conteſtatur; ſed res ablata, ſuper qua controvertitur, interim ſequeſtratur uſque in adventum Judicis ſucceſſoris, niſi ſufficiens ſatiſdatio fiat, *l. Senatus Conſulto. ff. de Offic. Præſid.*

XI. Fit quandoque ſequeſtratio fructuum rei petitæ ob contumaciam Rei; idque ob varias circumſtantias, talem ſequeſtrationem fieri poſtulantes: ut *c. Olim ex litteris. 25 de Reſcript. & c. Ex litteris. 2. de Dolo & contum.* eſtque ſuperiùs dictum ſupra *Tit. 14. de dolo & contumacia. n. 132. & 133.* Hos undecim caſus, in quibus æquitate ſic ſuadente habet locum ſequeſtratio, adducit Gloſſa *cit. c. dilectus, v. Sequeſtrari. h. t.* unà cum Authoribus hactenus allegatis, qui nonnullos alios caſus ſuperaddunt: unde 31

XII. Debet per Ordinarium loci fieri ſequeſtratio Beneficii Eccleſiaſtici, & fructuum Beneficialium, poſteà reddendorum obtinenti finalem in cauſa victoriam, quando contra poſſeſſorem Beneficii apud Sedem Apoſtolicam duntaxat in petitorio, vel poſſeſſorio, promulgata fuit una diffinitiva ſententia ſuper ipſo Beneficio (dum tamen triennio pacificè anteà ab eo poſſeſſum non fuerit) quamvis ab hac ſententia appelletur. Patet hoc *ex Clem. un. h. t.* ubi apertè ſic habetur deciſum. 32

XIII. Fit ſequeſtratio ob timorem ſcandali, vel metum, ne partes litigantes veniant ad arma, *arg. c. 1. & 2. de Purgat. vulgar. & l. Æquiſſimum. §. 1. ff. de Uſufruct.* Namque Judicis eſt, obviare malis & ſcandalis; nec pati debet ad arma & rixas procedere illos, quos juriſdictione ſua componere poteſt: hinc ſtantibus talibus periculis poteſt ex officio ſuo nobili rem controverſam ſequeſtrare apud tertium, atque à partibus probationes exigere, & juxta harum merita pronunciare. Abbas *cit. n. 12. h. t.* Pirhing *eod. n. 12.* & alii. 33

XIV. Sequeſtratio fieri poteſt, ne alioquin perdatur occaſio vendendi rem litigioſam, quæ ſervando ſervari nequit; ſicque peritura ſit, niſi vendatur, *l. Si oleum. ff. de dolo malo.* Hoſtienſis *in Summa, h. t. num. 4.* poſt Goffredum. 34

## §. II.

## De requiſitis ad Sequeſtrationem, & nonnullis aliis hanc concernentibus.

*SUMMARIUM.*

35 *Ut Judex motu proprio, ſeu ex officio nobili, procedat ad faciendam ſequeſtrationem, requiritur cauſa publica.*
36 37 & 38 *Et quæ requirantur, ut ad eam Judex procedat ex officio mercenario?*
*Debet ad ipſam citari pars adverſa, in cujus præjudicium petitur ſequeſtratio. n. 37.*
39 *Remedium juris evitandi ſequeſtrationem, regulariter eſt cautio ſufficiens de reſtituenda re litigioſa.*
40 *Imò per hanc etiam tollitur ſequeſtratio jam facta.*
41 *Fallit hoc in nonnullis caſibus.*
42 *In ſequeſtratione neceſſaria non tranſit poſſeſſio rei ſequeſtratæ in Sequeſtrum.*
43 *Idemque dicendum eſſe in ſequeſtratione voluntaria, probabilius eſt.*
44 & 45 *Iſtud probatur multipliciter.*
46 *Sed limitatur, quando apud Sequeſtrum depoſita eſt poſſeſſio rei.*
47 *Et quoties in ſequeſtratione voluntaria expreſſum fuit, ut tranſeat poſſeſſio in Sequeſtrum, Et n. 43.*

Quæritur I. Quæ requirantur, ut Judex poſſit procedere ad faciendam Sequeſtrationem? Reſp. I. Ut Judex motu proprio, ſeu ex officio nobili, procedat ad faciendam ſequeſtrationem, requiritur aliqua gravis & publica cauſa, redundans in bonum commune Reipublicæ, conformiter dictis ſuprà *n. 35.* 35

Reſp. II. Ut Judex ex officio mercenario, ſeu ad petitionem partis, procedat ad ſequeſtrationem faciendam, potiſſimùm requiruntur quatuor; ut notat Card. Tuſchus *in Litt. S. Concl. 203. n. 2.* citans Guidon. Pap. *dec. 246.* & Decium *Conſil. 356. n. 12.* & Rebuffum *de Sequeſtrat.* 36

*queſtr.* 1. *Gloſſ.* 2. *n* 3 idemque tradit Pirhing *h t n* 15. poſt Myninger. *Centur* 2. *obſerv.* 11 & Vulcejum *lib.* 2. *Juriſprud Roman.* c. 30 §. 6. Quia enim ſequeſtratio regulariter eſt prohibita. *L un. C. de Prohibita ſequeſtrat.* ac permiſſa ſolùm in caſibus ſpecialibus à Jure expreſſis, ideò, qui vult apponere, vel obtinere ſequeſtrationem, debet probare, ſe eſſe in caſu exceptuato, & permiſſo à Jure. Card. Tuſchus *l. c. Concl* 201. *n.* 2. citans alios. Ad hoc autem probandum plura requiruntur & præſertim quatuor mox enumeranda.

37 Primò quidem, ut Judici ſaltem ſummariè conſtet de jure petentis ſequeſtrationem. Secundò, ut citetur debitor, ſeu pars adverſa, in cujus præjudicium poſtulatur ſequeſtratio: alioquin ea non valet. Jaſon *l. Si fidejuſſor.* §. *Si ſatiſdatum. n.* 10 *ff. Qui ſatiſdar. cogant.* id limitans, niſi periculum ſit de fuga debitoris, ſecundum Innocentium *in c. Significavit. de Teſtib.* Ubi autem non eſt timor fugæ debitoris, non valet ſequeſtratio, niſi pars citetur, ut videre poſſit eam fieri: ſiquidem ſequeſtratio eſt ſpecies cujuſdam executionis; & quia pars cæteroquin lædi poſſet, ideò debet citari, ut *l. Nam ita Divus, ff de Adoption. & l. de unoquoque, ff de Re judicat.*

38 Tertiò ad faciendam ſequeſtrationem officio mercenario Judicis requiritur, ut eam poſtulans juret de calumnia, hoc eſt, ut juratus affirmet, ſe non calumniæ, aut æmulationis gratia, ſed pro ſuo jure conſervando ipſam petere. Quartò, ut adſit aliqua ſuſpicio contra debitorem: putà, quòd alioquin dilapidatis v. g. bonis non eſſet ſatisfactionem præſtiturus: nam ceſſante tali ſuſpicione contra debitorem; vel præſtita idonea cautione, non eſſe ſequeſtrationem faciendam, illicò magis declarabitur. Unde

Quæritur II Utrùm ſuppetat aliquod remedium juris evitandi Sequeſtrationem in caſibus ſuprà ſpecificatis? Reſp. Affirmativè. Nam tale remedium regulariter eſt ſufficiens cautio, ſeu ſatiſdatio de reſtituenda re litigioſa, vel fructibus ipſius, in caſu, quo pars adverſa finalem obtinuerit victoriam. Patet hoc *ex l. Senatus. Conſulto. ff Qui ſatiſdare cogantur.* Abbas *in c. Dilectus. n.* 19. *h. t.* Felinus *in c. Examinata. n.* 10. *de Judiciis.* Sannig. *h. t. c* 4. *n.* 1. & alii.

40 Atque hoc extenditur, adeo ut ſequeſtratio jam facta denuò revocetur, ſeu tollatur per ejuſmodi ſufficientem cautionem, ut putà, fidejuſſionem; dummodò datus fuerit fidejuſſor idoneus. Patet hoc *ex l. Si fidejuſſ.* §. *fin. ff. Qui ſatiſdar. cogant.* & notat Bartolus *ib. in Summario.* Oldradus *Conſil.* 24. *in princ.* Card. Tuſchus *Litt. S. Concl.* 212 *n.* 1. citans alios.

41 Additur notanter in data Concluſione, *tale remedium regulariter eſt*. Fallit enim in nonnullis caſibus, utpote in quibus vel ejuſmodi cautio, & ſatiſdatio non habet locum, vel per eam non ſufficienter providetur incommodis. Sic fit *in Clem. un h. t.* ubi, ne vitioſus poſſeſſor (id eſt, ille, qui in Romana Curia jam reportavit unam ſententiam diffinitivam ſibi contrariam, ſicque præſumptivè cenſetur poſſeſſor vitioſus) poſſeſſioni Beneficii Eccleſiaſtici ulteriùs incumbat, præbeaturque materia illicitæ occupationis, locum non habet ſatiſdatio; ſed per Ordinarium loci interim ſequeſtrandum eſt Beneficium in aliam idoneam perſonam, quæ plenam de ipſo curam gerat, ejuſque jura exerceat. Textus, & Gloſſa *ibid. v. Beneficium* Abbas *l. c. n.* 24. Felinus *ubi ſuprà*, ſubjungens quaſdam alias hujuſmodi fallentias, ac præſertim illam, quando fit ſequeſtratio ob timorem ſcandali: nam timor ille per ſatiſdationem non tollitur.

42 Quæritur III. Utrùm poſſeſſio rei ſequeſtratæ tranſeat in Sequeſtrum? Reſp. I. Loquendo de ſequeſtratione neceſſaria, ſeu authoritate Judicis facta, conveniunt Doctores, per eam non transferri poſſeſſionem in Sequeſtrum. Ratio eſt: quia hæc fit ſolummodò cuſtodiæ cauſa: ut *c. Dilectus. h. t. & l. Poſſideri autem.* §. *fin. & l. Intereſſe puto. ff. de Acquirend. poſſeſſ.* cum concordantiis. Felinus *in c. Examinata. n.* 10. & Abbas *ibid. n.* 14. *de Judiciis*; quamquàm Barboſa *in cit. c. Examinata.* 10. allegans plures alios, rectè iſtud limitet, niſi expreſsè per Judicem actum fuerit, ut tranſeat poſſeſſio in Sequeſtrum. Hoc ipſum, atque ſub eadem limitatione, tradit Bartolus *in cit. l. Intereſſe.* §. *Item quæro. ff de Acquir. poſſ.* §. dictam limitationem probans *ex c.* 1. *de ſequeſt. poſſ.* ubi apparet, aliam fuiſſe voluntatem Judicis, ſeu Papæ ſequeſtrantis.

43 Reſp. II. Probabilius eſt, quòd etiam in ſequeſtratione voluntaria non tranſeat poſſeſſio in Sequeſtrum, quoties non de poſſeſſione ipſa, ſed ſolùm de proprietate contenditur: niſi aliud fuerit expreſſum. Ita Felinus *in cit. c. Examinata. n.* 10. *de Judiciis*, allegans pro ſe Franciſcum Aretinum *ibid.* Idemque tenet Zoeſius *h. t. n.* 3. *& tit. Depoſiti. ff. n.* 35. Pirhing *h. t. n.* 2. contra Gloſſam *in c.* 1. *v. Sequeſtrari.* & Abbatem *ibid n.* 19. *h. t.* Bartolum *in l. Intereſſe. ff de Acquir. poſſeſſ.* Alexandrum *Conſil.* 94. *n* 5. *vol.* 5. Gailum *lib.* 1. *Practic. Obſerv.* 148. *n.* 8. & Barboſam *in cit. c. Examinata. n* 10. *de Judic.* ubi ait, Doctores communiter diſtinguere inter ſequeſtrationem voluntariam, ſeu de conſenſu partium factam, in qua inquiunt poſſeſſionem tranſire in Sequeſtrum, juxta *l. Licèt*, §. *Rei depoſitæ. ff Depoſiti*; & inter neceſſariam, quæ fit jubente Judice, & in qua negant poſſeſſionem tranſire in Sequeſtrum, niſi id expreſsè actum fuerit, *l. Intereſſe. ff. de Acquir. poſſeſſ.* Verùm licèt hæc ſententia, ſeu diſtinctio, videatur communior inter Doctores; quia tamen non ex multitudine Authorum judicandum eſt, *L.* 1. §. *Sed neque C. de Veteri Jure enucleand.* ſed potiùs ex ſoliditate fundamentorum, ac Jurium allegatorum: hinc

44 Probatur Concluſio. Quia ſequeſtratio rei de partium conſenſu poteſt fieri & cauſa cuſtodiæ, & animo amittendi poſſeſſionem *l. Intereſſe puto. ff. de Acquir. poſſeſſ.* ergo in dubio, ac niſi aliud expreſſum fuerit, cenſetur facta ſolummodò cuſtodiæ cauſa. Probatur conſequentia. Tum quia non eſt veriſimile, quòd quis velit amittere commodum poſſeſſionis, niſi id exprimat *cit. l. Intereſſe puto.* ubi tunc demùm poſſeſſio rei ſequeſtratæ amitti cenſetur, quando *apud Sequeſtrum res deponitur dimittendæ poſſeſſionis cauſa, & hoc apertè fuerit approbatum.* Tum quia non præſumitur quis facilè res ſuas jactare, & indebitè effundere, *l. Cùm de indebito. Verſ. Qui enim ſolvit. ff. de Probat.* Gloſſa *in c. Quia veriſimile. verſ. Conceſſerit. de Præſumpt.* Maſcardus *Concl* 555. *n.* 1. & 2. *de Probation.* ergo nec abjicere poſſeſſionem, ejuſque commoda, niſi exprimat. Tum tandem, quia niſi aliud exprimatur, procedit textus *in l. Propriè ff. Depoſiti*, ibi: *Propriè in ſequeſtro eſt depoſitum, quod à pluribus in ſolidum certa conditione cuſtodiendum, reddendumque traditur.* Ubi ſermonem eſſe de ſequeſtratione voluntaria, convincunt verba illa, *quod à pluribus cuſtodiendum traditur*: ſimulque in his ipſis benè ponderandum eſt ly, *cuſtodiendum*; nam hinc ſequitur, potiùs cenſeri rem ejuſmodi eſſe traditam cauſa ſolius cuſtodiæ, & non animo transferendi poſſeſſionem; Idipſum deſumitur *ex c. Examinata.* 15. *de Judiciis.* juncta Gloſſa *v. Poſſidebas*: ubi quis legitur poſſediſſe Eccleſiam, haud obſtante, quod eam alius tanquam ſequeſtratam accepiſſet.

45 Confirmatur, & probatur Concluſio à ſimili: quia pignus conventionale, quamvis detur in favorem Creditoris, ac pro ejus ſecuritate, non transfert veram poſſeſſionem à Debitore in Creditorem, *l. Qui pignoris. ff. de Acquirend. poſſeſſ.* ergo multò minus eam transfert ſequeſtratio voluntaria, ſeu conventionalis, niſi aliud exprimatur. Hic enim deponitur res apud tertium, qui eſt nudus miniſter ad commodum alterius, abſque ullo reſpectu ad proprium favorem; qualis tamen in pignore attenditur.

46 Dices. *In l. Licèt. ff. Depoſiti*, ſic habetur expreſſum: *Rei depoſiti proprietas apud deponentem manet, ſed & poſſeſſio: niſi apud ſequeſtrum depoſita eſt: nam tunc demum ſequeſter poſſidet*; ergo revera in ſequeſtratione voluntaria transfertur poſſeſſio. Ad hoc principale fundamentum contrariæ ſententiæ reſpondetur, neg. conſequentiam, ſub datis in Concluſione limitationibus: nam Lex allegata procedit in caſu, quo *apud ſequeſtrum depoſita eſt poſſeſſio*; prout ſonant verba ejuſdem. Hunc autem caſum data Concluſio noſtra expreſsè excipit, quia ultrò in ea conceditur, quòd propter incertitudinem poſſeſſionis, quolibet ſe poſſidere contendente, ſi fiat voluntaria, ejus ſequeſtratio in tertium, neque aliud exprimatur, cenſeatur (Jure ſic interpretante) de communi partium conſenſu tranſacta poſſeſſio rei in Sequeſtrum, & is uſque ad terminationem litis poſſidere permittatur, ita tamen, ut poſteà rem illam victori in cauſa reddere teneatur.

At-



47 Atque hoc ipſum procedit, ultròque fatetur Concluſio, quoties in ſequeſtratione voluntaria expreſſum fuit, ut tranſeat poſſeſſio in Sequeſtrum; ſicque neutri litigantium exinde aliquod commodum, ut puta jus uſucapiendi, ſeu præſcribendi, vel hujuſmodi obveniat. Quia enim quilibet poteſt renunciare juri ſuo, etiam certo, *c. Si diligenti.* 12. *de Foro compet.* quantò magis poterunt ambæ partes mutuo conſenſu renunciare juri incerto poſſeſſionis, & commodorum ejus, ſi quod in re controverſa haberent? Hinc tamen non ſequitur, quòd ſemper per ſequeſtrationem voluntariam transferatur poſſeſſio in Sequeſtrum, etiam ubi conſtat de poſſeſſione, & ad quem hæc pertineat; & ſolùm controvertitur ſuper proprietate rei, ſimulque illud expreſſum non fuit: in quo caſu loquitur data Concluſio, quæ ſic explicata forſan nec à Doctoribus in contrarium allegatis negatur, cùm ſolùm videantur loqui in caſu *cit. l. Licèt. ff. Depoſiti*, utpote quam pro ſe ſolent allegare.

# TITULUS XVIII.

## De Confeſſis.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*

1 POſtquàm pluribus præcedentibus Titulis actum eſt de iis, quæ pertinent ad formam, & modum ordinandi Judicii: pergit Compilator agere de modis, quibus cauſa inſtruitur; & ſic tractat nunc de meritis cauſæ; ſeu de Probationibus in genere, & ſpecie. Præmittitur autem præſens Titulus *De Confeſſis*: ſiquidem per propriam adverſæ partis Confeſſionem relevatur litigans ab onere probandi, prout ampliùs patebit ex dicendis. Hinc ſit

### §. I.

### De natura, & diviſione Confeſſionis, ejuſque requiſitis.

*SUMMARIUM.*

2 *Hic non eſt ſermo de confeſſione generaliſſimè ſumpta.*
3 *Confeſſio, quantùm ad propoſitum, quid?*
4 *Confeſſio judicialis, quæ?*
5 *Poteſt in jure tripliciter fieri.*
6 *Facta coram Judice non legitimo, an teneat?*
7 *Utrum debeat fieri coram Judice pro Tribunali ſedente?*
8 *Confeſſio extrajudicialis, quæ?*
9 *Facta coram Notario an cenſeatur judicialis? Et nu. præced*
10 *Confeſſio facta coram Arbitratore eſt extrajudicialis.*
11 *Secùs ſi fiat coram Arbitro.*
12 *Confeſſio, an ſit ſpecies Probationis? Et rationes affirmativam tenendi.*
13 *Propriè non eſt probatio, ſed probationis relevatio. Et n. ſeq.*
14 *Referuntur caſus, in quibus non admittitur probatio, benè tamen confeſſio.*
15 & 16 *Solvuntur rationes ſententiæ affirmativæ. Et n ſeq.*
*Dictio* Niſi *aliquando non capitur exceptivè, ſed determinativè.*
17 *Ad validam confeſſionem plures requiruntur conditiones. Et n. ſeqq.*
18 *I. Ut confeſſus ſit major viginti quinque annis.*
*Et quid de confeſſione Pupillorum, & Minorennium? Ibid.*
19 *II. Ut confeſſio ſponè fiat.*
*Et quid de confeſſione vi tormentorum extorta? Ibid.*
20 *III. Ut confeſſus ſit ſanæ mentis, non furioſus, non phreneticus.*
21 *Et quid de confeſſione, & accuſatione, facta calore iracundiæ.*
22 *IV. Ut confeſſio ſit contra ſe, ſive ad ſe obligandum alteri.*
*Confeſſio pro ſe, ſive ad obligandum alterum ſibi, non valet. Ibid.*
23 *Ne quidem in mortis articulo.*
24 *Nec probat confeſſio unius in præjudicium alterius.*
25 *Putà, confeſſio mariti de dote recepta in præjudicium creditorum.*
26 *V. Ut confeſſio fiat in judicio.*
27 *VI. Et præſente adverſario. Ibid.*
28 *VII. Ut non ſit facta de re litigioſa.*
29 *IX. Ipſique favor non repugnet. Et n ſeqq.*
30 *Confeſſio contra valorem matrimonii non valet.*
31 *Benè tamen pro matrimonio.*
32 *Ut confeſſioni nec jus, nec natura repugnet.*
33 *Idque exemplificatur.*
34 *Aliæ conditiones ad validam confeſſionem requiſitæ. Remiſſivè.*

2 QUæritur I. Quid, & quotuplex ſit Confeſſio? Ubi prænotandum, quòd impræſentiarum ſermo non ſit de Confeſſione generaliſſimè ſumpta, & prout ſub ſe complectitur tam confeſſionem laudis, qua fatemur Divinas perfectiones, Deumque laudamus, quàm confeſſionem propriorum peccatorum; in quo ſenſu D. Auguſtinus *Serm.* 8. *de Verbis Domini* loquitur; dicens: *Confitemur ergo, ſive laudantes Deum, ſive accuſantes noſmetipſos. Pia eſt utraque confeſſio. ſive cùm te reprehendis, qui non es ſine peccato; ſive cùm illum laudas, qui non poteſt habere peccatum.* Igitur in propoſito duntaxat ſermo eſt de Confeſſione, prout hæc deſervit pro deciſione cauſarum in Judiciis agitatarum. Quo prænotato

3 Reſp I. *Confeſſio*, quantùm ad propoſitum, eſt ejus, quod ab adverſario intenditur, in judicio, vel extra illud facta aſſeveratio, Ita in re communis. Ubi ly *aſſeveratio* eſt genus, & reliqua habent rationem differentiæ; Additur verò, *in judicio vel extra illud*: quia duplex eſt hujuſmodi Confeſſio, una judicialis, & altera extrajudicialis: quod ut meliùs intelligatur,

4 Reſp. II. *Confeſſio judicialis* dicitur ea, quæ fit in judicio: ſive, eſt certa & clara aſſeveratio ejus, quod ab adverſario intenditur, facta in jure coram legitimo Judice. Ita Antonius Nebriſſenſis *in Vocabulario Juris, v. Confeſſio.* Dicitur *in jure*: hoc eſt, in loco, ubi jus redditur; ſeu, in judicio coram competenti Judice pro tribunali ſedente: ſive dein lis fuerit conteſtata, ſive non, juxta dicta ſuperiùs *Tit.* 1 §. 1 *n.* 24.

5 Atque talis Confeſſio in jure, poteſt fieri tripliciter; prout notat Gloſſa *in c. Nullus dubitat. V. Confitetur.* & *Abbas ibid. n.* 2. *de Præſumpt.* primò, ore: ut dum quis oretenùs, ſeu verbis, confitetur intentionem adverſarii: quo etiam ſpectat confeſſio in ſcriptis facta, *can. Si quandoque.* 16 *q* 1. Secundò, rei evidentia, quæ tergiverſatione aliqua celari non poteſt, *c ult. de Cohabit. Cleric. & can. Priuſquàm. diſt.* 28. Tertiò, interpretativè: ut ſi quis legitimè citatus contumaciter ſe abſentet. *cit. c. Nullus dubitat. de Præſumpt. & can. Decernimus.* 3. *q.* 9. Aut, ſi Reus petitus juramentum præſtare recuſet, *c. ult.* §. *fin. de Jurament. calumn.* & hujuſmodi.

6 Dicitur ulteriùs in data Confeſſionis judicialis definitione, *coram legitimo Judice.* Nam, ut *in c. At ſi Clerici.* 4. *de Judiciis*, loquitur Pontifex, *Sicut ſententia à non ſuo judice lata non tenet, ita nec facta confeſſio coram ipſo*: ac proinde ipſa non erit judicialis. Quamquàm extrajudicialis confeſſio cenſeri poſſit, & habeat nonnullos effectus, ſuprà *Tit.* 1. *De Judiciis.* §. 4 *n.* 89. jam explicatos.

7 Et additur, *pro Tribunali ſedente &c.* Quia non cenſetur confeſſio facta in jure, ſive judicio, quando fit in præſentia

ſentia Judicis quomodocumque: ſed oportet, quòd is ſedeat pro Tribunali, *arg. l. Jus pluribus. ff. de Inſtit. & jur. & can. Deus omnipotens. §. Quando autem. 2. q. 1.* juncta Gloſſa ℣. *Judicis*; ac notat Abbas *in cit. c. At ſi Clerici n. 6. de Judic.* Qui tamen, una cum aliis proximè allegatis Doctoribus, notanter ſubjungit, iſtud intelligendum eſſe *in cauſis requirentibus plenam diſcuſſionem*, ſive plenam probationem: nam, quando non requiritur plena cauſæ cognitio, ſed ſufficit ſemiplena ejus diſcuſſio, ac probatio; tunc etiam dicitur confeſſio fieri in jure; quando ea fit coram Judice, licèt is pro tribunali non ſedeat, ſed ſtet, aut deambulet in loco judicii, juxta textum notabilem *in l. Voluit ff. de Interrog. actionib.* juncta Gloſſa ℣. *In itinere*, Summario, & Bartolo *ibid.* & Abbate *cit. n. 6.* Concordat Gloſſa *in L. un. C. h. t.* & Gonzalez Tellez *in c. 1. n. 4. eod.* ubi rejecta contraria ſententia docet, ly *confeſſum in jure*, intelligendum eſſe pro ly, *confeſſum in quovis loco, ubi Judex adfuerit judicandi cauſa* de eo, de quo fit confeſſio, ſive domi, ſive in itinere. Facit ad iſtud *Clem. Sæpè contingit § fin. de Verb. ſignif.* ubi dicitur, Judicem in cauſis ſummariè, ac de plano tractandis, poſſe procedere ſententiamque ferre non ſolùm ſedendo pro Tribunali, ſed etiam (*prout magis ſibi placuerit*) ſtando: nec tamen ullus negavit, in hiſce cauſis dari confeſſionem judicialem.

8 Reſp. III. *Confeſſio extrajudicialis* econtrà eſt, quæ apud probos & fide dignos homines fit extra judicium. Qualis etiam cenſetur ea, quæ fit coram Judice incompetente, juxta dicta *n. 6.* Item & illa, quæ fit coram Notario, etiamſi fiat altera parte præſente, ſi non adſit Judex pro Tribunali ſedens. Abbas *in c. At ſi Cleric. n. 6. de Judiciis*. Maſcardus *de Probationibus, Concl. 344. nu. 7.* Maranta *p. 6. Speculi Aurei. tit. de Confeſſione. n. 30.* qui iſtud intelligunt in cauſis plenariam diſcuſſionem requirentibus, conformiter dictis *n. præc.* Barboſa *in cap. Ex parte n. 8. h. t.* citans plurimos alios.

9 Notat tamen Pirhing *h. t. n. 2.* poſt Hiltropium *in Proceſſu judiciario, p. 3 tit. 17. de Confeſſis, n. 5.* quòd defactò ex recepta conſuetudine Confeſſio apud Protocollum coram Notario recepta, cenſeatur judicialis: ſiquidem plerique actus legitimi, qui in judicio coram Judice expediuntur, etiam coram Notario hodie expediri poſſunt, & eandem vim habent. Hinc in ſimili Bartolus *L. un. §. Tertiò nota. C. de Confeſſis*, meminit cujuſpiam Statuti, vi cujus confeſſio facta coram Notario, videtur facta coram Judice. Igitur præmiſſa Abbatis, & aliorum opinio, defactò intelligi debet de ſimplici Tabellario, non fruente privilegiis publicorum Notariorum.

10 Inſuper Confeſſio extrajudicialis cenſetur ea, quæ fit coram Arbitratore: ut tradit Alexander *Conſil. 13 n. 7. vol. 1.* Maranta *l. c. n. 31.* Maſcard. *cit. Concl. 344. n. 9.* & alii. Siquidem coram Arbitratore non eſt judicium, *arg. Auth. Ut differentes judices &c.* juncta Gloſſa ℣. *Conventum*. Bartolo. & DD. *ibid. Collat. 9.* & Innocentio *in c. Quintavallis. de Jurejur.*

11 Secùs eſt in confeſſione facta coram Arbitro. Nam quia hodie arbitria ſunt redacta ad ſimilitudinē judiciorum, *L. 1. ff. de Receptis arbitris*: haud immeritò confeſſio coram Arbitro facta cenſetur judicialis, quando ipſe proceſſit juris ordine ſervato. Bartolus *L. un. in fin. C. de Confeſſ.* Maſcardus *l. c. n. 10.* Maranta *cit. n. 31.* Pirhing *h. t. n. 2.* & alii ab his citati; quamvis nonnulli contradixerint. Idque ulteriùs probatur *ex c. Præſentata. 50.* juncto Summario, & DD. *de Teſtib.* Ubi atteſtationes receptæ per Arbitrum, fidem faciunt in judicio, quando teſtes mortui ſunt: ſi autem vivunt, eſt in optione illius, contra quem teſtes producti fuerunt, an velit atteſtationes illorum recipere, vel has reſpuendo conſentire, ut iidem teſtes admittantur iterum ad teſtificandum. Idipſum expreſſe habetur deciſum *in L. ult. C. de Teſtib.*

12 Quæritur II. Utrùm Confeſſio ſit ſpecies Probationis? Ratio dubitandi, & affirmativam tenendi, deſumitur imprimis ex illo vulgato axiomate: *Propria confeſſio, eſt optima probatio*. Nam nulla eſt major probatio, quàm proprii oris confeſſio; ut inquit Maranta *cit. tit. de Confeſſione, n. 21.* Imò dicitur pleniſſima probatio; ut notat Petr. Philip. Corneus *Conſil. 261. vol. 4.* Unde quòd Confeſſio numeretur inter genera Probationum, notat Gl. *in L. 1. ℣. Quemadmodum. C. de Edendo.* Maranta *l. c. n. 1.* Eamque propriè eſſe probationem, cenſet Aretinus *in Rubr. infrà de Probat.* & Salicetus *in Rubr. C. de Probat.* quos pro hac ſententia citat Jaſon *in l. Cùm te tranſegiſſe. n. 11. de Tranſact.* Accedit textus *in c. 1. h. t. in 6.* ubi dicitur, quòd poſitiones negativæ *probari non poſſunt, niſi per confeſſionem adverſarii*: & ſic dictio, *Niſi*, ſtat exceptivè. Atqui exceptio debet eſſe de regula, ſeu debet contineri ſub generalitate verborum in regula expreſſorum: ut putà, ſi regula eſt de homine, etiam exceptio debet eſſe de homine, & non de bove vel aſino, aut alia ſpecie animalium. Dynus *ad Rubr. de Reg. Jur. in 6. n. 15.* Bartolus *in l. Si cum. §. Qui injuriam. ff. Si quis cautionibus* & alii. Ergo & confeſſio debet eſſe de genere probationum; alioquin fruſtrà *in cit. c. 1. h. t. in 6.* exciperetur. His tamen non obſtantibus

13 Reſp. Confeſſio propriè non eſt probatio, ſed probationis relevatio. Ita Gloſſa, & Abbas *ad Rubric. h. t.* & idem Abbas *ad Rubric. tit. de Probation. n. 3.* Archidiaconus *can. Accuſator, 6. q. 5. n. 2.* Jaſon *l. c. n. 9. & ſeqq.* hanc appellans communem ſententiam. Antonius Burgos *in Repetit. c. At ſi Clerici. n. 11 & ſeqq. de Judiciis*, & alii. Fundamentum hujus Concluſionis deſumitur imprimis ex definitione utriuſque. Nam, quando volumus oſtendere proprietatem rerum, confugimus ad earum definitionē: atqui alia eſt definitio Confeſſionis, alia Probationis: hæc enim: eſt rei controverſæ per legitima argumenta facta oſtenſio. Confeſſio autem eſt ejus, quod ab adverſario, intenditur, in- vel extra judicium, facta aſſeveratio; ergo. Accedit textus *in c. Cùm cauſa. 5. de raptorib.* ubi clarè diſtinguitur inter probationes, & confeſſionem, tanquam inter diverſa, illis verbis: *Si vel ex probationibus, vel ex mulieris confeſſione claruerit*: & conſequenter Confeſſio inter Probationes propriè non connumerantur. Unde & diverſæ Rubricæ de his in Jure extant. Nec immeritò priùs in ſpecie agitur de Confeſſione, quàm in genere de Probationibus: tum quia confeſſio potiùs eſt relevatio probationis, quàm vera probatio: tum ne alioquin illam ſub probationibus, velut ſpeciem ſub genere, contineri videatur.

14 Accedit, quòd poſt Concluſionem in cauſa non admittatur probatio aliqua, *c. Cùm dilectus. 9. de Fide inſtrument.* benè tamen confeſſio partis, *c. cùm Joannes. 10. § Porrò eod.* Inſuper contra præſumptionem juris & de jure, non admittitur probatio in contrarium, *c. Is qui fidem. 30.* juncta Gloſſa *ibid. verſ. Contra præſumptionem. de Sponſalib.* benè tamen contra eam admittitur confeſſio partis, pro qua erat præſumptio. Felinus *in c. Quoniam contra. n. 30 de Probation.* poſt Gloſſam *in l. In contractibus. verſ. Nullo modo. C. De non numerat. pecun.* & alios. Unde conſequens eſt quòd Confeſſio propriè non ſit Probatio, ſed potiùs relevatio probationis: adeòque, quòd in Statuto faciente mentionem de Probationibus, in materia odioſa non comprehendatur Confeſſio. Abbas *ad Rubr. tit. de Probat. n. 3.* Jaſon *ubi ſuprà, n. 9.*

15 Ad rationes dubitandi *n. 12.* allatas dici poteſt, confeſſionem imprimis meritò appellari *optimam probationem*, cùm ſit ulterioris probationis, cæteroquin per Actorem faciendæ, relevatio. Qua ratione etiam confeſſio judicialis rectè vocatur *pleniſſima probatio*, utpote poſtquam alia probatione opus non eſt; eò, quòd confeſſi in jure, pro judicatis habeantur, *L. 1. ff. de Confeſſis*, cum ſimilibus. Ad Gloſſam *in L. 1. C. de Edendo*, reſpondetur per idem: quin & tum ipſi Gloſſæ, tum Authoribus in contrarium ſtantibus, opponitur alia Gloſſa unà cum Authoribus pro Concluſione *n. 13.* jam allegatis.

16 Ad *c. 1. h. t. in 6.* reſpondetur cum Jaſone *in cit. l. Cùm te tranſegiſſe. n. 9. & 10. C. de Tranſact.* per illud inter alia probari Concluſionem noſtram. Ibi ſiquidem apertè dicitur, quòd *poſitiones negativas* (*quæ probari non poſſunt, niſi per confeſſionem adverſarii*) *judices admittere poſſint*; ſicque confiteri per partes, etſi non probari; ergo hoc ipſo confeſſio, non eſt propriè probatio. Nec urget dictio *Niſi*, quæ videtur eſſe exceptiva. Nam, quia in multis confeſſio aſſimilatur probationi, imò eſt melior iſta, & ipſius probationis relevatio: non fruſtra Pontifex appoſuit ly, *Niſi per &c.* Accedit, quòd aliquando dictio *Niſi* non capiatur exceptivè, ſed determinativè, *arg. cap. Abbate ſanè. §. Secùs autem. de Sentent. & re judica. & cap. Conſultationibus. 10. in fin. de Offic. Delegat.* & notat Anton. Burgos *ubi ſuprà, n. 15.* poſt Jo. Andream, & Dominicum *in cit. c. Abbate ſanè*. Atque hac ratione, ſeu determinativè ſolùm, capiendo ly *Niſi*, corruit totum fundamentum contrariæ ſententiæ, *ex cap. 1. h. t. in 6.* deſumptum.



17 Quæritur III. Quænam requirantur ad validam Confeſſionem præſertim judicialem? Reſp. Plures ad hanc requiruntur conditiones; adeò, ut Gloſſa *in c. ult. verſ. Confeſſus*, & Abbas *ibid. à n. 6. uſque ad n. 16. h. t.* decem earum enumeret, quas dicta Gloſſa melioris memoriæ gratia ſequentibus verſiculis comprehendit.

*Major, ſpontè, ſciens, contra ſe, ubi jus fit, & hoſtis.*
*Certum, liſque, favor, jus nec natura repugnet.*

His nonnulli quaſdam alias ſuperaddunt conditiones; prout videre eſt apud Hoſtienſem *in Summa, h. t. n. 1.* Joſeph Maſcardum *de Probationibus, à Concl. 344. uſque ad Concl. 392.* fuſiſſimè materiam de Confeſſione pertractantem, & alios. Earum præcipuas, & juxta ordinem in præallegatis Gloſſæ verſiculis obſervatum, juvabit breviter huc allegare.

18 I. Conditio ad confeſſionis validitatem requiſita, denotatur per ly, *Major*: hoc eſt, ut confeſſus exiſtat major viginti quinque annis. Siquidem confeſſio à Pupillo facta ſine Tutoris authoritate, ipſo jure nulla eſt, & invalida, *l. Certum. §. In pupillo. ff. de Confeſſis*: nam ætas impuberum quid videat, ignorat, *L. 1. C. de Falſa monet.* Puberum autem, ſeu Minorennium, confeſſio mero quidem jure valet, tamen ipſi graviter læſi adversùs eam reſtituuntur, *cit. l. Certum. §. In pupillo. ff. de Confeſſis*. Et hæc præcipuè locum habent in cauſis civilibus: nam de cauſis eorum criminalibus, patet ex dictis ſuprà *Tit. 1. de Judiciis. §. 6. n. 156. & 159.*

19 II. Conditio in allegatis verſiculis per ly *Spontè* denotata, conſiſtit in hoc, quòd confeſſio fiat ſpontè, & non coactè, *c. Lotharius. 31. q. 2.* Gloſſa, & Abbas, *ubi ſup.* & alii. Unde ſi quis præ magna anguſtia tormentorum confiteatur, non nocet ei talis confeſſio, niſi in ea perſeveraverit poſt depoſitionem tormentorum, *L. 1. §. Divus Severus* juncta Gloſſa *verſ. Pro exploratis. ff. de Quæſtionib.* Hoſtienſis *cit. n. 1. verſ. Spontè*. Maſcardus *Concl. 553. n. 1. & ſeqq.* fuſiùs hanc materiam declarans.

20 III. Indicatur per ly, *Sciens*: hoc eſt, quòd confeſſus ſit ſanæ mentis, & compos rationis, ac proinde ſciat quid agat. Unde ſi furioſus confiteatur, non valet ejus confeſſio; cum nullum negotium contrahere poſſit, *l. In negotiis. ff. de Reg. Jur. & can. Sicut tenor. 15. de Regularibus* cum ſimilibus. Idemque dicendum de phrenetico mente alienato, *c. ult. de Succeſſionib. ab inteſtat.*

21 Atque hoc ampliatur ad confeſſionem, quæ eſt facta calore iracundiæ: quia non nocet, niſi detur perſeverantia in ea. Textus eſt *in l. Quidquid calore. ff. de Reg. Jur. & l. Divortium non eſt. ff. de Divort.* Exemplum hujus refertur *in c. Ex litteris. 5. de Divort.* ac notat Gloſſa *verſ. Admonita.* & Abbas *n. 20. ibid.* & Aloyſ. Riccius *Praxis part. 1. reſolut. 583. n. 4.* illud extendens ad accuſationem factam calore iracundiæ; quia debet per Judicem aboleri, *L. 2. C. de Abolition.* Nec immeritò: quia homo vehementi calore iracundiæ permotus, non eſt omnino ſuæ mentis compos; & iratus non diſtat à furioſo, niſi in tempore. Maſcardus *de Probationib. Concl. 346. n. 20 & 21.* citans alios.

22 IV. Conditio confeſſionis præjudicium generantis, inſinuatur per ly, *contra ſe*: hoc eſt, ut confeſſio fiat contra ſemetipſum, ſeu ad obligandum ſe alteri. Nam ſi confeſſio fiat pro ſe, ſeu ad obligandum alterum ſibi, putà confitendo, quòd ſibi Titius debeat decem, tunc ei non habetur fides, etiamſi millies fiat, niſi aliunde probetur debitum: ſiquidem *nullus teſtis idoneus in ſua re intelligitur*; prout legitur *can. Si teſtes. §. Nullus. 4. q. 3. & l. Nullus. ff. de Teſtib.* & notat Gloſſa magna *in L. un. C. de Confeſſis*. Hoſtienſis *cit. n. 1. verſ. Contra ſe*. Speculator *tit. de Confeſſionib. §. Nunc videndum. n. 7.* & communis.

23 Ampliatur iſtud, ut procedat, etiamſi in mortis articulo fiat talis confeſſio, qua quis v. g. *certam pecuniæ quantitatem, aut etiam res certas ſibi deberi ſignificaverit* per textum notabilem *in l. Rationes. C. de Probation.* Nam, ut Imperator *in L. ult. C. de conveniendis fiſci debitorib.* in ſimili pronunciat: *Iniquiſſimum eſſe perſpeximus, ut ſub propria annotationis manu* (ſeu confeſſione) *unuſquiſque ſibi faciat debitorem*. Concordat textus *in l. Exemplo. C. de Probat.* ubi ſimilia habentur.

24 Ampliatur ulteriùs, quòd generaliter confeſſio unius non probet in præjudicium alterius; ut *c. Interrogatum. 2. q. 3.* juncta Gloſſa *ibid. verſ. Profitetur. & can. Nemini. 15. q. 3. & c. Dilectus, de capell. Monach.* Hoſtienſis *in Summa. n. 1. verſ. Item ideò. h. t.* Maſcardus *loc. cit. concl. 386. n. 1.* cum aliis. Et meritò: quia alioquin foret in poteſtate confitentis dicere, quod vellet: & ſic poſſet jus alteri quæſitum pro ſua prava voluntate auferre; contra illud Jure naturali notum, atque *in l. Non debet. ff. de Reg. Jur.* clariùs expreſſum, illis verbis: *Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri*, cum ſimilibus. Hinc confeſſus crimen, non probat contra ſocium criminis, *cap. 1.* juncta Gloſſa *verſ. Confeſſio. h. t.* & ampliùs dicetur infrà *§. 4. num. 107. & ſeqq.*

25 Similiter confeſſio mariti, dicentis, dotem uxoris à ſe receptam fuiſſe, non probat in præjudicium creditorum, vel aliorum, quò minùs hi poſſint proponere exceptionem non numeratæ dotis, donec ſolutio hujus aliis modis ritè probetur, *l. Aſſiduis.* juncta Gloſſa *verſ. Datæ. C. Qui potiores in pignore &c.* Maſcardus *de Probat. Concl. 362. n. 1. & ſeqq.* Mareſcottus *lib. 1. var. Reſolut. c. 8.* & alii. Adeò, ut talis confeſſio mariti non probet dotem ab eo eſſe receptam, quamvis fuiſſet jurata. Gabriel *de Donation. Concl. 3.* Maſcardus *loc. cit. n. 4.* allegans alios. Qui tamen poſteà *n. 11. & 12.* iſtud ſolummodò procedere inquit, quando ejuſmodi confeſſio videretur facta in fraudem creditorum, vel aliorum; quod colligendum cenſet ex qualitate perſonarum, aut quantitate pecuniæ confeſſatæ, vel aliis circumſtantiis, atque conjecturis: nam ceſſante omni ſuſpicione fraudis ſtandum eſſet tali confeſſioni, etiam adversùs creditores, juxta Baldum *Conſ. 352. lib. 3.* & Raph. Cumanum. *Conſ. 31.* & alios.

26 V. Conditio confeſſionis validæ eſt, quòd fiat in judicio; ſive, ut loquuntur allegati verſiculi, *Ubi jus fit*. VI. Ut fiat præſente adverſario: quæ conditio ibidem denotatur per ly, *Et hoſtis*. Verùm de his duabus conditionibus, & an ſemper requirantur, plura in progreſſu.

27 VII. Conditio importatur per ly, *Certum*. Atque per hanc excluditur imprimis confeſſio incerta: hæc enim nihil probat, ſed interrogatus in judicio, debet cogi, ut certum confiteatur, *l. Certum. ff. de Confeſſis.* Hoſtienſis *in Summa, n. 1. verſ. Certum quid, h. t.* Eò quòd ſuper re incerta non poſſit dari certa ſententia, *c. Cùm ſacialis. 11. q. 3.* Deinde per eandem conditionem excluditur confeſſio erronea. Hæc enim poteſt revocari; ut *c. ult. h. t.* Et probato errore non præjudicat confitenti, etiamſi fuiſſet acceptata, ſæpiùs repetita, imò & jurata; prout ampliùs oſtendit Abbas *in cit. c. ult. n. 1. & 20 ac ſeqq. h. t.* & Maſcardus *de Probation. Concl. 378. n. 1. & ſeqq.* allegans communem. Siquidem *non fatetur, qui errat, niſi in jure erraverit*, ut dicitur *L. 2. ff. de Confeſſis*.

28 VIII. Conditio eſt, quòd confeſſio ſit facta de re litigioſa: prout indicat dictio, *Liſque* in allatis verſiculis contenta; & deſumitur *ex l. Confeſſionib. ff. de Interrogat. actionib.* alioquin ſecùs. Unde, ſi confiteor quempiam, qui verè & extra controverſiam liber homo exiſtit, eſſe ſervum meum, non præjudicat mihi confeſſio in actione noxali, *arg. cit. l. Confeſſionibus*; & notat Abbas *in d. cap. ult. n. 16. h. t.*

29 IX. Conditio, ad confeſſionem præjudicialem requiſita eſt, quòd ipſi *favor non repugnet*; ut loquuntur verſiculi allegati. Exemplum hujus ponit Gloſſa *in cit. cap. ult. verſ. Confeſſus*, & Abbas *ibid. n. 16. h. t.* quando confeſſio fit contra libertatem; utputa, quando quis confitetur, ſe eſſe ſervum: quia talis confeſſio non nocet, dummodò poſſit probari contrarium; ut *l. Interrogatam.* juncta Gloſſa *fin. C. de Liberal. cauſ.* Verum iſtud exemplum parum facit ad propoſitum: nam ex una parte generale eſt, & cæteris etiam negotiis commune, quòd confeſſio erronea non noceat, dummodò poſſit error probari, ut dictum *nu. 27.* Ex altera verò parte conſtat *ex l. Jubemus. C. de Liberal. cauſ.* quòd confeſſio coram competenti Judice facta, valeat etiam contra libertatem: intellige, niſi probetur eſſe erronea.

30 Aliud itaque hujus exemplum ponit Hoſtienſis *in Summa, cit. n. 5. verſ. Niſi favor. h. t.* in cauſa matrimoniali: quia non valet confeſſio contra matrimonium, ejuſque valorem; ut *c. Super eo. 5. De eo, qui cognovit conſanguin. uxor.* ſuæ.

ſuæ. Idque ex eo: quia cauſa matrimonii eſt favorabilis, *c. Dilectæ. 39. de Appellat. & c. ult. de Sentent. & re judicat.* ſicque confeſſioni contra ejus validitatem factæ, repugnat favor Juris Communis. Et alioquin facilè poſſet fieri colluſio partium, contra matrimonium confitentium. *cit. c. Super eo*, ſi ad ſolam ipſarum confeſſionem poſſet diſſolvi.

31 Cæterùm, ſi pro matrimonio confeſſionem fieri contingat, tunc ſtatur tali confeſſioni, *c. 2. de Clandeſtin. deſponſat.* Dummodò nullum præjudicium exinde pararetur cuipiam, neque obſtaret aliquod impedimentum. Diſparitas inter hunc, & priorem caſum, deſumitur ex favore animæ, ac periculo peccati: tale enim immineret, ſi ad ſolam partium confeſſionem diſſolveretur matrimonium, forſitan anteà jam validum: non item ex ejus contractu, ſi aliud non obſiſtat. Hoſtienſis *in Summa, h. t. n. 2.*

32 X. Conditio validæ confeſſionis eſt, quòd ipſi *nec jus, nec natura repugnet*. Nam uno horum repugnante confeſſio non præjudicat, ſed veluti nullius valoris rejicitur. Exemplum prioris eſt: Si Chriſtianus confiteatur, ſe contraxiſſe matrimonium cum perſona infideli: tali enim confeſſioni repugnat Jus Canonicum, eò quòd juxta illud nequeat dari matrimonium validum Fidelis cum Infideli, ob impedimentum dirimens Diſparitatis cultus. Et idem accidit in aliis ſimilibus.

33 Exemplum poſterioris eſt: Si quis confiteatur, ſe occidiſſe Titium, qui tamen adhuc vivit. Item, ſi confiteor, quempiam eſſe meum filium, qui eſt majoris ætatis, quàm ego; prout exemplificat Gloſſa *in cit. cap. ult. verſ. Confeſſus.* & Abbas *ibid. n. 16. h. t.* Proinde, ut confeſſio præjudicet, neceſſe eſt inter alia, ut ſaltem naturalibus conveniat; alioquin non tam confeſſio, quàm mendacium monſtruoſum eſſe cenſebitur. Hoſtienſis, *ubi ſuprà*.

34 Quòd ſi nonnullæ aliæ conditiones ad validam confeſſionem requirantur, eædem commodiùs in progreſſu declarabuntur, reſolvendo ſpeciales circa Confeſſionem tum judicialem, tum extrajudicialem quæſtiones.

## §. II.

## De Confeſſione Extrajudiciali.

### *SUMMARIUM.*

35 *Confeſſio extrajudicialis poteſt variè fieri.*
36 *Hic ſermo eſt de Confeſſione extrajudiciali legitimè probata.*
*Et qualiter ea probetur? Ibid.*
37 *Confeſſio extrajudicialis præſente adverſario, & cum adjectione cauſæ facta, in civilibus plenè probat. Et num. ſeqq.*
38 *Idque probatur.*
39 *Pars adverſa, quando cenſeatur eſſe præſens?*
40 & 41 *In cauſis criminalibus, quam vim probandi habeat confeſſio extrajudicialis?*
42 & 43 *Confeſſio ſolùm incidenter facta, plenè non probat.*
44 *Referuntur caſus, in quibus confeſſio extrajudicialis plenè non probet, etiam cauſa expreſſa. Et n. ſeqq.*
45 *Confeſſio facta calore iracundiæ, non probat, niſi detur perſeverantia in ea.*
46 & 47 *An, ut confeſſio extrajudicialis plenè probet, requiratur ejus acceptatio?*
48 *Conſultum eſt, ipſam expreſſè acceptare.*
49 *Facta præſente adverſario, ſed ſine cauſæ adjectione, plenè probat &c.*
50 *Fallit hoc in pluribus. Et n. ſeq.*
*Confeſſio extrajudicialis, etiam ſine addita cauſa plenè probat liberationem. Ibid.*
51 *Dummodò fiat ab illo, qui jure proprio eam facit: ſecùs, ſi nomine alieno, ut Procurator &c.*
52 *Confeſſio jurata, etiam ſine cauſa, plenè probat.*
53 *Sicut & confeſſio geminata.*
54 *Confeſſio extrajudicialis abſente parte facta, plenè non probat.*
55 *Ampliando hoc ad confeſſionem in judicio factam.*
56 *Iſtud procedit regulariter, patitur tamen quaſdam fallentias.*
*I. Quando intervenit juramentum. Ibid.*
57 *II. Quando facta eſt cum expreſſione cauſæ per ſcripturam &c.*
*III. Vel fuit geminata ex intervallo. Ibid.*
58 *IV. Aut ab alio acceptata nomine alterius.*
*V. Seu facta favore cauſæ piæ. Ibid.*
59 *VI. Confeſſio parte abſente facta, de æquitate canonica facit plenam probationem.*
60 *Dummodò confeſſio illa fuerit plenè probata: & qualiter ita probetur?*
61 *Simulque ea fiat animo deliberato, ac ſerio; ſitque certa: & non æquivoca.*
*De æquitate canonica idem præſtat ſermo ſerioſus, ac juramentum. n. 59.*

QUæritur I. Quam vim probandi habeat Confeſſio extrajudicialis, præſente adverſario facta? Et notanter additur, *præſente adverſario facta*. Variè enim poteſt fieri confeſſio extrajudicialis; videlicet præſente, vel abſente adverſario, ſive eo, in cujus favorem ipſa tendit. Item cum adjectione cauſæ, vel ſine expreſſione hujus: vel ſine juramento: geminatè, vel duntaxat ſemel. Et de omnibus iſtis ſpeciatim eſt dicendum, incipiendo de Confeſſione extrajudiciali, præſente adverſario facta. 35

Loquimur autem hic de confeſſione extrajudiciali legitimè probata; ſive, quam à ſe factam eſſe, vel ultrò quis in judicio confitetur, vel ſaltem per duos legitimos teſtes probetur. Alioquin enim, ſi quis negaverit ejuſmodi confeſſionem à ſe factam, procul dubio nulla exinde probatio deſumi poterit, donec adverſarius eam factam eſſe ritè probaverit. Quod autem ipſa ritè probetur per duos teſtes conteſtes, ſeu eandem confeſſionem in ſua præſentia factam eſſe deponentes, indubitati juris eſt, per textum *in c. Licèt. 23. de Teſtib. & c. Relatum. 11. de Teſtament.* cum ſimilibus; ubi illud Salvatoris *Matth. 18.* refertur: *In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum.* Atque ampliùs declarat Maranta *part. 6. Speculi Aurei. tit. de Confeſſion. n. 14.* Maſcardus *de Probationibus, Concl. 79. n. 1. & ſeqq.* Quibus prænotatis, 36

Reſp. I. Confeſſio extrajudicialis præſente adverſario, ſimulque cum adjectione cauſæ facta, puta dicendo, *Fateor me debere Titio centum ex mutuo*, in civilibus plenè probat: etiam ad effectum inducendi obligationem Ita Gloſſa *in can. Teſtes. 3. q. 9. ℣. Audierunt.* id probans *ex l. Generaliter. C. De non numer. pecun.* Speculator *tit. de Confeſſionibus. §. Nunc videndum. n. 5. & 6.* Maranta *part. 6. Speculi Aurei. tit. de confeſſione, n. 6.* Sannig *h. t. c. 3. n. 2.* Maſcardus *de Probationibus, Concl. 346.* ubi, licèt *n. 1.* cum plurimis aliis à ſe allegatis abſolute doceat, confeſſionem extrajudicialem parte præſente plenè probare: nihilominus hanc ſuam aſſertionem *n. 25. & 26.* cum aliis limitat, quando confeſſio ejuſmodi facta eſt ſine cauſa; quia tunc (inquit) plenè non probat. 37

Concluſio hæc deſumitur *ex l. Cùm de indebito ff. de Probation.* & ampliùs *ex l. Generaliter ff. De non numerat. pecun.* Ubi Imperator iſtud in naturalem æquitatem refundit illis verbis: *Nimis enim indignum eſſe judicamus quod ſua quiſque voce dilucidè proteſtatus eſt, id in eundem caſum infirmare, teſtimonioque proprio reſiſtere.* Concordat *c. Per tuas. 10. de probat.* ubi Pontifex hæc eadem verba allegat, indèque concludit, quòd, poſtquàm mulier aſſeruit, ſe filium, quem in domum Titii reverſa genuerat, ex eodem Titio ſuſcepiſſe, quem etiam Titius pro ſuo filio agnovit, ejuſdem mulieris juramento in contrarium præſtito non ampliùs ſit ſtandum. 38

Additur notanter in Concluſione; *præſente adverſario ſimulque cum adjectione cauſæ facta*. Nam de confeſſione ſine adjectione cauſæ, vel parte abſente facta, dicetur ex profeſſo inferiùs *n. 49. & 54.* Solummodò hinc notandum eſt, quòd *Pars adverſa* (hoc eſt illa, quæ pro ſe allegat factam confeſſionem extrajudicialem) non ſolùm tunc cenſeatur eſſe præſens, quando ipſe perſonaliter intereſt factæ alterius confeſſioni, eamque intelligit, atque acceptat; ſed etiam, quando præſens adeſt ipſius Nuntius, ſive negotiorum Geſtor, & factam ejuſmodi confeſſionem coram teſtibus pro abſente acceptat. Maſcar. *c. Concl. 346. n. 3.* poſt Cravettam *Conſil. 271. n. 16.* & alios. Sufficit etiam, ut 39



ut confeſſio dicatur fieri in præſentia partis, quod pars ibidem accidentaliter reperiatur; etiamſi confeſſionem expreſsè non acceptaverit; per textum *in c. Cùm dilectus de Succeſſionib. ab Inteſtat.* ibi: *In præſentia Abbatis*: ac notat Panormitanus *ibid. n. 5.*

40 Reſp. II. Loquendo verò de cauſis criminalibus, confeſſio extrajudicialis cujuſpiam delicti non probat, ut quis poſſit affici pœna ordinaria: bene tamen, ut confitens ſubjiciatur torturæ. Ita Rota *Deciſ. 1.* (aliàs 180.) *de confeſſis, in novis.* Gloſſa *fin. in l. capite quinto*, & ibi Bartolus *ff. ad Legem Juliam de Adulter.* Jaſon *l. Magiſtratibus. n. 4. & 5. ff. de Juriſdict. omn. judic.* iſtud etiam concedens de confeſſione criminis facta coram Notario in abſentia Judicis. Felinus *in c. Olim. n. 3. & ſeqq. de Reſcript.* Maranta *part. 6. Speculi Aurei tit. de Confeſſione. n. 3* Maſcardus *concl. 498. n. 1.* allegans alios. Ratio eſt: quia in cauſis criminalibus, ubi agitur de damno irreparabili vitæ, vel membrorum, requiruntur probationes luce meridiana clariores, *L. ult. C. de Probation.* Atqui talis non eſt confeſſio extrajudicialis delicti; quinimò poſſet quandoque confeſſio criminis potiùs tædio vitæ, aut ex deſperatione emiſſa fuiſſe, quàm ex conſcientia criminis, *L. 1. §. Divus & §. Si quis ultrò, ff. de Quæſtionib.* ergo

41 Atque hoc ampliatur, etiamſi confeſſio criminis facta fuiſſet præſente parte adverſa: nam præſentia partis nullam vim habet in criminalibus, ob rationem proximè dictam; & notat Felinus *loc. cit. n. 4.* Maranta *cit. n. 3.* Maſcardus *n. 10. & 11.* allegans alios. Quia verò ex tali confeſſione gravis oritur præſumptio, ac indicium contra confitentem, meritò aſſeritur, exinde locum eſſe torturæ ad eliciendam legitimam & judicialem confeſſionem.

42 Objicies majoris claritatis gratia contra priorem, & datam *n. 37.* Concluſionem. In *cap. ult. de Succeſſionib. ab inteſtat* legitur facta confeſſio in præſentia partis, putà Abbatis, quòd quis *ſe & ſua obtulerit Monaſterio*, ſicque non poſſit condere teſtamentum: & tamen confeſſio illa plenè non probavit, ſed ſemiplenè duntaxat, ut patet ex Littera; ergo. Reſp. cum Abbate *in cit. cap. ult. nu. 16.* & Jaſon. *in Repetit. l. Admonendi nu. 158. ff. de Jurejurand.* & aliis, id contigiſſe ex eo: quia ibi confeſſio ſolùm facta fuerat incidenter, videlicet occaſione requiſitionis aliorum, ut conderet teſtamentum; non autem principaliter, ac propter ſe. Siquidem ibi non agebatur, nec quærebatur, an confeſſus ſe & ſua Monaſterio obtulerit; ſed quia is requirebatur à circumſtantibus, ut conderet teſtamentum, ad excuſandum ſe à confectione teſtamenti confitebatur, quòd jam ſe & ſua Monaſterio obtulerit; ſicque ampliùs nequeat facere teſtamentum. Unde liquet, quòd confeſſio illa ſolùm facta fuerit incidenter.

43 Porrò, quòd confeſſio ſolùm incidenter facta non præjudicet confitenti, ſeu plenè contra eum non probet, ſed ad hoc requiratur, ut quis confiteatur principaliter propter illud; tradit Abbas *loc. cit. n. 16. & in cap. Inter dilectos. n. 6 de Donation.* poſt Bartolum *in l. Si confeſſus. nu. 3. ff. de Cuſtod. reor.* & Farinacius *lib. 3. q. 81. n. 219.* citans plurimos alios; atque pro regula ponens, quòd *confeſſio incidenter emanata de crimine, ad quod non agebatur, ad condemnandum non ſufficiat*: imò etiam ad torturam indicium non faciat, quando ejuſmodi confeſſio extrajudicialis incidenter, ſeu ad alium finem & effectum, emanata fuit, prout idem *n. 228.* ſubjungit. Concordat Maſcardus *Concl. 483. de Probationibus, n. 1 & ſeqq.* poſt Decium *in c. At ſi Clerici. n. 19 & ſeqq.* & Canoniſtas communiter, *de Judic.* concludens, confeſſionem incidenter factam non probare. Unde ſi Titius à me petat mutuò centum florenos, & ego, ut me excuſem, dixerim, *Non habeo; imò ego ipſe, quia indigebam, centum mutuò accepi à Cajo*: non idcircò Cajus, licèt præſens iſtud audierit, poterit ex tali confeſſione contra me agere: cùm hanc non fecerim principaliter ſuper ipſo mutuo Caji, ſed incidenter ſolùm, videlicet ad me excuſandum à dando mutuo; prout datam Concluſionem ſuam exemplificat Maſcardus *ibid. n. 2.* allegans alios.

44 Objicies ulteriùs textum *in l. In contractibus. & L. ult. C. De non numerat. pecun.* nam ibi clarè habetur, quòd confeſſio ex cauſa mutui, etiam in ſcriptis facta, imò & juramento firmata, plenè non probet, ſed intra biennium poſſit adhuc opponi exceptio non numeratæ pecuniæ: niſi aliter probetur, numerationem pecuniæ eſſe factam. Similiter exceptio non numeratæ dotis poteſt intra certum tempus opponi, etiamſi dotem à ſe receptam fuiſſe, maritus dotalibus inſtrumentis confeſſus ſit, *L. 1. & L. ult. C. de Dote cauta non numerat.* Insuper in *Auth. Sive à me. C. Ad S. C. Vellejanum*, mulier conſentiens alienationi rei ſibi propter nuptias aſſignatæ, eandemque confitens, ſibi non præjudicat, niſi hoc fiat ſub certa forma ibidem expreſſa: Ergo confeſſio extrajudicialis plenè non probat, etiamſi cauſa in ea fuerit expreſſa. Reſp. cum Gloſſa *in can. Si cautio. ℣. Confeſſional*, & Abbate *ibidem n. 8. ac ſeqq. de Fide Inſtrument.* datam Concluſionem, ſeu Regulam, fallere in allatis caſibus, propter ſpecialem Juris diſpoſitionem: aliàs, ſecùs eſſe. Ratio autem ſpecialitatis, eſt fragilitas humana in hiſce caſibus magis pericuLoſa. Nam imprimis egeſtate preſſus, ut pecuniam mutuam faciliùs acquirat, promptus ſolet eſſe ad tranſmittendam in ſcriptis atteſtationem de ejus receptione, antequàm ipſam ſibi mutuatam re ipſa acceperit. Similiter maritus ex deſiderio celeriter conſequendi uxorem, de facili confitetur dotem à ſe jam receptam, quam in veritate nondum accepit. In ultimo caſu ſpecialitatem fundet facilitas promittendi, & debilitas judicii, qualis reperitur in ſexu muliebri.

Fatendum tamen, quòd præter jam allatos caſus dentur adhuc aliæ limitationes dictæ Concluſionis. Putà, ſi Confeſſio facta eſt calore iracundiæ: talis enim non probat, niſi detur perſeverantia in ea, *l. Quidquid calore. ff. de Reg. Jur.* & ampliùs oſtendit Maſcardus *cit. concl. 346. n. 20.* Similiter non probat confeſſio facta per phreneticum, ſeu alienata mente loquentem, *cap. ult. § Illam autem de Succeſſionibus ab inteſtat.* Tacentur nonnullæ aliæ limitationes, de quibus Maſcardus *d. concl. 346.* Maranta *cit. tit. de Confeſſionibus*, & alii. 45

Quæritur II. An Ad hoc, ut Confeſſio extrajudicialis præſente adverſario facta cum cauſæ expreſſione plenè probet, requiratur ejus acceptatio? Reſp. In hujus reſolutione variant Doctores. Et quidem non pauci ad id requirunt expreſſam partis acceptationem; ut Felinus *in c. Si cautio. n. 23. de Fide inſtrument.* & Alexander *conſil. 20. n. 1. lib. 4.* qui iſtud deſumunt ex ipſa ſignificatione vocabuli: quia *Confeſſio* eſt idem, quod *ſimul faſſio*: nam propriè *confiteri* idem eſt, ac *ſimul fari*. Eandem ſententiam tenet Jaſon *in l. Tale pactum n. 7. ff. de Pactis & in l. Poſtquam, lib. n. 2. C. eod.* poſt Cynum *in L. un. in 6. quæſt. C. de Confeſſis*, & Salicetum *in l. Generaliter in 5. quæſt. C. De non numerat. pecun. & l. Jubemus. C. de Liberal. cauſ.* ubi refert, ſe ſæpius ita conſuluiſſe: & plures alii, quos Jaſon *cit. n. 2.* & Maſcardus *Concl. 346. n. 11. & ſeqq. & Concl. 498. n. 12.* ac Farinacius *lib. 3. Praxis criminalis, q. 82. n. 7.* pro hac ſententia allegat. 46

Oppoſitam nihilominus ſententiam, videlicet, ejuſmodi expreſſam acceptationem factæ in ſui favorem confeſſionis non requiri, tenet Abbas *in c. Cùm dilectus. n. 5. de Succeſſionib. ab Inteſtat.* Antonius de Butrio *in cap. ult. n. 12. de confeſſis.* Socinus *Conſil. 228. n. 6.* ubi dicit, hanc eſſe veriorem. Maranta *part. 6. Speculi Aurei. tit. de Confeſſionibus. n. 2.* aſſerentis, hanc partem communiter teneri. Pirhing *h. t. n. 36.* Farinacius *loc. cit. nu. 8.* & Maſcardus *d. concl. 346. nu. 14* citans alios, hancque appellans communem opinionem. Ratio eſt: quia, cùm confeſſio fiat in favorem præſentis, præſumitur acceptatio ex parte ejus, dummodò non contradicat; ergo non eſt opus alia expreſſa acceptatione. Antecedens patet ex Reg. 43. Juris in 6. *Qui tacet, conſentire videtur*: quam Regulam procedere in facto concupiſcibili, cenſet Gloſſa *in can. Is qui tacet. 44. eodem in 6.* Concordat textus *in l. Qui patitur ff. Mandati*, juncta Gloſſa *fin. ibid.* 47

In praxi tamen conſultiſſimum erit, expreſsè acceptare confeſſionem alterius, quæ tendit in favorem ſuum. Tunc enim confeſſio ita præjudicat confitenti, ut poſteà eam revocare non poſſit: atque in hoc ſenſu videtur intelligenda prior opinio. Quòd ſi verò quæratur de acquiſitione juris tantummodò, quod competit parti ex tali confeſſione ſibi favorabili tunc videtur locum habere poſterior opinio: atque ita dictas extremas ſententias inter ſe conciliat Maſcardus *cit. concl. 346. n. 16.* poſt Purpuratum *in l. Poſtquam col. 9. c. de Pactis.* 48

Quæritur III. Utrùm confeſſio extrajudicialis præſente 49

ſente adverſario, ſed ſine adjectione cauſæ facta, plenè probet? Reſp. I. Hujuſmodi confeſſio regulariter plenè non probat, facit tamen aliquam præſumptionem, imò & ſemiplenam probationem, quando per eum, qui innititur tali confeſſioni, allegatur cauſa. Ita Speculator *tit. de confeſſionibus n. 7.* Alexander *conſil. 4. n. 2. & 12. vol. 1.* Jaſon *in Repetit. l. Admonendi n. 15. V. Quid in confeſſione, ff. de Jurejurand.* Maranta *part. 6. Specul. Aurel. tit. de confeſſione, n. 6.* Maſcardus *concl. 45. n. 1. & concl. 346. n. 26.* & Barboſa *c. Si cautio num. 2. de Fide inſtrument.* cum aliis, quos allegat. Idque deſumitur *ex d. c. Si cautio 14. de Fide inſtrument.* ubi hoc ipſum deciditur de confeſſione per cautionem, ſeu ſcripturam *indeterminatè*, hoc eſt, ſine expreſſione cauſæ ipſius debiti facta. Concordat textus *in l. Nuda ratio*, juncta Gloſſa *fin. ff. de Donationib. & l. cùm de indebito. §. In omnibus, ff. de Probationib. & l. Inſtrumenta. C. eod.* In quo poſteriori loco inter alia dicitur, quòd privata teſtatio ſe ſola non ſufficiat ad probationem, *ſi non aliis quoque adminiculis adjuvetur*: & ſic, argumento à ſenſu contrario deſumpto, facit ſemiplenam probationem, quæ unà cum aliis adminiculis plenè probat. Ad idem facit *cap. ult. de Succeſſion. ab inteſtat.* ubi Abbas *n. 17.* & alii.

50 Reſp. II. Data tamen Concluſio eſt limitanda in pluribus caſibus. Primò, ut procedat ſolùm, quando ejuſmodi confeſſio fit ad obligandum ſemetipſum alteri; ſecùs, ſi fiat ad liberandum alterum; utputà ſi quis in præſentia partis, & teſtium dicat: *Confiteor, te mihi ad nihil teneri.* Talis quippe confeſſio, etſi fiat ſine addita alia cauſa plenè probat liberationem; ut *l. Tale pactum.* & ibi Bartolus, *in Summario*, & Jaſon *n. 1. ac ſeqq. ff. de Pactis.* Speculator, *ubi ſup. n. 7.* addita ea ratione diſparitatis: quia promptiores debemus eſſe ad liberandum, quàm ad obligandum, *l. Arrianus. ff. de Actionib. & obligat.* Felinus *c. Si cautio. n. 7. de Fide inſtrument.* Maranta *loc. cit. nu. 6.* Maſcardus *cit. Concluſ. 346. n. 26. & 27.* & alii.

51 Solùm adde, quòd hæc limitatio ſit vera, quando confeſſio fit ab eo, qui jure proprio eam facit: ſecùs, ſi nomine alieno; ut in Procuratore, & Adminiſtratore. Siquidem horum confeſſio ſine adjectione cauſæ, non valet ad liberandum, *l. Non abſtulit. C. de Novationib.* ac notat Additio ad Felinum *in cit. can. Si cautio, n. 7.*

52 Limitatur ſecundò data Concluſio, quando intervenit juramentum: quia confeſſio jurata etiam ſine cauſa, plenè probat; iſtud enim ſuadet religio juramenti. Abbas *in cap. ult. nu. 19. de Succeſſion. ab inteſtat.* id deſumens ex *Auth. Quod obtinet, C. de Probat.* Felinus *in d. c. Si cautio, n. 24. & 25.* & Barboſa *ibid. nu. 2. de Fide inſtrument.* Maranta, *ubi ſup. nu. 4.* Covarruvias *part. 2. can. Quamvis pactum, de Pactis in 6. §. 4. num. 26.* Maſcardus *cit. Concl. 346. n. 18.* allegans plurimos alios.

53 Limitatur tertiò, quando confeſſio ſine expreſſione cauſæ facta, eſt geminata: quia tunc præſumitur cauſa. Felinus *in cit. c. Si cautio, n. 14.* & Abbas *ibid. n. 2. de Fide inſtrument.* Bartolus *in l. Cùm ſcimus, n. 2. C. de Agricol. & cenſit. lib. 11.* Maranta *loc. cit. n. 15.* Maſcardus *de probationib. concl. 347. n. 37.* Farinacius *lib. 3. q. 81. n. 13.* citans alios. Accedit ratio: quia confeſſio geminata (hoc eſt, reiterata ex intervallo, & non uno ac eodem tempore repetita) ipſaque ejus geminatio, demonſtrat enixam mentem ſeſe obligandi; ut *l. Si mulier perfectæ, C. Ad S. C. Vellejan.* Ac proinde confeſſio geminata æquiparatur confeſſioni judiciali, eandemque habet vim, ac ſi in judicio facta fuiſſet. Ludov. Romanus *conſ. 290. nu. 7.* Tacentur nonnullæ aliæ limitationes, apud Felinum, & Maſcardum *ubi ſupra* videndæ.

54 Quæritur IV. Utrum confeſſio extrajudicialis, abſente parte facta, probet? Reſp. I. Quando in civilibus fit confeſſio extrajudicialis abſente parte, & cum adjectione ſpecialis cauſæ, tunc ea cæteroquin ritè probata inducit ſemiplenam probationem, non autem plenam. Ita Gloſſa *in c. Si cautio. verſ. Si cauſam.* & Abbas *ibid. n. 6. & 7.* Felinus *n. 24. ac ſeqq. de Fide inſtrument.* & rurſus Abbas *in cap. ult. n. 16. de Succeſſion. ab inteſtat.* Bartolus *l. Admonendi. §. His præmiſſis quæro. ff. de Jurejurand.* Alexander *Conſil. 24. n. 4. vol. 2.* Maranta, *ubi ſuprà. n. 2* Jaſon *in Repet. cit. l. Admonendi. nu. 158. ff. de Jurejurand* hanc appellans communem opinionem, à qua non ſit in conſulendo, vel judicando recedendum. Pirhing *h. t. n. 36.* & alii: quamvis non deſint, qui volunt, talem confeſſionem ne quidem ſemiplenè probare; licèt, ſi fuerit conjuncta alteri veriſimilitudini ratione loci, vel temporis, præſumptionem faciat, & transferat onus probandi in adverſarium: prout videre eſt apud Maſcardum *de Probationibus, Concl. 347. n. 25 & 26.*

55 Atque iſtud ampliatur ad confeſſionem in judicio factam parte abſente: nam etiam talis plenè non probat, per textum *in l. Certum §. Si quis abſente. ff. de Confeſſ. & L. ult.* juncta Gloſſa *verſ. non valere. de Interrogat. act.* Felinus *in cit. can. Si cautio. n. 22.* & Abbas *n. 6. de Fide inſtrument.* Maſcardus *de Probation. Concl. 347. n. 3.* citans plures alios. Idque præter Jura jam allegata, ſuadetur ratione: Tum quia non præſumitur quis velle ſe obligare abſenti, niſi aliis adminiculis ejuſmodi confeſſio fuerit roborata, *l. Cùm ſcimus. C. de Agricol. & cenſit. l. 11.* Tum quia confeſſio facta parte abſente, etiam in judicio, non videtur facta ex certa ſcientia, ſed potiùs ex abrupto, vel ex aliqua occaſione: ſæpè enim ad ſe excuſandum dicit quis ſe debitorem, cui in veritate ad nihil tenetur, prout diſcurrit Abbas *cit. n. 6.*

56 Reſp. II. Data proximè Concluſio regulariter quidem procedit, patitur tamen plures limitationes, ſeu fallentias, quarum tredecim enumerat Felinus *in cit. c. Si cautio. n. 25. & ſeqq. de Fide inſtrument.* Et I. quidem, quando intervenit juramentum. Quia enim juramentum ſupplet abſentiam partis, eò quòd per illud obligatio acquiratur Deo, qui ubique eſt præſens; & quia ob religionem juramenti appoſiti cenſetur quis magis præmeditatè, atque ex certa ſcientia, ad actum acceſſiſſe: hinc confeſſio etiam parte abſente facta ſi ſit jurata, plenè probat. Felinus *c. n. 25.* Bartolus *in l. Cùm quis decedens. §. Codicillis. ff. de Legat. III.* Jaſon *in Repet. l. Admonen. n. 158. ff. de Jurejur.* Pirhing *h. t. n. 38.* Maſcard *c. Concl. 347. n. 69.* allegans alios.

57 II. Fallit dicta Regula, quando confeſſio cum expreſſione cauſæ facta eſt parte abſente per ſcripturam, ſive inſtrumentum aliquod. Etenim ſcriptura ſemper loquitur, ſicque plenè probat, niſi quis poſſit oſtendere errorem, aut probare contrarium, *c. Si cautio. 14. de Fide inſtrument. & l. Generaliter. C. De non numerat. pecun.* Idipſum procedit, ſi confeſſio fuerit facta per Epiſtolam, *l. Publia. ff. Depoſiti*: quia per Epiſtolam cenſetur quis loqui abſenti, cui præſentatur. Aut ſi ea facta eſt in ſcriptura Libelli, vel exceptionis producta per partem, *l. Cùm precum. C. de Liberal. cauſ.* Vel in Libro rationum: quia, ſi pervenit talis ſcriptura ad adverſarium, videtur loqui vice partis, & ideò præjudicat. Felinus *ubi ſuprà n. 31. 34. & 36.* Maſcardus *d. Concl. 347. n. 81.* citans alios; idque ulteriùs probans ex *l. Deſiderium. C. Depoſiti.*

III. Fallit, quando confeſſio extrajudicialis parte abſente unà cum cauſæ expreſſione, ex intervallo fuit geminata, & per teſtes legitimè probata. Felinus *loc. cit. 39.* Abbas *c. Si cautio. n. 12. de Fide inſtrument.* id intelligens, niſi confeſſus vellet in ſe ſuſcipere onus probandi, confeſſionem ex errore factam. Bartolus *in l. Cùm ſcimus. C. de Agricol & cenſit. lib. 11.* Pirhing. *cit. num. 38.* & concordant dicta paulò ſuperiùs *n. 53.*

58 IV. Fallit, quando confiteor, me debere aliquid Titio ex certa cauſa in præſentia alicujus, qui talem confeſſionem recipit nomine Titii, quamvis non habeat ad hoc ſpeciale mandatum, neque ſit nuntius ipſius: quia, ſi poſteà Titius ratum habeat, prodeſt talis confeſſio Titio. Felinus *cit. c. Si cautio. n. 37.* citans Imolam *ibid. de Fide inſtrument.* & alios.

V. Fallit, quando confeſſio parte abſente facta eſt favore cauſæ piæ: nam probat, eò quòd Deus ubique ſit præſens, dictamque confeſſionem propria cauſa acceptare cenſeatur. Maſcardus *cit. Concl. 347. n. 93.* poſt Tiraquellum *de Privil. piæ cauſæ Privil. 116* Baldum *in l. Generaliter. q. 10. C. de non numerat. pecun.* & alios.

59 VI. Et tacendo alias fallentias, apud Felinum, & Maſcardum *ubi ſupra* videndas, confeſſio facta parte abſente, de æquitate canonica facit plenam probationem: quia ſecundùm æquitatem canonicam ſola mens confitentis videtur ſufficere. Nam, quia juramentum facit, quòd confeſſio etiam parte abſente, plenè probet, ut *n. 56.* dictum: idem etiam de æquitate canonica videtur præſtare ſimplex & ſerioſus ſermo, ſive confeſſio, *arg. c. Juramenti. 22. q. 5.* ubi dicitur, quòd *Dominus inter juramentum, & loquelam*



*noſtram, nullam vult eſſe diſtantiam.* Et ita tenet, atque inter alia diſcurrit Felinus *in cit. c. Si cautio. numer. 27.* poſt Imolam, Anton. & Card. *ibid. de Fide inſtrument.* Idemque tradit Alexander *Conſil. 122. nu. 4. vol. 7.* loquens de cauſis ſpiritualibus, atque ob favorem animæ ſuæ cui voluit confitens providere. Bald. *a c. Innotuit. n. 2. de Election.* iſtud probans per textum ibidem: *Spontanea tibi, & ſecreta confeſſione*: quæ tamen plenè probavit Soccinus *in Fallentiis, reg. 63. V. Fallit de æquitate canonica*, ſecundum quam (inquit) valet confeſſio etiam abſente parte: *quia ſecundum æquitatem canonicam ſola mens* (exteriùs ſufficienter expreſſa) *ſufficere videtur.* Maſcardus *cit. Concl. 347. n. 57. & 58.* allegans plures alios qui atteſtantur de communi. Anton. Conciolus *in Allegationibus Forenſibus, allegat. 8. n. 37.* poſt Rotam apud Burattum *Deciſ. 228. n. 5. & Deciſ. 233. n. 8. & Deciſ. 317. n. 6. & Deciſ. 792. n. 9. & Deciſ. 803. n. 4. & Deciſ. 828. n. 4.* addens quoque, ita tenere Doctores communiter. Rota apud Merlinum *Deciſ. 340.* Gabriel *de Confeſſis, Concl. 1. n. 46.* citans alios; quamvis nonnulli contrarium tenuerint, quos refert Maſcardus *cit. n. 57. V. Sed conſuluit.*

60 Cæterùm memorata communis Doctorum opinio, ſeu quòd confeſſio extrajudicialis, etiam facta abſente parte, inſpecta æquitate canonica plenè probet, tum demum procedit, ſi ipſa fuerit plenè & legitimè probata. Conciolus *cit. allegat. 8. n. 39.* poſt Gratianum *Conſil. 2. n. 59. lib. 2.* & alios, & concordant dicta ſuperiùs *n. 36.* Cenſetur autem ejuſmodi confeſſio extrajudicialis plenè ac legitimè probata, quando de ipſa deponunt duo teſtes conteſtes de loco, tempore & verbis. Rota apud Card. Cerro, *Deciſ. 33. n. 24.* Conciolus *d. alleg. 8. nu. 39.* allegans inſuper Cencium *de Cenſib. q. 43. n. 29.* Cravettam *Conſil. 267. n. 1.* & alios, unà cum multiplici Deciſione Rotæ. Sufficit autem, quòd teſtes concordent in ſubſtantia verborum, licèt in cortice verborum diſcordare videantur. Gabriel *de Teſtib. Concl. 2. n. 64. & ſeqq.* Rota apud Merlinum *cit. Deciſ. 340.* Farinacius *de Teſtib. q. 64. n. 68.* Quinimò confeſſio extrajudicialis probatur etiam teſtibus ſingularibus, quando concurrunt alia adminicula. Rota apud Bichium *Deciſ. 49.* Conciolus *d. alleg. 8. n. 43.* de quo tamen inferiùs *Tit. 20. de Teſtibus §. 9. n. 297. & ſeqq.* agendo de ſingularitate adminiculativa teſtium.

61 Inſuper, ut confeſſio extrajudicialis de æquitate canonica probet, neceſſe eſt, quòd ea fiat animo deliberato, & ſerio; non autem ex joco, vel ex ignorantia, inadvertentia, & ſine animo confitendi. Rota apud Bichium *cit. Deciſ. 49.* Neque ex calore loquacitatis inter comeſſationes, aut cum mulieribus. Rota *loc. cit.* Prætereà confeſſio ejuſmodi, ut noceat, debet eſſe certa, & indubitata. Rota apud Rubeum *part. 8. Deciſ. 68 nu. 21.* & apud Bichium *Deciſ. 75. n. 12.* ubi confeſſio æquivoca, & dubia, non nocet confitenti: & ne noceat, ſufficit, quòd non ſit omnino clara. Rota apud Bichium *Deciſ. 169 nu. 17. & Deciſ. 479. n. 6. & Deciſ. 580. & 584.* & apud Campagnum *Deciſ. 174 num. 9.*

## §. III.

## De effectibus, & revocatione Confeſſionis judicialis.

### *SUMMARIUM.*

62 *Confeſſionis judicialis effectus, qui? Et n. ſeqq.*
*Hæc plenè probat, & inducit notorium juris. Ibid.*
63 *Confeſſio facta in judicio ſummario, probat etiam in plenario.*
64 *In cauſis civilibus habet vim ſententiæ, & rei judicatæ.*
65 *Secùs in criminalibus; & cur?*
*Antequàm ex propria confeſſione Reus condemnetur ad mortem, debet conſtare de corpore delicti.*
66 *Confeſſio judicialis convalidat nullitatem Proceſſus.*
67 *Atque excludit appellationem, præſertim in cauſis civilibus. Et n. 70.*
68 *In criminalibus ad excludendam appellationem plus requirunt, quòd Reus ſimul & confeſſus, & convictus ſit.*
69 *Reus, quibus modis cenſeatur eſſe convictus?*
70 *Confeſſio indiſtinctim excludit appellationem, etiam in criminalibus, niſi exprimatur cauſa obfuſcativa ipſius.*
*Intelligendo iſtud de vero confeſſo, ſecùs in fictè confeſſo. Ibid.*
71 *An contra confeſſum in judicio debeat ferri ſententia diffinitiva? Et ratio dubitandi.*
72 *In cauſis criminalibus hæc omnino requiritur.*
73 *Imò & in cauſis civilibus.*
74 *Saltem poſt litem conteſtatam.*
75 *Et quando proceditur ſervato ordine judiciario, aliàs ſecùs. Et n. 73.*
76 *Solvuntur rationes dubitandi.*
Nullæ ſunt partes judicantis in confitentes; *quomodo intelligendum? Ibid.*
77 *Confeſſio facta in judicio regulariter revocari non poteſt.*
78 *Niſi revocetur incontinenti.*
79 *Et quando dicatur revocari* incontinenti?
80 *Poteſt etiam ex intervallo revocari confeſſio, quando probatur per errorem facti contigiſſe.*
81 *Minorennes ex propria confeſſione graviter læſi; & quandoque Majorennes, reſtituuntur in integrum.*



62 Quæritur I. Qui ſint effectus Confeſſionis judicialis? Reſp. I. Sunt multiplices. Imprimis enim confeſſio facta in judicio, non ſolùm plenè probat, atque Actorem ab onere probandi relevat; ſed etiam facit rem manifeſtam, & inducit notorium juris. Textus eſt *in cap. ult. de Cohabitat. Cleric. & c. Cùm olim. 24. de Verb. ſignif.* cum concordantiis; ac notat Maſcardus *de Probationibus, Concluſ. 348. num. 1. & ſeqq.* & Farinacius *tom. 3. Praxis Criminalis, quæſt. 81. n. 3.* cum communi aliorum, quorum plurimos allegant.

63 Intellige tamen iſtud de Confeſſione judiciali, cæteris conditionibus ad eam requiſitis veſtita, & niſi debitè revocetur, vel probetur erronea. Quomodò intellecta Concluſio ampliatur, & extenditur, ut confeſſio facta in Judicio ſummario: quando tendit ad eundem finem & effectum, probet etiam in plenario. Innocentius *in cap. 2. de Ordin. cognit.* Felinus *cap. Cauſam quæ il 1. num. 7. de Teſtib.* Abbas *cap. Cùm ſuper num. 12. h. t.* Maſcardus *cit. Concl. 348. num 9.* Farinacius *d. quæſt. 81. nu. 160.* citans plures alios. Haud obſtante, quòd aliæ probationes, quæ factæ ſunt in Judicio ſummario, plenè non probent in ordinario, niſi tunc teſtes fuiſſent producti, ac examinati ſervatis omnibus ſolemnitatibus juris. Felinus *loc. cit. n. 5.* eſtque ampliùs dictum ſuprà *Tit. 1. de Judiciis. §. 8. n. 191. & 192.*

64 Reſp. II. Alius effectus Confeſſionis judicialis eſt, quod in cauſis civilibus habeat vim ſententiæ, ac rei judicatæ. Ita communis; & patet *ex L. 1. ff. de Confeſſis*; ubi dicitur: *Confeſſus pro judicato eſt, quia quodammodò ſua ſententia damnatur.* Concordat textus *in l. Poſt rem. ff. de Re judicat. & L. un. c. de confeſſis*, ibi: *confeſſos in jure, pro judicatis haberi placet.* In quo poſteriori loco prout Bartolus *§. Tertiò nota*, inquit, quòd *judicialis confeſſio habet executionem paratam.*

65 Dicitur notanter, *in cauſis civilibus*. Siquidem in criminalibus, præſertim majoribus, ob rei magnitudinem, & vitæ humanæ periculum, Reus confeſſus non habetur pro judicato: ſed inſuper requiritur ſententia Judicis, per textum expreſſum *in l. Si confeſſus*, juncta Gloſſa *un. ff. de Cuſtod. & exhibit. Reor.* Bartolus *in L. un. §. Opponi videtur. ff. de Confeſſis.* Zoeſius *eod. tit. ff. num. 14.* Engel. *h. t. num. 1.* allegans communem. Accedit ratio: quia ad pœnam, etiam ipſo jure inflictam, quando requiritur exterior executio, nemo tenetur ante ſententiam; ut habet communis Doctorum, eſtque amplius dictum *Lib. 1. tit. 2. De Conſtitutionibus. § 10. nu. 227. & ſeq.* Quinimò, antequam Reus ex propria confeſſione poſſit condemnari ad mortem oportet, ut conſtet de corpore delicti, putà, homicidium, quod quis confitetur ſe feciſſe, reipſa patratum eſſe. Poſſet enim confeſſio criminis potiùs ex tædio vitæ, aut deſperatione emiſſa fuiſſe, quam conſcientia criminis, *L. 1. §. Divus, & §. Si quis ultrò. ff. de Quæſtionib.*

66 Reſp. III. Ulterior effectus Confeſſionis judicialis eſt, quòd convalidet nullitatem Proceſſus: adeò, quod ubi habetur propria confeſſio, non attendatur defectus ordinis

judiciarii, quin confeſſus poſſit condemnari. Ita Innocentius *in c. Qualiter & quando il 2. n. 7. de Accuſation.* Abbas *c. At ſi Clerici. n. 5. & n. 17. de Judiciis.* Bartolus *l. Si confeſſus. n. 2. ff. de Cuſtodia & exhibit. Reor.* Farinacius *tit. quæſt. 81. n. 66.* allegans alios cum communi. Idemque liquet *ex c. 1. de Accuſat. in 6.* ubi confeſſio facta in judicio coram Delegato ſufficit ad condemnandum, etiamſi inquiſitio facta fuerit non præcedente diffamatione traditis antea Reo capitulis inquiſitionis; haud obſtante, quòd talis Proceſſus inquiſitionis cenſeatur factus contra formam *in c. Qualiter & quando. 24. de Accuſation.* præſcriptam.

67 Reſp. IV. Alius adhuc Confeſſionis judicialis effectus eſt, quòd excludat appellationem; adeò, ut confeſſus ad appellandum non admittatur. Textus eſt *in c. Cum ſpeciali. 61. §. Porrò. de Appellat.* ibi: *Si ejus exceſſus evidentia rei, vel ipſius confeſſione fuerit manifeſtus, non eſt provocationi hujuſmodi deferendum.* Et hoc quidem in cauſis civilibus paſſim admittunt Doctores, niſi quis velit probare errorem; ut inquit Gloſſa *in cit. c. Cùm ſpeciali. §. Porrò. verſ. Confeſſione* & alia Gloſſa *in c. Romana. §. Si autem. verſ. Vel de quo de Appellat. in 6.* Vel niſi in appellatione appellans inſerat aliquam cauſam obfuſcantem, vel excuſantem ipſam confeſſionem; prout loquitur Abbas *in cit. c. Cùm ſpeciali. §. Porrò. n. 5. de Appellat.* Covarruvias *Practic. Quæſt. cap. 23. n. 5. Concl. 2.* Pirhing *h. t. n. 19.* & Farinacius *lib. 3. Praxis Criminalis, qu. 101. n. 157. & 160.* citans plurimos alios.

68 Verùm in criminalibus ad excludendam appellationem plures requirunt, quod Reus ſimul & confeſſus, & convictus ſit; & ſi unum horum defecerit, appellatio admittatur, *arg. L. 2. C. Quorum appellationes non recipiantur. & can. Ei qui appellat. §. Sunt etiam. 2. q. 6.* ubi hæc duo videntur conjunctim requiri ad hoc, ut in criminalibus appellatio excludatur.

69 Porrò *Reus* cenſetur eſſe *convictus* tribus modis, videlicet Teſtibus, Inſtrumentis, & Indiciis indubitatis; ut probat textus *in l. Sciant cuncti.* & Baldus *ibid. in Summario. C. de Probation.* Farinacius *libr. 3. quæſt. 84. ante num. 1.*

70 Nihilominus, quòd non ſolùm in civilibus, ſed etiam in criminalibus, indiſtinctim non ſit deferendum appellationi, quando quis fuit ſponte confeſſus, nullam tamen in appellatione exprimit cauſam obfuſcativam factæ à ſe confeſſionis, cenſent Abbas, Covarruvias, Pirhing, *ubi ſupra*, & Farinacius *loc. cit. quæſt. 101. num. 157. & 160.* allegans plurimos alios. Quamquàm inter alias limitationes dictus Farinacius *nu. 146.* meritò notet, Regulam illam, quòd confeſſus non appellet, ſolummodò procedere in verè confeſſo: ſecùs autem in fictè confeſſo ratione contumaciæ: haud obſtante Statuto, quòd contumax habeatur pro confeſſo & convicto. Verùm de appellationibus alibi.

71 Quæritur II. An contra confeſſum in judicio debeat ferri ſententia diffinitiva? Ratio dubitandi, & negativam tenendi, deſumitur ex Juribus *n. 64.* relatis, ubi confeſſi in jure, pro judicatis habentur. Accedit textus urgentiſſimus *in l. Proinde. ff. Ad Legem Aquiliam*, ibi: *Nullæ ſunt partes judicantis in confitentes.* Verùm his non obſtantibus, ac diſtinguendo inter cauſas criminales, & civiles.

72 Reſp. I. Loquendo de cauſis criminalibus, contra ſponte confeſſum omnino requiritur ſententia diffinitiva Judicis. Ita Abbas *in c. At ſi Clerici. n. 16. verſ. Secundo caſu. de Judiciis.* Bartolus *L. un. n. 13. C. de Confeſſ.* Maranta *p. 6. Speculi Aurei, tit. de Confeſſione. nu. 26.* & communis. Idque patet *ex l. Si confeſſus. ff. de Cuſtod. & exhibit. Reor.* ibi: *Si confeſſus fuerit Reus, donec de eo pronuncietur, in vincula publica conjiciendus eſt.* Concordat textus *in l. Cùm reis. C. de Pœnis. & can. Nos in quemquam 2. q. 1.* cum ſimilibus. Unde *cap. 2. h. t.* contra Clericum ſimoniacum fertur ſententia diffinitiva depoſitionis, quamvis ille fuerit crimen in judicio confeſſus.

73 Reſp. I. Quamvis major inter Doctores ſit controverſia, utrùm in cauſis civilibus contra ſponte confeſſum requiratur ſententia diffinitiva: communior tamen eſt Doctorum opinio, etiam tunc requiri ſententiam ſaltem poſt litem conteſtatam, & quando proceditur ſervato ordine judiciario. & non ſummariè tantùm. Ita Gloſſa *in cit. can. Nos in quemquam 2. q. 1. verſ. Confeſſum.* Bartolus *in cit. L. un. n. 13. C. de Confeſſis*, expreſſè diſtinguens, an in cauſa civili confeſſio emanaverit ante litem conteſtatam, & tunc (inquit) habetur confeſſus pro condemnato, ut loquitur textus ibidem: aut poſt litem conteſtatam; & tunc debet ſequi ſententia, *l. Certum confeſſus. §. fin. ff. de Confeſſis.* Zoeſius *tit. eod. ff. n. 13.* Pirhing *h. t. n. 20.* & alii. Ratio eſt: quia ordo judiciarius præcipuè conſiſtit in ſententia; ergo hanc ex confeſſione poſt litem conteſtatam primùm facta, tenetur Judex ferre. Judicium enim ſemel cæptum, ſententia dirimenda eſt, *l. Ubi acceptum. ff. de Judiciis.* Unde, ac magis loquendo ad propoſitum, *in c. Præterea quartò. 10. de Tranſact.* Pontifex in caſu cujuſdam tranſactionis, jubet contra confeſſos ſententiam diffinitivam ferri, illis verbis: *Reſpondemus, quòd ex prædicta Fratrum confeſſione contra eas ſententia procedere debeat.* Concordat textus *in l. Julianus. ff. de Confeſſis*, ibi: *Julianus ait, confeſſum, certum ſe debere legatum, omni modo damnandum.*

Additur notanter, *ſaltem poſt litem conteſtatam, & quando proceditur ſervato ordine judiciario.* Nam, ſi ante litis conteſtationem ſponte facta fuerit confeſſio, non requiritur alia ſententia, ſed ſufficit, ut confeſſio ſimpliciter faciat Judex præceptum de ſolvendo, *l. Si debitor. ff. de Judiciis*; ac rectè notat Gloſſa *L. un. C. de Confeſſis*, ſic ſolvens textus in contrarium, dicendo, quòd hi procedant poſt litem conteſtatam, alii verò ante litem conteſtatam. Bartolus *loc. cit.* & alii. Accedit ratio: quia ante litem conteſtatam, Judicium (ordinarium) necdum cenſetur eſſe cæptum; eò, quòd litis conteſtatio ſit fundamentum, lapiſque angularis judicii; *cap. un. de Litis conteſtat.* cum ſimilibus: ſicque hic ceſſat ratio proximè allata ex *cit. l. Ubi acceptum ff. de Judic.* cum ſimilibus. 74

Deinde, quòd in Judicio ſummario, ſeu de plano inſtituto, non requiratur neceſſariò ſententia, ſed ſufficiat præceptum Judicis de ſolvendo; deſumitur tum ex natura hujus Judicii, *in Clem. Sæpè contingit. de Verbor. ſignif.* exactè deſcripti: tum *ex l. Poſtrem. ff. de Re judic. & L. un. C. de Confeſſis*, ubi dicitur: *Confeſſos in jure pro judicatis haberi placet:* cum concordantiis. 75

Ad rationes dubitandi *numer. 71.* allatas, & imprimis ad textus illos, in quibus confeſſi pro judicatis habentur. 76 Reſp. Eos procedere partim loquendo de Judicio ſummario, partim de confeſſione ante litis conteſtationem facta, ut ſic jura juribus concordentur, juxta Gloſſam proximè allegatam. Ad alterum reſpondetur, dictum illud, *Nullæ ſunt partes judicantis in confitentes*, procedere ſolùm, quantùm ad examinationem cauſæ, ſeu ulteriorem ejus probationem: non verò, quantùm ad prolationem ſententiæ. Etſi enim, ſuppoſita Rei confeſſione, non ampliùs debeat Judex in civilibus inveſtigare de veritate cauſæ; puta, utrùm damnum fuerit datum, nec ne (de hoc enim conſtat ex propria confeſſione Rei) tenetur nihilominus juxta hanc confeſſionem ferre ſententiam, Reum condemnando, damnique quantitatem æſtimando; ſaltem, quando judicium fuit ſolemniter inchoatum, ut ſic ſolemniter finiatur per ſententiam. Unde Gloſſa *in cap. ult. h. t.* breviter ait: *In confeſſos nullæ ſunt partes judicis in cognoſcendo, ſed in ſententiando ſic:* quia nimirum debet ferre ſententiam ex illa confeſſione, *l. proinde* juncta Gloſſa *fin. ff. Ad Legem Aquil. & c. Præterea. de Tranſact.*

Quæritur III. An Confeſſio facta in judicio revocari poſſit? Reſp. I. Regulariter eam revocari non poſſe: niſi revocetur incontinenti. Ratio eſt: quia confeſſus in jure habetur pro judicato, per textum *in L. un. C. de Confeſſis.* Ubi proinde quopiam, à propria tali confeſſione recedere volente, ſubjungitur: *Quare ſine cauſa deſideras recedi à confeſſione tua, cùm & ſolvere cogeris.* 77

Additur notanter, *niſi revocetur incontinenti.* Nam, ubi quis videt ſe errasse, poteſt incontinenti ſe corrigere, ſuamque confeſſionem revocare, *c. Præterea. 7. de Teſtib. cogend.* ac notat Gloſſa *in can. Apud miſericordem. 32. q. 2. verſ. Revertitur*, & communis. In quo quidem caſu non eſt neceſſe probare errorem, aut rem aliter ſe habere; ſed ſufficit ſimpliciter revocare, allegando errorem: ſicut ſolet dici de teſte, juxta *cit. c. Præterea*, ac notat Abbas *in cap. ult. n. 21. h. t.* Secùs eſt, ſi ex intervallo primum revocetur confeſſio: quia tunc oportet probare errorem, vel ſaltem rem aliter ſe habere, juxta dicenda *n. 80.* 78

Dicitur autem Confeſſio revocari incontinenti, ſi 79

non



non interponatur ſuæ correctioni intervallum; ut loquitur textus *in d. c. Præterea. de Teſtib. cogend.* Atque illud cenſetur vel maximè tunc fieri, quando revocatur, antequam confeſſio ſit redacta in ſcriptis, juxta Gloſſam *l. cit.* & aliam Gloſſam *cap. ult. V. Juxta cauſa. de Jurejurand. in 6.* quam approbat Abbas *in c. Ex litteris. numer. 10. de Divort.* & Maſcardus *de Probat. concl. 369. nu. 5.* Vel ſaltem, quando facta confeſſio revocatur in eadem inſtantia, ſive antequam quis recedat à præſentia Judicis; ut explicat Gloſſa *in cit. c. Præterea. verſ. Incontinenti.* Aut certè hoc erit relinquendum arbitrio Judicis, qui inſpecta conditione perſonæ, & quantitate intervalli, ſecundùm qualitatem facti conſiderabit, an adhuc incontinenti cenſeatur confeſſio revocata; adeòque non ſit opus alia probatione erroris, juxta Gloſſam proximè allegatam, & Abbatem *in cap. ult. n. 22. h. t.*

80 Reſp. II. Dantur nihilominus aliqui caſus, in quibus data Concluſio, ſeu Regula fallit, atque limitanda eſt. Primò ſiquidem poteſt etiam ex intervallo revocari confeſſio facta in judicio, quando quis probare poteſt, per errorem facti ſe confeſſum fuiſſe, *arg. c. ult.* juncta Gloſſa *fin. h. t.* & fuſè tradit Abbas *ibidem n. 20. & ſeqq.* ac Barboſ. *num. 4. eod.* aſſerens cum aliis, quòd confeſſio facta per errorem facti poſſit revocari, dum cauſa non fuerit finaliter terminata. Cardin. Tuſchus *Lit. C. Concl. 649. n. 1.* idem docens poſt Federicum de Senis *Conſil. 98. num. 4. et num. 20.* ſubjungens, quòd hoc ipſo de errore doceatur, ſi probetur, rem aliter ſe habere, quàm ſit confeſſus, etiam in facto proprio, quando agitur de damno vitando. Concordat textus in *l. Non fatetur. ff. de Confeſſis*, ibi, *Non fatetur, qui errat, niſi jus ignoraverit.* Ubi Bartolus ad longum præſentem materiam examinat, & reſolvit. Zoeſius *tit. de Confeſſis. ff. n. 12.* Maſcardus *concluſ. 378. n. 1. ſeqq.* citans alios.

81 Deinde fallit data Regula in Minorennibus: nam hi propria confeſſione graviter læſi, ob debilitatem judicii, reſtituuntur in integrum, *l. Certum confeſſus. §. In pupillo. ff. de Confeſſis.* Quin etiam in Majorennibus ratione probabilis erroris, poteſt iſtud extraordinarium remedium reſtitutionis in integrum quandoque locum habere, ex clauſula illa generali, *Si quæ mihi juſta cauſa &c.* etiam poſt rem judicatam. Card. Tuſchus *cit. concl. 649. nu. 5.* Alexander *conſil. 80. n. 14. vol. 2.* iſtud probans *ex l. cum fideicommiſſum*, juncta Gloſſa *fin. ff. de Confeſſis.* Bartolus *in cit. l. Non fatetur. §. Aut habuit juſtam. ff. eod.* & alii; & concordant dicta *Lib. 1. Tit. 41. De in integrum reſtitutione. §. 2. n. 22. & 49. et ſeqq.*

## §. IV.

## De confeſſione judiciali Prælati, Procuratoris, & Socii criminis in præjudicium Eccleſiæ, vel Tertii.

*S U M M A R I U M.*

82 *Confeſſio Prælati adminiſtrationem non habentis, non præjudicat Eccleſiæ.*
83 *Et quid, ſi confiteatur de rebus illis, in quibus eſt legitimus adminiſtrator? Et num. ſeqq.*
*Confeſſio per viam contentioſæ juriſdictionis, & voluntariæ juriſdictionis, quæ? Ibid.*
84 *Confeſſio Prælati facta per viam contentioſæ juriſdictionis, probat contra Eccleſiam. Et num. præced.*
85 *Eccleſia ex tali confeſſione graviter læſa, juvatur duplici remedio; & quali?*
86 *Confeſſio Prælati per modum voluntariæ juriſdictionis, non præjudicat Eccleſiæ, neque Succeſſori. Et numer. 83.*
*Etiamſi conſiſteret in facto proprio Prælati, foretque ſigillata ſigillo ejus. Ibid.*
87 *Limitatur iſtud, quando confeſſio illa facta eſt unà cum Capitulo.*
*Vel Eccleſia non habet Capitulum. Ibid.*
88 *Item, ſi confeſſio tendat ad liberandum aliquem.*
89 *Afferuntur aliæ limitationes.*
90 *Confeſſio Procuratoris præjudicat Domino, niſi legitimè revocetur. Et num. ſeqq.*



91 *Dummodò ſit facta per viam contentioſæ juriſdictionis, & non omnino ſponte.*
92 *Solvitur inſtantia* ex l. Si defenſor. ff. de Interrog. act.
93 *Confeſſio judicialis per Procuratorem facta, poteſt revocari.*
94 *Nec opus eſt alia probatione erroris, quando revocatur incontinenti; aliàs ſecùs. Et num. præc.*
95 *Confeſſio Procuratoris quando dicatur per Dominum revocata incontinenti?*
96 *De ſe confeſſi ſuper aliorum conſcientiis, ſeu de ſociis criminum, interrogari non debent.*
97 *Et hujus ratio.*
98 *Fallit data regula in Criminibus exceptis, nam in his de ſe confeſſus poteſt interrogari de ſociis.*
99 *Crimina excepta, cur ſic dicantur?*
100 *Horum ſunt plura.*
101 *Et quæ? Et num. ſeqq.*
102 *Simoniæ crimen eſt exceptum, & comparatur crimini læſæ Majeſtatis; & quando?*
103 *Furtum connumeratur inter excepta crimina; & quomodo?*
104 *Inter hæc generaliter veniunt delicta illa, quæ ex natura ſua petunt complicem.*
105 *Vel ſaltem in talibus circumſtantiis requirunt ſocios.*
106 *Reus de ſe confeſſus poteſt interrogari de conſociis in delictis occultis, & difficilis probationis.*
107 *Ad quid valeat confeſſio, ſeu nominatio ſocii criminis, per Reum de ſe confeſſum facta? Et num. ſeqq.*
108 *Loquendo de criminibus non exceptis, dicta nominatio ſocii ſolùm aperit viam judici ad inquirendum generaliter, non verò contra Nominatum in ſpecie, niſi concurrant alia indicia.*
109 *Et hujus ratio.*
110 *Loquendo verò de criminibus exceptis, nominatio ſocii criminis indiſtinctè valet ad inquiſitionem ſpecialem.*
111 *Hoc ipſum procedit in criminibus non exceptis, quando ea eſt adminiculata aliis indiciis.*
*Indicia hodie ſuccedunt loco diffamationis. Ibid.*
112 *Quæ indicia cenſeantur ſufficientia ad inſtituendam inquiſitionem ſpecialem contra aliquem, putà Nominatum.*
113 *Nominatio ſocii criminis facta per Reum de ſe confeſſum, non eſt ſufficiens indicium ad torturam &c.*

QUæritur I. Utrùm confeſſio Prælati, adminiſtrationem habentis, noceat Eccleſiæ? Et notanter additur, *adminiſtrationem habentis*, nam quòd confeſſio Prælati, qui vel ab officio ſuo ſuſpenſus eſt, ſicque adminiſtrationem non habet, vel ſaltem de rebus Capituli diviſa bona habentis confiteri præſumit, non noceat, neque probet in præjudicium Eccleſiæ, vel Capituli, eſt certum, atque extra controverſiam. Ratio eſt: quia *non debet aliquis alterius odio prægravari* juxta *Reg. 22. Juris in 6.* Sive, ut *l. Non debet, ff. eod.* legitur: *Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.* Simulque *Delictum perſonæ*, putà improvida, vel malitioſa confeſſio Prælati, *non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare*, juxta *Reg. 76. Juris in 6.* cum concordantiis. Atque idcircò *in Auth. Quod obtinet. C. de Probat.* tunc demum ſtatur confeſſioni, quando præjudicat tantùm confitenti, & non alteri. Verùm loquendo de Prælato adminiſtrationem habente; quæſtio remanet: ad quam 82

Reſp. I. Quando Prælatus de rebus illis, in quibus eſt legitimus adminiſtrator Eccleſiæ, confitetur aliquid per viam contentioſæ juriſdictionis, probat ejus confeſſio in præjudicium Eccleſiæ, ſuique Succeſſoris: ſecùs, quando aliquid confitetur per viam voluntariæ juriſdictionis. Ita Abbas *c. Ex parte n. 10. h. t.* ubi ſub *Confeſſione per viam contentioſæ juriſdictionis* intelligit eam, quando Prælatus (vel Procurator, Tutor &c.) vocatur ad judicium, & ibi in reſponſionibus ex Judicis mandato factis, aliquid confitetur in præjudicium Eccleſiæ, vel Domini principalis, aut Pupilli. Econtrà verò ſub *Confeſſione per viam voluntariè juriſdictionis* intelligit illam, quam facit Prælatus, vel alius Adminiſtrator, ſua ſponte, & non coactè: hoc eſt, abſque alia neceſſitate ultrò aliquid confitendo in præjudicium Eccleſiæ, vel alterius. Eandem Concluſionem, ſic declaratam, tenet idem Abbas *in* 83



*cap.*

*cap. ult. n. 44.* & Gloſſa *fin.* aliique Canoniſtæ *ibid. de Præſcript.* Card. Tuſchus *Litt. C. Concl. 669. nu. 1. & 34. & ſeqq.* Noalus *de Tranſmiſſionibus, caſu 72.* allegans Rotam *Deciſ. 573. n. 5. part. 2. Recent.* Maſcardus *de Probat. Concl. 367. n. 21. & 22.* citans alios.

84 Prior pars, ſeu quòd confeſſio Prælati facta in judicio, ſive per modum juriſdictionis contentioſæ abſque colluſione & fraude, probet contra Eccleſiam, deſumitur ex *c. Præſentium. 2. de Confeſſis. in 6. & c. Suborta. 21. de Sent. & re judicat.* In quorum priori loco confeſſio Abbatis, & Prioris; in poſteriori autem confeſſio Procuratoris in judicio facta probat, ſicque præjudicat Eccleſiæ. Accedit, quòd confeſſio Procuratoris facta in judicio per viam contentioſæ juriſdictionis, præjudicet Domino, ut proximè *n. 90. & 91.* dicetur: idem ergo, & quidem à fortiori, dicendum de confeſſione Prælati taliter facta.

85 Solùm adde, quòd ſi Eccleſia ex confeſſione ſui Prælati, etiam in judicio facta, graviter læſa fuiſſet, duplici remedio eidem ſubveniri, dictaque confeſſio revocari poſſit. Primò, per remedium ordinarium, ſeu à Jure communi omnibus conceſſum; ſi nempe Eccleſia, ſive Prælatus ille, negotio nondum finito docuerit, confeſſionem illam per errorem facti emanaſſe: ut *c. Ex parte. h. t.* & notat Abbas *ibid. n. 4.* & Engel *eod. tit. 19.* eſtque jam dictum ſuprà *num. 77. 78. & 80.* Secundò, per remedium extraordinarium, ſeu per reſtitutionem in integrum: ut *c. Cùm veniſſent, ac ſeqq. De In integrum reſtit.* Atque illud remedium extraordinarium pinguiùs providet, quàm ordinarium: quia in ordinario oportet probare errorem, & quidem ante finitum negotium: in extraordinario autem ſufficit probare gravem læſionem, & datur totum quadriennium à tempore factæ læſionis, licèt ſententia jam fuiſſet lata. Abbas *cit. c. Ex parte. n. 4. h. t.* & concordant dicta ſuperiùs *Lib. 1. Tit. 41. De In integrum reſtitut. n. 6. & ſeqq. & n. 32.*

86 Altera pars datæ Concluſionis, probatur ex eo: quia confeſſio Prælati per modum voluntariæ juriſdictionis facta in præjudicium Eccleſiæ, eſt ſpecies alienationis, ſeu donatio quædam; tacitè enim per talem confeſſionem remittitur, ſeu donatur alteri jus Eccleſiæ: atqui alienatio de bonis Eccleſiæ non valet niſi fiat ex cauſa neceſſitatis, vel utilitatis, atque interveniente debita forma, & authoritate Superioris, *c. 1. & ſeq. de Rebus Eccleſ. non alienand.* ſicut & rei alienæ Adminiſtratores donare non poſſunt, *l. Contra juris. §. fin. ff. de Pactis*; ergo. Accedit, quòd in confeſſione voluntaria inſit ambitio; & ſi ea ſemel liceret, aperiretur lata porta infinitis fraudibus, quibus Prælati ad complacendum aliis poſſent ſuis Eccleſiis præjudicare: ſecùs accidit in confeſſione neceſſaria, ſeu facta in judicio ad mandatum Judicis per modum juriſdictionis contentioſæ. Atque ex his patet manifeſta diſparitas inter priorem, & poſteriorem partem datæ *num. 83.* Concluſionis.

Infertur proinde, quòd confeſſio voluntaria Prælati, ſi fiat ſine neceſſitate, conſenſuque Capituli, ſeu aliorum, quorum intereſt, non præjudicet Eccleſiæ, neque Succeſſorem ejus obliget: etiamſi conſiſteret in facto proprio, quo Prælatus Eccleſiam cuipiam alteri, v. g. ratione certæ ſibi ab ipſo præſtitæ pecuniæ, obligavit, ſimulque confeſſio illa foret ſigillata ſigillo ipſius Prælati. Idque per Jura, & rationes proximè allatas; & quia alioquin daretur aperta via fraudibus, in magnum præjudicium Eccleſiarum. Card. Tuſchus *d. Concl. 669. n. 7. & 8.* citans alios.

87 Reſp. II. Patitur nihilominùs data Concluſio quoad alteram partem nonnullas limitationes. Primò, quando confeſſio Prælati, v. g. de recepto mutuo, facta fuit una cum Capitulo, vel de ejus aſſenſu; quia tunc præjudicat Eccleſiæ, atque obligat Succeſſorem. Gloſſa *c. Dudum Eccleſia. 54. verſ. De veritate. verſ. Sed non credo de Election.* Felinus *c. ult. n. 11. de Præſcript.* Card. Tuſchus *cit. litt. C. Concl. 669. nu. 41.* ad hoc requirens, quòd exprimatur cauſa obligatoria Eccleſiæ; putà, quòd pecunia fuerit mutuò accepta pro reparatione, vel aliis neceſſitatibus Eccleſiæ: citanſque Calderinum *Concl. 153. circa med.* & Caſtrenſem *Conſil. 338. n. 2. lib. 1.* Maſcardus *de Probat. Concl. 367. n. 5. & 6.* citans Rotam *Deciſ. 466. Confeſſio Prælati in novis.* & plures.

Deinde confeſſio Prælati probat in præjudicium Eccleſiæ, ſi hæc, ſive Prælatus ille, non habeat Capitulum. Abbas *in c. Dilectus. n. 4. de Capell. Monach.* Card. Tuſchus *cit. Concl. 669. nu. 40.* Romanus *Conſil. 36.* iſtud probans ex *Clem. 1. de Rebus Eccleſ. non alienand.* Maſcardus *loc. c. n. 10. & 20.* allegans alios, atque iſtud intelligens in cauſis non arduis; ſecùs in arduis, juxta *cit. Clem. 1.*

88 Ulteriùs confeſſio Prælati, quæ tendit ad liberandum aliquem, & conſiſtit in facto proprio (putà, ſi is confiteatur debitum ab altero ritè ſibi perſolutum fuiſſe) probat etiam ſine conſenſu Capituli; adeò, ut ex tali confeſſione liberetur debitor, & Eccleſia nihil ampliùs ab eo exigere valeat. Maſcardus *d. Concl. 367. n. 7.* poſt Caſtrenſem *Conſil. 43. n. 2.* & alios.

89 Inſuper, licèt confeſſio Prælati ſe ſola non præjudicet Eccleſiæ, nihilominùs præjudicat ipſa, & nocet Eccleſiæ, quando Jus commune, ſive præſumptio ſtat contra Eccleſiam. Abbas *in c. Si diligenti. 17. nu. 4. de Præſcript.* id probans per textum ibidem, juncto *c. 2. de Capell. Monach.* ubi talis caſus refertur. Rurſus, confeſſio Prælati poteſt præjudicare Eccleſiæ una cum aliis adminiculis, ut inquit Gloſſa *in c. Dudum eccleſia. 54. verſ. De veritate. de Election.* Maſcardus *d. Concl. 367. n. 13.* Nam quæ non proſunt ſingula multa juvant, *l. Inſtrumenta*, juncta Gloſſa *verſ. alii quoque. C. de Probat.* Præjudicat quoque Eccleſiæ confeſſio Prælati, durante vita ipſius Prælati. Card. Tuſchus *cit. Litt. C. Concl. 669. num. 40.* Maſcardus, *ubi ſuprà n. 16.* Item, confeſſio Prælati præjudicat Eccleſiæ, ſi is confiteatur ut procurator conſtitutus ab ipſa Eccleſia, juxta proximè dicenda; & notat idem Maſcardus *numer. 23.* & Tuſchus *cit. n. 40.* qui nonnullas alias limitationes adducunt, apud eoſdem videndas, nam præmiſſæ ſunt cæteris notabiliores.

90 Quæritur II. Utrùm confeſſio Procuratoris præjudicet Domino? Reſp. I. Procuratoris confeſſio facta in judicio per viam contentioſæ juriſdictionis probat contra Dominum, ipſique præjudicat, niſi legitimè revocetur. Ita deſumitur *ex cap. 1.* juncta Gloſſa *verſ. non negavit. de Poſtulat. Prælat. & c. Suborta. 21. de Sentent. & re judicat. & c. Dilectus. de Capellis Monach.* & notat Abbas *in c. Ex parte. n. 3. & 10. h. t.* idipſum docens de confeſſione Oeconomi reſpectu Eccleſiæ; & Tutoris vel Curatoris reſpectu Pupilli, vel Minoris. Maſcardus *Concl. 369. de Probat. n. 1. & ſeqq.* citans Rotam *Deciſ. 374. in antiq.* & alios; & concordant dicta ſuperiùs *Lib. 1. Tit. 38. de Procuratorib. §. 5. n. 119. & 125.*

91 Additur notanter, *confeſſio facta per viam contentioſæ juriſdictionis*: hoc eſt, ſi quis vocatus fuerit in judicium, & ibi juridicè interrogatus quidpiam reſpondendo confiteatur in præjudicium ſui Principalis; Nam ſi Procurator ſpontè, & abſque ulla neceſſitate, ultrò fateatur aliquid in præjudicium Domini, talis confeſſio non præjudicat: quia cenſetur potiùs eſſe donatio, ſeu ultronea renunciatio juris; qualis non tenet, ſi per Procuratorem fiat abſque ſpeciali mandato Domini, *l. contra juris. ff. de Pactis*; & docet Abbas *d. n. 10.* Atque in hoc ſenſu procedit textus *in l. Certum. §. Sed an. ff. de Confeſſis*; ubi Ulpianus inquit: *Sed an & ipſos procuratores, vel tutores, vel curatores fateri ſufficiat, videamus? Et non puto ſufficere*: nempe, ut præjudicent Domino quando ſic ultrò confitentur; prout eſſe communem intellectum, teſtatur Abbas *cit. n. 10.*

92 Objicies contra datam Concluſionem *In l. Si defenſor. ff. de Interrogat. action.* dicitur: *Si defenſor in judicio interrogatus, falsò reſponderit, ipſe quidem defenſor adverſario tenebitur; ipſi autem quem defendit, nullum facit præjudicium*: ergo confeſſio Procuratoris Domino ſuo non præjudicat. Reſp. neg. conſequent. Quia, ut notat ibidem Gloſſa *in caſu, & verſ. Præjudicium*, ibi ſermo eſt de Defenſore, qui ſine mandato alium defendit. Alioquin autem, quod error Advocati noceat ſuo Clientulo præſenti, nec contradicenti ex continenti (ſaltem intra triduum) neque poſt ſententiam appellanti, patet *ex L. 1. & L. ult. C. de Errore Advocat.*

93 Reſp. II. Poteſt nihilominus ejuſmodi confeſſio judicialis per Procuratorem, vel Oeconomum Eccleſiæ facta, revocari: idque vel incontinenti, in quo caſu non eſt opus alia probatione erroris; vel ex intervallo, qua ratione poteſt revocari confeſſio quovis tempore ante ſententiam latam, dummodò probetur, eam per errorem facti contigiſſe



contigiſſe, atque inde Eccleſiæ, vel Domino principali præjudicium generari. Ita Maſcardus *cit. Concl. 369. n. 2. & ſeqq.* citans alios, & allegans multiplicem Deciſionem Rotæ, quæ cenſuit, talem revocationem fieri poſſe non tantum per Dominum principalem, ſed etiam per ipſummet Procuratorem. Concluſio hæc ſequitur ex dictis *nu. 78. & 80.* Nam ſi incontinenti, aut probato errore facti, poteſt revocari confeſſio propria; multò magis iſtud erit concedendum de confeſſione alterius, puta Procuratoris, in ſuum præjudicium emanata. Idipſum, loquendo de Confeſſione in præjudicium Eccleſiæ per Oeconomum facta, expreſsè ſtatuitur *in c. ex parte h. t.* Addita illa ratione: *Cùm negotio nondum finito, nemini noceat error facti.*

94 Concordat textus *in l. Error facti. C. de Juris & facti ignorant.* ubi ſimiliter dicitur, quòd *error facti necdum finito negotio: nemini noceat.* Et hoc eſſe intelligendum, quando quis ex intervallo confeſſionem revocans, probat, ſe aut ſuum Procuratorem in facto erraſſe, deſumitur *ex cit. can. Ex parte. h. t.* ibi: *Si de hujuſmodi potuerit errore docere.* Porrò, quòd juxta alteram partem datæ Concluſionis, nulla opus ſit probatione erroris, ſi confeſſio per ipſum Procuratorem, vel per ejus Dominum principalem incontinenti revocetur; patet *ex c. cùm cauſam. 62. de Appellat.* Ubi habetur talis revocatio confeſſionis erroneæ, per Procuratorem ſeu Advocatum factæ; & quidem abſque alia erroris probatione, eò quòd Dominus confeſſionem illam revocaverit incontinenti, ſive adhuc eadem die. Idem tradit Gloſſa *in c. Apud. 32. q. 1. verſ. Revertitur. & c. Scriptum eſt verſ. Revocatam. de Election.* Abbas *cit. can. Ex parte. num. 21. h. t.* Nam etiam teſtis poteſt incontinenti dictum ſuum corrigere, *can. Præterea. 7. de Teſtib. cogend.* & concordant dicta ſuperiùs *cit. numer. 78.*

95 Dicitur autem confeſſio Procuratoris per Dominum revocata incontinenti, non ſolùm, ſi præſente Domino facta revocetur, antequàm confeſſio ſit redacta in ſcriptis; vel ſaltem, antequàm recedant partes à præſentia Judicis, juxta dicta ſuperiùs *n. 79.* Sed inſuper *in c. cùm cauſam. 62. de Appellat.* admittitur revocatio reſponſionis Advocati, per Dominum principalem eadem die facta: & ſic poſt receſſum à præſentia Judicis. Quinimò *in L. ult. C. de errore Advocat.* cenſetur error Advocati revocatus *ex continenti, ſi triduo proximo contradixit* Dominus, qui judicio præſens intererat.

96 Quæritur III. An de proprio crimine judicialiter confeſſi poſſint interrogari de Sociis criminis, eorumque confeſſio adverſùs iſtos admitti? Reſp. I. Regula eſt: *De ſe confeſſi, ut aliorum conſcientiis interrogari non debent.* Ita quippe loquitur *c. 1. h. t.* ubi Gloſſa, *verſ. Confeſſi*, varias utriuſque Juris concordantias allegat; atque infert, dicens: *Nulli ergo de ſe confeſſo. ſ. per crimine aliorum creditur.* Idem patet *ex c. Veniens. 10. de Teſtibus. & c. Nemini. 15. quæſt. 3. & c. Nega... 2. quæſt. 11. & L. ult. C. de Accuſation. & in ſcript.* cum ſimilibus.

97 Infertur proinde, quòd regulariter loquendo, de proprio crimine confeſſi non ſint examinandi de Sociis criminis, neque eorum confeſſio adverſùs quemlibet admittenda; uti patet ex allegatis Juribus. Accedit ratio: tum quia de ſe crimen in judicio confeſſus, eo ipſo fit infamis, vilis, ac dubiæ fidei; ideòque meritò à teſtimonio ferendo repellitur, *c. Teſtimonium. 54. de Teſtib.* Tum quia ejuſmodi *confeſſio eſt periculoſa*; ut dicitur *in cap. 1. h. t.* juncta *L. ult. C. de Accuſation.* Ubi & hujus ratio redditur. Ne alioquin de ſe confeſſus ſibi blandiri poſſit, *veniam ſperans propter flagitia adjuncti, vel pro communione criminis conſortium perſonæ ſuperioris optans, aut inimici ſupplicio in ipſa ſupremorum ſuorum forte ſatiandus, aut eripi ſe poſſe confidens.* Hæc enim facilè ſequerentur, ſi de proprio crimine jam confeſſi, poſſent ſemper examinari, atque audiri ſuper aliorum criminibus.

98 Reſp. II. Fallit nihilominùs data Regula in criminibus exceptis, in quibus, cùm valdè pernicioſa ſint Reipublicæ, bonumque publicum graviter lædant, Jus ipſum ſtatuit, poſſe de ſe confeſſos interrogari de ſociis criminis. Ita communis, & patebit inductione, ſeu enumeratione dictorum criminum, de quibus *Concl. ſeqq.*

99 Solùm hic prænotandum, quòd ejuſmodi valdè pernicioſa *Crimina* dicantur *excepta*, eò quòd in ipſis non neceſſariò ſint obſervanda ea omnia, quæ alioquin Jure poſitivo de Inquiſitione criminum, & Proceſſu judiciario ſtatuta fuerunt. Unde inter alia fit, quòd in eiſdem fallat data Regula, poſſitque Judex de ſe confeſſos interrogare de ſociis criminum.

100 Reſp. III. Ejuſmodi crimina excepta, ſeu circa quæ de ſe confeſſi poſſunt judicialiter interrogari de ſociis criminum, ſunt plura. Patet hoc inductione, enumerando talia crimina, quorum nonnulla refert Gloſſa *fin. in L. ult. C. de Accuſation.* cætera verò Farinacius *lib. 1. Criminal. quæſt. 43. num. 57 & ſeqq.* Petrus Maria Paſſerinus *in tribunali Regularium, q. 12. art. 14. n. 60.* & alii.

101 Sic quippe inter Crimina excepta connumeratur. I. Crimen Hæreſis: ut *c. In fidei. 5. de Hæret. in 6. & c. Litteras. 14. de Præſumptionib.* II. Crimen læſæ Majeſtatis: ut *cap. 1. h. t. & can. Veniens. 15. q. 3.* cum ſimilibus. III. Crimen ſacrilegii: juxta *can. In primis. §. De perſona Januarii. 2. q. 1. & can. Si quis ſuadente. 17. q. 4. §. Qui autem.* ubi contra genus ſacrilegii ad inſtar publici criminis, & læſæ Majeſtatis, procedendum dicitur. IV. Crimen Veneficii, ſeu Magiæ, *arg. l. ult. C. de Maleficis*: ubi punitur, qui occultaverit talem *publicum Reum, ne facinoris ſocios publicaret.* V. Crimen Latrocinii, & Graſſationis per vias publicas, *l. Divus Hadrianus. ff. de Cuſtodia Reor.* ibi: *Irenarchæ cùm apprehenderint latrones, interrogent eos de ſociis & receptatoribus.* VI. Crimen falſæ Monetæ, utpote cujus obnoxii, crimen læſæ Majeſtatis committunt; ut dicitur *L. 2. Cod. de Falſa monet.* VII. Aſſaſſinii crimen: nam in hoc poteſt Aſſaſſinus de mandatoribus interrogari, *arg. l. Non ideò minùs. C. de Accuſat.* & tradit Farinacius *loc. cit. n. 56.* cum pluribus aliis.

102 VIII. Simoniæ crimen: nam iſtud comparatur crimini læſæ Majeſtatis, *can. Sanè. 1. q. 3.* Quamquàm hoc duntaxat procedat, ſi agitur de Simonia civiliter; quia tunc ſocius criminis admittitur ad teſtificandum, dummodò ſit ſocius criminis tantùm, & non muneris: ſecùs, ſi agatur de ea criminaliter, aut quis etiam fuerit ſocius muneris, per textum *in c. 1. de Teſt. b. in 6.* Ulterius, &

103 IX. Furtum etiam connumeratur inter excepta Crimina: non quidem de jure, ſed de conſuetudine Judicum, qui deprehenſum in uno furto, ſolent examinare de aliis furtis ab eo commiſſis, quorum nulla habent indicia: idque propter frequentiam hujus criminis, cui proinde ſeveriùs obviandum eſſe exiſtimant. Julius Clarus *lib. 5. Practicæ Criminalis. §. fin. quæſt. 64. n. 45.* Pirhing *h. t. n. 24.*

104 X. Inter crimina excepta, ſeu in quibus Judex ex officio poteſt, & debet interrogare de ſociis criminis, generaliter veniunt delicta illa, quæ ex natura ſua petunt ſocium criminis, ſeu complicem quendam: tunc enim de ſe confeſſus poteſt interrogari de complice, qui illius criminis particeps fuit. Farinacius *cit. q. 43. n. 107.* poſt Salycetum *in L. ult. n. 7. ff. de Accuſat.* & plurimos alios. Et talia crimina ſunt adulterium, ſtuprum, ſodomia, & hujuſmodi, quæ neceſſariò requirunt complicem.

105 His accedunt ea delicta, quæ quidem abſolutè poſſent committi ſine ſocio, tamen in talibus circumſtantiis requirunt multitudinem ſociorum: ut fit in ſubtractione magnarum trabium, ut in amotione magni lapidis pro limite in confinio poſiti, qui ab uno ſolo amoveri non potuiſſet. Idem dicendum; quando hìc & nunc adſunt indicia, quòd crimen, utputà homicidium, fuerit à pluribus commiſſum, vel tractatum: tunc enim de ſe confeſſus, poterit de aliis conſociis interrogari, prout pluribus declarat Farinacius *loc. cit. n. 107 & 109.* allegans alios.

106 XI. Reus de ſe confeſſus poteſt interrogari de conſociis in delictis occultis, & difficilis probationis, & in quibus veritas aliter haberi non poteſt, niſi per ſocios criminis. Ita Farinacius *cit. quæſt. 43. n. 68.* allegans Decium *conſil. 342. num. 3.* & alios. Idque deſumitur *ex c. ult. de Teſtib. cogend.* ubi loquendo de crimine conjurationis in Epiſcopum, quod aliter probari non poterat, coguntur ſocii etiam jurati ad eam detegendam. Accedit, quòd in iis, quæ ſunt difficilis probationis, aut ubi ex natura facti alii teſtes haberi non poſſunt, admittantur teſtes, qui aliàs ſunt prohibiti: ut *c. Veniens ad Apoſtolicam. 38. §. fin. de Teſtib. & c. Et ſi Chriſtus. 26. de Jurejurand. & l. conſenſu. 6. ſuper plagis. C. de Repudiis.* Verùm occaſione præmiſſorum

107 Quæritur IV. Ad quid valeat confeſſio, ſeu nominatio ſocii criminis, per Reum de ſe confeſſum facta? Reſp.

I. Ge-

I. Generatim loquendo illis, qui de ſe ſunt confeſſi, & nominant ſeu denunciant ſocios criminis, non creditur quantùm ad convincendum, ſed quantùm ad præſumptionem: unde ſi adſunt aliæ præſumptiones, ſeu indicia, valent; aliàs per ſe non ſufficiunt. Ita Gloſſa *in cap. 1. verſ. Confeſſi* & Abbas *ibid. n. 6. & 8.* & Barboſa *n. 4. h. t.* Verùm deſcendendo magis ad ſpecialia.

108 Reſp. II. Loquendo de criminibus non exceptis, quando depoſitio Rei de ſe confeſſi, ac ſocium criminis quoquo modo nominantis, non eſt adminiculata aliis indiciis, ſeu præſumptionibus; tunc ipſa ſolùm aperit viam Judici ad inquirendum generaliter ſuper admiſſo crimine, ejuſque authore in genere: non verò ea ſufficit ad inquirendum ſpecialiter ſuper nominato ſocio criminis, neque ad tranſmittendum huic libellum criminalem, ut teneatur perſonaliter comparere, ſuaſque defenſiones facere. Ita Julius Clarus *cit. §. fin. quæſt. 43. num. 5.* Farinacius *c. quæſt. 43. n. 129.* Petrus Maria Paſſerinus *in Tribunali Regularium, q. 12. n. 63.* Ludovic. de Ameno *in Practica Criminali, tit. 15. §. 7. n. 53.* & alii.

109 Ratio eſt: quia in tali caſu dictum Rei de ſe confeſſi non ſe habet ut dictum teſtis (eſt enim inhabilis ad teſtificandum utpote criminoſus) ſed ſolùm ut dictum denunciatoris, ſeu notificatoris: talis autem poteſt etiam eſſe in perſona infamis & vilis, ſufficitque ejus dictum ad aperiendum Judici viam pro Inquiſitione generali; uti patet ex praxi Tribunalium in Apparitoribus, & aliis perſonis ad denunciandum crimina conſtitutis, quales plerumque ſunt pauperes & viles, quin & quandoque infames. Ad inquirendum tamen in ſpecie contra Nominatum, dictum Rei de ſe confeſſi non ſufficit abſque aliis adminiculis, cùm non faciat ſemiplenam probationem, vel indicia æquipollentia: ſimulque per Inquiſitionem in ſpecie contra Nominatum inſtitutam, magis gravaretur bona fama ipſius. Accedit, quòd ex una parte boni publici interſit, delicta ad notitiam Magiſtratus quomodocunque pervenire, ne delicta maneant impunita: ex altera verò parte talis denunciatio eſt modici præjudicii, cùm nihil aliud operetur, niſi quòd aperiat viam Judici ad inquirendum in genere, non verò in ſpecie contra Nominatum; multò minùs ad hunc citandum, vel capiendum, niſi prius habitis contra eum legitimis indiciis, & forſan ex Inquiſitione generali depromptis. Ita argumentatur Jul. Clarus *cit. §. fin. q. 7. n. 2.* quamvis poſteà *q. 43. nu. 5.* videatur etiam admittere Inquiſitionem ſpecialem contra ejuſmodi Nominatum, dum concedit, poſſe tunc Judicem procedere *ad inquirendum, & aſſumendum alias informationes contra Petrum nominatum, etiamſi prius contra ipſum nihil aliud eſſet in proceſſu.* Verùm in criminibus non exceptis, & ſecluſis aliis indiciis, communiter Doctores tenent oppoſitum, ut inquit Ludovic. de Ameno *loc. cit. n. 53.* & Paſſerinus *d. n. 63.*

110 Reſp. III. Loquendo verò de criminibus exceptis, nominatio ſocii criminis indiſtinctè valet ad Inquiſitionem ſpecialem, atque ad tranſmittendum Libellum criminalem, ut is teneatur perſonaliter comparere, & defenſiones ſuas facere: idemque dicendum de criminibus non exceptis, quando dicta nominatio ſocii criminis eſt adminiculata aliis ſufficientibus indiciis. Ita Farinacius *loc. cit. num. 127. 129. & 130.* Ludovic. de Ameno, & Paſſerinus, *ubi ſuprà.* Julius Clarus *loc. cit. quæſt. 21. num. 5.* cum aliis. Ratio eſt: quia in criminibus exceptis poteſt Reus de ſe confeſſus (ipſo Jure ſic concedente, & ordinante) interrogari quoad ſocios criminis; ergo etiam ejus nominatio facit indicium ſufficiens ad ſpecialiter inquirendum contra Nominatum, & ad illum citandum: alioquin fruſtrà permitterent Jura, ut Reus de ſe confeſſus in hujuſmodi criminibus interrogaretur de ſociis, contra Regulam generalem *numer. 96.* jam allatam. Accedit, quòd loquendo de criminibus exceptis, Reus de ſe confeſſus quandoque admittatur in teſtem contra ſocium criminis: prout de crimine hæreſis habetur ſtatutum, *c. In fidei 5. de Hæretic. in 6. & c. Litteras. 14. de Præſumpt. in 6.*

111 Atque idipſum procedit in criminibus non exceptis, quando per Reum de ſe confeſſum nominatio conſocii criminis eſt adminiculata aliis ſufficientibus indiciis: hoc ipſo, quòd tunc adſint talia indicia, juxta prudens arbitrium Judicis ſufficientia ad ſpecialiter inquirendum, & tranſmittendum Nominato libellum criminalem unà cum ejus citatione. Nam indicia hodie ſuccedunt loco diffamationis; ut notat Bartolus *in l. Congruit. §. Et nota quando. ff. de Offic. Præſid.* ubi æquiparat proceſſum Inquiſitionis ſpecialis cum indiciis, & fama publica, Maranta *p. 6. Speculi Aurei, tit. de Inquiſition. nu. 22.* Farinacius *lib. 1. quæſt. 9. n. 20.* citans complures alios. Atqui ad Inquiſitionem ſpecialem contra quempiam inſtituendam ſufficere, quòd præceſſerit diffamatio ejus, textus eſt in *c. Qualiter & quando. 24 de Accuſation.* ergo.

112 Quænam autem Indicia cenſeantur legitima ad inſtituendam Inquiſitionem ſpecialem contra aliquem, putà contra hujuſmodi Nominatum, admodùm variant Doctores; prout videre eſt apud Jul. Clarum *cit. §. fin. quæſt. 20.* & Farinacium *cit. l. 1. quæſt. 1. num. 47. & ſeqq.* Illud eſt certum; quòd fama ſola, quòd quis maleficium commiſerit, ſit ſufficiens ſignum ad inquirendum ſpecialiter contra diffamatum, *cit. c. Qualiter & quando. 24. de Accuſation.* Alioquin verò, cùm indicia alia ſint levia, alia gravia, alia graviſſima, generatim ſufficit dicere, talia ad ſpecialiter inquirendum contra aliquem requiri indicia, per quæ fit Judici legitima præſumptio, ſive ſuſpicio, quòd inquirendus deliquerit; qualia verò hæc ſint in caſibus particularibus, prudentis Judicis arbitrio eſt relinquendum; quamquàm leviora indicia ſufficiant ad ſpecialiter inquirendum, quàm ad torquendum. Farinacius *cit. q. 1. n. 25.* Julius Clarus *cit. quæſt. 20. num. 2. & ſeqq.* & alii. Unde ulteriùs

113 Reſp. IV. Nominatio ſocii criminis facta per Reum de ſe confeſſum, niſi concurrant alia adminicula, non eſt ſufficiens indicium ad torturam. Ita Jul. Clarus *lib. 5. Criminal. §. fin. quæſt. 21. n. 7. & 8.* allegans Boerium *Deciſ. 319. num. 1.* atteſtantem de communi, pluresque alios, ſimulque aſſerens, quòd hoc non tantùm procedat in criminibus non exceptis, ſed etiam exceptis: adeò, ut etiam in illis dicta nominatio (alia præſumptione non concurrente) non ſit ſufficiens ſignum ad torturam.

## §. V.

## De Confeſſione qualificata, & an hæc ex parte ſolùm poſſit acceptari?

*S U M M A R I U M.*

114 *Confeſſio qualificata, quæ?*
115 *Confeſſio quandoque fit ſimpliciter, quandoque ſub adjecta qualitate.*
116 117 & 118 *Exempla Confeſſionis qualificatæ referuntur. Et n. 115.*
119 *Confeſſio qualificata an ex parte poſſit acceptari, & ex parte negari? Et n. ſeqq.*
*Confeſſio continens diverſa capitula, poteſt ex parte acceptari, & ex parte reprobari. Ib.*
120 *In cauſis civilibus, ubi præſumptio juris non ſtat contra qualitatem adjectam, confeſſio qualificata debet vel tota recipi, vel tota reſpui.*
121 *Unde veritatem appoſitæ conditionis non tenetur probare ipſemet confitens.*
122 *Sed hanc debet refutare is, qui recipit unam partem confeſſionis qualificatæ.*
123 *Secùs eſt, quando præſumptio aliqua ſtat contra confitentem, ſeu adjectam qualitatem.*
124 *In criminalibus poteſt confeſſio qualificata dividi, eaque ſine qualitate acceptari. Et n. ſeqq.*
125 *In delictis ſtat præſumptio contra delinquentem.*
126 *Confeſſus tamen confeſſione qualificata, non poteſt condemnari ad pœnam capitalem.*
127 *Solvitur inſtantia.*
128 *Confeſſio qualificata, quòd ſcriptura privata grave delictum exprimens, ſua manu fuerit conſcripta jocoſè ſolùm, an præjudicet confitenti?*
*Refertur notabilis caſus circa hoc. Ibid.*
129 *Stante tali confeſſione, ſcriptura privata probat plenè contra confitentem, dummodò non agatur de imponenda pœna corporali. Et n. 131.*
130 *Solvitur inſtantia de allegato joco.*
131 *Privatio Beneficii Eccleſiaſtici, reputatur pœna civilis.*

Quæ-



114 QUæritur I. Quid ſit Confeſſio qualificata? Reſp. *Confeſſio qualificata* dicitur illa, quæ emanat circa unum capitulum ut certa qualitate affectum, vel ſaltem circa plura ut inter ſe connexa. Ita in re communis, prout patebit exemplis illicò afferendis.

115 Unde ſciendum, quod confeſſio quandoque fiat ſimpliciter; putà, abſolutè & purè confitendo debitum, vel crimen, ſine appoſita alia qualitate: in quo ſenſu hactenus de Confeſſione dictum eſt. Quandoque autem tali confeſſioni adjicitur aliqua qualitas, & quidem ſub eadem conſtructione, vel ſaltem incontinenti appoſita, juxta exempla illicò afferenda: & tunc dicitur eſſe *Confeſſio qualificata.* Exemplum hujus affert Gloſſa magna *in l. Siquidem. C. de Exception.* ſi Actore aſſerente, quòd Reus ſibi promiſerit decem, Reus reſpondeat, ſe ſolùm conditionaliter promiſiſſe (qualis confeſſio fit ſub unica conſtructione) vel promiſiſſe, ſed ſub conditione, ſi hoc aut illud fiat, & non aliter: talis enim confeſſio cenſetur qualificata, ob appoſitam incontinenti qualitatem, ſeu conditionem illam; nam quæ incontinenti dicuntur, cenſentur ineſſe, *l. Lecta eſt. ff. Si certum petatur.* Secùs, ſi conditio non incontinenti apponatur, ſed primùm ex intervallo: quia tunc non cenſetur ineſſe confeſſioni, ſicque non reddit iſtam qualificatam. Gloſſa *loc. cit.*

116 Aliud Confeſſionis qualificatæ exemplum habetur *in c. Bonæ memoriæ. 3. §. 1. de Poſtulat. Prælat.* ubi Nuntii Capituli Strigonienſis confitendo reſponderunt, quòd ſuper perficiendo ſibi Pontifice *de gratia multoties Suffraganeorum fuerat requiſitus conſenſus.* Hæc enim confeſſio Nuntiorum, inquit Abbas *ibid. n. 29.* emanavit qualificatè; atque ideò Suffraganei non poterant recipere, & approbare confeſſionem illam ſine qualitate *de gratia.* Hoc ipſum (ſubjungit Abbas ibidem) contingit, ſi confitear, recepiſſe me à te centum, quæ mihi debebas ex cauſa mutui: talis enim confeſſio continet unum actum qualificatum; quia non confiteor, me recepiſſe à te centum ſimpliciter, ſed centum quæ mihi debebas ex mutuo.

117 Secùs foret dicendum ſi petas à me centum, & ego reſpondeam, quòd *benè mihi mutuaſti centum, ſed tu ex alia cauſa tenearis mihi ea centum.* Hæc enim non cenſetur Confeſſio qualificata, ſed eſt pura confeſſio de recepto mutuo, quam proinde adverſarius poteſt habere acceptam; etſi ſimul ſit adjecta exceptio de debito aliorum centum, quam ego probare tenebor, cùm loquatur de facto ſeparato. Abbas *loc. cit.* Hoc idem dicendum in caſu, ſi reſpondeam: *Fateor; me tibi promiſiſſe centum, ſed ea tibi jam ſolvi.* Nam hæc, utpote loquens de diverſis actibus ſeu capitulis, non eſt confeſſio qualificata, ſed confeſſio ſimul & exceptio; ſicque poteſt per adverſarium quoad priorem partem acceptari, quoad poſteriorem verò negari, donec hæc à me probetur. Maranta *par. 6. Speculi Aurei. tit. de confeſſione, n. 27.*

118 His adde Bartolum *in l. Aurelius. §. Idem quæſit. ff. de Liberation. legat.* ubi generalem ponit regulam pro dignoſcenda Confeſſione qualificata, dum inquit: quòd ſi confeſſio fiat circa unum capitulum, hoc eſt, unum factum cum qualitatibus ſuis, vel circa plura connexa, tunc cenſeatur eſſe Confeſſio qualificata. Exemplum prioris eſt: *Fateor, me promiſiſſe tibi decem ſub conditione:* hic enim eſt unicum capitulum cum ſua qualitate, atque ideò eſt una confeſſio qualificata. Exemplum poſterioris, ſeu plurium capitulorum inter ſe connexorum, eſt: *Fateor, me promiſiſſe tibi centum, ſed pacto incontinenti appoſito, quod vadas pro me Romam:* iſta enim ſunt plura capitula, inter ſe tamen connexa; & quia incontinenti dicuntur, videntur ineſſe, *cit. l. Lecta. ff. Si certum petatur.* Econtrà verò diverſa capitula cenſentur ea, quæ fiunt diverſis temporibus; ut *l. Perfecta. C. de Donation. quæ ſub modo &c.* Idem dicendum, ſi incontinenti fiunt plura capitula, quorum unum non venit ad alterius demonſtrationem, ſed quodlibet per ſe ſtat: tunc enim ſunt diverſa capitula, quorum unum poteſt acceptari, alterum negari; ut *l. Etiamſi pater. §. Ex cauſa. ff. de Minoribus. & l. Scire debemus. ff. de Verbor. obligat.* Ita notanter diſcurrit Bartolus.

119 Quæritur II. An Confeſſio qualificata ex parte poſſit acceptari, & ex alia parte negari? Et dicitur, *Confeſſio qualificata:* nam extra controverſiam eſt, quòd ſi Confeſſio contineat duo vel plura capitula ſeparata, benè poſſit adverſarius unum capitulum, ſive unum factum, quod pro ſe facit, acceptare; & alterum, quod contra ſe eſt, reprobare; ut *cit. l. Etiamſi pater. §. Ex cauſa. ff. de Minoribus* cum ſimilibus. Idem patet in poſitionibus: has enim omnes fatetur quidem Pars ponens, non tamen eas omnes Pars adverſa recipit, ſed aliquas ſibi faventes poteſt acceptare, reliquas verò reſpuere: nam continent facta ſeparata, ut *c. Præſentium. §. Præterea.* juncta Gloſſa *V. Sigillatim. de Teſtib. in 6.* cum ſimilibus. Verùm loquendo de Confeſſione qualificata

120 Reſp. I. In cauſis civilibus, & ubi præſumptio juris non ſtat contra qualitatem adjectam, tunc Confeſſio qualificata debet vel tota recipi, vel tota reſpui: niſi recipiens partem talis confeſſionis pro ſe facientem, velit ac poſſit aliam partem, ſive adjectam qualitatem per rationes impugnare, & refutare. Ita Gloſſa magna communiter recepta *in l. Siquidem. C. de Exception.* Bartolus *ubi ſuprà, & in cit. l. Siquidem. C. de Exception.* Abbas *in c. Bonæ memoriæ. 3. n. 29. de Poſtulat. Prælat.* Alexander *Conſil. 87. n. 2. lib. 1.* Jaſon *l. Siquidem ex cauſa. n. 2. C. de Tranſaction.* Maranta *cit. n. 27.* Farinacius *lib. 3. Criminal. qu. 81. n. 149.* Gailus *lib. 1. de Pace publica, cap. 17. num. 2.* cum aliis, quos citant. Ratio prioris partis eſt: quia Actore rem purè & abſolutè petente, ſi Reus emittat confeſſionem qualificatam, hæc magis eſt negativa quam affirmativa reſponſio; & ſic perinde eſt, ac ſi petitio Actoris per omnia negaretur: utputà, ſi Actor petat decem vi factæ ſibi promiſſionis, & Reus qualificatè confiteatur, illa decem ſe promiſiſſe ſolum ſub conditione. Atqui Actore non probante Reus abſolvitur, *c. Cùm Eccleſia. §. fin. de Cauſ. poſſeſſ. & l. Qui accuſare. C. de Edendo;* ergo. Accedit, quod in judicio, ſi quis ambigua oratione uſus fuit, id quod utilius ei eſt, accipiendum ſit, *l. Si quis intentione. ff. de Judiciis:* atqui faciens confeſſionem qualificatam, nonnihil ambiguè loquitur; ergo.

121 Atque ob has, & alias hujuſmodi rationes, Gloſſa proximè citata ponit notabilem doctrinam, videlicet, quòd confeſſionem qualificatam, ſeu veritatem adjectæ qualitatis, non teneatur probare ipſemet confitens; ſed altera pars, ſive Actor debeat probare puritatem, oſtendendo videlicet, quod qualitas illa in ipſa actionis nativitate non fuerit appoſita. Nam *ei incumbit probatio, qui dicit,* putà, decem ſibi promiſſa fuiſſe abſolutè: *non, qui negat;* prout negat dictam puritatem confitens, illa decem à ſe promiſſa eſſe ſub conditione, *L. 2. ff. de Probation.*

122 Et per hoc patet ad alteram partem dictæ Concluſionis, videlicet, quòd recipiens unam partem qualificatæ confeſſionis, debeat alteram partem, ſeu adjectam qualitatem, per rationes refutare. Hujus etiam exemplum habetur *in l. Aurelius. §. Idem quæſit. ff. de Liberation. legat.* ubi poteſt quis uni ſcripturæ pro parte ſtare; pro parte non, probando tamen contrarium. Atque hæc procedunt, ubi præſumptio juris non ſtat contra qualitatem adjectam, propter rationes illicò afferendas, unde

123 Reſp. II. Nihilominùs etiam in civilibus, quando præſumptio aliqua ſtat contra confitentem, ſeu contra adjectam per eum qualitatem, tunc ejuſmodi confeſſio qualificata poteſt ſcindi, ac ex parte acceptari, & ex parte reprobari: acceptari quidem, quatenus facit contra confitentem; reprobari verò, quatenus facit pro ipſo, donec is oppoſitum probet, atque præſumptionem juris elidat. Ita Abbas *in c. Cùm venissent. nu. 7. de Inſtitut.* Alexander *conſil. 2. n. 22. lib. 2.* poſt Bartolum *in l. Aurelius. §. Idem quæſit. ff. de Liberation. legat.* Menochius *de Arbitrar. Judic. caſu 92. n. 36.* Farinacius *cit. quæſt. 81. nu. 149.* & alii. Idque deſumitur ex *l. Cùm de indebito. ff. de Probation. & ex c. Cùm veniſſent.* juncta Gloſſa *V. Probatum. de Inſtitut.* Ubi Archiepiſcopo confeſſo, quòd Anteceſſores ſui quibuſdam Archidiaconis inſtitutionem, & cuſtodiam Eccleſiarum, perſonaliter commiſerint: ſtante præſumptione pro Archidiaconis, quòd conceſſio illa fuerit realis, deſumpta tum ex continua poſſeſſione, tum ex aliis rationibus ibidem enumeratis; Papa pro Archidiacono tulit ſententiam interlocutoriam, donec probatum legitimè fuerit ex adverſo, libertates ipſas Archidiaconis ab Archiepiſcopis perſonaliter fuiſſe conceſſas: ſicque Pontifex ſcidit confeſſionem qualificatam Epiſcopi, partem unam acceptando, & partem alteram, ſeu adjectam qualita-

ſitatem reprobando propter præſumptionem in contrarium, donec hæc per Archiepiſcopum qualificatè confeſſum legitimè fuiſſet probata.

124 Quæritur III. Quid cenſendum de Confeſſione qualificata in criminalibus? Reſp. I. In criminalibus poteſt confeſſio qualificata dividi, eaque ſine qualitate acceptari, donec hæc per allegantem legitimè probetur. Ita Bartolus *in cit. l. Aurelius. §. Idem quæſit. ff. de Liberatione legat.* Abbas *in c. Auditis, n. 32 de Præſcription.* Jaſon *l. Ut vim. n. 13 ff. de Juſtit. & jur.* Gailus *lib. 1. de Pace publica, cap. 17. n. 3.* Julius Clarus *lib. 5 Criminal. §. fin. q. 55. nu. 15.* Farinacius *cit. q. 81 n. 110* allegans plurimos alios, qui teſtantur de communi, paucis exceptis, quos *ibid. num. 112.* citat. Solet hæc Concluſio exemplificari in eo, qui fatetur, ſe occidiſſe hominem pro ſua neceſſaria defenſione: nam talis confeſſio acceptatur quoad partem, videlicet de facto homicidio; non verò quoad qualitatem neceſſariæ defenſionis, ſed hæc per allegantem eſt probanda, *L. 1. C. Ad Leg. Cornel. de Sicariis*. Et idem dicendum, ſi quis confiteatur, ſe vulneraſſe proximum, aut aliud ei damnum intuliſſe, ſolummodò per luſum, *cap. 1. de præſumpt.* Aut dixiſſe verba opprobrioſa, non animo injuriandi, *l. Si non convitii. C. de Judiciis*, & hujuſmodi.

125 Accedit ratio. Quia in delictis, ſeu in his, quæ ſunt de genere prohibitorum, præſumitur dolus, & ſtat præſumptio contra delinquentem. Nam omne maleficium pravè deſumitur factum; ut *cit. cap. 1.* juncta Gloſſa *fin. de Præſumpt. & L. 1. c. Ad Leg. Cornel. de Sicariis. & l. Si non convitii. c. de injuriis*; ubi proin Summarium inquit: *Verba ſui natura injurioſa, præſumuntur animo injuriandi prolata, niſi contrarium probetur*: & notat Alexander *conſil. 93. n. 6. lib. 6.* & Farinacius *lib. 1. Conſiliorum criminalium conſil. 25. n. 14.* allegans alios. Atqui, ubi præſumptio ſtat contra confitentem, poteſt confeſſio qualificata ſcindi, & qualitas adjecta rejici, donec per allegantem probetur: habet enim vim cujuſpiam exceptionis. Idipſum probant Jura hactenus allegata; ergo

126 Reſp. II. Licèt ex confeſſione qualificata, qua quis v. g. confitetur, ſe occidiſſe hominem ad ſuam neceſſariam defenſionem, hac qualitate non probata poſſit aliquis ut confeſſus condemnari: nihilominus talis non poteſt condemnari ad pœnam capitalem, ſed ſolùm ad pœnam extraordinariam, ſeu aliam mitiorem pro Judicis arbitrio infligendam. Ita Abbas *in c. Auditis. num. 32.* & Felinus *ibid. n. 30. de Præſcription.* Jaſon *cit. n. 13.* Menochius *d. caſu 96. n. 38.* Maranta *part. 6. Speculi Aurei. tit. de confeſſione. n. 39.* Julius Clarus *d. §. fin. q. 55. nu. 16.* Farinacius *cit. q. 81. n. 157.* allegans plurimos alios. Ratio eſt: quia ad inferendam mortem, ſeu pœnam capitalem homicidio debitam, requiruntur probationes luce meridiana clariores, *l. Sciant cuncti. c. de Probation. & c. Sciant. 2. q. 8.* Atqui talis probatio luce meridiana clarior, non eſt præfata confeſſio qualificata; cùm non fiat purè, ſed ſolùm cum addita qualitate ſuæ neceſſariæ defenſionis; ergo.

127 Nec obſtat, quòd tali qualitate non probata, conſurgat quædam præſumptio juris in contrarium. Siquidem ex præſumptione, etiam vehementi, non debet quis de gravi crimine, ac pœna capitali damnari, *c. Litteras. 12. de Præſumpt. & l. Abſentem. ff. de Pœnis*; atque cum pluribus aliis tradit Farinacius *lib. 3. Criminalium. q. 86. nu. 1. & 3. & 15. ac ſeqq.* Haud obſtante, quòd exinde poſſit quis condemnari civiliter ad reſtitutionem rei, vel recompenſationem damnorum illatorum, *arg. c. Aſſerte, de Præſumpt.* vel ad ſuſtinendam aliam pœnam mitiorem, putà pecuniariam mulctam, vel hujuſmodi. Nam *in pœnalibus cauſis benigniùs interpretandum eſt*, ut dicitur, *l. Factum cuique. ff. de Reg. Jur.* cum ſimilibus. Simulque ſatius eſt, nocentem dimitti, quàm innocentem damnari, *cit. l. Abſentem. ff. de Pœnis*: idque fuſiùs declarat Farinacius *cit. q. 86. n. 18. & ſeqq.* allegans plures alios.

128 Quæritur IV. Utrùm Confeſſio qualificata, quòd ſcriptura privata, ſeu apocha grave delictum exprimens, manu ſua fuerit conſcripta, ſe jocosè ſolùm, ſeu calami experiundi gratia, præjudicet confitenti? Notabilem caſum circa hanc quæſtionem refert Proſper Farinacius *lib. 1. Conſiliorum Criminalium, conſil. 25. n. 1. & ſeqq. & n. 54. & 55.* de quodam Clerico, qui apocham, ex qua conſtabat de crimine digno privatione Beneficiorum, ſua manu ſcriptam fuiſſe, judicialiter recognovit, ſed addidit, ſe illam ſcripſiſſe cauſa experiendi calamum; atque in hac ſua confeſſione perſiſtens, torturam ſuſtinuit: unde orIebatur quæſtio, num Clericus ille vi talis confeſſionis potuerit judicialiter privari Beneficiis Eccleſiaſticis. Eundem caſum refert etiam Nicolaus Genova *de ſcriptura privata, lib. 1 quæſt. 3. n. 108.*

Reſp. Stante ejuſmodi confeſſione, ſeu recognitione 129
ſuæ manus judicialiter facta, ſcriptura privata probat plenè contra confitentem; dummodò non agatur de imponenda pœna corporali, ſed ſolùm de pœna civili, putà privationis Beneficii, quæ reputatur civilis. Ita Farinacius *cit. Conſil. 25 n. 1. & n. 11. & ſeqq.* Genova *cit. n. 108.* aſſerens in caſu memorato tandem re maturè diſcuſſa ita fuiſſe judicatum. Abbas *in c. Scripta verò. n. 4. de Fide inſtrument.* Covarruvias *lib. 2. Variar. Reſol. c. 11. n. 4.* Emmanuel Rodericus *tom. 2. Quæſt. Regul. qu. 13. art. 5.* poſt Rebuffum *in Rat. de Chirograph. & Schedul. recog. n. 44.* & alios. Idque clarè deſumitur ex *l. Scripturas quæ. C. Qui potiores in pignore &c.* ubi Bartolus, & DD. & Paulus de Caſtro *in l. Cum antiquitas. C. de Teſtament.*

Nec obſtat, quòd confeſſus ſuam eſſe ſcripturam, ad- 130
diderit, eam ſolùm jocosè, ſeu animo experiendi calamum fuiſſe conſcriptam. Nam ubi talis confeſſio emanavit qualificatè, ſeu ſub una conſtructione verborum, tunc quia ſumus in criminalibus, poteſt ipſa dividi; ac proinde priore parte judicialiter acceptata reſtat, ut altera pars, ſive quòd ſcriptura per jocum v. g. duntaxat facta ſit, probetur per allegantem. Neque enim Judex poteſt ſtare ſimplici aſſertioni ipſius Rei: nam in delictis, ſeu loquendo de his, quæ ſunt de genere prohibitorum, ſemper præſumitur dolus, & delictum, niſi contrarium probetur, ut dictum *n. 125.* Deinde excuſatio illa, quòd quis ſchedulam adeò turpem ſolummodò per jocum, ſeu animo experiendi calamum, ſcripſerit, inveriſimilis eſt; atque ideò reiicienda talis reſponſio, *arg. Milites. C. de Quæſt.* & notat Farinacius *cit. conſil. 25. n. 35.* poſt Baldum *in L. 1. C. de Servis fugitiv.* & Cephalus *conſil. 85. num. 39. vol. 1.* Nam, ſi voluit duntaxat experiri calamum, cur ſcripſit verba adeò nefanda, atque completum ſenſum conſtituentia, & non potiùs ſcripſit verba ſtatum ſuum decentia, vel ſaltem indifferentia.

Additur notanter, *dummodò non agatur de imponenda* 131
*pœna corporali*, ob rationem *n. 126.* allatam. Quòd autem privatio Beneficii Eccleſiaſtici, reputetur eſſe pœna civilis, notat Abbas *in c. Illa præpoſitorum. nu. 5. & c. cum P. Manconella. n. 7. & c. Super his. n. 4. de Accuſation.* Farinacius *cit. conſil. 25. n. 9.* allegans alios, & Maranta *part. 4 Speculi Aurei diſt. 1. n. 32. & 33* ubi tamen iſtud limitat in caſu, quo Statutum pro crimine non imponeret aliam pœnam, niſi privationis.

## §. VI.

## De confeſſione Sacramentali iniquè revelata, nec non de Confeſſione per torturam, vel ſub ſpe impunitatis extorta.

*S U M M A R I U M.*

132 *Confeſſio Sacramentalis iniquè revelata, nihil probat contra Pœnitentem in Foro externo. Et n. ſeqq.*

133 *Sacerdos ſigillo confeſſionis cum primis tenetur.*

*Ipſi confeſſionem revelanti, nullo modo creditur. Ibid.*

134 *Depoſitio teſtium de confeſſione Sacramentali forſan audita, contra Pœnitentem nihil probat.*

135 *Inventor ſchedulæ confeſſionis peccat ſcienter ipſam legendo.*

*Nec poteſt Judex de peccatis in ea deſcriptis inquirere. Ibid. & n. ſeqq.*

136 *Pœnitentiæ Sacramentum eſt ſecunda poſt naufragium tabula.*

137 *Ut confeſſio per torturam extorta probet, quæ requirantur? Et n. ſeqq.*

*Requiritur imprimis, quòd conſtet de corpore delicti. Ibid.*

138 Dein-



138 *Deinde, ut contra tortum præceſſerint legitima indicia.*

*Confeſſio per torturam extorta non præcedentibus legitimis indiciis, nihil probat. Ibid.*

139 *Indicia legitima, ſeu ad torturam ſufficientia, ſunt plura. Et n. ſeqq.*

*Ut depoſitio unius teſtis; & qualis? Ibid.*

140 *Confeſſio extrajudicialis.*

141 *Fama, fuga Rei, prævia inimicitia capitalis &c.*

142 *Plura indicia de ſe inſufficientia, conjunguntur ad effectum torquendi.*

*Non item ad condemnandum pœna corporali; & cur? Ibid.*

143 *Judicis arbitrio eſt relinquendum, quænam indicia ſint ad torturam ſufficientia.*

*Hæc tamen non eſt infligenda ante aſſignatas Reo defenſiones cum copia indiciorum &c. Ibid.*

144 *Utrum ad torturam ſufficiant indicia, quæ ſunt minùs quàm ſemiplena probatio?*

145 *Ad torturam regulariter non eſt deveniendum, niſi in ſubſidium, ſeu quando delictum aliter probari non poteſt.*

146 *Fallit hoc in nonnullis caſibus.*

147 *Ut confeſſio facta in tortura probet, requiritur ulteriùs, quòd tortus perſiſtat in confeſſione.*

148 *Qualiter Reus tortus cenſeatur perſiſtere in confeſſione?*

149 *Confeſſio criminis emanata ſub ſpe impunitatis à Judice promiſſæ, an probet? Et n. ſeqq.*

*Ratio dubitandi, & affirmativam tenendi, refertur. Ibid.*

150 *Confeſſio ejuſmodi non ſufficit ad condemnandum pœna ordinaria.*

151 *Solvitur ratio dubitandi.*

*Licitum eſt in bello juſto ponere hoſtibus inſidias, non verò datam eis fidem violare. Ibid.*

152 *Sufficit tamen dicta confeſſio ad condemnandum Reum pœna extraordinaria.*

153 *Quid, ſi Reus in illa confeſſione perſeveraverit?*

132 QUæritur I. Utrùm Confeſſio Sacramentalis iniquè revelata, vel reperta ſchedula Confeſſionis, præjudicet pœnitenti in Foro externo? Reſp. I. Confeſſio in Sacramento Pœnitentiæ facta coram Sacerdote, nihil omnino probat contra pœnitentem in Foro externo. Ita communis tum Theologorum, tum Canoniſtarum. Idque clarè deſumitur ex *c. Dilectus. 13. de Exceſſib. Prælator. & c. Si Sacerdos 2. de Offic. Ordinar.* Ubi & hujus ratio redditur: quia videlicet Confeſſio Sacramentalis cenſetur facta Sacerdoti, non ut homini, ſed ut Deo, ſeu Vicario Dei; ac proinde ad decidendas controverſias humanas eſt prorſus impertinens. Accedit, quòd, ſi quovis modo abſque expreſſa licentia pœnitentis poſſet revelari Confeſſio Sacramentalis, vel ipſa iniquè revelata adhiberi in Foro externo pro probatione contra pœnitentem, Sacramentum Pœnitentiæ redderetur valdè odioſum, imò & periculoſum fidelibus: hoc autem repugnat Divinæ Inſtitutioni, ac debitæ reverentiæ tanti Sacramenti, utpote à cujus frequentatione hac ratione Fideles retraherentur, non ſine magna ejuſdem injuria.

133 Infertur proinde, quòd ſi Confeſſarius, qui ſacro Sigillo cum primis tenetur, *can. Sacerdos. de Pœnit. diſt. 6. & can. Omnis utriuſque ſexus. de Pœnit. & remiſſ.* factam ſibi Confeſſionem Sacramentalem abſque expreſſa licentia pœnitentis malitiosè revelet, ob hanc ipſius revelationem Magiſtratus contra pœnitentem inquirere non poſſit, etiamſi ob non inſtitutam inquiſitionem ſalus Reipublicæ periclitaretur. Caſtro Palao *de Sacramento Pœnitentiæ, tract. 23. punct. 19. n. 12.* poſt Sotum *in 4 diſt. 18. q. 4. art. 6.* & alios. Quinimò Sacerdoti revelanti Confeſſionem, non creditur: adeò, ut ejus revelatio nec faciat indicium ad torturam, nec ullam fidem habeat, imò nullum omnino effectum operetur in judicio, vel extra. Farinacius *lib. 1. criminalium, q. 47. n. 96.* Menochius *l. 1. de Præſumptionibus. q. 89. n. 26.* poſt Baldum *in l. Archigerontes. c. de Epiſc. Audient.* Covarruvias *de Matrimonio, part. 2. cap. 8. § 12. n. 23.* allegans alios.

134 Infertur ulteriùs, quòd ſi teſtes, qui audierunt Confeſſionem pœnitentis, clariùs forſan coram Sacerdote factam, deponerent de ea in judicio, teſtimonium eorum neutiquam probaret, neque ejuſmodi Confeſſio Sacramentalis quidpiam præjudicaret confitenti. Maſcardus *de Probationibus. Concl. 377. n. 2.* Farinacius *cit. quæſt. 47. n. 97.* & alii. Ratio eſt, quæ ſuprà: nam & horum teſtimonium, ſi quid probaret, tenderet in injuriam Sacramenti Pœnitentiæ, & contra Chriſti inſtitutionem, retrahendo nimirum Fideles à frequentatione illius. Et hinc ulteriùs

Reſp. II. Inventor ſchedulæ, in qua alicujus peccata 135
pro facienda Confeſſione Sacramentali annotata fuerunt, non ſolùm peccat ſcienter ipſam legendo; ſed inſuper, ſi eam iniquè legens denuntiet Magiſtratui, non poteſt contra taliter denuntiatum Magiſtratus inquirere, vel eum punire, neque comprehendere. Ita Caſtro Palao *cit. tract. 23. de Sacramento Pœnitentiæ, diſp. un. punct. 19. §. 4. n. 11.* Bonacina *de Sacramento Pœnitentiæ, diſp. 5. q. 6. ſeſſ. 5. punct. 3. n. 7. & 8.* ubi hoc ipſum extendit ad Judicem, qui repertam ſchedulam confeſſionis legit: Quia (inquit) non poteſt de peccatis in ea deſcriptis inquirere, ſed tenetur iſta perpetuo ſilentio tegere: idemque docent alii. Ratio primæ partis eſt: quia inventor Schedulæ confeſſionis gravem infert injuriam pœnitenti invito, dum ſcienter legit peccata ſecretiſſima ipſius, nec niſi in ordine ad faciendam Confeſſionem Sacramentalem annotata: unde non mirum, quòd graviter peccet, & ſaltem ad ſecretum naturale (ſi non etiam ad Sigillum Confeſſionis, ut nonnulli volunt, minùs tamen probabiliter) teneatur de iis perpetuò reticendis.

Altera pars ex eo ſuadetur; Quia reverentia Sacramen- 136
to Pœnitentiæ debita videtur exigere, quòd inſtrumenta Confeſſionis non deducantur ad Forum externum: alioquin ſuboriretur periculum averſionis, & retractionis Fidelium ab eodem tam ſalutari Sacramento, contra Chriſti inſtitutionem; qui illud inſtituit tanquam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam, *c. Secunda poſt naufragium. de Pœnit. diſt. 1.* & docet Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. cap. 14 & Seſſ. 14. can. 2.*

Quæritur II. Quæ requirantur, ut Confeſſio per tortu- 137
ram, ſeu metum tormentorum extorta probet, ac præjudicet confitenti? Reſp. I. Ad hoc requiritur cum primis, ut conſtet de corpore delicti. Alioquin enim torturæ locus non eſt, *text. clar. L. 1. Item illud. ff. Ad S. C. Syllanian.* Quinimò, etiamſi quis confiteretur delictum aliquod ſe commiſiſſe, putà homicidium, non poſſet condemnari, niſi de corpore delicti illius aliter, quàm ex ejus confeſſione conſtaret; quia poſſet confeſſio criminis quandoque potiùs ex tædio vitæ, ſeu deſperatione facta fuiſſe, quàm conſcientia criminis, *L. 1. §. Divus. & §. Si quis ultrò. ff. de Quæſtionib.* Julius Clarus *lib. 5. Criminalium. §. fin. q. 4 n. 1. & q. 5. n. 10.* Farinacius *lib. 1. Criminal. q. 2. n. 7.* generaliter docens cum aliis, quòd confeſſio non noceat confitenti, quando non conſtat de corpore delicti. Atque ideò, ſi Reus in tormentis fateatur, ſe alibi homicidium v. g. vel furtum commiſiſſe, debet in eo loco inquiri, an aliquando tale homicidium, aut furtum ibidem factum fuerit. Engel *h. t. n. 17.*

Reſp. II. Inſuper ad hoc, ut confeſſio per torturam ema- 138
nata probet, requiritur, ut contra tortum præceſſerint legitima, ſeu ad torturam ſufficientia indicia: nam regula eſt, quòd confeſſio extorta à Judice per torturam nullis præcedentibus indiciis, vel ſaltem non legitimis, ſeu ad torturam non ſufficientibus, nihil probet, neque confitenti præjudicet. Deſumitur hoc imprimis ex *c. Cùm in contemplatione. 6. de Reg. Jur.* ubi dicitur: *In ipſo cauſæ initio non eſt à quæſtionibus inchoandum.* Hoc autem fieret, ſi confeſſio per torturam facta nullis præcedentibus legitimis indiciis, aliquid probaret. Concordat textus ſatis apertus *in L. 1. § Divus Severus. ff. de Quæſtionib.* ubi loquendo de Quæſtionibus, hoc eſt, de inquiſitione veritatis per tormenta, dicitur, *Confeſſiones Reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportere, ſi nulla probatio religionem cognoſcenti inſtruat.* Et ita tenet Gloſſa *un. in l. Quæſtionis*, & Bartolus *ibid. n. 1. de Quæſtionibus*, Felinus *c. At ſi Clerici. n. 1. V. Septimò limita. de Judic.* addens, quòd talis confeſſio non noceat, etiamſi millies ratificetur. Maſcardus *de Probation. Concl. 353. n. 1. & ſeqq.* Farinacius *l. 3. Criminalium, q. 83. n. 1. & ſeqq.* citans plurimos alios, hancque materiam fuſiùs declarans.

Porrò,

139 Porrò, quænam Indicia ſint legitima, ſeu ſufficientia ad torturam, non eſt hujus loci examinare. Videri deſuper inter alios poterit Menochius de Præſumptionibus. lib. 1. q. 89. ubi ad longum quadraginta quatuor indicia, ſufficientia ad torturam refert, atque declarat. Eorum primum oritur ex atteſtatione unius teſtis, omni exceptione majoris, qui deponit de viſu ipſius actus, ſeu commiſſi delicti, juxta Gloſſam in l. Si quis alicui ✠ Conviſtus. C. ad Leg. Jul. Majeſtat. & alios paſſim. Nam ejuſmodi teſtis de viſu, non ſolùm facit indicium, ſed etiam ſemiplenam probationem. Maſcardus de Probationibus, vol. 1. q. 11. n. 2. & 3. Secùs dicendum, ſi teſtis ille non ſit omni exceptione major: quia tunc non faceret ſufficiens indicium ad torturam, niſi concurrerent alia adminicula; prout ſuprà n. 113. de nominatione ſocii criminis jam dictum.

140 Alterum indicium ad torturam ſufficiens, cenſetur eſſe confeſſio extrajudicialis: hæc enim, licèt non ſufficiat ad condemnandum, regulariter tamen ſufficit ad torquendum. Gloſſa fin in l. Capite quinto, & ibi Bartolus ff. Ad leg. Jul. de Adulteriis. Maranta part. 6. Speculi Aurei. tit. de Confeſſione. n. 3. Menochius loc. cit. n. 14 Farinacius, ubi ſuprà, q. 82. n. 23. citans plurimos alios unà cum communi, ac fusè hanc regulam declarans. Concurdant dicta ſuperiùs §. 2 n 40. 41. & 43.

141 Inter alia indicia connumeratur fama, non quidem ſe ſola, ſed unà cum aliis adminiculis. Item fuga Rei, ac prævia inimicitia capitalis, vel minæ præcedentes. mendacium & variatio accuſati, titubatio & trepidatio animi ipſius, & hujuſmodi: quæ licèt non ſemper ſe ſolis ſufficiant, nihilominùs conjuncta aliis adminiculis ſufficiens indicium ad torturam conſtituunt; prout ampliùs declarat Menochius cit. quæſt 89. per totum. & Julius Clarus cit §. fin. quæſt. 21. per totum.

142 Addit Alexander Conſil. 65. n. 10. lib. 1. Menochius ubi ſuprà q. 40. n. 9. & Farinacius loc. cit. q. 86 n 73. & 74 allegans plurimos alios, & communiorem Doctorum, paucis exceptis, quòd plura indicia, quamvis imperfecta & de ſe inſufficientia, conjunguntur ad effectum torquendi; ſicque hic locum habeat vulgata regula: Et quæ non proſunt ſingula, multa juvant. Quamvis ſecùs ſit dicendum, quando agitur de crimine criminaliter ad condemnandum pœna corporali: hic enim, ſive ad condemnandum corporaliter, requiruntur probationes luce meridiana clariores, L. ult. C. de Probation.

143 Unde notandum, quòd quænam Indicia ſint ad torturam ſufficientia, non poſſit dari una certa doctrina; ſed hoc totum ſit relinquendum arbitrio boni viri, ſcilicet Judicis, qui ſecundum qualitatem perſonæ, ac delicti, ipſarumque demonſtrationum, ſeu ſuſpicionum judicabit, indicium eſſe ad torturam ſufficiens, nec ne. Bartolus in L. ult. numer. 5 ff. de Quæſtionib. Alexander cit. Conſil 65. num. 10 lib. 1. Menochius cit. q. 89. nu. 1. & lib. 2. de Arbitrar. Judic. caſ. 270 n. 3. Julius Clarus d. §. fin. q. 20. n. 1. & q 64. n. 13 allegans communem Doctorum. Verumtamen, quòd tortura non ſit infligenda, priuſquam Reo aſſignatæ fuerint defenſiones cum copia indiciorum, ac etiam poſt Decretum torturæ expectatus ſit terminus ad appellandum, ne ſubita accuſatione criminum, vel metu torturæ opprimatur: deſumitur ex l. Unius facinoris. §. Cognituram & Bartolo ibid. ff. de Quæſtion. Antonel de Regim. Eccleſ. l. 6. c. 44. n. 8. apud quem alii.

144 Utrùm autem ad torturam ſufficiant indicia, quæ ſunt plùs quàm ſimplex præſumptio, etſi ſint minùs quàm ſemiplena probatio; vel potiùs, an pro tortura infligenda requiratur, ut ex indiciis ejuſmodi reſultet ſemiplena probatio, rurſus variant Doctores: prout videre eſt apud Farinacium lib. 1. Criminal. q. 36. nu. 218. & ſeqq ubi plurimos pro- & contrà allegat. Et quidem priorem ſententiam tenet Gloſſa in l. cùm probatio. ✠. Deficit. ff. de Probat. quam (ut notat Gloſſa marginalis ibid.) pro ſingulari notandum cenſet Alexander in L. 2. §. Si abſens. ff Si ex noxali cauſ. agat. ad hoc, quòd ſolum indicium, etiam non ſufficiens ad ſemiplenam probationem, dicatur ſufficere, ut quis ſubeat torturam. Idem tenet Jul. Clarus cit q 20. n. 1. & 4 allegans Corn. Conſil. 101. Lit. L. l. 11. teſtantem de Communi Doctorum. Verùm Farin. cit. q. 36. n. 219. & ſeqq. ex profeſſo docet, & fuſiùs probat, quòd indicium ad torturam non ſit, nec eſſe debeat minus, quàm ſemiplena probatio: quemadmodum ipſemet num. 231. ſubjungit, quòd Judicis arbitrio ſit relinquendum, an hic & nunc ex præhabitis indiciis ſemiplena probatio oriatur, nec ne.

145 Inſuper notandum, quòd ad torturam regulariter non ſit deveniendum, niſi in ſubſidium, ſeu quando delictum aliter probari non poteſt. Nam tormentis locus non eſt, ubi crimen aliis probationibus apparet, l. Divus Pius. & l. Edictum. ff. de Quæſtionib. ac tradit Abbas c. Cum in contemplatione num. 16. de Reg. Jur. & Covarruvias Pract. Quæſt. c. 23 n 5. aſſerens, ita admoneſſe paſſim utriuſque Juris Interpretes: & Julius Clarus, ubi ſup. q. 64. n. 5. allegans Angelum in L. fin poſt n. 4. C. de Quæſt. & Boerium Deciſ. 163. n. 1. & Practicam Conradi Fol. 280. qui ait, ita concludere omnes Doctores.

146 Addit tamen Clarus cit. q 64. n. 7. quòd plerumque Judices, haud obſtante, quòd delictum ſit plenè probatum, etiam per teſtes de viſu, adhuc ſoleant adhibere torturam: non quidem, ut conſtet de delicto, ſed ſolùm, ut Reus illud fateatur, ſicque (juxta ſententiam quorundam ſuprà §. 3. n. 68 allatam) ampliùs appellare non poſſit. Idipſum fatetur Covarruvias cit cap. 23. n. 5. citans Baldum in L. 1. n. 9. C. de Juramant. calumn. & alios; quamvis hanc praxim reprobet, exceptis caſibus extraordinariis, aliud pro bono Reipublicæ exigentibus. Torquentur etiam quandoque Rei convicti, & confeſſi, ut oſtendant ſocios, mandatores, & complices criminum. Julius Clarus cit. q. 64. n. 8. Covarruvias cit. n. 5. & alii.

147 Reſp. III. Ulteriùs, ut confeſſio facta in tortura probet, atque ſufficiat ad condemnandum, requiritur, quod Reus tortus poſtea perſiſtat in confeſſione, eamque ratificet extra tormenta ad Bancum Juris. Ita Gloſſa in L. 2. verſ. Aliquid. C. Quorum appellat. non recip. Abbas cit. c. Cùm in contemplatione. n. 7. de Reg. Jur. Maſcard. de Probation. Concl. 353 n 9. & ſeqq. Farinacius lib 3 q. 83. c. 3. n. 67. allegans plurimos alios. Julius Clarus cit. q. 64. n 40. cum communi. Ratio hujus deſumitur ex L. 1. §. Quæſtioni. ff. de Quæſtionibus ubi dicitur, quòd Tortura res eſt fragilis & periculoſa, & quæ veritatem fallat, nam plerique patientia ſive duritia tormentorum, ita tormenta contemnunt, ut exprimi ab eis veritas nullo modo poſſit: aliis tanta ſunt impatientia, ut in quovis potiùs mentiri, quàm pati tormenta velint &c. Ne igitur ob intolerabilem cruciatum effugiendum quis falſo crimen confiteatur, quod non fecit (prout nonnunquam contigiſſe, experientia docuit) meritò inductum fuit, ut confeſſio in tortura facta plenè non probet, niſi totus in ea perſiſtat, ipſamque ratificet.

148 Cenſetur autem Reus tortus in confeſſione perſiſtere: non ſi ſtatim hanc poſt torturam ratificet (præſumeretur enim adhuc durare metus tormentorum) ſed ſi poſt ſpatium unius diei & noctis ad Brachium Juris, ut vocant, ductus, & extra tormentorum conſpectum poſitus, confeſſionem ſuam repetat, arg. L. 2. C. de Cuſtodia Reor. Farinacius cit. q. 83. n. 73. & ſeqq. Clarus d. q. 64. n. 41. Engel h. t. n. 17 & alii. Et quidem plures Doctores per ſpatium unius diei & noctis, intelligunt ſpatium viginti quatuor horarum: alii verò ſufficere aiunt, ſi ſaltem nox fuerit intermedia, etſi horæ vigintiquatuor necdum plenè fuerint completæ. Quinimò nonnulli apud Farinacium loc. cit. num. 75. cenſent, expectandum eſſe per tres dies, & tres noctes; nam per ſolum diem & noctem, adhuc Reus dicitur eſſe in dolore, & cruciatu: atque ita ſervari in Tribunali inquiſitorum Hæreticæ Pravitatis, teſtatur Simanchus Cathol. Inſtitut. tit. 65. n. 71. Verùm Bartolus in L. 1. §. Divus Severus. n 4. ff. de Quæſtionib. & communior Doctorum cenſet, iſtud relinquendum eſſe arbitrio Judicis, qui ſecundum qualitatem torturæ illatæ, ipſiuſque perſonæ tortæ, judicabit, quanto temporis ſpatio præſumatur ceſſare dolor, ac metus tormentorum. Clarus, & Farinacius ubi ſuprà, n. 76. cum aliis.

149 Quæritur III. Utrùm Confeſſio criminis, emanata ſub ſpe impunitatis à Judice promiſſæ probet, & ſufficiat ad condemnandum? Ratio dubitandi, atque affirmativam tenendi, eſt: quia licitum eſt Judici, cauſa veritatis explorandæ aliquid ſimulare, & fingere exemplo Salomonis Regis, 3. Reg. cap. 3. ac refertur c. Afferte 2. de Præſumpt ubi is duabus mulieribus coram ſe litigantibus, quarum quælibet aſſerebat filium ſuum vivere, juſſit dividi infantem vivum: non, quòd hoc facere intenderit (repugnat enim Juri naturali, occidere innocentem) ſed id juſſit tentativè ſolùm, videlicet ad explorandum maternum affectum alterutrius earum; ut notat Abbas in cit. c. Afferte. n. 1. Qua eadem ratione Chriſtus Dominus poſt ſuam glorioſam Reſurrectionem, coram duobus Diſcipulis euntibus in Emaus, finxit ſe longius iturum, ad probandum videlicet eorum affectum, an videlicet illi, qui eum, etſi necdum ut Deum diligerent, ſaltem ut peregrinum amarent; prout explicat D. Gregorius Papa Homil. 23. in Evangelia. Atque idcircò, quòd poſſit Judex promittere Reo impunitatem pro reperienda veritate, & hanc per confeſſionem ejus patefacta nihilominus Reum condemnare, tenent non pauci Doctores, quos pro hac ſententia citat Covarruvias lib. 1. Var. reſolut. cap. 2. n. 16. Menochius lib. 2. de Arbitrar. Judic. caſu 367. n. 7. & Farinacius lib. 3. q. 81. n. 278. & 279. inter quos ſunt Geminianus in can. Nos in quemquam. 2. q. 1. Felinus c. Afferte n. 1. de Præſumpt. Archidiaconus in c. Utilem. 22. qu. 2. Cynus in l. Præſenti. C. De iis, qui ad Eccleſ. confug. & plures alii: adeò, ut hanc ſententiam magis eſſe communem, cenſeat Jul. Clarus lib. 5. §. fin. q. 55. n. 9. licèt contrariam opinionem arbitretur æquiorem. Verùm præmiſſis non obſtantibus



150 Reſp. I. Confeſſio emanata ſub ſpe promiſſæ per Judicem impunitatis, veluti ejuſdem Judicis dolo extorta, ad condemnandum pœna ordinaria non ſufficit; niſi forſan Reus abſque ulterioris ſpe factæ promiſſionis, in illa confeſſione perſeveraverit, ſeu ipſam ratificaverit. Ita Covarruvias cit. cap. 2. n. 16. pro hac ſententia allegans Jo. Imolam Conſil. 109. Decium in l. Ea eſt natura. ff. de Reg. Jur. & alios. Farinacius cit. q. 81. n. 276. & ſeqq. & plures alii, hanc ſententiam non ſolùm æquiorem, ſed etiam magis communem reputantes. Atque hæc fundatur imprimis in naturali lumine, quo dictante cuilibet, etiam hoſti, fides promiſſa ſervanda eſt, c. Noli. 23. q. 1. Accedit, quòd per ejuſmodi fictam impunitatis promiſſionem illaquearetur Reus fraude, & mendacio: hoc autem à quolibet bono viro, ac præſertim à Judice, ſummoperè vitandum eſt; ac proinde Judex vel ab hujuſmodi fictis promiſſionibus abſtinere debet; prout paſſim conſulunt Doctores, vel datam Reo fidem ſervare tenetur. Hoc ipſum confirmatur ex cap. Sanè. 7. de Renunciat. ubi in ſimili is, qui pravo partis adverſæ conſilio inductus, redditis propriis inſtrumentis ejus miſericordiæ ſe ſubjecit; & poſtmodùm, unde miſericordiam debuit impetrare, inde cogebatur diſpendium ſuſtinere, Authoritate Apoſtolica in priſtinum ſtatum reſtituitur. Illud quippe etiam accideret in propoſito, dum Reus falſis Judicis promiſſionibus inductus ad confitendum, ejus miſericordiæ ſe ſubjecit; ergo

151 Nec obſtant rationes in oppoſitum. Nam aliud eſt, aliquid ſimulare, ſeu fingere ſe facturum explorandæ veritatis cauſa, exemplo Salomonis, & Chriſti Domini: aliud, ficto & doloſo animo impunitatem promittere. Illud quidem eſt licitum; iſtud verò intrinſecè malum, & prohibitum, utpote continens mendacium pernicioſum, dolumque malum. Sicut à pari, in bello juſto licitum eſt uti ſtratagematibus, ac ponere hoſtibus inſidias, c. Dominus noſter. 23. q. 2 non autem eſt licitum, promiſſam hoſtibus fidem violare, & frangere, cit. c. Noli. 23. q. 1.

152 Additur notanter in Concluſione, ad condemnandum pœna ordinaria. Quia licèt confeſſio ſpe promiſſæ impunitatis extorta non ſufficiat ad condemnandum pœna ordinaria, juxta proximè dicta: nihilominùs ſufficit ipſa ad condemnandum in pœnam quandam extraordinariam, dummodò poſteà per Reum non fuerit revocata. Farinacius cit. q. 81. n. 302. Covarruvias loc. cit. n. 16. verſ. In eo tamen caſu. Menochius lib. 2. de Arbitrar. Judic. caſu. 367. n. 4. citans alios, & hac ratione concordans ambas extremas ſententias. Nam hoc ipſo, quòd Judex non condemnet Reum ad pœnam ordinariam, ſtat ſuæ promiſſioni de ſervanda indemnitate ab hac pœna ordinaria: unde, ne crimina maneant penitùs impunita in perniciem Reipublicæ, locus erit pœnæ mitiori ſeu extraordinariæ.

153 Additur ulteriùs in dicta Concluſione, Niſi forſan Reus abſque ulteriori ſpe factæ promiſſionis in illa confeſſione perſeveraverit, eamque ratificaverit. Tunc enim virtute hujus ratificationis, ſeu iteratæ confeſſionis, poterit condemnari in pœnam ordinariam: quamquam ad hoc requiri ratificationem expreſſam, & quidem cum expreſſa denunciatione, quòd impunitatis jam promiſſæ nulla habenda ſit ratio, cenſeat Farinacius cit. q. 81. num. 287. 288. & 289. allegans Boſſium tit. de Confeſſ. per tortur. nu. 14. & plures alios; & videtur etiam tenere Covarruvias cit. n 6. illis verbis: Niſi ſpe promiſſionis fruſtratus in ea (confeſſione) perſeveret.

## §. VII.

## De obligatione confitendi veritatem ex parte Rei à Judice interrogati.

### SUMMARIUM.

154 *Judici non legitimè interroganti Reus fateri veritatem non tenetur.*
155 *Sed poteſt ejus interrogationem artificio eludere, non autem mentiri.*
156 *Ut Reus cenſeatur interrogari ſervato Juris ordine, quid requiratur?*
157 *Judex nequit Reum interrogare de occultis criminibus, ſi nulla præceſſit infamia, probatio vel indicium.*
158 *Neque convictum de uno crimine, poteſt interrogare de alio non connexo.*
159 *Alioquin graviter peccat.*
160 & 161 *Utrùm Reus dubitans, an juridicè interrogetur, teneatur confiteri veritatem, variant Doctores.*
162 *Quid in praxi obſervandum?*
163 *Judici legitimè interroganti tenetur Reus in conſcientia fateri veritatem.*
164 *Reo juridicè interrogando ſolet antea imponi juramentum de veritate dicenda.*
*Et quidem in cauſis criminalibus? Ibid.*
165 *Nemo debet cogi ad detegendam propriam turpitudinem; & quomodo iſtud ſit intelligendum? Et n. 204.*
166 *An in cauſis criminalibus gravioribus Reus juridicè interrogatus ſub gravi obligatione teneatur fateri veritatem? Et num. ſeqq.*
167 *Reus juridicè interrogatus peccat mortaliter, ſi non fateatur veritatem. Et num. ſeqq.*
168 *Nec durante ſua prava intentione hanc negandi, poteſt ſacramentaliter abſolvi.*
169 *Iſtud non debet videri nimis durum; quomodo intelligendum? Et num. ſeqq.*
170 *An Reus, qui negavit, ſed adhuc eſt in poteſtate Judicis, teneatur ſe offerre Judici ad fatendam veritatem?*
*Et quid, ſi poteſtatem Judicis jam evaſit? Et Num. 169.*
171 *Utrùm Reus ex præſumptione falſa à Judice interrogatus, teneatur confiteri propoſitionem veram, ubi iſta confeſſa condemnandus eſt in foro externo de crimine, aut debito, ad quod reverà in Foro conſcientiæ non tenetur?*
*Status quæſtionis exemplis declaratur. Ibid. & numer. ſeqq.*
172 *Quantùm attinet ad Forum conſcientiæ, ſententia negativa ſtatuitur.*
173 & 174 *Eaque pluribus probatur.*
175 *In Foro tamen externo eſt procedendum juxta exigentiam præſumptionis.*
176 *Solvuntur objectiones. Et num. ſeqq.*
177 *Iuramentum eſt interpretandum juxta mentem recipientis.*
178 *Et quando?*
*Reſpondere an, & quando quis teneatur juxta mentem interrogantis? Ibid.*
179 *Referuntur tres Propoſitiones Innocentii XI. quibus damnantur Reſtrictiones mentales.*
180 & 181 *Amphibologia, quid & qualiter contingat?*
182 *Reſtrictio mentalis, quæ?*
183 *Præmiſſa ſententia negativa nihil habet commune cum illis Propoſitionibus damnatis. Et num. ſeq.*
184 *Sine cauſa non eſt licitum uti amphibologia.*

QUæritur I. An Judici non ſervato Juris ordine interroganti, Reus teneatur fateri veritatem? 154
Reſp.

Reſp. I. Judici non legitimè interroganti, aut non ſervato Juris ordine procedenti, non tenetur Reus veritatem fateri, neque juramentum præſtare. Ita Leſſius *l.2. de Juſt. & jur. cap. 31. n.* 8. Lugo *de juſt. diſp. 40. ſect. 1. n. 1.* Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 6. c. 5. n* 4. Sannig *h.t. c. 2. n.* 5. Bonacina *in Decalogum. diſp. 10. q. 3. punct. 2. n. 2.* & communis aliorum, poſt D. Thomam *2. 2. q. 69. art. 2.* ubi ait, quòd aliud eſt, veritatem tacere; aliud, falſitatem proponere. Primum horum aliquando licet: non enim tenetur quis omnem veritatem confiteri, ſed illam ſolùm, quam ab eo requirit Judex ſecundùm ordinem juris. Falſitatem autem proponere, in nullo caſu licet alicui. Idipſum deſumitur *ex can. Qualiter & quando. 17. & c. cùm oporteat.* 19. *& c. Inquiſitionis. 21. de Accuſation.* cum concordantiis; ubi Judex prohibetur procedere ad inquiſitionem, & examinationem Reorum, niſi Juris ordine ſervato: ergo hoc non obſervato nullam poteſt Reo obligationem imponere ad aperiendum crimen vel ad jurandum de calumnia, ſeu de veritate dicenda; cùm Jus hanc poteſtatem ipſi non conceſſerit.

155 Unde conſequens eſt, Reum non juridicè interrogatum nentiquam teneri ad Judicis mentem reſpondere, ſed poſſe locutione amphibologica, vel alio artificio, ejus interrogationem eludere. Falſitatem autem dicere, ſeu mentiri, nunquam eſt licitum, cùm ſit intrinſecè malum: quamquam mentiri non legitimè interroganti, mortale peccatum non ſit; præter eos caſus, in quibus mendacium, etiam extra judicium prolatum, mortalem culpam continet.

156 Porrò ut Reus cenſeatur interrogari Juris ordine ſervato, præter hoc, quòd Judex cæteroquin ſit legitimus, requiritur, ut vel præceſſerit infamia ſuper aliquo crimine, vel aliqua expreſſa ſeu manifeſta indicia ejus apparuerint (tunc enim poteſt Judex ex officio procedere, *c. Qualiter, & quando. 24. de Accuſation.* cum ſimilibus) vel quod præceſſerit accuſatio ſeu denunciatio criminis, unà cum ſemiplena probatione ipſius. Alioquin verò, ſi nullum horum intervenerit, cenſetur Reus à Judice interrogari non ſervato Juris ordine. D. Thomas, & Authores proximè allegati, & alii.

157 Infertur proinde; quòd de occultis criminibus, ſive de quibus nulla præceſſit infamia, probatio vel grave indicium, Judex Reum interrogare non poſſit; uti patet *ex c. Qualiter & quando. 17. §. fin. de Accuſation.* ibi: *Exceptis occultis criminibus.* Siquidem occulta publicanda non ſunt, ſed ſoli Deo relinquenda, *c. Erubeſcant. diſt. 32. & c. Si omnia. 6. q. 1.* juncta Gloſſa *ibid. verſ. Si omnia;* & notat Abbas *in c. Cùm ſuper. n. 17. h. t.* inde inferens, quòd nulla æquitas poſſit movere Judicem, ut poſſit interrogare Reum de occultis.

158 Atque hoc adeò verum eſt, ut Judex Reum de uno crimine infamatum, vel etiam convictum; non poſſit examinare de aliis criminibus, quæ neque ſuapte natura, nec indiciis connexa ſunt: ut ſi quis fuerit deprehenſus, aut convictus de furto, non debet is examinari de homicidio, niſi præceſſerint aliqua hujus indicia; quin etiam convictus de uno homicidio, nequit examinari de alio homicidio, ſi de hoc nulla indicia habeantur. Navarrus *in Rubric. de Judiciis, n* 92. Layman *lib. 3. tract. 6. c. 5. n.* 6. citans plures alios.

159 Infertur ulteriùs, quòd Judices peccent, & quidem graviter, qui in cauſis criminalibus, præſertim notabilis infamiæ, quempiam ſine prævia ſemiplena probatione, diffamatione, aut ſufficientibus indiciis comprehendunt, eumque ad dicendam veritatem juramento aſtringunt, & contra ipſum procedunt interrogando eum de gravi crimine, & aliis illud concernentibus, in particulari. Tales enim graviter lædunt famam proximi, ſimulque agunt contra juſtam prohibitionem Juris Communis, volentis, ut abſque prævia diffamatione, aut ſemiplena delicti probatione, contra criminoſos ſpecialiter non inquiratur. Navarrus *in can. Inter verba. 11. q. 3. Concluſ.* 6. 179. & 181. Lugo *cit. diſp. 40. de Juſtit. & jur. num. 1. verſ. Unde infertur;* & alii. Pulchrè ad propoſitum Practica Criminalis Fratrum Minorum, quam refert Ludovicus de Ameno *tit.* 19. *Reus. §. 2.* (mihi fol. 660.) in hæc verba conſtituit: *Non eſt conſtituendus Reus, niſi in informatione conſtet, delictum eſſe ſemiplenè probatum, vel adeſſe æquipollentia indicia. Secus agens Judex mortaliter peccabit, & Reus reſpondere non tenebitur; quia non interrogatur Juris ordine ſervato.* Hæc ibi.

160 Reſp. II. Utrùm Reus dubitans, an juridicè interrogetur, teneatur confiteri veritatem? variant Doctores. Et quidem negativam tenet Leſſius *l. 2. de Juſtit. & jur. c. 31. n. 10.* allegans pro ſe Cajetanum *2. 2. q. 69. art. 1.* Sotum *de Secreto, membr. 3. q. 2. Concl. 2.* & Adrianum *Quolib. 2.* Idem tenet Lugo *cit. diſp. 40. n. 2. &* 3. Layman *loc. cit. n. 4. Concl. 2.* & alii. Rationem dant: quia nemo tenetur obedire Superiori cum graviſſimo ſuo incommodo, niſi conſtet, eum legitimè præcipere; manet enim quis in poſſeſſione ſuæ libertatis, & incolumitatis, ſeu bonæ famæ: atqui ſtante dubio illo necdum conſtat, quòd Superior, ſeu Judex legitimè præcipiat. Accedit, quòd in dubio favendum ſit Reo, *c. Cùm ſunt partium. 11. de Reg. Jur. in 6. & l. Favorabiliores. ff. eod.*

161 Oppoſitam ſententiam, ſeu affirmantem, quòd ſtante præmiſſo dubio Reus Judici interroganti teneatur fateri veritatem, tradit Paludanus *4. diſt. 19. q. 4.* quem citat, & ſequitur Sylveſter *verſ. Inquiſitio 1. n. 7.* eamque ſententiam probabiliorem cenſet Bonacina *cit. diſp. 10. in Decalogum, q. 3. punct. 2. n. 4.* unà cum pluribus aliis, quos refert Diana *part. 3. tr. 5. Miſcellan. Reſol. 91. & 106.* Rationem dant: quia in dubio obediendum eſt legitimis Superioribus, *c. Qui culpatur. 23. q. 1.*

162 Verùm, quia Authores prioris ſententiæ reſpondere ſolent, rationem hanc, atque allegatum Canonem procedere ſolùm, quando conceſſa authoritate legitimi Superioris, ſeu Judicis, dubium eſt, an res præcepta ſit licita, necne: ſecùs autem, ubi dubitatur, an is habeat poteſtatem præcipiendi; prout uberiùs declarat Lugo *cit. n. 2.* Hinc in praxi & loquendo pro Foro externo, conſultum erit, ut Judex anteà denuntiet Reo, quòd delictum, de quo interrogabitur, adeò ſit probatum, vel quòd ipſe Reus tanta laboret diffamatione, aut tam gravibus urgeatur indiciis, ut Judici competat jus eum juridicè interrogandi, ſicque is veridicè reſpondere teneatur. Quòd ſi Reus talia indicia, vel probationem ſemiplenam adeſſe negaverit, oportet, ut Judex aperiat Reo ſtatum cauſæ, probationes, indicia, vel diffamationem jam probatam, ut videat, ſe juridicè interrogari, ſicque reſpondere teneri. Leſſius *cit. l. 2. c. 31. n.* 10. poſt Cajetanum *cit. q. 69. art. 1.* Lugo, *ubi ſuprà n. 7.* Sannig *h. t. c. 2. n. 7.* Diana *p. 3. tract. 5. reſol. 91.* citans Ludov. Mirandam *in Ordine judiciario, tom. 2. qu. 19. art. 13. concl. 2.* & plures alios. Sin minùs, poterit Reus excipere contra nullitatem proceſſus, ob defectum diffamationis, indiciorum, aut ſemiplenæ probationis, ne alioquin ſibi præjudicet; ut *c. 1. & 2. de Accuſat. in 6.* In dubio autem Judicis erit, de horum ſufficientia cognoſcere, *l. Si quis ex aliena. ff. de Judiciis,* ubi dicitur: *Prætoris enim eſt exiſtimare, an ſua ſit juriſdictio.*

163 Quæritur II. Utrùm, & ſub qua obligatione, Judici legitime interroganti Reus teneatur fateri veritatem? Reſp. I. Si Judex ſervato juris ordine interroget, ac vel ſub juramento, vel alias legitime præcipiat ſibi veritatem dici, tenetur Reus in conſcientia hanc fateri. Ita D. Thomas *2. 2. q. 69. art. 1.* Covarruvias *Practic. quæſt. cap. 23. nu. 5.* citans Innocentium *in cap. 2. de Confeſſis.* Navarrus *cap. 23. Manualis n. 39.* Leſſius *loc. cit. num. 12.* Layman *cit. tract. 6. cap. 5. n. 1.* Sannig *h. t. cap. 2. nu. 5.* Sanchez *lib. 3. in Decalogum cap. 7. nu. 1.* Inde inferens, quod ſi Judex juridice interrogat, conſtet, eſſe lethale peccatum, in re notabili veritatem amphibologiis tegere, cùm teneatur eam ſincere aperire; eſtque communis aliorum. Ratio eſt: quia quilibet tenetur obedire Superiori legitime præcipienti: ſed Judex ſervato Juris ordine procedens, ac interrogando præcipiens, vel juramentum de dicenda veritate deferens, legitime præcipit; ergo. Accedit, quod poteſtas juridice interrogandi ex parte Judicis, & obligatio reſpondendi ex parte Rei, ſint correlativa, quinimò Judicem judicialiter interrogare, idem eſt, ac Reum obligare ad reſpondendum: Lugo *cit. diſp. 40. n.* 8. Ad quid autem deſerviret poteſtas judiciaria, ſi Reus legitime interrogatus, adhuc veritatem celare (ne dicam mentiendo negare, quod eſt intrinſece malum) eandemque ſive locutione amphibologica, ſive aliis modis occultare, libere valeret?

164 Additur in Concluſione, *vel ſub juramento.* Nam in cauſis civilibus, imò & alicubi in cauſis criminalibus,



Reus juridicè interrogando ſolet antea imponi juramentum de veritate dicenda: & tunc non ſolùm ex vi legitimi præcepti Judicis, ſed etiam ratione præſtiti juramenti, tenebitur Reus veritatem edicere, ne alioquin perjurii reatum incurrat. Et quamvis hanc Practicam, quòd in criminalibus Reo deferatur juramentum de veritate dicenda, ſibi nunquam placuiſſe aſſerat Julius Clarus *lib. 5. Pract. Crim. §. fin. q. 45. n.* 9. eo, quòd ſit manifeſta occaſio perjurii: tamen addit, in Practica non eſſe recedendum à communi obſervantia.

165 Dices. Nemo debet cogi ad detegendam propriam turpitudinem, *arg. c. Quis aliquando. §. His authoritatib. de pœn. diſt. 1. & l. Aliàs autem. ff. de jurejur.* atque eſſe communem regulam, teſtatur Decius *in L. fi. poſt n. 6. C. de Edendo;* & Julius Clarus *c. §. fi. q. 45. n. 9.* Ergo etiam Reus, quantumvis juridicè interrogatus, non poteſt cogi ad confitendam veritatem, præſertim ubi detegeretur propria turpitudo. Reſp. Antecedens eſſe verum in caſu, quo alius non habet jus legitimè interrogandi; uti fit *in c. l. Aliàs autem:* aliàs ſecùs. Et hinc etiam Judici, quando interrogat non ſervato juris ordine, nemo tenetur detegere propriam turpitudinem: bene tamen, ubi is prævia ſemiplena probatione, diffamatione, aut manifeſtis indiciis juridicè interrogat. Atque iſtud in cauſis civilibus, & criminalibus levioribus, Doctores communiter concedunt.

166 Verùm loquendo de cauſis criminalibus gravioribus (hoc eſt, de illis, in quibus timetur ſententia mortis, triremium, perpetuorum carcerum, vel confiſcationis omnium bonorum, ut explicat Leſſius *c. l. 2. c. 31. n. 17.* & Lugo *d. diſp. 40. n. 14.*) nonnihil variant Doctores. Licèt enim etiam in iſtis multorum ſententia agnoſcat gravem obligationem Rei juridicè interrogati ad fatendum crimen; prout poſt D. Th. *2. 2. q 69 a. 1.* & Cajetanum *ib.* tenet Navarrus, & Covarr. *ubi ſuprà,* pluresque alii, per Leſſium *l. c. n. 22.* pro hac ſententia, quam appellat communiorem, relati. Oppoſitum nihilominùs, videlicet in cauſis capitalibus Reum non peccare mortaliter negando crimen, quamdiu ſpes eſt evadendi, etiam ſi juridicè interrogetur, non improbabile cenſet idem Leſſius *nu.* 16. & Lugo *n. 14. & ſeqq.* Sannig *c. c. 1. n. 5. h. t.* ac noviſſimè Jo. Cardenas *in Criſi Theologica, Diſſertat. 19. ad Propoſitionem. 26. & ſeqq. Innocentii XI. c. 7. n. 81.* citans complures alios. Ratio eſt: quia præceptum Judicis de dicenda veritate, debet eſſe *ſecundùm naturam,* hoc eſt, accommodatum conditioni naturæ humanæ; prout de ipſiſmet Legibus habetur *c. Erit autem lex. diſt. 4.* Atqui tale non videretur eſſe, ſi Reus ad præceptum Judicis illicò teneretur fateri crimen necdum plenè probatum, haud obſtante, quòd exinde ſit morte plectendus. Accedit, quòd cuilibet liceat tranſigere, ſeu paciſci de crimine capitali (excepto adulterio) ſicque ſanguinem, & vitam ſuam redimere, *l. Tranſigere. C. de Tranſaction.* etſi ſecùs ſit in aliis criminibus, ut ibidem dicitur. Tacentur ſimilia, de quibus fusè Leſſius, & Lugo, *ubi ſuprà.*

167 Reſp. II. Reus juridicè interrogatus à legitimo Judice peccat mortaliter, ſi non fateatur veritatem: unde durante prava ſua intentione eandem negandi, non poteſt à Confeſſario ſacramentaliter abſolvi. Ita Navarr. *c. 25. Manual. n.* 36. & communis aliorum, illis demptis, qui juxta proximè dicta excipiunt cauſas criminales graviores, præſertim capitales: quorum ſententia, utpote probabilis, Confeſſario inſervire poterit, ut reum ita perſuaſum non multum teneatur urgere ad aperiendum crimen; ſed poſſit ipſum abſolvere; prout notat Layman *cit. n. 3.* poſt Sà *verſ. Judicialis actus. §. De Reo. n. 6.* & Sotum *lib. 6. q. 5. art. 2.* Concluſio ſic declarata ſequitur ex dictis: quia enim Judici legitimè interroganti, ſive acceſſerit juramentum de veritate dicenda, ſive non, tenetur Reus de plano reſpondere, faterique veritatem; ergo iſtud ejus præceptum in materia gravi tranſgrediens, peccat mortaliter. Neque enim ad evitandum quodcunque damnum, licitum eſt peccare: quinimò, ſi quis excuſaretur à peccato, hoc ipſo non obligaretur præcepto Judicis juridicè interrogantis de fatenda veritate.

168 Atque ex his ſequitur altera pars datæ Concluſionis. Nam, ubi Reus perſeverat in ſua prava voluntate negandi veritatem, dum tamen iſtum ad mandatum Judicis legitimè interrogantis, vel etiam juramentum imponentis, tenetur aperire, hoc ipſo non pœnitet eum peccati, ac perjurii, neque habet propoſitum emendationis; ergo non meretur veniam, neque abſolutionem Sacramentalem. Hinc Praxis Criminalis FF. Minorũ, relata per Ludov. de Ameno, *tit. 19 Reus §. 6.* notanter inter alia ſic diſpoſuit: *Reus legitimè interrogatus ſub mortali culpa (à qua, niſi dicat veritatem in foro pœnitentiæ abſolvi non poſſit) tenetur de plano reſpondere ad mentem judicis interrogantis.*

169 Dices. Textus hic, unà cum data Concluſione, videtur nimium durus, imò & contra rationem naturalem: nam inde ſequeretur, quòd Reus in judicio ſemel negans delictum à ſe commiſſum, nunquam poſſet Sacramentaliter abſolvi, niſi denuò Judicem adeat, & crimen fateatur: hoc autem videtur nimis durum, & contra omnem rationem; ergo. Reſp. neg. Aſſumptum, unà cum ſequela Majoris ſuæ probationis. Nam ſenſus Concluſionis eſt, quòd durante ſua prava voluntate negandi veritatem, vel perſiſtendi in perjurio, etiamſi denuò interrogaretur, non poſſit à Confeſſario abſolvi: quia retinens animum etiam in futuro examine negandi veritatem, quam tamẽ juridicè interrogatus ſub mortali tenetur aperire, habet actualem voluntatem peccandi mortaliter; ſicque non eſt ritè diſpoſitus ad recipiendam abſolutionem Sacramentalem. Non autem vult Concluſio, neque allegatus textus Praxis Criminalis, quòd ille, qui ſemel negavit veritatem, atque exinde fuit judicialiter abſolutus in Foro externo, vel è carcere fugiens omnino eſt extra poteſtatem Judicis, teneatur redire, & poſteà etiam non interrogatus debeat delictum coram Judice illo fateri, ut Sacramentaliter abſolvi poſſit. Hoc quippe meritò durum nimis, & contra rationem naturalem eſſe videretur; quia aliud non foret, quàm ſeipſum prodere. Ludov. de Ameno *in Praxi Crim. tit. 19. Reus. §. 6. n. 35.* Lugo, *ubi ſup. n. 17.* Sanchez *l. 3. in Decalogum, c. 7. n. 5.* citans alios.

170 Et additur hic notanter, *omnino eſt extra poteſtatem Judicis.* Nam quando Reus adhuc eſt in Judicis poteſtate, neque ſententia jam lata fuit, multi volunt, eum eſſe in malo ſtatu, niſi ſe ad fatendam veritatem etiam non rogatus offerat; ac proinde abſolvendum non eſſe, niſi id præſtare firmiter proponat: cenſetur enim adhuc durare Judicis præceptum, obligans ad mortale. Atque hanc ſententiam eſſe communem, aſſerit Sanch. *c. c. 7. n. 6.* poſt Sotum *lib. 5. de Juſt. q. 6. a. 1. v. Ex his autem.* Navarr. *cap. 25 Manual n.* 36. & alios: quamvis idem Sanchez *n. 8.* & Lugo *ubi ſup. n. 17.* oppoſitam ſententiam exiſtimet eſſe probabiliorem, de quo citati Authores.

171 Quæritur III. Utrùm Reus ex præſumptione falſa à Judice interrogatus, teneatur confiteri propoſitionem veram, ubi iſta confeſſa condemnandus eſt in Foro externo de crimine, aut debito, ad quod reverà in Foro conſcientiæ non tenetur? Exemplum hujus ponit Sanch. *lib. 1. de Matrim. diſp. 10. n. 27.* de eo, qui fictè promiſit matrimonium; ſicque certum eſt, quòd in Foro conſcientiæ vi hujus promiſſionis, utpote fictæ, non teneatur ducere puellam, cui talis promiſſio facta eſt; etſi conceſſa illa promiſſione, cùm internam fictionem probare nequeat, in Foro externo certiſſimè ad eam ducendam ſit condemnandus. Aliud hujus exemplum ponit Lugo. *diſp. 40. de juſt. & jur. ſect. 1. n. 4.* de Titio, qui ex præſumptione falſa commiſſi homicidii judicialiter interrogatur, an exierit ex tali domo, & tali tempore, ſtricto enſe? Quod quidem verum eſt, ac etiam jam ſemiplenè probatum, ſed exitus ille non contingit facto homicidio, ſed ob aliam cauſam: unde quæſtio remanet, an taliter interrogatus poſſit negare exitum illum, ne alioquin licèt innocens, ob tam gravem præſumptionem habeatur reus homicidii? Et tales caſus poſſunt innumeri formari, quorum aliqui *nu. ſeq.* referuntur. Quo prænotato

172 Reſp. Quantùm attinet Forum conſcientiæ, probabile eſt, quòd interrogatus à Judice ex præſumptione falſa delicti, vel debiti, poſſit negare ejuſmodi propoſitionem, utpote falſam in ſenſu ab Actore, ſeu Judice hic & nunc principaliter intento. Ita Navarr. *in can. Humanæ aures. 22. q. 5. q. 1. & 2.* per totum, ubi non ſolùm talem aſſerit coram Deo eſſe immunem à mendacio, ſed etiam à perjurio, licèt à Judice adjuratus ita negaverit. Concordat Sanchez, & Lugo *loc. cit.* ubi in caſibus proximè relatis hoc ipſum docent. Covarruvias *lib. 1.*

*Var. Reſ. c. 2. n. 3.* poſt Baldum *in Rubr. C. de Fide inſtrum. n. 30.* & Hippolitum *Singul. 177.* & alios docens, quòd ſi Sempronius petat à me centum, v.g. florenos, quos mihi mutuavit, ſed ego ſecretò, ſive abſque teſtibus ipſi jam ſolvi, poſſim ſine ullo crimine hanc ejus petitionem negare, prout in ea Actoris propoſitio continetur: quia (inquit) nullum hìc intervenit mendacium, ea ratione, quod Actor in eo libello aſſerat centum mihi mutuaſſe, & adhuc me ſibi obnoxium eſſe ad eorum ſolutionem: hoc enim falſum eſt, cùm ei centum ſolverim; & ideò petitio ea forma, qua fit, & Judici exhibetur, falſa eſt, juſteque à me negari poteſt in genere. Ita diſcurrit Covarruvias. Idem tenet Jaſon *in l. Manifeſtè n. 7 ff. de Jure jurand.* ubi de hoc ipſo caſu loquens poſt Imolam, & Geminianum, & alios concedit, poſſe me jurare, quòd mihi nihil mutuaſti; nempe, ex quo tibi debitor ſim, prout nunc allegas in Judicio. Sylveſter *V. Juramentum. 3. q. 2. circa fin.* & Navarrus *c. 12. Manual. n. 29.* iſtud exemplificantes de interrogato tempore peſtis à Cuſtodibus civitatis, num veniat ex tali loco, quem falſo exiſtimat eſſe peſte infectum: nam, ſi novit, locum illum à peſte penitus eſſe immunem, tunc poteſt dicere, ac jurare, ſe inde non venire; referendo ſe ad principalem intentionem illorum Cuſtodum, juxta quam de mandato Magiſtratus eum interrogare debent: quamvis Fagnanus *in c. Falſidicus n. 36. 43. & ſeqq. de Crimine Falſi*, dum Reſtrictiones mentales ex profeſſo ac fuſiùs impugnat, hoc ultimum exemplum, una cum aliis ſimilibus, falſitatis arguat; cujus præcipuum fundamentum loco objectionum ponetur, ac ſolvetur abſque eo, ut Reſtrictiones mentales propugnentur.

173 Ratio principalis datæ Concluſionis eſt. Quia in tali negatione, vel juramento, nulla à parte rei intervenit falſitas; ergo nec mendacium, vel perjurium. Antecedens partim patet ex dictis, partim ulteriùs ſic declaratur. Quia interrogatus, vel adjuratus, non tenetur attendere ad verba nudè ſeu materialiter ſpectata ipſius interrogantis, ſeu adjurantis, ſed potiùs ad ejus intentionem & mentem: *Quia non debet aliquis verba conſiderare, ſed voluntatem, & intentionem; quia non debet intentio verbis deſervire, ſed verba intentioni* prout loquitur D. Gregorius Papa, relatus, *can. Humanæ aures. 22. q. 5. & c. Intelligentia 6. de Verb. ſign.* Atqui interrogatus à Judice ex præſumptione falſa delicti, vel debiti, ſi reſpondeat negando propoſitionem, utpote falſam in ſenſu ab Actore, vel Judice principaliter intento, ſic attendit nõ ad verba nudè prolata ſed ad intentionẽ Judicis interrogãtis; ergo.

174 Confirmatur. Quia, licèt juſtè interrogatus à Judice teneatur veritatem aperire; ſecùs tamen eſt, ſi interrogetur injuſtè, ac non ſervato Juris ordine, ut dictum *n. 154. & ſeqq.* Atqui ſtante illa præſumptione falſa, reverà interrogatur quis injuſtè; ergo. Minor probatur: quia crimen necdum eſt ſemiplenè probatum; cùm reverà non contigerit, ſed falſa duntaxat ejus præſumptio habeatur. Accedit, quòd ſtante præſumptione falſa Judex non intendat, neque præcipere poſſit, ut Reus ad factam interrogationem, prout jacet, abſolutè reſpondeat: ergo nec Reus tenetur ita reſpondere. Antecedens declaratur in exemplo, per Lugonem *n. 171.* adducto, de Titio egrediente domum ſtricto enſe: ſi enim Judex ſciret veritatẽ, ac Titii innocentiam, certum eſt, quod Titium de illo egreſſu non interrogaret, imò nec interrogare poſſet, tum ne hunc injuſtè diffamaret, imponendo ipſi innocenti grave crimen; tum ne viam ſterneret ad injuſtam ejus condemnationem, qualis ex gravi præſumptione, licèt à parte rei falſa, contra Titium facilè ſequeretur, ſi abſolutè concederet, ſe ex tali domo, & tali tempore, ſtricto enſe egreſſum fuiſſe. Tacentur aliæ probationes, quarum plures adducit Navarrus *in cit. can. Humanæ aures. 22. q. 5. per totam, q. 1. & 2.* ſolvens ſimul contraria.

175 Additur notanter in Concluſione *quantùm attinet Forum conſcientiæ*. Siquidem in Foro externo procedendum eſt juxta exigentiam, gravitatem præſumptionis, reſultantis v. g. ex propria ſignificatione verborum, donec contrarium probetur. Nam, ut S. Gregorius Papa *in c. can. Humanæ aures. 22. q. 5.* loquitur. *Humanæ aures verba noſtra talia judicant, qualia foris ſonant. Divina verò judicia talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* Et quòd Judices in judicando teneantur procedere ſecundùm Leges in præſumptione fundatas, uberiùs dictum eſt *Lib. 1. Tit. 2. De Conſtitutionibus, §. 7. n. 163. & ſeqq.* ubi plura de hoc. Quamquam tunc non interroget Judex juridicè, niſi ex præſumptione: ſi enim veritatem ſciret, non poſſet interrogare, ut proximè dictum, ac notat Lugo *cit. diſp. 40. ſect. 1. n. 4.*

176 Objicitur primò contra datam *n. 172.* Concluſionem. Ille mentitur, *qui aliud cogitat mente, quàm ore profert*, ut inquit Gloſſa *in can. Is autem. 22. q. 2. V. Inſtituta*, juncta textum *ibid.* nam in diſſonantia verborum ab intentione, conſiſtit ratio formalis mendacii, *can. Homines. ead. cauſ. 22. q. 2.* ubi proin ſubjungitur: *Ream linguam non facit, niſi mens rea*, videlicet aliud putans, quàm dicit lingua. Hinc *can. Humanæ aures. 22. q. 5.* notanter dicitur: *Humanæ aures verba noſtra talia judicant, qualia foris ſonant: Divina verò judicia talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur*; cum concordantiis. Atqui in caſibus in Concluſione poſitis, aliud quis cogitat mente, quàm ore profert; quia affirmat, v. g. ſe non promiſiſſe matrimonium, quod ſcit ſe verbis promiſiſſe; ergo data Concluſio ne quidem pro Foro conſcientiæ procedit. Reſ. cum Navarro *in cit. Commentario, can. Humanæ aures &c. q. 2. n. 13.* negand. min. Quinimò ſic reſpondens mente cogitabat, & ſciebat, ſe non promiſiſſe matrimonium, cùm illud (uti ſupponitur) duntaxat fictè promiſiſſet. Quamquam per hoc non negetur, quin ita fictè promittens teneatur puellæ deceptæ ad recompenſationem omnis damni inde ſubſecuti, utpote cujus fraudulenta ſua promiſſione fuit cauſa, & quidem injuſta: neque hinc excuſentur alia peccata, ſi quæ forſant talem reſponſionem comitentur.

177 Urgebis. Juramentum in Foro animæ eſt interpretandum juxta intentionem recipientis: nam, ut *can. Quacunque arte 22. q. 5.* dicitur: *Quacumque arte verborum quiſque juret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit &c.* Concordat S. Hieronymus *can. Quoties. ead. 22. q. 5.* relatus, dum inquit: *Quoties verò loquimur, aut non in tempore, aut importuno loco, aut non ut convenit audientibus: toties ſermo malus procedit de ore noſtro &c.* Atqui reſponſiones illæ, de quibus in Concluſione, non conveniunt audientibus, utpote veram earum ſignificationem, atq; intellectum non percipientibus; ergo. Reſp. I. opponendo *can. Humanæ aures. 22. q. 5. ſup. n. 173.* jam relatũ, juncto *c. Intell. 6. de Verb. Sign.* ubi dicitur: *Intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi: quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubiectus.* Atqui reſponſiones in Concluſione relatæ dantur, & quidem veridicè, juxta cauſas dicendi; nempe juxta eas, ex quibus Judex interrogavit, & alter reſpondere debuit: & conſequenter juxta has intelligentia talium dictorum eſt deſumenda.

178 Reſp. II. cum Navarro, *ubi ſuprà q. 2. n. 13.* quòd quidem regulariter teneatur quis reſpondere interroganti, ſeu adjuranti, juxta mentem ſeu intentionem ipſius; ſed fallit, quando alia mente, quam debet, quis interrogatur, ſeu adjuratur: quia tunc ſufficit, quòd reſpondeat ſecundùm eam mentem, ſeu intentionem, qua debet interrogari ſeu adjurari, modò verum reſpondeat. Hoc autem contingit in caſibus: de quibus in Concluſione, prout uberiùs eſt declaratum in ejus probationibus. Tacentur nonnullæ aliæ hujuſmodi inſtantiæ, de quibus fusè Navarrus *l. c. q. 1. & 2.* ponendo ſolutionem pro ſingulis, quæ tamen ex præmiſſis facilè deſumi poterit.

179 Objicitur ulteriùs. Præmiſſa Concluſio repugnat noviſſimo Decreto Innocentii XI. anno 1679. die 11. Martii emanato, atque uſum reſtrictionum mentalium, & amphibologiarum expreſsè damnanti; ergo. Antecedens probatur ex Propoſitione 26. & duabus ſequentibus ibidem damnatis, quæ ita ſonant: *26. Si quis vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocunque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod reverà fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec eſt perjurus. 27. Cauſam utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa. 28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.* Hæ, inquam, tres Propoſitiones ſunt damnatæ, ac ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ doceri prohibitæ; ergo idem videtur dicendum de data Concluſione, utpote concedente quandam reſtrictionem mentalem, vel amphibologiam, & quidem juramento firmatam. Reſp. neg. anteced. cum ſuæ probationis conſequentia. Nam, ut notanter additur in Prooemio dicti Decreti, Propoſitiones in eodem contentæ damnantur ibidem, *ut jacent*: Concluſio autem nihil habet commune cum ipſis, *ut jacent*. Quod ut melius intelligatur



180 Notandum, quòd *Amphibologia* vi nominis idem ſit, ac *Dubium dictum*, ſive ſermo dubiam ſententiam indicans; prout explicat Calepinus, *V. Amphibologia*: ubi pro exemplo ponit illud --- *Aio te Æacida, Romanos vincere poſſe*. Item, *Cato injuſtè criminatur*. Incertum enim relinquitur, an Cato alium criminetur, vel ipſe ab alio: an Romani vincere poſſint Æacida, vel iſte Romanos. Hinc alii inquiunt, quòd *Amphibologia*, ſit ambiguitas vocis ad ſenſum plurium rerum accommodabilis. Et hæc imprimis accidit adhibendo verba æquivoca, quibus loquens utitur in uno ſenſu, quamvis audiens eadem intelligat in altero ſenſu. Exemplum hujus habetur *Tobiæ c. 5.* ubi Raphael Angelus dixit: *Ego ſum Azarias, Ananiæ magni filius*: nam verba illa, *Azarias*, *Ananias*, poſſunt duo ſignificare; nempe perſonam humanam (in quo ſenſu intelligebantur à Tobia) & rem ſpecialem: nam *Azarias* interpretatur *Auxilium Domini*: & *Ananias* idem eſt, ac *Nubes Domini*. Quia igitur *Nubes*, juxta S. Ambroſium *Serm. 61.* ſignificat Patrem Æternum, hinc ſermo ille talem ſenſum myſticum, à Raphaele Archangelo intentum, reddebat: *Ego ſum Auxilium Domini*, ſive Auxiliator à Deo miſſus, *Æterni patris filius*, videlicet adoptivus. Aliud hujus exemplum ponit Gloſſa magna *in can. Ne quis. 22. q. 2.* deſerviens ad cautè deludendum interrogantem, num Titius ad mortem quæſitus, ſit domi, per æquivocationem dicendo *Non eſt hic, id eſt, Non comedit hic*. Huc accedit illud dictum negantis, ſe occidiſſe Gallum, intelligendo iſtud de gallo gallinacio, non de Gallo homine, vel econtrà, ſi quem horum forſan occidiſſet. Aut viri pii in convivio invitati ad eſum ciborum delicatorum, vel potum nobilioris vini, & dicentis, eum ſibi nocere: intelligendo hoc ſuum dictum myſticè, pro nocumento videlicet profectus ſpiritualis, etſi corpori non noceret. Tacentur innumera alia his ſimilia.

181 Deinde contingit Amphibologia, quando verba ex ſua ſignificatione non ſunt ambigua, nec æquivoca; ſed tamen attentis circumſtantiis loci, temporis & perſonæ, limitantur ad aliud ſignificatum, Jo. Cardenas *in Criſi Theologica ad Propoſition. ab Innocentio XI. damnatas, Diſſertat. 19. c. 4. n. 36. & ſeqq.* illud declarans exemplo S.P.N. Franciſci, qui cùm latrones quidam tranſiiſſent illa via, interrogatus à Miniſtris juſtitiæ ipſos perſequentibus, an illàc tranſiiſſent, mittens manus in manicas, reſpondit: *Non tranſierunt hac.* Aliud exemplum affert idem Cardenas *n. 39.* de Chriſto Domino, qui interrogatus à Diſcipulis de tempore adventus ſui, & conſummationis ſæculi, *Matth. 24. & Marci 13.* reſpondit: *De die autem illo, vel hora nemo ſcit, niſi Angeli in Cœlo, neque Filius, niſi Pater.* Quia, licèt Chriſtus, etiam ut homo, diem illum ſciverit; non tamen ſcivit eum ſcientia illa, quæ utilis eſſet ad reſpondendum in hiſce circumſtantiis, nempe ut eum manifeſtaret Diſcipulis interrogantibus. Simile talis Amphibologiæ exemplum deſumit Patritius Sporer *tom 3. Theolog. Moral. tr. 3. in 2. Præcept. Decal. c. 1. ſect. 3. n. 106.* ex illo Salvatoris effato, *Jo. c. 7.* dicentis: *Non aſcendam ad diem Feſtum*: cùm tamen poſteà aſcenderit, *non manifeſtè, ſed quaſi in occulto*. Siquidem verba illa, abſque alia reſtrictione mentali, veritatem habebant ex circumſtantia mentis eorum, quibuſcum Chriſtus loquebatur: nam Fratres, ſive cognati ipſius dixerant Chriſto, ut pergeret in Judæam, & quæreret palam eſſe, manifeſtando ſeipſum mundo per miracula; & hoc modo Æterna Veritas negavit ſe aſcenſurum, etſi poſteà aſcenderit *quaſi in occulto*, prout loquitur Sacer Textus. Tacentur ſimilia, de quibus Authores proximè citati, & Jo. Maria Sbogar *in Theologia Radicali, tr. 9. c. un. n. 9. & ſeqq.* ac alii.

182 Econtrà per *Reſtrictionem mentalem* intelligitur purus conceptus mentis, qui nullo modo concordat cum verbis oretenus prolatis. Unde fit, quòd ejuſmodi conceptus mentis, per Reſtrictionem mentalem intentus, præter loquentem non poſſit ab alio audiente percipi. Hujus exempla referuntur in citata Propoſitione 26. per Innocentium XI. damnata: quamvis & iſta dicantur Amphibologiæ in Propoſitione 29. itidem damnata, ut liquet ex earum verbis *n. 176.* allegatis; ſed hoc accedit, ſumendo Amphibologiam in ſenſu largiori.

183 His prænotatis patet, quòd Concluſio, *n. 172.* data, nihil habeat commune cum Propoſitionibus damnatis, ac *n. 176.* relatis. Ibi enim ſolum damnantur Reſtrictiones mentales, ſeu amphibologicæ, quæ fiunt per reſtrictionem mentalem, addendo verbis aliquid ſola mente retentum. Jo. Cardenas *cit. Diſſertat. 19. c. 4. n. 35.* Patricius Sporer *l. c. n. 104. & ſeqq.* Jo Maria Sbogar, *ubi ſuprà, n. 18.* Talis autem non eſt illa, de qua fit mencio in dicta Concl. cùm ibidem relata reſponſio negativa nihil addat ſola mente retentum, quinimò correſpondeat mẽti Actoris, & Judicis interrogantis; prout jam ſuprà oſtenſum, & confirmant exempla *n. 171. & 172.* adducta.

184 Accedit, quòd hìc interveniat juſta cauſa utendi tali amphibologia, ne videlicet alioquin innocens ex præſumptione falſa delicti, vel debiti, injuſtè condemnetur: nam quòd ſine cauſa non ſit licitum uti amphibologiis (ac multò minùs, ubi immineret injuria, vel dolus tertio) patet ex illo Evangelico *Matth. 5.* ubi Chriſtus veram ſimplicitatem in loquendo commendans, præcepiſſe legitur: *Sit autem ſermo veſter, Eſt eſt, Non non*, cum ſimilibus. Accedit, quòd uti ratione ambigua ſine juſta cauſa, ſit abuſio communis loquelæ contra virtutem veritatis: ſimulque uſus amphibologiarum, ceſſante aliàs juſta cauſa frequentatus, præberet multiplicem deceptionem hominum, ſicque repugnat communi bono ſocietatis humanæ; ac proinde eſt peccatum, licèt propriè non ſit mendacium. Leſſius *lib. 2. de Juſt. & jur. c. 42. n. 48.* Sporer *loc. cit. n. 104. & 108.* & communis aliorum.

## § VIII.

## De Poſitionibus, Articulis, & Interrogatoriis.

*SUMMARIUM.*

185 *Cur de iſtis hoc loco agatur?*
186 *Poſitiones, ad quid ſint inventæ? Et n. ſeqq.*
187 *Fiunt plerumque ab Actore, quamvis etiam à Reo fieri poſſint:*
188 *Atque admitti conſueverunt ob clariorem litium expeditionem.*
189 *Poſitio, quid? Et n. ſeqq.*
190 *Debet eſſe affirmativa, non negativa.*
*Ponens fatetur omne illud quod ponit. Ibid.*
191 *Poſitio juris, an ſit admittenda?*
192 *Poſitio, quæ ſit impertinens, vel pertinens?*
193 *Utrùm ſit admittenda, ſaltem ſtante dubio, an ſit impertinens:*
*Securius eſt, ſuperfluum admittere, quam neceſſarium omittere? Ibid.*
194 *Clauſula*, Salvo jure impertinentium, & non admittendorum, *quid operetur?*
195 *Poſitiones exhibentur in ſcriptis medio juramento. Et n. 183. & 194.*
196 *Et quis ſit finis earum. Et n. 185.*
197 *Reus ad poſitiones reſpondere recuſans, habetur pro confeſſo. Et n. ſeq.*
198 *Idemque dicendum de Actore, ſi recuſet reſpondere ad poſitiones Rei.*
199 & 200 *Quæ conditiones requirantur, ut non reſpondens poſitionibus habeatur pro confeſſo?*
201 *Requiritur ad hoc etiã ſententia declaratoria Judicis.*
202 *Dantur tamen plures cauſæ rationabiles non reſpondendi ad poſitiones. Et n. ſeqq.*

203 *Videlicet, ſi poſitio ſit ſuperflua, ſeu impertinens.*
204 *Aut obſcura.*
205 *Hujus declarationem anteà petat reſponſurus; alioquin ſibi præjudicat.*
206 *Vel, quando poſitio eſt captioſa; & quæ ſit talis?*
207 *Item, ſi poſitio ſit multiplex, niſi explicetur?*
208 *Vel ſit juris & non facti.*
*Aut criminoſa. Ibid.*
209 *Poſitio debet fieri poſitivè, non interrogativè.*
210 *Articulus, quid?*
211 *Articuli multipliciter differunt à Poſitionibus.*
212 *In praxi tamen plerumque inter ſe confunduntur.*
213 *Interrogatoria, quid, & quomodo fiant?*
214 *Interrogatoria non dantur parti.*
*Poſſuntque per Judicem fieri uſque ad probationem ſententiæ. Ibid.*
215 *Interrogatoria variè differunt à Poſitionibus.*
216 & 217 *Et in quibus?*

185 QUia Compilator Juris Canonici *c. 1. & 2. de Confeſſis in 6.* ex profeſſo tractat de Poſitionibus eo quòd hæ plurimùm deſerviant ad eruendam partium confeſſionem; meritò ad finem præſentis Tituli agimus etiam de Poſitionibus. Occaſione quarum ſimul fiet mentio quædam de Articulis, & Interrogatoriis, ad oſtendendam harum à Poſitionibus differentiam. Unde

186 Quæritur I. Ad quid inventæ ſint Poſitiones, quidque ſint? Reſp. I. De Poſitionibus frequens ſit mentio in Jure, uti patebit ex Juribus in progreſſu citandis. Siquidem praxis omnium fermè Tribunalium, & *c. 1. & 2. h. t. in 6.* approbata habet, ut poſt litis conteſtationem, per quam Reus generaliter contradicit Intentioni Actori, negatque vera eſſe, quæ in libello per Actorem Judici oblato continentur; ex eodem libello extrahantur certæ, ac ſpeciales poſitiones, eæque *poſt præſtitum veritatis, aut calumniæ juramentum* (ut loquitur textus ibidem) adverſario porrigantur; atque is ad ſingulas earum, prævio juramento de veritate dicenda (quod Practici *Juramentum reſpondendorum appellant*) reſpondere jubeatur.

187 Fiunt autem Poſitiones plerumque ab Actore, qui ipſas format, atque ex ſuo libello extractas offert Reo ad reſpondendum; præſtito tamen priùs juramento (quod appellant *Juramentum dandorum*, ut inquit Engel *tit. de Confeſſ. n. 9.*) ſe nihil calumnioſè poſuiſſe in ipſis. Quamquam nihil prohibeat, quin etiam à Reo fiant poſitiones, ut notat Gloſſa magna *in c. de Confeſſis. in 6.* & amplius dicetur *§ ſeq. n. 218.*

188 Atque hujuſmodi Poſitiones primitus ſunt inventæ & inductæ à conſuetudine, ſeu ex uſu hominum diu in cauſis inolito, poſtmodùm tamen per Leges & Canones firmato. Speculator *tit. de Poſitionibus. § Primò n. 1.* Sigiſm. Scaccia *l. 1. de Judiciis, c. 60 n. 3.* & alii. Et quidem uſus longævus admiſit poſitiones in cauſis ob clariorem expeditionem litium, propter partium confeſſiones; ut dicitur *cit. Clem. Sæpè contingit. §. Et quia. de Verb. ſignif.* Siquidem Ponens cenſetur aſſerere, atque ultrò confiteri omne id, quod poſuit, *cit. c. ult. de Jurejurand. in 6.* E contrà adverſarius ejus, ſeu Reſpondens, ſub juramento interrogatus à Judice, non tam facilè negare poterit ſingulares partes libelli, quàm totum libellum, ob quandam forſan in eo admixtam falſitatem, unde ſi quaſdam Poſitiones confeſſus fuerit, revelabitur Ponens ab onere haſce probandi, ſicque faciliùs cauſa terminabitur. Quòd ſi verò aliquis interrogatus, juſſuſque à Judice, ad poſitiones ſibi oblatas abſque rationabili cauſa reſpondere recuſarit, habetur is pro confeſſo, *c. 2. de Confeſſis in 6.* ſicque iterum citiùs cauſa terminabitur. Verùm de hoc poſteriori plura inferiùs *n. 194. ac ſeqq.*

189 Reſp. II. *Poſitio* eſt ſimplex aſſertio facti ad cauſam pertinentis, medio juramento in ſcriptis exhibita, ad hoc, ut per reſponſionem adverſarii ad interrogationem Judicis, pars relevetur ab onere probandi. Ita Fagnanus *in cit. c. Olim. n. 55. de Litis conteſt.* Quamvis Gloſſa magna *in c. 1. de Confeſſis in 6.* plures alias referat definitiones Poſitionis: ſed hæ vel naturam Poſitionis non rectè explicant, vel conveniunt aliis à definito, ut putà Articulis; prout fuſiùs declarat Fagnanus *loc. c. n. 52. & ſeqq.* atque patebit ex dicendis.

190 Dicitur primò *ſimplex aſſertio*. Tum quia Poſitio debet eſſet affirmativa, non negativa (hæc enim nihil ponit, ſed removet, ut inquit Gloſſa *in c. c. 1. V. negativas*) niſi aliud Judici æquitate ſuadente videatur expedire, *d. c. 1. de Confeſſis in 6.* Tum quia Poſitio debet eſſe ſimplex, non æquivoca, captioſa, aut duplex; alioquin ejuſmodi poſitioni non eſt reſpondendum, ut *n. 199 & ſeq.* ampliùs dicetur. Tum tandem, quia Ponens aſſerit, atque fatetur omne illud, quod ponit, *arg. c. 2. de Teſt. in 6.* Adeo quidem, ut ſi quis poſt juramentum in cauſa præſtitum manifeſtè contraria ponat, ſeu reſpondeat (niſi rationabiliter excuſetur) veluti perjurus repellatur *tex. cl. c. ul. de jurejur. in 6.*

Dicitur ſecundò, *facti ad cauſam pertinentis*. Quia imprimis non admittitur poſitio juris, hoc eſt, facta de mente Legis. Bartolus *in l. Ornamentorum. ff. de Auro & argent. legat.* & Baldus *in c. Dudum II 2. n. 6. & n. 36. de Electione.* Siquidem non eſt in poteſtate reſpondentis, dubia Juris interpretari: quinimò Jus certum eſt, nec per contrariam poſitionem, vel reſponſionem alterari poteſt, *c. l. Ornamentorum. ff. de Auro & argent. legat.* ibi: *Nec errorem hæredis jus mutaſſe, reſpondi.* Quamquam hic accipiendum ſit Jus conſuetudinarium: valet enim poſitio, & confeſſio de conſuetudine alicubi vigente; cùm hæc ipſa ſit quid facti, & in facto conſiſtat, *c. 1. de Conſtit. in 6.* Idemque, ac ob eandem rationem, eſt dicendum de Jure municipali, ut notat Bartolus *l. c.* juncta Additione marginali, & Fagnanus, *ubi ſupra num. 79. & 80.* allegans alios. 191

Deinde non eſt admittenda *Poſitio impertinens*; hoc eſt, ad negotium omnino non faciens, ut putà, *Pono, quòd Rex eſt in Francia*; prout explicat Baldus *l. c. n. 7.* Cæterùm *Poſitio pertinens* dicitur omnis illa, quæ cauſæ controverſæ confert aliquid per ſe, vel cum alio conjuncto. Baldus *c. n. 6.* id probans ex *l. Quò minùs. ff. de Fluminib.* & Fagnan. *l. c. n. 82* allegans alios. Sive illa poſitio, quæ venit in auxilium cauſæ ejus, qui ponit, cenſetur eſſe pertinens. Baldus, *ubi ſup. n. 28. v. Et nota iſtam regulam.* Et ſufficit ad hoc ſi qualecunque adminiculum præſtet, etiam ex levi præſumptione; nam quæ non proſunt ſingula; multa juvant. Gl. *in c. Cùm cauſam. V. Adminicula. de prob.* 192

Si igitur ſtatim appareat, quòd Poſitio ſit impertinens, non debet admitti, nec ad eam reſponderi: ſi autem eſt dubium, & requirit altiorem indaginem, debet reſponderi cum proteſtatione, *ſalvo jure impertinentium, & non admittendarum poſitionum.* Gloſſa *in c. Cùm contingat. V. Nihilominus. de Offic. Delegat.* Baldus *ubi ſuprà* Fagnanus *l. c. n. 28 & 29.* Speculator *tit. de poſitionibus. §. Septimò videndum n. 7. & 8.* Maſcardus *de probat. Concl. 1183. n. 10.* Et monent hi Authores, ne Judex velit eſſe præceps in rejiciendo poſitiones: tum quia nonnunquam prima facie poſitio videtur impertinens, quæ reverà eſt pertinens, & ſaltem indirectè facit ad rem. Tum quia ſecurius eſt, ſuperfluum admittere, quàm neceſſarium omittere: nam omiſſa ſolent vitiare actus, *c. Cùm dilecta. 22. de Reſcript.* non verò, quæ ex ſuperabundanti fiunt, *l. Non ſolet ff. de Reg. Jur.* Simulque utilius eſt, reſpondendo ſub præmiſſa proteſtatione abbreviare litem, quàm ſupervacuà altercatione de impertinentia poſitionis eandem protrahere, *l. properandum. §. Illo procul dubio. C. de Judiciis*, Speculator, & Maſcardus *ubi ſuprà.* 193

Porrò vis hujus clauſulæ, *ſalvo jure impertinentium, & non admittendorum*, hoc eſt, ut ſi impoſterùm appareat, quòd tales poſitiones non debebant admitti, habeantur pro non admiſſis, atque rejiciantur etiam depoſitiones teſtium ſuper eiſdem receptæ. Jo. Andreas *in cap. Cùm contingat. n. 23. & 24. de Offic. Delegat.* Maranta *p. 6. Speculi aurei. tit. de Poſitione, actu 4. num. 23.* Barboſa *Clauſul. 143 n. 1. & ſeqq.* allegans alios. 194

Dicitur tertiò in data Poſitionis definitione, *medio juramento in ſcriptis exhibita.* Ponens enim tenetur præmittere juramentum de veritate dicenda, *c. Præſentium. de Teſtib. in 6.* & quòd nihil calumnioſè poſuerit, *c. 2.* juncta Gloſſa *V. Juramentum. h. t. in 6.* Teneturque inſuper poſitiones in ſcriptis exhibere Judici, ut videre valeat, utrùm ſint impertinentes, captioſæ, aut ex alio capite rejiciendæ. Gl. magna *in c. 1. h. t. in 6. v. Et ſunt in ſcriptis.* 195

Tandem additur in eadem definitione, *ad hoc ut per confeſſionem adverſarii pars relevetur ab onere probandi.* Quibus verbis denotatur finis; ob quem longævus uſus Tribunalium introduxit poſitiones; nempe ut pars ponens rele- 196





relevatur ab onere probandi, ſi adverſarius ultrò confeſſus fuerit poſitionem, ſicque lites faciliùs expediantur propter partium confeſſiones, *Clem. Sæpè contingit. § Verùm quia. de verb. ſignif.* Occaſione cujus

197 Quæritur II. An, & quando ad poſitiones reſpondere recuſans habeatur pro confeſſo? Reſp. I. *Si poſt præſtitum veritatis, aut calumniæ juramentum, Reus, vel Procurator ipſius, poſitionibus adverſario ſibi factis interrogatus, juſſuſque à Judice reſpondere abſque rationabili cauſa recuſet, aut nolit, ſeu contumaciter ſe abſentet, haberi debet ſuper his, de quibus in eiſdem poſitionibus interrogatus extitit, pro confeſſo.* Ita loquitur textus *in c. 2. de Confeſſis in 6.* Et meritò: quia, cùm quis in eo ſit puniendus in quo deliquit, *c. Litteras. de Temporib. ordinat.* hinc in pœnam inobedientis, ſeu poſt præſtitum jam de veritate dicenda juramentum ad mandatum Judicis reſpondere recuſantis, Jus interpretatur, atque diſponit, quòd ejus taciturnitas, ſeu contumax abſentia, habeatur pro confeſſione: ſicque talis cenſetur fictè confeſſus, niſi poſſit allegare rationabilem cauſam non reſpondendi,

198 Cæterùm, licèt allegatus textus mentionem duntaxat faciat de Reo, vel ejus Procuratore; idem tamen e converſo eſſe dicendum de Actore (quòd nempe recuſans jubente Judice reſpondere ad poſitiones à Reo ſibi factas, habeatur pro confeſſo) tenet Gloſſa *ib. V. Reus.* & Pirhing. *h. t. n. 12.* quidquid nonnulli contradicant allegantes pro ſe, quòd Conſtitutio illa ſit odioſa, ſicque ad Actorem non extendenda; quem proinde volunt ſolummodò cadere ab inſtituta actione, juxta *c. ult. de Juram. calumn.* Ratio eſt, quia allegatus textus, dum facit mentionem de Reo, reſpicit illud, quod communiter accidere ſolet; non autem per hoc negat, idem eſſe dicendum de Actore nolente reſpondere ad poſitiones Rei. Siquidem iſta duo ſunt correlativa, & par ratio militat in ambobus; ſicque diſpoſitum de uno, cenſetur etiam eſſe diſpoſitum de altero, prout ampliùs dictum eſt *lib. 1. tit. 2. de Conſtitutionibus, §. 19. n. 514.* Accedit, quòd in Judiciis ſit ſervanda æqualitas, atque, ut dicitur Reg. 32. Juris in 6. *Non licet Actori, quod Reo licitum non exiſtit.* Quinimò *Favorabiliores Rei potius habentur, quàm Actores*, l. Favorabiliores: ff. eod

199 Reſp. II. Nihilominùs, ut Reus non reſpondens poſitionibus haberi poſſit pro confeſſo, plures requiruntur conditiones, quæ cum ex allegato *c. 2. de Confeſſis, in 6.* (cujus verba *n. 197.* referuntur) cum ex ſtilo, & conſuetudine Tribunalium deſumuntur: Ita Gloſſa *in cit. c. 2. h. t. in 6.* Sigiſm Scaccia *lib. 2. de Judiciis, c. 7. n. 484 & ſeqq.* Blaſius Michalorius *tract. de Poſitionibus, cap. 32. num. 14 & ſeq.* allegans Rotam Genuenſ. *Dec. 161. n. 10.* & Rotam *coram Seraphin. Dec. 408.* Francus *in cit. cap. 2. de Confeſſis in 6. num. 10* & alii. Idque probatur Inductione. Sic quippe

Primò requiritur, quòd Reo reſpondere debenti fuerint lectæ, & declaratæ poſitiones. Secundò, quòd fuerit ipſe à Judice monitus, & juſſus reſpondere: quæ duæ conditiones colliguntur ex verbis *cit. c. 2. h. t. in 6.* ibi: *Poſitionibus ab adverſario ſibi factis interrogatus* (ſicque hæ debuerunt Reo eſſe prælectæ; aliàs ſuper eis fruſtra interrogaretur) *juſſuſque à Judice reſpondere.* Et hoc adeò requiritur; ut non ſufficiat ad declarandum pro confeſſo Reum reſpondere nolentem, quòd is fuerit monitus, & reſpondere juſſus per nuncium duntaxat, & non per Judicem: quia Pontifex requirit, quòd fuerit *juſſus à Judice reſpondere*; ſimulque (ut inquit Gloſſa *ib. V. Juſſuſque*) major eſt contumacia illius, qui interrogatur à Judice, & ab eo juſſus, reſpondere non vult, quàm illius, qui citatus per nuncium, vel litteras continentes tale præceptum, reſpondere recuſat: quamvis alicubi de conſuetudine ſoleant mitti poſitiones abſenti per nuncium cum comminatione, quòd habebitur pro confeſſo, niſi venerit ad reſpondendum; prout refert Scaccia *c. c. 7 n. 489.* Verùm ſpectato Jure communi requiritur juſſio Judicis in faciem: unde & juxta ſtylum, & conſuetudinem aliorum Tribunalium, Judex debet ſtatuere terminum Reo ad reſpondendum poſitionibus, præſtito anteà juramento, cum comminatione, ut alioquin poſitiones habeantur pro confeſſatis, vel negatis ad commodum ponentis, & ipſe non reſpondendo habeatur pro confeſſo. Speculator *tit. de Poſitionibus. §. Nonò n. 3. & 4.* Michalorius *cit. c. 32. n. 15. & ſeqq.* Scaccia *d. c. 7. n. 490. & ſeqq.* & alii. Quamquàm reſpondens aliquibus poſitionibus, ſed non omnibus, habeatur pro confeſſo non in omnibus, ſed ſolùm quoad eas, quibus non reſpondit: quia pœna non debet extendi ultra culpam. Gloſſa *in cit. c. 2. V. Eiſdem. h. t. in 6.* Scaccia *loc. cit. n. 451.*



Tertiò requiritur, quòd præceſſerit veritatis, aut calumniæ juramentum. Iſtud enim *in cit. c. 2. h. t. in 6.* expreſsè requiritur, illis verbis: *Si poſt præſtitum veritatis, aut calumniæ juramentum &c.* ac proinde hoc nondum præſtito, nequit Reus reſpondere recuſans haberi pro confeſſo, argumento à ſenſu contrario deſumpto. Siquidem diſpoſitio citati Capituli, ceu valde rigoroſa, & inducens confeſſionem, ſervanda eſt ad unguem; uti notarunt Domini de Rota *Dec. 3. aliàs 283. de confeſſis, in antiq.* Scaccia *cit. lib. 2. c. 7. n. 496. & 500.* allegans alios. Poterit tamen tunc Judex contra Reum anteà ſe abſentantem, vel contumaciter reſpondere nolentem, aliis mediis procedere *veluti contra contumacem, prout ratio dictaverit*: & habetur *cit. c. 2. §. Verùm. h. t. in 6.* Idque fieri poteſt indicendo mulctam, vel capiendo pignora, donec veniat reſponſurus. Bartolus, & Baldus, *in L. 2. C. de Re Judicat.* Michalorius *d. c. 22. n. 19.* aliiſve hujuſmodi modis, juxta dicta ſuperius *Tit. 14. De dolo & contumacia. §. 4. & 5.* 200

Quartò requiritur, quòd quis abſque rationabili cauſa recuſet reſpondere poſitionibus, per textum in ſæpè *cit. c. 2. h. t. in 6.* ibi: *Reſpondere abſque rationabili cauſa recuſet*: & proximè ampliùs declarabitur. Quintò requiritur, quòd à parte altera fuerit accuſata contumacia Rei; ſiquidem Judex officium ſuum impertiri non debet, niſi fuerit petitum, *arg. l. Dies, §. Hic autem. ff. de Damno infect.* eſtque amplius dictum ſuprà *Tit. 14. de Dolo & contumacia. § 2. n. 66.* Sextò tandem, ut Reus reſpondere recuſans habeatur pro confeſſo, requiritur ſententia declaratoria Judicis, juxta illicò dicenda: unde

Reſp. III. Reus interrogatus, & non reſpondens, ut ſuprà, non habetur ipſo jure pro confeſſo, ſed ad hoc requiritur ſententia declaratoria Judicis. Ita Gloſſa *in c. c. 2. V. Pro confeſſo.* & Barboſa *ibid. n. 2. h. t. in 6.* Maſcardus *Concl. 1177 n. 71.* Michalorius *c. c. 32. n. 14.* Pirhing. *h. t. n. 12* & alii. Ratio eſt: quia Reus, qui ex cauſa rationabili, & inferiùs declaranda, recuſat reſpondere ad poſitiones ſibi oblatas, nequit haberi pro confeſſo, ut indicat textus in Concluſione relatus; ergo, ut poſſit cenſeri fictè confeſſus, hoc ipſo requiritur ſententia declaratoria Judicis, pronunciantis, Reum ſine legitima cauſa non reſpondiſſe, ac proin habendum eſſe pro confeſſo. 201

Quæritur III. An, & quæ ſint cauſæ rationabiles non reſpondendi ad Poſitiones ſibi oblatas? Reſp. I. Dari aliquas tales cauſas, eſt certum; atque ſupponitur *in cit. c. 2. de Confeſſis in 6.* ibi: *Abſque rationabili cauſa*: juncta Gloſſa *ib. V. Abſque rationabili*, plures tales cauſas excuſantes allegante. 202

Reſp. II. Inter cauſas rationabiles, ob quas interrogatus non tenetur reſpondere ad Poſitiones ſibi oblatas, prima eſt, ſi poſitio ſit ſuperflua, ſeu impertinens, quæ nimirum probata non relevat; unde nec ad eam tenetur Reus reſpondere, *l. Ad probationem domini. C. de Prob.* ac notat Gloſſa *loc. cit.* communiter recepta; eſtque jam dictum *n. 193.* addita notabili monitione in caſu dubii, num poſitio ſit impertinens, cautè obſervanda. 203

Deinde non tenetur Reus reſpondere, ſi poſitio ſit obſcura, niſi priùs ipſa declaretur *l. Ut reſponſum. C. de Tranſ. & c. De muliere 6 de Sponſal.* Cenſetur autem *Poſitio eſſe obſcura*, quando ex ea certitudinaliter cognoſci non poteſt, quid ponens verè per eam affirmare velit: ut ſi poſitio plures, & diverſos contineat intellectus (quòd vel ex æquivocis verbis, vel ex tota oratione oriri ſolet) aut ſi ponens non ſufficienter declaret factum; veluti ſi dicat, Titium ſibi promiſiſſe centum, non declarando, an ſimpliciter & purè, vel potius ſub conditione promiſerit. Speculator *tit. de Poſitionib. §. Decimò. n. 15.* addita ea ratione, quia non videtur edere, ſeu ponere, qui totam ſtipulationem non edidit; quinimò dies ſolutionis, ſicut ſumma pars eſt ſtipulationis, *L. 1. §. Edere. & §. Editiones. ff. de Edend.* Blaſius Michalorius *tract. de poſitionibus, c. 7. n. 8. & ſeqq.* allegans alios. 204

Quando igitur poſitio eſt obſcura, petat reſponſu- 205

rus anteà ejus declarationem fieri per ponentem; aut ipſemet eam declaret, addendo v. g. diem, vel conditionem factæ promiſſionis, ut ſic reſponſio ſua vel tota acceptari, vel in totum rejici debeat: alioquin verò, ſi non iſtaret pro declaratione poſitionis obſcuræ, nec ipſemet eam reſpondendo declararet, ſed ſtatim reſponderet, tunc ſibi præjudicaret; foretque ipſi imputandum, ſi quid mali inde ſentiret. Scaccia *lib. 2. de Judiciis, c. 7. n.* 181. Michalorius *c.c. 7 n. 7 & n. 17. & 18.* ubi tamen ſubjungit, quòd ſi ex tali confeſſione poſſet oriri aliqua dubietas, interpretari debeat in favorem reſpondentis.

206 Tertiò non tenetur quis reſpondere, quando poſitio eſt callida, ſeu captioſa, qua videlicet ponens quærit adverſarium in ſermone capere. Nam *Poſitio captioſa* cenſetur illa, cui quis non poteſt reſpondere affirmando, vel negando, quin ſibi præjudicet; putà, *Pono quòd ſis uſurarius*: nam ſi dicas, quòd ſic, detegis turpitudinem tuam; ſi dicis, quòd non, cùm reverà ſis uſurarius, efficeris perjurus. Gloſſa, *ubi ſuprà*. Speculator *tit. de Poſitionibus. §. Septimò. n. 20.* Maſcardus *de Probation. Concl. 1183. n. 36.* Michalorius *de Poſitionib. c. 12. n. 1.* dicens, quod poſitiones callidas, ſeu captioſas non eſſe admittendas, omnes uno ore aſſerant. Siquidem juxta vulgata principia Juris, fraudibus & malitiis hominum non eſt indulgendum, *l. in fundo ff. de Rei vendic.* Et neminem decipere licet, *§. Humanum genus diſt. 1.* Simulque nulli injiciendus eſt laqueus, *can. De viduis. 22. q. 1.* cum concordantiis.

207 Ulterius non tenetur quis reſpondere ad poſitionem multiplicem; hoc eſt, eam, quæ in ſe continet, ſeu implicat plures articulos, ſeu plura dicta, *l. Ita fidei. ff. de jure Fiſci*. Exemplum ſit: *Pono, quod poſſideas Eccleſiam A, pertinentem ad Monaſterium B.* Nam hæc poſitio duo involvit, nempe, quòd poſſideas Eccleſiam A. & quòd Eccleſia illa pertineat ad Monaſterium B. quorum unum poteſt eſſe verum, alterum falſum: unde non teneris ſimpliciter reſpondere, ſed potes petere priùs explicari poſitionem; niſi ipſemet hanc velis explicare, dicendo, utrumque eſſe falſum; vel, hoc verum, illud falſum. Gloſſa *l. c.* Speculator *n. 21.* Maſcardus *d. Concl. 1183. n. 38. & 39.* aſſerens iſtud procedere, etiamſi poſitio fiat ſub clauſula: *Pono conjunctim, & diviſim*.

208 Rurſus non tenetur quis reſpondere, ſi poſitio ſit juris, & non facti: ut, *Pono, quòd impubes poteſt condere teſtamentum*, aut hujuſmodi, conformiter dictis *n. 188.* Item non tenetur quis reſpondere ad poſitiones criminoſas; hoc eſt, eas, quæ ponuntur ſuper crimine ejus, contra quem fiunt; quia nemo cogitur detegere turpitudinem ſuam, *can. Quis aliquando, verſ. Non tibi dico. de Pœnit. diſt. 1.* Gloſſa *l. c.* Maſcardus *d. Concl. 1183 n. 60.* allegans communem; & concordant dicta ſuperiùs *nu. 165.*

209 Tandem, ut nonnulla alia præmiſſis ſimilia taceantur, poſitiones debent fieri poſitivè, non interrogativè: aliàs pars interrogata non tenetur eis reſpondere. Maranta *p. 6 Specul. Aurei. tit. de Poſitione, actu 4. n. 13.* poſt Baldum *in l. Data opera. C. Qui accuſare non poſſ.* Geminianum *in c. 1. col. penult. de Confeſſis in 6.* & alios: Ratio diſparitatis eſt: quia qui ponit, fatetur: non ſic, qui interrogat.

210 Quæritur IV. Quid ſint Articuli, & Interrogatoria; & quomodo differant à Poſitionibus? Reſp. I. *Articulus* eſt pars intentionis continens id, quod quis probare intendit; putà per teſtes, inſtrumenta &c. Ita Gloſſa *in c. Præſentium. ℣. Articulis. de Teſtibus in 6.* Maranta *l. c. num. 1.* & alii.

211 Hinc Articuli multipliciter differunt à Poſitionibus. I. quòd Articuli fiant, ubi opus eſt probatione: Poſitiones econtrà non ſemper indigent probatione, imò ad hoc fiunt, ut per confeſſionem adverſarii ponens relevetur ab onere probandi. Secundò, quia Articulans non fatetur articulos, neque aſſerit eos veros eſſe ſed tantùm, quòd credat eos probari poſſe: benè tamen ponens fatetur poſitiones, eaſque aſſerit eſſe veras. Tertiò, quia inter iſta datur ordo, ut prius fiant poſitiones, & ad eas producendas detur unus terminus: poſteà verò, atque ubi poſitiones negantur, ſicque indigent probatione, detur alius terminus ad producendum articulos, ut inquit Maranta *c. n. 1.* allegans Cardinal. *in Clem. Sæpè contingit §. Et quia. de Verb. ſignif.* & Baldum *in L. 2. §. Quod obſervari. C. de Jurament. calumn.* & alios.

212 Notat tamen Gailus *lib. 1. Practic. Obſerv. 79. n. 1.* & Engel. *h. t. n. 6* quòd hujuſmodi differentiæ in praxi tam accuratè non attendantur, ſed Poſitiones & Articuli plerumque inter ſe confundantur; dum libellus articulatus, facta litis conteſtatione, & præſtito juramento calumniæ, loco poſitionum, vel articulorum exhibetur, & adverſarius ad reſpondendum urgetur: v. g. interrogando, *Nunquid verum eſt, quòd tali vel tali die à me petiveris mutuò centum: Nunquid verum eſt, quòd mutuum petitum actu tibi numeraverim*, & hujuſmodi.

213 Reſp. II. *Interrogatoria* dicuntur, quæ facit pars teſtibus productis contra ſe, ut reſpondeant ad ſingula. Ita Gloſſa *in cap. præſentium. ℣. Interrogatoria. de Teſtibus in 6.* Spiegelius *in Lexico juris. ℣. Interrogatoria.* Et hæc formantur ſuper articulis ſecundùm circumſtantias cauſarum, & perſonarum productarum, *cap. Licèt cauſam. 9. de probation.* fiuntque hoc modo: Si teſtis dixerit, verum eſſe, quod in primo articulo continetur; quæratur ab eo, quomodo ſciat, & an tunc præſens fuerat, & ad quid ibi erat, & ſi vidit: potuit enim præſens fuiſſe, & non vidiſſe. Item, quo anno & die, & in quo loco, qua domo, & qua parte ejus id contigerit, & an alii fuerint præſentes, & qui? Item ſi cognoſcit illum, de quo teſtificatur (ſi enim non cognoſcit, non valet teſtimonium. Gloſſa marginalis *in cit. cap. præſentium*) & cujus ſit ætatis, ſtaturæ & coloris? ac hujuſmodi.

214 Et talia Interrogatoria non dantur parti adverſæ, ne poſſet ſuper his inſtruere teſtes ſuos; ſed Judex per ſe, vel per Aſſeſſorem examinat illa: & ſi pars non fecit Interrogatoria, Judex ea faciat, juxta *c. Cum cauſam. 37. de Teſtibus*. Quoties enim Judicem movet æquitas, poteſt is facere interrogationes ex officio, *can. judicantem. 30 q. ult. & l. Ubicumque ff. de Interrogation.* Etiam, poſtquam concluſum eſt in cauſa, *c. Cùm Joannes: 10. §. Ad hoc autem. de Fide inſtrument.* Gloſſa *in c. Quoniam contra. ℣. Interrogationes de Probation.*

215 Reſp. II. Interrogatoria variè differunt à Poſitionibus. Ita Abbas *in cit. cap. Quoniam contra. num. 15. de probat.* dicens, quòd licèt largo modo poſſit Interrogatio dici Poſitio, ut explicat Gloſſa *loc. cit.* tamen propriè & ſtrictè eſt differentia inter interrogationem & poſitionem; quod eſt notandum propter Statuta.

216 Primò enim Poſitiones fiunt aſſertivè: eſt enim Poſitionis effectus, ut is qui ponit, quod ponit, aſſerere, ſeu fateri cenſeatur, *cap. ult. de jurejurand. in 6.* Secùs ſit in Interrogatoriis: nam interrogans nihil confitetur, neque affirmat, *L. 1 & ſeqq. ff. de interrogat. action.* Deinde Poſitiones ſolùm fiunt in cauſis civilibus; in criminalibus enim non fiunt poſitiones. Archidiaconus *can. Ex pœnitentibus. diſt. 50.* ſed Reus per Judicem interrogatur. Baldus *Conſil. 326. lib. 2.* Fagnanus *in cap. Olim num 84. de Litis conteſtat.* Interrogatoria verò fiunt non ſolùm in cauſis civilibus, ſed etiam in criminalibus.

217 Tertiò, Poſitiones fiunt à parte, utpote quæ ponendo aliquid affirmat, ſeu confitetur: Interrogationes autem fiunt à Judice, licèt quandoque ad petitionem partis. Quartò, finis Poſitionum eſt, propter partium confeſſionem inde habitam abbreviare lites, *Clem. Sæpè contingit. §. Et quia. de Verb. ſignif.* Interrogatoriorum econtrà finis eſt, inveſtigare veritatem; &, ſi quæ forſan interveniret teſtium falſitas, ipſam exactioribus ſpecialium circumſtantiarum inquiſitionibus ſolenter deprehendere, exemplo S. Danielis Prophetæ, hac ratione impios Senes de falſo contra caſtam Suſannam lato teſtimonio ex propriis verbis eorum convincentis, *Daniel. c. 13.*

## §. IX.

## Dubia alia de poſitionibus ſolvuntur.

*SUMMARIUM.*

218 *Poſitiones poſſunt facere partes litigantes, ac etiam Reus.*
219 *Judex non poteſt facere poſitiones.*
220 *Benè tamen Procurator, quando ad hoc habet ſpeciale mandatum.*



221 *Utrùm ad hoc ex parte Procuratoris requiratur mandatum ſpecialiſſimum?*
222 *Poſitiones, quando jam ſunt effectæ de Actis, nequeunt revocari, vel mutari.*
223 *Benè tamen anteà.*
224 *Cautela pro Judice quoad propoſitum.*
*Poſitio, quando dicatur eſſe de Actis? Ibid.*
225 *Poſitio erronea poteſt revocari, ſi doceatur de errore.*
226 *Poteſt etiam poſitio revocari incontinenti.*
227 *Ac declarari.*
228 *Poſitio etiam ab adverſario negata, non poteſt mutari.*
229 *Quamvis tunc adverſarius non poſſit uti confeſſione ejus.*
230 *Poſitiones non poſſunt fieri ab eo, qui generaliter renunciavit probationibus.*
231 *Poſitiones, in qua parte judicii poſſint fieri? Et n. ſeqq.*
232 *An fieri poſſint ante litem conteſtatam? Et n. præc.*
233 *Et poſt concluſionem in cauſa? Et n. ſeqq.*
334 *Admittuntur tunc pro habendis reſponſionibus tàtùm.*
235 *Solvitur inſtantia.*
236 *An Reo danda ſit copia Poſitionum?*
237 *Et quid ſervetur alicubi de conſuetudine?*
238 *Stante conſuetudine dandi copiam Poſitionum, ea non datur, niſi petatur.*
239 *Terminus ad deliberatè reſpondendum poſitionibus, regulariter non eſt dandus.*
240 241 & 242 *Limitatur hoc in certis caſibus.*
243 *Poſitionibus eſt reſpondendum purè ac ſimpliciter.*
244 *Purè & ſimpliciter reſpondere, quid importet?*
245 *Poſitionibus tenentur reſpondere ipſi principales.*

218 QUæritur I; Qui poſſint facere Poſitiones? Reſp. I. Poſitiones facere poſſunt partes litigantes; & quidem non ſolùm Actor, ſed etiam Reus. Ita Gloſſa *magna in c. 1. de Confeſſis in 6.* Speculator *tit. de Poſitionibus. §. 3. n. 3.* Fagnanus *c. Olim. n. 89. de litis conteſt.* Blaſius Michalorius *tr. de Poſitionibus, c. 5. n. 1.* & alii. Idque claré deſumitur ex *c. Præſentium §. 1. de Teſtib. in 6.* ubi injungitur Actori & Reo, videlicet *Abbati & Priori, ut tam ponendo, quàm reſpondendo, dicant veritatem.* Concordat *Clem. Sæpè contingit. §. Et quia. de Verb. ſignific. & c. ult. de Jurejurand. in 6.* Accedit ratio: quia poſitiones ſuccedunt loco probationum; ſunt enim inventæ ad relevandum partes ab onere probandi, ut dictum *§. præc. n 188.* Atqui non ſolùm Actor, ſed etiam Reus (præſertim, ſi ultrò in ſe recipit onus probandi; ut *l. Circa eum ff. de Probation.*) poteſt probare, ergo etiam facere poſitiones. Tacetur, quòd Reus non ſolùm poſſit, ſed etiam teneatur probare ſuas exceptiones, ſi quas contra actorem proponit; unde non mirum, quòd poſſit tunc poſitiones facere; quamquàm non negetur, quin Reus excipiendo fiat Actor, *l. 1. & l. In exceptionibus ff. de Exception.*

219 Reſp. II. Judex non poteſt facere Poſitiones, licèt poſſit partes interrogare. Ita Speculator *cit §. 3. n. 2.* Sigiſm. Scaccia *lib. 2. de Judiciis, c. 7. n. 33. & 35.* & alii; quidquid nonnulli apud eundem Scacciam *n. 31.* contradicant. Ratio eſt: quia poſitiones loco probationum ſuccedunt; atqui Judicis non eſt probare, ſed judicare inter partes; ergo. Accedit, quòd ponens fateatur id, quod ponit in facto, *c. ult. de Jurejurand. in 6.* atqui Judicis non eſt fateri, ſeu ſupplere in facto; ergo nec poſitionem facere. Idipſum confirmat longævus uſus Tribunalium, qui non patitur, quòd Judex faciat poſitiones, ſed litigator.

220 Reſp. III. Procurator poteſt facere Poſitiones, quando ad hoc habet ſpeciale mandatum; aliàs non. Ita Gloſſa *in c. ult. verſ. Expreſsè. de Jurejurand. in 6.* juncto textu *ibid.* Scaccia *cit. cap. 7. n 41.* Michalorius *loc. cit. cap. 6. num. 19.* & alii. Ratio eſt: quia, ubi accedente ſpeciali mandato procurator poſitionem facit, idem eſt, acſi Principalis faceret; juxta Reg. 72. Juris in 6. *Qui facit per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſeipſum.* Alias verò *in c. Paſtoralis. 14. de Judiciis*, legitur ſtatutum, *ut principales perſonæ non per Advocatos, ſed per ſeipſas factum proponant*; ac proinde etiam poſitiones faciant per ſeipſas. Unde *in cit. cap. ult. de Jurejurand. in 6.* poſitiones contrariæ, quas Procurator nomine ſui Principalis fecit, non nocent ipſi Principali, niſi *eo expreſsè mandante, vel ex poſt facto ſciente, & ratum habente, & non revocante*, factæ fuerint.

221 Utrùm autem ex parte Procuratoris, requiratur mandatum ſpecialiſſimum ad ponendum materias ſpecificatas (id eſt, mandatum ad ponendum ſic & ſic in individuo) vel ſufficiat ſpeciale ad ponendum, aut jurandum de calumnia, variant Doctores. Et quidem requiri ſpecialiſſimum, & individuum mandatum ad ponendum ſic & ſic, tenuit Rota *Dec. 779. n. 3. p. 2. rec.* quam etiam refert Michalorius *ad finem cit. Tract. de Poſitionib. Dec. 7.* eò quòd alioquin confeſſio procuratoris voluntaria, ſeu nullo jure cogente data per poſitiones, non præjudicaret domino ſuo, conformiter dictis ſuprà *num. 91.* Verùm, quidquid ſit de puncto juris, nihilominùs de conſuetudine non requiri mandatum ſpecialiſſimum, ſed ſufficere mandatum ſpeciale ad ponendum, & jurandum de calumnia, ut Procuratores poſſint facere poſitiones, notat Scaccia *cit. lib 2. c 7. n. 44.* aſſerens ita ſervari in Urbe: idemque tradit Michalorius *cit. tract. de Poſition. c. 6. n. 29.* allegans inſuper Veſtrium *in ſua Praxi. l. 5. c. 16. n. 5.* Nec immeritò: quia, cùm Procuratores abſque inſtructione principalium veriſimiliter poſitiones illas ignoraſſent, jam hæ præſumuntur eis per principales ſufficienter ſubminiſtratæ; ac proinde admittuntur, abſque exhibito alio ſpecialiſſimo mandato.

222 Quæritur II. Utrùm Poſitiones in judicio exhibitæ denuò poſſint revocari, mutari, ſeu emendari? Reſp. I. Quando poſitiones jam ſunt effectæ de Actis, nequeunt ampliùs revocari, mutari, ſeu emendari. Ita Speculator *tit. de Poſition §. Decimò. n. 8.* Maranta *p. 6. Specul. Aurei. §. de Poſitione n. 8.* Maſcardus *de Probation. Concl. 1182. n. 9. & ſeq.* Scaccia *c. c. 7. n. 539.* Alex *Conſ. 71. n. 6. lib. 3.* Card. Tuſc. *Litt. P. Conſ. 391.* Michalorius *l. c. c. 22. nu. 1.* aſſerens, illud apud omnes Scribentes ſatis eſſe expeditum. Ratio eſt quia qui ponit, fatetur, ut jam ſæpius dictum: atqui confeſſio propria, & Actis jam inſerta, nequit ampliùs revocari in præjudicium alterius; *Nam ſemel emiſſum volat irrevocabile verbum.* Et nimis indignum eſt, ut quòd ſua quiſque voce dilucidè proteſtatus eſt, in eundem caſum proprio valeat teſtimonio infirmare, *cap. per tuas. 10. de probation.* cum ſimilibus.

223 Additur notanter, *quando poſitiones jam ſunt effectæ de Actis*: Nam anteà hoc ipſo, quòd needum ſint de Actis, neque concludant parti, poſſunt ipſæ ad libitum revocari, ſeu mutari. Maranta *cit. n. 8.* Maſcardus *cit. Concl. 1182. n. 12.* Michalorius *d. c. 22. n. 6.* allegans alios.

224 Atque idcircò Speculator, *ubi ſup. §. quintò. nu. 12.* & Maſcardus *eod. n. 12.* pro cautela monet Judicem, ut poſtquam poſitiones formatæ, ſicut moris eſt, fuerunt ipſi in ſcriptis oblatæ, ipſemet Judex eas examinet, an ſint admittendæ, nec ne: & ſi viderit admittendas, priuſquàm reſpondeatur, faciat eas in Actis redigi, ne aliqua variatio fiat, *l. Acta ff. de Re judicat.* aut ne poſteà oriatur contentio inter partes, quòd aliter fuerint reſcriptæ, quam propoſitæ; nam ex illa ſcriptura præcluditur illis via in talibus, *arg. can. Omnes fœminæ, 27. q. 1.* Cæterum ad hoc, ut Poſitio dicatur eſſe de Actis, non ſufficit exhibitio, ſeu productio ipſius; ſed neceſſaria etiam eſt Judicis admiſſio, ſine qua non dicitur effecta de Actis. Maranta, Maſcardus, Michalorius, *ubi ſupra n. 7.* & alii.

225 Deinde data Concluſio patitur limitationem in poſitione erronea, dummodò doceatur de errore facti: quia tunc revocari poteſt, *arg. c. Ex parte. de Confeſſis. & l. Error facti. ff. de Juris & facti ignorant.* Quia errantis nullus eſt conſenſus, *l. Cùm teſtamentum. C. de Juris & facti ignorant.* Maſcardus *cit. Concl. 1182. num. 16.* Card. Tuſchus *cit. Litt. P. Concl. 391. n. 8. & ſeqq.* Scaccia *d. lib. 2. c. 7. n. 609.* allegans plurimos alios; idque *n. 612. & ſeq.* extendens, etiamſi poſitio, ſeu confeſſio ejuſmodi fuiſſet ſcripta, imò & acceptata à parte.

226 Limitatur ulteriùs in poſitione, quando hæc incontinenti revocatur: quia tunc non obſtante, quòd jam fuerit ſcripta, ſeu redacta in Actis, atque admiſſa à Judice, poteſt revocari, etiam non docto de errore. Alexander *cit. conſil. 71. n. 7. lib. 3.* Card. Tuſchus *d. Concl. 391. n. 1. & ſeq.* Maſcardus *d. Concl. 1182. n. 13.* Scaccia, *ubi ſuprà, n. 668.* allegans alios cum communi: qui tamen, quando mutatio cenſeatur facta incontinenti, relinquunt determinandum arbitrio Judicis. Concordant dicta paulò ſuperiùs

riùs §. 3. n. 77. & ſeqq. de revocatione confeſſionis judicialis.

227 Inſuper, licèt poſitio jam effecta de Actis ampliùs mutari, vel revocari non poſſit, bene tamen poteſt ea declarari: quinimò faciens poſitionem obſcuram, non ſolùm poteſt, ſed etiam ad petitionem alterius tenetur eam declarare. Maranta p. 6. Speculi Aurei. tit. de Poſitione n. 12. Michalorius cit. c. 22. n. 25. allegans alios. Accedit ratio: quia mediante dicta declaratione, nihil additur poſitioni illi: quinimò declaratio retrotrahitur ad tempus diſpoſitionis, ſeu poſitionis anteà factę arg. Auth. de Raptis mulierib. circa fin. Collat. 9. atque à principio eidem jam inerat, ipſaque juxta hanc intelligenda fuerat. Gloſſa c. Sicut nobis. V. Reſpondemus. de Verb. ſign. Bartolus in L. 1. §. Hujus ſtudii. ff. de Juſt. & jur. eſtque in ſimili jam dictum de Declarationibus Cardinalium in Proœmio Lib. 1. Decretal. §. 8. n. 132. Tacentur nonnullæ aliæ limitationes, apud Michalorium c. c. n. 22. videndę.

228 Reſp. II. Citata Concluſio ſub datis limitationibus etiam procedit in Poſitione ab adverſario negata, ſeu impugnata: nam etiam hęc, poſtquàm effecta eſt de Actis, ampliùs mutari, ſeu revocari non poteſt. Ita Michalorius c. q. 22. n. 29. quamvis nonnulli oppoſitum tenere videantur. Ratio eſt: quia nemo poteſt revocare id, quod ſub ſuo juramento judicialiter confeſſus eſt: atqui ponens juratò ſic confitetur poſitionem a ſe factã, & Judici oblatam. Quinimò ponens contraria (niſi rationabiliter excuſetur) cenſetur perjurus, c. ult. de Jurejurand. in 6.

229 Nec obſtat, quòd poſitio illa per adverſarium fuerit negata, ſicque remaneat pro revocata, ac ſi non emanaſſet: ut loquitur. Scaccia cit lib. 2. c. 7. n. 679. Reſp. enim, hinc ſolùm ſequi, quòd adverſarius ille, poſtquàm ſemel contradixit, non poſſit ampliùs uti confeſſione per dictam poſitionem facta; quia quoad ipſum cenſetur quaſi nunquam emanaſſet, poſtquàm negando ipſam contradixit: non tamen inde ſequitur, poſitionem in ſe haberi pro revocata, vel pro nunquam facta; quia negatio adverſarii non poteſt revocare poſitionem, aut ipſam reddere non veram, aut non factam. Michalorius c. n. 29.

230 Quæritur III. An poſſint fieri Poſitiones ab eo, qui renunciavit probationibus? Reſp. breviter. Qui renunciavit generaliter probationibus quibuſcunque, ſive omni generi probationum, etiam poſitionibus renunciaſſe videtur, ac proinde has facere nequit. Ita Speculator tit. de Poſitionib. §. Quarto. n. 7. & ſeqq. Michalorius cit. tract. Poſitionibus c. 29. n. 2. & c. 27. n. 29. & 30. & alii. Ratio eſt: quia poſitio eſt ſpecies probationis, c. 2. de Confeſſis in 6. atque ſuccedit in locum probationum; ergo, qui generaliter renunciavit quibuſvis probationibus, ſeu omni generi earum, etiam poſitionibus renunciaſſe intelligitur, arg. can. Si Romanor. diſt. 19. & c. Quia circa. 22. de Privileg. cum ſimilibus; ubi locutio indefinita æquipollet univerſali. Atqui is, qui juri ſuo ſemel renunciavit, non poteſt poſteà ad illud redire, can. Quam periculoſum. 7. q. 1. & c. Cùm inter R. 16. juncta Gloſſa V. Ex conſenſu. de Election. ergo. Adde tamen dicenda n. 235. pro majori horum intelligentia.

231 Quæritur IV. In qua parte Judicii poſſint fieri Poſitiones? Reſp. I. Poſitiones ſuper cauſa principali poſt litem conteſtatam, ac in termino probatorio fieri poſſe, eſt extra controverſiam: ante litem verò conteſtatam, nequeunt fieri poſitiones, niſi in caſibus illis, in quibus tunc fieri poſſunt probationes. Ita Speculator c. §. Quarto. n. 1. Michalorius ubi ſupra, c. 27. n. 1. ac ſeqq. cum aliis. Ratio eſt: quia poſitiones ſuccedunt in locum probationum; imò ſunt ſpecies quædam probationum, cùm ſint inventæ ad hoc, ut per confeſſionem adverſarii pars litigans relevetur ab onere probandi: ergo, ſicut poſt litem conteſtatam, non verò anteà (demptis certis caſibus) poſſunt fieri probationes, ita etiam poterunt fieri poſitiones.

232 Infertur proinde, cùm probationes ante litem conteſtatam quandoque fieri poſſint ſuper aliquo emergenti, putà, exceptione tunc propoſita, conſequenter etiam poſitiones tunc fieri poſſe. Speculator l. c. n. 1. Abbas c. ult. n. 5. de Confeſſis. Gallus lib. 1. Pract. Obſerv. 79. n. 4. & alii.

233 Reſp. II. Utrùm poſt concluſionem in cauſa fieri poſſint Poſitiones, variant Doctores. Negant Jaſon in L. ult. n. 13. ff. de Feriis. Maranta par. 6. Speculi Aurei. tit. de Poſition. n. 10. Menochius de Arbitrar. Judic. lib. 1. q. 35. n. 25. Maſcardus cit. Concl. 1182. n. 3. & n. 44. & ſeqq. citans alios: qui tamen iſtud procedere, ajunt, in cauſis plenariis; ſecùs in ſummariis, atque exceptis etiam illis caſibus, in quibus poſt concluſionem in cauſa probationes admittuntur, juxta dicenda inferius Tit. ſeqq. §. 6. n. 163. & ſeqq. Rationem dant: quia poſitiones ſuccedunt loco probationum; ergo, ſicut poſt concluſionem in cauſa nequeunt afferri novę probationes, ita nec poſitiones: adeò, ut ſi ſecùs fiat, non relevent ponentem à probando, nec pars teneatur ipſis reſpondere.

234 Alii verò abſolutè, & indiſtinctè volunt, poſt concluſionem in cauſa, atque elapſas omnes dilationes, adhuc admittendas eſſe poſitiones pro habendis reſponſionibus tantùm. Michalorius cit. tr. de Poſitionibus c. 27. n. 17. & 22. ac ſeqq. Scaccia de Judiciis, lib. 2. c. 60. n. 9. citans Aſinium in Practica. §. 19. ca. 11. & alios. Rationem dant: quia concluſio in cauſa tollit quidem probationes per teſtes, non autem per confeſſionem partis, ut cit. tit. ſeq. n. 166. dicetur: atqui poſitiones non aliter probant, niſi per confeſſionem partis; qua habita pars altera ab onere probandi relevatur. Ac per hoc corruit fundamentum prioris ſententiæ. Accedit, quòd Judex debeat univerſa rimari, poſſitque etiam poſt concluſionem in cauſa à partibus factam interrogare de facto, quoties dubitationis aliquid occurrerit, uſque ad prolationem ſententiæ, text. clar. c. Cùm Joannes. 10. §. penult. de Fide Inſtrum. Atqui oblatis ſibi per partem poſitionibus pro ſuo jure tuendo, oritur aliqua dubitatio; ergo juxta eas poteſt Judex interrogare, ſicque tenebitur adverſarius reſpondere non obſtante concluſione in cauſa. Et hæc ſententia videtur probabilior.

235 Nec dicas. Per concluſionem in cauſa partes renunciant ulterioribus probationibus; ergo etiam renunciarunt poſitionibus, juxta dicta n. 230. & conſequenter has ampliùs facere non poſſunt. Reſp. conformiter dicendis Tit. ſeq. n. 159. 161. & ſeqq. Antecedens eſſe verum in tantùm, quatenùs poſt concluſionem in cauſa regulariter non admittuntur novæ probationes ſuper eiſdem articulis: ſecùs tamen eſſe in certis caſibus ibidem expreſſis, inter quos etiam connumeratur probatio per confeſſionem partium. Ad dicta n. 230. reſpondetur per idem: nam ſicut per concluſionem in cauſa non renunciatur probationi per confeſſionem partis, ita nec poſitioni faciendæ. Accedit, quod dicta illa procedant, quando generaliter renunciatur omni generi probationum, ſive per teſtes, ſive per inſtrumenta; ſive quocunque alio modo fiant: quia igitur per concluſionem in cauſa non fit adeò generalis renunciatio probationum, cùm poſt eam admittantur Inſtrumenta de novo reperta, arg. c. Paſtoralis. 4. de Exception. non mirum, quòd tunc pariter admittantur poſitiones pro habendis reſponſionibus tantùm. Michalorius cit. c. 27. 29. & 30.

236 Quæritur V. an Reo, antequàm reſpondeat, danda ſit copia poſitionum? Reſp. I. Spectato Jure communi, non eſt danda copia poſitionum, ſed tantùm legenda parti illi, quę debet reſpondere poſitionibus pendentibus ex facto proprio. Ita Jaſon l. Is apud quem n. 5. C. de Edendo; citans Baldum in L. 2. C. Ut lite pendent. Michalorius de poſitionibus c. 33. n. 1. allegans inſuper Alexand. in d. l. Is apud quem. Decium n. 22. Ripam n. 10. C. de Edend. & alios. Ratio eſt: quia, ſi Reo reſponſuro daretur copia poſitionum, facilè inſtrueretur is ab Advocato, qualiter reſpondeat; & ſic quodammodò eluderetur Legum intentio, admittentium poſitiones fieri in judiciis, ut lites abbrevientur per confeſſionem partis de veritate reſpondentis, atque Actor relevetur ab onere probandi.

237 Additur notanter, ſpectato Jure communi. Nam de conſuetudine teneri contrarium, aſſerit Jaſon c. n. 5. Michalorius c. c. 33. n. 3. allegans inſuper Mancin. de Jur. p. 2. a. 2. n. 44. atteſtantem de conſuetudine Rom. Curię; ſed ſubjungens, quòd non ſit eadem omnium Tribunalium conſuetudo: multis namque in locis, ex forma etiam Statutorum, datur copia poſitionum, antequàm reſpondeatur, ne partes cavilloſis forsã, aut captioſis poſitionibus decipiantur, vel ex improviſa, & minus conſiderata reſponſione damnum irreparabile incurrant. In aliis verò locis aliter habetur ſtatutum, ſeu obſervatur, ne ſi copia poſitionum anteà Reo daretur, ac ipſe per Advocatum ſuum ad reſpondendum inſtrueretur; inutilis redderetur ipſarum uſus. Atque iſtud poſterius videtur tenendum, ubi de contraria conſuetudine non conſtat, putà, per ſpeciale ſtatutum, vel diuturnam ejus obſervantiam: quia tunc eſt in poſſeſſione diſpoſitio juris communis.



238 Solùm nota, quòd etiam ſtante conſuetudine dandi anteà Reo copiam poſitionum, non detur hujuſmodi copia, niſi petatur, arg. l. Peto §. fin. ff. de Legat. II. Michalorius cit. cap. 33. n. 6. allegans alios.

239 Quæritur VI. Utrùm Reo debeat dari terminus ad reſpondendum? Reſp. I. Terminus ad deliberatè reſpondendum poſitionibus, regulariter non eſt dandus. Ita Speculator tit. de Poſitionibus §. Sexto, n. 10. Maranta p. 6. Speculi Aurei tit. de Poſitione n. 22. Michalorius loc. cit. c. 34. n. 4. hanc Concluſionem pro regula ponens, quam tamen multipliciter limitat. Ratio eſt: quia quilibet debet eſſe certus de facto ſuo, c. Ab excommunicato 41. de Reſcript. Et quilibet præſumitur meliùs ſcire factum ſuum, quàm alius; ergo non oportet dare terminum Reo ad reſpondendum poſitionibus, ſeu conſulendum alios, qualiter in facto proprio reſpondeat.

240 Reſp. II. Patitur tamen data Concluſio quaſdam limitationes. Et quidem imprimis ea limitatur, quando quis habet probabilem cauſam ignorantiæ, arg. can. In lectum 34. q. 2. & can. Si quis à ſimoniacis 1. q. 1. ac notat Gloſſa in cit. c. Ab excommunicato V. De facto ſuo. Sic contingeret, quando quis interrogatur de facto proprio, ſed antiquo, ſeu excedente decennium: nam poſt tantùm temporis ſpatium præſumitur oblivio, can. Antiquitate 12. q. 2. & L. 3. §. Si ſervus ff. de Acquir. poſſ. Unde meritò de facto tam antiquo interrogatus poteſt terminum petere ad ſe recolligendum, & deliberatè reſpondendum, ne ſubito, & ex præcipitatione quadam reſpondendo, grave ſibi præjudicium generet.

241 Limitatur deinde in perſona pluribus aliis negotiis implicita: tunc enim, ob negotiorum multitudinem, de facili præſumitur oblivio. Maſcard. de Probat. Concl. 1128. nu. 28. atque ideò ad deliberatè reſpondendum terminus aſſignari debet. Ancharanus in c. ult. de Jurejurand. in 6. Michalorius cit. c. 34. n. 9. & 10. ubi hoc ipſum extendit ad ſenes, fœminas, ruſticos, minorennes, & ſimiles perſonas, in quibus de facili poteſt oblivio cadere. Menoch. conſil. 255. n. 47. vol. 3. Maſcardus cit. concl. 1128. n. 19. ubi tamen iſtud arbitrio Judicis relinquit diſcernendum.

242 Limitatur ulteriùs, quando quis interrogatur de facto alieno: nam in facto alieno cadit probabilis oblivio. Menochius conſil. 248. n. 29. vol. 3. Maſcardus d. concl. 1128. n. 23. & notatur in l. ult. ff. de Socio: ac proinde poteſt Reus petere terminum ad deliberatè reſpondendum. Speculator tit. de Poſitione §. Sextò n. 15. Cùm enim tanquam oblitus dubitet, ſeu non benè recogitet, poteſt petere terminum ad deliberatè reſpondendum, nec poteſt cogi, ut ſtatim reſpondeat. Michalorius cit. c. 34. n. 6. allegans alios; ac poſtmodum n. 11. & 12. hoc ipſum extendens ad eum, qui interrogatur de facto admodùm implicito, & circumvoluto; atque ad omnes eos caſus, in quibus Judex animadvertere poteſt, veriſimiliter oblivionem adeſſe, quòd ejus relinquitur arbitrio; ac etiam tradit Menoch. lib. 2. de Arbitrar. Judic. caſ. 29. n. 2. & ſeq.

243 Quæritur VII. Qualiter ſit reſpondendum Poſitionibus? Reſp. I. Poſitionibus eſt reſpondendum purè ac ſimpliciter. Ita Gailus lib. 1. Practic. Obſervat. 82. n. 1. & 2. allegans communem. Idque deſumitur ex L. 2. §. Quod obſervari, juncta Gloſſa V. Exiſtimat C. d. jurejurand. propt. calum. Accedit ratio: quia poſitiones fiunt ad hoc, ut Actor per reſponſionem Rei relevetur ab onere probandi, juxta ſæpiùs jam dicta, ſciatque, quid ſibi probandum remanet: atqui hoc evenire non poſſet, ſi Reus ſolùm obſcurè, ambiguè vel conditionatè, non verò purè & ſimpliciter reſponderet, ſaltem per verbum Credo, vel Non credo: nam qui affirmat in facto proprio credere, ſibi præjudicat, & habetur pro confitente. Federicus de Senis Conſil. 23. in fin. Card. Tuſchus Litt. P. Conſil. 387. citans alios. Accedit, quòd poſitiones debeant eſſe ſimplices; ergo pariter reſponſio ad eas, debet eſſe ſimplex: alias pro non datis habentur, ac Judicis interlocutione nova reſponſio injungitur; cùm paria ſint, non reſpondere, & obſcurè reſpondere, l. De ætate §. Nihil intereſt ff. de Interrogat. actionib.

244 Cæterùm purè & ſimpliciter reſpondere aliud non importat, quam dare reſponſionem claram & certam, ut inquit Gailus d. Obſervat. 82. n. 1. ſeu dare reſponſionem abſolutam, ſine aliqua conditione, additione, vel reſtrictione. Michalorius, ubi ſuprà, c. 39. n. 10. & 12. Hinc in Camera non admitti illam vulgarem reſponſionem, Non credo ut ponitur, refert idem Gailus n. 3. ex eo, quòd talis reſponſio ſit incerta. Ac proinde, ut Reus dicatur ſimpliciter reſpondere, debet affirmare, vel negare, quod ponitur, abſque aliqua additione, vel detractione: ſive (ut loquuntur) ad litteram, prout cantat ipſa poſitio. Michalorius loc. cit. n. 13. & ſeq. illud limitans, quando vel ex natura actus reſultat aliqua conditio, vel ipſa poſitio eſt duplex, ſeu alternativa, ſicque parem exigit reſponſionem; vel quando ex cauſa Judex cenſet admittendam eſſe reſponſionem conditionalem.

245 Reſp. II. Poſitionibus ex adverſo exhibitis tenentur ipſimet Principales, ſi fuerint præſentes, medio ſuo juramento per ſemetipſos reſpondere, non autem per ſuos Advocatos; niſi forſan perſona principalis ſit indiſcreta. Ita Speculator tit. de Poſitionb. §. Tertiò n. 6. Maranta cit. §. de Poſitione n. 15. Maſcard. de Probat. Concl. 1182. n. 50. Michalorius, ubi ſuprà, c. 65. n. 1. allegans alios. Idque probatur ex eo: quia non debet unus interrogari pro alio de facto proprio; cùm quilibet certus eſſe debeat de facto ſuo, c. Ab excommun. q. 41. de Reſcript. illudque meliùs noſſe cenſeatur præ quocunque alio. Accedit textus expreſſus in c. Paſtoralis 14. de Judiciis; eſtque jam dictum ſuprà eod. Tit. 1. de Judiciis, §. 8. n. 219. & ſeqq. Ibi videatur.

# T I T U L U S XIX.

## De Probationibus.

*1 Ratio continuationis Rubricarum.*

1 Poſtquam actum eſt Titulo præcedenti de Confeſſionibus, per quas adverſarius relevatur ab onere probandi; ſequitur nunc *de Probationibus*, utpote quibus opus eſt, ſi Reus ultrò non confiteatur: alioquin quippe locum habebit vulgata Regula: *Actore non probante Reus abſolvitur*. Præmittitur autem præſens Titulus de Probationibus in genere, ut poſteà in progreſſu per ſequentes Titulos diſtinctiùs agi poſſit de Probationibus in ſpecie: unde majoris claritatis gratia ſit

### §. I.

### De natura, diviſione, ſpeciebus & gradibus Probationum.

*S U M M A R I U M.*

2 *Probatio ut ſic, quid? Et n. ſeqq.*
3 *Omnis definitio in Jure eſt periculoſa; & quomodo?*
4 *Argumentum ſtrictè, & largè acceptum, quid?*
5 *Probationis judicialis definitio. Et n. ſeqq.*
6 *Verſatur circa facta, & quidem incerta.*
7 *Probationes differunt ab Allegationibus juris.*
8 *Data probationis definitio ulteriùs declaratur.*

9 Pro-

9 *Probatio variè dividitur. Et n. ſeqq.*
*Alia eſt judicialis, & alia extrajudicialis. Ibid.*
10 *Artificialis, & inartificialis.*
11 *Probatio plena.*
12 *Evidentiſſima, ſeu apertiſſima.*
13 *Clara, &*
14 *Legitima, quæ?*
*Hæc accipitur propriè, & largiùs. Ibid.*
15 *Probatio ſemiplena, &*
16 *Mixta, quæ?*
17 *Appellatione* Probationis *ſimpliciter dictæ, ſolùm venit plena probatio; & cur?*
18 *Probationis ſpecies quot? Et n. ſeqq.*
19 *Probatio fit per evidentiam rei.*
20 *Per Confeſſionem propriam.*
21 *Per aſpectum, ſeu inſpectionem oculorum.*
22 *Et quæ ad hanc requirantur?*
23 *Aliiſque modis; & quibus?*
24 *Non eſt opus admittere duodecim ſpecies probationum.*
25 *Gradus probationum ſunt quatuor, nempe*
26 *I. Dubietas, quæ tamen propriè non eſt gradus probationis.*
27 *II. Suſpicio.*
28 *III. Opinio. IV. Credulitas.*
29 *Hi probationum gradus probantur ex Iure.*
30 *Credulitas, in quo conveniat, & differat à Scientia.*

2 QUæritur I. Quid ſit Probatio? Reſp. I. *Probatio* ut ſic eſt rei dubiæ, ſeu controverſæ, per legitima argumenta facta oſtenſio. Ita poſt Azonem, & Accurſium *in Rubr. C. de prob.* Hoſtienſis *in Summa. h. t. n.* 1. Abbas *ad Rubr. h. t. n.* 1. Maſcardus *de probationibus, vol. 1. q. 2. proœmial n* 8. Pirhing. *h. t. n.* 1. & alii: quamvis non pauci poſt Goffredum *in Summa*, datam Probationis definitionem, veluti inſufficientem, & non convenientem probationibus per teſtes, ac inſtrumenta, inficiari conati fuerint. Ratio eſt: quia data definitio rectè explicat naturam Probationis ut ſic per genus & differentiam, quin & conditiones ad eam requiſitas ſufficienter declarat; ac proin meritò eſt retinenda.

3 Nec urget id, quod habetur *l. Omnis definitio. ff. de Reg. Jur* illis verbis: *Omnis definitio in Iure Civili pericu- loſa eſt: rarum eſt enim, quod perverti non poteſt.* Reſp. enim cum Gloſſa *un. ibid.* per Definitionem in citata Lege non intelligi Definitionem Dialecticam, ſeu talem, quæ eſt brevis, & propria ſubſtantiæ rei per genus & differentiam enunciatio: ſed Definitionis nomine ibidem intelligi plurium rerum breviter, ſeu ſummatim, ſub certa regula factam traditionem. Hujuſmodi quippe definitionem ſunt periculoſæ, quia patiuntur complures exceptiones, ſeu fallentias.

4 Neque ulterius, re penitùs inſpecta, urget ratio Goffredi, datam definitionem impugnantis, ex eo, quòd non conveniat probationi per teſtes & inſtrumenta. Quia (inquit) *argumentum dictum eſt, quaſi arguté inventum*, juxta c. *Forus*. 10. *de Verb. ſignif.* quale dictum, *quaſi argutè inventum*, non continet probatio per teſtes & inſtrumenta. Reſp. enim cum Hoſtienſi, Abbate, *ut ſuprà*, & aliis, in *cit. c. Forus*. Accipi ly *argumentum* ſtrictè, ac propriè; prout ſumitur in Dialectica, & etiam in Jure, quando diſputatur, vel allegatur. Secùs contingit in data definitione, ſeu deſcriptione, ubi argumentum largo modo ſumitur, pro omni videlicet ſpecie probationis: hoc eſt pro omni ratione, ac medio rem dubiam probādi; prout etiam ſumitur *in l. Teſtium. §. Ejuſdem quoque. ff. de Teſtib.* ibi: *Quæ argumenta ad quem modum probandæ cuique rei ſufficiat, nullo certo modo definiri poteſt.*

5 Quòd ſi quis nihilominùs aliam Probationis, præſertim judicialis, deſideret definitionem, dicat cum Maſcardo, *ubi ſuprà n.* 17. Vallenſi *h. t. §.* 1. Sannig. *eod. cap.* 1. & aliis, taliter. *Probatio* eſt oſtenſio rei dubiæ per legitimos modos Judici facienda in cauſis apud ipſum controverſis, ubi ly *Oſtenſio* rationem generis, reliqua verò obtinent rationem differentiæ.

6 Dicitur imprimis, *Oſtenſio*. Nam Probatio ea potiſſimum de cauſa ſic appellata fuit, quia eſt quædam quaſi propalatio, atque manifeſtatio ejus, quod erat dubium; ut inquit Jo. Andreas, *ad Rubric. h. t. n.* 3. & Abbas *ib. n.* 2. Solùm adde, quòd Probatio verſetur circa facta, & quidem incerta; prout indicat ipſum ly, *Oſtenſio*: nam quæ juris ſunt, per ſe nota exiſtunt (etenim Jura habentur certa) ac proinde neutiquam veniunt probanda: niſi fortè juris eſſe negentur, quomodo conſuetudo dicitur probāda; *c. 1. de Cōſt. in* 6. Abbas *l. c. n.* 2. Zoeſius *h. t. n.* 2. & alii.

7 Unde Probationes differunt ab Allegationibus juris, quæ non rarò fieri conſueverunt; non quidem ad probandum (unde nec ſunt de proceſſu) ſed tantummodò, ut judex inſtruatur. Maſcardus *c. q. 2. n.* 18. & 19. & *q.* 17. *n.* 50. Maranta *p. 6. Speculi Aurei, tit. de Actorum Editione, actu* 10 *n.* 58. & alii:

8 Dicitur ſecundò, *rei dubiæ*. Nam quæ ſunt certa, & notoria, probatione non indigent, *c. Super eo, 3. de Teſt. cogend.* Sicut nec illa, quæ pars adverſa ultrò concedit: nam propria confeſſio, eſt optima probatio, & ſi fiat in judicio, inducit notorium, *c. ult. de cohabit. cleric.* Et additur, *per legitimos modos*: hoc eſt, à Legibus approbatos, de quibus in progreſſu. Dicitur ulterius; *Iudici facienda &c.* ad indicandum, quòd impreſentiarum ſermo ſit de probatione judiciali: nam altera ſuperiùs allata definitio convenit probationi ut ſic, & prout eſt genus ad judicialem & extrajudicialem.

9 Quæritur II. Quotuplex ſit probatio? Reſp. I. Generatim loquendo, probatio alia eſt judicialis, alia extrajudicialis, *probatio judicialis* dicitur, quæ fit in judicio. Et iſtud poteſt intelligi conformiter dictis de Confeſſione judiciali *Tit. præc. n.* 4. & *ſeq.* Quamquàm Vallenſis *h. t. §. 2. n.* 5. Pirhing. *eod n* 4. & alii, ſoleant addere ly, *poſt litem conteſtatam*: quod rectè dicitur in ordine ad Judicium ordinarium (utpote propriè incipiens à litis conteſtatione) & cauſas plenam diſcuſſionem requirentes. *Probatio extrajudicialis* viciſſim cenſetur ea, quæ fit extra judicium: ut ſunt probationes, quæ ſolent adhiberi inter homines privatos in contractibus civilibus: item illæ, quæ ante omnem litem motam recipiuntur ad perpetuam rei memoriam, *c. Cùm dilecta, 4. de Confirmat. Utili &c.* aut ne copia probationum fortuitis caſibus ſubtrahatur, *c. ult. §. Ut lite non conteſtata &c.*

10 Deinde utraque hæc probatio ſubdividitur in artificialem, & inartificialem. *Probatio artificialis* dicitur, quæ arte & induſtria probantis ex ipſa cauſa, ejuſque circumſtantiis deſumitur. *Probatio inartificialis* verò, quæ extrinſecùs, ſeu extra cauſam aſſumitur; puta à teſtibus, inſtrumentis, juramento, confeſſione &c.

11 Reſp. II. Probatio ulteriùs dividitur in plenam, & ſemiplenam. Ita communis. Et quidem *probatio plena* dicitur illa, quæ tantam fidem facit, quanta ad definiendas controverſias ſufficit. Spiegelius *in lexico Iuris.* ℣. *Probatio plena.* Maſcardus *de probation. q. 4. n.* 15. Atque hanc nonnulli dividunt in probationem evidentiſſimam, claram, & minùs evidentem; ſeu in plenam, pleniorem, & pleniſſimam, prout loquitur Card. Tuſchus *lit. P. concl.* 789. Ex quibus

12 *Probatio evidentiſſima* cenſetur illa, quæ fit per privilegia, & inſtrumenta indubitata; ut inquit Abbas *in c. Licet. n. 12. h. t.* Jaſon *l. Si conſtante. n.* 135 *ff. Soluto matrim.* & Maſcardus *cit. q. 4. n.* 5. Huc accedunt *probationes apertiſſimæ*, prout appellantur *in c. Pia. de Exception. in* 6. & *l. Sciant. C. de prob.* ibi: *Apertiſſimis documentis.* Quales probationes apertiſſimæ, ſeu (ut alii loquuntur) pleniſſimæ, atque luce clariores, habentur per facti evidentiam, & aliis modis indubitatis, atque requiruntur in cauſis criminalibus, *cit. l. Sciant.* Nam ſæpè aliqua probatio in cauſis civilibus ſufficiens eſt ad ferendam ſententiam, quæ non ſufficeret in criminalibus, præſertim capitalibus: quia ut, *leg. Abſentem. ff. de pœnis*, dicitur: *Satius eſt, impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnari.* Engel *h. t. n.* 8 & alii.

13 *Probatio clara* eſt, quæ fit per teſtes, ac hujuſmodi. *Probatio minùs evidens* verò, quæ fit per conjecturas, & præſumptiones; ut *c. Afferte. de præſ.* cum ſimilibus: qualis alio nomine dicitur *probatio præſumptiva*. Etſi enim Maſcardus *c. q. 4. n.* 13. poſt Romanum *in l. 1. C. de Teſtam. milit.* & alios, aſſerat, probationem per præſumptiones & conjecturas non dici veram & propriam probationem, niſi eſſet præſumptio juris: nihilominùs idem rectè appoſuit ly, *niſi eſſet præſumptio juris.* Nam quòd probatio illa dicatur vera, clara ſeu evidens, quæ ex conjecturis colligitur habentibus præſūptionibus juris pro ſe, ſeu ubi Lex ſtatuit,



quòd conjecturæ habeant vim plenæ probationis; deſumitur ex *c. Nullus dubitat* 4. & *c. Litteris* 12. *de præſumption.* cum ſimilibus; ac tradit ipſemet Maſcardus *Concl.* 497. *n.* 3. & 4. poſt Baldum *in leg. cives, C. de Appell.* Decium *in c. 1. in fin. de Offic. Delegat.* & alios.

14 Huc pertinet *probatio legitima*, qualis propriè loquendo dicitur illa, quæ fit teſtibus, vel inſtrumentis, & non per juramentum. Gloſſa *in l. Cùm in debito*, ℣. *Legitimis, ff. de probation.* quam Gloſſam Alexander *conſil.* 119. *n.* 9. *vol.* 2. reputat ſingularem, ad hoc, quòd ubicunque requiritur probatio legitima, non ſufficiat ſemiplena probatio cum juramento. Concordat Gloſſa *in c. At ſi clerici*, ℣. *legitima probatione, de Judiciis*, Andr. Barbatia *in Repetit. in Rubricam, de Fide inſtrument. n.* 29. Card. Tuſchus *Lit. P. concl* 787. *n.* 1. dicens, quòd probatio per teſtes, vel per inſtrumenta, aut per confeſſionem partis, ſive per inſpectionem ocularem, dicatur vera & legitima probatio. Maſcard. *concl.* 1148. *n.* 10. Jaſon *in l. Si quando, n.* 10 *Unde vi* aſſerens, quòd probatio per juramentum nec ſit liquida, nec legitima probatio. Alioquin verò, & largiùs loquendo, quòd *probatio legitima* non ſolùm cenſeatur ea, quæ fit per teſtes, aut inſtrumenta indubitata, ſed etiam, quæ fit per famam conſentientem, ſeu conſonantem cum alia probatione, aut quibuſcunque aliis modis per Leges approbatis; patet *ex l. proprietatis C. h. t.* juncta Gloſſa *ibid.* ℣. *Legitimis.*

15 *Probatio ſemiplena* econtrà dicitur, per quam aliqua fides rei geſtæ fit Judici, non verò tanta, ut jure poſſit moveri ad ferendam ſententiam juxta eam. Et hujus ſemiplenæ probationis quatuor exempla ponit Gloſſa *in l. Admonendi*, ℣. *Exacto jurejurando, ff. de jurejurand.* videlicet probationem, quæ fit per ſcripturam privatam, vel per comparationem litterarum, aut per fugam Rei, qui debuiſſet reſpondere, vel per teſtem unum. Quibus adde probationem illam, quæ fit per famam, juxta Bartolum *in cit. l. Admonendi § Videnda ſunt*, & Maſcardum *q.* 11. *proœmial. de probat. n* 20. item probationem per confeſſionem extrajudicialem, & hujuſmodi; de quibus alibi.

16 Hiſce addit Pirhing *h. t. n.* 3. aliud membrum, videlicet *Probationem mixtam*; eſtque ea, quæ fit ex duabus ſemiplenis ad eundem finem tendentibus, juxta Gloſſam *fin. c. Cùm cauſam h. t.* & ampliùs infrà §. 4. *n.* 98. & *ſeqq.* declarabitur.

17 Solùm nota, quòd appellatione *Probationis* ſimpliciter & abſolutè dictæ, veniat duntaxat plena, non autem ſemiplena probatio: ac proinde, ubi Lex, vel Statutum facit ſimpliciter mentionem de probatione; Intelligatur de plena, *arg. Clem. Conſtitutionem*, juncta Gloſſa ℣. *Fides, de Electton.* & *l. Lucius*, 82. *ff. de Condition. & demonſtrat.* Siquidem vera & propria probatio ſolùm dicitur illa, quæ ſe ſola ſufficit ad faciendam fidem nec indiget alterius adminiculo: qualis eſt duntaxat probatio plena. Gloſſa *loc. cit.* Bartolus *in l. Ait Prætor §. fin. ff. de Re judicat.* Sperellus *Deciſ.* 101. *Fori Eccleſiaſt. n.* 22. Franciſc. Niconitius *in Repetit. c. Quoniam contra n.* 133. *de probation.* Maſcardus *q* 4. *proœmial. n.* 12. Barboſa *de Appellativa verborum Juris ſignific. Appellat.* 220. Jaſon *in leg. Qui accuſare n.* 7. *C. de Edendo*, iſtud limitans, quando ſubjecta materia repugnat.

18 Quæritur III. Quot ſint Probationum ſpecies? Reſp. Etſi circa hoc non omnino conveniant Doctores, cum alii duodecim, alii decem, alii ſex, alii verò novem aſſignent; uti videre eſt apud Maſcardum *de Probationib. cit. q.* 4. tamen hæc poſterior ſententia novem admittens, quæ eſt Hoſtienſis *in Summa h. t. n.* 6. præ cæteris videtur retinenda. Ratio eſt: quia cæteræ probationum ſpecies commodè ad novem præcipuas reducuntur, quæ & hiſce verſiculis breviter continentur.

*Aſpectus, ſculptum, teſtis, notoria, ſcriptum.*
*Jurans, confeſſus, præſumptio. fama probavit.*

19 Etenim poteſt aliquid probari per *Evidentiam rei*, quando ſcilicet res ita palam eſt, ut nulla tergiverſatione, vel negatione celari valeat. Et hoc indicant relati verſiculi per ly: *Notoria*: ſiquidem *Notorium facti* eſt, quod ita habet facti, ſeu rei evidentiam ut non poſſit negari (ſubintellige) probabiliter, *c. ult. de Cohabitat. Cleric.* & *c. Cùm olim* 24. *de Verb. ſignif.* atque ampliùs declarat Gloſſa *in can. Manifeſta* 2. *q.* 1.

20 II. Probatio ſolet fieri per *Confeſſionem propriam*; ſive, quando quis de ſe ipſo eſt *confeſſus*. Nec obſtat, quòd confeſſio propriè non ſit probatio, ſed probationis relevatio, juxta dicta *Tit. præc §. 1. n.* 13. Reſp. enim, dari etiam confeſſionem extrajudicialem, quæ plenè non probat; ac proinde non relevat Actorem ab onere probandi. Imò etiam confeſſio judicialis, ſi non propriè, ſaltem largiùs loquendo poteſt dici probatio, juxta illud vulgatum: *propria confeſſio, eſt optima probatio.*

21 III. Fit probatio per *aſpectum*, ſive per ocularem inſpectionem (vulgò, *ein Augenſchein*) & accidit, quando Judex rem, de qua lis movetur, per ſeipſum, aut alias perſonas ad id deputatas, præſentialiter inſpicit. Sic in quæſtione de Novi operis nunciatione plerumque requiritur inſpectio ocularis, ut appareat, an reverà quis priorem faciem operis immutaverit, aut in præjudicium Actoris ædificium extruxerit. Similiter, quotieſcunque controverſia oritur circa limites agrorum, vel terminos juriſdictionis, regulariter ipſi termini ſunt inſpiciendi, *l. Si irruptione. ff. Finium regund.* Inſuper petita per vicinum cautione *Damni infecti*, ſi alter neget, domum ſuam eſſe ruinoſam, oportet devenire ad ocularem inſpectionem, *l. Dies cautionis, §. 1. ff. de Damno infecto.* Idemque contingit in nonnullis aliis caſibus.

22 Solùm breviter nota, quòd ad Inſpectionem ocularem regulariter requiratur utriuſque partis præſentia: niſi forſan Judex ex officio clàm pro ſua duntaxat informatione ipſam ſuſcipere velit. Inſuper ad Inſpectionem ocularem ducendi ſunt teſtes ab alterutro litigantium producti; eò quòd in re præſenti meliùs ſe explicare, Judicemque informare valeant. Tandem Inſpectio ocularis debet fieri per artis peritos, v. g. per Architectos, agrimenſores, & hujuſmodi: quibus etiam juramentum deferri debet (niſi forſan in ſuſceptione ſui officii tale juramentum jam depoſuerint, ac jurati Magiſtri exiſtant) quòd ob neutrius partis favorem declinando, ſed fideliter, prout in ſua conſcientia deprehenderint, veritatem edicere velint. Engel *h. t. n.* 12. poſt Roland. *in Tract. de Commiſſariis, lib.* 3. Sannig *h. t. cap. 4. n.* 11.

23 IV. Contingit fieri probationem per *Teſtes*. V. Per *Inſtrumenta*, quæ in ſupra allatis verſiculis denotantur per ly, *Scriptum*. VI. Per *Juramentum*. VII. Per *Præſumptionem*. Atque de iſtis extant in Jure Canonico proprii Tituli, proximè explicandi, VIII. Fit interdum probatio per antiquas *Sculpturas*, lapidibus v. g. impreſſas: idque in memoratis verſiculis inſinuatur per ly, *Sculptum*, de quo commodiùs agetur infrà *Tit. 22. De Fide Inſtrumentorum, §. 7. num.* 221. & *ſeqq.* IX. Tandem ſpecies probationis eſt *Fama*, de qua agetur *Tit. ſeq. §. 12. n.* 384. & *ſeqq.* Atque per hæc patet bonitas datæ Concluſionis, admittentis novem ſpecies Probationum.

24 Nec obſtat, quòd Speculator *tit de Probationibus, §. Videndum*, univerſim admiſerit duodecim ſpecies Probationis, addendo videlicet probationem factam per *Litteras ſignatas Sigillo Epiſcopali, per Denunciationem publicarum perſonarum*, & per *Indicia indubitata*. Reſp. enim, Probationem per Litteras ſignatas ſigillo Epiſcopali commodè reduci ad ſpeciem Probationis per Inſtrumenta: ſicut & Denunciatio publicarum perſonarum pertinet ad ſpeciem Probationis per Teſtes; ac Indicia indubitata ad ſpeciem probationis per præſumptionem, eò quòd ex talibus indiciis indubitatis ſoleat oriri vel præſumptio hominis, vel præſumptio juris; imò quandoque etiam præſumptio juris, & de jure inde conſurgat.

25 Quæritur IV. Quot ſint gradus Probationum? Reſp. Quatuor ſunt gradus probationum, videlicet Dubitatio, Suſpicio, Opinio, & firma Credulitas. Ita Abbas *in c. Tertio loco. num. 11. h. t.* Bartolus *in l. Admonendi §. Quæro quando dicatur. ff. de jurejurand* Card. Tuſchus *Lit. P. Concl.* 764. *n.* 3 & Antonius Butrius *Repetit. in c. Veſtra. n.* 50. & *ſeqq. de Cohabitat. Cleric.* Concluſio hæc declaratur inductione, præmittendo, quòd in Judice, præter neſcientiam alicujus rei, & ſcientiam hujus habitam per rationes, & demonſtrationes, aut ſi eſt facti, per proprium ſenſum, poſſit dari firma credulitas, ſeu fides talis rei, quæ eſt media inter illa extrema. Atqui ad hanc firmam credulitatem, ſeu fidem, dantur dicti quatuor gradus; quamvis etiam inter iſtos poſſint diſtingui varii modi, juxta majorem videlicet, vel minorem rationem ſuſpicandi, opinandi, & credendi: idque declaratur taliter.

Primus

26 Primus gradus eſt, cùm Judici proponitur cauſa per Actorem affirmantem, quæ per Reum econtrà negatur: tunc enim Judex inducitur in *Dubietatem*. Quamquam ultrò ſit fatendum, quòd iſthæc Dubietas propriè non ſit aliquis gradus Probationis, niſi quatenus Judex exinde inducitur ad inveſtigandum.

27 Secundus gradus eſt: quia poſt Dubitationem, & Inveſtigationem veritatis, ſolet Judex incipere ſuſpicari, & applicare animum magis ad unam, quàm ad alteram partem. Et quando hoc fit ex levi aliquo indicio, ſeu argumento non excludente prorſus dubitationem, dicitur *Suſpicio*: quæ quidem non ſufficit ad condemnandum (nam ex ſuſpicionibus non debet aliquis condemnari, *l. Abſentem, ff. de Pœnis*) facit tamen propriè gradum aliquem probationis.

28 Tertius gradus eſt: quia poſt memoratam ſuſpicionem, ſi alicubi appareant fortiora argumenta, tunc Judex incipit opinari. Jam enim applicat animum ad unam partem, licèt non ſine formidine de oppoſito; & ſic ex parte ejus oritur *Opinio*. Ac propriè loquendo, iſte eſt alter gradus probationis; & habet ibi locum ſuppletio per juramentum, *c. ult. de Jurejurand. & leg. Admonendi, ff. eod.* Quartus tandem gradus eſt, quando ex deductis in judicium animus Judicis in tantùm informatur, quòd firmam credulitatem ſeu fidem habeat ejus, de quo quæritur: atque iſtud habetur per plenas probationes.

29 Accedit textus *in l. 1. §. 1. ff. de Quæſtionibus* ubi poſteriores tres gradus Probationum (primus enim, ſeu Dubitatio, non eſt propriè talis gradus, ut jam dictum) ſequentibus verbis deſignantur: *Ad tormenta ſervorum ita demum deveniri oportet, cùm ſuſpectus eſt Reus, & aliis argumentis ita probationi admovetur, ut ſola confeſſio deeſſe videatur*. Nam ly, *Suſpectus eſt Reus*, denotat primum gradum probationis, qui eſt *Suſpicio*: ly, *aliis argumentis*, indicat ſecundum, qui eſt Opinio: & ly *ſola Confeſſio*, tertium probationis gradum, qui facit plenam fidem; nam habita propria confeſſione, ſeu plena probatione, adducitur Judex ad firmam credulitatem.

30 Atque talis Credulitas illud habet commune cum Scientia, quod ſicut firmiter quis uni parti adhæret per ſcientiam, ita etiam adhæreat eidem per hanc credulitatem. Differunt tamen in modo perveniendi ad iſtam firmam adhæſionem: nam Sciens ad iſtam perducitur vel ob rationes demonſtrativas à priori, vel quando ſcitum eſt quid facti, quod cognoſcitur per proprium ſenſum: Credens autem de ejuſmodi firmam adhæſionem adducitur per alia argumenta. Bartolus *ubi ſupra*.

## §. II.

## Quid ſit probandum? Ubi & de Probatione negativa.

*SUMMARIUM.*

31 *Id eſt probandum, quod eſt deductum in judicium.*
32 *Si per teſtes probatur aliud, quam eſt deductum in judicium, non valet eorum dictum.*
33 *Illud duntaxat eſt probandum quod probatum prodeſt probanti.*
34 *Articuli alii de neceſſitate concludunt, alii præſumptivè; & talium probatio eſt admittenda.*
35 *Quod non eſt veriſimile, an poſſit admitti ad probandum?*
36 *Probatio circa quæ verſatur? Et n. ſeqq.*
37 *Manifeſta, ſeu notoria non indigent probatione. Et n. ſeq.*
*Allegatio notorii, eſt probatio probata. Ibid.*
38 *Iſtud procedit in notorio facti permanentis; ſecùs in notorio facti tranſeuntis.*
39 *Etſi impedimentum matrimonii ſit notorium, nequit vir dimittere uxorem abſque judicio Eccleſiæ; & cur? Ad notorium facti permanentis, quid requiratur? Ibid.*
40 *Explicatur* c. De hoc de Simon. *Et n. ſeq.*
41 *Manifeſtum ſumitur dupliciter; & quid ſit?*
42 *Et quomodo differat à Notorio?*
43 *Negativa, an quandoque probari poſſit, ac debeat? Et n. ſeq.*
*Nulla negativa poteſt probari directè. Ibid.*
44 *Negationes ſunt triplicis generis, quarum aliquæ probari poſſunt indirectè, non autem omnes.*
45 *Negativa facti, quæ?*
*Eſt duplex, pura, & coarctata.*
46 *Harum poſterior poteſt probari indirectè, non prior.*
47 *Solvitur inſtantia. Et n. ſeqq.*
48 *Negativa quandoque includit affirmativam; & hæc poteſt probari. Et n. 50.*
49 *Negativa juris, quæ?*
*Hæc poteſt probari indirectè. Ibid.*
50 *Negativa qualitatis, quæ?*
*Iſta poteſt, ac debet probari ab allegante. Ibid.*
51 *Omnis Negativa poteſt indirectè probari, excepta Negativa facti pura.*

QUæritur I. Quid generatim ſit probandum? Reſp. I. Generatim loquendo id eſt probandum, quod eſt deductum in judicium, & ab altera parte fuit negatum. Ita Speculator *tit. de Probationibus §. Nunc dicendum, n. 1.* Hoſtienſis *in Summa h. t. nu. 4.* Maſcardus *de Probationibus, q. 2. Proœmial. n. 27. ac q. 17. n. 16.* id intelligens de omni eo, ſuper quo lis mota eſt, ſive directè, ſive indirectè, ſeu per modum exceptionis, aut replicationis: & alii. Idque patet *ex c. De teſtibus, 29. de Teſtibus & l. Ad probationem domini, C. h. t.* cum ſimilibus. Accedit ratio: quia, ut dicitur in ejus definitione, Probatio eſt oſtenſio rei dubiæ per legitimos modos judici facienda in cauſis apud ipſum controverſis; ergo non debet illud ad probandum aſſumi, quod eſt impertinens, ac extra cauſam propoſitam; ſed ea duntaxat oportet probare, quæ ſunt in judicium deducta, & ad cauſam pertinent, & in quibus ſe aliquis fundat, ab adverſario tamen negantur. Per negationem enim res fit dubia, *L. 3.* juncta Gloſſa ℣. *Dubium C. Quibus ad libertatem &c.*

32 Infertur proinde, quòd ſi per teſtes v. g. probetur aliud, quàm eſt deductum in judicium, non valeat dictum eorum ſuper illo, *L. 1. §. Divus Antoninus ff. de Quæſtionibus*, junctis Juribus proximè allegatis. Speculator *tit. de Teſte §. 1. n. 62.* & Maſcardus *d. q. 17. n. 17* iſtud exemplificantes de teſte, qui productus fuit ſuper poſſeſſorio: talis enim non eſt interrogandus ſuper proprietate: & ſi ſecùs fiat, nihil proderit ejus dictum, ſaltem parte opponente; videtur enim non juratus deponere. Idemque dicendum de ſimilibus probationibus articulorum in judicium non deductorum: nam ſubreptitia probatio improbatio improbatur à Lege; ut *l. Sed ſi hac lege §. Prætor cit ff. De in jus vocando*, & ampliùs probat Speculator *cit. tit. de Teſte §. 1. n. 64.*

33 Reſp. II. Inſuper illud duntaxat eſt probandum, quod probatum prodeſſe poteſt probanti. Ita Gloſſa *in c. Cùm contingat* ℣ *Nihilominus* & Jo Andreas *ibid. n. 19. de Offic. Delegat.* Speculator *tit. de Probatione §. Nunc dicendum n. 1.* Maſcardus *de Probat. q. 17. Proœmial. n. 24. ac ſeqq.* & communis. Unde non debet ad probandum admitti, quod eſt extra rem propoſitam, ſeu omnino impertinens ac inutile, *cit. l. Ad probationem domini. C. h. t. & c. Cùm contingat 36. de Offic. Delegat.*

34 Solùm nota cum Bartolo *in l. Neque natales C. h. t.* quòd Articuli ad probandum aſſumpti, aliqui de neceſſitate concludant intentum Actoris, alii ſolùm præſumptivè; & hoc adhuc dupliciter: quia quandoque inde inducitur talis præſumptio, ut onus probandi transferatur in adverſarium, *l. Matrem tuam & l. Si poſſidetis C. eod.* aliquando autem inducitur talis præſumptio, quæ facit ſemiplenam probationem: & omnium talium articulorum probatio eſt admittenda. Quòd ſi verò articulus probatus nullum horum facit, nec aliam probationem coadjuvat, tunc is non debet admitti ad probandum.

35 Reſp. III. Rurſus ad probandum debet aſſumi, quod eſt veriſimile; & licèt quis poſſit admitti ad probandum id, quod non eſt veriſimile, nihilominùs tunc requiritur efficacior probatio: Ita Maſcard. *de Probat. cit. q. 17. n. 24.* contra Speculatorem *tit. de Probation. §. Nunc dicendum, n. 1.* ubi contra ſecundam partem Concluſionis inquit, illud debere probari, quod eſt veriſimile, & non aliud. Concluſio quoad utramque partem deſumitur ex *c. Quia veriſimile 10. de Præſumpt.* ubi proin Summarium ex Jo. Andrea, Abbate, & aliis deſumptum, ſic habet: *Efficacior probatio requiritur ab eo, qui probare vult illud, quod non eſt veriſimile.* Et meritò: quia præſumptio ſtat contra ipſum.



36 Quæritur II. Circa quæ verſetur Probatio, & an hac indigeant Manifeſta? Reſp. I. Probatio verſatur circa facta, & quidem incerta ſeu dubia. Ita communis; & Ratio eſt, quia quæ juris ſunt, jam aliunde Judici, utpote Legum notitiam habenti, nota exiſtunt, ſicque probatione non indigent. Quamquam per hoc non negetur, quin in Quæſtionibus juris, præſertim inter Doctores controverſis, utiliter fiant allegationes Jurium; non quidem ad probandum, ſed ad meliùs informandum Judicem, juxta dicta ſuperiùs §. 1. *n. 6. & 7.*

37 Reſp. II. Manifeſta, ſeu notoria, ulteriori probatione non indigent. Ita communis; & habetur expreſſum *c. Super eo 3. de Teſtib. cogend.* illis verbis: *Si factum eſt notorium, non eget teſtium depoſitionibus declarari; cùm talia probationem, vel ordinem judiciarium non requirant.* Concordant textus *in can. Manifeſta, 2. q. 1. & c. Evidentia 9. de Accuſation.* cum ſimilibus. Unde notorium non probari, ſed allegari debet. Gloſſa *in c. 2. Verſ. Appellavit* juncta Gloſſa marginali *ibid. Ut lite non conteſtata &c.* Nam allegatio notorii, probatio probata eſt. Vallenſis *h. t. §. 1. n. 3.* Maſcardus *de Probat. Concl. 1107. n. 5.* Atque ubi eſt notorium, non eſt diſputare, ſed diſputatum eſſe, ut inquit Baldus *in l. 1. C. Quomodo & quando &c.*

38 Iſtud tamen præcipuè intelligendum eſt de Notorio facti permanentis: nam ſatis eſt, hoc allegari, nec indiget alia probatione. Gloſſa *in l. Cives verſ. Si ſub juſta C. de appellat.* & alia Gloſſa *in Clem. appellanti verſ. alias cauſas eod.* Secùs dicendum de Notorio facti tranſeuntis: nam qui ſmulta dicuntur notoria, quæ non ſunt talia, *c. Conſuluit nos 14. de appellat.* & ea, quæ ſunt notoria facti tranſeuntis, forſitan non ſunt notoria ipſi Judici: hinc Notorium facti tranſeuntis non tantùm debet allegari, ſed etiam probari. Gloſſa *c. ad noſtram 11 3. Verſ. Obſervandus, & verſ. Requirit. de Jurejurand.* Sperellus *Deciſ. 132. Fori Eccleſiaſtic. n. 76. & 77.* Maſcard. *de Probat. Concl. 1107. n. 11. & ſeqq.* Sigiſm. Scaccia *lib. 1. de Judiciis, c. 76. n. 9. & 10.* & alii. Quinimò Notorium facti tranſeuntis eſt probandum juris ordine ſervato, ſecùs dicendum in Notorio facti permanentis, utpote quod non ſervato juris ordine, ſed per ocularem inſpectionem probari poteſt, quando Judici necdum exiſtit notorium. Gratianus *Diſceptat. Forenſ. t. 2. diſc. 312. n. 8.*

39 Objicies contra datam Concluſionem. In *c. Porrò de Divortiis*, habetur, quòd vir non poſſit dimittere uxorem abſque judicio Eccleſiæ, etiamſi impedimentum parentelæ eſſet *publicum, & notorium*; ergo etiam in notoriis requiritur probatio. Reſp. neg. conſeq. Siquidem in dato caſu requiritur judicium Eccleſiæ ſolummodò quoad prolationem ſententiæ, ſeu ne quis propria authoritate dimittat uxorem ſuam prætextu impedimenti conſanguinitatis: non tamen inde ſequitur, quòd in notorio facti requiratur judicium Eccleſiæ, ſeu ordo judiciarius quantùm ad probationem, atque examinationem cauſæ. Sicut in ſimili, nullæ ſunt partes judicantis in confitentes quantùm ad examinationem cauſæ, atque ulteriorem ejus probationem; propria enim confeſſio eſt optima probatio, ſecùs tamen, quantùm ad æſtimationem damni illati, & prolationem ſententiæ, *l. Proinde ſi occiſus ff. ad Legem Aquil.* eſtque uberiùs dictum *Tit. præced. §. 3. n. 76.* Accedit, quòd impedimentum parentelæ, ſeu conſanguinitatis, non inducat Notorium facti permanentis: nam ad hoc requiritur rei evidentia, nimirum, ut factum ſe exhibeat quotidie oculis hominum, ita quòd alio inſtrumento non egeat. Maſcard. *cit. Concl. 1107. n. 13.* poſt Butrium *tract. de Notor. art. 2. n. 10.* & alios.

40 Objicies ulteriùs textum notabilem ex *cap. De hoc 11. de Simonia*, ubi dicitur: *Si verò id manifeſtum eſt, nec tamen convicti, vel confeſſi fuerint, eis canonica purgatio debet indici*; ergo etiam quoad certa, ſeu manifeſta, locum habet probatio. Reſp. primò cum Gloſſa Marginali *ibid.* aliam Litteram habere: *Si verò id manifeſtum non eſt.* Quo dato textus ille nihil urget.

41 Verùm retinendo textum, uti jacet, reſpondetur ſecundo neg. conſeq. *Manifeſtum* enim dupliciter accipitur: primò largè, prout ſub ſe continet *Notorium*; & ſic ſumitur *in can. Manifeſta 2. q. 1.* ibi: *Manifeſta accuſatione non indigeat*: id eſt, notoria, cum concordantiis. Secundò, prout *Manifeſtum* eſt ſpecies contradiſtincta à *Notorio*: ſic *Manifeſtum* dicitur illud, de quo eſt publica ſeu famoſa proclamatio, ex certa ſcientia, & certis authoribus proveniens; prout tradit Speculator *de Notorio criminie §. 7.* Abbas *in c. Veſtra, n. 12. de Cohabit. Cleric.* Maſcardus *de Probation. Concl. 1018. n. 1* allegans alios.

42 Differt autem *Manifeſtum* ſic acceptum à *Notorio*. Siquidem *Notorium* nulla indiget probatione, cùm tergiverſatione aliqua celari non poſſit, ut *c. ult. de Cohabitat. Cleric.* ibi: *Niſi peccatum hujuſmodi ſit notorium per ſententiam, vel pro confeſſionem factam in jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiverſatione aliqua celari non poſſit.* Econtrà verò *Manifeſtum* eſt probandum, oſtendendo videlicet, quòd de aliquo extet ejuſmodi publica, & famoſa proclamatio. Imò non ſolùm Manifeſtum eſt probandum, ſed ipſum etiam factum, quod dico eſſe manifeſtum, debeo probare; ut notat Bartolus *in l. Cives, §. ſin. C. de appellat.* id probans per textum *ibidem.* Maſcardus *cit. Concluſ. 1018. num. 3.* allegans alios. Atque in hoc ſenſu poteſt intelligi *cit. c. De hoc 11. de Simon.* retinendo Litteram, ut modò jacet: quia ſumi debet *Manifeſtum* propriè, ſeu prout contradiſtinguitur à Notorio, atque indiget aliqua probatione.

43 Quæritur III. Utrùm Negativa quandoque probari poſſit, ac debeat? Reſp. I. Certum eſt, Negativam directè probari non poſſe. Patet hoc *ex c. Bonæ, 23. de Election.* ubi dicitur: *Quia negantis factum per rerum naturam nulla eſt directa probatio.* Idem habetur in *can. Accuſator 6. q. 3. & c. Quoniam, contra 11. h. t. & l. Actor quòd aſſeverat C. de Probation.* ibi: *Cùm per rerum naturam factum negantis probatio nulla ſit.* Accedit ratio: quia non entis nullæ ſunt qualitates, *arg. c. Ad diſſolvendum,* juncta Gloſſa ℣. *Legitimè accuſari de Deſponſat. impuber.* eſtque receptum Philoſophorum: Simulque ejus, quod non eſt, nulla eſt cauſa; & quod nullum eſt, nullum producit effectum, cùm ex nihilo nihil fiat. Et quidem hæ rationes manifeſtè convincunt, Negativam directè probare non poſſe: utrum autem non poſſit probari ſaltem indirectè, quæſtio remanet. Unde

44 Reſp. II. Negationes ſunt variæ, & earum aliquæ poſſunt probari indirectè, aliæ verò non. Ita Gloſſa *in cit. c. Bonæ* ℣. *Per rerum naturam, de Election.* Engel *h. t. num. 6.* & communis Doctorum; ac probatur inductione. Siquidem loquendo generatim, Negatio, ſive Propoſitio negativa, tribus modis dicitur: eſt enim Negativa facti, Negativa juris, & Negativa qualitatis.

45 *Negativa facti* dicitur, quando factum ipſum negatur. Et hæc adhuc eſt duplex: una pura, & ſimplex, quæ non eſt coarctata, ſeu non habet determinationem loci, vel temporis, vel alterius rei: ut ſi quis abſolutè dicat, ſe nunquam fuiſſe citatum, ſe non blaſphemaſſe &c. Alia Negativa econtrà eſt, quæ habet determinationem loci, temporis, vel alterius rei, ſicque eſt coarctata: ut quis neget, ſe heri, vel in tali loco occidiſſe Cajum.

46 Porrò ex his duabus Negativa coarctata, ſeu prolata cum determinatione loci, vel temporis &c. poteſt probari ſaltem indirectè, probando videlicet, ſe tempore perpetrati v. g. in Urbe homicidii fuiſſe in campo; vel oſtendendo, quòd aliùs tale homicidium perpetraverit. Negativa verò pura, & ſimplex, non poteſt probari neque directè, neque indirectè: unde onus probandi transfertur in adverſarium, ſive in eum, qui affirmat.

47 Nec urget contra hoc ultimum textus *in c. Tertio loco 5. h. t.* ubi quis probavit, *iſtrumenta quandam de aſſenſu Conventus non fuiſſe confectum*; & tamen hæc erat pura; & ſimplex negativa: Accedit *c. 1. & ſeqq. de Purgat. canon.* ubi infamatus de crimine, quod tamen ipſe negat, cogitur per purgationem canonicam probare, ſe non deliquiſſe. Reſp. enim, talia non probari directè, vel indirectè, ſed tantùm præſumptivè. Nam quantùm ad primum attinet, rectè præſumebatur falſitas illius inſtrumenti: tum quia, quoties de eo inter Fratres erat ſermo, vox & conſilium totius Conventus fuit, nolle contenta in illo inſtrumento admittere: tum quia pars adverſa contra hoc nihil probare poterat. Purgationem canonicam quod attinet, aliunde liquet, quòd tantùm in præſumptione fundetur: unde non habet locum, quando cri-

do crimen eſt notorium, *c. Cùm dilectus de Purgat. canon.*

48 Neque ulteriùs obſtat *c. Super hoc 5. de Renunciat.* ubi negans ſpontaneam renunciationem, poteſt ac tenetur probare, ſe non ſponté renunciaſſe. Reſp. enim cum Gloſſa *ibidem verſ. Negat* id ex eo fieri; quia hujuſmodi negatio, *Non ſponte renunciavi*, includit in ſe hanc affirmativam, *Coactus renunciavi*: & iſtam tenetur replicans in ſua replicatione probare, quia tunc replicando aſſumit perſonam Actoris. Idem dicendum de aliis ſimilibus.

49 *Negativa juris* eſt, quando aliquid negatur eſſe Juri conforme, v. g. dicendo: *Tu non potes eſſe procurator, teſtis &c. Tu non potes fieri Clericus; Iſta electio non eſt canonicè facta*, & hujuſmodi. Porrò hujuſmodi Negatio benè poteſt probari indirectè, adducendò videlicet locum illum Juris, in quo fundata eſt: quia qui aliquid negat eſſe juſtè factum, hoc ipſo affirmat, illud eſſe injuſtè factum; vel talem eſſe inhabilem ad Clericatum, eſſe repellendum à ferendo teſtimonio &c. Unde illud probare debet, *l. Ab ea parte ff. de Probat.* ubi Summarium ſic habet: *In negativa juris ei, qui negat, incumbit probatio.*

50 *Negativa qualitatis* tandem dicitur, in qua negatur de aliquo certa qualitas; ut ſit dicendo: *Titius non eſt legitimus, non diligens, non eſt idoneus ad hoc officium*, & hujuſmodi. Et talis etiam indirectè probari poteſt, ſicut & generaliter omnes Negativæ, quæ habent in ſe incluſam affirmativam: nam qui negat, aliquem eſſe legitimum, hoc ipſo affirmat, eum natum extra matrimonium. Quinimò tales Negativæ non ſolùm poſſunt, ſed etiam debent probari ab eo, qui hoc dicit, ſive qui talem Negativam alteri objicit: quia quilibet præſumitur idoneus, niſi probetur contrarium, *c. un. de Scrutinio in ordine faciend. & cap. ult. de Præſumpt.*

51 Ex dictis igitur patet, omnem Negativam poſſe indirectè probari, excepta ſola Negativa facti pura, ſeu ſimpliciter dicta; cui proinde ſpecialiter convenit ſuprà relatus textus *l. Actor quod aſſeverat. C. de probat.* ibi: *Cùm per rerum naturam factum negantis probatio nulla*; ſicque neque directa, neque indirecta: nam de quo negatur genus, negatur & quælibet ſpecies ejus.

## §. III.

## Qualis debeat eſſe Probatio, & an ſemper requiratur plena?

*S U M M A R I U M.*

52 *Probatio debet eſſe clara, & certa.*
53 *Probatio dubia non relevat.*
54 *Etiamſi probans ſit Eccleſia.*
55 *Quinimò interpretatur contra producentem.*
56 *Probatio judicialis debet fieri ſecundùm formam Libelli.*
57 *Hæc regulariter debet eſſe plena, & concludens.*
58 *Ac de tali intelligenda ſunt Jura, vel Statuta, dum probationem requirunt.*
59 *Idemque dicendum, quandò cauſa cuipiam committitur terminanda ſub clauſula,* Conſtito.
60 *Quænam probatio hic & nunc ſit plena, & concludens, Judicis arbitrio relinquitur.*
*Probationes omnes ſunt Judici arbitrariæ. Ibid.*
61 *Dantur tamen plures caſus, in quibus non requiritur probatio plena, ſed ſufficit ſemiplena, vel alia ex conjecturis deprompta.*
62 *Sic probat unius teſtis depoſitio, quando nemini nocet & alteri prodeſt.*
63 *Actore plenè non probante, ad probandam innocentiam Rei ſufficit præſumptiva, & dubia probatio. Qualis etiam ſufficit ad elidendam præſumptionem contumaciæ, & excuſandam abſentiam peremptoriè citati. Ibid.*
64 *In cauſis ſummariis, ubi agitur de rebus modicis, ſufficit ſemiplena probatio.*
65 *Secùs in cauſis gravioribus.*
66 *In Factis antiquis non requiritur plena probatio.*
67 *Idemque dicendum, ubi probationes directæ haberi nequeunt.*
68 *Et quando Judici committitur cauſa ſub clauſula, ut procedat* ſola facti veritate inſpecta.
69 *Qui intentionem ſuam benè probavit, non poteſt compelli, ut idipſum juramento confirmet.*
70 *Haud obſtante contraria conſuetudine, etiam immemoriali.*
*Juramentum ſuppletorium, quando ſit deferendum? Ib.*
71 *Litteris Judicis ordinarii eſt ſtandum, donec contrarium probetur.*
*Per eas probatur quis eſſe excommunicatus. Ibid.*
72 *Probatio ſingularum rerum, atque negotiorum in ſpecie, qualis ſit facienda? Remiſſivè.*

52 QUæritur I. Qualis debeat eſſe Probatio? Reſp. I. Probatio cum primis debet eſſe clara, & certa. Ita Hoſtienſis *in Summa, n. 5. h. t.* Vallenſis *eod §. 5. n. 1.* & communis; ac patet ex ipſa ejus definitione, qua dicitur, quòd *Probatio ſit rei dubiæ oſtenſio*. Idipſum deſumitur *ex c. In præſentia 8. h. t.* ubi cujuſpiam probatio, quòd quis tempore illo, quo ſe ſuaque Monaſterio obtulerat, fuiſſet *minor annis*, ſicque oblatio illa ex defectu ætatis non tenuerit, ex eo rejicitur: quia verbum illud, *minor annis*, poteſt dupliciter intelligi; videlicet & de minore quatuordecim annis, & de minori vigintiquinque annis, quorum tamen poſterior bene poterat, & ſe, & ſua Monaſterio offerre. Unde Gloſſa *in caſu ad cit. c. In præſentia:* notanter inquit: *Dubia probatio, non dicitur probatio; quia qui ſic probat, non conſtat de qua ætate, v. g. ſit probatum: & ideò clara & certa debet eſſe probatio, & non dubia.* Hactenus Gloſſa.

53 Infertur proinde, quòd ſi probatio ſit generalis, quæ poteſt referri ad unum & ad aliud, illa probatio non valeat, ſed debeat rejici. Felinus *in c. Prudentiam, n. 18. de Offic. Delegat.* Bartolus *l. Inter ſtipulantem, §. ſi Stichum ſtipulatus ff. de Verb. obligat.* Ludov. Gomeſius *in Repet. c. Licet n. 118. de Conſtitut.* citans alios. Sive, ut alii loquuntur, *Probatio dubia non relevat.* Abbas *c. In præſentia n. 5.* & Fagnanus *ibid. n. 1. & 14. h. t.* poſt Rotam *Deciſ. 380. n. 10 p. 5. Recent.* Barboſa *Axiomat. 161. n. 3.* citans alios. Nam juxta illud vulgatum, *Non probat hoc eſſe, quod ab hoc quandoque contingit abeſſe*; prout loquitur Summarium *l. Neque natales, c. de Probat.* ac probat textus *ib. & l. Non hoc. C. Unde vi*, cum ſimilibus.

54 Atque hoc ampliatur, ut probatio, quæ non concludit neceſſario, non relevet probantem, etiamſi probans ſit Eccleſia. Abbas *in c. Auditis num. 4. De in integr. reſtit.* & favet textus ibidem. Probatio enim debet concludere de neceſſe, & non de contingenti, *l. Non hoc c. Unde legitimi:* ubi Baldus, & Salycetus *in Summario* inquiunt: *Probatio debet eſſe de neceſſario concludentibus.* Fagnanus *c. in præſentia n. 15. & 16. h. t.* iſtud ulteriùs probans *ex cit. l. Neque natales C. de probat.* Ubi ex eo, quòd pater probet ſe ingenuum, non habetur idonea probatio, quòd etiam filia ſit ingenua: cùm nihil prohibeat, & illum eſſe ingenuum, & filiam ancillam. Simile quid legitur *in l. Matrem tuam C. eod.* cum concordantiis.

55 Quinimò dubia probatio non ſolùm non relevat, ut dictum: ſed etiam interpretatur contra probantem, ſeu producentem. Gloſſa *fin. in c. per tuas 6. de Condit.* ubi notandum ait, quòd contra eum ſit interpretatio qui teſtes produxit, cùm expreſſè non probant id, ad quod inducuntur, ſed obſcurè. Hoſtienſis *in Summa, h. t. n. 5.* iſtud probans *ex cit. c. Per tuas, & c. In præſentia h. t.* Maranta *p. 6. Speculi Aurei tit. de Confeſſione n. 32.* prosè allegans *l. Veteribus ff. de Pactis*; ubi Bartolus in Summario inquit: *Ambigua conventio interpretatur contra eum, pro quo profertur.* Card. Tuſchus *Litt. P. Concl. 765. n. 11.* Ant. Roſellus *in Repetit. can. Manifeſta 2 q. 1. n. 41.* Barboſa *cit. Axiomat. 191. n. 4.* allegans alios.

56 Reſp. II. Probatio judicialis debet eſſe facta ſecundùm formam Libelli. Ita Hoſtienſis *in Summa, n. 5. h. t.* & alii. Idque patet *ex c. Cùm dilectus. §. Sed quoniam de Ordin. cognit* cum ſimilibus. Accedit ratio: quia ſecundùm formam Libelli eſt pronunciandum, *Clem. Sæpè contingit §. Verùm quia de Verb. ſignif.* Ergo hoc ipſo, illa duntaxat ſunt probanda, quæ mediante Libello in judicium deducta fuerunt, ac deſuper lis movetur, ſive directè, ſive in modum exceptionis, vel replicationis; ut *c. De teſtibus 29. de Teſtib. & l. Ad probationem dominii. C. de Probat.* junctis dictis ſuprà *n. 31. & ſeqq.*

57 Quæ-



57 Quæritur II. Utrùm ſemper requiratur Probatio plena, & concludens? Reſp. I. Probatio judicialis regulariter debet eſſe plena, & concludens. Ita Farinacius *Concl. 168. n. 8. lib. 2.* Sperellus *Deciſ. 101. Fori Eccleſiaſt. n. 23.* poſt Baldum *in l. 2. n. 33. C. Si contra jus &c.* Decium *in Rubric. 10. de Probat. n. 133.* Card. Tuſchus *Litt. P. Concl. 765. & 766.* fuſe iſtud declarans, atque exemplificans. Barboſa *cit. Axiomat. 191. n. 2.* citans alios. Idque patet tum *ex c. In præſentia h. t. & c. Recepimus 18. de Privileg.* cum concordantiis; tum *ex l. judices C. de Judiciis*, ibi: *Judices oportet imprimis rei veritatem plena inquiſitione diſcutere.* Accedit, quòd nomine *Probationis* ſimpliciter dictæ, non niſi plena probatio intelligatur, ut dictum *n. 17.* Quinimò probationes neceſſariæ, ſeu plenæ & concludentes, ſunt de Jure Divino, quo *Matt. 18.* & alibi cavetur: *In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum.* Maranta *p. 4. Speculi Aurei diſt. 9. n. 10.*

58 Reſp. II. Inſuper Jura vel Statuta, dum probationem requirunt, intelligenda ſunt de plena & concludenti probatione (utpote quæ ſimpliciter nomine probationis venit) non autem de leviori. Farinac. & Sperellus; *ubi ſup.* Barb. *de Appell. verb. Juris ſignif. Appellat. 220.* citans alios, idque intelligens, niſi ſubjecta materia repugnet.

59 Hoc ipſum eſt dicendum, quando cauſa cuipiam committitur retinenda ſub clauſula, *Conſtito*; hoc eſt, ut procedat, quando ipſi de ea conſtabit, Nam clauſula illa eſt conditionalis, & formam inducit: ſimulque requirit veras, & concludentes probationes, neque admittit præſumptivas. Barboſa *Clauſul. 25. n. 1. & 6.* allegans alios, & multiplicem Deciſionem Rotæ.

60 Solummodò prædictis adde, quòd in diſcernendo, quænam probatio hic & nunc ſit plena & concludens plurimùm ſit relinquendum arbitrio Judicis, per textum notabilem *in L. 3. §. Ideoque Divus, ff. de Teſtib.* Ubi inter alia dicitur, *Eum qui judicat, magis ſcire poſſe, quanta fides habenda ſit teſtibus:* idque in progreſſu ibidem ampliùs declaratur. Concordat *c. In noſtra 32. de Teſtibus*, ubi Pontifex idipſum notavit: idem ergo dicendum de aliis probationibus, earumque valore, atque efficacia concludendi, prudentis Judicis arbitrio ſpectatis omnibus circumſtantiis meliùs dijudicandi. Hinc Menochius *de Arbitrar. Judic. lib. 2. Caſu 99. n. 1 & ſeqq.* citans alios, generaliter infert, *probationes omnes Judici arbitrarias eſſe.* Etenim ad quem modum probandæ cuicunque rei argumenta in particularibus caſibus adducta ſufficiant, nullo certo modo definitum reperitur, neque ob infinitatem caſuum, diverſarumque circumſtantiarum definiri poteſt. Quamquàm ejuſmodi arbitrio non ſit omninò liberum atque abſolutum, ſed regulatum, ut loquuntur Doctores: debet enim regi ſecundùm jura, rationem & æquitatem; non autem pro mera Judicis voluntate hæc vocari ſufficiens probatio, illa veluti inſufficiens rejici: quod utique foret abſurdum, & iniquiſſimum. Menoch. *lib. 1. de Arbitr. Judic. q. 13. n. 15.* & communis.

61 Reſp. III. Quamvis regulariter probatio judicialis debeat eſſe plena, & neceſſariò concludens, ut dictum; dantur nihilominus complures caſus, in quibus rigor iſte non requiritur, ſed ſufficit vel probatio ſemiplena, vel alia ex indiciis atque conjecturis deprompta admittitur. Ita Bartolus *in l. Si conſtante §. Et primò diſcutiamus, ff. Soluto matrim.* Ubi pro regula ponit, quòd quædam ſint cauſæ, in quibus ſententia lata facit magnum præjudicium; & in iſtis (inquit) requiritur plena cognitio, & plena probatio, *ut l. Judices, C. de judic.* Quædam ſunt cauſæ, in quibus ſententia lata facit modicum præjudicium; & in iſtis ſufficit ſemiplena probatio, ut *L. 3. §. cauſæ, ff. de Carbonar. Edict. & L. 4. §. Sciendum, ff. Ad exhibend.* Ita Bartolus, & in re communis; idque declaratur inductione, per quam ſimul oſtenditur, etiam in propoſito locum habere vulgatum illud: *Nulla regula ſine exceptione.*

62 Sic imprimis teſtis unius depoſitio probat, ejuſque ſtatur atteſtationi, quando nemini nocet, & alteri prodeſt; ut *can. Parvulus, & can. Cùm itaque de Conſecr. diſt. 4.* & notat Gloſſa *in c. Nuper ℣. Niſi juratus de Teſtib:* Maſcardus *de Probat. quæſt. 11. proœm. n. 14.* ubi refert plures ſimiles caſus, in quibus ſufficit atteſtatio unius, de quibus infra *Tit. ſeq. §. 8. n. 254. 258. & ſeq.* dicetur.

63 Deinde, quando Actor intentionem ſuam non plenè probavit, tunc ad probandam innocentiam Rei admittitur præſumptiva, & dubia probatio. Bartolus *in l. Non ſolùm §. Sed ut probari ff. de Novi operis nunciat.* Farinacius *Conſil. 115. n. 7. & Conſil. 172. n. 23. lib. 2.* citans alios, & ſubjungens, quòd totus Mundus ſequitur doctrinam Bartoli. Hinc etiam per præſumptivam probationem, & minus plenam, puta mediante proprio juramento, eliditur præſumptio contumaciæ, *c. Ex litteris*, juncta Gloſſa ℣. *Ad plenum De in integrum reſtitut.* Sicut & ad excuſandam abſentiam peremptoriè citati, admittuntur probationes minùs ſufficientes, ne veritati opinio prævaleat, *c. Cùm Bertholdus 18.* & Gloſſa *ibid.* ℣. *Minùs ſufficientes de Sentent. & re judicat.* Card. Tuſchus *Litt. P. Concl. 794. n. 8.* poſt Geminianum *Conſil. 57. n. 2.*

64 Tertiò, in cauſis ſummariis, ubi agitur de rebus modicis, & quaſi nullius præjudicii, ſufficere ſemiplenam probationem, imò quandoque ſufficere juramentum: tradit Petrus de Ancharano *in Clem. ſæpè n. 24. & 25. de Verb. ſignif.* Maſcardus *de Probat. quæſt. 11. n. 19.* Pirhing *cit. de Teſtib. n. 112.* Barboſa *Axiomat. 150. n. 2.* Georgius Nata *in Repetit. Clem. Sæpè n. 120. de Verb. ſignif.* citans alios; idque probans per *cit. c. Ex litteris & c. Cùm Bertholdus*, juncta *l. Theſaurus ff. Ad exhibendum.*

65 Additur tamen, *ubi agitur de rebus modicis*: utpote quæ minùs ſint in conſideratione. Nam loquendo de cauſis gravioribus, ſeu majoris præjudicii, quòd in Judicio ſummario, aut quando cauſa cuipiam delegatur cum clauſula, ut procedat *ſummariè ac de plano*, non tollantur probationes neceſſariæ, legitimæque defenſiones, patet *ex Clem. ſæpè de Verb. ſignif.* Unde fit, quod plena probatio requiratur etiam in judicio ſummario & extrajudiciali, ubi agitur de irreparabili præjudicio inferendo. Speculator *tit. de Officio omn. Judic. §. ult. n. 18.* & Sperellus *Deciſ. 101. n. 56.* citans alios. Neque poteſt Judex omittere probationes neceſſarias, quia ſunt de Jure Divino. Maranta *cit. part. 4. Speculi Aurei diſt. 9. n. 10.* Barboſa *Clauſul. 176. n. 21.*

66 Quartò fallit allata Regula in Factis antiquis. In his enim, cùm ſint difficilis probationis, atque ob temporum injuriam facilè teſtes moriantur, aut legitima documenta pereant, admittitur probatio per libros antiquos, famam, & quæcunque alia adminicula, *c. Cùm cauſam 13. h. t.* Aymon Cravetta *tom. 17. Tractatuum, tract. de Antiquitate temporum part. 1. §. Viſo de fama n. 30. & 31.* aſſerens, quòd in antiquis probationes leviores, facilioreſque ſufficiant; & ſufficiat quoque probatio per indicia & conjecturas, *l. Cenſus & monumenta*, & quod ibi notatur *ff. de Probat. & l. Qui ex liberis ff. de Bonorum poſſeſſion. ſecundùm tabul. & cit. c. Cùm cauſam h. t. & c. Cùm olim 19.* juncta Gloſſa ℣. *Antiquis de Cenſib.* Quinimò ſubjungit Cravetta poſt Ancharanum *Conſil. ult. in fine 3. dubit*, & alios, quòd in antiquis ſufficiat probatio præſumptiva & adminicularis; item probatio per indicia, & conjecturalis, licèt neceſſario non concludat: dummodò hinc excipiatur materia, in qua lex vel ſtatutum requirit plenam probationem, quia tunc non ſufficeret probatio per indicia & conjecturas; niſi forſan talia forent, ut exinde conſurgeret plena probatio. Concordat Maſcardus *de Probat. Concl. 103. n. 12. & 13.* citans plures alios. Menochius *de Arbitrar. Judic. caſu 115. num. 1.* aſſerens, receptiſſimam eſſe ſententiam, in factis antiquis plenam illam & exactam probationem, quam in novis exigimus, non requiri. Farinacius *Conſil. 189. n. 1. & 3. l. 2.* poſt Rotam *Deciſ. 187. n. 6 part. 1. diverſ.* & alios, docens, quòd in antiquis admittatur probatio, quamvis non plena ſed ex indiciis, præſumptionibus, & conjecturis collecta.

67 Quintò, ubi probationes directæ haberi non poſſunt, tunc id, quod per circumſtantias & præſumptiones probatur, verum eſſe cenſetur; ut filiatio, *l. Filium ff. De his qui ſui vel alieni juris &c.* Felinus *c. In præſentia n. 15. h. t.* Fagnanus *c. Ego N. n. 16 de Jurejurand.* Sperellus *Deciſ. 27. n. 55.* poſt Bellameram *Deciſ. 188. n. 24.* & alios. Et generaliter, quòd probatio admittatur alias non integra, ubi facultas probandi deeſt, tenet Abbas *in c. Cùm in tua n. 7. de Sponſalib.* id probans per textum *in c. Cùm dilectus 32.* juncta Gloſſa ℣. *Et ſi tres de Election. & c. Præterea 27 de Teſtibus.*

68 Tandem, ut nonnulla alia taceantur, ubi Judici cauſa dijudicanda committitur ſub clauſula, ut procedat

dat

*dat ſola juſti veritate inſpecta*, poteſt is admittere probationes leviores, ſeu perſuaſivas ſolùm, & non concludentes. Barboſa *Clauſul. 173. n. 15.* Menochius *de Arbitrar. Judic. lib. 1. q. 24. n. 4.* iſtud extendens ad Arbitratores, qui pariter poſſunt credere levioribus probationibus, cùm ſola veritate inſpecta pronunciare debeant.

69 Quæritur III. Utrùm, qui intentionem ſuam plenè probavit poſſit compelli, uti idipſum præſtito inſuper juramento confirmet? Reſp. Negativè; adeò, ut etiam conſuetudo contraria non valeat. Textus eſt *in cap. 2. h. t.* ubi Abbas *in Summario*. Barboſa *n. 1. & 2.* & communis. Accedit ratio: quia ſuperfluis remediis, maximè in præjudicium alterius non eſt utendum, *l. Hæc ſtipulatio §. Divus ff. Ut legatorum nomin. caveat*; ſed ſuperflua eſt exactio, & præſtatio juramenti, quando quis intentionem ſuam jam plenè probavit utputa per duos teſtes omni exceptione majores, vel per inſtrumentum indubitatum; quia *cum, qui certus eſt, certiorari ulteriùs non oportet*, ut loquitur *reg. 31. juris in 6.*

70 Nec obſtat contraria conſuetudo, etiam immemorialis. Siquidem hujuſmodi conſuetudo eſt irrationabilis, ſicque nullo unquam tempore poteſt induci: nam juramentum, ſi fiat abſque ulla neceſſitate, ſeu juſta cauſa, illicitum eſt, nec ſine peccato fieri poteſt, *c. Et ſi Chriſtus 26 de Jurejurand.* Ex quo fit, quòd juramentum ſuppletorium tunc demum ſit deferendum, cùm aliæ legitimæ probationes deficiunt, *cit. cap. 2. h. t. & l. In bonæ fidei. C. de Jurejurand.* cum concordantiis. Dummodò tamen ſemiplenè ſit probatum: alias enim non defertur juramentum ſuppletorium, *c. Ex inſinuatione*, ubi Gloſſa V. *Clerici de Procurat. & cap. ult. de Jurejurand.* Fagnanus *in c. Sicut n. 5. h. t.* allegans alios.

71 Quæritur IV. Qualis probatiò ſingularum rerum, atque negotiorum in ſpecie, fieri poſſit, ac debeat? Reſp. I. Per Litteras Judicis ordinarii probatur quis eſſe excommunicatus. Ita habetur expreſſum *c. Poſt ceſſionem 7. h. t.* ubi idcircò Pontifex quempiam dixit non admittendum ad officium procurationis: quia inquit, Litteris Ordinarii *ſtandum eſt, donec probetur contrarium*. Atque hoc ipſum eſt dicendum de ſimilibus.

72 Reſp. II. Qualis probatio cæterarum rerum, atque cauſarum, in ſpecie ſit facienda, ſuperfluum videtur hoc loco examinare. Frequens quippe hoc recurrit mentio in propriis locis: prout de probatione Confinium jam dictum eſt ſuprà *Tit. 12. De cauſa poſſeſſionis, & proprietatis §. 7. n. 223. & ſeqq.* & de probatione virginitatis proximè dicetur *n. 86. & ſeqq.* ut alia taceantur. Interim videre licet Joſephum Maſcardum, celeberrimum illum Juris Conſultum, & Protho-Notarium Apoſtolicum, qui integris quatuor Voluminibus, *de Probationibus* inſcriptis, ac ſæpiùs in progreſſu citandis, probationem ſingularum rerum, atque cauſarum in ſpecie, ordine alphabetico fuſiſſimè, pleneque diſcuſſit.

## §. IV.

## De Prævalentia Probationum inter ſe, harumque efficacia.

*S U M M A R I U M.*

73 *Quænam probatio in concurſu plurium prævaleat? Et n. ſeqq.*
*Probationes quandoque fiunt ab utraque parte. Ibid.*
74 *Si non ſint contrariæ, tunc ſe invicem non enervant.*
75 *Probationes contrariæ, quæ?*
76 *Ex probationibus contrariis fortior prævalet, & minor habetur pro non facta.*
77 *Probatio clara vincit præſumptivam.*
78 *Et plenior abſorbet, ſeu vincit contrariam minùs plenam.*
79 *Ac ubi probationes omnino ſunt æquales, tunc quælibet probatio levis, etiam minùs legitima, quæ ſuperadditur uni parti, facit prævalere probationem iſtius partis.*
80 *Data omnimoda æqualitate probationum hinc inde ſtantium, tunc probationes contrariæ invicem conquaſſantur. Et n. ſeqq.*
81 *Quid ſi duo Arbitri, vel duo Judices Delegati, dederunt contrarias ſententias?*
*Vel idem Legatum factum fuit Sempronio, & duo ſint Sempronii ejuſdem qualitatis? Ibid?*
82 *In æqualitate probationum favetur reo, ſeu poſſeſſori.*
83 *Exceptis cauſis favorabilibus, & quæ ſint iſtæ?*
84 *Probatio per rei veritatem, prævalet probationi per præſumptiones & conjecturas.*
85 *Sic probatio per duos teſtes, præfertur communi opinioni Viciniæ, ac uni teſti cum fama.*
86 *Et probatio per aſpectum, præfertur atteſtationi juratæ in contrarium. Et n. ſeqq.*
87 & 88 *Virginitas, qualiter probetur? Et n. 86.*
89 *Juramento alicujus non creditur, ſi legitimè probetur contrarium.*
90 *Ad impugnandum inſtrumenta non admittitur probatio præſumptiva.*
91 *Probatio per evidentiam facti, ſeu aſpectum ocularem, eſt omnium optima.*
92 *Et hæc nunquam cenſetur excluſa, etiamſi Statuto caveatur, non admittendam probationem in contrarium.*
93 *Idem dicendum de exceptionibus ex inſpectione inſtrumenti &c.*
94 *In pari cauſa prævalet probatio, quæ eſt favorabilior.*
95 *Vel cui Lex aſſiſtit.*
96 *Probationes in ſpecie, ſemper prævalent probationibus in genere.*
97 *Ex probationibus per teſtes, quæ cenſeatur melior?*
98 *An duæ ſemiplenæ probationes faciant unam plenam Et n. ſeqq.*
*Aſſertur ratio dubitandi, ac negativam tenendi. Ibid.*
99 *Sententia affirmativa ſtatuitur.*
100 *Dummodò duæ illæ probationes ſemiplenæ tendant ad eundem finem.*
101 *Alias ſecùs.*
102 *Solvuntur rationes dubitandi.*
103 *Verba narrativa, & enunciativa, quæ?*
104 *Verba narrativa Papæ, proprium factum narrantis plene probant, ſi ſuper illis intentio ejus fundetur.*
105 *An contra hæc admittatur probatio in contrarium? Et n. præced.*
106 *Iſta procedunt tam in materia favorabili quam odioſa.*
107 *Quid, ſi intentio Papæ fundetur ſuper facto alieno à ſe narrato?*
108 *Quando intentio Papæ ſuper eis non fundatur, tunc verba narrativa Litterarum Apoſtolicarum nihil probante. Et n. ſeqq.*
109 *Papa excommunicatum litteris ſalutans, non per hoc cenſetur eum abſolvere.*
*Etiamſi ſcienter excommunicato ſit participet, niſi aliud exprimat. Ibid.*
110 *Papa in Reſcripto Eccleſiam exemptam appellante, non idcircò hujus exemptio eſt probata.*
111 *Et ſi quempiam ſub titulo cujuslibet Dignitatis nominet &c. non per hoc in Dignitate illa ipſum approbare intelligitur.*
112 *Præmiſſa procedunt etiam in Imperatore, Rege, et Principe ſuperiorem non recognoſcente.*

Quæritur I. Quænam Probatio in concurſu plurium prævaleat? Ubi prænotandum, non rarò contingere, quòd ex utraque parte, tam Actoris videlicet, quam Rei, quædam afferantur probationes: unde ad dignoſcendum, quænam earum prævaleant, oportet quaſdam generaliores tradere regulas, juxta quas Judex, cujus arbitrio prævalentia probationum plurimùm relinquitur diſcernenda, juxta dicta *n. 60.* in cauſis particularibus rectè arbitrari, & probè judicare valeat. Et quidem ſuppoſitis illis, quæ ſuperiùs *Tit. 12. De Cauſa poſſeſſionis & proprietatis §. 7. n. 223. & ſeqq.* jam dicta fuerunt de Probationibus in Judicio communi, ac Interdicto retinendæ poſſeſſionis, ex utraque parte faciendis, & quænam earum obtineat. 73

Reſp. I. Quando probationes non ſunt contrariæ & incompatibiles, ſed poſſunt commoda aliqua diſtinctione inter ſe conciliari, tunc ſe invicem non enervant, ſed quælibet retinet ſuam vim. Ita Fagnanus *in c. Quod nobis n. 13.* 74



*n. 13. & 17 de Deſponſ. impuber* poſt Baldum *conſ. 380. Tres ſunt caſus n. 2 & 3. lib. 5.* Idque deſumitur *ex Clem. 2.* juncta Gl. V. *Directè contrariis de Teſtib.* Alioquin enim, ſi probationes non ſint directè contrariæ, ſed poſſint invicem ſtare, ſicut expedit jura juribus concordare, atque eorum correctiones (ſi ſuſtineri valeant) evitare, *cap. cum expediat 29 de elect. in 6.* etiam eorum apparentem contrarietatem reducendo ad concordiam per diviſionem actuum *arg. c. Litteras 13. § Nos autem de reſt. ſpol.* ac notat Gloſſa marginalis *in cit. cap. Cum expediat*. Ita pariter dicendum eſt de probationibus directè non contrariis, ſeu quandam inter ſe conciliationem patientibus: uti fit *in cap. cum tu filii 16. de Teſtib.* ubi dicta teſtium, ne perjurii reatu notentur benigna interpretatione, ac diſtinguendo de diverſis temporibus, ad concordiam revocantur.

75 Ubi notandum, quod illæ *Probationes* dicantur *contra*, quæ ita invicem ſunt oppoſitæ, & incompatibiles, ut nulla ratione conciliari poſſint; putà, quia ſunt ſuper articulis directè contrariis, de iiſdem perſonis & actibus, ac eodem inſtanti temporis. Gloſſa *in cit. Clem. V. Directè contrariis de Teſt.* id exemplificans de majoritate, de legitimitate & illegitimitate, de abſentia & præſentia ejuſdem perſonæ, ac pro eodem tempore. Fagnanus, *ubi ſupra*, & alii. Et de talibus probationibus contrariis impoſterum erit ſermo: quo prænotato

76 Reſp. II. Generatim loquendo, ex probationibus contrariis fortior ſeu efficacior prævalere debet, & minor habetur pro non facta. Ita Card. Tuſchus *Litt. P. Concl. 798 n. 4.* Fagnanus *in c. Quod nobis n. 15. de Clandeſtin. deſponſ.* Maſchard. *de probation. Concl. 1200. n. 63.* Menochius *de retinenda poſſeſſione, Remed. 3. num. 718.* citans alios. Ratio eſt: quia hæc eſt natura contrariorum, ut ſe mutuò expellant, *Clem. Gratiæ. de reſcript. & l. Sed & ſi pupillus* juncta Gloſſa V. *Si inſtitoria ff. de Inſtitor. action.* Et vincat, quod potentius eſt, *l. Generaliter ff. de Fidejuſſorib.* cum ſimilibus. Unde conſequens eſt, quod probationes meliores atque efficaciores ita obſcurent, atque debilitent minùs efficaces, ut iſtæ minùs veræ credantur, ſicque obtineat is, qui meliùs probat, *l. Ob carmen §. fin. ff. de Teſtib.*

77 Infertur proinde, quod probatio clara vincat probationem præſumptivam. Quia, ut habetur *l. Imperatores ff. de probation.* eſtque receptum inter Doctores, *præſumptio cedit veritati*: ac proinde, ubi per probationem plenam ſeu claram apparet veritas, conjecturis, ac præſumptioni locus non eſt. Card. Tuſchus *cit. Litt. P. concl. 612. n. 1. & ſeqq.* allegans alios; idque ulterius probans *ex l. In rebus C. de jure dotium.* Atque iſtud ampliatur ad probationem præſumptivam; quæ cæteroquin de ſe ſufficeret: nam in concurſu cum plena probatione prævalet plena, & præſumptiva non attenditur. Geminianus *Conſil. 27. Super dubio, n. 1. & 11* addens, quod plena probatio abſorbeat ſemiplenam. Card. Tuſchus *Lit. P. Concl. 798.* allegans alios.

78 Infertur ulterius, quod probatio plenior abſorbeat, ſeu vincat contrariam minùs plenam; prout deſumitur *ex c. cum Eccleſia 3. §. Partibus de cauſa poſſeſſ.* ibi: *Pleniùs probaviſſent*: juncto *c. Licèt cauſam 9. §. fin. h. t.* ibi: *cum probationes Eccleſiæ longè ſint potiores*: Gloſſa *c. In noſtra V. mentionem de procurat.* Fagnanus *in c. Ne innitaris num. 281. de conſt. & d. c. Cum Eccleſia n. 15. de cauſ. poſſeſſ.* poſt Bartolum *in l. Si duorum. 4. ff. Uti poſſidetis* Rotam *Dec. 366. n. 4. p. 5 rec. &* alios. Sic prævalet probatio, quæ majori numero teſtium ejuſdem honeſtatis, & exiſtimationis exiſtentium, eſt munita, *text. clar. cap. In noſtra 32 teſtib.* Sicut & duæ rationes cæteris paribus vincunt unam *arg. l. Nam & his*, ibi communiter Doctores *ff. de Inoffic. teſt. teſtament.* Gloſſa *cap. cum inter R. 16. V. Epiſcopus unus de electiòn.* Fagnanus *cit. c. Ne innitaris n. 283.* allegans alios.

79 Quinimo ubi probationes ex utraque parte ſunt æquales, & omnino pares, tunc quælibet probatio levis, etiam minùs legitima, quæ ſuperadditur uni parti, facit prævalere probationem iſtius partis. Alexander *Conſ. 136. nu. 4. vol. 6.* citans Baldum poſt Gloſſam *in c. 1. § Si duo de Pace tenenda*. Atque iſtud ampliatur ad informationem unius ſolius teſtis non legitimè recepti, & non jurati; ita quod, ubi probationes ſunt hinc inde pares, teſtis unius dictum extra judicium faciat præponderare. Alexander *Conſ. 112. n. 8. lib. 4.* Idemque dicendum de qualibet præſumptione, vel adminiculo, quod data cæteroquin omnimoda paritate probationum, facit unam partem prævalere. Fagnanus *c. c. Ne innitaris n. 449. de conſtit.* Card. Tuſchus *Litt. P. concl. 798. n. 17.* Maſchardus *de prob. concl. 1200. n. 22.* citans complures alios. Ratio eſt: quia, ubi cæteroquin paria ſunt probationum momenta, tunc paritas illa reducitur ad imparitatem per quodlibet additum alteri extremo, ac proinde iſtud prævalere debet.

Reſp. III. Data omnimoda æqualitate probationum hinc inde ſtantium, tunc probationes contrariæ invicem conquaſſantur. Ita Gloſſa *in c. Licet cauſam. V. uti poſſidetis h. t.* quam ſequitur & communiter eſſe approbatam teſtatur Fagnanus *ib. d. c. Ne innitaris nu. 180. de conſt.* citans inſuper Felinum, & Decium *c. In præſentia nu. 12. h. t.* & Seraphinum *dec. 619. n. 3 & 9.* Idque meritò: nam ſtante omnimoda æqualitate probationum, non eſt major ratio cur hiſce potius ſtetur, quam aliis; ergo invicem conquaſſantur. 80

Confirmatur, & probatur idipſum à ſimili. Sic quippe, ubi duo Arbitri contrarias dederunt ſententias, neutra harum valet, *c. ult. § fin. tit. de ſent. & re judic.* Similiter ubi duo Judices Delegati diverſas dederunt ſententias, manet utraque ſententia in ſuſpenſo, donec per Delegantem altera earum fuerit approbata, *c. c. ult. & l. Duo Judices ff. de re jud.* Item, ſi quid legatum fuit Sempronio amico, & duo ſint Sempronii æqua charitate conjuncti, nec appareat aliunde, cui ipſorum Teſtator relinquere voluerit; tunc legatum præ omnimoda ambiguitate, atque incertitudine vitiatur, & neutri debetur, *l. ſi ita fuerit legatum ff. de rebus dubiis*; ubi nonnulla alia talia exempla referuntur. 81

Itaque in dicto caſu æqualitatis probationum contrariarum, quæ hoc ipſo ad invicem conquaſſantur, favetur reo, juxta *Reg. 11. juris in 6.* Seu poſſeſſori, *c. in pari delicto 55. de reg. jur. in 6* cum concordantiis. Vel, ſi uterque ſe poſſidere contendat (prout accidit in Judiciis communibus) nec appareat, quis primò ad judicium provocaverit: tunc in cauſis Beneficialibus neuter litigantium obtinebit; in profanis autem pronunciatur ſecundum formam interdicti, *uti poſſidetis, ita poſſideatis*: prout uberius jam dictum eſt ſuprà *Tit. 12. De cauſa poſſeſſionis & proprietatis §. 7. n. 239. & ſeqq.* 82

Excipiuntur tamen hinc Cauſæ favorabiles: quales ſunt quatuor, videlicet pro Matrimonio, Libertate, Dote, ſeu Teſtamento, *c. ult. de ſent. & re jud.* Nam data omnimoda paritate, ſeu æqualitate probationum, pro cauſa favorabili ferenda eſt ſententia, *cit. c. ult. & c. Ex litteris 3. de prob.* eſtque jam dictum ſuprà *eod. tit. 12. de cauſa poſſeſſionis &c. §. 4. nu. 46.* 83

Quæritur II. Quænam inter plures probationes ſit cenſenda fortior, ſeu efficacior? Reſp. I. Probatio per rei veritatem ſemper prævalet probationi, quæ fit per præſumptiones & conjecturas. Ita Abbas *in c. per tuas n. 2. & 3.* & Fagnanus *ib. n. 10. Qui filii ſint legit.* Card. Tuſchus *Litt. P. Concl. 798. n. 1.* & alii. Idque deſumitur *ex c. c. per tuas*: ubi Pontifex inquit, quod *plus eſt, quod in veritate agitur quam quod ſimulatè concipitur.* Idipſum habetur *L. 1. & ſeq. C. plus valere quod &c.* ſimulq; probatur Concl. inductione. 84

Sic imprimis probatio per duos teſtes conteſtes, præfertur communi opinioni Viciniæ. Nam ex dictis teſtium, utpote deponentium de iis, quæ proprio ſenſu perceperunt, colligitur vera probatio; non ſic ex opinione Viciniæ. Abbas *c. c. per tuas nu. 2. Qui filii ſint leg.* Deinde probatio per duos teſtes conformes de viſu, præfertur probationi per unum teſtem de viſu cum fama. Socinus *Conſ. 270. lib. 2.* Card. Tuſchus *cit. concl. 798. n. 2.* 85

Ulterius probatio per aſpectum corporis, præfertur probationi per atteſtationem juratam in contrarium. Ita deſumitur *ex c. propoſuiſti 4 h. t.* ubi Gloſſa V. *Puellæ*. Abbas *nu. 1.* & Barboſa *nu. 3.* citans plurimos alios. Nam mota quæſtione ſuper valore matrimonii; cum mulier propoſuiſſet, ſe non fuiſſe à viro cognitam, nec potuiſſe cognoſci, idque tam proprio juramento, quam teſtimonio ſeptem mulierum, quæ corpus ejus inſpexerant, probaviſſet, vir autem per juramentum ſuum contrarium aſſeruiſſet: declarat Pontifex, quod juramento mulieris, & teſtimonio aliarum matronarum eam inſpicientium, ac de virginitate ejus deponentium, fides potius ſit adhibenda. 86

87 Nec obſtat *can. Si quis acceperit 33. q. 1. & c. Continebatur 6. de Deſponſ. impub.* ubi habetur expreſſum, quod ſi vir dicit ſe cognoviſſe uxorem, & iſta negat, ſtandum ſit juramento viri. Reſp. enim cum Gl. *in c. c. Continebatur ℣. viri ſtandum*, iſthæc Jura procedere, quando mulier non probat ſe virginem per aſpectum corporis: aliàs ſecus, ut *c. c. propoſuiſti h. t.*

88 Per hoc tamen non negatur, quin in tali caſu poſſit probari teſtimonium matronarum, per quas probabatur virginitas: *quia ſæpè manus fallit, & oculus obſtetricum*, ut inquit Pontifex *in c. cauſam matrimonii 14. h. t.* Veruntamen talis reprobatio debet tunc fieri per novam inſpectionem ocularem aliarum honeſtarum, providarum & prudentum matronarum; non autem per merum juramentum viri, prout contingit *in c. c. cauſam matrimonii h. t.*

89 Inſuper non creditur juramento alicuius, ſi ex adverſo legitimè probatur contrarium. Abbas *in c. propoſuiſti n. 1.* & Barboſa *ib. n. 3. h. t.* allegans alios. Atque iſtud procedit, etiamſi Lex, ſive Statutum aliquod diſponat, in tali cauſa ſtandum eſt teſtimonio, ſive juramento alicuius putà publici Officialis: quia lex illa intelligi debet locum habere, niſi ex adverſo legitimè probetur contrarium; ut *d. c. propoſuiſti, h. t.* Accedit ratio: quia probatio per juramentum, eſt ſolum præſumptiva; unde debet credere, ſi ex adverſo afferatur probatio integra per rei veritatem.

90 Rurſus ad impugnandum Inſtrumentum non admittitur probatio præſumptiva. Gl. *in l. Juris gentium §. quod fere ℣. contrarium probetur ff. de pactis.* Ubi Baldus in Gloſſa marginali relatus notanter addit, quod falſitas Inſtrumenti non probatur, niſi de neceſſitate, & concludenter probetur. Idipſum tenet Fagnanus *in c. per tuas n. 11. Qui filii ſint legit.* citans inſuper Decium *conſ. 36. n. 4.* & Rotam *dec. 106. n. 4. p. 2. recent.*

91 Reſp. II. Probatio, quæ fit per evidentiam facti, ſeu aſpectum ocularem, eſt omnium optima, & cæteris validior: Ita Gl. *in c. ad noſtram 21. ℣. requirit de Jurejurand.* Jaſon *l. de perjurio n. 3. de in litem jurand.* aſſerens, regulam eſſe, quod probatio per evidentiam rei, ſeu per inſpectionem ocularem, nunquam intelligatur excluſa: quia eſt fortior probatio de Mundo: ut fuit dictum ſingulare d. Azor. *in Summa tit. C. ad Legem Aquil.* quod ſequitur Baldus *in rubr. c. de prob.* Maſcardus *q. 8. n. 1. & ſeqq.* allegans alios; & concordant dicenda inferius *n. 166.* Ratio eſt quia nulla alia de cauſa probationes in Jure requiruntur, niſi ut veritas in apertum deducatur, & ipſi Judici nota fiat; atqui hoc vel maximè fit per facti evidentiam, & inſpectionem ocularem; ergo. Hinc *c. Evidentia 9. de accuſat.* dicitur: *Evidentia patrati ſceleris non indiget clamore accuſatoris.* Concordat *c. ult. de cohabit. Cler. & c. cum olim 24. de Verb. ſignif.* ubi illud dicitur manifeſtum, ſeu notorium, de quo conſtat *per ſententiam* (diffinitivam) *ſeu per confeſſionem factam in jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiverſatione aliqua celari non poſſit.*

92 Infertur proinde, quod probatio per evidentiam facti ſeu inſpectionem ocularem, nunquam cenſeatur excluſa, etiamſi Statuto caveretur, ne in contrarium probatio vel exceptio admittatur. Sic, quamvis probata violentia per teſtes, res amiſſæ probentur per juramentum damni paſſi, *l. Si quando C. unde vi, & c. ult. De iis quæ vi metuſve cauſa &c.* Si tamen reus per evidentiam rei probare velit damnum à ſe illatum non eſſe tantum (ut puta oſtendendo, quod res illæ, quæ jurato dicebantur ablatæ adhuc exiſtant penes damnificatum) admittenda erit dicta probatio per rei evidentiam: haud obſtante Statuto ſpeciali, quo expreſſè cautum fuerat, ne in contrarium probatio admittatur. Maſcardus *cit. q. 8. num. 6.* poſt Tiraquellum *in tract. de retract. §. 4. gl. 2. num. 13. & ſeq.* & alios.

93 Inſuper, licet à Statuto rejectæ ſint omnes exceptiones, illæ tamen opponi poterunt, quæ ex inſpectione inſtrumenti vel contractus, aut ſententiæ, ſive alterius actus apparere poſſunt. Tiraquellus *loc. cit. n. 38* Maſcardus *ubi ſupra n. 18.* allegans alios, ac *n. ſeqq.* iſtud amplians ad teſtamentum: nam etſi regulariter pro teſtamento præſumatur, fallit tamen hoc, quando ex ejus inſpectione conſtat de aliquo vitio, utputà de minore numero, aut defectu ſubſcriptionis teſtium.

94 Reſp. III. In cauſa prævalet illa probatio, quæ eſt favorabilior. Ita Romanus *conſ. 241. n. 3. & ſeqq.* quem citat & ſequitur Card. Tuſchus *Litt. P. concl. 798. n. 24. & ſeqq.* iſtud exemplificans in pari probatione, quarum una eſt pro delicto, altera excluſiva delicti: prævalet enim iſta, quæ eſt excluſiva delicti. Siquidem *promptiora ſunt jura ad abſolvendum, quàm ad condemnandum*, ut dicitur *c. Ex litteris h. t.* juncta *reg. 11 Juris in 6.* cum ſimilibus. Concordat *c. Ex litteris 3. h. t. & c. ult. de Sent. & re judic.* ubi ſtantibus æqualibus hinc inde probationibus judicandum dicitur pro cauſa liberali, ſeu favorabili.

Reſp. IV. Cæteris paribus efficacior eſt illa probatio, 95
cui Lex aſſiſtit, quam ſit illa, cui Lex reſiſtit. Ita Baldus *in c. Si diligenti n. 21. de præſcr.* juncto textu *ibid.* Card. Tuſchus *Litt. P. Concl. 798. n. 20.* Menochius *de retinenda poſſeſſione, Remed. 3. n. 721.* Jaſon *in l. Naturaliter §. Nihil commune n. 40. ff. de Acquirend. poſſeſ.* Nec immeritò: Nam ille, cui favet Jus commune, habet inſuper juris adminiculum: ac proin cæteris paribus vincere debet. Accedit, quod illæ probationes cenſeantur meliores, *quibus potius lux veritatis aſſiſtit*, prout dicitur *in l. Ob carmen §. fin. ff. de Teſt.* Atqui cæteris paribus lux veritatis potius aſſiſtit illi, cui Lex aſſiſtit, quam cui ea reſiſtit; ergo.

Reſp. V. Probationes in ſpecie ſemper prævalent pro- 96
bationibus in genere. Ita Alexander *conſil. 77. n. 6. lib. 1.* citans Innocentium *in c. Auditis de præſcript.* & iſtud declarans in eo, quem plures affirmarunt eſſe bonæ famæ, duo autem conteſtabantur eſſe reum criminis falſi, nam illorum probationes ſunt in genere, horum in ſpecie, & ſic prævaleant. Idipſum repetit *conſ. 158. n. 3. & 5. lib. 2.* eumque ſequitur Card. Tuſchus *Lit. P. concl. 798. n. 9. & ſeqq. & n. 22.* citans alios, iſtudque exemplificans in duobus teſtibus deponentibus de fructibus, & quantitate ipſorum in ſpecie quoad tempus, & annum, de quo agitur: nam iſtis (inquit) magis ſtatur, quam pluribus, vel mille deponentibus in genere pro aliis annis. Deſumitur autem iſtud ex reg. 34. Juris in 6 *Generi per ſpeciem derogatur*, cum concordantiis.

Tacentur plura ſimilia: nam quæ probationes cæteris 97
ſint meliores, atque efficaciores, longum foret recenſere, atque de nonnullis earum commodiùs agetur in propriis locis. Breviter tamen loquendo de Probationibus per teſtes, jam dictum eſt ſupra *Tit. 12. de cauſa poſſeſſionis & proprietatis §. 7. n. 222. & ſeq.* quod illa cæteris paribus cenſeatur probatio melior, atque efficacior, quæ fit per teſtes plures, ſimulque honeſtiores, ac magis veriſimilia deponentes; ut *c. Licèt cauſam 9. h. t. & cap. In noſtra 22. de Teſtib.* cum ſimilibus. Quamquam hoc ipſum, ſeu quinam teſtes ſint honeſtiores, ac carentes omni ſiniſtra ſuſpicione, ſimulque magis veriſimilia deponentes, Judicis arbitrio relinquatur diſcernendum, *l. Teſtium fides & leg. ob carmen ff. de Teſtib.* eſtque jam dictum ſuperiùs *num. 60.*

Quæritur III. Utrùm duæ ſemiplenæ probationes fa- 98
ciant unam plenam? Ratio dubitandi, & negativam tenendi, eſt: quia duo teſtes ſingulares non probant, *c. cum dilectus 32. de elect. & c. Licet cauſam h. t.* & tamen quilibet eorum facit ſemiplenam probationem. Accedit, quod duo imperfecta non conſtituant unum perfectum, *arg. can. Quorundam diſt. 23.* juncta Gl. *℣. impoſuiſſe.* Verum his non obſtantibus

Reſp. I. Duæ ſemiplenæ probationes poſſunt jungi, & 99
facere unam plenam probationem, dummodo tendat ad eundem finem. Ita Abbas *in c. cum cauſam n. 2. h. t.* Bartolus *in l. Admonendi §. His præmiſſis quæro ff. de Jurejur.* Ant. Burgos *in repet. c. cum deceſſiſſent n. 71. de Conſt.* Card. Tuſchus *Litt. P. concl. 796. n. 20.* Maſcardus *de prob. Concl. 154. num 3.* Pirhing. *h. t. num. 3.* & alii. Idque deſumitur ex *c. cap. cum cauſam 13. h. t.* ubi Pontifex ad plenè probandos fines Diœceſium, inquit: *Mandamus, quatenus ſecundum diviſiones, quæ per libros antiquos, vel alio modo melius probabuntur, necnon & teſtes, famam, & quæcunque alia adminicula in negotio procedatis.* Ubi Gloſſa *fin.* inde concludit: *Adminicula ergo, etſi per ſe non probant, tamen adjuvant, cap. Per tuas 32. de Simonia &c. Et ſic eſt argumentum, quod quæ non proſunt ſingula, multa juvant.* Concordat textus *in l. Inſtrumenta C. de probation.* ibi: *Si non aliis quoque adminiculis adjuventur, ad probationem ſola non ſufficiunt:* juncta *L. 2. §. Ætas ff. de Excuſat. tuter.* & Gl. *ibid. verſ. Legitimis*, quæ ait, quod *duæ præſumptiones etiam probationem plenam faciunt cum aliis indiciis.*

Acce-



Accedit ratio; quia per plenam probationem intelligitur ea, quæ tantam fidem facit, quanta ſufficit ad definiendas controverſias: atqui tantam fidem faciunt plures ſemiplenæ probationes ad eundem finem tendentes, per Jura proximè allegata; ergo:

100 Additur notanter, *ad eundem finem tendentes.* Quia tunc ſolummodò duæ ſemiplenæ probationes poſſunt conjungi, ad faciendam unam plenam probationem, quando tendunt ad eundem finem: ſive dein ſint ejuſdem generis, ut duo teſtes conteſtes, de quibus non eſt dubium, quin faciant plenam probationem: ſive diverſi generis, ut putà, unus teſtis, & confeſſio facta abſente parte; ut eſt caſus *in c. cum dilectus 3. de Succeſſionib. ab inteſt.* Item unus teſtis, & fama publica, *arg. c. 1. de appell.* ac notat Abbas, & Bartolus, *ubi ſuprà.* Aliud hujus exemplum habetur *in c. accedens 4. ut lite non conteſtata &c. & cap. Illud quoque 11. de præſumpt.* ubi ex pluribus conjecturis; ſeu ſemiplenis probationibus ad eundem finem tendentibus, una plena probatio conſtituitur, movens Pontificem ad deciſionem cauſæ tunc agitatæ.

101 Secùs eſt, quando duæ ſemiplenæ tendunt ad diverſos fines: nam tunc non poſſunt jungi ſimul ad faciendam unam plenam, hoc ipſo, quod non probent circa idem, ſed ſolùm circa adverſa. Atque ita accidit in teſtibus ſingularibus, quales ſunt illi, qui teſtantur ſuper diverſis factis: nam quia tales ſunt in ſuis teſtimoniis ſingulares, & non niſi diverſa probant, nunquam poſſunt facere unam plenam probationem; per jura in ratione dubitandi allegata, juncto *can. Nihilominus 3. q. 9.* & Gloſſa *fin. ib.* Simile quid habetur *in L. un. C. quid numero tutelar.* ubi pariter dicitur quod *imperfectæ diverſæ ſpecies, licet permiſtæ, non proficiant*, ſeu non juvent ad faciendam unam perfectam excuſationem Tutorum.

102 Atque per hoc patet ad rationes dubitandi *n. 98.* allatas. Quamquam *ad can. Quorundam diſt. 23.* ſpecialiter dici poſſit, quod ibi ſermo ſit de Sacramentis, quæ non conficiuntur uno adhibente materiam, & altero formam; prout innuit textus ibidem.

103 Quæritur IV. Quam vim probandi habeant verba narrativa Litterarum Apoſtolicarum? ubi prænotandum, quod per *Verba narrativa* dicamur loqui, quando narramus factum aliquod, v. g. quod ſit infamatus: prout accidit, ſi Papa dicat, *multorum clamor ad nos pervenit, quod talis &c.* referendo factum illud. At vero per *Verba enunciativa* dicimur loqui, quando loquimur hoc modo: *Quia conſtat nobis, talem eſſe infamatum &c.* Abbas *c. Cum oporteat n. 7. de Accuſation.* Maſchardus *de prob. concl. 622. n. 1. & concl. 754. n. 35.* poſt Petrum Duennas *reg. 229. Limit. 18.* & alios. Quo prænotato

104 Reſp. I. Verba narrativa Litterarum Apoſtolicarum, quibus Papa proprium factum narrat, plenè probant, ſi ſuper illis gratia, vel intentio Papæ fundetur. Ita textus expreſſus *in Clem. un. h. t.* juncto Summario, Gl. *℣. Litteris*, & DD. *ib.* Atque adeò hoc procedit, ut aſſertio Summi Pontificis, atteſtantis de facto ſuo proprio, faciat fidem pleniſſimam, ita ut nec probatio in contrarium admittatur, prout deſumitur ex verbis *cit. Clem. un. h. t.* ibi: *Cenſemus ſuper ſic narratis fidem plenariam adhibendam:* & notat Gl. *ib. ℣. Feciſſe narramus*, & Abbas *n. 3.* & Barboſa *in collectan. n. 3.* & Maſchardus *de probation. Concl. 139. num. 1.* citans alios.

105 Intelligit tamen iſtud in tantum, quod contra aſſertionem Papæ de facto proprio atteſtantis, eique inhærentis, non admittatur directè probatio in contrarium; hoc eſt, talis, quæ perimat narrationem Papæ, ſeu ipſam falſam oſtendat: poteſt enim bene aliquid probari indirectè in contrarium, hoc eſt tale, quod ſtante narratione Pontificia debilitat vires ejus, & gratiæ deſuper fundatæ; prout notat Gl. *cit. ℣. Feciſſe narramus* & Maſchardus *d. Concl. 139. n. 18.* allegans alios & Pirhing. *h. t. n. 62.* Atque hoc ſolet declarari exemplo perquam apto, & à Gl. *loc. cit.* relato. Nam ſi Papa in reſcripto narret, quod renunciatio v. g. Beneficii in manibus ſuis facta fuerit, & per ipſum acceptata, ſicque illud conferat, vel conferri mandet alteri, factum iſtud directè non patitur probationem in contrarium; poteſt tamen indirectè impugnari, probando videlicet, quod tempore factæ per alterum reſignationis in manus Pontificias, beneficium illud ad me ſpectaverit, non verò ad renunciantem; ſicque reſignatio illa non tenuerit. Et idem dicendum de ſimilibus, quæ narrationem Papæ directè non perimunt, ſeu (quod abſit) non arguant falſitatis, licet aliunde exhauriant vires ejus, ac gratiæ in ipſa fundatæ; prout amplius exemplificant Doctores proximè relati, una cum aliis, quos citant.

Cæterùm data Concluſio ſic declarata, procedit non 106
ſolùm in favorabilibus, & gratioſis; putà, ſi Papa narraverit, ſe reſignationem beneficii alicujus recepiſſe, vel quempiam fuiſſe ſuum Cappellanum, ac hujuſmodi: ſed etiam in pœnalibus, ac odioſis; ut ſi Papa in Litteris narret, ſe quempiam excommunicaſſe, vel ſuſpendiſſe. Sufficit enim, quod ſuper his narratis intentio Papæ fundetur: ut quia mandat Beneficium ſibi reſignatum cuipiam conferri; vel quia jubet contumacem citari, moneri, privari, vel capi, quem dicit ſe jam excommunicaſſe. Textus, & Gl. *in cit. Clem. un. ℣. Intentio h. t.*

Reſp. II. Quando intentio Papæ fundatur ſuper facto 107
alieno à ſe narrato, tunc narratio, ſive aſſertio Papæ facit quidem plenam fidem, ſi nihil opponatur; admittitur tamen probatio in contrarium. Ita Gloſ. *in cit. Clem. un. verſ. Feciſſe. narramus*, & Abbas *ib. n. 2.* & Barboſa *n. 6. & 7. h. t.* citans alios Pirhing. *h. t. nu. 61.* & Maſcardus *cit. Concl. 139. n. 21. & 22.* cum pluribus aliis docens, quod atteſtationi Papæ de facto alieno ſtatur, donec probetur contrarium. Ratio diſparitatis inter hunc, & caſum prioris Concluſionis eſt: quia in facto proprio non facilè præſumitur error: in facto alieno autem; quamvis multum ſit tribuendum authoritati Principis, ſeu Papæ atteſtantis, tamen contingit de facili ob malam aliorum informationem etiam ipſum errare, *c. Lator 7. de Sent. & re judicat & c. A nobis 28. de Sentent. excommunic.* junctis concordantiis hic per Gloſſam, *verſ. opinionem ſequitur*, allegatis, ac proinde meritò relinquitur locus probationi in contrarium.

Reſp. III. Quod ſi intentio Papæ ſuper eis non funde- 108
tur, tunc verba narrativa Papæ, ſeu Litterarum Apoſtolicarum nihil probant. Ita Gl. *in cit. Clem. un. verſ. Fundatur.* & Abbas *ib. n. 1.* Maſcardus *cit. Concl. 139. n. 23. & 24.* allegans Rotam *dec. 197. in antiq. §. Nota, quod ubi Papa*, & alii; idque probatur, & declaratur inductione.

Sic imprimis, quando Papa quempiam auctoritate A- 109
poſtolica excommunicatum ſuis litteris ſalutat, non per hoc cenſetur eum abſolvere, *c. Si Aliquando 41. de Sentent. excommun.* Quia videlicet intentio Papæ, litteras illas dantis, ſuper impertienda tali abſolutione ſe non fundabat; *Cùm* (ut ibidem loquitur textus) *per ignorantiam, vel negligentiam, aut occupationem nimiam, vel etiam per ſubreptionem* (tacendo videlicet quod quis ſit excommunicatus) *contingat hujuſmodi litteras impetrari.* Quæ ratio generaliter urget de cæteris verbis narrativis Papæ, in quibus intentio ejus non fundatur; præſumuntur enim narrata illa in ſupplicatione fuiſſe Domino Papæ ſuggeſta, ſicque nihil probant. Quin etiam, licet Summus Pontifex ſcienter excommunicato participet litteris, verbo, oſculo, aut quovis alio modo, non idcircò cenſetur eum abſolvere, niſi expreſſè dicat, ſe per hoc velle ipſum abſolvere, *text. clar. Clem. Si Summus 4. de Sent. excom.*

Deinde, ſi Pontifex in aliquo privilegio, ſeu reſcri- 110
pto Apoſtolico, non facto principaliter ſuper donatione, vel ſententia exemptionis, aliquam Eccleſiam appellet exemptam, ſeu ipſam ad jus & proprietatem Eccleſiæ Romanæ pertinere dicat, vel ſimilia verba narret: non propterea illius Eccleſiæ exemptio eſt probata, niſi de libertate, ſeu exemptione aliter doceatur. Textus eſt expreſſus *in c. Si Papa 10. §. 1. de Privil. in 6.*

Ulterius, ſi Papa quempiam *ſub titulo cujuslibet Digni-* 111
*tatis ex certa etiam ſcientia* (multò magis ſi id fiat ex ignorantia, vel per ſuggeſtionem ſupplicantis) *verbo, conſtitutione, vel litteris nominet, honoret, ſeu quovis alio modo tractet, per hoc in Dignitate illa ipſum approbare non intelligitur, aut quidquam ei tribuere novi juris.* Ita his ipſis verbis habetur declaratum *in cit. Clem. Si ſummus de Priv. in 6.* Et ratio eſt: quia ſuper talibus verbis, ſignis vel factis, non fundatur intentio Papæ, ſeu talia non fiunt ad conferendam, vel approbandam Dignitatem illam; ſed incidenter ſolum ſimilia narrantur, vel fiunt. Atque idem dicendum de ſimilibus.

Porrò quæ dicta ſunt de Papa, reſpectivè procedunt 112

etiam in Imperatore, & Rege ſuperiorem in terris non recognoſcente; prout reſolvit Caſtrenſis *Conſ. 339. vol. 1.* Alexander *Conſ. 11. num. 14. lib. 7.* Maſcardus *cit. Conſ. 139. num. 10.* ubi allegatis aliis illud ampliat ad quemlibet alium Principem, qui de facto non recognoſcit Superiorem.

## §. V.

## Cui, coram quibus, & à quo facienda ſit Probatio.

*S U M M A R I U M.*

113 *Probatio eſt facienda Judici, non Adverſario.*
114 *Poteſt tamen Judex alium deputare ad recipiendos teſtes &c.*
115 *Probationes ex teſtium depoſitionibus recipi non poſſunt, niſi citato, & præſente, ſi voluerit, adverſario.*
116 *Idemque dicendum de probatione per inſtrumentum & Inſpectionem ocularem.*
117 *Probationes judiciales debent fieri coram Notario, inter alia acta judicii eas conſcribente.*
118 *Et hoc procedit tamen in judicio ordinario, quàm ſummario &c.*
*Imo & in Arbitrio compromiſſario. Ib.*
119 *Excipiuntur hinc cauſæ leviores, utpote in quibus nulla ſcriptura requiritur.*
120 *Vel ſi per confeſſionem partium, aut teſtes, poſſint acta probari.*
121 *Et quid ſi pars adverſa nihil oppoſuit, nec à ſententia appellavit?*
122 *Affirmanti incumbit probatio.*
123 *Onus probandi regulariter incumbit Actori. Et n. ſeqq.*
124 *Actor tenetur ad judicium venire paratus.*
*Actor habet in ſua poteſtate quando agere velit, non ſic reus, Ib.*
125 *Regula illa,* Actori incumbit probatio *patitur plures fallentias. Et n. ſeq.*
126 *Ut, ſi præſumptio juris ſtet pro actore: nam tunc onus probandi transfertur in reum.*
127 *Iſtud exemplificatur. Et n. præc.*
128 *Si reus excipiendo aliquid affirmet, quod ab actore negatur, tunc reo incumbet probatio.*
129 *Secus, quando reus excipiendo aliquid negat.*
130 *Regula illa fallit in Judiciis duplicibus, ſeu communibus. Judicia duplicia, quæ? Ib.*
131 *Fallit etiam in Interdictis duplicibus.*
*Et quæ ſint iſta? Ib.*
132 *Aliæ fallentiæ. Remiſſivè & n. 125.*
133 *Quid juris, ſi reus ſponte in ſe ſuſcipiat onus probandi? Et num. ſeqq.*
134 *Si plenè probatur reum deliquiſſe, non auditur reus volens probare, ſe non deliquiſſe mediante Purgatione canonica.*
*Et qualiter hæc fieri ſoleat? Ib.*
135 *Secus, ſi indirectè per teſtes id probare velit.*
136 *Reus ſuſcipiens in ſe onus probandi, eſt audiendus.*
137 *Solvitur inſtantia*
138 *Quid commodi reportare poſſit reus, ſuſcipiens in ſe onus probandi?*
139 *Etiamſi reus ſe aſtrinxiſſet ad probandum, & deficeret in probatione, non debet condemnari ſi nec actor probaverit.*
140 *Dummodò reus ad id ſe non obligarit ſub amiſſione cauſæ.*
141 *An actor poſſit petere inſtrumenta à reo ſibi exhibenda? Remiſſivè.*

113 QUæritur I. Cui, & coram quibus facienda ſit Probatio? Reſp. I. Probatio eſt facienda Judici, non adverſario, vel alteri. Ita Gloſſa *in l. quinquaginta verſ. Judici ff. de prob.* Hoſtienſis *in Summa h. t. num. 3.* Maſcardus *de probat. qu. 2 proœm. num. 24.* Abbas *in cap. ex litteris n. 1. not. 7. h. t.* addens, non valere probationem, ſi fiat Notario, vel alteri; idque probans per textum *ib.* juncto *c. in noſtra 32 de Teſt. ib.* ubi depoſitiones teſtium coram Judice fieri jubentur, ut is eorum qualitate inſpecta, atque examinatis ipſorum depoſitis, motum animi ſui ritè informare valeat. Idem ergo dicendum de aliis probationibus *cit. l. Quinquaginta*, ibi: *Hæres ipſe id probare Judici debebit.* Accedit ratio: quia ex una parte probatio nunquam ſatisfaceret adverſario, utpote qui ſemper negaret, etiamſi quis ſolem ipſum ad oſtendendam veritatem in manibus gereret; prout poſt Oldendorpium *in tr. prob.* loquitur Maſcardus *cit. num. 24.* Fruſtrà igitur ipſi facienda foret probatio. Ex altera verò parte judicis eſt, ferre ſententiam; ergo etiam ipſi neceſſariæ probationes fieri debent, quibus circa qualitatem cauſæ ritè informetur.

Cæterùm per hoc non negatur, quin Judex poſſit de- 114
putare Notarium, aut aliam idoneam perſonam ad recipiendos teſtes, depoſitiones, aliaſque probationes. Quinimò receptio teſtium, confeſſionum, ac hujuſmodi, poteſt ubique fieri, ac ſcribi, ſive in præſentia, ſive in abſentia Judicis, dummodò fiat de mandato Judicis: nam ubicunque de hujus mandato fiant, jam computantur inter acta judicii, ſicque valent, quia reputantur facta coram Judice; ex quo ipſius mandato facta ſunt. Abbas *in c. quoniam contra n. 29. & 30. h. t.* citans Innocentium *ib.* & Hoſtienſem, juncta generali conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres, *c. cum dilectus de conſuet.* cum ſimilibus. Inſuper non negatur, quin ſuo modo etiam ipſi adverſario facienda ſit probatio, ſaltem in tantùm, quatenus omnia actitata poſtmodum eidem petenti tradenda ſunt, *c. quoniam contra 11 h. t.* Maſcardus *loc. cit. num. 26.* & quia ab initio ad receptionem teſtium, ac hujuſmodi, citandus eſt, ut illicò ampliùs dicetur; unde

Reſp. II. Nihilominus probationes ex teſtium depoſi- 115
tionibus recipi non poſſunt, niſi citato, & ſi venire voluerit, præſente Adverſario: alioquin non valent. Textus eſt *in c. 2. de Teſt.* quod per Abbatem, & alios communiter ſic ſummatur: *Nulla eſt receptio teſtium facta contra non citatum.* Concordat *Auth. de Teſtibus §. Et hæc verò. Collat. 7* Idque meritò fuit ſtatutum, ut hac ratione Adverſarius legitimas defenſiones, ſeu exceptiones contra teſtes, eorumque dicta proponere valeat.

Atque hoc ipſum procedit in probatione, quæ fit per 116
inſtrumentum: debet enim iſtud Judici exhiberi citata, ac præſente parte adverſa, ut audire poſſit contenta in eo, *c. contingit. 5. de Fide inſtrum.* vel illud, ſi oportuerit, redarguere falſitatis *c. Accepimus 4 & c. Inter dilectos 6. §. Sed contra eod.* Idemque dicendum de probatione per Inſpectionem ocularem, juxta dicta *n. 22.* & aliis hujuſmodi: adeò, ut etiam probationes in ſcriptis contentæ, parti adverſæ ad videndum, & reſpondendum communicari ſoleant, & debeant, juxta *c. c. quoniam contra h. t.*

Quæritur II. Utrum probationes neceſſariò ſint facien- 117
dæ præſente Notario? Reſp. I. Probationes judiciales debent fieri Judici in præſentia publici Notarii, aut duorum Virorum idoneorum, qui præter cætera acta judicii diligenter eaſdem conſcribant. Textus eſt *in c. quoniam contra 11. h. t.* ubi ad præcavendum falſitati iniqui Judicis, atque innocentiæ juſti, ſtatuitur in hæc verba: *Statuimus* (inquit Innocentius III. in Concilio Generali, ſeu Lateranenſi) (ut tam in ordinario judicio, quàm extraordinario, judex ſemper adhibeat aut publicam (ſi poteſt habere) perſonam, aut duos viros idoneos, qui fideliter univerſa judicii acta conſcribant: videlicet; citationes, dilationes, recuſationes, exceptiones, petitiones, reſponſiones, & interrogationes, confeſſiones, teſtium depoſitiones, inſtrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renunciationes, concluſiones, cætera, quæ occurrerint, competenti ordine conſcribenda: loca deſignando, tempora & perſonas. Et omnia ſic conſcripta partibus tribuantur. *Et infra:* Judex autem, qui Conſtitutionem ipſam neglexerit obſervare, ſi propter ejus negligentiam quid difficultatis emerſerit, per ſuperiorem judicem animadverſione debita caſtigetur: nec pro ipſius præſumatur proceſſu, niſi quatenus in cauſa legitimis conſtiterit documentis.) *Hæc ibi.*

Et quidem conſtitutio hujus Decretalis, quæ jus no- 118
vum inducebat (uti deſumitur ex verbo *Statuimus* juncta Gl. *in c. ſtatuimus, ut lit. 13. de offic. Deleg. in 6.* & late propugnat Barboſa *in Collectan. ad cit. c. Quoniam contra num. 9.*) procedit tam in Judicio ordinario, quàm ſummario, & ſive agatur coram Judice ordinario, ſive delegato, ac ſive procedatur per viam accuſationis, denunciationis, vel inquiſitionis: nam in omnibus iſtis caſibus publicus Notarius, aut in ejus defectum alii duo Viri idonei intervenire debent, qui omnia acta judicii, ut ſuprà fideliter conſcribant. Quinimo hoc etiam extenditur ad Arbitros compromiſſarios: quia procedunt ad ſimilitudinem Judicum, & ordinem ac formam judiciorum ſervare debent *L. 1. ff. de receptis arbitris*, juncta Gl. *un. ib.* Abbas *in c. c. quoniam contra n. 7.* & Barboſa *ib. n. 6.* & Pirhing. *n. 64. h. t.* Alioquin ſuborta quadam controverſia ſuper Actis judicialibus, non crederetur Judicis aſſertioni, ne daretur ipſi occaſio lædendi partes litigantes; uti habetur in textu jam relato.



119 Reſp. II. Nihilominus hinc excipiuntur cauſæ modicæ, ac leviores: in his enim nulla ſcriptura requiritur nec reſpectu proceſſus, nec reſpectu ſententiæ, ſed ſtatur ſimplici aſſertioni Judicis. Ita textus notabilis *in Auth. Niſi breviores C. de Sent. ex brevicul. recitand. & Auth. ut judices ſine quoquo ſuffragio §. Neceſſitatem. collat. 2.* ac notat Abbas *loc. cit. n. 3.* & Pirhing. *d. n. 64.* & Barboſa *n. 7.* allegans alios. Nec immeritò: nam ſi in iſtis modicis creditur relationi nuntii, *l. ea quidem C. de Accuſat. & c. cum parati 19.* juncta Gloſſa ℣. *Suus nuntius de appell.* fortius in hiſce levioribus eſt credendum aſſertioni Judicis. Huc facit textus *in can. Si quis cum Clerico 11. q. 1.*

120 Deinde etiam de cæteris cauſis loquendo, licet omiſſio ſcripturæ, ſeu annotationis Actorum, juxta *c. c. quoniam contra h. t.* per Notarium faciendæ, vitiet Proceſſum in tantum, ut pro ipſo non præſumatur, ſi pars altera negaverit, quidpiam ex requiſitis fuiſſe obſervatum: nihilominùs ſtatur Proceſſui, ſi per confeſſionem partium, vel per legitimos teſtes, aut alio modo probari poſſit, factam v. g. eſſe conteſtationem litis, & alia ſubſtantialia ritè obſervata fuiſſe: Deſumitur hoc *ex c. c. Quoniam contra h. t.* ibi: *Niſi quatenus in cauſa legitimis conſtiterit documentis:* & notat Abbas *ib. n. 38* poſt Innocentium.

121 Inſuper ſi pars adverſa nihil oppoſuit, neque à ſententia definitiva Judicis intra decendium appellavit, tunc ſententia lata tranſit in rem judicatam; ſimulque præſumitur pro rectitudine proceſſus, & ſententiæ. Felinus *c. quoniam contra n. 23. & 31.* & Barboſa *ib. n. 40. h. t.* Menochius *lib. 2. de præſumptionib. præſ. 67. n. 47 & 48.* Maſchardus *de prob. Conſ. 1237. n. 12.* allegans alios. Quamquam hic *n. 14.* poſt Jo. Andream, & Abbatem *in d. c. Quoniam contra n. 19. ℣. Vult ergo*, rectè ſubjungat, quod quidem poſt lapſum decendii præſumatur pro rectitudine proceſſus, nihilominùs admittatur probatio in contrarium ſuper defectu proceſſus ſubſtantialis. Et meritò: nam ſiquid ex ſubſtantialibus fuiſſet omiſſum, ſententia ipſo jure foret nulla, nec tranſiret in rem judicatam, *L. 1. ff. Quæ ſententiæ ſine appell. reſcind.*

122 Quæritur III. A quo faciendæ ſint probationes? Reſ. I. Generatim loquendo *ei incumbit probatio, qui dicit, non qui negat.* Textus eſt *in L. 2. ff. h. t.* Nec immeritò, *quia negantis factum per rerum naturam nulla eſt directa probatio;* prout habetur *c. Bonæ 22. de election. & can. Accuſator. 6. q. 5.* cum ſimilibus.

123 Reſp. II. Probatio, ſeu onus probandi, regulariter incumbit actori: ipſius enim eſt, illud quod propoſuerit probare, ſi reus id neget; alioquin reus abſolvetur ab ejus impetitione. Ita communis, & habetur deciſum *in c. cum Eccleſia 3. §. fin. de Cauſa poſſeſ. & l. qui accuſare C. de edendo*, illis verbis: *Actore non probante, qui convenitur, etſi nihil ipſe præſtiterit, obtinebit.* Concordant textus *in cit. can. Accuſator. 6. q. 5. & l. actor. C. h. t.* quo utroque in loco ſic legitur: *Actor* (ſeu Accuſator) quod aſſeverat, probare *ſe non poſſe profitendo, Reum neceſſitate moſtrandi contrarium non aſtringit: cum per rerum naturam factum negantis probatio nulla ſit.*

124 Unde fit, quod actor teneatur ad judicium venire paratus, hoc eſt, munitus legitimis probationibus, ſeu documentis: ac proinde, cum invitus agere, vel accuſare nemo cogatur, *L. un. C. ut nemo invitus &c.* cauſam ſuam prius benè examinet, & niſi ritè ſe paratum invenerit; actionem non inſtituat, alioquin favorabiliores erunt partes rei, *l. favorabiliores ff. de reg. jur.* cum ſimilibus. Idipſum notatur *in l. purè §. fin. ff. de doli mali excep.* juncto Summario, addita illa notabili ratione congruentiæ: quia *Actor quidem in ſua poteſtate habet, quando utatur ſuo jure: is autem, cum quo agitur* (ſive reus) *non habet poteſtatem, quando convenitur.*

Reſp. III. Etſi allata Concluſio, ſeu quod actori in- 125
cumbat probatio, procedat regulariter, ut dictum; ea tamen plures patitur fallentias, ſeu exceptiones, quas refert Gl. magna *in cit. can. Accuſator. 6. q. 5.* & alia Gl. *in c. un. ut Eccleſiaſtica beneficia &c. ℣. Actore non probante* ac præſertim Speculator *tit. de probationibus §. probare num. 10. & ſeqq.* ubi adducit undecim fallentias dictæ regulæ. Idque patet inductione, enumerando plures tales exceptiones, ſeu fallentias ejuſdem.

Sic imprimis, quotieſcunque præſumptio juris ſtat pro 126
actore, transfertur onus probandi in reum. Hinc ſi Parochus petat Decimas intra fines ſuæ Parochiæ exiſtentes, nihil probare cogitur, ſed reus tenetur oſtendere, quo jure ad ipſum Decimæ pertineant: ſiquidem Parochus cenſetur habere fundatam intentionem in Jure, quod Decimæ ad ipſum pertineant, niſi contrarium oſtendatur *c. 2. de reſt. ſpol. in 6.*

Simile quid habetur *c. Ex inſinuatione 3. de procuratorib.* 127
juncta Gl. *ib. ℣. probare poterit.* Ubi Archidiaconus ſuper quadam Præbenda ab aliquo conventus, tenetur probare canonicam inſtitutionem; quia cum eſſet Archidiaconus in Eccleſia, de jure communi aliam præbendam una cum Archidiaconatu habere non poterat, niſi probaret ſecum fuiſſe diſpenſatum. Sic etiam *in c. un. ut Beneficia Eccleſiaſtica &c.* Papa cuipiam reo imponit onus probandi, eò quod prima facie juſtè præſumebatur pro actore. Plura alia ſimilia exempla adducit Speculator *tit. de probationibus §. probare num. 11.* & Maſchardus *de probation. quæſt. 17. proœm. num. 3. & ſeqq.* ubi poſteà *num. 9.* ſicut & Speculator *cit. nu. 11.* generaliter concludit quod ubicunque Jus commune pro aliquo facit, & pro eo præſumit, talis præſumptio juris transferat onus probandi in reum, *can. Ferrum diſt. 50.* junctis concordantiis ibidem per Gloſſ. allegatis.

Deinde Reo incumbit probatio, ſi is excipiendo aliquid 128
affirmet, quod deinde in replicatione ab actore negatur. Ratio eſt clara: quia Reus excipiendo fit actor, *text. clar. L. 1. ff. de except.* ibi: *Agere etiam is videtur, qui exceptione utitur: nam Reus in exceptione actor eſt.*

Dicitur notanter, *ſi reus excipiendo affirmet.* Secus enim 129
eſt, quando is excipiendo aliquid negat; uti fit in exceptione non numeratæ pecuniæ: ea quippe per reum propoſita, actor numerationem pecuniæ à ſe factam, & non reus exceptionem probare debet *text. clar. l. Si ex cautione ff. de non numerat. pec.*

Tertiò fallit regula illa in Iudiciis duplicibus, ſeu com- 130
munibus, utpote in quibus utraque pars litigantium vicem duorum ſuſtinet, actoris videlicet & rei, *c. Ex Litteris 4. h. t. et l. Judicium communi ff. Finium regundor. et l. Inter cohæredes §. qui familiæ ff. Familiæ herciſc.* Et hujuſmodi Iudicia duplicia, ſeu communia ſunt tria; videlicet Iudicium *Communi dividundo*, quo agitur ad communium rerum diviſionem: item *Familiæ herciſcundæ*; id eſt, hæreditatis inter cohæredes dividendæ: atque *Finium regundorum*, quod datur inter eos, qui agros confines habent & prædia, ad horum fines dirimendos, *l. In tribus ff. de Judiciis* junctis Iuribus proximè citatis. Ex quibus Iuribus etiam habetur, quod in dictis Iudiciis duplicibus utrique parti incumbat onus probandi, & quæ meliùs ſuam intentionem probaverit, obtineat; prout jam dictum ſuprà *Tit. 12. de Cauſa poſſeſſionis et proprietatis §. 7. num. 238. et ſeqq.*

Quartò fallit eadem regula in Interdictis duplicibus: 131
qualia ſunt Interdictum *uti poſſidetis*, atque interdictum *Utrobi*, quorum priore certatur de retinenda poſſeſſione rei immobilis, v. g. fundi vel ædium; poſteriore verò: ſeu Interdicto *Utrobi* contenditur de rerum mobilium poſſeſſione, *§. Sed interdicto & §. Tertia diviſio. Inſt. de Interdict.* His addit Gloſſa *in cit. §. Tertia diviſio verſ. utrobi*, Interdictum *de Superficieb.* nam & hoc duplex eſt: exemplo Interdicti *uti poſſidetis*, prout deſumitur *ex L. 1. §. proponitur ff. de ſuperficieb.* In his enim Interdictis duplicibus etiam uterque litigantium ſimul ad probandum admittitur, atque probare debet: quia enim uterque contendit ſe poſſidere, hinc par utriuſque Litigatoris in his conditio eſt & unuſquiſque tam Rei, quam Actoris partem ſuſtinet (unde & *Interdicta duplicia* appellantur) *cit. §. Tertia diviſio Inſtit. de Interdict. & c. Licèt cauſam 9. h. t.* cum ſimilibus. In his itaque Interdictis du-

duplicibus (ſicut & in Judiciis communibus) is obtinebit, qui probaverit ſuam intentionem altero non probante. Quod ſi verò uterque probaverit, tunc Iudicis erit videre; quis eorum meliùs probaverit intentionem ſuam; & talis obtinebit, *c. Ex Litteris 3 & c. Licèt cauſam 9. h. t.* eſtque fuſius jam dictum *cit. Tit. 12. de Cauſa poſſeſſionis &c §. 7. num. 238. & ſeq.*

132 Quintò, ut aliæ fallentiæ, apud Speculatorem *ubi ſuprà* videndæ, taceantur, limitantur ſæpè dicta regula, quando reus ultrò in ſe recipit onus probandi: tunc enim reo mos eſt gerendus, *c. 1. de reſt. ſpol. & l. circa eum ff. h. t.* ſicque actor affirmans relevatur ab onere probandi. Gl. magna *in can. accuſator. 6. q. 5.* Speculator *tit. de probation. §. probare num. 12.* Pirhing. *h. t. num. 7.* & alii. Occaſione cujus

133 Quæritur IV. Quid juris, ſi reus ſpontè ſe offerat ad probandum? Reſp. I. Si plenè probari poſſit reum deliquiſſe, reus autem probare velit mediante Purgatione canonica, ſe non deliquiſſe, non eſt reus audiendus. Textus eſt *in c. ad noſtram 12. h. t.* ubi Abbas *in Summario*. Barboſa *n. 1.* & Cæteri Canoniſtæ communiter.

134 Additur notanter, *mediante purgatione canonica*. De tali enim probatione *in c. c. ad noſtram h. t.* eſt ſermo, uti liquet ex illis verbis: *Si ſe ſuper his purgare valeant quoquo modo*: mediante videlicet Purgatione canonica: qualis videlicet fieri ſolet præſtito proprio juramento ſuper negativa, ſeu quod quis non deliquerit, & juramento Compurgatorum jurantium de credulitate, ſeu quod credant eum verum juraſſe, juxta *c. quoties de purgat. can.* Siquidem purgatio per juramentum eſt tantum ſubſidiaria, & nunquam admittitur, quando probationes legitimæ adſunt, *c. accedens 23. de accuſ.* cum concordantiis.

135 Secùs dicendum, ſi quis velit probare dictam negativam indirectè per teſtes de veritate deponentes: ut ſi quis homicidium ſibi in judicio impoſitum probet ſe non commiſiſſe, eò quod per teſtes probare poſſit, ſe toto die commiſſi homicidii fuiſſe in alio loco: hic enim audiendus eſt. Gl. *fin. in c. c. ad noſtram* & Abbas *ib. d. n. 3. & 4. h. t.* idque deſumitur *ex c. Series 26. & c. Ex tenore 35. de Teſt.*

136 Reſp. II. Quod ſi reus confiſus de juſtitia ſuæ cauſæ ſponte in ſe aſſumat onus probandi, tunc is erit audiendus. Ita patet *ex can. Cujus rei cauſa 29. q. 2.* juncta Gloſſa *V. probare* Concordat textus *in l. circa eum ff. de prob.* ubi reus, cui movetur lis ſuper ingenuitate ſua, fiducia ingenuitatis ſuæ ultrò in ſe ſuſcipiens probationes, admittitur, ſive *morem geri* decernitur. Accedunt proximè dicta *num. 132.*

137 Nec obſtat, quod in citatis Iuribus fiat ſermo ſolùm de ingenuitate, quæ eſt cauſa favorabilis; ac proinde Iura illa non videantur extendenda ad quaſcunque cauſas, etiam non favorabiles, ut nonnulli voluerunt. Reſp. enim cum Gloſſa *ad d. l. circa eum verſ. juris*, quam approbat Bartolus *ib.* neg ſequel. Neque enim illud eſt ſpeciale ratione ingenuitatis, ſed procedit generaliter in quacunque cauſa. Ratio eſt: tum quia favore rei indultum eſt, ut reus non debeat cogi ad probandum, ſed Actor: atqui juxta Reg. 61. Iuris in 6. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum.* Tum quia hoc ipſum ſuadet textus citatus, ibi: *Morem ei geri*: quaſi diceret, *quod in aliis ex conſuetudine obſervatur, & hic dicendum eſt: ſed & infinita ſunt exempla, in quibus dicimus aliquem admiſſum, non juſſum probare.* Hæc Gloſſa.

138 Et ſi petas, quid commodi reportare poſſit reus ſponte in ſe aſſumens onus probandi? Reſp. Multum id profuturum reo, ſi intentionem ſuam rectè probaverit. Licèt enim Actore non probante reus ſit abſolvendus, etſi nihil præſtiterit: hæc tamen abſolutio ſolummodo fit ab impetitione Actoris, judicialiter pronunciando, quod reus rem petitam non debeat Actori: qualis ſententia poſt decendium, ceſſante juſta appellatione, tranſit in rem judicatam, ita ut ſi adverſarius denuò agere velit, repellatur exceptione rei judicatæ. At verò, ſi reus ſuſcipiat in ſe onus probandi, & legitimè ſuam intentionem probaverit, tunc non ſolùm is abſolvitur ab impetitione Actoris; ſed etiam poſitivè pro ipſo ferenda eſt ſententia, ſententialiter pronunciando, quod ipſe v. g. ſit ingenuus, ſit innocens &c. vel quod res litigioſa ad ipſum pertineat; prout deſumitur *ex d. l. Circa eum ff. de probat.* juncta Gloſ. *fin. ib.* quæ notanter aſſerit, quod in omni cauſa debeat ſententia ferri pro reo, quod ſua ſit res, ſi hoc probaverit; neque tunc ſufficiat, ſi pronuncietur, eam Actoris non eſſe. Diverſa enim ſunt commoda in his; ut patet *ex l. Sed etſi poſſeſſori. ff. de Iurejurand.* Nam in priori caſu ſolùm datur reo contra Actorem exceptio, videlicet exceptio rei judicatæ: at verò in poſteriori caſu, ſeu ubi reus intentionem ſuam probavit, non ſolùm ipſi competit dicta exceptio; ſed etiam dabitur ei actio in factum adverſus Actorem, ſi fortè is impoſterùm nactus fuerit poſſeſſionem illius rei. Concordat in ſimili dicta ſuperius *Tit. 14. de Dolo & Contumacia §. 3. n. 100. & 104.*

Reſp. IV. Etiamſi reus ſe aſtrinxiſſet ad aliquid probandum, & deficeret in probatione, nihilominùs non debebit condemnari, ſed erit abſolvendus, ſi nec Actor probaverit intentionem ſuam. Ita Gloſſa *in l. circa eum V. juris* & Bartolus *ib. ff. h. t.* Abbas *in c. Ex p. n. 10. de reſcrip.* Iaſon *in l. qui accuſare n. 5. C. de Edendo* Maſchardus *de probationib. Concl. 36. n. 37.* & alii. Generaliter enim. *Actore non probante, Reus abſolvitur*, per Iura *n. 122.* allegata. Simulque *nemo prohibetur pluribus exceptionibus uti*, prout dicitur, *l. Nemo ff. de except.* Vel defenſionibus, *l. Nemo ex his, ff. de Reg. juris*. Simulque per hoc non privatur reus commodo ſuæ poſſeſſionis, prout argumentatur Abbas *cit. num. 10.* 139

Excipe, niſi reus ſuſcipiens in ſe onus probandi, expreſsè ac ſpeciatim ſeſe ad amiſſionem cauſæ obligarit, caſu quo non probaverit: tunc enim non probando, amittit cauſam; cum non niſi ſub hac conditione, ſeu pacto onus probandi ſuſceperit, ac juri ſuo ſpontè ceſſerit. Annotatio Marginalis ad Speculatorem *tit. de prob. §. probare n. 17. V. Obtinuit*, id deſumens *ex c. 1. de reſt. ſpol.* Pirhing. *h. t. n. 7.* citans Fulvium Pacianum *lib. 1. de probation. c. 69. num. 2.* 140

Quæritur V. Utrum actor poſſit petere, ut inſtrumenta à reo ſibi edantur, ſeu exhibeantur ad probandum ſuam intentionem? Reſp. Negativè; ut eſt textus notabilis *in c. 1. h. t.* Nemo enim tenetur adverſario ſuo arma præbere, quibus ſe impugnare valeat. Fatendum tamen, quod hæc ipſa Regula plures patiatur limitationes, ſed de iſtis agetur commodius infrà *t. 22. de Fide Inſtrum §. 8. per totum.* 141

## §. VI.

## De tempore, quo faciendæ ſunt Probationes:

*SUMMARIUM.*

142 *Probationes regulariter ſunt faciendæ poſt litem conteſtatam.*
143 *Exceptio dilatoria quando ſit proponenda, & probanda?*
144 *Dantur plures caſus, in quibus probationes fieri, ac teſtes recipi poſſunt lite non conteſtata. Et n. ſeqq.*
*Ut ſit, ſi teſtes ſint valetudinarii &c. Ib.*
145 *Item in Judicio ſummario.*
146 *Vel quando de alicujus crimine agitur per modum inquiſitionis, ſeu denunciationis*
*Item in cauſa Hæreſis poſt mortem; & in cauſa purgationis canonicæ. Ib.*
147 *Idipſum contingit in pluribus aliis caſibus, qui recenſetur.*
148 *Publicatio atteſtationum, quid; & qualiter fiat?*
149 *Poſt eam regulariter non licet alios teſtes producere.*
150 *Saltem ſuper eiſdem articulis, vel directè contrariis: aliàs ſecùs.*
151 *Idque probatur.*
152 *Poſſunt tamen poſt publicationem atteſtationum nova inſtrumenta produci. Et n. 149.*
153 *Diſparitas inter productionem teſtium, & Inſtrumentorum.*
154 *Dantur complures caſus, in quibus poſt publicationem atteſtationum poſſunt ſuper iiſdem articulis teſtes produci. Et n. ſeqq.*
155 156 157 & 158 *Enumerantur duodecim tales caſus.*
159 *Concluſio in cauſa, quid, & quomodo fiat?*

160 An



160 *An in judicio ſummario, vel ordinario requiratur de neceſſitate?*
161 *Poſt eam regulariter non admittuntur novæ probationes.*
162 *Saltem ſuper eiſdem articulis, benè tamen ſuper novis.*
163 *Dantur tamen plures caſus, in quibus admittuntur novæ probationes poſt concluſionem in cauſa. Et num. ſeqq.*
*Ut in cauſa criminali, præſertim capitali, pro defenſione Rei. Ib.*
164 *In cauſis Beneficialibus.*
165 *In cauſis matrimonialibus; & quibus?*
166 *In confeſſione partis, & probatione per rei evidentiam, ſeu ocularem inſpectionem.*
*Probatio per inſpectionem ocularem eſt privilegiata in multis, & poteſt ſemper fieri. Ib.*
167 *In probatione juramenti ſuppletorii anteà petiti.*
168 *In teſtibus, & inſtrumentis de novo repertis.*
169 *Item accedente magna æquitate.*
170 *Atque ex officio Judicis.*
*Quoad Judicem nunquam cenſetur concluſum in cauſa, Ibid.*
171 *Probationes elapſo termino ad probandum conceſſo, an poſſint admitti altera parte invita? Et n. ſeqq.*
*Loquendo de termino peremptorio per Legem, vel ſtatutum præfixo ad probandum, nequit id fieri, Ib.*
172 *Niſi probato juſto impedimento.*
173 *Loquendo autem de termino per hominem præfixo, ſi res adhuc ſit integra, poteſt illud fieri.*
174 *Idque probatur.*
175 *Secùs, ſi res amplius non ſit integra.*
176 *Cautela pro advocatis quoad propoſitum.*
177 *Solvitur inſtantia.*

142 Quæritur I. An probationes poſſint fieri ante litis conteſtationem? Reſp. I. Probationes regulariter ſunt faciendæ poſt litis conteſtationem ſuper articulis in judicium deductis, & negatis, & non anteà. Ita Speculator *tit de probationib. §. Nunc dicendum n. 2.* & Maſcard *de prob. q. 17. proxim. n. 30.* & alii. Ratio eſt: quia poſt litem conteſtatam primum dicitur cœptum judicium, *arg. c. un. de Litis conteſt.* Hinc ante Litis conteſtationem non admittitur receptio teſtium, *c. 1. & ſeqq. Ut lite non conteſtata non procedatur ad teſtium receptionem*: & alioquin non valebit receptio teſtium, *c. Accedens eod.*

143 Solum adde, quod ſi reus ab initio, ſeu lite necdum conteſtata, quandam exceptionem dilatoriam propoſuerit, non illicò hanc probare cogatur; ſed priùs probanda ſit intentio Actoris, & deinde primùm exceptio Rei. Speculator, & Maſchardus; *ubi ſuprà*; atque habetur iſtud expreſſum *in l. Exceptionem C. h. t.* Illis verbis: *Exceptionem dilatoriam opponi quidem initio, probari verò poſtquam Actor monſtraverit, quod aſſeverat, oportet.*

144 Reſp. II. Dantur nihilominus complures caſus; in quibus nulla litis facta conteſtatione poſſunt probationes fieri, ac teſtes recipi. Ita communis; & patet inductione. Sic imprimis probationem quandoque fieri poſſe per teſtes, etiam lite non conteſtata, habetur deciſum *in c. quoniam, §. 1. ut lite non conteſtata &c.* illis verbis: *Si fortè de morte teſtium timeatur, vel abſentia diuturna: in quibus caſibus, cum civiliter eſt agendum* (ſecus, ſi criminaliter; argumento à ſenſu contrario deſumpto; & notat Gloſſa *ib. V. Civiliter*, & Abbas *n. 5.*) *ne veritas occultetur, & probationis copia fortuitis caſibus ſubtrahatur, ſenes, & valetudinarii, & alii teſtes, de quibus ex aliqua rationabili cauſa timetur, etiam lite non conteſtata ſunt admittendi &c.* Si tamen poſtmodum actor non convenerit adverſarium infrà annum, ex quo conveniri potuit, vel ſaltem receptionem teſtium hujuſmodi non denunciaverit eidem, atteſtationes ſic receptæ non valent; prout expreſſe ſubjungitur *in cit. c. quoniam §. Sed ſi actor.*

145 Deinde data regula fallit in caſibus, in quibus procedi poteſt ſimpliciter ac de plano, ſeu ſine ſtrepitu & figura judicii: ut ſunt Cauſæ beneficiales, matrimoniales; cauſæ electionum, decimarum, uſurarum, & hujuſmodi: *Clem. diſpendioſam de Judiciis.* Siquidem in proceſſu ſummario, ac de plano inſtituto, non neceſſario requiritur litis conteſtatio, *Clem. Sæpè contingit de Verb. ſignific.* ſed eidem æquiparatur quicunque alius actus, qui cæteroquin fieri ſolet poſt litem conteſtatam, juxta dicta ſuperius *tit. 5. de Litis conteſt. n. 4.*

Rurſus proceditur ad receptionem teſtium, aliaſque probationes ante litem conteſtatam, quando agitur de alicujus crimine per modum inquiſitionis, *c. Veritatis 8. de Dolo & contum & c. qualiter & quando 24. de Accuſ. & c. Inter ſollicitudines 10. de purgat. canon.* vel per modum denunciationis, *c. novit. de Judiciis* Idemque accidit in cauſa Hæreſis poſt mortem, *can. Sanè profertur 24. q. 2. & L. 4. C. de Hæret.* Item in cauſa Purgationis canonicæ, *c. cum P. 7. & c. Inter ſollicitudines 10. de purg. can.* 146

Proceditur inſuper ad teſtium receptionem lite necdum conteſtata, cum perſona, contra quam agitur, eſt incerta, *can. quidam 5. q. 1. & can 2. eod. 4. q. 2.* Item in notoriis, quando in eis Judex teſtes recipit ad cautelam, *c. Bonæ memoriæ 24. §. Licet autem de elect.* Aut quando recipiuntur teſtes ad Judicem inſtruendum, ſeu ad informationem ipſius, ut ſic cauſam ritè inſtructam ad Superiorem tranſmittat, *c. Conſtitutus 45. de Appell.* Item, cum agitur Judicio finium regundorum, *l. Si quis ſuper c. Finium regund.* Item, ubi offenditur publicum commodum; puta, in malo Officiali, *l. Ne diu C de pœnis, & l. Si apparitor. C. de cohort. lib. 12. & can. Quia ca 3. q. 2.* Item, cùm reſtitutio in integrum incidenter poſtulatur officio Judicis, *c. 2. de offic. jud.* Idemque dicendum in omnibus illis caſibus, in quibus Libellus non offertur: qui caſus (inquit Abbas *cit. c. Quoniam, n. 3. ut lite non conteſt. &c.*) comprehendit multos caſus. Item generaliter teſtes recipiuntur lite non conteſtata, ubicunque aliquid Judicis officio expeditur, *L. 1.* juncta *Aut ſeq. C. Si minor ab hæred.* & notat Gl. *in cit. c. Quoniam V. Regulariter*, aſſerens univerſim viginti fallentias; & Speculator *tit. de Teſte §. nunc tractemus*, ubi triginta ſex ejuſmodi Fallentias allegat, quarum tamen cæteræ hic brevitatis cauſa omittuntur. 147

Quæritur II. Utrum poſt publicationem atteſtationum poſſint fieri novæ probationes? Ubi prænotandum, quod *publicatio atteſtationum* idem ſit, ac publica prælectio earum depoſitionum, quas ſinguli teſtes à partibus producti, & ritè examinati, ad ſingula puncta ſecreto fecerunt, ſeu teſtificati ſunt. Nam examinatione teſtium productorum legitimè peracta, Iudex operam dare debet, ut partes renuncient ulteriori teſtium productioni: quo facto hæ poſtulent atteſtationes publicari, vel ſaltem pars producens id petat; atque illud redigatur in actis. Tum Iudex volens atteſtationes publicare, vocet partes, ejuſque præſentibus, vel per contumaciam abſentibus (quia tunc pars contumaciter abſens, habetur pro præſente, *arg. c. In nomine Domini 2. de Teſtib.*) per ſe, vel per Notarium ſuum, publicè legat dicta teſtium in tali cauſa judicialiter receptorum, præmiſſa hac, vel conſimili forma: *Hæ ſunt atteſtationes teſtium in cauſa N. juridice receptorum, quas hiſce publicamus, & pro publicatis haberi volumus*: & hoc totum redigatur in actis. Speculator *cit. tit. de Teſte §. Satis utiliter, n. 1.* Quamvis Engel *tit. de Teſtibus, n. 48* aſſerat, publicationem atteſtationum fieri per hoc, ſi utrique parti in ſcriptis communicetur, quid ſinguli teſtes ad ſingula puncta reſponderint. Quo prænotato 148

Reſp. I. Poſt publicationem atteſtationum regulariter non eſt licitum, alios teſtes ſuper eiſdem articulis, vel directè contrariis producere, etſi poſſint produci nova inſtrumenta uſque ad concluſionem in cauſa. Ita Gl. *c. cum dilectus 9. V. poſt publicationem de Fide inſtr.* Speculator *tit. de Teſte V. Satis utiliter n. 3.* juncto *tit. de inſtrumentorum editione § Nunc dicimus n. 1.* Maſchard. *de prob. q. proxim. 5. n. 45. & q. 6. n. 130.* Proſper Farinac. *tit. 8. de Teſt. q. 73. n. 68. & ſeqq.* & communis. 149

Additur notanter, *ſuper iiſdem articulis*. Nam ſuper novo articulo bene poteſt alterutra partium, ſi voluerit, novos teſtes producere, vel per jam receptos aliquibus probare, *c. Fraternitatis 17 de Teſtib.* etiamſi novus ille articulus pendeat ex veteribus, aut ex illis oriatur. Gl. *in d. c. Fraternitatis verſ. Novis*, & probat textus *in c. ex tenore 35. eod.* Præſertim autem Iudex ex Officio poteſt interrogare teſtes poſt publicationem, ſi obſcurè dixerunt, quandocunque ei viſum fuerit, uſque ad prolationem ſententiæ, *c. cum Ioannes 10.* juncta Gl. *verſ. Poſtquàm de Fide inſtr.* Quo prænotato 150

Probatur prima pars Concluſionis, ſeu quod poſt publicationem Teſtium non liceat ſuper eiſdem, vel (quod in 151

effectu idem foret) directè contrariis articulis alios teſtes producere. Sic enim patet *ex auth. de Teſtib. §. quia verò, ℣. Illud tamen Collat. 7. & auth. qui ſemel C. de prob. & c. Ex tenore 36.* juncta Gloſſa *fin. de Teſt. & c. Fraternitatis 17 & c. Intimavit. 18 eod.* cum ſimilibus. Accedit ratio: quia per publicationem atteſtationum fit renunciatio ulteriori teſtium productioni, vel expreſſè (prout peracto teſtium examine ad interrogationem Judicis fieri ſolet, ut partes ulteriori teſtium productioni renuncient) vel ſaltem tacitè, conſentiendo in ipſam teſtium publicationem.

152 Altera verò pars expreſſè habetur deciſa *in cit. c. cum dilectus 9. de fide Inſtrum.* illis verbis: *ad ſecundum quæſtionem duximus reſpondendum; quod utraque pars poteſt inſtrumenta, etiam poſt publicationem atteſtationum uſque ad diffinitivæ ſententiæ calculum exhibere, antequam ſit in cauſa concluſum.*

153 Nec dicas Appellatione *Inſtrumentorum* etiam continentur teſtes, *text. clar. c. pervenit ad audientiam 4. de Teſtib. cogend. & L. 1. ff. de fide Inſtrument.* ergo, ſi poſt publicationem atteſtationum non licet alios teſtes ſuper eiſdem articulis producere; idem dicendum de inſtrumentis, aut econtra. Reſp. enim neg. conſ. Nam præter diverſam Juris diſpoſitionem, de qua conſtat per citatos Canones, accedit ratio diſparitatis: quia in caſu productionis inſtrumentorum, poſt publicationem atteſtationum factæ, ceſſat timor ſubornationis; qualis tamen timor ſubornationis ſubeſt in teſtibus, ſi adhuc poſt eam produci poſſent: nam ubi quis ex publicatione atteſtationum jam didiciſſet teſtificata, ſicque intelligeret, ex qua parte teſtis examinatus defecit, ac intentum non probavit, poſſet ipſi ſuggerere impoſterum dicenda, ſicque eum ſubornare, ſi denuò teſtis ille produci valeret. Gloſſa *in cit. c. cum dilectus ℣. poſt publicationem de Fide inſtr.* Jo: Andreas *c. Fraternitatis q. 6. n. 24. de Teſtib.* Maranta *p. 7. Speculi aurei, tit. de Inſtrumentorum productione, n. 47. & 48.* inde inferens poſt Baldum, & DD. *in l. certi condictio §. Quoniam ff. Si certum petatur*, quod etiam teſtes, quando producuntur una cum ſcriptura, poſſint produci poſt ejuſmodi publicationem: nam tunc ratione adjectæ ſcripturæ, ceſſaret timor ſubornationis. Qualiter autem teſtes nomine *Inſtrumentorum* contineantur, dicetur *tit. 21 de Teſtib cogendis. §. 1. n. 13. & 14.*

154 Reſp. II. Etſi data Concluſio regulariter procedat, patitur nihilominus ipſa quoad priorem partem plures fallentias, ac limitationes in certis caſibus, in quibus poſt publicationem atteſtationum poſſunt teſtes produci etiam ſuper eiſdem articulis. Ita communis: adeò, ut Abbas *in c. Fraternitatis, n. 4 de Teſtib.* octodecim tales fallentias; Speculator autem *tit. de Teſte §. ſatis utiliter nu. 3. & ſeqq.* viginti & unam; & Farinac *cit. q 75 à n. 98 uſque ad n. 255.* ſexaginta ſeptem ejuſmodi limitationes afferat.

155 Sic imprimis poſt publicatas atteſtationes denuò poſſunt produci teſtes ſuper eiſdem articulis, quando mutatur Judicium, & id velit ille, contra quem producuntur: ut *c. præſentata 50. de Teſtib.* Ubi mutato judicio, relinquitur optioni ejus, contra quem teſtes producti ſunt, an velit priores depoſitiones teſtium recipere; vel his rejectis conſentire, ut iidem teſtes producantur, ac deponant iterum, etiamſi horum atteſtationes antea jam fuiſſent publicatæ. Idemque dicendum eſt, quando agitur diverſo modo, & ad alium finem uti contingit *in c. Veniens 38. de Teſtib.* ac notat Abbas *ib. n. 15.* & Pirhing. *tit. de Teſtib. n. 235. & ſeqq.* Farinacius *n. 128* & alii.

156 Secundò fallit data Concluſio in Cauſis matrimonialibus, beneficialibus, & capitalibus: nam quia in his agitur de periculo animarum, vel vitæ hominum, non ſolum poſt publicationem atteſtationum, ſed etiam poſt concluſionem in cauſa, poſſunt recipi teſtes, ac novæ probationes, juxta amplius dicenda *n. 163. & ſeqq.* Huc accedunt cæteri caſus ibidem relati in quibus poſſunt de novo recipi teſtes, aliæque probationes fieri poſt concluſionem in cauſa. Tertiò fallit, quando ſumus in caſu, in quo ſententia non tranſit in rem judicatam, ſicque non obſtat exceptio rei judicatæ; ut tradit Jo: Andreas *c. Fraternitatis n. 25.* & Abbas *ib. n. 4. h. t.* qui iſtud probant *ex l. cum quæritur ff de Except. rei judic. & c. Inter dilectos §. inſtr. de fide inſtrum* Farinacius *cit. q. 75. n. 122.* allegans plurimos alios. Quartò, ſi malitia, vel negligentia Judicis, aut alterius examinatoris, teſtes antea non fuerunt plenè examinati ſuper articulis ſibi porrectis: tunc enim etiam poſt publicationem atteſtationum denuò produci, & examinari poſſunt, *c. per tuas 48. de Teſtib.* Idemque dicendum eſt, quando teſtes fuerunt nulliter recepti, *Clem. 2.* juncta Gloſſa, *℣. Ritè, eod.* Aut ſi quidem teſtes ritè ſunt recepti, tamen eorum publicatio non tenuit, *arg. c. Ex tenore 35. de Teſtib.* ſumpto argumento à ſenſu contrario, ex illis verbis: *cum atteſtationes jam eſſent hinc inde ſolemniter publicatæ.*

157 Quintò poſſunt denuò teſtes produci poſt eorum publicationem in crimine Falſi, ſeu quando priores teſtes de perjurio ſunt convicti, *c. Sicut nobis 9. de Teſtib.* Sextò, quando priores atteſtationes fuerunt amiſſæ ſine culpa producentis, *c. ult. de probat.* atque ampliùs declarat Speculator *loc. cit. n. 12.* Septimò, quando agitur inter diverſas perſonas: publicatio enim teſtium facta inter partes principales, non impedit, quin tertius comparens pro ſuo intereſſe poſſit alios teſtes producere. Speculator *n. 3.* Farinacius, *ubi ſupr. n. 132. & 133.* allegans alios. Octavò, quando inſtantia eſt perempta: tunc enim teſtes poſſunt examinari poſt publicationem. Farinac. *loc. cit. n. 222.* allegans communem. Nonò, quando Princeps ita mandavit: poſſunt enim teſtes poſt publicationem examinari de expreſſo juſſu aut mandato Principis, ut putà Papæ, vel alterius Superiorem non recognoſcentis. Speculator *ubi ſupr. n. 3.* Farin. *loc. cit. n. 225. & ſeqq.* Decimò, ſi concedatur reſtitutio in integrum, ut iterum teſtes produci valeant, *c. Auditis 3. de In integrum reſt.*

158 Undecimò, poſt publicationem atteſtationum poſſunt teſtes produci de conſenſu partium: quia poſſunt cedere juri ſibi quæſito, *c. Si diligenti 12. de Foro comp.* Abbas *c. Fraternitatis n. 4. in 6. Limit. de Teſtib.* Gailus *lib. 1. prat. obſerv. 105. n. 13.* & alii. Atque iſtud ampliatur ad receptionem teſtium, factam poſt publicationem eorum parte non opponente, talis enim receptio non eſt ipſo jure nulla; adeoque probant teſtes ſic recepti ex conſenſu ſaltem tacito alterius partis, niſi contra exceperit. Farin. *ubi ſupr. n. 182.* allegans alios. Duodecimò, quando agitur de dubiis teſtium depoſitionibus declarandis: poteſt enim Judex ex officio (non verò ad inſtantiam partis, altera contradicente) interrogare teſtes poſt publicationem, ſi quid obſcurè dixerunt, quandocunque ſibi viſum fuerit, uſque ad prolationem ſententiæ, utpote antequam cuncta rimari debet, *cap. cum Joannes 10.* juncta Gloſſa *℣. Poſtquam de Fide Inſtrument.* Farinac. *d. quæſt. 75. n. 236.* cum aliis. Tacentur brevitatis gratia cæteræ fallentiæ, apud prædictos Authores videndæ; nam præmiſſæ ſunt principaliores.

159 Quæritur III. Utrum poſt Concluſionem in cauſa poſſint recipi novæ probationes, & quando? Ubi prænotandum, quod *Concluſio in cauſa* nihil aliud ſit, quàm renunciatio ulteriorum probationum, & allegationum faciendarum, una cum ſubmiſſione ad ſententiam Judicis excipiendam; prout notat Gloſſa *in c. cum dilectus ℣. Concluſum*, & Abbas *ib. n. 8. de Fide Inſtrum* & alii. Ac poteſt fieri vel expreſſè, nempe verbis, vel litteris; putà: ſi partes in ultima ſua ſcriptura adjungant, quod hiſce in cauſa concludere, ſeque ad ſententiam ſubmittere velint: vel tacitè, ſi nimirum partes nulla facta formali renunciatione ſimpliciter à probationibus deſiſtant, & à Judice ſententiam poſtulent. Engel *titul. de Sentent. & re judicat. num. 1.*

160 Solùm adde, quod Concluſio in cauſa in Judicio ſummario de neceſſitate non requiratur, *Clem. Sæpè contingit. § fin. de Verb. ſignif.* Imò etiam in Judicio ordinario, ſeu pleno, ea non eſt de ſubſtantia, ſed ſolùm de conſuetudine; ac proinde, ſi omittatur, non vitiatur proceſſus. Abbas *in c. cum I. & A n. 12.* & Felinus *ib. de Sent. & re jud.* Maranta *p. 6. Speculi Aurei, tit. de Concl. in cauſa, n. 9.* citans alios. His prænotatis

161 Reſp. I. Regula eſt, quod poſt Concluſionem in cauſa non amplius ſuper eiſdem articulis ſint examinandi teſtes, neque admittendæ novæ probationes per inſtrumenta, vel hujuſmodi; ſed ſit ferenda ſententia ſecundum allegata, & probata. Ita Gloſſa, & Abbas *in c. cum dilectus num. 8. de Fide inſtrum.* Farinacius *q. 75. de Teſtib. num. 257.* Menochius *de Arbitr. Judic. lib. 1. q. 35. n 1.* Maranta *p. 6. Speculi Aurei, tit. de Inſtrum. productione num. 47.* & alii paſſim. Idque deſumitur *ex c. Juravit. 6. h. t.* juncta Gl. *fin.*



*fin.* & meliùs *ex cit. c. cùm dilectus 9. de Fide Inſtrument.* ubi probationes per inſtrumenta dicuntur ſemper admittendæ, *antequam ſit concluſum in cauſa*: & conſequenter non ampliùs poſt Concluſionem in cauſa. Idipſum probatur etymologia hujus verbi, *Concluſio in cauſa*: per hanc ſiquidem, ut ipſum nomen importat, partes ſive expreſſè, ſive tacitè, ulteriori probationi renunciant, ſeque ad ſententiam ſubmittunt. Hinc, ut loquitur Maſcardus *de Probat. quæſt. 17. Proœm. nu. 44.* Concluſio in cauſa partibus os obſtruit, & claudit, ut probationibus nullus ampliùs relinquatur locus.

162 Additur notanter in Concluſione, *ſuper iiſdem articulis*. Nam ſuper novis articulis, etſi pendeant ex veteribus, bene poſſunt aliæ probationes admitti, *arg. c. Fraternitatis de Teſtib. & c. cùm Joannes §. penult. de Fide inſtrument.* eſtque in ſimili jam dictum ſuprà *n. 150.*

163 Reſp. II. Etſi præmiſſa Concluſio regulariter procedat, dantur nihilominùs complures caſus, in quibus ipſa fallit, & admittuntur novæ probationes etiam poſt Concluſionem in cauſa. Ita communis; & probatur inductione. Sic quippe fit primò in cauſis criminalibus, præſertim capitalibus: nam, quando agitur de cauſa capitali, tunc ad defenſionem Rei poſſunt etiam poſt factam in cauſa concluſionem recipi teſtes, & probationes ad innocentiam detegendam. Ita habetur *in l. Unius facinoris §. Cognitiurum ff. de Quæſtionib.* ibi: *Ne ii, qui defendendi ſunt, ſubitis accuſatorum criminibus opprimantur, defenſionem quocunque tempore poſtulante Reo negari non oportet.* Bartolus *in L. 1. §. fin. ff. de Quæſtionib.* Maſcardus *cit. qu. 17. nu. 45.* Jul. Clarus *in Pract. Crimin. lib. 5. §. fin. quæſt. 61. nu. 2. & 6.* allegans communem. Idque poteſt fieri non ſolùm ex officio judicis, ſed etiam ad inſtantiam partis, ne innocens injuſtè opprimatur, ac vita privetur. Pirhing *tit. de Teſtib. nu. 232.* Farinacius *de Teſtibus tit 8. quæſt. 75 n. 420.* & alii.

164 Fallit deinde Concluſio in cauſis Beneficialibus: nam in his etiam poſt factam in cauſa Concluſionem admittuntur probationes; idque propter periculum animarum, & ne quis per ſurreptionem ad Dignitatem Eccleſiaſticam aſcendat. Maſcardus *loc. cit. n. 47.* allegans Rotam *deciſ. 1. & deciſ. 2. de Teſtib. in novis.*

165 Atque hoc ipſum eſt dicendum in cauſis matrimonialibus: nam ob idem periculum animarum, ſeu ne conjuges legitime copulati ſeparentur, etiam poſt publicatas atteſtationes, & Concluſionem in cauſa, recipiuntur teſtes, aliæque probationes pro valore matrimonii jam contracti militantes. Quinimò ipſamet etiam ſententia contra matrimonium contractum lata nunquam tranſit in rem judicatam, ſed quocunque tempore revocatur falſitate probata, *c. Lator. 7. & c. conſanguinei 11 de Sentent. & re judic.* Secùs tamen eſt dicendum de matrimonio contrahendo: ſemel ibi probato impedimento, & publicatis atteſtationibus, alii teſtes deſuper non admittuntur; cum nullum ſubſit periculum animarum, ſi aliqui non contrahant, *arg. c. Juravit. 6* & juncta Gloſſa *℣. Partibus h. t.*

166 Fallit ulteriùs data Concluſio in propria partis confeſſione, in ejus præjudicium facta: hæc enim etiam poſt Concluſionem in cauſa eſt recipienda. Maranta *par. 6. Speculi Aurei, tit. de Concluſione in cauſa, Actu 15. n. 5.* citans Baldum *in Rubric. C. de Probat.* Idem dicendum de probatione per rei evidentiam, & inſpectionem ocularem; cum iſta probatio ſit privilegiata in multis, & nunquam cenſeatur excluſa, ſed ſemper fieri poſſit: quia eſt fortior probatio de mundo. Card. Tuſchus *Lit. P. Concl. 776. n. 1.* Jaſon *l. De perjurio n. 3. ff. De in litem jur.* ac quodcunque probationis genus longè ſuperat. Maranta *loc. cit. n. 6.* allegans alios & concordant dicta ſuperiùs *n. 91.*

167 Similiter probatio juramenti ſuppletorii, etiamſi in cauſa concluſum fuerit, poteſt admitti, dummodò ante ipſam concluſionem fuerit, *arg. l. Generaliter §. 1. C. de Jurejurand.* ac declarat fuſiùs Jaſon *in Repetit. l. Admonendi n. 318. ff. de Jurejur.* & ſequitur Maranta *loc. cit. nu. 4.* & Maſcardus *d. quæſt. 27. n. 56.*

168 Limitatur inſuper dicta Regula in teſtibus, atque inſtrumentis de novo repertis; ſeu quos quis tempore Concluſionis in cauſa producere non poterat, *arg. c. Paſtoralis 4. de Exception.* Ubi iſtud in ſimili conceditur de exceptionibus de novo exortis, vel ad alicujus notitiam pervenientibus, quæ poſſunt proponi etiam poſt terminum à Judice præfixum. Ita Gailus *lib. 1. Practic. Obſervat. 107. n. 10.* Farinacius *de Teſtibus, quæſt. 75. num. 260. & 262.* allegans alios.

169 Limitatur rurſus eadem Regula ob magnam æquitatem: quia poſt concluſionem in cauſa poteſt Judex ex magna æquitate admittere teſtes, aliaſque novas probationes. Menochius *de arbitr. Judic. lib. 1. quæſt. 35. nu. 22.* Farinacius *cit. quæſt. 75. n. 272.* pluresque alii ab his citati. Accedit Socinus *tract. de Fallentiis, Reg 403. Fallent. 35.* dicens, quod, quando ſubeſt aliqua juſta cauſa, tunc ſubveniatur per reſtitutionem in integrum, ex clauſula generali, *per L. 1. ff. Ex quibus cauſis major. &c.*

170 Limitatur tandem eadem Regula in Judice: quia quoad Judicem nunquam cenſetur concluſum in cauſa; atque ideò ex officio poſt concluſionem in cauſa poteſt partes examinare, teſteſque interrogare, ac recipere pro informatione, ulterioremque probationem partibus injungere; ut *c. cùm Joannes 10. §. Ad hoc autem de Fide inſtrument.* Fagnanus *in c. qualiter il 2. n. 67. de Accuſat.* Jaſon *in d. Repetit. l. Admonendi nu. 62. ff. de Jurejur.* citans Angelum *Conſil. 295.* Farinacius *d. quæſt. 75 n. 266.* Gailus *cit. lib. 1. Practic. Obſervat. 107. nu. 5.* allegans alios, & addens, ita quotidie in Camera obſervari: & concordant proxime dicenda in ſimili *num. 177.* Tacentur nonnullæ aliæ limitationes, apud citatos Authores videndæ.

171 Quæritur IV. Utrum probationes elapſo termino ad probandum conceſſo, adhuc poſſint admitti, etiam invita altera parte? Reſp. I. Loquendo de termino peremptorio per Legem, vel Statutum præfixo ad probandum, tunc eo elapſo, ac parte altera contradicente, novæ probationes audiri non poſſunt, niſi probato juſto impedimento. Ita Abbas *in c. cùm in tua n. 11.* & Innocentius *ibid. qui matrimonium accuſare poſſ.* Felinus *c. Licet cauſam n. 17. h. t.* Maſcardus *de Probat. Concl. 1236. n. 35.* allegans alios. Idque deſumitur *ex l. quinquaginta & l. Scire oportet. §. Conſequens ff. de Excuſat. tutor.* ubi poſt lapſum quinquaginta dierum, qui dantur Tutori ad ſe excuſandum, quis ampliùs non auditur; & ſi ſecùs fiat, ſententia inde conſequens non valet. Accedit ratio: quia terminus Legis ad probandum eſt præfixus cum magna cauſæ cognitione, & per ſe principaliter, ne lites nimiùm protrahantur; ergo nequit per Judicem invita altera parte prolongari; nam, *quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*, juxta *reg. 64. Juris in 6* cum concordantiis.

172 Additur tamen: *niſi probato juſto impedimento*. Tali enim impedimento probato poteſt quis audiri poſt dictum terminum: ut *l. Ob commiſſa C. Ad Leg Jul de adulteriis*, ubi marito Reipublicæ cauſa abſenti non currit tempus ad accuſandum de adulterio uxorem per Leges præfixum. Concordat textus *in L. ult ff. de Decretis ab ordine faciend.* ubi ignorantia excuſat ab incurrenda pœna Legis, utpote ſtatuta adverſus ſcientes. Abbas, Felinus, *ubi ſup.* & alii.

173 Reſp. II. Nihilominùs, quando terminus ad probandum eſt præfixus tantùm ab homine (nimirum à Judice) non autem à Lege vel Statuto, poſſunt, ſi res adhuc ſit integra, & Judici expedire videatur, ſecundùm canonicam æquitatem admitti novæ probationes, & admiſſæ valent, etiam termino illo elapſo, ac non obſtante partis contradictione. Ita Gloſſa *in Clem. Sæpe contingit. ℣. Non obſtante de Verb. ſignif.* Innocentius, Abbas, Felinus, *ubi ſuprà*, & Maſcardus *cit. Concl. 1236. nu. 1. & 2. ac num. 11. & ſeqq.* unà cum aliis, quos copioſe allegat; quamvis non pauci etiam oppoſitum teneant, pariter ab eodem Maſcardo *n. 3. & ſeqq.*

174 Concluſio hæc deſumitur *ex c. Conſuluit. 24. de Offic. Delegat* ubi Judex non obſtante termino peremptorio quem aſſignaverat, poteſt partem non comparentem æquitate ſuadente exſpectare in diem ſequentem: idem ergo dicendum in propoſito. Concordat *cap. Si tibi abſenti 17. de Præbend. in 6.* & textus notabilis *in l. Mancipiorum ff. de Optione legata*: ubi ſi datur alicui terminus ad eligendum ſervum ſibi legatum, hoc etiam elapſo poteſt fieri electio talis ſervi, dummodò jus adverſarii non ſit factum deterius. Accedit ratio, ſimulque diſparitas inter terminum à Lege, & terminum ab homine præfixum: quia fortior eſt diſpoſitio Legis ad excludendum, quam diſpoſitio hominis: nam Lex, utpote per Superiorem, & magna cum deliberatione pro communi bonò condita, non ſuppletur per Judicem veluti inferiorem, ſed bene Judex

ſup-

ſupplet factum proprium: atque ideò terminus Legis non poteſt prorogari; prout in ſimili de decem dierum ſpatio ad appellandum conceſſo dicitur *in c. quod ad conſultationem 15. de Sentent. & re judicat. & c. Concertationi 8 de Appellation. in 6.*

175 Additur notanter in Concluſione, *ſi res adhuc ſit integra*. Nam ſecùs dicendum, ſi res amplius non ſit integra: utputà, quia ex mora probationum alteri parti grave damnum emerſit; aut teſtes, quos tunc producere potuiſſet, interea mortui fuerunt, *arg. cit. l. Mancipiorum & c. Mora 25. de reg. juris in 6.* Idemque dicendum, ſi Judex ad inſtantiam partis adverſæ jam pronunciaſſet, talem fuiſſe contumacem in termino, ac de cætero ſuper tali articulo non ampliùs eſſe audiendum. Felinus *cit. n. 17* Maſcardus, *ubi ſupra n. 30.* & alii.

175 Atque idcircò cautela datur Advocatis, ut elapſo termino ab probandum, vel quid aliud faciendum peremptorie aſſignato, & Adverſario id non præſtante intra terminum præfixum, accuſent ejus contumaciam, ut Judex ad conſtantem ipſorum petitionem pronunciet, eum fuiſſe contumacem. Quamquam Judex non ſtatim teneatur ita pronunciare, ob dicta in Concluſione.

177 Nec obſtat, quod terminus à Judice aſſignatus, ſit peremptorius: & quod ex lapſu ipſius videatur alteri parti jus quæſitum, ſicque non poſſit eo per Judicem ampliùs privari; prout fieret, ſi iſte poſt lapſum dicti termini peremptorii adhuc admitteret probationes partis adverſæ. Reſp. enim cum Maſcardo *cit. concl. 1236. nu. 14.* terminum dici peremptorium duntaxat quoad partes, ſeu quatenus pars negligens ex ſe, & ex jure ſuo non poteſt petere, quod ſuæ probationes poſt terminum peremptorium elapſum admittantur; niſi forſan ei ſuccurratur per beneficium reſtitutionis in integrum: non autem terminum illum dici peremptorium quoad Judicem. Unde Judex motus æquitate, poteſt quidem probationes quaſi ex gratia adhuc admittere: non tamen ad inſtantiam partis jam excluſæ tenetur id facere; prout uberius jam fuit dictum ſupra *Tit. 14. de Dolo & contumacia §. 2. n. 68. & ſeqq.* Et per hoc patet etiam ad alteram inſtantiam: nam ex lapſu termini peremptorii ſolùm cenſetur parti innocenti jus quæſitum reſpectu alterius partis; non verò reſpectu Judicis, utpote in cujus arbitrio eſt, ſuadente æquitate novas probationes poſt lapſum ipſius admittere, ſi voluerit. Aliæ objectiones, horumque ſolutiones, videantur ſuprà *cit. Tit. 14. §. 2. nu. 72. & ſeqq.*

## §. VII.

## De reſtitutione in integrum adverſus omiſſam Probationem, hujuſque effectibus.

*S U M M A R I U M.*

178 *Reſtitutio in integrum adverſus omiſſam probationem datur Eccleſiæ, & Minorenni, ſi graviter lædatur.*

179 *Ita, ut reſtituatur etiam contra aliam Eccleſiam, vel Minorem.*

180 & 181 *An pariter poſſit reſtitui ad productionem teſtium poſt publicationem atteſtationum?*

182 *Quæ conditiones ad reſtitutionem in integrum propter omiſſas probationes requirantur?*

183 & 184 *An etiam neceſſe ſit, probare læſionem?*

185 *Utrùm Eccleſia, vel Minor, adverſus omiſſam probationem ſæpius in eadem cauſa reſtitui in integrum poſſit? Et nu ſeqq.*

*Refertur ſententia negativa, una cum ſuis rationibus ibid.*

186 *Sententia affirmativa eſt probabilior, ejuſque fundamenta.*

187 & 188 *Solvuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.*

189 *Finis probationum, quis?*

190 *Probationis plenæ, & judicialis, effectus præcipuus, quis?*

191 *Semiplenæ probationis non eſt magnus effectus.*

192 *Alter plenæ probationis effectus declaratur.*

193 *Probatio ſemiplena etiam non caret omni effectu; & qualem habeat?*

178 Quæritur I. An, & qualiter Eccleſiæ, vel Minori, competat reſtitutio in integrum adverſus omiſſas probationes. Reſp. I. Quando Minorennis, vel Eccleſia graviter læſa fuit ex omiſſione neceſſariarum probationum pro obtinenda cauſa, tunc ei conceditur beneficium reſtitutionis in integrum. Ita communis. Idque loquendo de Minorenni, habetur expreſſum in *l. Minor. 37 ff. de Minor.* illis verbis: *Minor viginti quinque annis omiſſam allegationem per in integrum reſtitutionis auxilium repetere poteſt*. Ubi Gloſſ. V. *Allegationem*, per hanc intelligit tum exceptionem dilatoriam vel peremptoriam, tum probationem omiſſam. Loquendo autem de Eccleſia, idipſum habetur *in c. Auditis 3. De in integrum reſtitut.* ubi poſt concluſionem in cauſa, propter neceſſariam (ut aſſerebat) probationem omiſſam, utraque Eccleſia, utpote fungens jure Minoris, æquitate ſuadente, reſtituta fuit contra reliquam ad faciendam probationem antea omiſſam: ne alterutra pars, propter hujuſmodi negligentiam, gravi jactura lædatur.

179 Atque hoc ampliatur, ità quod Eccleſia graviter læſa non ſolùm reſtituatur contra privatum; ut *cap. 1. De in integr. reſtitut.* Sed etiam contra aliam Eccleſiam; haud obſtante, quod hæc pariter ſit privilegiata, *cit. c. Auditis eod.* ac notat Abbas *ibid. n. 8.* & Layman *n. 6.* cum aliis. Sicut & Minor damnum paſſus reſtituitur adverſus alium Minorem, *l. Verum §. Item quæritur ff. de Minorib.* eſtque uberius dictum *lib. 1. Tit. 41. De in integrum reſtitut. §. 2. n. 42. & ſeqq.*

180 Ampliatur idipſum ad productionem teſtium poſt publicatas atteſtationes. Si enim Eccleſia, vel Minor, non probavit intentionem ſuam, ſicque graviter lædi deberet ſuccumbendo in cauſa; tunc per viam reſtitutionis in integrum, etiam poſt teſtium publicationem, poteſt ſuper eiſdem articulis alios teſtes producere, ſi quos habet meliores. Bart. *in L. 1. §. Nuncio ff. de Novi oper. nunciat.* Barboſa *cit. c. Auditis n. 4. De in integr. reſtit.* Maſcard. *de Probat. Concl. 1280. n. 15.* & alii, paucis exceptis.

181 Sciendum tamen, quod Abbas *in d. c. Auditis n. 16.* & Barboſa *cit. n. 4.* poſt Innocentium *ibid.* iſtud intelligendum cenſeant, quando Eccleſia, vel Minor, nullos omnino teſtes ſuper tali articulo produxit: quia tunc poſt reſtitutionem in integrum debet audiri, ſecundùm omnes; nullum enim tunc ſubeſt periculum ſubornationis, ſimulque hoc ipſo, quod Eccleſia, vel Minor non adduxerit teſtes, quos poterat, præſumitur ipſum fuiſſe deceptum. Secùs verò, quando ſuper eodem articulo antea produxit aliquos teſtes, quorum publicatio jam facta fuit: quia tunc timetur periculum ſubornationis teſtium, *arg. Clem. 2. de Teſtib.* Et ſic (inquiunt) non debet reſtitui, cùm contra Eccleſiam, vel Minorem ſit præſumptio doli niſi diligenti inquiſitione per Judicem facta appareat, quod omiſerit probationem, ſeu productionem meliorum teſtium ex ſua facilitate, ſicque excludatur præſumptio ſubornationis. Atque hoc ultimum eſſe ſingulariter notandum, videlicet, quod per reſtitutionem in integrum poſſit fieri productio teſtium publicatis atteſtationibus, quando per cauſæ cognitionem excluditur præſumptio ſubornationis, cenſet Abbas *cit. n. 16.*

182 Reſp. II. Ut Eccleſia, vel Minor, propter omiſſas probationes, ſive non productos teſtes intra terminum peremptorium, reſtituatur in integrum, requiruntur eædem conditiones, quas pro dicta reſtitutione generatim obtinenda requiri, uberius jam dictum eſt ſupra *Lib. 1. Tit. 41. De in integrum reſtitutione §. 1. n. 8. & ſeqq.* Videlicet, quod læſio ſit gravis: nam de minimis non curat Prætor. Item, quod læſio illa gravis acciderit dolo adverſarii, vel ſua facilitate, idque per læſum ritè probetur: ſecùs enim dicendum, ſi aliunde, ſeu ex caſu fortuito damnum accidiſſet. Item, quod propter omiſſam probationem reverà quis patiatur damnum pecuniarium, vel tale lucrum amittat: nam ſi hujuſmodi damnum Eccleſiæ, vel Minori non ſequeretur (utpùta, quia ſolùm omiſit contra adverſarium opponere crimen, vel illud efficaciùs probare neglexit) tunc ei non conceditur reſtitutio in integrum adverſus omiſſam probationem, per textum in *l. Auxilium ff. de Minorib.* ubi in delictis, & pœnarum executionibus, dicitur ceſſare reſtitutio in integrum. Atque hæc omnia ampliùs patent ex dictis *cit. Lib. 1. Tit. 41. §. 1. n. 8. & ſeqq. & §. 4. n. 104.*





183 Fatendum quidem, quod Abbas *in c. Auditis nu. 7. De in integrum reſt.* & Pirhing *eod. n. 21.* exiſtiment, quod in petenda reſtitutione adverſus probationem omiſſam non ſit neceſſe probare aliter læſionem: nam eo ipſo (inquiunt) apparet de læſione, quod Eccleſia omiſit neceſſariam probationem in termino. Accedit, quod *in cit. c. Auditis*. Pontifex nullam exigat probationem læſionis; ſed reſtitutionem in integrum conceſſerit ex eo ſolùm, *quia utraque pars neceſſariam (ut aſſerit) probationem omiſit*.

184 Verùm, ut notat Barboſa *in Collectan. ad cit. c. Auditis n. 5.* iſtud fuit ſpeciale in caſu illius Capituli, eò quod reſtitutio in integrum ab utraque parte ſimul peteretur, ſicque neutri in concedenda petita reſtitutione potuerit præjudicium generari: alioquin verò non videtur ſtandum ſimplici aſſertioni, ſed opus eſt aliqua probatione læſionis, ſaltem ſummaria; vel ad minimum, ut detur fumus ejus per ſemiplenam probationem, prout loquitur Rutilius Paltellius *Cauſar. civil. Expedit. 5. & Annot. 5. n. 60.* Si enim ſimplici aſſertioni omiſſæ neceſſariæ probationis ſtandum foret, facilè fraus contingere poſſet: unde Leges reſtitutionem concedentes ludibrio fierent, ac lites plus æquo protraherentur.

185 Quæritur II. Utrùm Eccleſia, vel Minor, adverſus omiſſam probationem ſæpius in una eademque cauſa in integrum reſtitui poſſit? Reſp. In reſolutione hujus quæſtionis variant non nihil Doctores; prout videre eſt apud Rutilium Paitellium *cauſar. civil. Expeditis 5. n. 15.* ubi pro, & contrà diverſos Authores allegat. Et quidem ſententiæ negativæ videtur adhærere idem Paltellus *cit. n. 15.* utpote hanc poſteriori loco adducens, & pro ea allegans Baldum *in l. 1. & 2. C. Si ſæpius in integr. reſt. petat.* & Afflictum *dec. 214. n. 2. & deciſ. 35.* qui hanc ſuam negativam ſententiam probant per text. *in l. ult. c. de Bonis quæ liberis &c.* ubi filius reſtitutus in integrum ad capeſſendam hæreditatem, quam Pater tempore ſuæ minorennitatis ejus nomine repudiaverat, non ampliùs reſtituitur in integrum ad eandem repudiandam. Accedit, quod in *l. ult. c. Si ſæpiùs in integrum &c.* expreſſe dicatur; *In una eademque cauſa iteratum in integrum reſtitutionis auxilium non jure, niſi novæ defenſiones prætendantur, poſci ſæpe reſcriptum eſt*. Verum his non obſtantibus

186 Oppoſita ſententia, ſeu quod Eccleſia, vel Minor poſt obtentam ſemel reſtitutionem in integrum, v. g. contra probationes omiſſas, cognita, & probata alia gravi læſione, iterùm reſtitui poſſit, videtur probabilior, Jurique conformior. Ita tenet Gloſſa, & Bart. *locis proximè citandis*, ac favet nonnihil Paitellius *cit. nu. 15.* poſt Aſinium *in ſua Praxi §. 2. c. 16. n. 15.* Idque probatur imprimis ex proximè allegato textu *l. ult. C. Si ſæpius in integrum &c.* ibi: *Niſi novæ defenſiones prætendantur*: & conſequenter, ſi novæ ſuppetant defenſiones (puta, ob probationem antea minùs benè intellectam, ſicque omiſſam; vel ob inſtrumenta de novo reperta) concedendum eſt Eccleſiæ, vel Minori, iteratum reſtitutionis auxilium. Accedit alius textus in *l. Et ſi ſine §. Reſtitutus ff. de Minor.* expreſſe concedens, quod Minor reſtitutus ut adeat hæreditatem, quam repudiaverat, cognita gravi læſione exinde ſibi obveniente, poſſit iterum reſtitui, ut ſe abſtineat. Ubi proinde Gloſſa V. *Rurſus reſtitui*, quam approbat Bart. *ibid.* generaliter infert, quod reſtitutio in integrum, *ſi ſemel eſt conceſſa, iterum detur, ut hic: niſi in caſibus* ſpecialiter exceptis, qualis habetur in *cit. l. ult. de C. de Bonis, quæ liberis &c.*

187 Et per hoc patet ad rationes negativæ Sententiæ *num. 185.* allegatas. Nam, quod in *d. ult. c. de Bonis quæ liberis &c.* filius in integrum reſtitutus ad capeſſendam hæreditatem, anteà ſuo nomine à patre repudiatam, non ampliùs reſtituatur; iſtud eſt ſpeciale, atque ita conſtitutum propter reverentiam Patris, & ne leges ſint ludibrio: nam alias poteſt Minor ſæpius ad audiendum, vel abſtinendum reſtitui; prout reſpondet Gloſſ. *in d. l. ult. verſ. Non autem filio*, id probans ex *c. §. Reſtitutus*. Porrò illud ex eo ſpecialiter ſic fuit conſtitutum propter reverentiam Patris &c. quia hæc facile læderetur (& quidem prætextu Legum *n. præc.* allegatarum) ſi filius impune poſſet nunc aſpernari judicium patris, & poſtea cognito ſuo errore illud denuò amplecti: unde ne temere permittantur filii aſpernari judicium paternum, rectè eiſdem, reſtitutionem in integrum adverſus iſtud petentibus, præcluditur regreſſus ad idem.

188 Ad alterum textum patet reſponſio ex dictis *n. 186.* Favet enim noſtræ ſententiæ. Niſi forſan cum Gloſſa fin. & Bartolo in *cit. l. ult. c. ſi ſæpius in integrum &c.* dicere velis, ibi ſermonem eſſe de reſtitutione, quæ ſemel jam fuit denegata: unde amodò non datur, niſi novæ cauſæ prætendantur, ne alioquin Leges ludibrio fiant; eſtque ampliùs dictum ſupra *cit. lib. 1. Tit. 41. §. 2. n. 39. 40. & 41.* Secùs dicendum, ubi reſtitutio ſemel eſt conceſſa; nam tunc iterum concedi poteſt cognita, & probata alia gravi læſione: idque à fortiori, tum quia ejuſmodi reſtitutio in integrum jam antea ob ſimilem cauſam fuerat judicialiter conceſſa, ſicque non mirum, ut denuò concedatur: tum quia, etiamſi ante hæc ipſa fuiſſet denegata, nihilominùs ob novarum defenſionum prætenſionem ipſa nunc concedi deberet, juxta eundem textum ſupra allegatum.

189 Quæritur III. Quis ſit finis atque effectus Probationum? Reſp. I. Finis probationum eſt, Judici fidem facere, ita ut intelligere poſſit, qualem ſententiam ferre debeat; Ita in re communis; atque deſumitur *ex leg. quinquaginta* juncta Gloſſa *fin. ff. de Probat.* Ubi hac de cauſa dicitur, Judici faciendam eſſe probationem, non adverſario, utpote qui ſemper negaret. Probationes ſiquidem ordinantur ad deciſionem litis, & judicii; ut inquit Petr. Ancharan. *repetit. in c. canonum ſtatuta n. 217.* de Conſtitut.

190 Reſp. II. Loquendo de probatione plena, & judiciali, primus ac præcipuus ejus effectus eſt, quod Judex ſecundùm ipſam, ſive (ut aliis terminis loquuntur) ſecundùm allegata, & probata teneatur ferre ſententiam. Patet hæc ex *can. Judicet. 3. q. 7. & l. rem non novam, C. de Judiciis & l. 6. §. Veritas ff. de Offic. Præſid.* ubi Summarium allegat illud vulgatum: *Judex debet judicare ſecundùm allegata, & probata, non autem ſecundùm conſcientiam*. Verùm de hoc plura dixi *l. 1. tit. 32. de Officio Judicis §. 2. & 3.* Ibi videatur.

191 Additur notanter, *loquendo de probatione plena & judiciali*. Nam ſemiplenæ probationis non eſt magnus effectus, ideoque nomine *Probationis* ſimpliciter poſitæ non venit: & ſi Actor ſuam intentionem non, aut ſaltem non ſufficienter, probaverit, habebit locum illud vulgatum, *Actore non probante Reus abſolvitur*; ut dicitur *c. cùm Eccleſia § fin. de cauſ. poſſeſſ.* illis verbis: *Actore non probante, qui convenitur, etſi nihil præſtiterit, obtinebit*, cum concordantiis.

192 Alter effectus plenæ probationis eſt, quod Purgatio canonica contra eam non ſit admittenda: nam ſi probari poteſt legitime teſtibus fide dignis Reum deliquiſſe, ejus probatio per purgationem canonicam, quod non deliquerit, non eſt admittenda, *text. clar. c. Ad noſtram 12. de Prob.* Idem à fortiori dicendum, ſi crimen exiſtat notorium: & tunc non eſſe indicendam Reo purgationem canonicam, ſed in eum condemnationis ſententiam promulgandam, expreſſe habetur deciſum in *c. cùm dilectis §. penult. de Purgat. canon.* Concordant dicta ſuperiùs §. 5. *n. 134.*

193 Reſp. III. Probatio ſemiplena etiam non omni prorſus caret effectu; nam interdum facit aliqualem fidem, ut vel deferatur juramentum ſuppletorium parti adverſæ, vel onus probandi in adverſarium transferatur, vel ei injungatur purgatio canonica: quandoque ea præſtat indicium ſufficiens ad torturam. Sed de horum ultimo jam dictum eſt ſupra *Tit. 18. de Confeſſis §. 6. nu. 139.* de aliis verò commodius agetur in propriis locis.

# TITULUS XX.

## De Teſtibus, & Atteſtationibus.

1 *Ratio ordinis Rubricarum.*
2 *Teſtes, & Atteſtationes, quid?*

1 VIſo de Probationibus in genere, ſequitur de iiſdem in ſpecie: & quia probatio, quæ fit per teſtes, eſt efficacior cæteris, cùm fiat viva voce; ideò præmittitur præſens Rubrica *de Teſtibus*, & poſtea agitur de reliquis.

2 Porrò generatim loquendo *Teſtes* ſunt perſonæ, quæ ad fidem alicujus rei aſtruendam adhibentur: *Atteſtationes* verò ſunt ipſorum teſtium depoſitiones, ſeu aſſeverationes ſuper facto aliquo.

### §. I.

### De Teſtibus idoneis, & minùs idoneis in genere, horumque repulſione, ac obligatione fatendi ſuam inhabilitatem.

*SUMMARIUM.*

3 *Quid generatim requiratur ex parte Teſtium? Et num. ſeqq.*
4 *Teſtes non ſunt examinandi, niſi jejuni, de honeſtate.*
5 *In Teſtibus ſex ſunt conſideranda; nempe conditio, ſexus, vita.*
6 *Item ætas, dignitas, & fortuna.*
7 *Teſtis idoneus, qui?*
8 *Vocatur etiam Teſtis legitimus, & Teſtis integer.*
9 *Omnes cenſentur teſtes idonei, niſi expreſſè per leges repellantur.*
10 *Teſtis idoneus an ſit idem, ac Teſtis omni exceptione major? Et nu. ſeqq.*
11 *Sententia negativa ſuadetur.*
12 *Teſtes minus idonei, qui?*
13 *Teſtes reprobantur vel ex vitio perſonæ, vel ex dictis ſuis.*
14 *Exceptiones contra teſtes quotuplicis generis ſint, & quando proponendæ? Remiſſive.*
15 *Vitium perſonæ in teſtibus oritur vel ex natura rei, vel ex Juris diſpoſitione.*
16 *Eorum, qui ex Juris diſpoſitione ſunt teſtes minùs idonei, diverſa ſunt genera; & quæ?*
17 & 18 *Inhabilitates teſtium aliæ poſſunt, per partes remitti, aliæ non; & ipſarum exempla. Et n. 21.*
19 *Judex tenetur inquirere de conditione teſtium.*
20 *Poteſtque ex officio repellere teſtem, quem novit inhabilem inhabilitate per partes non remiſſibili.*
21 *Alias inhabilem nequit repellere, niſi ad inſtantiam partis, & cur?*
22 *Utrùm teſtis à Judice interrogatus, an ſit criminoſus, vel aliunde inhabilis ad teſtificandum, teneatur reſpondere? Et nu. ſeqq.*
*Ratio dubitandi, & affirmativam tenendi, proponitur. Ibid.*
23 *Refertur ratio in oppoſitum, una cum diverſitate ſententiarum.*
24 *Tenetur teſtis reſpondere de illis, quæ ipſum reddunt inhabilem ad teſtificandum, ſimulque turpitudinem, ſeu crimen ſuum non detegunt.*
25 *Alias ſecùs.*
26 *Et hujus ratio.*
27 *Si tamen reſpondeat de concernentibus ſuam turpitudinem, creditur ipſi.*
28 *Et quid, ſi hanc quis confiteatur, ne cogatur ferre teſtimonium.*

3 QUæritur I. Quid generatim requiratur ex parte Teſtium? Reſp. I. Requiritur imprimis, ut *teſtes non conducantur pretio, ut ſint idonei & fideles, ac ut nullus teſtimonium dicat, niſi jejunus.* Ita textus *in c. 1. h. t.* junctis concordantiis ibidem à Gloſſa relatis.

4 Cæterùm id, quod additur de teſtibus non examinandis, niſi jejunis; eſt intelligendum de honeſtate, non de neceſſitate, *arg. can. Honeſtum 22. q. 5.* ac notat Gloſſa *fin. cit. c. h. t.* & Fagnan. in *c. Audimus num. 58. de Reliquis, & venerat. Sanct.* aſſerens, iſtud eſſe conſilium, & non præceptum. In praxi tamen ſtandum eſt conſuetudini locorum, utpote quæ eſt optima legum interpres: & magis decens eſt, teſtes examinari jejunos, quia ſunt magis ſobrii; prout notat Abbas *ad cit. cap. 1. n. 4. h. t.*

5 Reſp. II. In teſtibus plura ſunt conſideranda, ac præſertim ſex, videlicet conditio, ſexus, vita, ætas, dignitas, atque fortuna. Ita communis; idque liquet ex diverſis textibus Juris. Et quidem priora tria requiſita referuntur *in c. Forus 10. de Verb. ſignif.* illis verbis. (Teſtes antiquitus Superſtites dicebantur, eò quòd ſuper cauſæ ſtatu proferebantur: nunc parte ablata nominis, teſtes vocantur. Teſtes autem conſiderantur conditione, natura, & vita. Conditione, ſi liber, non ſervus: nam ſæpe ſervus metu dominantis teſtimonium ſupprimit veritatis. Natura, ſi vir, non fœmina: nam varium, & mutabile teſtimonium ſemper fœmina producit. Vita, ſi innocens, & integer actu: nam ſi vita bona defuerit, fide carebit; non enim poteſt juſtitia cum ſcelerato homine habere commercium.) *Hæc ibi.*

6 Cæterùm poſteriora tria requiſita, ſeu conſideranda in teſtibus (hoc eſt, eorum dignitas, ætas, atque fortuna) habentur *ex l. 2. & 3. ff. h. t.* Ubi ad longum recenſentur qualitates in teſtibus deſideratæ; atque inter alia in perſona Teſtium explorandum dicitur, (Utrùm quis Decurio, an plebejus ſit: & an locuples, vel egenus ſit, ut lucri cauſa quid facile admittat: vel an ei inimicus ſit, adverſus quem teſtimonium fert; vel amicus ei, pro quo teſtimonium dat, &c.) Et infra, poſtquam inter alios à teſtimonio dicendo excluditur Impubes, ſubjungitur: (Nam quidam propter reverentiam perſonarum, quidam propter lubricum conſilii ſui, alii propter notam, & infamiam vitæ ſuæ admittendi non ſunt ad teſtimonii fidem.) Hinc illi vulgati verſiculi apud Gloſſam *c. 2. h. t.*

*Conditio, ſexus, ætas, diſcretio, fama,*
*Et fortuna, fides: in teſtibus iſta requires.*

7 Quæritur II. Quis dicatur Teſtis idoneus, legitimus & integer, & an differat à Teſte omni exceptione majori? Reſp. I. Ille dicitur *teſtis idoneus*, qui nulla exceptione legitima repelli poteſt. Ita Gloſſa in *c. 1. ℣. Idonei* & Abbas *ibid. n. 3. h. t.* & communis; idque patet *ex l. 1. ff. de teſtib.* ubi omnes illi pro teſtibus idoneis agnoſcuntur, *quibus non interdicitur teſtimonium.*

8 Et hujuſmodi teſtis idoneus alio nomine appellatur *teſtis legitimus*, utpote ſecundùm Leges ad ferendum teſtimonium admittendus; cùm nulla legitima exceptione repelli valeat. Et cum iſto in re convenit *teſtis habilis*, ac *teſtis integer*, ſeu integræ opinionis; qualis dicitur ille, contra quem nulla urget ſuſpicio. Farinacius *tit. 6. de teſtib. qu. 62. n. 5.*

9 Unde notandum, quod omnes cenſeantur eſſe Teſtes idonei, ſeu legitimi, niſi qui à teſtimonio dicendo per leges ſeu Canones expreſſe repelluntur. Gloſ. *cit. c. 1. ℣. Idonei h. t.* Ratio eſt; quia Edictum de teſtibus prohibitorum eſt, ut quilibet admittatur, qui non repellitur aliqua Lege à teſtimonio ferendo, *l. 1. ff. h. t.* Accedit, quod quilibet præſumatur idoneus, niſi probetur malus, *c. ult. de Præſumpt.* cum concordantiis.

10 Reſp II Etſi plures Doctores velint, quod Teſtis idoneus idem ſit, ac Teſtis omni exceptione major: verius tamen eſt, quod Teſtis omni exceptione major ſit aliquid plus, quam idoneus. Prior pars eſt Gloſſæ *in c. 1. ℣. Majores de Conſang. & affinit.* ubi inquit, quod illi *Teſtes dicantur omni exceptione majores, qui repelli non poſſunt aliqua exceptione.* Idemque tradit alia Gloſſ. *§. Item verborum verſ. Idoneos Inſtit. de Inutilib. ſtipulat* & Abbas *in cit. c. 1. n. 5. de Conſanguin. & affinit* ac plurimi alii, quos pro hac ſententia citat Proſp. Farin. *de teſtib. qu. 62. n. 2.*



11 Altera verò pars eſt Maſcardi *de probat. Concl. 1024. n. 15.* ubi inquit, quod Teſtis idoneus plurimum diſtet à Teſte omni exceptione majori: & allegat pro hoc ſuo dicto Felinum *in Rubric. de Sponſalib. col. 5. nu. 5.* Socinum Jun. *conſ. 88. n. 8. vol. 2.* idemque tenet Farin. *loc. cit. n. 3.* allegans alios. Ratio eſt: quia, ſicut in aliis rebus dantur tres gradus, videlicet poſitivus, comparativus, ſuperlativus; utputa bonus, melior, optimus, *l. Ubi autem §. 1. ff. de Verb. oblig.* ita & in Teſtibus idoneis debent admitti Teſtes magis idonei, qui ſcilicet majoris exiſtunt honeſtatis & exiſtimationis, *c. In noſtra 32. h. t.* & Teſtes ſumme idonei, qui nimirum ſunt optimæ opinionis & qualitatis. Unde conſequens eſt, quod Teſtis idoneus, veluti poſitivo contentus, minorem qualitatem importet, quam Teſtis omni exceptione major, ſeu in comparativo acceptus: hic enim cenſetur eſſe fidelior teſtis, ac magis fide dignus, quam Teſtis ſimpliciter idoneus, ſeu legitima exceptione non repellibilis. Ita Farinacius *cit. n. 3.* credens, hanc eſſe veritatem, quidquid in contrarium alii Doctores affirmarint.

12 Quæritur III. Qui generatim ſint Teſtes minus idonei, ſeu inhabiles? Reſp. I. *Teſtes minùs idonei* (qui alio nomine *Teſtes inhabiles* appellantur) ſunt illi, quibus aliquid opponi poteſt, quod eorum teſtimonium debilitat, vel penitus evacuat. Ita in re communis.

13 Porrò ex duplici defectu generatim contingit Teſtes reprobari: videlicet, aut ex vitio perſonæ; ut quia aliquis eſt infamis, ſervus, impubes, aut hujuſmodi: aut ex dictis ſuis; puta, quia contraria, obſcura, inveriſimilia, vel hujuſmodi repoſuit. Maſcardus *de Prob. concl. 1363. n. 1.* Quamquam per hoc non negetur, quin teſtes etiam poſſint reprobari ob defectum legitimi examinis, juxta dicenda inferiùs *§. 18. n. 355.* ſed quia defectus iſte non ſe tenet ex parte teſtium, meritò impræſentiarum tacetur.

14 Atque idcircò præter eam, quæ poteſt opponi contra examen teſtium, dantur generatim duplicis generis exceptiones, quæ contra Teſtes fieri, ipſiſque opponi poſſunt. Aliæ quippe concernunt perſonam Teſtium, videlicet ratione vitii ipſam comitantis: & hæ regulariter ſunt opponendæ ante publicationem atteſtationum, *cap. Præſentium 31. h. t.* atque ampliùs dicetur infra *cit. §. 17. n. 537. & ſeq.* Quædam verò exceptiones reſpiciunt dicta Teſtium: utputa, quod Teſtis deponat abſque ratione ſcientiæ, vel deponat contraria, ſive impertinentia, & hujuſmodi. Et tales exceptiones contra dicta Teſtium proponendæ, ſunt poſt publicationem atteſtationum; hoc ipſo, quòd anteà ſciri nequeat à partibus, quid Teſtes dixerint, ſive depoſuerint; prout etiam infrà *n. 539.* dicetur.

15 Reſp. II. Vitium perſonæ, ob quod Teſtes cenſentur minùs idonei, ſeu inhabiles ad teſtificandum, ſicque reprobari poſſunt, rurſus oritur dupliciter; nimirum vel ex natura rei, vel ex Juris diſpoſitione. Ita communis; & patet inductione. Sic quippe ex natura rei, repelluntur à ferendo teſtimonio Infantes, utpote carentes uſu rationis. Item Amentes, & Furioſi, qui ſicut à natura impediuntur, ne Judices ſint, *can. 1. §. Tria ſunt cauſ. 3. q. 7.* ita pari modo à natura impediuntur, ne Teſtes exiſtant; cum mente careant, ſeu durante furia ignorent, quid dicant. Cæterùm ex Juris diſpoſitione plores alii repelluntur à ferendo teſtimonio quamvis omnes perfectum uſum rationis habentes cenſeantur idonei teſtes, niſi aliquid in ipſis reperiatur, ratione cujus velit Jus ipſos repellere à ferendo teſtimonio. Unde

16 Reſp. III. Eorum, qui ex Juris diſpoſitione cenſentur teſtes minùs idonei; ſicque repellendi à ferendo teſtimonio in Judicio, diverſa ſunt genera: ita tamen, ut eorum nonnulli ſimpliciter & abſolute, hoc eſt, in quacunque cauſa, & reſpectu quarumvis perſonarum, ſint inhabiles ad ferendum teſtimonium: alii verò duntaxat reſpectu certarum perſonarum vel cauſarum. Ita rurſum communis; & patet inductione. Sic enim ſimpliciter & abſolute (hoc eſt, reſpectu quarumcunque perſonarum, & cauſarum) repelluntur à ferendo judiciali teſtimonio Infames, & Criminoſi, Servi, & Impuberes; prout ex profeſſo dicetur *§. 2. & 3.* afferendo ſimul quaſdam limitationes, in quibus ipſi admitti poſſunt. Porrò reſpectu certarum perſonarum adhuc dupliciter contingit, quoſdam eſſe teſtes inhabiles: nam aliqui prohibentur eſſe teſtes pro certis perſonis, ſive in favorem ipſarum; ut Parentes pro Filiis, & econtrà, Conſanguinei pro Conſanguineis, & Domeſtici ad invicem. Alii verò nequeunt eſſe teſtes contra certas perſonas, ſive in earum præjudicium teſtificando: ut inimicus contra illum, cum quo gerit inimicitiam, Judæus contra Chriſtianum, & hujuſmodi. Tandem aliqui nequeunt eſſe teſtes in certis cauſis: ut Clerici in cauſa ſanguinis, Mulieres in cauſa criminali, & ſi qui ſunt alii tales, de quibus ſingillatim in progreſſu.

17 Quæritur IV. Utrùm Judex ex officio teneatur inquirere de conditione teſtis, ipſumque, ſi inhabilem invenerit, reprobare? Ubi prænotandum cum Doctoribus proxime citandis, quod dentur quædam Inhabilitates teſtium, quæ per partes remitti non poſſunt: eò quòd alioquin læderetur Jus publicum, & favor communis Reipublicæ, ipſorumque Judiciorum decor violaretur: uti fit in Teſtibus infamibus, excommunicatis, hæreticis, ac hujuſmodi. Aliæ verò ſunt inhabilitates, ſeu exceptiones teſtibus objicibiles, quæ tamen remitti poſſunt ab eo, contra quem producuntur: vel tacite, nihil videlicet contra teſtes ejuſmodi opponendo: vel etiam expreſſe, ſcienter in eorum teſtimonium conſentiendo. Exemplum hujus habetur *in c. Licet 9. de Prob.* ubi exceptiones contra teſtes intra certum duntaxat terminum, v. g. intra menſem, fieri permittuntur; ac proinde, niſi tunc factæ fuerint, ipſo facto cenſentur remiſſæ. Concordat *cap. Præſentium 31. h. t.* ubi poſt publicatas atteſtationes prohibentur fieri oppoſitiones in perſonas teſtium (exceptis certis caſibus ibidem expreſſis) ac proinde, quæ antea non fuerunt propoſitæ, intelliguntur remiſſæ. Concordat textus *in l. Si quis teſtibus C. h. t. & can. Si teſtes §. Si quis teſtibus 4. q. 3* ubi aperte habetur, teſtem cæteroquin inhabilem poſſe de conſenſu partium admitti, admiſſumque probare contra producentem.

18 Atque iſtud tunc vel maxime contingit, quando teſtes repelluntur non odio ipſorum teſtium, hoc eſt, non ex defectu ſuæ perſonæ; ſed juxta Legum diſpoſitionem dicuntur repellendi favore partis: ut quia teſtis productus, eſt producentis frater, conſanguineus, domeſticus, vel ei contra quem producitur inimicus, ſicque veluti ſuſpectus repelli poteſt. Tunc enim, ſi nihilominùs pars adverſa ejus teſtimonium velit admittere, poterit favori, pro ſe introducto renuntiare, illudque admittere: prout de conſenſu utriuſque partis admittitur, atque ad teſtificandum compellitur Proxeneta, ſeu Mediator, *Auth. de Teſtib. §. quoniam, Collat. 7.* His prænotatis.

19 Reſp. I. Judex ex officio ſuo debet inquirère de conditione teſtium; & ſi aliquem eorum repererit inhabilem inhabilitate per partes non remiſſibili, tunc ex officio poteſt ipſum repellere. Ita Felinus *in c. Intimavit 18. n. 9.* & Abbas *ibid. nu. 3.* juncta Additione, *verſ. Judex h. t.* Jo: Andreas *in Addit ad Speculatorem tit. de Teſte §. 1. n. 19. ℣. Prohibet. & §. Sæpe num. 1. verſ. Præſentium* Maſcardus *de Probat. Concl. 136. n. 12. & 13.* & aliis, quos citant. Et quidem prior pars patet *ex can. Si qui ſunt 2. q. 7.* ac notat Gloſſa *in L. 1. ℣. De nominibus ff. de Magiſtrat. conveniend.* ubi ex verbis dictæ Legis infert, quod *Judex debet inquirere de conditione teſtis.* Idipſum clariùs habetur *in L. 3. §. 1. ff. de Teſtib.* illis verbis: *Teſtium fides diligenter examinanda eſt: ideòque &c.* ſubjungendo modum explorandi fidem teſtium. Concordat recepta praxis Tribunalium, in hunc ipſum finem teſtibus proponentium quædam Interrogatoria generalia, ſtatum & conditionem ipſorum concernentia.

20 Altera vero pars, ſeu quod Judex ex officio ſuo poſſit repellere teſtem, quem novit eſſe inhabilem inhabilitate per partes non remiſſibili: deſumitur *ex l. quos prohibet ff. de Poſtuland.* quæ in ſimili vult, quod Judex Advocatus inhabiles repellat à poſtulando, illoſque *omnimodo prohibeat, etiamſi adverſarius eos patiatur poſtulare.* Ubi Gloſſa *fin.* diſtinguit inter defectus, qui conſenſu partium remitti, vel non remitti poſſunt: & intelligendo citatam Legem de defectibus per partes non remiſſibilibus, ſicut &

Bar-

Bartolus *ibid.* addit, prohibitionem illam fieri ex cauſa decoris Prætoris, ſive propter honorem, & auctoritatem Judicis (hæc enim vileſceret ex conſortio Advocatorum, ſeu Teſtium adeò defectuoſorum, puta infamium, vel criminoſorum) ſicque ex cauſa publicæ utilitatis.

21 Reſp. II. Quod ſi defectus, ſeu inhabilitas teſtis, per partes eſt remiſſibilis, tunc Judex nequit repellere teſtem, niſi ad inſtantiam, ſeu exceptionem partis, contra quam is producitur: alioquin enim, ſi hæc non excipiat, cenſetur teſtis ille ex hujus conſenſu ſaltem tacito habilitatus, atque ad ferendum teſtimonium admiſſus. Ita Felinus *cit. c. Intimavit n. 19. b. t.* aſſerens, quod iſta ſint aurea dicta Jo: Andreæ *ubi ſupra*, & idem Felinus *c. Litteras n. 14. de Præſump.* expreſſe diſtinguens inter exceptiones contra perſonas, & dicta teſtium, favore partis introductas, quæ ſi non opponuntur, per partem adverſam remitti cenſentur: & inter alias exceptiones, introductas odio teſtis; ut eſt excommunicatio, vel bannum, ac hujuſmodi, quæ per partem remitti nequeunt; Idemque tradit Maſcardus *cit. Concl. 1363. n. 13. & 14. & Concl. 408. n. 22.* poſt Baldum *in l. Si quis teſtibus col. ult. C. b. t.* & alios. Farinac. *de Teſtib. q. 62. n. 192.* allegans plurimos alios, & notanter ſic diſtinguens. Accedit ratio; tum quia poteſt quis, ſi vult, renuntiare favori pro ſe introducto, non autem favori publico, *c. Si diligenti 12. de Foro compet.* ac proin poteſt etiam pars remittere exceptiones teſtium in favorem ſui introductas, etſi ſecùs ſit dicendum de aliis ob favorem publicum, ſeu ex ratione decoris Tribunalium introductis. Tum quia generaliter loquendo, valet actas parti cuipiam præjudicialis, niſi pars illa expreſſe contradixerit, *Arg. L. 1. C. de Relation* & notat Bartolus *ibid. §. Ultimò nota*; eſtque jam dictum ſupra *Tit. 8. de Dilationibus §. 3. n. 57. & 58.*

22 Quæritur V. Utrùm teſtis à Judice examinatus, & interrogatus, an ſit criminoſus, vel aliunde inhabilis ad teſtificandum, teneatur reſpondere, ſuamque inhabilitatem confiteri? Ratio dubitandi, & affirmativam tenendi eſt: quia Judicis eſt, explorare in perſona teſtium, an quis ſit Decurio, vel plebejus; an honeſtæ & inculpatæ vitæ, vel reprehenſibilis; an locuples, vel egens, ut lucri cauſa quid facile admittat; vel an ſit illi inimicus, adverſus quem fert teſtimonium, vel amicus ei, pro quo fert teſtimonium, *text. clar. L. 3. §. 1. ff. de Teſtib & can. Si teſtes §. Teſtium fides 4. q. 3.* Ergo ſi Judex de his ex officio poteſt interrogare, etiam teſtis ei interroganti tenetur reſpondere. Accedit ſtylus Tribunalium, in quibus varia Interrogatoria circa perſonas teſtium fieri ſolent: utputa, ſingulos eorum interrogando de nomine, ætate, & conditione ſua, an ſit dives nec ne ei aliquid fuerit datum vel promiſſum, ut ſic teſtificetur, an ſit amicus vel inimicus alicujus partium, ac hujuſmodi: prout refert Speculator *tit. de Teſte §. jam de interrog. n. 19.* poſtea breviter ſubjungens, quod teſtis interrogari debet de omni eo, propter quod repelli poteſt. Et tales interrogationes eſſe in uſu, teſtatur etiam Abbas *c. cùm cauſam n. 13. b. t.*

23 In oppoſitum autem, ſeu pro ſententia negativa facit: quia nemo tenetur prodere ſe, & propriam turpitudinem detegere, ac Judici denuntiare, *arg. can. quis aliquando §. His autoritatibus de Pænit. diſt. 1. & l. Aliat autem ff. de Jurejurand.* Hoc enim valde durum foret, & conditioni naturæ humanæ repugnans. contra *can. Erit autem lex diſt.* Neque videntur urgere Jura proxime allegata: quia ibi ſolùm dicitur, quod Judex debeat explorare in perſona teſtium, quæ proxime enumerantur, quod rectè ſit, ſi talia exploret apud ſe, vel ab aliis: non tamen dicitur, quod talia debeat explorare ab ipſomet teſte, ſaltem loquendo de iis, quæ propriam ejus turpitudinem, ſeu crimen concernunt; prout reſpondet Hoſtienſis *c. cùm cauſam n. 20.* & Jo: Andreas *n. 15.* & Abbas *cit. n. 13. de Teſtib.* Atque ob haſce, & alias hujuſmodi rationes, in utramque partem militantes Doctores in diverſas abeunt ſententias: prout videre eſt apud Abbatem *loc. cit.* ubi ſex circa hoc DD. ſententias enumerat; & Farinacium *de Teſtibus q. 73. n. 34. & n. 53. & ſeqq.* Unde majoris claritatis gratia, & competentem diſtinctionem adhibendo

24 Reſp. I. Poteſt teſtis à Judice interrogari, teneturque reſpondere de omnibus illis, quæ reddunt eum inhabilem ad teſtificandum, ſimulque crimen ſeu turpitudinem ipſius non detegunt. Ita Speculator *cit. tit. de Teſte §. Jam de interrogatoriis n. 19.* Abbas *d. c. cùm cauſam n. 13. b. t.* Farinacius *cit. q. 73. n. 34. & 70.* allegans plurimos alios. Ratio eſt, quæ ſuprà *n. 22.* allegatur; ſimulque iſtud probat recepta praxis Tribunalium, & longæva eorum conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, *c. cùm dilectus de Conſuetud & l. Si de interpretatione ff. de Legibus* Idipſum declaratur exemplis; ſic enim poteſt teſtis interrogari, ac vi præſtiti juramenti de veritate dicenda tenetur Judici interroganti reſpondere, cujus ſit nominis, conditionis, ac ætatis: puta, an ſit impubes, nec ne; an ſit dives, vel pauper; nam paupertas non eſt de genere malorum, ſicque non infamat, *can. Illa cavenda 15. q. 1.* Abbas *cit. c. cùm cauſam n. 14. b. t.* Farinacius *loc. cit. n. 54.* allegans alios. Poteſt etiam interrogari, an ſit amicus, ſeu conſanguineus producentis, haud obſtante, quod idcircò ſit repellendus, & hujuſmodi; talia enim non infamant, nec detegunt turpitudinem teſtis: ſicque ſunt aperienda Judici, utpote qui ex officio ſuo talia inquirere, ac interrogare tenetur.

Reſp. II. Loquendo tamen de iis, quæ concernunt crimen, infamiam, vel turpitudinem ipſius, tunc teſtis de talibus non poteſt à Judice interrogari, & interrogatus non tenetur reſpondere. Ita Abbas *cit. n. 14.* poſt Jo: Andream *in Addit. ad Speculatorem tit. de Teſtib. §. Jam de interrogatoriis n. 22.* Baldus *in cit. c. cùm cauſam n. 51.* & Hoſtienſis *ibid. n. 20. de teſtib.* Farinacius *cit. q. 73. n. 53.* allegans plures alios: contra Gloſſam *in d. c. cùm cauſam, V. De cauſis b. t.* ubi ſentire videtur, quod ſaltem reſpondere teneantur ad ea, de quibus traditur *in L. 3. ff. de teſtib.* ibi enim inter cætera Judex in teſtibus explorare jubetur, *An honeſtæ & inculpatæ vitæ, an verò notatus quis & reprehenſibilis ſit*: & contra Joannem *can. quærendum 2. qu. 7.* & nonnullos alios, qui volunt, teſtem non poſſe quidem interrogari de crimine in ſpecie, bene tamen in genere, an ſit criminoſus, ſeu an commiſerit aliquod crimen, ob quod ſit infamis. 25

Ratio concluſionis eſt: quia in ſimili pars non tenetur reſpondere poſitioni criminoſæ, ſeu factæ ſuper crimine ejus, contra quem ſit, juxta Gloſſam in *cap. 2. V. abſque rationabili cauſa de Confeſſis n. 6* ergo multo minùs tenetur teſtis reſpondere tali interrogationi; prout argumentatur Baldus *cit. n. 51.* Accedit, quod etiam Reus à Judice interrogatus non teneatur confiteri crimen; niſi prævia ſemiplena probatione: alioquin enim poteſt Judicis Interrogationem bono modo, aut verbis æquivocis declinare, juxta ampliùs dicta ſuperiùs *Tit. 18. de Confeſſis §. 7. n. 154. & ſeqq.* Idipſum ſuadet ratio *n. 23.* relata: quia videlicet nemo tenetur ultrò ſe prodere ſuamque turpitudinem Judici denunciare. Unde ſi defectus ille, quo teſtis laborat, adhuc eſt occultus, tunc adverſario contra ipſum excipienti incumbit probatio defectus hujuſmodi, *L. 2. ff. de Prob.* alioquin teſtis ille præſumitur bonus, & idoneus, *c. ult. de Præſump.* cum ſimilibus. Si verò defectus ille eſt publicus, ſimulque per partes non remiſſibilis, jam Judex ex officio tenetur teſtem repellere: vel, ſi ille per partes remitti poteſt, nec tamen adverſarius excipit, cenſetur is hoc ipſo in teſtem illum conſentire, ipſumque ad ferendum teſtimonium habilitare, juxta proxime dicta *nu. 18. & 21.* 26

Reſp. III. Etſi teſtis non teneatur reſpondere de iis quæ continent ſuum crimen, aut turpitudinem, ut dictum: nihilominùs ſi reſpondeat, & ultrò confiteatur, creditur ipſi contra ſeipſum, ſicque repelli debet. Ita Innocentius *in c. 2. de Confeſſis*, & alibi, quem refert, ac ſequitur Abbas *cit. c. cùm cauſam n. 13. b. t.* Farinacius *d. q. 73. n. 67.* allegans alios. Ratio eſt: quia talis confeſſio fit in judicio, ſimulque eſt de circumſtantiis teſtimonii: ergo, ſi fiat, fides eidem erit adhibenda, ut *c. Inquiſitionis 21. §. tertiæ de Accuſat.* 27

Nec obſtat, ſi dicatur, poſſe talem confeſſionem fieri à teſte, ut evitet teſtimonium, ſeu non cogatur ad iſtud ferendum. Nam contra eſt: quia non eſt veriſimile, quod quis tantam turpitudinem ſuam in publico judicio mendaciter aſſeveret, nam crudelis eſt, qui negligit famam ſuam, *can. Nolo 12. q. 1.* Quamvis Speculator *tit. de teſte §. 1. n. 43.* aſſerat, ſtante tali dubio teſti deferendum eſſe juramentum, vel veritatem plenariam eſſe inveniendam per torturam; *arg. can. illi 5. q. 5. & can. Indicantem 30. q. 5. & c. cùm Joannes §. fin. de Fide Inſtrument.* 28

§. II.



## §. II.

## De Infamibus, & Criminoſis, ceu teſtibus minùs idoneis, ac repellendis.

### S U M M A R I U M.

29 *Infamia &*
*Fama bona, quid? Ibid.*
30 *Teſtis infamis, quis?*
*Infamia æquiparatur morti. Ibid.*
31 *Infamia alia eſt facti.*
*Et an etiam hæc oriatur ex vita bonorum? Ibid.*
32 *Alia juris.*
*Hæc infertur dupliciter, videlicet ipſo facto, aut per ſententiam Judicis. Ibid.*
33 *Quando cenſeatur inferri ipſo facto?*
34 *Et quando per ſententiam Judicis?*
35 *Qualiter utraque infamia repellat teſtem à teſtificando?*
36 *Secundùm Canones poteſt addi tertium membrum, videlicet infamia canonica.*
*Hæc irrogatur ex quolibet peccato mortali. Ibid.*
37 *Infames ſecundùm Canones cenſentur omnes, quos ſæculi Leges pronuntiant infames.*
*Niſi ſpecialiter iſthæc infamia per Canones tollatur. Ibid.*
38 *Infames in ſpecie, qui?*
39 *Infamia juris orta ex crimine occulto, tollitur per pœnitentiam.*
40 *Eaque peracta licet ſacros Ordines ſuſcipere, &c.*
41 *Secùs dicendum de infamia orta ex crimine manifeſto Et nu. præced.*
*Hanc non niſi Princeps authoritative tollere poteſt. Ibid. Et nu. 46.*
42 *Infames infamia juris non admittuntur ad teſtificandum, tam in cauſis criminalibus, quam civilibus.*
43 *Idem dicendum de excommunicato, quia reputatur inter infames.*
*Adeò, ut excommunicatus non admittatur ad teſtificandum contra alium excommunicatum ibid.*
44 *Intelligendo iſtud de excommunicato vitando.*
*Et quid de excommunicatis non vitandis? Ibid.*
45 *Infamis infamia juris, etiam parte non opponente, poteſt ex officio Judicis repelli à ferendo teſtimonio.*
46 *Eſtque inhabilis ad teſtificandum, etiamſi ſit de crimine emendatus.*
47 *Infamia repellens quempiam à teſtificando, debet attendi pro tempore lati per eum teſtimonii, nec obeſt ſuperveniens.*
48 *Repellitur tamen qui tempore præſtiti juramenti erat habilis, ſed ante teſtificationem ſuam incurrit infamiam.*
49 *Infames infamia facti, an, & quando excludantur à ferendo teſtimonio?*
50 *Dantur tamen plures caſus, in quibus Infames infamia juris admittuntur ad teſtimonium. Et n. ſeqq.*
*Uti ſit in criminibus exceptis ibid.*
51 *Item, quando veritas aliter haberi non poteſt.*
52 *Quomodo iſtud ſit intelligendum?*
*Et qualiter tunc perſonis infamibus credatur? Ibid.*
53 *Item, quando infamis ab utraque parte fuit rogatus.*
54 *Et ſi infamis tempore dati teſtimonii non reputabatur talis.*
*Valet Teſtamentum, ad quod ſervus, vel infamis adhibitus fuit, quando tunc communi opinione reputabatur liber, vel bonæ famæ ibid.*
55 *Criminoſus, quis?*
56 *Criminoſus vel adhuc perſeverat in crimine, vel jam eſt emendatus.*
*Et quomodo probetur emendatus? Ibid.*
57 *Criminoſus poſt lapſum triennii honeſte peracti, cenſetur emendatus.*
58 *Criminoſus jam emendatus admittitur in cauſis civilibus ad teſtimonium: ſecùs, ſi nondum eſt emendatus.*
59 *Iſtud ſpectato Jure Canonico procedit, dummodò crimen teſti objectum legitime probetur, licet antea de eo non fuerit condemnatus.*
60 *De Jure tamen Civili requiritur, ut de crimine illo fuerit antea judicialiter condemnatus.*
61 *In cauſis criminalibus criminaliter motis, repellitur teſtis criminoſus.*
*In his requiruntur indiſtinctè probationes apertiſſimæ, ac teſtes carentes omni ſuſpicione, vel macula ibid.*
62 *Adeò, ut etiam ex unico crimine quis repellatur.*
63 *Cur Judex criminoſus non infamis, nequeat per exceptionem partis repelli à judicando; bene tamen teſtis criminoſus?*
64 *Dantur nihilominus plures caſus, in quibus Criminoſus emendatus admittitur pro teſte, in cauſis etiam criminalibus. Et n. ſeq.*
*Puta, in criminibus exceptis; & quando veritas aliter haberi nequit ibid.*
65 *Item, parte non opponente.*
66 *Ad repellendum teſtem criminoſum non ſufficit objicere crimen in genere &c.*
67 *Teſtes criminoſi admittuntur ad probandam innocentiam Rei.*
68 *Ac in cauſis, in quibus non requiritur plena probatio.*

29 Quæritur I. Quid, & quotuplex ſit Infamia, & quis Teſtis infamis? Reſp. I. *Infamia* vi nominis idem eſt, ac privatio ſeu diminutio bonæ famæ. Et quia bona fama, ſive *Exiſtimatio, eſt dignitatis illæſæ ſtatus, legibus ac moribus comprobatus*: pro ut dicitur *l. Cognitionem ff. de Variis & extraord. cognition.* Hinc econtrario *Infamia eſt læſæ dignitatis ſtatus, vita & moribus reprobatus*; ut loquitur Fagnanus *in c. Veſtra n. 31. de Cohabit. Cleric.* allegans alios.

30 Ac per hoc patet, quis cenſeatur *Teſtis infamis*, nempe is, qui laborat infamia, ſeu mala fama. Quam quidem infamiam morti æquiparari, probat textus *in l. Juſta ff. de Manumiſſis vindicta & l. Iſti quidem §. Quod ſi, ff. De eo, qui metus cauſa &c.* Farinacius *de Teſtib. q. 56. n. 1.*

31 Reſp. II. Infamia eſt duplex, alia juris, alia facti. Ita Gloſſa *can. infames 3. q. 7. V. infamia.* Bartolus *in L. 1. §. Secundò videndum ff. De iis qui notantur infam.* & communis *Infamia facti* accidit, quando quis tale quid commiſit, ſeu perpetravit, propter quod ejus bona fama, ſeu exiſtimatio, apud probos & honeſtos viros læditur, ſeu aggravatur, licet Jure aliquo expreſſo non notetur infamia. De hac fiat mentio *in c. Teſtimonium 54. b. t.* illis verbis: *Aut gravata ſit ejus opinio.* Idem & *in L. 2. ff. de Obſequiis à Liberis &c.* ibi: *Licet enim verbis Edicti non habeantur infames ita condemnati, re tamen ipſa, vel opinione hominum non effugiunt infamiæ notam.* Simile quid habetur *in l. Ea quæ C. Ex quibus cauſ. infam. irrog. & can. Sunt plurimi 6. q. 1.* In quo poſteriori loco dicitur, infamiam facti etiam ex vita bonorum oriri poſſe, quando hæc ab ore vituperantium ſuffocatur, juxta illud Apoſtoli 2. Corinth. 6. *Per infamiam, & bonam famam.* Verùm iſtud poſterius non niſi impropriè accipi poteſt: nam ex actibus bonis, ac virtuoſis, nequit bona fama alicujus apud probos & honeſtos lædi; alioquin enim hoc ipſo tales, ob conceptum temerarium judicium, non ampliùs forent probi & honeſti.

32 *Infamia juris* eſt, quæ ab ipſo Jure infligitur, ſeu decernitur in certa crimina committentes. Atque hæc infertur dupliciter, videlicet vel ipſo facto, vel per ſententiam judicis: juxta textum *in can. infames §. Porrò 3. qu. 7.* ac nota Gloſſa *ibid. verſ. infamia* Abbas *c. Teſtimonium n. 6. b. t.* Bartolus *ubi ſup.* & alii.

33 *Infamia ipſo facto* inferri cenſetur, quando hæc delinquenti infligitur ipſo jure, abſque miniſterio judicis: tunc enim eo ipſo, quod quis facit aliquid prohibitum, ipſum Jus profert ſententiam, & infamiam irrogat. Et hoc eſt, quod dicitur *ipſo facto*, id eſt, propter ipſum factum: ſeu (ut alii loquuntur) *ipſo jure*, hoc eſt, Jure ita ſententiante, ſeu ſtatuente. Exempla eorum, qui ſecundùm Leges ipſo facto infamiam incurrunt, ponuntur *in cit. L. 1. à princip. ff. De iis qui notantur infam.* ut ſunt, ignominioſe dimiſſi ab exercitu, hiſtriones, exercentes lenocinia, & hujuſmodi; quibus Engel *b. t. n. 14.* addit deprehenſos in adulterio, contrahentes inceſtuoſas nuptias, polygamos, ac ſepulchrorum violatores.

34 *Infamia per ſententiam judicis* econtra inferri cenſetur, quando ea per Jus decreta fuit in committentes certa de-

delicta, ita tamen, ut primùm ſit contrahenda, poſtquam quis per judicis ſententiam de tali crimine condemnatus fuit. Sic contingit, quando *quis in judicio publico, calumniæ, prævaricationiſque cauſa quid feciſſe judicatus fuerit: qui furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, de dolo malo, & fraude ſuo nomine damnatus, pactuſve erit*, & hujuſmodi; prout loquitur textus *in cit. L. 1. §. Qui in judicio ff. De iis, qui notant. infam.* ac per Leges ſequentes ibidem ampliùs declaratur. Quibus in verbis eſt ponderandum ly, *judicatus fuerit*, *damnatus erit*. Unde Bartolus *in cit. L. 1. §. Circa quam diſtinguendum*, inquit, quod ibi infamia non irrogetur ipſo facto per Legem, niſi ſuper facto ſequatur ſententia judicis.

35 Et quidem infamia ipſo facto contracta repellit teſtem à teſtificando ſtatim, etiam non exſpectata ſententia judicis. Farinacius *de Teſtibus, quæſt. 56. nu. 35* Secùs dicendum de Infamia, quæ quidem à Jure ſtatuta eſt in delinquentes, non tamen ipſo facto contrahitur; ac proinde, donec ſequatur condemnatio judicialis ſuper crimine admiſſo, teſtem à teſtificando non repellit. Farinacius *loc. cit. n. 35. & 36.* poſt Tiraquellum *De revocad. donat. V. Revertatur n. 385.* & alios.

36 Reſp III. Præmiſſæ duplici Infamiæ poteſt ſecundum Canones addi tertium membrum, videlicet *Infamia Canonica*: hoc eſt, illa, quæ irrogatur ex quolibet peccato mortali. Ita Gloſſa *in can. Infames 6 quæſt. 1. verſ. Fures*, ex texto illius Canonis concludens, quod omne crimen infamat ſecundùm Canones. Speculator *tit. de Teſte §. 1. nu. 25* Fagnanus *can. Veſtra n. 37. de Cohabitat. Cleric.* Idque ulterius deſumitur *ex can. Omnes & can. Illi qui 6. q. 1.* In quo poſteriori loco Fabianus Papa omnes eos, qui illa peccata perpetrant, de quibus Apoſtolus *ad Galat cap. 5.* ſcribit: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*: valdè cavendos eſſe dicit: *quia infamiæ maculis ſunt aſperſi*. Ubi proinde Gloſſa *verſ. Leges*, hanc Infamiam appellat *Canonicam*; ac ſequuntur Doctores jam allegati, & alii.

37 Quæritur II. Quinam ſecundùm Canones cenſeantur Infames? Reſp. I. Infamia juris ſecundùm Canones contrahitur ex omnibus criminibus, ſive cauſis, ex quibus Jure Civili notatur quis infamia: niſi infamiam Jure Civili introductam Canones ſpeciatim ſuſtulerint. Ita communis. Et quidem prior pars patet *ex can. Omnes 6. qu. 1.* ubi Hadrianus Papa expreſſe ſic loquitur: *Omnes verò infames eſſe dicimus, quos Leges ſæculi infames appellant.* Concordant textus *in can. Infames 6. quæſt. 1.* ibi: *infames eſſe dicimus omnes eos, quos Eccleſiaſticæ, vel ſæculi Leges infames pronuntiant.* Altera verò pars probatur *ex cap. ultim. de Secundis nuptiis*; ubi infamia illa, quæ Jure Civili *in L. 1. C. de Secund. Nupt.* decreta fuerat in mulierem intra annum luctus nubentem, ſpecialiter ſublata fuit; eò quòd nubens poſt obitum viri, etiam intra annum, conceſſa ſibi ab Apoſtolo, *1. Corinth. 7.* utatur poteſtate.

38 Reſp. II. Quænam perſonæ in ſpecie cenſeantur Jure Canonico infames; refertur *cit. c. Infames 9. q. 1.* Et ſunt *omnes, qui Chriſtianæ Legis normam abjiciunt, & Statuta Eccleſiaſtica contemnunt*: ſimiliter fures, ſacrilegi, & omnes capitalibus criminibus irretiti, ſepulchrorum quoque violatores; & qui adverſus patres armantur: ſimiliter inceſtuoſi, homicidæ, perjurii, raptores, malefici, venefici, adulteri, de bellis publicis fugientes, aut facultates Eccleſiæ abſtrahentes injuſte, calumniatores, & *omnes anathematizati, vel pro ſuis ſceleribus ab Eccleſia pulſi: & omnes, quos Eccleſiaſticæ, vel ſæculi Leges infames pronuntiant.* Concordat textus *in can. Conſtituimus 3. quæſt. 5.* ubi Euſebius Papa, renovans cana Patrum ſtatuta, denuò conſtituit, ut *homicidæ, malefici, fures, ſacrilegi, raptores, adulteri, inceſti, venefici, ſuſpecti, criminoſi, domeſtici, perjuri, & qui raptum fecerunt, vel falſum teſtimonium dixerunt, ſeu qui ad ſortilegos, divinoſque concurrerunt, ſimileſque eorum nullatenus ad accuſationem, vel ad teſtimonium ſint, admittendi, quia infames ſunt; & juſte repellendi, quia funeſta eſt vox eorum.* Hæc ibi. Quamquam Gloſſa *ibid. verſ. Quia infames*, recte notet, illa verba, *quia infames ſunt*, non eſſe referenda ad omnia ſupra dicta: quia Suſpecti, & Domeſtici, non ſunt infames, etſi ſint repellendi à ferendo teſtimonio.

39 Reſp. III. Infamia juris, quando orta eſt ex crimine occulto, tollitur, per pœnitentiam; ſecùs, quando oritur ex crimine manifeſto, de quo quis per ſententiam condemnatus fuit, aut quod aliunde notorium exiſtit. Ita Gloſſa *in can. Illi qui 6. quæſt. 1. verſ. Niſi eis* & Fagnanus *cit. can. Veſtra n. 37. de Cohabitat. Cleric.* ac Speculator *tit. de Teſte §. Opponitur n. 86.* Ratio eſt: quia ex crimine occulto, licet de jure induceret infamiam, non læditur exiſtimatio, ſeu dignitas ſtatus delinquentis coram hominibus, utpote qui occulta cognoſcere, vel de ipſis judicare nequeunt: niſi forſan tale crimen poſtea propaletur, ſeu ordine judiciario comprobetur; quia tunc ſententia declaratoria Judicis ſuper crimine admiſſo retrotraheretur, & infamia contraheretur. Farinacius *de Teſtib. qu. 56. n. 36.* & alii.

Facit ad hoc textus *in cap. ult. de Temporib. Ordinat.* ubi Clerici, qui per reatum adulterii, perjurii, homicidii, vel falſi teſtimonii, bonum conſcientiæ rectæ perdiderunt, talia crimina ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, poſt peractam pœnitentiam (excepto homicidio) non impediuntur ſacros Ordines recipere, aut in ſuſceptis miniſtrare: haud obſtante, quod ejuſmodi crimina ſoleant inducere infamiam juris. Concordant dicta ſuperiùs *Lib. 1. Tit. 6. De Electione §. 9. nu. 226. & 227.* 40

Porrò infamiam juris ex crimine manifeſto ſubortam, authoritative tollere, ſeu abolere, ſpectat ſolummodò ad Principem, ſive ad Summum Pontificem, veluti conditorem Canonis; *arg. can. cùm te 23. de Sentent. & re judic.* ac notat Gloſſa *fin.* & Barboſa *ibid. n. 6.* Covarruvias *lib. 3. Var. reſolut cap. 3. n. 3.* Fagnanus *in c. Vergentius n. 39. de Hæretic.* & alii. Adde iſtis proxime dicenda *n. 46.* 41

Quæritur III. An, & quando Infames repellantur à ferendo teſtimonio? Reſp. I. Regula eſt, quod Infamis infamia juris non admittatur ad teſtificandum tam in cauſis criminalibus, quam civilibus. Ita Farinacius *cit. qu. 56. n. 26.* Maſcardus *de Probat. Concl. 1363. n. 2.* & communis aliorum. Idque clare habetur deciſum *can: Nulli 3. quæſt 4. & cap. Conſtituimus 3. quæſt. 5. & can. Teſtes 2. quæſt. 7. & c. Præterea 7. de Teſtib cogend.* cum ſimilibus. Concordat textus *in Lege Julia ff. h. t.* ibi: *Alii verò propter notam, & infamiam vitæ ſuæ, admittendi non ſunt ad teſtimonii fidem.* Accedit ratio: quia infamis caret fide, eò quòd ſtatus ejus ſit diminutus, & vita moribuſque reprobatus: atqui fundamentum teſtimonii eſt fides, *c. Forus §. fin. de Verb. ſignif.* & notat Abbas *in c. Teſtimonium n. 6. verſ. Ego in hac materia de Teſtib.* Deinde, ferre teſtimonium, eſt honor & dignitas, *can. Præceptum 32. quæſt. 5.* ibi: *Generoſæ dignitatis teſtimonium*: juncto *can. Forus §. fin. de Verb. ſignif.* Simulque ferre teſtimonium, computatur inter actus legitimos, *l. Quoniam multi C. de Hæretic.* ibi: *Omne teſtimonium, ſicut & alias legitimas converſationes.* Atqui actus legitimi ſunt infamibus interdicti, *c. Licet ex quadam 47 §. Nec tamen de Teſtib.* ſicut & illa omnia, in quibus dignitas verſatur, *c. Infamib. 87 de Reg. Jur. in 6. & L. un. C. de infamib. lib. 10.* ergo. 42

Et hæc Concluſio ampliatur, ſeu extenditur ad Excommunicatum: nam is ad teſtimonium dicendum admitti non debet, quia reputatur inter infames, *c. Illi qui & c. Infames 6. q. 1.* Concordat textus *in c. Decernimus 8. de Sent. & excomm in 6. & c. Excommunicamus 13. de Hæretic.* ubi excommunicati non ſolùm non admittuntur ad teſtificandum, ſed etiam Judex laicus ab Eccleſiaſtico compellitur per cenſuras ad eos repellendos. Adeò, ut excommunicatus etiam non admittatur ad teſtificandum contra alium excommunicatum. Maſcardus *de Probat. Concl. 705. n. 4* Farinacius *q. 56. n. 257.* cum aliis. 43

Iſtud tamen de facto eſt intelligendum de excommunicatis vitandis; hoc eſt, nominatim denuntiatis, aut notoriis percuſſoribus Clericorum, juxta Extravag. Martini V. *Ad evitanda*. Nam excommunicatum non vitandum poteſt quidem Judex repellere à ferendo teſtimonio, ſi excommunicatio ejus publice nota eſt: non tamen tenetur eum repellere, niſi pars adverſa excipiat, atque intra octo dierum ſpatium excommunicationem probet, *cap. 1. de Exception. in 6.* Layman *lib. 1 tract. 5. par. 2 cap. 2 n. 14.* allegans communem; & ampliùs egometipſe dixi *in Theolog. Moral. tract. 13. diſt. 2. n. 31. & 32.* 44

Reſp. II: Infamis infamia juris non ſolùm eſt repellendus à ferendo teſtimonio, quando pars adverſa excipit 45
con-



contra ipſum, opponendo infamiam juris ab eo contractam, hancque probando: ſed etiam parte non opponente, Judex ex officio poteſt ipſum repellere. Ita Gloſſa *in c. Alieni 2. q. 7. verſ. Non poſſumus.* Maſcardus *Concl. 1363. n. 2. & 11.* Farinacius *ead. q. 56. n. 34. & 36.* & alii. Ratio eſt: quia infamis laborat vitio perſonæ, quod redundaret in ignominiam Judicis, ac deſpectum Tribunalium, ſi admitteretur in teſtem, *arg. L. 1. §. 1. ff. de Poſtuland.* ubi in ſimili dicitur, quòd Prætor *ſuæ dignitatis tuendæ, & decoris cauſa*, quoſdam à poſtulando removit. Concordat textus *in l. Quos prohibet.* juncta Gloſſa *verſ. Patiatur ff. eod.* Unde inhabilitas ad teſtificandum in judicio, quæ ex infamia juris oritur, non eſt inducta favore partium, cui renuntiari poſſit; ſed odio, atque vitio perſonæ, & ad conſervandam dignitatem, publicumque decorem Tribunalium, facilè diminuendum, ſi ibi paſſim admitterentur ad ferendum teſtimonium notoriè infames, ac proinde ad officium Judicis pertinet, hujuſmodi infames, veluti inhabiles, à teſtificando poſſe repellere. Concordant dicta ſuperiùs *§. præced. n. 20.*

46 Reſp. III. Ulterius infamis infamia juris ob commiſſum crimen, eſt inhabilis ad teſtificandum, etiamſi de crimine illo jam fuiſſet emendatus Ita Gloſſa *in c. Teſtimonium, verſ. Emendatus*, & Abbas *ib. n. 1.* & Felinus *n. 34. de Teſtib.* Maſcardus *Concl. 1363 n. 16. & 17.* & alii. Ratio eſt: quia infamis etiam emendatus, non eſt teſtis integræ fidei, ſed remanet in antiqua nota infamiæ, donec hæc authoritate Principis aboleatur: quia licèt per pœnitentiam animas ſalvare poſſimus, infamiam tamen abolere non poſſumus, *c. Euphemium 2. q. 3. n. Hinc colligitur*: ſicque pœnitentia talibus infamibus non prodeſt, quantum ad hoc, ut actus legitimi ab ipſis attentati valeant, donec per Principem in integrum reſtituantur. Secùs dicendum, quando hujuſmodi infamis à Superiore fuit diſpenſatus: quia tunc deletur macula infamiæ, ac proin is cenſetur teſtis habilis. Maſcard. *l. c. n. 73* & alii.

47 Solùm nota, quòd infamia repellens quempiam à teſtificando, attendi debeat pro tempore lati per eum teſtimonii; nam habilitas teſtium conſideratur pro tempore depoſitionis. Gigàs *Conſil. 38. n. 27.* Proinde, ut notat Maſcardus *cit. Concl. 1363. n. 10.* cum aliis, inhabilitas, putà, infamia ſuperveniens poſt depoſitionem, eam vitiare non poteſt; nam quod ab initio legitimè factum, ſeu ritè ac ſecundum Leges actum fuit, non debet poſtmodum ex alio eventu retractari, *c. Factum legitime 73. de Reg. Juris in 6. & l. Sancimus C. de Adminiſt. tutor.* Neque culpandus eſt, qui teſtem pro tempore idoneum produxit, ſi poſteà is majus & infamis efficiatur: quia divinare non tenebatur, *l. Si fidejuſſor. n. Si cum debitor ff. Mandati.* Farinacius *cit. q. 56. n. 94.* cum aliis.

48 Secùs dicendum de eo, qui tempore præſtiti juramenti adhuc fuit habilis, ſed antequàm ut teſtis deponat, ſive teſtificetur, infamiam incurrit: talis enim repellitur veluti inhabilis; quia, ut proximè dictum, in teſtibus conſideratur habilitas pro tempore depoſitionis. Abbas *in c. Teſtimonium n. 5. h. t.* Maſcardus *loc. cit. n. 9.* & alii. Quamquam hoc ipſum procedat ſolummodò de teſte infami, qui tempore depoſitionis jam reputabatur infamis: quod additur ob dicenda *n. 54.*

49 Additur quoque notanter in data Concluſione *infamis infamia juris*. Siquidem Infames infamia facti, ſeu quorum fama & exiſtimatio apud viros prudentes & honeſtos graviter læſa exiſtit, in cauſis quidem criminalibus criminaliter motis excluduntur à teſtimonio (in illis enim requiruntur probationes indubitatæ, & omni exceptiones majores *cap. 1. de Exception. & c. Teſtes 2. q. 7. & l. Sciant cuncti C. de Probation.*) nihilominùs in cauſis civilibus, & criminalibus civiliter agitatis, ipſi regulariter admittuntur, licèt eiſdem de fide non parùm diminuatur. Gloſſa *in c. Teſtimonium 54. verſ. Emendatus* & Abbas *ibid. n. 6. verſ. Tertia ſcilicet infamia facti h. t.* Ubi inquit, iſtam infamiam facti in criminalibus indubiè repellere, ſicut & in cauſis civilibus gravioribus, niſi quoad faciendam præſumptionem: in aliis autem eos admitti, licèt plus, vel minùs, aut nihil ipſis credatur ſecundùm qualitatem & quantitatem infamiæ. Idem tenet Engel *h. t. n. 16.* Maſcardus *d. Concl. 1363. n. 59. & 65.* & Farinacius *cit. q. 56. n. 100 & 115. ac ſeqq.* allegans alios, atque fuſiùs iſtam materiam declarans.

Reſp. IV. Dantur nihilominùs plures caſus, in quibus Regula ſuperiùs poſita de teſtibus infamia juris laborantibus non admittendis ad teſtimonium, fallit, eſtque limitanda. Patet hoc inductione. Sic quippe imprimis accidit in criminibus exceptis, putà, in crimine Hæreſis, læſæ Majeſtatis, ac hujuſmodi: in his enim propter eorum enormitatem, ac maximam quam Reipublicæ aſſerunt perniciem, admittuntur teſtes etiam infames in ſubſidium, & cum tormentis (prout limitat Jaſon *l. Cunctos populus n. 67. C. de Summa Trinit.* & Farinacius *cit. q. 56. n. 56.* allegans alios) ac præſertim ſocii criminum de ſe judicialiter confeſſi; prout jam ſuprà *tit. 18. de Confeſſis §. 4. n. 98. & ſeqq.* dictum fuit. Ubi pariter, quæ crimina ſint excepta, & quantùm probet depoſitio Rei de ſe confeſſi, & interrogati quoad ſocios criminum, uberius declaratur. 50

Fallit ſecundò dicta Regula in caſu, quo veritas aliter haberi non poteſt, quam per infames: quia tunc iſti admittuntur pro probatione in ſubſidium, ut Judex ex eis eligat aliquam præſumptionem. Abbas *cit. c. Teſtimonium n. 6. verſ. In aliis verò*, & Felinus *ibid n. 11. h. t.* Maſcardus, *ubi ſuprà n. 52.* Farinacius *cit. q. 56. n. 50. & 55.* allegans alios. Hinc ſecundum communem theoricam, de qua teſtatur Rolandus *Conſ. 3. n. 5.* Infames admittuntur in delictis nocturnis, in quibus alii teſtes haberi non poſſunt: ſicut & ad probanda geſta in proſtibulis, admittuntur lenones, meretrices, & infames, eò quòd aliæ perſonæ honeſtæ communiter ibi non reperiantur: ſimiliterque mota quæſtione, quòd quis luſerit, & vicerit cum falſis taxillis admittuntur ſimiles luſores; cùm tales perſonæ ſimul converſentur, ſeque mutuò melius cognoſcant; prout exemplificant Farinac. *l. c. n. 52. & ſeqq.* 51

Atque hæc fallentia vel maximè tunc procedit, quando neque actu, neque habitu, poteſt veritas negotii ſive delicti aliter haberi, hoc eſt quando ex natura talis actus, ſeu criminis, non poterant alii teſtes occurrere: uti accidit in furto, adulterio, & hujuſmodi criminibus, quæ communiter in occulto fieri ſolent; item in illis, quæ contingunt in Capitulo, intra domum, vel in alio loco abdito ſeu ſecreto, *arg. l. Conſenſu §. Super plagis C. de Repudiis.* At verò ſecùs eſſe dicendum, ubi ex natura cujuſpiam facti, v. g. in publica via peracti poterant alii teſtes occurrere, licèt caſualiter non interfuerint; tenet Alexander *Conſil. 64. num. 5. & 6. lib. 1.* Maſcardus *de Probat. Concl. 1367. num 9.* Farinacius *quæſt. 62. n. 62.* cum plurimis aliis, quos allegant, aſſerentibus, quòd tunc teſtes infames, vel aliunde inhabiles non admittantur ad teſtificandum: Quia (inquiunt) ubi ex natura actus poterant alii teſtes intervenire, tunc eſt caſus contingens, quòd non intervenerit; non autem eſt caſus neceſſitatis ob quam licitum eſt recedere à regula Juris communis: multa enim permittuntur ob neceſſitatem, quæ alias non permitterentur, *c. Quod non eſt licitum 4. de Reg. Jur.* cum ſimilibus. Oppoſitum tamen, nempe quòd in caſibus, ubi certum eſt, aut ſaltem veriſimile, alios teſtes non adfuiſſe, licèt ex natura actus intervenire potuiſſent, teſtes cæteroquin inhabiles ſint admittendi in ſubſidium, ipſiſque fides adhibeatur, ſi non ad condemnandum pœna ordinaria, ſaltem ad infligendam pœnam extraordinariam, vel ad torturam, eſſe tenendum; atque ita pluries ſe vidiſſe ſervari, & quidem ſuo judicio meliùs, aſſerit Julius Clarus *lib. 1. Pract. Crim. §. fin. q. 24. n. 20.* Rationem dat: quia eadem ratio, propter quam Doctores cæteri moventur, nempe difficultas probationis, ita militat, quando conſtat alios teſtes non interfuiſſe, ſive dein intereſſe potuiſſent, ſive non. 52

Notanter tamen *n. 51.* additum fuit, *tunc iſti admittuntur pro probatione in ſubſidium &c.* Quia talibus perſonis infamibus non creditur quantum ad convincendum, ſed quantùm ad præſumptionem: unde ſi adſunt aliæ præſumptiones, valeant; per ſe autem non ſufficerent, neque conſtituerent plenam probationem. Gloſſa *in c. 1. verſ. Confeſſi, & verſ Confeſſis.*, eſtque jam dictum ſuprà *tit. 18. de Confeſſis n. 107. & ſeqq.*

Fallit tertiò eadem Regula, quando infamis rogatus fuit ab utraque parte, ut teſtis eſſet: quia tunc præſumitur ejus fides mutuo partium conſenſu approbata, & ſic creditur ei etiam ſine tormentis; alias non. Gl. *in Auth. de Teſtib. §. Et licet verſ. Et ſuppliciis, Collat. 7.* Baldus 53

*in cap. 2. n. 3. h. t.* Jaſon *cit. l. Cunctos populos num. 67. C. de Summa Trinitat.* Farinacius *q. 56. n. 92.* Maſcardus *d. Concl. 1363. n. 53.* & alii.

54 Fallit quartò, ſi infamis tempore dati teſtimonii non reputabatur talis: tunc enim valet ejus teſtimonium. Deſumitur hoc *ex L. 1. C. de Teſtament.* ubi in ſimili dicitur valere Teſtamentum, ad quod teſtis ſervus, ſed communi opinione tunc reputatus liber, adhibitus fuit: ac notat Bartolus *ibid. §. 1.* inde concludens, quòd *debet inſpici conditio teſtis putativa eo tempore, quo adhibetur teſtimonium, non poſt.* Alexander *Conſ. 24. n. 37. vol. 2.* idipſum docens de teſte infami; ac pro ſe allegans Gloſſam *fin. in l. Cùm lege ff. de Teſtam.* quæ ait, quòd infamis poteſt eſſe teſtis in teſtamento, *niſi conſtet apud omnes*, quòd ſit infamis. Maſcardus *ubi ſuprà n. 55.* Pirhing *h. t. n. 17.* Farinacius *d. q. 56. n. 86.* allegans plures alios. Tacentur nonnullæ aliæ fallentiæ, apud proximè citatos Authores videndæ: nam præmiſſæ ſunt cæteris notabiliores, ſcituque utiliores.

55 Quæritur III. Utrùm, & quando Criminoſi ſint repellendi à ferendo teſtimonio? Ubi prænotandum, quòd nomine *Criminoſi* hoc loco non intelligatur ille, qui commiſit crimen inducens infamiam juris (de tali enim Criminoſo in Quæſtione præcedenti jam dictum eſt) ſed ille, qui commiſit crimen grave, ſeu peccatum mortale, non habens annexam infamiam juris. Et cenſetur quis *Criminoſus*, ſive de tali crimine jam fuerit in judicio convictus, & confeſſus, aut condemnatus: ſive illud cuipiam nunc opponatur, & probetur: prout deſumitur *ex c. Super eo 13. & c. Teſtimonium 54. h. t.* ac notat Farinacius *cit. quæſt. 56. de Teſtib. 128. & 129.*

56 Porrò Criminoſus hujuſmodi vel adhuc perſeverat in crimine, vel jam eſt emendatus, nec eum comitatur infamia, *cit. c. Teſtimonium h. t.* Cenſetur autem quis emendatus de crimine, quando probaverit ſe egiſſe pœnitentiam, ſaltem per Sacerdotem: qualis probatio tunc requiritur, quando crimen non adeò eſt occultum, quin poſſit probari per teſtes. Abbas *in cit. c. Teſtimonium n. 14. h. t.* Probatio autem, quòd quis pænituerit, ampliùs non dicitur malus, *c. Ferrum diſt. 50.*

57 Quinimò Criminoſus etiam poſt lapſum triennii præſumitur emendatus, ſi tanto temporis intervallo ab improbè factis ſe abſtinuit, & in bonis honeſtiſque actionibus ſe exercuit. Deſumitur hoc ex *Auth. de Monachis §. Sancimus ergo Collat. 1.* ubi inter alia dicitur, quòd *etſi vitium in priori fortè geſtum eſt vita, attamen ſufficit ad mediocrem purgationem peccatorum, & ad virtutis augmentum, triennalis temporis teſtimonium:* ac notat Jaſon *l. Si priùs n. 43. verſ. Tu ergo dic ff. de Novi oper. nunciat.* Felinus *in c. Cùm deputati à princip. de Judiciis.* Maſcard. *de Probat. Concl. 466. n. 10* & alii ab his allegati Quibus prænotatis

58 Reſp. I. Loquendo de cauſis civilibus, vel criminalibus civiliter motis, tunc Criminoſus jam emendatus, & quem non comitatur infamia, admittitur ad teſtimonium: repellitur autem, ſi nondum eſt emendatus, ſed perſeverat in crimine. Textus eſt *in d. c. Teſtimonium 54.* & ibi Gloſſa *verſ. Emendatus*, & Abbas *n. 6.* & Barboſa *n. 1. h. t.* Maſcardus *de Probat. Concl. 465. n. 2. & 6.* Farinacius *d. quæſt. 56 n. 126. & 134. ac ſeqq.* & alii.

59 Atque iſtud ſpectato Jure Canonico procedit, dummodò crimen teſti objectum legitimè probetur, etiamſi quis anteà de eo nondum fuerit condemnatus; uti liquet *ex c. Super eo 13. h. t.* ubi Sommarium, Jo. Andreas, & Abbas ſic ſummant: *Crimen nunc probatum repellit teſtem, etiam alias de illo crimine non damnatum.*

60 Additur tamen, *ſpectato Jure Canonico*. Nam de Jure Civili, ut teſtis ob peccatum mortale, ſeu crimen non inducens infamiam juris repellatur, requiritur ulteriùs, quod is de tali crimine anteà judicialiter fuerit condemnatus; prout deſumitur *ex L. 3. § lege Julia ff. h. t. & l. Athletas §. Calumniator ff. De iis qui not. infam.* ubi dicitur, quòd *calumniator ita demum notatur infamia, ſi fuerit calumniæ cauſa condemnatus: neque enim ſufficit calumniatum.* Gloſſa *fin. in d. c. Super eo*, & Abbas *ibid. n. 3.* Felinus *n. 3. h. t.* Pirhing *n. 19. eod.* Farinacius *d. q. 56. n. 129.* & alii: proin hac ratione ſolvunt contraria, & concordant jura juribus, dicendo, quòd ſecundùm Leges tunc demum à ferendo teſtimonio repellatur Criminoſus, quando jam fuit condemnatus de crimine: ſecundùm Canones autem ſufficiat, quòd nunc poſſit convinci, ſeu crimen contra eum probari.

61 Reſp. II. Loquendo de cauſis criminalibus criminaliter motis, teſtis criminoſus, ut ſuprà, repellitur à teſtimonio indiſtinctè: hoc eſt, ſive perſeveret in crimine, ſive jam fuerit emendatus. Textus eſt *in cit. c. Teſtimonium 54. h. t.* ubi Gloſſa *verſ. Confeſſus*. Abbas *n. 1.* Barboſa *in Collect. n. 1.* Farinacius *cit. q. 56. n. 135.* Pirhing *h. t. n. 22.* & alii ab his citati. Concordat *can. Super eo 13. h. t.* Accedit etiam ratio: quia criminoſus, contra quem crimen eſt probatum; non eſt teſtis omnino integer; cum omne peccatum mortale, ſecundum Canones inducat infamiam canonicam, ut dictum ſuprà *n. 36.* Atqui in cauſis criminalibus criminaliter motis requiruntur probationes apertiſſimæ, & omni exceptione majores *l. Sciant cuncti C. de Probat.* debentque teſtes eſſe ſine omni infamia, ſuſpicione, vel macula manifeſta, *cap. 1. de Except. & c. Teſtes 2. q. 7. & c. Super eo 13. h. t.* ergo.

62 Atque iſtud ampliatur, ut etiam ex unico crimine quis repellatur à teſtimonio. Ita quippe deſumitur ex textu *cit. c. Teſtimonium h. t.* ubi à principio dicitur in ſingulari, quòd meritò reprobatur teſtimonium ejus, *cui à parte adverſa opponitur crimen.* Abbas *ibid. n. 3.* Farinacius *loc. cit. n. 133.* & alii.

63 Dices. Judex criminoſus non infamis, nequit per exceptionem partis repelli à judicando; ut tenet Jo. Andreas *cap. ult. n. 4. de Cleric. excomm. miniſtr.* Abbas *in c. Teſtimonium n. 4.* & Felinus *ibid. n. 4. h. t.* allegans plures alios; ergo nec teſtis criminoſus poteſt repelli à ferendo teſtimonio, niſi ſit infamis. Reſp. neg. conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt: quia Judici ſemel conſtituto jus judicandi plenè eſt acquiſitum; ſicque eo privari non debet, niſi cauſa cognita per Superiorem deponatur ab officio ſuo: ſecùs eſt in teſte criminoſo. Accedit alia ratio: tum quia majus periculum eſt in teſte, quam in Judice; cùm ab illo, ſi quis ſe gravatum ſenſerit, poſſit appellari; non item à teſte, poſtquam admiſſus eſt. Tum quia non præſumitur verum dicere, qui peccat in Deum, eò quòd peccatum ſit contrarium veritati, *c. Non poteſt 2. q. 7.* ubi inter alia dicitur: *Non poteſt erga homines eſſe fidelis, qui Deo extiterit infidus:* ac proinde criminoſus meritò repellitur à teſtificando. Secùs eſt in Judice, qui non teſtificatur, ſed inter partes dijudicat: nam hoc etiam criminoſi benè præſtare præſumuntur, exemplo Judicis iniquitatis, de quo *Luc. cap. 18.* fit mentio.

64 Reſp. III. Dantur nihilominùs plures caſus, in quibus criminoſus, ſed jam emendatus, admittitur pro teſte in cauſis etiam criminalibus criminaliter motis. Ita Maſcardus *de Probat. Concl. 465. n. 10. & ſeqq.* Farinac. *cit. q. 56. de Teſtib. n. 136. & ſeqq.* Jul. Clarus *lib. 5. § fin. q. 24. n. 19. & ſeqq.* & alii. Sic imprimis contingit in criminibus exceptis, juxta dicta *n. 50.* Secundo, quando veritas aliter haberi non poteſt: quia tunc etiam admittuntur teſtes infimes, ſaltem in ſubſidium, ut jam dictum eſt ſupra *n. 51. & 52.* Multò magis igitur idipſum eſt concedendum de Criminoſo non infami, ſimulque jam emendato.

65 Tertiò id accidit parte non opponente. Nam quando pars adverſa nihil oppoſuit contra teſtem criminoſum, quem ſciebat eſſe talem, poſteà, ſeu poſt factam ejus examinationem ampliùs opponere nihil poteſt: cenſetur enim tunc in perſonam talis teſtis tacitè conſenſiſſe, eamque approbaſſe, *arg. l. Si quis teſtibus* juncta Gloſſa ℣. *Excipere C. de Teſtib.* Felinus *c. Teſtimonium n. 3 de Teſtib.* Pirhing *h. t. num. 25.* Maſcardus *loc. cit. n. 22.* & alii.

66 Quinimò ad repellendum teſtem criminoſum non ſufficit objicere crimen in genere; ſed oportet, ut fiat ſpecificatio ipſius criminis, iſtudque objiciatur, & probetur in ſpecie, una cum adjectione loci, & temporis. Deſumitur hoc *ex c. Præſentium §. pen. & ult. h. t. in 6.* ac notat Gl. *in c. Paſtoralis ℣. Poteſtate de Exception. & c. Pia ℣. Speciem eod. in 6.* Maſcard. *d. Concl. 465. n. 23.* Farinac. *l. c. n. 142.* allegans plures alios; & Jul. Clarus *d. §. fin. q. 53. n. 2.* poſt Boerium *deciſ. 321. n. 2.* aſſerens, hanc eſſe communem opinionem. Quamquàm notoriè criminoſum poſſit Judex ex officio repellere, neq; teneatur ſequi dictũ ejus. Ancharanus *in c. Teſtimon. n. 4.* & Felinus *ib. n. 3. de Teſtib.* Pirhing *h. t. n. 25.* Farinac. *cit. q. 56. n. 145.* & alii. Adde in ſimili dicta paulo ſuperiùs *n. 45.* de Teſte infami.

67 Quartò teſtes criminoſi poſſunt, & debent admitti, ſi producantur ad defenſam, ſeu ad probandam innocentiam Rei. Pirhing *cit. n. 25.* Maſcardus *de Probat. Concl. 1363. n. 16.* Farinacius *d. q. 56. n. 137.* Jul. Clarus *cit. §. fin. q. 25. n. 20.* allegans Speculatorem *tit. de Inquiſitione §. 1. n. 22.* & Ant. Gomeſium *c. 12. Delictorum, n. 23.* atteſtantem de communi opinione: quamvis ſubjungat, hoc ita eſſe intelligendum, non ut teſtes illi omnino probent; ſed ut deinde, inſpecta facti, & perſonarum qualitate Judicis ipſius religioni relinquatur, quanta eiſdem fides ſit adhibenda, juxta textum vulgarem *in L. 3. §. 2. de Teſt.*



68 Quintò admittuntur teſtes criminoſi in illis cauſis, in quibus non requiritur plena probatio, ſed ſufficit aliqua levis & apparens: neque tunc admittitur teſtium repulſio Menochius *de Arbitrar. judic. l. 1. q. 32. n. 11.* Farinac. *q. 62. n. 206.* qui iſtud exemplificant in caſu *L. ult. C. de Edicto D. Adriani tollend.* Pirhing *h. t. n. 25.* & alii.

## §. III.

## De Servis, Impuberibus, Minorennibus, Mulieribus & Pauperibus, ceu teſtibus minùs idoneis.

### SUMMARIUM.

69 *Servi, ſeu Mancipia, prohibentur ſimpliciter eſſe teſtes in Judicio.*

70 *Niſi in defectum aliarum probationum, ac in exceptis criminibus.*

71 *Servi tamen adſcriptitii, & originarii ſunt homines liberi, nec excluduntur à ferendo teſtimonio.*

72 *Pupilli, & Impuberes, regulariter excluduntur à ferendo teſtimonio in quacunque cauſa.*

73 *Ac etiam in teſtamentis: adeò, ut eorum teſtimonium ſit ipſo jure nullum.*

74 *Fallit data Regula in certis caſibus. Et n. ſeqq.*
*Impuberes poſſunt eſſe teſtes in matrimonio. Ibid.*

75 *Atque in cauſis civilibus, ſaltem ad faciendum indicium.*

76 *Et in criminibus exceptis, ac in revelanda morte domini &c.*
*Teſtes inhabiles quandoque admittuntur, non quantùm ad probationem, ſed quantùm ad præſumptionem faciendam. Ibid. & n. 79.*

77 *Impubes, qui factus eſt pubes, poteſt teſtificari de iis, quæ vidit in ſua impubertate.*
*Et quantam fidem mereatur ejus teſtimonium? Ibid.*

78 *In teſtamentis tamen impubes nequit eſſe teſtis, licèt poſteà factus ſit pubes.*

79 *Impuberis teſtimonium admittitur in nonnullis aliis caſibus; & qualiter?*

80 *Pubes, minor tamen viginti annis, non poteſt eſſe teſtis in cauſis criminalibus, benè tamen in civilibus.*

81 *Niſi hæ fuerint arduæ, magnique præjudicii: & quæ cenſeantur arduæ?*
*Hæ æquiparantur cauſis criminalibus; & cur? Ibid.*
*Bona temporalia, dicuntur vita hominis. Ibid.*

82 *Fallit illud in iis, quæ ſunt difficilis probationis &c.*

83 *Pubes major viginti annis, non repellitur à teſtimonio, etiam in cauſis criminalibus.*

84 *Mulier poteſt eſſe teſtis in cauſis civilibus.*

85 *Non item in criminalibus, ſaltem ſpectato Jure Canonico.*

86 *Et quid ſecundum Jus Civile?*

87 *In criminibus capitalibus tres fœminæ conteſtes Reum non convincunt.*
*Secùs in furto v. g. quando agitur civiliter. Ibid.*

88 *Mulier nequit eſſe teſtis in teſtamento; niſi ad pias cauſas.*
*Benè tamen in Codicillo. Ibid.*

89 *Mulieris teſtimonium non admittitur in cauſis feudalibus &c.*

90 *Neque in cauſis civilibus arduis.*

91 *Mulier poteſt eſſe teſtis in cauſis criminalibus civiliter motis.*

92 *Et quando de crimine agitur per modum denunciationis, inquiſitionis, vel exceptionis.*
*Ac in nonnullis aliis caſibus. Ibid.*



93 *Pauper, ſeu Teſtis pauper, quis?*

94 *Regula eſt, quòd Pauper, viliſque Perſona, non ſit teſtis idoneus, & omni exceptione major.*

95 *Refertur ſententia aliorum, contrariam regulam ſtatuentium.*

96 *Sed defenditur prior regula. Et n. præced.*

97 *Hæc procedit cum primis in cauſis criminalibus.*

98 *Ac etiam in civilibus arduis, & magni præjudicii.*

99 *Secùs in non adeò arduis.*
*Ac in inſtrumentis. Ibid.*

100 *Imò & in cæteris quoque caſibus admittitur Pauper ad teſtimonium, ſi perſona ejus ſit honeſta, & neutiquam ſuſpecta.*
*Paupertas non eſt de genere malorum. Ibid.*

101 *Notabilis objectio contra præmiſſa, ejuſque ſolutio.*

69 Quæritur I. Utrùm Servi poſſint ferre teſtimonium in Judicio? Reſp. Inter eos, qui ſimpliter prohibentur eſſe teſtes in Judicio, cumprimis ſunt Servi, ſeu mancipia propriè dicta. Textus eſt *in Auth. de Teſtibus §. Si verò dicatur*, juncta Gloſſa ℣. *Ita ſit Collat. 7 & c. Si teſtes §. Servi & §. Liberi 4. q. 3. & c. Forus 10. de Verb. ſignif.* ubi hujus ratio redditur, illis verbis: *Si liber, non ſervus: nam ſæpè ſervus metu dominante teſtimonium ſupprimit veritatis.* Accedit, quòd ſervitus mortalitati ferè comparetur, *l. Servitutem ff. de Reg. Jur.* Unde etiam quoad actus legitimos, ſeu *quod attinet ad Jus Civile, ſervi pro nullis habentur*, ut dicitur *l. Quod attinet ff. eod.*

70 Fallit hoc in defectu aliarum probationum: quia cum alia probatio ad eruendam veritatem non eſt, etiam Servi reſponſo credendum eſt; prout limitatur *in l. Servi ff. h. t. & l. Cùm probatio ff. de Probation. & cit. can. Si teſtes §. Servi 4. q. 3.* Fallit idipſum in exceptis criminibus: nam in his admittuntur teſtes etiam inhabiles; ut *c. In fidei 5. & c. Accuſatus 8. §. Licet de Hæretic. in 6.* Speculator *tit. de Teſte §. 1. n. 39.* Farinacius *de Teſtibus q. 55. n. 173. & ſeqq.* eſtque in ſimili jam dictum ſuprà *tit. 18. de Confeſſis §. 4. n. 98. & ſeqq.*

71 Additur etiam notanter in data Concluſione, *Servi, ſeu mancipia propriè dicta.* Nam ſecùs eſt dicendum de Servis adſcriptitiis, atque originariis. Hi enim, licèt quandam cum Servis ſimilitudinem gerant, eò quod ſint adſtricti Dominis ſuis ad colendam certam glebam: tamen re ipſa non ſunt ſervi, ſed homines liberi, *l. Diffinimus C. de Agricol. & cenſit. lib. 11. & cap. 2. de Judæis.* Atque ideò à legitimis actibus, ferendoque teſtimonio non excluduntur, dummodò aliud non obſtet. Gloſſa *in cit. cap. 2. ℣. Sint liberi de Judæis*, Speculator, *ubi ſuprà n. 44.* Pirhing *h. t. n. 8.* & alii.

72 Quæritur II. Utrùm, & qualiter Pupilli ſeu Impuberes, ac Minorennes, ſint excludendi à ferendo teſtimonio? Reſp. I. Pupilli, ſeu Impuberes regulariter excluduntur à ferendo teſtimonio in quacunque cauſa; idque fit ob lubricitatem conſilii ſui. Textus eſt *in L. 3. §. Lege Julia ff. h. t.* ubi Gloſſa ℣. *Impubes & ℣. Lubricum.* Speculator *cit. tit. de Teſte §. 1. n. 33.* Farinacius *de Teſtib. q. 58. n. 1.* allegans plurimos alios, & iſtud intelligens non ſolùm in cauſis criminalibus, ſed etiam civilibus.

73 Atque iſtud ampliatur, ut Impubes (hoc eſt, maſculus minor quatuordecim annis, & fœmina minor duodecim annis completis) etiam non poſſit eſſe teſtis in teſtamento; ut *§. Teſtes autem Inſtit. de Teſtam. & l. Hac conſultiſſima C. eod.* Adeò; ut impuberis teſtimonium ſit ipſo jure invalidum & nullũ, etiam parte non opponente. Farinac. *cit. q. 58. n. 12.* poſt Angelum *in §. 1. n. 3. Auth. de Teſtib.*

74 Reſp. II. Nihilominùs data Concluſio procedit ſolùm regulariter, ac patitur nonnullas fallentias, in quibus Impubes admittitur ad teſtificandum. Probatur hoc inductione, per quam patebit, etiam impræſentiarum loco habere vulgatum illud: *Nulla regula ſine exceptione.* Sic imprimis loquendo de duobus teſtibus, qui præter Parochum debent intereſſe matrimonio contrahendo in locis recepti Conc. Trident. *Seſſ. 24. cap. 1. de Reform. matrim.* & quidem ſub nullitate actus: hujuſmodi teſtes poſſunt etiam eſſe impuberes, dummodò ſint rationis compotes, & intelligant quid agatur. Barboſa *part. 2. de Offic. & poteſt. Epiſ. allegat. 32. n. 138.* Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 41. n. 4. & 5.* Layman *lib. 5. Theol. Moral. tract. 10. part. 2. cap. 4. n. 6.* & alii. Siquidem Conc. Tridentinum *loc. cit.* ad

valorem matrimonii, præter Parochum, ſimpliciter requirit duos teſtes, neque in ipſis requirit ſpecialem aliquam qualitatem; ergo nulla alia requiritur præter eam, quæ Jure naturæ eſt neceſſaria ad teſtificandum, nempe ut quis ſit compos rationis, ac ſufficienter intelligat, quid agatur. Accedit, quòd citatum Decretum Conc. Trid. ſit correctorium Juris Communis; ergo non eſt extendendum, ſed, quantum patitur verborum proprietas, reſtringendum: eò præſertim, quòd ſit irritans matrimonium, cujus cauſa eſt favorabilis, *cap. ult. de Sent. & re judicat.*

75 Deinde allata Concluſio fallit etiam in cauſis civilibus loquendo de Impubere pubertati proximo, ac doli capace, *arg. L. ult.* juncta Gloſſa ℣. *Potuerit ff. de Liberal. cauſ.* Farinacius *d. q. 58. n. 15. & 16.* Quam, ſi Impubes pubertati proximus admittatur ad teſtificandum, non per hoc ſit teſtis legitimus, ſed faciat duntaxat aliquod indicium. Gloſſa *fin. in l. Inviti ff. h. t.*

76 Fallit inſuper data Concluſio in criminibus exceptis; putà, in crimine læſæ Majeſtatis, *arg. l. Nullus C. Ad Leg. Jul. Majeſtat.* junctis dictis ſuprà *n. 50.* ac notat Valenſis *h. t. §. 2. n. 1.* & Pirhing *n. 4.* Item in caſu, qui refertur *in l. Excipiuntur ff. ad S. C. Syllanian.* ubi impubes ſervus, non longè diſtans à pubertate, punitur, eò quòd non revelaverat mortem domini ſui, quam ſciebat: nam ſi tale ejus teſtimonium nullam faceret probationem, fruſtrà illud exigeretur; ſimulque fruſtrà impuberem non relevantem interfectores domini ſui, Lex puniendum decerneret. Speculator *tit. de Teſt. §. 1. n. 34.* Farinacius *d. quæſt. 58. n. 15. 16. & 18.* allegans alios. Ratio horum eſt: quia quandoque teſtes cæteroquin inhabiles admittuntur, non quantum ad probationem ſeu plenam fidem, ſed quantùm ad præſumptionem faciendam, ſeu aliquale indicium Judici præbendum, *arg. c. Cùm I. & A. 22.* juncta Gloſſa *fin. de Sentent. & re judicat.* & alia Gloſſa *in cap. 1. ℣. Confeſſi de Confeſſis*; eſtque ampliùs dictum ſuprà *Tit. De Confeſſis §. 4. n. 107. ac ſeqq.* Et ita accidit in proximè dictis caſibus, in quibus impuberes admittuntur ad teſtimonium, non ut eorum dicta plenè probent, ſed ut inde Judex haurire valeat indicia quædam contra Reum.

77 Fallit inſuper in Impubere, qui factus eſt pubes: nam is poteſt teſtificari de iis, quæ vidit in pupillari ætate, ac impubertate ſua. Gloſſa *in L. 3. ℣. Impubes ff. h. t.* Farinacius *loc. cit. num. 53.* allegans alios. Speculator *loc. cit. num. 35.* aſſerens, ita tenere omnes, præſertim loquendo de his, quæ quis vidit pubertati proximus. Accedit ratio: tum quia pubes factus non prohibetur ullo jure teſtificari de iis, quæ vidit tempore impubertatis ſuæ; & conſequenter debet admitti, *L. 1. Adhiberi ff. de Teſtib.* Tum quia experientia conſtat, puberes optimam habere memoriam, & recordationem eorum, quæ poſt infantiam audierunt, ſeu viderunt: & licèt tunc fortè non intellexerint, quid reverà inter alios ageretur, tamen poſt ademptam pubertatem meliùs talia diſcernere poſſunt; ſicque de rebus illis meritò tunc teſtificari permittuntur. Quia tamen contingere poteſt, quòd impubes propter ſuam inadvertentiam non omnia ritè perceperit, hinc Judicis arbitrio relinquendum eſt, quantam fidem ejus teſtimonium poſt pubertatem depoſitum mereatur, prout monet Engel *h. t. n. 13.*

78 Nota tamen, quòd iſtud ultimum non procedat in teſtamentis. Etſi enim pubes poſſit eſſe teſtis in teſtamento non tamen ſic eſt in impubere, licèt poſteà factus fuerit pubes: nam in teſtamẽto jam à principio requiritur teſtis idoneus, & quidem quantùm ad ſolemnitatem, ac ſubſtãtiam actus, *§. Teſtes Inſtit. de Teſtam.* cum ſimilibus. Gloſſa *cit. ℣. Impubes.* Farinacius *d. q. 58. n. 7. & 8. & n. 55.*

79 Fallit tandem data Regula in nonnullis aliis caſibus in quibus teſtimonium impuberum admittitur, non quidem quoad plenam probationem, ſed quoad indicium aliquod, ſeu præſumptionem faciendam. Sic fit, quando Judex ex officio procedit; item in caſu, quo aliæ probationes haberi non poſſunt, & hujuſmodi: prout fuſius declarat Farinac. *cit. q. 57. de Teſtib.* per totum; eſtque in ſimili paulò ſuperiùs dictum de Teſte infami, & criminoſo.

80 Reſp. III. Quantùm attinet Minorennes, etſi Pubes, minor tamen viginti annis, non poſſit eſſe teſtis in cauſis criminalibus; benè tamen poteſt is teſtem agere in cauſis civilibus; niſi hæ fuerint arduæ. Ita Speculator *tit. de Teſte §. 1. n. 34.* Farinac. *cit. quæſt. 57. n. 10. & 23.* Pirhing *h. t. n. 75.* & alii. Et quidem prior pars expreſſè habetur deciſa *l. In teſtimonium ff. h. t.* eſtque canonizata *in can. Si teſtes. §. In teſtimonium, 4. h. t.* Quo utroque in loco dicitur; *In teſtimonium accuſator citare non debet eum, qui judicio publico reus erit, aut qui minor viginti annis erit.* Ubi Gl. *fin.* iſtud intelligit in cauſa criminali; quòd ipſum denotat ly, *Accuſator.* Altera verò pars ex eo ſuadetur: quia Pubes nullibi reperitur prohibitus, teſtimoniũ ferre in cauſis civilib; ergo hoc ipſo debet admitti, *L. 1. ff. h. t.*

81 Additur tamen in Concluſione ly, *niſi hæ fuerint arduæ.* Quia cauſæ civiles arduæ, magnique præjudicii (ut eſt cauſa unius hæreditatis, vel omnium bonorum, aut majoris partis horum, *arg. l. Propter litem §. 1. ff. de Excuſat. tutor. & §. Item propter Inſtit. eod.*) æquiparantur cauſis criminalibus; ergo, cùm minor viginti annis non poſſit eſſe teſtis in cauſis criminalibus, idem erit dicendum de cauſis civilibus arduis, magnique præjudicii. Antecedens deſumitur *ex l. Advocati C. de Advocat. diverſ. judicior.* ubi Patroni cauſarum, ſeu Advecati patrimonia hominum defendentes, dicuntur, *laborantium ſpem, vitam, & poſteros defendere.* Ubi Gloſſa *verſ. Vitam*, inquit: *Ut non perdant, quod habent.* Ex quo inferunt Doctores, quod *Bona temporalia dicantur vita hominis*: nam ex ablatione omnium, aut majoris partis bonorum, vita non mediocriter læditur, ac periclitatur, utpote quam ſine alimentis tranſigere non poſſumus. Maſcardus *de Probat. Concl. 900. n. 8.* citans alios. Sicque cauſa civilis ardua, putà, in qua agitur de amiſſione patrimonii, ſeu majoris partis ipſius, haud immeritò æquiparatur amiſſioni vitæ; uti notat Bartolus *in l. Admonendi §. Viſo ergo, quando ff. de Jurejurand.* Jaſon *l. Cunctos populos n. 68. C. de Summa Trinitat.* Baldus *c. Cùm cauſam n. 1. de Probat.* Felinus *c. Inſuper n. 5. h. t.* Maſcardus *cit. Concl. 900. n. 10.* Farinacius *quæſt. 57. n. 26.* Pirhing *h. t. num 77.* & alii.

82 Intellige tamen hanc limitationem, ut procedat regulariter duntaxat. Licèt enim Impuberes, imò & minores viginti annis, regulariter non poſſint eſſe teſtes in cauſis criminalibus, vel civilibus arduis, ut dictum; fallit tamen iſtud in iis, quæ ſunt difficilis probationis: quia tunc minores viginti annis, imò & Impuberes admittuntur, atque probant in præfatis cauſis. Farinacius *d. quæſt. 57. n. 29.* citans plurimos alios; & rurſus *Conſiliorum lib. 1. Conſil. 31. n. 7.* loquens in caſu fractæ pacis ob percuſſionem intra domum alicujus factam, quæ cum ratione loci ſolitarii, & abditi, dicatur actus difficilis probationis, etiam minores viginti annis, imò & Impuberes ad teſtificandum admittuntur. Atque ita tenuit Rota *in una ſeparationis thori*, apud Rubeum *part. 12. Deciſ. 337. n. 13.* & Rota apud Eminent. Ottobonum *Deciſ. 162. n. 9.* Alexander *Conſil. 64. n. 5. & 6. lib. 1.* Maſcardus *de Probat. Concl. 1253. n. 7.* allegans alios. Tacentur aliæ limitationes, ſeu caſus, in quibus videlicet admittuntur Impuberes ad teſtificandum, ſicque à fortiori admittendi ſunt Puberes, etſi ſint minores viginti annis, de quibus jam dictum eſt ſuprà *n. 74. & ſeq.*

83 Additur ulteriùs in data Concluſione, *minor tamen viginti annis &c.* Quia ſi Pubes eſt major viginti annis haud obſtante, quòd adhuc ſit minorennis, ſeu minor viginti quinque annis, tunc is etiam in criminalibus non repellitur à ferendo teſtimonio: prout probat allegatus textus *ex cit. l. In teſtimonium ff. h. t.* argumento à ſenſu contrario deſumpto. Farinacius *d. quæſt. 58. n. 19. & 21.* citans plurimos alios, hancque ſententiam appellans veriſſimam, & magis communiter receptam; quidquid nonnulli in contrarium ſcripſerint.

84 Quæritur III. Utrùm mulier poſſit eſſe teſtis, necne? Reſp. I. In cauſis civilibus poteſt mulier eſſe teſtis; non item in cauſis criminalibus, ſaltem ſpectato Jure Canonico. Ita Gloſſa *in c. Quoniam aliqua ℣. Mulieres h. t.* Farinac. *de Teſtib. q. 59. n. 1. & ſeqq. & n. 32. ac ſeqq.* Maſcardus *de Probat. Concl. 763. n. 1. & ſeqq. & Concl. 765. n. 1.* Pirhing *h. t. n. 66. & 69.* allegans communiter DD. Et quidem loquendo de cauſis civilibus, textus eſt *in l. Ex eo ff. h. t.* quæ eſt canonizata *can. Ex eo quod 15. q. 3.* ubi, argumento à ſenſu contrario deſumpto, *colligitur, etiam mulieres in judicio teſtimonium dicendi jus habere.* Concordat textus *cap. 2. de Judiciis in 6.* ubi expreſſè teſtimonium



monium mulierum in Judiciis admittitur. Atque hoc eſſe intelligendum in cauſis civilibus, & matrimonialibus, rectè notat Gloſſa *in c. Forus verſ. Non fæmina de Verb. ſignif.* iſtud ulteriùs probans *ex c. Tam litteris 33. de Teſtib.*

85 Nec obſtat textus *can. Mulierem 33. q. 5.* ubi inter alia de muliere dicitur: *Nec docere enim poteſt, nec teſtis eſſe.* Nam, ut concordentur jura juribus, dicendum eſt cum Gloſſa *ibid. verſ. Nec teſtes*, iſtud eſſe intelligendum in cauſis criminalibus. Quia enim in cauſis criminalibus criminaliter motis agitur de rebus maximi præjudicii, nempe de morte, vel mutilatione hominis, aut hujuſmodi: meritò fæminæ tum ob fragilitatem conſilii, & lubrica vota ſua, tum ob mutabilitatem & inconſtantiam ſuapte natura ſexui illi congenitam, à ferendo teſtimonio in eiſdem repelluntur: nam *varium, & mutabile teſtimonium ſemper fæmina producit*; prout legitur *c. Forus 10 de Verb. ſignif.* Ac per hoc patet altera pars datæ Concluſionis.

86 Notanter tamen in ea additur, *ſaltem ſpectato Jure Canon.* Nam, quòd ſecundum Jus Civile nec in criminalibus mulier à teſtificando repellatur, deſumitur *ex l. Ex eo ff. h. t.* & notat Abbas *c. Quoniam n. 3. h. t.* & Farinacius *quæſt. 59. n. 17. & ſeqq.* allegans communem; paucis exceptis. Sed de hoc Civiliſtæ.

87 Infertur proinde, quòd in criminibus capitalibus, & ubi agitur de pœna mortis inferenda, tres fœminæ conteſtes Reum non convincant: Farinac. *c. q. 59. n. 29.* allegans alios. Unde ulteriùs, licèt furtum (rei alicujus gravis) ſi agatur civiliter, probetur per duas feminas conteſtes; ſecùs tamen eſt, quando agitur criminaliter. Farinac. *cit. q. 59. n. 32.* poſt Angel. Aretinum *Conſil. 71. n. 57. & 58. lib. 1. Conſil. Crimin.* & ſequitur Pirhing *h. t. n. 68.*

88 Reſp. II. Data tamen Concluſio plures patitur limitationes: Sic enim, loquendo de cauſis civilibus, mulier nequit eſſe teſtis in Teſtamento, *§. Teſtes autem Inſtit. de teſtament.* Etſi ſecùs ſit de Codicillo: ibi enim nullo jure reperitur rejecta mulier, quò minùs teſtis eſſe poſſit. Gloſſ. *in L. ult. C. de Codicill.* Imò etiam in teſtamentis ad pias cauſas, poteſt mulier eſſe teſtis; idque favore piæ cauſæ, & animæ teſtatoris. Fagnanus *c. Cùm eſſes n. 34. & ſeqq. de Teſtament.* & alii.

89 Inſuper in cauſis feudalibus non admittitur teſtimonium mulieris, *text. clar. lib. 2. Feud. tit. 32. Qui teſtes ſunt neceſſarii &c.* Niſi forſan fœmina eſſet illuſtris, & haberet feudum ſub ſe: talis enim eſt idonea ad teſtificandum in cauſa feudali. Maſcardus *Concl. 765. n. 3.* Farinac. *cit. quæſt. 59. n. 40.* & alii, quos allegant.

90 Quin etiam in cauſis civilibus, ubi agitur de rebus arduis, ſeu magni præjudicii (putà, ubi controverſia eſt de omnibus bonis, vel majori parte eorum, *l. Propter litem §. 1. ff. de Excuſat. Tutor.*) mulieres ob inconſtantiam, & fragilitatem conſilii ſui, non cenſentur teſtes omni exceptione majores; adeò, ut duarum teſtimonium non efficeret plenam probationem: Siquidem cauſæ civiles arduæ æquiparantur criminalibus, *ut dictum n. 82.* adeoque in ipſis requiruntur teſtes magis idonei, & quibus nihil prorſus vitii poteſt opponi. Farinacius *cit. qu. 59. n. 37. & 38.* Pirhing *h. t. n. 66.*

91 Loquendo etiam de cauſis criminalibus, quamvis ſpectato Jure Canonico mulier non poſſit eſſe teſtis, quando agitur criminaliter, ſeu ad ſumendam publicam vindictam, ut dictum; nihilominùs, quando agitur de crimine ſolùm civiliter, v. g. ad compenſationem damni illati, vel privationem Beneficii, admittitur etiam fœmina in teſtem; ut *c. Tam litteris 33.* juncta Gloſſa ℣. *Fœminas h. t.*

92 Idem eſt dicendum, quando agitur de crimine per modum denuntiationis, inquiſitionis, vel exceptionis; quia tunc etiam fœminæ admittuntur in teſtes. Gloſſa *loc. cit.* & alia Gloſſa *in c. Quoniam 3.* juncto textu, *h. t.* Farinacius *d. quæſt. 59. n. 9.* allegans plurimos alios. Tacentur crimina excepta, v. g. læſæ Majeſtatis, Hæreſis, & hujuſmodi; item, quando eſt defectus aliarum probationum; vel ubi agitur ad defenſionem alicujus, ſeu ad probandam ejus innocentiam & generaliter omnes illi caſus, in quibus infames de Jure Canonico ad teſtificandum admittuntur: nam in ipſis etiam, ac multò magis, admittuntur fœminæ, juxta Gloſſam *in can. Mulierem 33. q. 5. verſ. Nec teſtis.* Farinacius *cit. quæſt. 59. num. 8. & 10. ac ſeqq.* allegans alios. Proinde videantur dicta ſuperiùs *§. 2. n. 50. & ſeqq.*

93 Quæritur IV. An Pauperes, vileſque Perſonæ, à teſtimonio in judicio ferendo repellantur? Ubi prænotandum, quòd Doctores non nihil varient, quis cenſeatur *Teſtis pauper*; uti videre eſt apud Alexandum *Conſil. 15. n. 2. & ſeqq. lib. 3.* Farinacium *de Teſtib. quæſt. 57. n. 90. & ſeqq.* & alios. Primò enim Gloſſa *in Auth. de Hæredib. & Falcid. §. Si verò abſunt. ℣. Subſtantiam Collat. 1.* cum non paucis aliis voluit, illum dici Teſtem pauperem, qui non habet tantum in bonis, quantum valet cauſa: prout in ſimili non dicitur idoneus Tutor, qui non habet tantùm in bonis, quantum habet Pupillus, *§. Sed & propter paupertatem. Inſtit. de Excuſat. tutor.* Secundò Speculator *tit. de Teſtib. §. 1. n. 61.* pluresque alii volunt, Teſtem pauperem dici, qui non habet quinquaginta aureos in bonis: cui ſententiæ favet textus *in l. Nonnulli ff. de Accuſation.* ubi legitur, quòd ab accuſando repellantur *nonnulli propter paupertatem; ut ſunt, qui minus quam quinquaginta aureos habent.* Priorem ſententiam ait Alexander, & Farinacius, *ubi ſupra, n. 92.* loqui in cauſis civilibus, poſteriorem in capitalibus. Tertia, & cæteris expeditior ſententia aſſerit, *Pauperem* dici non ſolùm illum, qui neceſſariis ad vitæ ſuſtentationem caret (de quo nullus dubitat) ſed etiam, qui convenientia ad ſui ſtatus conditionem non habet; quamquam hoc ipſum Judicis arbitrio ſit remittendum. Ita Gloſſa *in Auth. Præterea verſ. Locuples C. Unde vir.* Sperellus *Deciſ. 156. Fori Eccleſiaſt. n. 17. & 20.* Farinacius *cit. quæſt. 57. n. 93.* hanc appellans veriorem, magiſque approbatam opinionem, pro qua etiam plurimos alios allegat. Menochius *lib. 2. de Arbitrar. Judic. caſ. 65. n. 7.* aſſerens, quòd crebriore calculo recepta ſit opinio, hoc totum relinquens Judicis arbitrio, qui juxta perſonarum qualitatem judicet divitem, ac pauperem. Antonellus *de Regim. Eccleſ. lib. 1. c. 10. §. 1. n. 6.* Vincentius de Juſtis *Diſpenſat. matrim. l. 1. c. 7. n. 69.* citans Rotam *Deciſ. 230. n. 4. part. 6. Recent.* Et loquendo de tali Teſte paupere, qui Judicis arbitrio convenientia ad ſui ſtatus conditionem non habet; ſeu, qui decenter ſtatum ſuum ſuſtentare nequit.

94 Reſp. I. Regula eſt, quòd Pauper, viliſque Perſona non ſit teſtis integer, & omni exceptione major: poteſt enim contra eum opponi paupertas, quæ ipſi de fide diminuit. Textus eſt *in L. 3. §. 1. ff. h. t.* quæ eſt canonizata *can. Si teſtes §. Teſtium fides 4. q. 3.* ubi inter alia in perſona teſtium diligenter examinandum, & explorandum dicitur, *Utrum quis Decurio, an plebejus ſit — An locuples, vel egens ſit, ut lucri gratia quid facile admittat.* Quibus poſterioribus verbis, etiam ratio datæ regulæ indicatur. Concordat *can. In primis §. Sed & de perſonis 2. q. 1.* ibi: *Aut ne inopes ſint:* cum ſimilibus. Atque adeo hanc Regulam tenet Gloſſa *in cit. Auth. de Hæredib. & Falcid. §. Si verò abſunt ℣. Subſtantiam Collat. 1.* Speculator *tit. de teſtibus §. 1. n. 61.* Baldus *c. Si qui teſtium n. 5. h. t.* Maſcardus *de Probat. Concl. 1161. n. 1. & ſeqq.* Farinac. *d. q. 57. n. 1. & 5.* cum pluribus aliis, quos allegant.

95 Fatendum quidem, quòd Socinus *in Fallentiis, Reg. 289.* poſt Gloſſam *fin. in c. Si qui teſtium h. t. & L. 3. ℣. Egens ff. eod.* ſtatuat regulam contrariam; dicendo, quòd *Pauper ad teſtimonium regulariter admittitur.* Cui concordat Pirhing *h. t. n. 76. & ſeqq.* dicens, quòd Perſona inops, niſi aliùnde ſit ſuſpecta, in civilibus controverſiis à teſtimonio ferendo in judicio non repellatur; benè tamen in criminalibus cauſis, & civilibus arduis & magnis, quæ criminalibus æquiparantur. Quam ſuam regulam uterque poſtmodùm variè limitat; adeò ut re ipſa penitiùs inſpecta, & penſatis inferiùs dicendis, parùm, aut nihil à Concluſione noſtra differre videatur. Verùm à data in Concluſione regula non videtur recedendum: hæc enim, ſicut magis communiter à DD. eſt recepta, ita etiam rationabilior, Jurique conformior apparet, per textus *num. præced.* allegatos. Accedit ratio: quia ex paupertate redditur teſtis ſuſpectus: oritur enim in ipſo præſumptio mendacii & corruptionis, ſive, quòd *lucri gratia quid facilè admittat*: prout loquitur textus *cit. L. 3. ff. h. t. & can. Si teſtes 4. q. 3.* ubi Gloſſa *verſ. Locuples*, id confirmat authoritate Salomonis *Proverb. c. 30.* petentis abſentiam paupertatis, *Ne* (inquit) *egeſtate compulſus furer, & perjurem nomen Domini.*

96 Nec obſtat, quòd pauper, qui alias caret ſuſpicione benè ſit admittendus ad teſtificandum, *§. fin. Inſtit.*

*de ſuſpect. tutor.* & notat Gloſſa *cit. verſ. Locuples*, & alia Gloſſa *in L. 3. verſ. Egens ff. h. t.* dicens, quòd egens ad teſtificandum *admittitur interdum; quia non tam ex facultatibus, quàm ex fide teſtis idoneus æſtimatur* Non obſtat, inquam: nam Regula ponitur de iis, quæ frequentiùs & communiùs accidunt: atqui frequentiùs accidit, ut pauperes potiùs corrumpantur, quam divites; unde & præſumptio juris inde oritur, donec probata pauperis integritate vitæ, fide, moribuſque elidatur. Atque hoc ipſum videtur innuere Gloſſa proximè allata, illis verbis, *Admittitur interdum*; his enim ultrò fatetur, Regulam ſtare in oppoſitum, etſi *interdum* fallat, ſeu quaſdam patitur limitationes ad inſtar aliarum regularum. Farinacius *cit. quæſt. 57. num. 3.* cum aliis.

97 Reſp. II. Data Concluſio, ſive regula cum primis procedit in cauſis criminalibus, utpote in quibus pauperes, vileſque perſonæ non ſolùm non cenſentur teſtes idonei, atque integræ fidei, ſed etiam à ferendo teſtimonio penitus excluduntur, *arg. l. Nonnulli ff. de Accuſat.* ibi; *Nonnulli* prohibentur accuſare *propter paupertatem; ut ſunt, qui minus quam quinquaginta aureos habent*. Et ratio eſt; quia in cauſis criminalibus requiruntur probationes indubitatæ, *l. Sciant cuncti C. de Probation.* teſteſque omni ſuſpicione, & macula carentes, *cap. 1. de Exception.* cum ſimilibus. Atqui iſtud non reperitur in teſte paupere, utpote cui ſemper poteſt opponi exceptio paupertatis; ergo Maſcardus *Concl.* 1161. *n. 11. & ſeqq.* Farinacius *cit. q. 57. n. 15. & 16.* & alii.

98 Reſp. III. Etiam in cauſis civilibus arduis, & magni præjudicii, pauperes, vileſque perſonæ non admittuntur tanquam teſtes idonei, omnique exceptione majores. Ita Farinacius *cit. q. 57. n. 26. & 27.* iſtud exemplificans in cauſa unius hæreditatis, vel majoris partis bonorum, *arg. l. Propter litem §. 1. ff. de Excuſation. tutor.* Maſcardus *loc. cit. n.* 16. allegans Pariſium *Conſil.* 188. *n. 27. vol.* 5. Pirhing *h. t. n.* 77. & alii. Accedit ratio: quia cauſa civilis tam ardua, tantique præjudicii, æquiparatur cauſæ criminali, juxta dicta ſuperiùs *n.* 81. ergo, cùm in criminali pauperes vileſque perſonæ non ſint teſtes idonei, idem dicendum de cauſis civilibus arduis, ſeu magnis.

99 Dicitur notanter, *in cauſis civilibus arduis &c.* Quia in cauſis civilibus non adeò arduis ſeu magnis, non penitus repelli pauperes à ferendo teſtimonio in judiciis, convincit textus *in c. Si quis teſtium*, juncta Gloſſa *verſ. Paupertate h. t.* ubi Judex jubetur mittere ad recipiendum teſtimonium eorum, qui *paupertate depreſſi* perſonaliter ad Judicem venire nequeunt. Accedit, quòd ſi aliter diceremus, multùm anguſtiaretur facultas probandi, contra *l. Quoniam C. de Hæreditatib.* eò quòd multò major ſit numerus pauperum, quam divitum; prout argumentatur Farinacius *cit. q. 57. n. 13.* & Pirhing *h. t. n. 76.* Huc adde, quòd in inſtrumentis pauperes, & viles non repellantur pro teſtibus, cùm per rogationem à partibus tacitè cenſeantur approbati. Farinacius *loc. cit. n.* 97. cum aliis.

100 Deinde per haſtenus dicta non negatur, quin in cæteris quoque caſibus Pauper ſit admittendus ad ferendum teſtimonium, ſi perſona ejus cæteroquin ſit honeſta, & neutiquam ſuſpecta propter ſuam paupertatem; juxta textum notabilem *in cit. c. Si quis teſtium 8. h. t.* juncta Gloſſa *fin. & DD. ibid.* ac tenuit Rota apud Rubeum *part. 12. deciſ. 57. n. 12.* anthoritate Baldi *n. ſeq.* referendi intelligens etiam in cauſa ardua, qualis fuit illa, in qua Rotalis Deciſio emanavit. Quod ipſum procedit, licèt pauper ſit vilis, ſi tantùm eſt vilis, quia pauper. Rota *l. c.* Concordat Menochius *l. 2. de Arbitrar. Judic. caſ 96. n. 5. & 6.* plures alios allegans. Accedit ratio: quia paupertas non eſt de genere malorum, *c. Illa cavenda 15. q. 1.* atque ideò ſe ſola nequit quempiam à ferendo teſtimonio in totum excludere: Unde Regula proximè data ſolùm vult, quòd pauper non ſit teſtis adeò idoneus, ut ſit omni exceptione major: poteſt enim contra ipſum opponi exceptio paupertatis, donec hæc probata pauperis integritate vitæ, ſinceraque fide elidatur, juxta proximè dicta *n.* 94. Judicis igitur arbitrio relinquendum eſt, quantam fidem mereatur teſtificatio pauperis; attendendo ad qualitatem perſonæ, & cauſæ. Abbas *in cit. c. Si quis teſtium n. 8.* & Felinus *ibid. n.* 8. & Barboſa *n. 4. h. t.*

101 Juvabit huc adducere notabilem diſtinctionem Baldi *in d. c. Si quis teſtium n. 5. h. t.* ubi quoad propoſitum ſic objicit, ſuamque objectionem diſſolvit. Ad verum dicendum (inquit objiciendo) quilibet eſt idoneus natura, niſi ſe depravet mentiendo; & magis creditur virtuoſo pauperi, quam diviti vitioſo; ergo. Reſp. Aut incidit quis in paupertatem propter vitium ſuum; & non eſt idoneus teſtis: quia non ſolùm rerum, ſed famæ ſuæ prodigus eſt; & tunc repellitur: quia vitioſus in ſe, præſumitur vitioſus in alium multò magis, ut notatur *in l. Si aut ſine vitio C. de Sentent. poſſeſſ.* Aut in eam incidit abſque vitio ſuo, ſimulque exiſtit bonæ famæ; & eſt idoneus teſtis. Aut nullius eſt famæ, neque bonæ, neque malæ; & tunc minùs ei creditur, niſi quod deficit in fide, ſuppleat numerus. Et breviter hæc omnia committuntur Judicis arbitrio, quia non poteſt dari certa deſcriptio; ut *L. 3. Verſ. Tu magis ff. de Teſtib.* Ita notanter Baldus.

## §. IV.

## De Teſtibus inhabilibus ad teſtificandum pro certis perſonis; putà, pro Filiis, Conſanguineis, Domeſticis &c.

### SUMMARIUM.

102 *Parentes regulariter prohibentur ferre teſtimonium pro filiis, & contrà.*
103 *Ampliatur iſtud ad filium emancipatum.*
104 *Atque ad omnes Aſcendentes, & Deſcendentes.*
*Parentis appellatione, qui omnes comprehendantur? Ibid.*
105 *Regula hæc fallit in certis caſibus. Et num. ſeqq.*
106 *Sic in probanda filii ætate teſtes eſſe poſſunt Parentes; & qualiter?*
107 *Item, quando agitatur cauſa inter duos Filios.*
*Paris affectionis cauſa, tollit ſuſpicionem fraudis, ib.*
108 *Ampliatur iſtud ad Fratres, Conſanguineos, Domeſticos &c. inter ſe litigantes.*
109 *Parentes, aliique Conſanguinei, poſſunt teſtificari in cauſa matrimoniali filiorum, quando agitur ſuper conſanguinitate &c.*
110 *Vel contractu matrimoniali, aut ſponſalitio inter æquales inito.*
111 *Quid, ſi filius in uxorem petat eam, quæ divitiis, nobilitate &c. longè eſt præſtantior.*
112 *De conſenſu partis adverſæ poteſt pater eſſe teſtis pro filio.*
113 *Maritus pro uxore, & contra, regulariter teſtis eſſe non poteſt.*
114 *Ampliatur iſtud ad Sponſam de futuro.*
115 *Et Concubinam, atque Amaſiam.*
116 *Conſanguinei, & Affines producentis, non ſunt teſtes idonei adverſus extraneos.*
117 *Prædicta fallunt accedente conſenſu adverſarii: quia tunc Conjuges, Conſanguinei &c. ad invicem poſſunt teſtificari.*
118 *Idem dicendum in factis antiquis, & aliis, quæ ſunt difficilis probationis: quia etiam tunc recipiuntur in teſtes ad invicem.*
119 *Et qualem probationem eorum teſtimonium tunc faciat?*
120 *Domeſtici, qui dicantur?*
121 *Maritus, & uxor, ſunt Domeſtici.*
*Quinam alii cenſeantur Domeſtici? Ibid.*
122 *Nomen* Familiaris *latiùs patet, ac nomen* Domeſtici.
123 *Domeſticus ipſius producentis non eſt idoneus, ſed poteſt repelli.*
124 *Dantur nihilominùs aliqui caſus, in quibus admittitur teſtimonium domeſticum.*
*Ut, ſi Domeſtici ſint magnæ authoritatis, & valdè honeſti, puta, Familiares Epiſcopi &c. Ibid.*
125 *Item admittuntur Domeſtici, Conſanguinei &c. ad defenſionem Rei inquiſiti, ſeu probandam ejus innocentiam.*
125 *Et ad ferendum teſtimonium favore Eccleſiæ.*
127 *Aut, ubi quis eſt domeſticus utriuſque partis.*
128 *Vel, quando Domeſticus partim deponit pro alio Domeſtico, partim contra ipſum.*
129 *Item in probandis factis, & delictis domeſticis.*

130 Do-



130 *Domeſtici poſſunt adhiberi in teſtes inſtrumentarios.*
131 *Ac in nonnullis aliis caſibus. Remiſſivè.*

102 Quæritur I. Utrùm parentes poſſint eſſe teſtes pro Filiis, & econtrà? Reſp. I. Inter eos, qui regulariter prohibentur ferre teſtimonium pro certis perſonis, ſeu in favorem earum, cumprimis ſunt Parentes reſpectu Filiorum, & econtrà: nam pater pro filio, & viciſſim filius pro patre, regulariter non admittitur teſtis in Judicio. Ita communis; & patet *ex l. Teſtis ff. h. t.* ubi dicitur, *Teſtis idoneus pater filio, aut filius patri non eſt*. Concordat textus *in l. Parentes C. eod. & c. Si teſtes 4. q. 3. §. Teſtis idoneus & §. Parentes.* Idque meritò ſtatutum fuit propter naturalem affectionem, maximamque dilectionem, qua parentes filios, & filii parentes proſequi præſumuntur; ſicque eorum teſtimonium redditur ſuſpectum.

103 Atque iſtud ampliatur ad Filium emancipatum; hic enim non poteſt in teſtem produci ad favorem patris, nec econtrà Gloſſa 1. *in l. Parentes C. eod. & in c. Si teſtes 4. q. 3. verſ. Filio.* Ratio eſt: quia, licèt per emancipationem ceſſet poteſtas patris in filium, non tamen ceſſat paterna in ipſum affectio, ratione cujus repellitur à teſtimonio. Speculator *tit. de Teſte §. 1. n. 2.* Farinacius *de Teſtib. q. 54. n. 154.* ubi *n.* 157. hoc ipſum tenet de Filio naturali, ac ſpurio, citans alios.

104 Ampliatur ulterius ad omnes Aſcendentes, & Deſcendentes, tam in linea paterna, quam materna, & quidem in infinitum. Siquidem *appellatione parentis non tantùm pater, ſed etiam avus, & proavus, & deinceps omnes ſuperiores continentur: ſed, & mater, & avia, & proavia*, per textum expreſſum *in l. Appellatione, ff. de Verb. ſignif.* Speculator *loc. cit. n. 2. & 3.* Maſcardus *de Probat. Concl. 1154. n. 3.* Farinacius *d. num.* 154. & alii.

105 Reſp. II. Dantur nihilominùs certi caſus, in quibus valet teſtimonium Patris, vel Matris pro Filio; ſicque limitanda eſt proximè allata Concluſio, & regula in ea poſita. Ita Maſcard. *cit. Concl* 1154. & Farinac. *d. quæſt. 54. n. 177. & ſeqq.* ubi allegatis aliis Anthoribus plures tales caſus enumerant. Idemque probatur inductione.

106 Sic imprimis fallit data Concluſio, in probanda Filii ætate. In hac enim probanda, poſſunt eſſe teſtes ipſimet parentes, ut meliorem præ cæteris notitiam habentes; prout probat textus *in l. Etiam matris ff. de Probat.* ibi: *Etiam matris profeſſio de ætate filiorum recipitur; ſed & aviæ recipienda eſt*. Quamquam Gloſſa *ibid. verſ. Profeſſio* & Maſcardus *Concl. 669. n. 12. & 13.* Farinacius *cit. quæſt. 54. n.* 178. rectè notent, quòd profeſſio matris de ætate filii non recipiatur ut teſtis, ſeu ad inducendam efficacem probationem ſemiplenam ad inſtar unius teſtis; ſed tantùm ejus teſtimonium faciat ad inducendam quandam præſumptionem, & leve indicium pro filio. Atque hoc vel maximè procedit, quando talis teſtificatio matris redundat in commodum filii cum alterius præjudicio. Maſcardus *cit. n.* 12. Simulque non adjuvatur aliis adminiculis, ut putà, libro patris, in quo annotata fuit nativitas filii. Farinacius *cit. quæſt. 54. n.* 180. Maſcardus *d. Concl. 669. n. 15. & 16.* ubi notat, quod concurrente tali adminiculo mater probet ut teſtis. Pirhing *h. t. n.* 34. & alii.

107 Fallit ſecundò, quando cauſa agitatur inter duos Filios. Tunc enim pater poteſt eſſe teſtis pro uno filio contra alium: quoniam propter æqualem affectionem paternam, quam erga utrumque filium gerere præſumitur, tollitur omnis ſiniſtra ſuſpicio, per textum *in l. Non ſolùm, §. De uno ff. de Ritu nuptiar.* ibi: *quia paris affectionis cauſa ſuſpicionem fraudis amovet*. Maſcardus *Concl.* 1154. *n.* 29. Farinacius *cit. q. 54 n.* 205. & alii.

108 Atque hoc ſervata proportione ampliatur ad Fratres, Conſanguineos, Affines, atque Domeſticos inter ſe litigantes: quia ſimiliter par affectionis cauſa removet ſiniſtram ſuſpicionem, *cit l. Non ſolùm ff. de Ritu nuptiar.* Gloſſa *c. Poſtremo 36. verſ. Conſanguineus*, juncta Gloſſa *marg. ibid. de Appellat.* Speculator *tit. de Teſte §. 1. n.* 10. Farinacius *d. quæſt. 54. n. 45. & n. 116. & quæſt. 55. n. 89. & 91.* allegans plurimos alios.

109 Fallit tertiò in cauſa matrimoniali filiorum. Quia enim unuſquiſque ſuam genealogiam tum ex teſtibus & ſcripturis, tum etiam ex recitatione Majorum, meliùs ſcire præſumitur: hinc, ubi agitur ſuper conſanguinitate, vel affinitate quorundam, poſſunt teſtificari Parentes, aliique Conſanguinei, *c. Videtur 3. Qui matrimonium accuſ. poſſ. & can. De parentela 35. q. 6. & c. Licèt ex quadam 46. h. t.*



110 Ampliatur iſtud ad contractum matrimonialem, ſeu ſponſalitium. Unde, ſi filia petat aliquem ſibi æqualem in virum, & alterutra parens una cum alio teſte aſſerat, filiæ ſuæ ab iſto factam eſſe promiſſionem matrimonii, vel iſtud cum ea de præſenti contractum; tunc ob favorem matrimonii eorum admittitur teſtimonium, *cit. c. Videtur. Qui matrimonium accuſ. poſſ & c. Super eo 22.* juncta Gloſſa *verſ. Cùm mater* & Abbate *n.* 8. & Barb. *ibid. n. 4. h. t.* Idemque tradit Farinac. *de Teſtib. q. 54. n.* 191. Maſcardus *de Probat. Concl. 1024. n.* 23. citans plurimos alios, & Pirhing. *h. t. n.* 36. talem appellans plenam probationem.

111 Additur notanter, *aliquem ſibi æqualem &c.* Quia ſi filius in uxorem, aut filia in virum petat quempiam, qui divitiis, nobilitate, potentia, & honore longè eſt præſtantior, tunc teſtimonium parentis de matrimonio deponentis redditur ſuſpectum; ſicque non eſt aliquatenus admittendum, niſi aliæ ſufficientes probationes concurrant. Ratio eſt: quia, cùm parentes prolis ſuæ incrementum, & honorem diligere videantur, imò & ad proprium emolumentum pertinere arbitrentur; hinc atteſtatio eorum de ſponſalibus, vel matrimonio inter tam diſpares contracto redditur ſuſpecta, atque ex nimio erga prolem affectu proficiſci præſumitur. Accedit textus *in cit. c. Super eo 22. h. t.* ubi Gloſſa *verſ. Cùm mater* & Abbas *n.* 8. iſtud limitans in parentibus valdè honeſtis; & Barboſa *ibid. in Collectan. n.* 4 idipſum amplians ad parentes, & conſanguineos, qui ſupra modum de matrimonio ſolliciti, illius exitum præcuperent: hoc ipſo enim teſtimonium ipſorum redderetur ſuſpectum. Hoſtienſis *in c. Super eo*, ac Speculator *tit. de Teſtibus §. 1. n. 4. & 3.* & Menochius *de Arbitrar. judic. lib. 2. caſu 102. n. 6. & 7.* Qui tamen tale parentum teſtimonium Judicis arbitrio cenſent eſſe relinquendum, ut inſpecta qualitate perſonæ, & affectionis; cæteriſque circumſtantiis dijudicet, qualis fides eidem ſit adhibenda.

112 Fallit quarto de conſenſu partis tacito, vel expreſſo: Nam, quando adverſarius, contra quem producitur, expreſſè, vel ſaltem tacitè (hoc eſt, non excipiendo contra teſtimonium ejus) conſentiret, patrem eſſe teſtem, validum erit teſtimonium patris pro filio, *l. Si quis teſtibus C. h. t.* cum prohibitio illa, ne parentes teſtificentur pro filiis, ſit inducta in favorem ipſius adverſarii, ſicque hic poſſit eidem renuntiare, conformiter dictis ſuprà *§. 1. n. 17. & 18.* Maſcardus *d. Concl. 1154. n. 17.* Farinacius *cit. q. 54. n.* 189. apud quos nonnullæ aliæ fallentiæ videri poſſunt.

113 Quæritur II. Utrùm Conjuges, Conſanguinei & Affines, poſſint ad invicem eſſe teſtes? Reſp. I. Maritus pro uxore, ac econtrà Uxor pro marito ſuo, regulariter teſtis eſſe non poteſt, ſed repellitur ad exceptionem alterius partis. Ita Gloſſa *can. Si teſtes 4. q. 3. verſ. Imperari*; & alia Gloſſa *l. Sed & ſi quis verſ. Domeſtico ff. Si quis cautionibus &c.* Speculator *tit. de Teſte §. 1. n.* 15. Maſcardus *Concl. 1429. n. 1. & 3.* Farinac. *cit. q. 54. n* 210. allegans plurimos alios. Ratio eſt: tum quia uxor dicitur viro ſubjecta, *can. Mulierem 33. q. 5.* ac proinde meritò nequit eſſe teſtis pro viro: quia *idonei non videntur eſſe teſtes, quibus imperari poteſt* (à producente) *ut teſtes fiant*; prout habetur *l. Inviti ff. h. t.* Simulque uxor cenſetur eſſe de domo, & familia viri, ac illius domeſtica, *§. Item ii, qui ædium Inſtit. de uſu & habitat.* atque ideò repellitur à teſtimonio, *l. Etiam jure C. h. t.* Tum quia inter virum & uxorem ſolet intercedere ſumma affectio, qua unus conjugum diligit alterum; cùm ſint duo in carne una, *Geneſ. c. 1.* ac proinde, quidquid unus vult, & ſentit, etiam alter velle & ſentire præſumitur; ſicque teſtimonium eorum ad invicem redditur ſuſpectum. Atque hæc poſterior ratio eſt generalior prioribus, & æquè militat in viro ac uxore.

114 Ampliatur idipſum ad Sponſam de futuro: nam & hæc ratione affectionis, quam ad Sponſum ſuum habere præſumitur, à teſtimonio pro eo ferendo repellitur *cit. Concl. 1429. n.* 4. Farinacius *ubi ſuprà*, *n.* 215. cum aliis.

115 Idipſum extenditur ad Concubinam, & Amaſiam. Concubina enim non diſtat ab uxore in affectu animi, ſed ſolùm in honore, *l. Item in legato §. Pavol ff. de Legat. 3.* Simulque amor puellarum ſubvertit judicium;

ſicque teſtimonium inde procedens, redditur ſuſpectum. Maſcardus *loc. cit. n. 5. & 6.* citans alios.

116 Reſp. II. Inſuper Conſanguinei, & Affines illius, qui producit ipſos ut teſtes pro ſe adversùs extraneos, non ſunt teſtes integri, neque plenam probationem inducunt. Ita Speculator *Tit. 1. de Teſte §. 1. n. 14.* Farinacius *de Teſtib. quæſt. 54. n. 1.* Maſcardus *de Probat. concl. 68. n. 1. & ſeqq.* loquens de Affine, *& concl. 412. n. 1. & ſeqq.* loquens de Conſanguineo. Pirhing *h. t. n. 99.* intelligens hoc de cauſis criminalibus, vel civilibus arduis; & alii. Deſumitur iſtud ex textu *in L. 3. §. 1. ff. h. t. & can. Si teſtes 4. quæſt. 3. §. Teſtium fides*: ubi inter alia, quæ in perſona teſtis, ut hujus teſtimonium ſuſpicione careat, examinanda caventur, habetur illud: *An ſit amicus ei, pro quo teſtimonium dat*: juncto *can. Conſanguinei 3. q. 5.* De Affine idipſum extat expreſſum *can. Abſens per alium, 3. q. 9.* ibi: *Nec affinis teſtis admittatur*, cum concordantiis. Accedit ratio; quia tales non carent labe ſuſpicionis, ob naturalem affectionem erga ſuos Conſanguineos, ſeu Affines: unde non mirum, quòd non ſint teſtes omnino integri, ſed poſſit contra eos excipi, *can. Accuſatoribus 3. q. 5.* cum ſimilibus.

117 Reſp. III. Ambæ hæ Concluſiones patiuntur nonnullas limitationes. Et primò quidem, eædem fallunt accedente conſenſu adverſarii: nam tum conjuges, tum conſanguinei & affines, adinvicem poſſunt eſſe teſtes, quando ipſos pars adverſa, contra quam producuntur, ſponte admittit ad teſtificandum contra ſe; ſive dein eas admittat expreſſè, ſive tacitè, videlicet nihil contra ipſas, ipſarumque teſtimonium opponendo: poteſt enim, ſi vult, renuntiare favori pro ſe introducto, *c. Si diligenti de Foro compet.* Ita Jo: Andreas *in Addit. ad Speculatorem tit. de Teſte §. 1. n. 2. litt. F.* id firmans ex *L. ult. § fin. C. de Temporib. & reparat appellation.* Farinacius *de Teſtib. quæſt. 54. n. 126. & 189.* Maſcardus *de Probation. Concl. 1154. n. 17.* citans alios; & concordant dicta ſuperiùs *n. 17. & 18.*

118 Fallunt ſecundò in factis antiquis, eò quòd ſint difficilis probationis. Barboſa *c. In litteris n. 8. h. t.* citans alios. Quin etiam fallunt, ſeu patiuntur quandam limitationem in aliis factis, quæ ſunt difficilis probationis; ſeu talia, ut de illis veritas aliter, ſive meliùs haberi non poſſit, quàm per Conjuges, Conſanguineos, Affines, quin & Parentes vel Fratres, ac hujuſmodi: Tunc enim tam in civilibus, quam criminalibus, recipiuntur in teſtes. Farinacius *cit. qu. 54. n. 76.* poſt Rotam coram *Cæſare de Graſſ. Deciſ. 10. n. 11. & n. 131.* ubi in caſu, in quo veritas aliter haberi non poteſt, etiam fratrem pro fratre in teſtem admitti docet: *& qu. 62. n. 56. & ſeq.* ubi hoc ipſum generaliter tradit de teſtibus cæteroquin inhabilibus, & alias non admittendis: quia admittuntur in caſibus, ubi veritas aliter haberi non poteſt; utputà, ſi agatur de commiſſis in domo, eremo, nemore, vel alio loco ſecreto, *c. Veniens, 38. §. fin h. t. & cap. ult.* juncta Gloſſa *V. Juramento, & DD. de Teſtib. cogend. & can. Si teſtes §. Servi reſponſio 4. q. 3. & l. conſenſu §. Super plagis C. de Repudiis*, cum concordantiis.

119 Fatendum tamen eſt, quòd talium teſtimonium ad invicem tunc admittatur, non quoad plenam probationem (prout accidere ſolet in teſtibus integræ fidei, ac omni exceptione majoribus) ſed ſolummodò quoad faciendam qualemqualem probationem Judicis arbitrio diſcutiendam, & ad præbendum indicium duntaxat. Farinacius *cit. quæſt. 62. n. 73. & quæſt 54. n. 70. ac qu. 55. n. 53.* allegans alios; & concordant dicta ſuperius *tit. 18 de confeſſis §. 4. n. 106. & 107.*

120 Quæritur III. Utrùm Domeſtici ſint teſtes idonei, nec ne? Ubi prænotandum, quòd *Domeſtici* dicantur illi, qui ex eadem domo ſunt, & nobiſcum habitant; ut inquit Spiegelius *in Lexico Juris Civilis. V. Domeſtici* & Jo: Calvinus *in Lexico Juridico eod. verſ. Domeſtici*. Sed quantùm ad propoſitum, *Domeſtici* propriè appellantur, quibus imperari poteſt ratione patriæ, ſeu dominicæ poteſtatis. Gloſſa *in c. In litteris verſ. de Familia* & Barboſa *ibid. n. 23. h. t.* Card. Tuſchus *Litt. F. Concl. 72.* Calvinus *loc. cit. verſ. Domeſticum autem*; ubi inter alia inquit: *Domeſticum teſtimonium non ex conſanguinitate, ſed ex unitate ſubjectionis accipimus; id eſt, ratione ſubjectionis, qua unum efficiuntur.*

Et hac ratione Domeſtici ſunt maritus & uxor, ac liberi utriuſque ſub patria poteſtate conſtituti, *§. in teſtibus Inſtit. de Teſtament. & §. Item is. Inſtit. de Uſu & habitat.* cum ſimilibus. Deinde etiam illi vocantur Domeſtici, qui in eadem domo ſub poteſtate unius patrisfamilias diutiùs cohabitant: ut Famuli mercede conducti, ac Libertus reſpectu Patroni, in cujus domo moratur *l. Reſpiciendum §. Furt ff. de Pœnis*. Tandem, ſed minus propriè, inter Domeſticas perſonas numerantur Coloni, Adſcriptitii, Familiares, ac Mercenarii, qui apud nos degunt, etſi cæteroquin ratione patriæ, vel domeſticæ poteſtatis nobis non ſint ſubjecti *cit. §. Furt. & l. Præſenti §. Sanè* juncta Gloſſa *verſ. Domeſtica C. De iis qui ad Eccleſ. confug.* Gloſſa alia *§ In Teſtibus V. In eare. Inſtit. de Teſtament* Maſcard. *de Probat. Concl. 534. n. 5.* Farinac. *de Teſtib. q. 55. n. 6.* & alii. Nam etiam tales cenſentur Domeſtici, *arg. Auth. De Monachis §. Cogitandum Collat. 1.* Et ratione majoris familiaritatis, ſeu amicitiæ, quæ ex tali mutua cohabitatione naſci ſolet, non cenſentur pro ſeipſis mutuò teſtes omni exceptione majores. Farinac. *cit. q. 55. n. 3. & 12.* Maſcardus *concl. 534. n. 3. & ſeqq.* Qui tamen *n. 4.* poſt Stephan. Aufrerium *tract. de Teſtibus n. 35.* iſtud poſterius limitat in illis, qui in eadem domo cohabitant æqualiter: nam tunc non adeò dicerentur Domeſtici, ut eorum teſtimonium repelli poſſet. 121

Ubi ſciendum, quod juxta Gloſſam *c. In litteris V. De familia*, & Abbatem *ibid. n. 5. h t.* nomen *Familiaris* latiùs patet, ac nomen *Domeſtici*, eò quòd *Familiares* etiam nuncupentur, qui ſunt de eadem *Familia*, ſeu Conſanguinei. Sed eſt lis de nomine, nam conjuncti ſanguine, licèt eis non imperetur, ſunt Familiares impropriè: ut autem verè ac propriè quis dicatur Familiaris; duo requiruntur copulativè, nempe, ut actu inſerviat, & ut veluti commenſalis vivat expenſis Domini. Card. Tuſchus *Litt. F. Concl. 72. n. 28. & 29.* citans inter alios Deciſionem Rotæ *in una Senſcenſ.* ac Stylum Curiæ. Barb. *part. 2. de Offic. & poteſt. Epiſ. allegat. 5. n. 2.* Idque deſumitur ex Conc. Trid *Seſſ. 14. cap. 2 de Refor.* ibi: *Prætextu familiaritatis continuæ & commenſalitatis ſuæ. Et Seſſ. 23. c. 9. de Refor.* ibi: *Epiſcopus familiarẽ ſuum- niſi per triennium ſecum fuerit commoratus*. Quibus prænotatis 122

Reſp. I. Domeſticus ipſius producentis non eſt teſtis idoneus: ſed poteſt repelli à ferendo teſtimonio. Ita communis; & procedit non ſolùm in criminalibus, ſed etiam in civilibus (ſub limitationibus tamen proximè afferendis) prout notat Farinacius *de Teſtibus quæſt. 55. n. 1. & ſeqq.* citans plurimos alios, ac fuſiſſimè iſtam materiam declarans. Textus eſt *in l. Etiam jure c. h. t.* quæ eſt canonizata *in can. Si teſtes 4. q. 3. §. Etiam*: quo utroque loco dicitur; *Etiam Jure civili domeſtici teſtimonii fides improbatur*. Concordat textus *in l. Teſtes eos ff. h. t.* canonizata pariter *in cit. can. Si teſtes 4. q. 3.* illis verbis: *Teſtes eos, quos accuſator de domo produxit, interrogari non placuit*; cum ſimilibus. Unde & Pontifex *c. in litteris 24. h. t.* tres teſtes, quos Actor de ſua familia produxerat, cenſuit eſſe repudiandos; ac nulla ratione pro illorum teſtimonio; contra valorem matrimonii dudum contracti depoſito, conjuges ſeparandos. Ubi proin Summarium habet. *Non ſunt idonei teſtes, quos Actor de familia ſua produxit.* 123

Reſp. II. Dantur nihilominus aliqui caſus, in quibus teſtimonium domeſticum admittitur. Ita communis Sic quippe contingit imprimis in Domeſticis magnæ authoritatis, ſeu valdè honeſtis, & bonæ converſationis, ac famæ: nam tales admittuntur. Maſcardus *concl. 534. n 28* cum pluribus aliis. Barboſa *c. In litteris n. 6. h. t.* Bartolus *in l. Etiam n. 2. C. de Teſtib.* ubi inquit, quòd poſſit perſona domeſtica tantæ eſſe authoritatis, & dignitatis, quòd ejus fides non reprobaretur: & hoc relinquendum eſt officio Judicis, qui inveſtigabit de conditione perſonæ, & qualitate; ut *L. 1. in fin. ff. eod. & L. 2. ff. de quæſtion.* Hæc Bartolus. Idemque tradit Farinacius *cit. quæſt. 55. n. 82.* allegans alios; ubi poſteà *num. 127.* iſtud extendit ad Familiares Epiſcopi, Abbatis, ſeu alicujus magni Domini, qui cùm reputentur honeſtæ, & laudabilis vitæ, admittuntur ad teſtificandum pro eorum Dominis, & ad horum favorem. Quod ipſum ex profeſſo, ac ſolutis contrariis, firmat Felinus *c. in litteris n. 4. h. t.* citans plures alios. 124

125 Dein-



125 Deinde admittuntur teſtes domeſtici (idemque dicendum de Conſanguineis, affinibus &c.) quando producuntur ad defenſionem Rei inquiſiti, ſive ad probandam illius innocentiam, ſeu ad excludendum delictum probando negativam coarctatam loco, & tempore; putà, quòd frater, conſanguineus, vel domeſticus ille, qui ratione homicidii commiſſi inquiritur; eodem tempore fuerit domi, Speculator *tit. de Inquiſitione §. 1. n. 22.* & Alexander *Conſil. 5. n. 6. & 8.* id probantes tum *ex can. Manifeſta & can. ſeq. 12. q. 1. & can. cum poteſtatis 2. q. 7.* tum *ex c. Veniens. 38. §. fin. de Teſtib. & l. Conſenſu §. Sin autem C. de Repudiis.* Barboſa *c. in litteris n. 10. h. t.* Maſcardus *Concl. 491. n. 4. & ſeqq.* Farinacius *d. q. 55. n. 70.* citans plurimos alios, & communem.

126 Ulteriùs Domeſtici admittuntur in cauſis civilibus ad ferendum teſtimonium favore Eccleſiæ. Patet hoc *ex can. Super prudentia 14. q. 2.* ubi Clerici pro ſua Eccleſia teſtimonium ferre poſſunt: ac notat Gloſſa *can. 2. d. ſt. 29. V. Negotio.* Maſcardus *Concl. 534. n. 35.* Farinacius *q. 55. n. 91.* allegans alios.

127 Item, ubi quis eſt domeſticus utriuſque partis; ſive (ut alii loquuntur) data æqualitate domeſticitatis: quia tunc propter parem affectionem erga utrumque ceſſat ratio ſuſpicionis; ſicque admittitur ejus teſtimonium, *l. Non ſolùm ff. de Ritu nupt.* Maſcar. *cit. Concl. 534. n. 36.* Farin. *l. c. n. 92.* & alii; eſtque in ſimili dictum ſuprà *num. 107.*

128 Atque iſtud ampliatur, quando Domeſticus partim deponit pro alio Domeſtico, vel etiam Domino ſuo; & partim contra ipſum. Quia tunc, ſicut fides teſtimonii non poteſt dividi; ita & teſtimonium illius domeſtici nequit pro parte acceptari, & pro parte rejici, *arg. l. Si quis teſtibus C. h t.* ac proinde, ſi adverſarius vult uti ejus dicto; in quantùm ſibi favet, pariter debet tollerare, ut valeat quoad alterum, in quo militat contra ipſum. Felinus *c. in litteris n. 3. h. t.* Maſcardus, *ubi ſuprà n. 37.* Farinacius *n. 93.* & alii.

129 Inſuper Domeſtici teſtimonium admittitur in probandis factis, & delictis domeſticis: nam de facili, quæ domi geruntur, per alios probari non poſſunt, *l. Conſenſu §. Super plagis C. de Repudiis.* Felinus *c. c. in litt. n. 6. h. t.* Maſc. *d. Concl. 534. n. 15.* Farinacius *n. 50. & ſeqq.* citans alios.

130 Rurſus Domeſtici poſſunt adhiberi in teſtes inſtrumentarios, ſeu ad conficienda Inſtrumenta: nam quando ſunt rogati, & ab utraque parte approbati, nequeunt poſtmodùm reprobari, ſub prætextu, quòd ſint domeſtici, per regulam traditam *in l. Si quis teſtibus C. h. t.* Farinacius *d. q. 55. n. 83.* iſtud limitans, dummodò altera pars non ignoraſſet qualitatem domeſticitatis. Maſcardus, *ubi ſuprà, n. 29. & 30* allegans alios.

131 Tandem domeſticus teſtis admittitur in probatione ætatis hominis: hæc enim commodius poteſt probari per domeſticos, quàm per extraneos. Farinacius *n. 112.* & concordãt dicta ſuperiùs *n. 106.* Item parte non opponente admittitur, ac probat teſtis domeſticus; ſicut & in factis antiquis; ac in quibus veritas aliter haberi non poteſt; juxta ea, quæ in ſimili habentur ſuprà *n. 117. & ſeqq.* & nonnullis aliis, de quibus fusè Farinacius, & Maſcardus, *ubi ſuprà*, & alii ab iſtis copioſè citati.

## §. V.

## De Teſtibus inhabilibus ad teſtificandum contra certas perſonas; putà, de Inimicis, & de Parentibus adversùs Liberos ſuos, ac Judæis adversùs Chriſtianos &c.

### S U M M A R I U M.

132 *Inimicus adversùs eum, cum quo gerit inimicitiam, teſtimonium ferre non poteſt.*
133 *Etiam loquendo in criminibus exceptis.*
134 *Et factis occultis, ac difficilis probationis.*
135 *Intelligendo iſtud quoad cauſas civiles de inimicitia gravi ſeu capitali. Et n. ſeqq:*
136 *In cauſis tamen criminalibus quælibet inimicitia, etiam levis, teſtem repellit.*
137 *Fallit iſtud in inimico reconciliato; & quandò?*
138 *Item in inimico utriuſque partis.*
139 *Teſtis inimicus probat contra producentem.*
140 *Inimicitia teſtis non præſumitur, ſed eſt probanda ab allegante.*
141 *Ad eam probandam ſufficiunt conjecturæ.*
142 & 143 *Et quales?*
144 *Parentes adverſus Liberos ſuos, & econtrà, teſtes eſſe non poſſunt.*
145 *Idemque dicendum de Liberto reſpectu Patroni.*
146 *In cauſis matrimonialibus admittitur teſtimonium Parentum adverſus Liberos, in gradu prohibito contrahere volentes.*
*Adeò, ut ad teſtimonium ſolius matris prohibeantur matrimonium contrahere. Ibid.*
147 *Secùs dicendum de matrimonio jam contracto, quod ad dictum ſolius matris non diſſolvitur; & quæ ratio diſparitatis?*
148 *An teſtificatio parentum in cauſis matrimonialibus admittatur pro favore Liberorum? Remiſſivè.*
149 *Parentum teſtimonium contra filios, & econtra, admittitur in crimine læſæ Majeſtatis, Hæreſis &c.*
*Filii naſcuntur patriæ; & magis, quam parentibus. Ibid.*
150 *Item, quando utraque pars conſenſerit.*
151 *Aut, ſi veritas aliter haberi non poteſt.*
152 *Judæi ad teſtificandum in judicio contra Chriſtianos admitti non debent.*
153 *Ampliatur iſtud ad Paganos, Hæreticos &c.*
154 *Imò & ad Judæos, alioſque Infideles, noviter ad Fidem Catholicam converſos.*
155 *Tamen in Inſtrumentis, contractibus, & teſtamentis, iidem admittuntur.*
156 *Sicut & in criminibus exceptis.*
157 *Teſtimonium Chriſtianorum indiſtinctè admittitur contra Judæos.*
158 *In judiciis ſervanda eſt æqualitas.*
159 *Et qualiter iſtud ſit intelligendum?*

Quæritur I. An, & quando teſtimonium Inimici repellatur? Reſp. I. Inter eos, qui arcentur dicere teſtimonium contra certas perſonas, cum primis numerantur Inimici: nam Inimicus adversùs eum, cum quo gerit inimicitiam, teſtimonium ferre non poteſt. Textus eſt *in L. 3. ff. h. t.* quæ eſt canonizata *in c. Si teſte. §. Teſtium fides 4. q. 3.* ubi inter alia, teſtem à ferendo teſtimonio repellentia explorandum dicitur, *An ei inimicus ſit, adversùs quem teſtimonium fert.* Concordat *c. Cùm oporteat. 19. de Accuſation. & auth. de Teſtibus. §. Si verò quis dicat. Collat. 7. & can. Accuſatores & teſtes 3. q. 5.* In quo poſteriori loco S. Anacletus Papa *Epiſt. 3. c. 5.* ita ſcripſiſſe refertur: *Accuſatores, teſtes eſſe non poſſunt, qui ante heſternum diem, vel nudius-tertius inimici fuerunt; ne irati nocere cupiant, vel læſi ſe ulciſci velint.* Quibus verbis, ut aliæ concordantiæ taceantur, redditur ratio datæ Concluſionis: quia videlicet teſtimonium inimici redditur ſuſpectum, eò quòd animo nocendi, aut ulciſcendi ſe de ſuo inimico procedere, ſicque falſum eſſe præſumatur. Atque ideò Jure gentium rejicitur teſtimonium inimici, ne exinde condemnari contingat etiam innocentes, Menochius *de Arbitrar. Iudic. lib. 1. q 28. n 4 & ſeqq.* Maſcardus *de Probat. Concl. 463. n. 31. & Concl. 901. n. 1. & ſeqq.* Farinacius *de Teſtib. q. 53. n. 3.* & communis aliorum. 132

Atque hæc Concluſio ampliatur, ut procedat etiam in criminalibus exceptis, ut putà, Hæreſis, læſæ Majeſtatis, aliiſque talibus graviſſimis delictis: nam etiam in talibus inimici non admittuntur in teſtes contra ſuos inimicos, per textum *in c. Per tuas 32. §. Nos verò de Simonia.* Maſcardus *d. Concl. 901. n. 2.* & Farinacius *ead. q. 53. n. 5. & ſeqq.* citans plurimos alios. 133

Ampliatur ulterius in delictis & factis occultis, ac difficilis probationis, aliiſque cauſis privilegiatis: quia etiam in talibus teſtimonium inimicorum non admittitur: & ſi ſecùs fiat, non ſolum non probat plenè, aut ſemiplenè, ſed nec facit indicium, aut præſumptionem quandam: alioquin enim, ſi poſſent teſtificari contra ſuum inimicum in factis occultis, ampliorem viam haberent evomendi virus concepti odii in ipſum. Menochius *de Arbitrar. Iudic. cit. q. 28. n. 5.* Pirhing. *h. t. n. 53.* Farinacius *d. q. 53. nu. 7. & 12.* allegans plurimos alios 134

cum

cum communi: qui tamen *q.62. nu.283.* hanc ſuam ſententiam, ſeu quòd teſtis inimicus examinatus, cùm examinari non debuiſſet, nullum faciat indicium, intelligi vult de inimicitia capitali. Quod ut meliùs intelligatur

135 Reſp. II. Nihilominùs proximè data Concluſio eſt intelligenda duntaxat de inimicitia gravi, ſeu capitali: juxta Gloſſam *in cit. can. Si teſtes* ℣. *Inimicus 4. q. 3.* & aliam Gloſſ. *c. Per tuas 32.* juncto textu *ib. verſ. inimicitias capitales. de Simonia*. Secùs, ſi nullæ intercedant capitales inimicitiæ: quia propter alias non repellitur quis à ferendo teſtimonio, etſi minor fides eidem adhibeatur, *Auth. de Teſtibus* §. *Si verò quis dicat. Colat. 7.* & ibi Gloſſa *verſ. Non adſit.* & *ſeqq.* & Gloſſa *cit. cap. Per tuas. de Simon.* Maſcard. *d. Concl. 463. n. 34.* & Alii.

136 Fatendum tamen, quòd iſtud poſterius procedat ſolùm in cauſis civilibus. Siquidem in cauſis criminalibus (ſeu, in quibus venit imponenda pœna mortis naturalis, aut civilis, vel mutilatio membri) teſtes debent eſſe omni exceptione majores, ac omni ſuſpicione, maculaque carere, *c. 1. de Exception.* cum concordantiis, atque ideò quælibet inimicitia, etiam levis, illos repellit à teſtificando. Farinacius *cit. quæſt. 34. n. 53.* Pirhing *h. t. n. 54.* Imò in cauſis quoque civilibus etſi levis inimicitia non repellat quempiam à teſtificando, nihilominùs admiſſus non cenſetur teſtis idoneus, ſive talis, qui faciat ſemiplenam probationem: ſed ei de fide diminuitur tantum, quantum patitur qualitas inimicitiæ prudenti Judicis arbitrio Menochius *cit. q. 28. n. 5.* Farinacius, *ubi ſuprà, n. 54* allegans communem aliorum, paucis exceptis, qui voluerunt tales eſſe teſtes idoneos.

137 Reſp. III. Ulteriùs data Concluſio prima patitur alias quaſdam limitationes. Et quidem imprimis ea fallit in inimico reconciliato: nam hoc ipſo ampliùs non cenſetur inimicus, ſicque admittitur ejus teſtimonium. Intellige, ſi eſt conciliatus ab antiquo, ſignaque concordiæ & reconciliationis præceſſerunt: ſecùs enim eſt dicendum, ſi ſit reconciliatus de recenti, ita ut adhuc odium, & animum nocendi retineri præſumatur, *can. Accuſatores & teſtes. 3. q. 5.* quod Judicis arbitrio relinquitur diſcernendum, Maſcardus *cit. Concl. 901. n. 9.* Farinacius *d. q 53. n. 58.* & alii.

138 Fallit deinde in inimico utriuſque partis: nam ſicut par affectio teſtem non repellit, *arg. l. Non ſolùm.* §. *De uno. ff. de Ritu nuptiar.* ita nec eum repellet par odium. Farinacius *ib. n. 86.* cum plurimis aliis.

139 Ulteriùs teſtis inimicus probat contra producentem. Generaliter enim, qui teſtes producit, cenſetur illos approbare; atque ideò hi probant contra ipſum; etiamſi aliàs forent inhabiles *l. Si quis teſtes.* juncta Gloſſa *ver. Exciper. C. h. t.* & *can. Si teſtes* §. *Si quis teſtes 4 q. 3.* Farinacius *ead. q. 53. n. 71.* & *72.* citas alios, & nonnullas alias fallentias adducens.

140 Solùm nota, quòd inimicitia teſtis probanda ſit ab allegante: non enim præſumitur inimicitia veluti exiſtens contra Jus naturale. Maſcardus *de Probation. Concl 900. n. 1.* & *2.* Farinacius *lib. 1. Praxis Crim. q. 49. n. 126.* & alii. Quinimo præſumi debet quis bonus, & amicus, donec contrarium probetur: quia hæc eſt præſumptio naturæ, quæ inter nos cognationem quandam conſtituit, ac proinde conſequens eſt, hominem homini inſidiare nefas eſſe, *l. Ut vim. ff. de Juſt.* & *jur.*

141 Porrò ad probandam inimicitiam ſufficiunt conjecturæ, dummodò cauſæ illæ, ex quibus oritur conjectura, ſeu præſumptio juris de inimicitia, evidenter ac manifeſtò probentur: alioquin enim non cenſeretur probata Inimicitia. Farinacius *cit. q. 49. n. 129.* & *131.* ſic concordans diverſas Doctorum ſententias. Quia enim inimicitia conſiſtit in affectione animi, aliter quàm conjecturis probari non poterit. Abbas *c. Repellantur n. 2. de Accuſat.* Maſcardus *d. Concl. 900. n. 5.*

142 Tales autem conjecturæ, ex quibus Jus præſumit inimicitiam, etiam capitalem, oriuntur ex lite omnium, vel majoris partis bonorum, per alterum ſibi mota, *cap. Frequens* §. *Illum autem de Reſtit. ſpol. in 6.* Item ex ſpoliatione unius magnæ quantitatis pecuniariæ, vel alterius magnæ rei, putà, ex detentione terræ alienæ, *cap. Item cùm quis 6. de Reſtit. ſpol. in 6.* & *c. Accedens 4. Ut lite non conteſtata* &c. Farinacius *cit. q. 49. n. 2.* & *ſeqq.* Maſc. *d. Concl. 900. n. 9. ac ſeqq.* Et ratio ulterior eſt: quia bona temporalia, præſertim in tam magna quantitate, vita hominis dicuntur, *c. Advocati* juncta Gloſſa *verſ. Vitam C. de Advocatis diverſ. judicior.* & tradit Baldus *l. In iis C. de Oper. libertor.* Maſcardus *loc. cit. n. 8.*

143 Deinde probatur, atque præſumitur inimicitia, etiam capitalis, eò quòd quis occiderit meum conſanguineum: item, quòd quis vitæ meæ inſidias paraverit; aut minas de occidendo ſparſerit, præſertim ſi potens eſt, ac ſolitus exequi minas; quin etiam ex verbis injurioſis poterit deſumi capitalis inimicitia, *arg. c. Veniens 16. de Jurejurand.* ac notat Baldus *ibid. n. 5.* Item, ſi quis eſt amicus, vel affinis inimici mei; vel qui frequenter cum inimico meo habitat. Item præſumitur inimicus meus, qui inimicus eſt fratris, affinis, vel ſocii mei, ac hujuſmodi; prout fuſiùs declarat Maſcardus, & Farinacius, *ubi ſuprà*. Quamquam Judicis arbitrio eſſe relinquendum, quænam in his vel illis caſibus, atque circumſtantiis, conjecturæ ſufficiant ad repellendum teſtem, veluti inimicum, rectè notet Gloſſa *in c. Cùm oporteat verſ. Inimicos de Accuſat.* Menochius *de Arbitr. Judic. lib. 2. caſ. 110. n. 2.* Maſcardus *d. Concl. 900. n. 44.* aſſerens, in hoc omnes reſidere.

144 Quæritur II. Utrùm Parentes adverſus Liberos ſuos & econtrà, ſint admittendi ad teſtimonium? Reſp. I. Parentes adverſus Liberos ſuos, & viciſſim Liberi adverſus Parentes, in judicio teſtes eſſe non poſſunt. Textus eſt *in l. Parentes C. h. t.* quæ eſt canonizata *in can. Si teſtes 4 q. 3.* ibi: *Parentes, & liberi invicem adverſus ſe nec volentes ad teſtimonium admittendi ſunt.* Idque meritò ſtatutum fuit, hinc ob dilectionem, quam Jure naturali, ac Divino, tenentur parentes exhibere liberis ſuis, illinc ob reverentiam parentibus debitam à liberis: hæc enim læderetur per teſtificationem adverſus ſe in judicio factam, contra Jus naturale, & quartum Præceptum Decalogi.

145 Atque hoc ipſum ampliatur ad Libertum reſpectu Patroni: nam ob conſimilem reverentiam & gratitudinem, quam Libertus debet ſuo Patrono ipſum in libertatem redigenti, nec volens, nec invitus, in teſtem contra eundem admittitur, *can. Epiſcopus, qui mancipium 12. q. 2.* ubi ſermo eſt de Liberto per Eccleſiam manumiſſo, & *l. Libertorum C. h. t.* ubi non ſolùm Libertus contra Patronum teſtificari non cogitur, ſed teſtificans punitur.

146 Reſp. II. Data Concluſio procedit quidem regulariter, patitur tamen quaſdam limitationes. Et primò quidem in cauſis matrimonialibus, quando agitur de impediendo matrimonio per Liberos contrahendo. Nam, quia tunc agitur de reverentia Sacramenti Matrimonii, ſaluteque animæ, ac vitando peccato Liberorum; ſimulque Parentes (imò, ſervata proportione, etiam Conſanguinei) meliùs præ cæteris noſſe præſumuntur parentelam, ſive gradus conſanguinitatis, & affinitatis ſuorum; ideoque ad dictum unius eorum non modica oriatur præſumptio, quòd contrahere volentes ſe linea conſanguinitatis attingant: rectè teſtimonium patris vel matris admittitur adverſus Liberos ſuos, in gradu prohibito matrimonium contrahere volentes, *can. De parentela 35. q. 6.* & *c. Licèt ex quadam 47. h. t.* Adeò quidem, ut ad teſtimonium ſolius matris, quæ prolem ſuam, matrimonio conjungendam cum alio, confitetur huic eſſe conſanguineam, matrimonium inter hos contrahi prohibeatur, *c. Super eo 22. h. t.*

147 Additur notanter, *matrimonio conjungendum*. Nam ſecùs eſt dicendum de matrimonio jam contracto: iſtud enim neutiquam eſt diſſolvendum ad dictum ſolius matris, ſed opus eſt legitimo plurium teſtimonio, qui juridicè deponant, eos qui putantur conjuges, eſſe conſanguineos, aut alio impedimento dirimente laborare; prout expreſsè habetur deciſum *in c. c. Super eo h. t.* Ratio diſparitatis eſt: quia, ubi agitur de matrimonio jam contracto diſſolvendo, nempe ob impedimentum dirimens poſteà cognitum, agitur tum de reverentia & validitate Sacramenti Matrimonii, ſeu ne illos, quos Deus conjungit, homo ſeparet; contra illud Salvatoris *Marc. c. 10.* tum de magno præjudicio ipſorum conjugum, ſuſceptarumque prolium, ſi denuò ab invicem ſepararentur: talia autem incommoda non ſequuntur, ſi impediatur duntaxat matrimonium inter aliquos contrahendum.



dum. Accedit, quòd multa impediant matrimonium contrahendum, quæ non dirimunt contractum, *cap. Quemadmodum 25. de Jurejurand.*

148 An autem, & quando teſtificatio parentum in cauſis matrimonialibus admittatur pro favore liberorum, jam dictum eſt ſuprà §. 4. *n. 109.* & *ſeq.* Hic enim ſermo eſt de Teſtimonio parentum adverſus liberos, ſeu in præjudicium ipſorum, & econtrà.

149 Fallit ulteriùs data Concluſio in crimine læſæ Majeſtatis, Hæreſis, & aliis hujuſmodi exceptis, & atrociſſimis criminibus. Nam in his admitti teſtimonium parentum contra filios, & econtrà, ex eo ſuadetur; quia filii naſcuntur patriæ, ſeu Reipublicæ, *L. 1.* §. *Quamvis ſit ff. de Ventre inſpiciend.* & *L. 1.* §. *Et generaliter ff. de Ventre in poſſeſſ. mittend.* Et quidem magis, quàm parentibus, ut inquit Gloſſa *in cit.* §. *Et generaliter verſ. Reipublicæ*, id probans *ex l. Poſtliminium* §. *Filius. ff. de Captivis & poſtlimin. reverſ.* cum ſimilibus. Unde non mirum, quòd in crimine læſæ Majeſtatis, & aliis exceptis, ac Reipublicæ ſummè pernicioſis ſceleribus admittatur teſtimonium filii contra patrem, & econtrà. Ad hoc ipſum facit Gloſſa *in c. 1. verſ. Et Chriſtiani de Converſion infidel.* in ſimili aſſerens, quòd pugnantes pro patria, & Fide, pater in filium, & filius in patrem inſurgere debeat. Maſcardus *Concl. 463. n. 9.* & *10.* Farinacius *d. q. 55. n. 173.* & *174.* & alii.

150 Fallit rurſus, ſi utraque pars, pater videlicet, & filius conſentiat, ut unus volens contra alterum examinetur, atque deponat: quia concurrente voluntate utriuſque nihil adeſt, quod tale examen impediat cùm quælibet pars favori ſuo renunciare poſſit. Farinacius *l. c. nu. 176.* Pirhing *h. t. n. 65.* Quamvis Zoëſius *tit. de Teſtib. cogend. n. 4.* aſſerant, quòd filius contra patris etiam voluntatem audiendus non ſit, cùm lex non diſtinguat, ſed ſimpliciter audiri nolit, *l. Parentes. C. de Teſtib.*

151 Idem dicendum, ſi veritas aliter haberi non poteſt; quia tunc parentes contra filios, & econtrà, ad teſtificandum quoque à Judice compelli poſſunt. Farinacius *ibid. n. 171.* & *172.* Jul Clarus *in Pract. Crimin. l. 5.* §. *fin. q. 24. n. 22.* Qui tamen rectè notat, quòd Judex, quantum fieri poteſt, debeat abſtinere ab examinandis teſtibus, qui de jure contra Reum non poſſunt compelli ad teſtificandum: & ſi caſus occurreret, quòd veritas aliter haberi nequeat, ſimulque crimen ſit atrox, Judex priùs conſulat Principem, antequàm parentes contra filios, aut hujuſmodi examinet.

152 Quæritur III. Utrùm ſit admittendum teſtimonium Judæorum adverſùs Chriſtianos? Reſp. I. Judæi ad teſtificandum in Judicio contra Chriſtianos admitti non debent. Textus eſt *in can. Non poteſt. 2. q. 7.* addita ratione: Tum quia *non poteſt erga homines eſſe fidelis, qui Deo extiterit infidus*. Et infrà loquendo de illis Judæis, qui poſt Fidem Chriſti, dudum acceptam, quam tamen poſteà prævaricati ſunt, ſe Chriſtianos eſſe dicunt. *Quia, ſicut in fide Chriſti ſuſpecti ſunt, ita & in teſtimonio humano dubii habentur, infirmari ergo oportet eorum teſtimonium, qui in fide falſi docentur, nec eis eſt credendum, qui veritatis à ſe fidem abjecerunt.* Hæc ibi. Concordat textus *in l. Quoniam. C. de Hæretic.* cum concordantiis; eſtque communis & indubitata ſententia, prout teſtatur Farinacius *q. 56. de Teſtibus n. 205.* citans alios.

153 Atque hæc Concluſio ampliatur ad Paganos, Hæreticos, & quoſcunque alios Infideles. Hi enim omnes, dum teſtantur contra Catholicos, ſunt de veritate ſuſpecti; nam ex quo ſunt Deo infideles, non præſumuntur fideles eſſe hominibus veram Fidem Dei profitentibus, atque ideò à teſtimonio contra Catholicos judicialiter ferendo repelluntur, *can. Pagani.* & *can. Si hæreticus. 2. q. 7.* & *can. Ipſa pietas. 23. q. 4.* & *cit. l. Quoniam, C. de Hæretic.* cum ſimilibus.

154 Ampliatur ulteriùs ad Judæos, alioſque Infideles, noviter ad Fidem Catholicam converſos: nam etiam iſti repelluntur à teſtimonio contra Catholicos ferendo in judicio; prout deſumitur *ex can. Conſt. 17. q. 4.* juncta Gl. *ib. v. Qui ex Judæis.* Farin. *d. q. 56. n. 208.* Maſc. *de Probat. concl. 946. n. 3.* Pirhing *h. t. n. 61.* & alii. Ratio eſt; tum quia in ſimili inimicus noviter reconciliatus repellitur à dicendo teſtimonio. *can. Accuſatores & teſtes. 3. q. 5.* eſtque paulo ſuperiùs dictum *n. 137.* Tum quia tales appellantur Neophyti, qui veluti multa adhuc indigentes probatione, juxta monitum Apoſtoli *1. Tim. 3.* à ſuſceptione Ordinum repelluntur, *can. 1. diſt. 48* ſicque pariter repellendi ſunt à ferendo teſtimonio: nam hæc duo quoad propoſitum æquiparantur, *c. ult. h. t.* illis verbis: *Ab accuſatione, ac ſuſceptione Ordinum repellantur.*

155 Intellige tamen datam Concluſionem unacum ſuis ampliationibus, de teſtimonio à Judæis contra Chriſtianum ferendo in judicio ad dirimendas lites. Siquidem in inſtrumentis, contractibus, & teſtamentis eorum teſtimonium non eſt interdictum, ſed *propter utilitatem neceſſarii uſus eis ſine ulla diſtinctione permittitur, ne probationum facultas anguſtetur*: prout loquitur Imperator *in cit. l. Quoniam. C. de Hæret.* & ampliùs declarat Gloſſa *fin.* & Bartolus *ib.* Baldus *in l. cunctos populos. C. de Summa Trinit.* Maſc. *d. concl. 946. n. 11.* Farinacius *c. q. 56. n. 221.* allegans alios.

156 Limitatur eadem Concluſio in criminibus exceptis; ſicut & in caſibus, in quibus veritas aliter haberi non poteſt, *arg. c. In fidei. 5. de Hæret. in 6.* Ubi excommunicati, & participes, & ſocii criminis, ad teſtimonium admittuntur contra alios Hæreticos, Fautores, Receptores, & Defenſores eorum; *præſertim in probationum aliarum defectum; ſi ex veriſimilibus conjecturis, & ex numero teſtium, aut perſonarum tam deponentium quàm eorum contra quos deponitur, qualitate, ac aliis circumſtantiis, ſic teſtificantes falſa non dicere præſumantur.* Hæc ibi. Concordat *c. contra Chriſtianos. 13. eod. in 6.* ac tradit Maſcardus *cit. Concl 946. n. 9.* Pirhing. *h. t. n. 62.* Farinacius *d. q. 56. n. 227.* allegans alios. Quamquam ſtatim *n. 228.* ſubjungat, quòd tunc Judæus, aliuſve Infidelis, non ſit teſtis integræ fidei, atque omni exceptione major, neque faciat plenam probationem, ſed indicium ac præſumptionem ſolùm; prout & allegatus textus *c. In fidei. de Hæretic. in 6.* clarè ſupponit.

157 Objicies majoris claritatis gratia contra datam Concluſionem. Teſtimonium Chriſtianorum indiſtinctè admittitur contra Judæos; ergo etiam viciſſim teſtimonium Judæorum contra Chriſtianos recipiendum eſt. Antecedens patet *ex cap. Judæi. 21. h. t.* ubi Alexander III. in Concilio Lateranenſi ſic decrevit: *Teſtimonium quoque Chriſtianorum adverſùs Judæos in omnibus cauſis* (hoc eſt, tam in civilibus, quàm criminalibus) *cùm illi adverſùs Chriſtianos teſtibus ſuis uti præſumant, recipiendum eſſe cenſemus.* Concordat *Clem. Cùm Judæi. eod.*

158 Conſequentia verò probatur: quia in Judiciis ſervanda eſt æqualitas; ut *c. 2. de Mutuis petition.* & *c. Cùm inter. 5. de Exceptionib.* & *l. In ſacris ſcriniis militantes.* §. *Et quoniam. C. de Proximis ſacror. ſcrinior.* Ubi dicitur: *In controverſiis, quas in judiciis moveri contigerit, æqualitatem litigatoribus volumus ſervari, & adverſariis eorum*, cum ſimilibus. Reſp. conceſſo antecedente, negando conſequentiam.

159 Ad hujus probationem dicitur cum Gloſſa *in c. Clem. Cùm Judæi. v. Juri. h. t.* quòd æqualitas illa, quæ in Judiciis obſervanda eſt, reſpiciat perſonas Actoris, & Rei; ita videlicet, ut regulariter *non liceat Actori, quod Reo licitum non exiſtit*, prout loquitur *Reg. 32. Jur. in 6.* Non verò æqualitas illa debet reſpicere perſonas teſtium: alioquin enim ſequeretur, quòd cùm vir probus, ac fide dignus, non recipiat teſtem crimінoſum vel excommunicatum contra ſe, nec ipſa contra illum in teſtem recipi poſſit: quod utique eſt abſurdum.

## §. VI.

## De Teſtimonio Laicorum contra Clericos, & econtrà.

*S U M M A R I U M.*

160 *Laici in cauſa criminali Clericorum regulariter teſtimonium ferre non poſſunt. Et n. ſeqq.*

161 *Laici ſunt Clericis oppidò infeſti.*

162 *Cur Laici poſſint Clericos accuſare, non verò contrà eos teſtimonium dicere?*

163 *Criminaliter agitur contra Clericum, quando agitur ad Degradationem, vel depoſitionem ab Ordine.*

*Ad hanc propriè tendit accuſatio Clericorum. Ibid.*

164 *Civiliter agitur contra Clericum, quando agitur ad reſtitutionem rei alienæ, vel ad privationem Beneficii.*

*Laicus poteſt teſtificari contra Clericum in cauſis civilibus. Ibid.*

165 *Imò & in criminibus exceptis.*

166 *Sicut & in crimine notorio, ac probatione infamiæ.*

167 *Et ob defectum teſtium Eccleſiaſticorum.*

168 *Clerici non admittuntur ad teſtimonium contra laicos in cauſa criminali.*

169 *Etiamſi non agatur de imponenda Laico crimnoſo pœna ſanguinis; quamvis nonnulli contrarium teneant.*

170 *Ubi agitur ad pœnam ſanguinis irrogandam, nullo modo poteſt Clericus eſſe teſtis.*

*Ne quidem in criminibus exceptis. Ibid.*

171 *Etiamſi proteſtetur, ſe nolle deponere ad cauſam ſanguinis.*

*Solvitur inſtantia ex* c. Prælatis. de Homicid. in. 6. *deſumpta. Ibid.*

172 *Poteſt Epiſcopus Judici laico concedere licentiam exhumandi corpus occiſi, ut conſtet de corpore delicti, abſque irregularitate.*

*Non tamen poteſt judex laicus è Loco ſacro illud exhumare inconſulto Epiſcopo. Ibid.*

173 *Poteſt etiam Clericus teſtificari in cauſa criminali pro Laico, ſeu ad ejus defenſam.*

174 *Item, quando Laicus accuſatur de crimine coram Judice Eccleſiaſtico.*

175 *Et ubi veritas aliter haberi non poteſt, nec agitur ad pœnam ſanguinis.*

176 *In hiſce caſibus Clerici ad teſtificandum cogi non poſſunt per Judicem ſæcularem.*

177 *Sed Epiſcopus ejus, ad requiſitionem Judicis ſæcularis, debet, per ſe, aut per alium, examinare Clericum.*

178 *An tale examen Clerici contra Laicum, poſſit jubente Epiſcopo fieri per Judicem ſæcularem?*

179 *In cauſis civilibus poteſt Clericus contra laicum ferre teſtimonium.*

*Sicut & quando de crimine ſolùm agitur civiliter, Ibid.*

180 *Clericus ratione Ordinis eſt teſtis magis idoneus, quàm Laicus.*

181 *Saltem regulariter.*

182 *Clerici non poſſunt eſſe teſtes in Inſtrumentis ſæcularium,* can. Quamquam. 14. q. 2.

183 & 184 *Et quomodo iſtud intelligendum?*

185 *Stante rigore Iuris Canonici, validum eſt teſtimonium Clerici, vel Monachi, in cauſis civilibus Laicorum ſine licentia Superioris.*

160 QUæritur I. Utrùm Laici poſſint ferre teſtimonium in judicio contra Clericos, & quando? Reſp. I. Laicus contra Clericum in cauſa criminali regulariter teſtimonium ferre non poteſt. Textus eſt *in can. Nullus laicus. 2. q. 7.* ibi: *Nullus laicus audeat Clerico crimen inferre:* juncto *can. Beatus Petrus. 6. q. 1.* cum concordantiis. Unde Alexander III. *in c. De cætero. 14. h. t.* in hæc verba reſcripſit Salernitano Archiepiſcopo: *De cætero Laicos in accuſationem, vel teſtimonium contra Clericos in criminali cauſa non eſſe aliquatenus admittendos, cenſura ſacrorum Canonum manifeſtiùs edocet: Niſi forte ſuam, vel ſuorum injuriam proſequantur. Nec tunc etiam ad teſtimonium, ſed ad accuſationem poſſunt admitti.* Hæc ibi.

161 Accedit ratio. Tum quia Laici non ſunt ejuſdem converſationis, nec paris dignitatis cum Clericis: quinimò Clerici ſunt patres, & rectores ipſorum; *can. Abſit. 11. q. 3. & can. Duo ſunt genera. 12. q. 1.* cum ſimilibus. Unde propter reverentiam Clericis debitam, & quorum caſtitatem & gravitatem nolunt imitari, rectè Laici eos impetere prohibentur, *can. Laicos. 2. q. 7.* Impeterent autem, ſi contra Clericos teſtimonium judiciale in cauſa criminali ferrent. Tum quia tale teſtimonium Laicorum contra Clericos, eſt ſuſpectum: nam Laicos oppidò Clericis infeſtos eſſe, ipſa tradit antiquitas, *c. can. Laicos. & can. Laici in accuſatione. 2. q. 7. & c. Clericis. de Immun. Eccl. in 6.* Maſcardus *de Probat. Concl. 1365. num. 44.* & alii.

162 Dices. Poſſunt Laici in cauſa criminali agere contra Clericos, iſtoſque accuſare, ſaltem ſi ſuam, *vel ſuorum injuriam proſequantur*, juxta allegatum textum *cit. c. De cætero. h. t.* ergo à pari poſſunt etiam teſtificari contra eos. Reſp. neg. conſequent. & paritatem. Diſparitas eſt: quia teſtimonium dicere, eſt majoris præjudicii, quàm accuſare. Judex enim tenetur ferre ſententiam ſecundùm allegata, & probata per teſtes: non verò ſecundùm propoſitam accuſationem, *can. Judic. 3. q. 7 & l. Rem non novam. C. de Judiciis*, cum ſimilibus. Et hinc fit, quod Laici, dum ſuam, vel ſuorum injuriam proſequuntur, meritò admittantur ad Clericos criminaliter accuſandos, non verò ad teſtificandum contra ipſos: quia ex hoc poſteriori facilè damnum irreparabile Clericis accideret, ſi Laici contra illos juxta antiquum ſuum affectum ſiniſtrum male teſtarentur; non item ex priori.

163 Additur notanter in data Concluſione, *in cauſa criminali*. Siquidem ipſa procedit ſolùm in cauſis criminalibus criminaliter motis contra Clericos: putà, ubi agitur ad Degradationem, vel depoſitionem ab Ordine: ad hanc enim propriè tendit accuſatio Clericorum, *c. Qualiter & quando. 24. §. Verùm ita. de Accuſ.* Et in talibus cauſis regulariter Laici, veluti ſuſpecti ob antiquam infeſtationem Clericorum; contra hos in teſtes non admittuntur.

164 Secùs dicendum eſt in cauſis civilibus, vel quando de crimine ſolùm agitur civiliter; putà, ad reſtitutionem rei alienæ, vel ad privationem Beneficii: nam etiam tunc dicitur agi civiliter ſolùm, uti patet ex *c. Per tuas. 32. §. fin. de Simonia*. Quando enim civiliter duntaxat agitur, tunc Laicus admittitur in teſtem contra Clericum; prout deſumitur ex *c. Quoniam. 3. h. t.* ac notat Abbas *in cit. c. De cætero. n. 6* & Barboſa *ib. n. 4. h. t.* argumento à ſenſu contrario deſumpto. Maſcardus *cit. Concl. 1365. nu. 54.* Farinac. *q. 61. de Teſtib. n. 120.* allegans plurimos alios.

165 Quin etiam loquendo de cauſis criminalibus, limitatur eadem Concluſio in criminibus exceptis; ut eſt crimen Hæreſis, læſæ Majeſtatis, Simoniæ, & hujuſmodi; quia in talibus admittuntur Laici in teſtimonium contra Clericos, ſi bono zelo, & non odio procedere videantur, *c. Tanta. 7. de Simon.* & notat Gloſſa *in c. Cùm P. verſ. Laicus. de Accuſat.*

166 Idem dicendum in crimine notorio, nam tunc etiam Laici admittuntur contra Clericos, *arg. c. Cùm dilectis. 15. de Purgat. canonic.* Abbas *in d. c. De cætero. n. 4.* & Barboſa *ibid. n. 4. h. t.* Pirhing *h. t. n. 58.* Farinacius *ead. q. 61. n. 118.* allegans alios. Item in probatione infamiæ Clerici: nam ad iſtam probandam admittuntur Laici, hoc ipſo, quòd admittantur in crimine notorio. Maſcardus *de Probat. Concl. 1365. n. 49. & 50.* Barboſa *cit. n. 4.* Farinacius *n. 119.* & alii.

167 Limitatur rurſus eadem Concluſio ob defectum teſtium Eccleſiaſticorum: putà, quia crimen Clerici eſt commiſſum in villa, ubi non aderant alii Clerici; quia tunc admittuntur Laici in teſtimonium, ne alioquin delictum Clerici remaneat impunitum, eique præbeatur anſa delinquendi. Hac quippe de cauſa, ſeu in caſu difficilis probationis, cæteroquin etiam admittuntur teſtes aliàs inhabiles, *c. ul. de Teſt. cogend.* & notat Abbas *l. c. n. 3.* Barboſa *d. n. 4.* Maſcardus *cit. Concl. 1365. n. 46.* & alii. Tacentur nonnullæ ſimiles limitationes, apud præfatos Autores videndæ.

168 Quæritur II. An Clerici ſint admittendi ad teſtificandum adversùs Laicos? Reſp. I. Clerici admittuntur ad ferendum teſtimonium contra Laicos in cauſa criminali criminaliter agitata. Ita Abbas *in c. De cætero. 14. n. 1. h. t.* Maſcardus *de Probat. Concl. 306. n. 6.* Farinacius *cit. q. 61. q. 57.* & alii. Idque liquet *ex can. Teſtimonium. 11. q. 1.* ubi S. Sylveſter Papa *in Concilio Romano, cap. 14.* ſic decreviſſe legitur: *Teſtimonium Clerici adversùs Laicum nemo recipiat* ſubintellige, *in cauſa criminali*; prout explicat Gl. *ib. v. Recipiat.* & Archidiaconus *ib. n. 1. & 3.*

169 Ampliatur Concluſio, ut procedat non ſolùm, quando criminaliter agitur adverſus Laicum ad imponendam pœnam ſanguinis (juxta dicenda *n. ſeq.*) ſed etiam, ut ea locum habeat, quando contra Laicum agitur criminaliter, ſeu ad publicam vindictam, etiamſi non agatur de imponenda Laico criminoſo pœna ſanguinis. Id enim videtur convincere textus proximè allegatus, utpote indiſtinctè loquens: ac (demptis caſibus exceptis, de quibus



bus infrà) tenet Felinus *in c. c. Ex litteris. n. 1. h. t.* ac verius eſſe, cenſet Farinacius *d. q. 61. n. 69.* allegans alios; quamvis contrarium teneant Maſcard. *cit. Concl. 306. n. 7.* & Jul. Clarus *lib. 5. §. fin. q. 24. n. 8.* volentes, Clericum poſſe teſtificari contra Laicum in cauſa criminali, ubi non venit irroganda pœna ſanguinis, *can. Quamquàm. 14. quæſt. 2.*

170 Eadem Concluſio vel maximè procedit, quando agitur Criminaliter ad irrogandam Laico criminoſo pœnam ſanguinis, ſeu mutilationis, aut mortis: quia tunc nullo modo poteſt Clericus teſtificari contra Laicum, propter periculum irregularitatis, quam, illata Reo propter ſuum teſtimonium pœna mortis, vel mutilationis, Clericus incurreret. Gloſſa *in can. Aliquantos. diſt. 51. verſ. Ad Sacerdotium.* Covarruvias *in Clem. Si furioſus. p. 2. §. 4. n. 5. v. Decimotertiò.* Felinus *c. De cætero. n. 1. h. t.* & communis. Adeò, ut Clericus ne quidem in criminibus exceptis, v. g. læſæ Majeſtatis &c. teſtificari poſſit contra Laicum, quando propter illud crimen infligenda eſſet pœna ſanguinis. Farinacius *c. q. 61. n. 66 & 67.* quidquid nonnulli alii contradicant, apud ipſum *n. 65.* relati.

171 Nec obſtat, quòd Clericus proteſtetur: ſe nolle deponere ad cauſam ſanguinis, *arg. c. Prælatis. de Homicid. in 6.* ubi Clerici ſine pœna irregularitatis poſſunt de ſuis malefactoribus conqueri coram Judice ſæculari etiam de criminibus, quibus debetur pœna ſanguinis. Non obſtat, inquam: quia proteſtatio ex parte teſtis in cauſa ſanguinis deponentis, omnino eſt contraria facto, utpote in quo civiliter nihil agitur; ac proinde, ſi ex tali teſtimonio mors Reo inferatur, contrahitur irregularitas. Secùs in caſu *c. c. Prælatis*, ubi Clerici, penes ſæcularem Judicem ſub dicta proteſtatione deponentes petunt ſolummodò emendam ſibi fieri, & provideri, ne impoſterum ejuſmodi injuriæ, ſeu ſpoliationes ſibi inferantur. Unde patet, quòd agant civiliter ad proprium intereſſe, ſeu privatam ſuam indemnitatem: & niſi iſtud eiſdem liceret, daretur malitioſis materia Clericos trucidandi; ipſorumque bona libere deprædandi; prout loquitur textus ibidem. Felinus, Covarruvias, Farinacius, *ubi ſuprà*, Pirhing *h. t. n. 59.* & alii.

172 Dices. Poteſt Epiſcopus Judici laico concedere licentiam exhumandi corpus hominis occiſi, & in Loco ſacro ſepulti, ad cognoſcendum de corpore delicti (ſeu, an vulnus defuncto illatum lethale extiterit, vel potiùs is ex incuria v. g. chirurgi mortuus fuerit) nec tamen Epiſcopus incurrit irregularitatem, etiamſi deprehenſo poſteà vulnere lethali, homicida morte plectatur, maximè accedente proteſtatione Epiſcopi circa pœnam ſanguinis; ergo idem dicendum de Clerico, qui refert teſtimonium de tali vulnere inflicto, ſaltem præmiſſa proteſtatione, quòd nolit deponere ad cauſam ſanguinis. Antecedens docetur à Diana *p. 9. tr. 7. reſ. 64.* allegante pro ſe Genuenſem *in Praxi, c. 42. n. 10.* & alios, quamvis meritò addat: quòd Judex laicus inconſulto Epiſcopo non poſſit ad præfatum finem exhumare corpus occiſi, & in Cæmeterio ſepulti; frangeret enim immunitatem Eccleſiaſticam, atque ideò poſſet excommunicari, *c. Decet domum. de Immunit. Eccleſ. in 6.* Reſp. conceſſo antecedente, unà cum ſua declaratione, neg. conſequent. Diſparitas eſt: quia ad incurrendam irregularitatem requiritur actus, qui eſt cauſa propinqua mortis, ſeu mutilationis, & non admodùm remota, Gloſſa *un. c. De cætero. de Homicid.* Navarrus *c. 27. Manual. n. 211.* & alii, ac dixi egometipſe *in Theolog. Moral. tract. 13. diſt. 3. n. 59.* Atqui conceſſio Epiſcopalis exhumandi corpus occiſi ut poſſit conſtare de corpore delicti, eſt actus remotiſſimus, & ſuapte natura non directus in mortem, vel mutilationem Reo inferendam; bene tamen teſtificatio de vulnere lethali inflicto; ergo. Accedit, quòd in ſimili caſu, ubi malefactor captus à Judice ſæculari falſò dixit ſe eſſe Clericum, Epiſcopus poſſit ipſum pronunciare Laicum abſque periculo irregularitatis, & ſine limitatione, an poſteà ſequatur mors illius malefactoris, nec ne, *c. Si judex. 12. de Sentent. excommun. in 6.* idem ergo dicendum in propoſito. Diana *cit. reſolut. 64.*

173 Reſp. II. Nihilominus data Concluſio nonnullas patitur limitationes, ſeu fallentias. Et primò quidem poteſt Clericus teſtificari in cauſa criminali pro Laico, ſeu ad ejus defenſionem, & innocentiam oſtendendam: haud obſtante, quòd hac ratione ſimul teſtificetur contra alterum Laicum, qui ipſum accuſavit. Felinus *d. c. De cætero. num. 3 & 8. h. t.* Pirhing *h. t. num. 60.* Farinacius *cit. quæſt. 61. num. 64.* allegans alios; & concordant dicta ſuperiùs *n. 125.*

174 Limitatur ſecundo; quando Laicus accuſatur de crimine coram Judice Eccleſiaſtico: quia tunc etiam Clericus poteſt in teſtem produci contra Laicum. Archidiaconus *can. Teſtimonium. 11. q. 1 n. 3.* id probans *ex can. 1. cauſ. 6. q. 2.* Abbas *in c. De cætero. n. 2. verſ. Dicit tamen.* & Felinus *ibid. num. 1. h. t.* Farinacius *ubi ſuprà nu. 70.* allegans alios.

175 Limitatur tertiò, ubi veritas aliter haberi non poteſt: quia tunc in ſubſidium, non ſolùm in civilibus (de quibus infrà *num. 179. & ſeqq.*) ſed etiam in criminalibus, dummodò non agatur de imponenda pœna ſanguinis, Clerici admittuntur in teſtes contra laicos, per textum *in can. Quamquàm 14. q. 2.* & notat Gloſſa *ibid. in Caſu, & verſ. Occultetur.* Abbas *c. Cùm nuncius. n. 3. h. t.* Felinus *c. De cætero n. 1. verſ. Fallit ſecundò eod.* Alexander *Conſ. 65. n. 7. lib. 7.* Farinacius *d. q. 61. n. 71. & 72.* citans alios, & nonnullas alias limitationes ſubjungens.

176 Notandum tamen, quòd in iſto, & aliis hujuſmodi caſibus, Clerici ad teſtificandum cogi non poſſint per Judicem ſæcularem, coram quo vertitur quæſtio contra Laicum; nam Clerici ſunt exempti à Juriſdictione Fori ſæcularis, adeòque nullam poteſt habere Judex ſæcularis in perſonam Clerici, putà, cogendo ipſum ad ferendum teſtimonium, *cap. 2. de Foro compet.* cum ſimilibus. Quinimò iſtud expreſſe eſt prohibitum, *can. Teſtimonium. 11. q. 1.* illis verbis: *Nemo clericum quemlibet in publico examinare præſumat, niſi in Eccleſia:* ubi Gloſſa, *in publico*, exponit pro *Foro ſæculari*. Concordat *can. Nullus ex eccleſiaſtico. 22. q. 5.* ubi prohibetur, ne Clericus cuiquam Laico quidpiam jurare præſumat: ſine juramento autem non creditur depoſitioni teſtis; quantumcunque religioſis, in alterius præjudicium, *c. Tuis quæſtionibus. 36. & c. Nuper. 51. h. t.*

177 Itaque in tali caſu obſervanda erit diſpoſitio *cit. can. Quamquam 24. qu. 2.* ubi ſtatuitur, quòd ſi Clericos in ſubſidium oportuerit dare teſtimonium, *ne veritas occultetur, & malus ut bonus æſtimetur, proprii Epiſcopi ſit, ut aut coram ſe & competentibus Judicibus, aut aliter honorificè veritatem attollant*, ſeu teſtificentur. Ex quibus verbis liquet, quòd ubi in cauſa Laicorum examinandus eſt Clericus in ſubſidium veritatis, debeat Epiſcopus per Judicem ſæcularem, coram quo vertitur quæſtio, debitè requiſitus, vel per ſe, vel per alium à ſe deputandum, judicialiter examinare Clericum illum, hujuſque depoſitionem per tabellionem, ac ſub ſigillo ſuo remittere ad Judicem cauſæ; prout etiam ſolet obſervari, quando teſtes ſunt in alieno territorio, ut *c. Conſtitutus. 3. de Fidejuſſorib.* Ita Archidiaconus *in cit. can. Quamquàm 14. q. 2. n. 2.* Abbas *c. Cùm nuncius n. 3.* & Felinus *ib. n. 3. h. t.* Pirhing *eod. n. 60.* Maſcardus *Concl. 364. n. 51.* Farinacius *cit. q. 61. n. 83.* allegans plurimos alios.

178 Quinimò plerique horum Doctorum addunt, quod tale examen Clerici contra Laicum jubente Epiſcopo, ſeu de ipſius aſſenſu, ſi ita expedire judicaverit, poſſit etiam fieri per Judicem ſæcularem: cum licentia enim Epiſcopi poteſt Clericus etiam coram Judice ſæculari teſtimonium ferre. Abbas, Pirhing, Maſcardus, Farinacius, *ubi ſuprà*, & alii; ac favet textus *in can. Super prudentia §. Poteſt in fin.* ibi: Jubente Epiſcopo *14. q. 2. & cit. can. Quamquam eod. 14. q. 2.* ibi: *Aut aliter honorificè veritatem attollant.* Atque hactenus dicta procedunt de cauſis criminalibus criminaliter motis Laicorum, ſeu quando contra iſtos agitur ad capiendam publicam vindictam; nunc loquendo de cauſis eorum civilibus

179 Reſp. III. Quòd in cauſis civilibus Laicorum poſſit Clericus contra Laicum ferre teſtimonium, paſſim fatentur Doctores; ut Archidiaconus *in can. Teſtimonium. 11. q. 1. n. 1.* juncta Gloſſa *ibid.* Abbas *c. De cætero n. 1.* & Felinus *ibid. n. 1. h. t.* & alii: Idemque dicendum, quando de crimine agitur ſolùm civiliter; putà ad faciendam reſtitutionem rei alienæ injuſtè ablatæ, vel ad pœnam pecuniariam: quia tunc pariter nihil eſt, quod impedit Clerici teſtimonium contra Laicum. Abbas *cit. n. 2.* Pirhing *h. t. n. 60.* (hi tamen iſtud ſolummodò admittunt in

defe-

defectum aliorum teſtium, ſeu *ne veritas occultetur, & malus ut bonus æſtimetur*, prout loquitur textus *in cit. can. Quamquam 14. q. 2.*) Felinus *d. n. 1.* Farinacius *ead. q. 61. n. 68. & 77.* allegans alios.

180 Quinimò, quòd Clericus ratione Ordinis Presbyteratus ſit magis idoneus teſtis, quàm Laicus, textus eſt *in c. Quamquàm. 14. q. 2.* ibi: *Quamquàm Sacerdotum teſtimonium credibilius habeatur &c.* Concordat Gloſſa *can. Monachos. diſt. 77. v. Quæram.* ubi inquit, quòd *tantùm valeat teſtimonium quatuor Clericorum, quantùm ſex Laicorum.* Maſcardus *cit. Concl. 306. n. 1.* idipſum aſſerens, ac pro ſe citans Socinum *Conſil. 28. col. 3. circa princ.* & Decium *c. Ex litteris. n. 24. de Probat.* Speculator *tit. de Requiſitione Conſilii. n. 8.* Sperellus *Dec. 81. Fori Eccleſiaſt. n. 49.* poſt Cravettam *Conſ. 169. n. 3.* & alios. Alexander *Conſil. 43. n. 4. vol. 7.* ubi citatis plurimis aliis inquit, quòd qualitas illa, nempe quòd, quis ſit Clericus ſeu Sacerdos, augeat fidem; & tales ſint teſtes majoris fidei: unde eorum teſtimonium, cæteris paribus, præfertur teſtimonio Laicorum regulariter.

181 Et notanter ſubdit ly, *regulariter*. Nam ſi duo Clerici dicant, Titium commiſiſſe fornicationem cum Cajo, v. g. tali die, duo autem Laici teſtificentur, Titium fuiſſe cum eis tota illa die in alio loco; tunc præponendi ſunt Laici, quia ſtant pro Reo. Gloſſa notabilis *in can. Clerici diſt. 81. verſ. Aliqui.* Abbas *c. In noſtra. num. 4. h. t.* illud limitans; dummodò ſit modicus exceſſus in teſtibus Actoris; ſimùlque ceſſet præſumptio ſubornationis ex parte teſtium Laicorum, in favorem Rei deponentium.

182 Dices. Clerici extra caſum neceſſitatis, & abſque conſenſu Epiſcopi, non poſſunt eſſe teſtes in Inſtrumentis ſæcularium conficiendis; ergo multò minùs in cauſis criminalibus ipſorum, etiam civiliter duntaxat agitatis, & conſequenter præmiſſæ limitationes non videntur ſubſiſtere. Antecedens probatur *ex c. can. Quamquàm. 14. q. 2.* ubi in Synodo habita Romæ ab Eugenio Papa II. *c. 13.* ſic ſtatutum legitur: *Quanquam Sacerdotum teſtimonium credibilius habeatur; tamen ipſi in ſæcularibus negotiis pro teſtimonio, aut conficiendis inſtrumentis non rogentur: quia eos in talibus rebus eſſe non convenit. Si autem eventu aliquo cauſæ interfuerint, & aliquid viderint, vel audierint, ubi nullæ idoneæ ſæcularium inveniantur perſonæ, ne veritas occultetur, & malus ut bonus æſtimetur, in providentia proprii Epiſcopi ſit, ut aut coram ſe & competentibus judicibus, aut aliter honorificè veritatem attollant.* Hæc ibi: Accedit, quòd Clerici, ac præſertim Monachi & Religioſi, ſubſint ſuo Epiſcopo, vel Prælato Regulari, ac ſub ejus obedientia ſint poſiti; ergo hoc ipſo non poſſunt eſſe teſtes ſine licentia ejus, cui ſubſunt, *arg. can. Monachi vagantes. & can. Monachi à Monaſterio. 16. q. 1. cum ſimilibus.*

183 Ad hanc notabilem inſtantiam reſpondetur primò, non deeſſe Authores, qui volunt, relatum Canonem *Quamquàm 14. q. 2.* procedere potiùs de honeſtate quam de neceſſitate; prout videtur innuere ly, *Eos in talibus rebus eſſe non convenit.* Atque ita ſentit Felinus *c. Cùm nuncius. n. 3. in fin. h. t.* Pirhing *eod. n. 60.* Farinacius *cit. q. 61. n. 64.* allegans alios. Sed quoniam Jure cautum eſt, *Ne Clerici vel Monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant*, prout loquitur Rubrica *eod. tit.* juncto Nigro *ibid.* Hinc ſpectato rigore Juris Canonici illicitum videtur, quòd Clerici extra caſum neceſſitatis, & ſine licentia Epiſcopi; aut Monachi ſine Prælati ſui conſenſu, teſtimonium ferant in Inſtrumentis; aliiſque cauſis ſive contractibus civilibus Laicorum; Gloſſa *in Authent. De Monachis. §. Cogitandum. verſ. Teſtes. Collat. 1.* juncta Gloſſa marginali *ibid.* Abbas *in c. Cùm nuncius. n. 3. h. t.* Farinacius *cit. q. 61. de Teſtib. n. 64.* & alii, qui omnes iſtud probant tum *ex cit. can. Quamquàm. 14. q. 2.* cum quia, ut dictum, Clericis illicitum eſt, negotiis ſæcularibus ſe immiſcere, *tot. Tit. Ne Clerici vel Monachi &c.* juncto illo D. Apoſtoli 2. Timoth. 2. *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus.*

184 Reſpondetur ſecundo, Quidquid ſit de rigore Juris Canonici, citatum *can. Quamquàm. 14. qu. 2.* ſaltem quantùm attinet Clericos ſæculares, vel non eſſe uſu receptum, vel denuò per contrariam conſuetudinem abrogatum. Solent enim Clerici illi paſſim in Teſtamentis, aliiſque contractibus Laicorum, ex generali conſuetudine in teſtes adhiberi, etiam ſine alia licentia Superioris Eccleſiaſtici: prout refert Farinacius *cit. num. 64* poſt Aretinum *Conſ. 159. num. 20.* & alios; ac Pirhing *cit. nu. 60.* Verùm quoad Monachos, aliòſque Religioſos, qui ſtrictiùs per votum obedientiæ ſuis Superioribus propter Deum ſe ſubjecerunt, oportet obſervare laudabiles cujuslibet Ordinis Conſtitutiones, & conſuetudines.

Quin etiam ſtante dicto rigore Juris Canonici, ſi Clericus ſine licentia Epiſcopi, aut Monachus abſque conſenſu ſui Prælati, ſponté deponat, & à Judice ſæculari admittatur ad ferendum teſtimonium ſuper Inſtrumentis, aliiſque cauſis civilibus Laicorum; tunc, etſi illud foret illicitum, nihilominùs validum exiſteret, parte altera nihil opponente. Tum quia licentia Superioris eſt quoddam accidentale, non autem de ſubſtantia actus teſtimonii, *arg. cap. 1. de Teſtib.* Tum quia multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem, *c. Ad Apoſtolicam. 14. de Regular.* Simulque, quia nullibi reperitur, tale teſtimonium à Jure declarari irritum, ac invalidum. Abbas *cit. c. Cùm nuncius. num. 3. & 4.* & Felinus *ibid. num. 3. hoc. tit.* ex profeſſo hanc quæſtionem examinantes. Maſcardus *de Probat. Concl. 260 num. 12. & 13.* Farinacius *cit. quæſt. 61. num. 84. & 134.* allegans plures alios. In praxi tamen (monent citati Authores) conſultius eſt, ad effugiendum dubietates habere licentiam Superioris: nam quòd teſtamentum poſſit impugnari, in quo Monachus abſque ſui Superioris licentia eſt teſtis, eò quòd pro mortuo habeatur, tradidit Jo. Faber *§. Teſtes. num. 3. Inſtit. de Teſtament.* junctis nonnullis aliis, quos in oppoſitum citat Maſcardus *d. Concl. 260. n. 1. & 2.* 185

## §. VII.

## De Teſtibus in cauſa propria, vel Eccleſiæ, aut Univerſitatis.

*S U M M A R I U M.*

186 *Regula eſt:* Nullus idoneus teſtis in re ſua intelligitur. *Et num. ſeqq.*
*Teſtis debet carere omni ſuſpicione falſitatis ſeu propenſionis in unam partem ibid.*
187 *Teſtis in propria cauſa non eſt idoneus, etiamſi deponat in mortis articulo.*
*Aut in ultima voluntate debitam ſibi pecuniam ſignificaverit. Ibid.*
188 *Etiam ille eſt teſtis idoneus, qui habet intereſſe in cauſa.*
*Cauſa propria, quæ dicatur? ibid.*
189 *Advocatus, Procurator &c. nequit eſſe teſtis in cauſa, cui patrocinium geſſit.*
190 *Illi, qui habent ſimile negotium huic, ad quod teſtes inducuntur, non ſunt in teſtimonium admittendi.*
191 *Ad faciendam videlicet plenam probationem; ſecùs ad aliqualem præſumptionem.*
192 *Regula illa limitatur, ſi teſtis cum juramento proteſtetur, ſe nolle commodum ſentire ex ſua depoſitione &c.*
193 *Limitatur etiam in teſtibus multùm legalibus.*
294 *Ac in cauſis modici emolumenti.*
195 *Et ubi teſtis deponit de facto proprio ad utilitatem aliorum tantùm.*
196 *Item in Inſtrumentis.*
*Hæres nequit eſſe teſtis in Teſtamento, benè tamen legatarius: & cur? ibid.*
197 *Prælatus, aliique Clerici poſſunt eſſe teſtes in cauſa Eccleſiæ ſuæ. Et n. ſeqq.*
198 *Etiam iſtud intelligendo de Clericis Regularibus.*
199 *Exemplificatur hoc in donatione, vel legato facto Eccleſiæ.*
200 *Canonici poſſunt eſſe teſtes in cauſa ſui Capituli, ad ejus favorem.*
201 *Et de illis, quæ ſunt geſta in Capitulo.*
202 *Conſuetudo non ſolvendi Epiſcopo quartam Decima-*

202 Con-



*rum, & hujuſmodi, poteſt probari per Rectores vicinatum Eccleſiarum.*
203 *Poteſtque unus Canonicus eſſe teſtis in cauſa ſui concanonici.*
204 *Ex cauſa rationabili quandoque impeditur Clericus teſtificari in cauſa ſuæ Eccleſiæ; ut ſi eſt excommunicatus &c.*
205 *Vel quando in tali cauſa conſtitutus eſt Actor, vel Reſponſalis.*
206 *Clerici nequeunt teſtificari in cauſæ ſuæ Eccleſiæ, quando commodum inde proveniens eſt ſingulorum.*
207 *Hinc Canonicus non eſt teſtis idoneus in cauſa ſuæ Præbendæ.*
208 *Et Prælatus Eccleſiæ non Collegiatæ nequit eſſe teſtis in cauſa ipſius Eccleſiæ.*
209 *Loquendo de cauſis criminalibus poſſunt quidem clerici in cauſa ſuę Eccleſiæ teſtificari contra Prælatum.*
*Vel Concler icum ſuum ab alio accuſatum. Ibid.*
210 *Non verò contra extraneum in favorem Eccleſiæ &c. Et n. præc.*
211 *An pariter illi, qui ſunt membra Univerſitatis ſæcularis, poſſint eſſe teſtes in cauſa ejuſdem?*
*Proponuntur rationes dubitandi, ac negativam tenendi. Ibid.*
212 *Affirmativa ſententia eſt tenenda. Et n. ſeqq.*
213 *Univerſitatis ſunt, non ſingulorum, quę ſunt communia.*
214 *Quando agitur de donatione, vel legato facto cuipiam Univerſitati, etiam ſæculari, poſſunt eſſe teſtes, qui ſunt de illa Univerſitate.*
215 *Idem dicendum de probatione Confinium.*
216 *Et probatione conſuetudinis non ſolvendi Decimas, gabellas &c.*
217 *Solvuntur rationes dubitandi.*
218 *Proponitur, ac reſolvitur alia notabilis inſtantia.*
219 *Teſtes de Univerſitate poſſunt repelli in cauſis illis ubi commodum inde reſultans tangit ſingulos eorum.*
*Ut ſi in lite ſuper nemore, vel paſcuis, unde ſinguli de Communitate poſſunt ligna cædere, vel animalia ſua paſcere. Ibid.*
220 *Vel quando agitur de prædio, aut vinea, cujus proprietas eſt Univerſitatis, uſusfructus autem ſingulorum.*
221 *Aut quando lite perdita, in ſingulos de Univerſitate venit imponenda certa collecta.*
222 *Idem dicendum in cauſis civilibus arduis, & magni præjudicii.*
223 *Teſtes de Univerſitate, num ſint admittendi generaliter, vel duntaxat in ſubſidium? Et n. ſeqq.*
*Ratio dubitandi, ac iſtud poſterius tenendi. Ibid.*
224 *Ipſi ſunt admittendi generaliter, ſeu directè, & non tantum in ſubſidium.*
225 *Idque probatur.*
*Naturale vitium, eſt negligere, quod communiter poſſidetur. Ibid.*
226 & 227 *Solvuntur rationes dubitandi.*
228 *Teſtes de Univerſitate, quando admittuntur in ſubſidium, plenè probant.*
229 *Aliàs non ſunt omni exceptione majores, ſed minor fides ipſis eſt adhibenda, Judicis arbitrio.*
230 *Teſtibus de Univerſitate minùs creditur in concurſu aliorum teſtium ipſis contradicentium.*

186 Quæritur I. An aliquis poſſit eſſe teſtis in cauſa propria; ſeu ex qua commodum ac intereſſe ſuum dependet? Reſp. I. Regula eſt; *Nullus idoneus teſtis in re ſua intelligitur.* Ita text. *in l. nullus, ff. de teſt.* quæ eſt canonizata *in can. Si teſtes. §. Nullus. 4. q. 3.* Concordat textus *in l. Omnibus. C. eod.* illis verbis: *Omnibus in re propria dicendi teſtimonii facultatem jura ſubmoverunt.* Quod ipſum habetur *cit. can. Si teſtes. §. Omnibus.* eſtque recepta DD ſententia; adeò, ut contradictorem non habeat, teſte Farinacio *q. 60. de Teſtib. n. 2.* Accedit ratio: quia teſtis debet carere omni ſuſpicione falſitatis, ſeu propenſionis in unam partem magis, quam in alteram *can. Placuit ſancto. & can. ſi teſtes. §. 1. cauſ. 4. q. 2. & 3.* Atqui iſtud non reperitur in teſtes reſpectu cauſæ propriæ; cùm ob naturalem inclinationem quilibet præſumatur eſſe magis affectus erga rem propriam, quàm alienam; ergo, veluti ſuſpectus, meritò repellitur à ferendo teſtimonio in cauſa propria.

Atque iſtud ampliatur, etiamſi teſtis deponens in cauſa propria, conſtitutus ſit in mortis articulo. Quia, licèt tunc quilibet præſumatur non immemor eſſe propriæ ſalutis, ſicque nolle pejerando atteſtari falſum; nihilominus ob rationem jam dictam, teſtimonium ejus in cauſa propria non eſt idoneum. Farinacius *cit. n. 2.* poſt Nattam *Conſil. 74. n. 4.* & plures alias ampliationes ſubjungens. Huc facit textus *in l. Rationes. C. de Pobation.* dicitur, quòd atteſtatio ſcripta cujuſpiam ſe ſola non ſufficiat ad probandum, *etſi in ultima voluntate defunctus certam pecuniæ quantitatem, aut etiam res certas, ſibi deberi ſignificaverit.* 187

Reſp. II. Etiam ille eſt teſtis inidoneus, & repellendus à dicendo teſtimonio, qui habet intereſſe in cauſa; putà, quia ex ſuo teſtimonio commodum, aut, ſi non teſtificetur, incommodum ſit reportaturus. Ita Gloſſa *in d. can. Si teſtes. 4. q. 3. verſ. Sua*, iſtud exemplificans in re communi: quia, quod commune eſt, utriuſque eſt *l. Illud. ff. de Ritu nuptiar.* Farinacius *cit. q. 60. n. 4.* Pirhing *h. t. n. 76.* & alii. Ratio eſt: quia *Cauſa propria* dicitur ea, *cujus emolumentum, vel damnum ad aliquem ſuo nomine pertinet*: prout loquitur textus *in L. 1. §. In propria. ff. Quando appellandum ſit. & can. biduum. §. Et palam eſt. 2. q. 6.* Ergo, cum in propria cauſa nemo ſit teſtis idoneus, idem dicendum, ubicunque aliquis habet intereſſe in ea; ſeu quando commodum, aut damnum inde ſibi obventurum eſt ſuo nomine. Et notanter hoc ultimum additur, propter dicenda *n. 212. & ſeqq.* conformiter quibus præſens Concluſio eſt intelligenda. 188

Atque iſthæc Concluſio ampliatur ad Advocatum: nam etiam Advocatus non poteſt eſſe teſtis in cauſa, cui patrocinium præſtitit, *L. ult. ff. h. t.* juncta Gloſſa *fin. ibid.* iſtud extendente ad Syndicos, Tutores, & Curatores. Concordat *c. Romana h. t. in 6.* ubi dicitur: *In appellationis cauſa, is qui appellantis procurator vel advocatus in priori judicio fuerat, non recipiatur in teſtem.* Idque meritò ſtatutum fuit propter propenſam animi ſui voluntatem in cauſam illam, cui Advocatus anteà patrocinium præſtitit: unde eſt præſumptio, quod ferret teſtimonium potiùs pro ea parte pro qua anteà ſtetit. Speculator *tit. de Teſte. § Opponitur 74.* Maſcardus *de Prob. Concl. 66. n. 1.* citans plures alios: quamquàm hoc ipſum poſteà limitet variis modis, ac præſertim accedente conſenſu partium; nam quòd de voluntate partium etiam Mediator teſtificari cogatur, textus eſt *in Auth. de Teſtib. §. Quoniam verò. Collat. 7.* 189

Ampliatur ulteriùs data Concluſio, ut procedat etiam in illis, qui habent ſimile negotium huic, ad quod teſtes inducuntur. Siquidem iſti, ob præſumptam affectionem, quam *morbo conſimili laborantes* (hoc eſt, ſimilem cauſam habentes, de qua aliunde conſtat, vel legitima probatio adeſt) gerunt erga propriam cauſam, ſive negotium ſuum, non ſunt teſtes idonei, *nec ſi ab alterutra parte teſtes adducti fuerint, in teſtimonium admittendi.* Ita loquitur textus *in c. Perſonas. 20. h. t.* ubi proin Gloſſa *in Caſu* generatim notat, quòd *qui conſimilem cauſam habet, in cauſa conſimili teſtis eſſe non debet.* Hoc ipſum ampliùs tradit Abbas *ib. n. 1 & 2.* & Vivianus *in Rationali.* & Barboſa *in Collect. n. 2.* & Maſcardus *de Probat. Concl. 1364. n. 54.* & alii. Sicut enim Judicem ſimilitudo cauſæ, quam habet ut privatus, repellit à judicando in alia conſimili cauſa, ne forſan ductus affectione ſuę cauſæ, quam juſtam putat, ſic judicet in cauſa alterius, *c. Cauſam quę. 19. de Judiciis*, eſtque jam dictum ſuprà *Tit. 1. de Judiciis §. 8. n. 205.* Ita etiam (& quidem à fortiori, ob majus periculum, de quo ſuprà *§ 2. n. 63.*) ſimilitudo cauſæ reddit teſtem ſuſpectum, ut poſſit repelli à teſtificando; *cit. c. Perſonas. h. t. & l. Quoniam. C. eod.* 190

Intellige, quòd teſtes conſimilem cauſam habentes reddantur ſuſpecti, nec ſint *in teſtimonium admittendi* (juxta textum allegatum) parte contra eos excipere: ſimulque, quòd non ſint admittendi in effectu, ſeu quantùm ad faciendam plenam probationem. Nam ad aliqualem præſumptionem bene poſſunt admitti, conſiderata qualitate cauſæ, & perſonarum, qua inſpecta bonus Judex arbitrabitur, quanta fides ipſis ſit adhibenda. Abbas *c. Perſonas. n. 2.* & Vivianus *ibid. h. t.* 191

Reſp.

192 Reſp. III. Patitur nihilominùs data Concluſio, ſeu Regula quaſdam limitationes. Et primò quidem ipſa limitatur, ſi teſtis ante depoſitionem ſuam cum juramento proteſtetur, ſe nolle, commodum ſentire ex ſua depoſitione, aut incommodum inde proveniens ad ſe non pertinere: tunc enim etiam in cauſa, ad quam ceteroquin præſumptam affectionem gerere cenſeretur, validum teſtimonium dicere poterit, eò quòd ejuſmodi præſumptio per dictam proteſtationem elidatur. Ita Socinus in Fallentiis, Reg. 412. fallent. 1. Maſcardus cit. Concl. 1364. n. 57. Farinac. d. q. 60. n. 51. & 52. allegans plurimos alios.

193 Limitatur deinde in teſtibus multùm legalibus, & fide dignis: quia tales admittuntur ad teſtificandum, haud obſtante, quòd eorum aliqualiter interſit. Maſcard. loc. cit. n. 58. poſt Imolam Conſil. 58. Farinac. ubi ſuprà n. 54. citans alios.

194 Idem dicendum in cauſis modici emolumenti: quia tunc ceſſat præſumptio immoderatæ affectionis; ſimulque ob modicum emolumentum Leges neminem præſumunt velle pejerare, arg. c. Etſi quæſtiones. 18 de Simonia. Maſcardus n. 60. Farinacius n. 56. Pirhing h. t. n. 81.

195 Limitatur tertiò, ubicunque teſtis deponit de facto proprio ad utilitatem aliorum tantùm: quia tunc pariter ceſſat præſumptio ſiniſtræ affectionis, ac proinde hoc caſu plenam etiam faciet probationem. Socinus cit. Reg. 422. fallent. 3. Maſc. l. c. n. 63. Ubi n. 61. cum aliis, quos citat, hoc ipſum dicit de illis, qui ſolent aliquid facere pro exercitio, ſeu officio ſuo; puta, portare, ut Fachini & hujuſmodi: hi enim, licèt ad ſui exonerationem (ſeu, quòd ſatisfecerint officio ſuo) ſicque ad aliquale commodum ſuum deponere videantur, nihilominùs probant ea, quæ ad ſuum officium pertinent.

196 Tandem, ut nonnullæ aliæ limitationes, apud Authores hactenus citatos videndæ taceantur, fallit data Regula in Inſtrumentis: in his enim teſtes eſſe poſſunt etiam habentes inde commodum, vel intereſſe in conſequentiam, non autem principaliter. Farinac d. q. 60. n. 62. poſt Angelum in l. Qui teſtamento. n. 3. ff. de Teſtam. & Campegium de Teſtib. reg. 75. In 1. fall. Sic in teſtamento Legatarius poteſt eſſe teſtis, non obſtante aliquo emolumento inde ſibi proveniente: licèt hæres ſcriptus non poſſit eſſe teſtis, §. Sed neque hæres & §. Legatariis. Inſt. de Teſtam. juncta Gl. ib. v. Legatariis. Diſparitas eſt: quia hæres eſt juris ſucceſſor, non ſic Legatarius, utpote qui non juris, ſed rei ſingularis ſucceſſor exiſtit; unde Legatarius fert teſtimonium non in cauſa ſua, ſed in cauſa Teſtamenti. Neque etiam ex eò, quòd valeat Teſtamentum, neceſſariò ſequitur: quòd valeat Legatum: prout notat alia Gloſſa l. Omnibus. verſ. In re propria C. de Teſtib. ac proinde Legatarius ex ſuo teſtimonio non reportat commodum principaliter & directè; licèt iſtud indirectè, & in conſequentiam quandoque reportare poſſit. Et idem dicendum de ſimilibus, prout ampliùs declarabitur infrà n. 212. & ſeqq.

197 Quæritur II. An ſit licitum Clericis ferre teſtimonium in cauſa propriæ Eccleſiæ? Reſp. I. Prælatus, aliique Clerici poſſunt eſſe teſtes in cauſa civili Eccleſiæ ſuæ; dummodò non ſubſit alia rationabilis cauſa, illos impediens à teſtificando. Ita Gl. In c. Inſuper. V. Eccleſiæ. & Abbas ib. not. 1. & Felinus n. 1. & Barboſa in Collectan. n. 1. h. t. Sperellus Dec. 81. Fori Eccleſ. n. 47. q. 60. Socinus in Fallentiis. Reg. 408. allegans communem. Idque patet ex c. Cum nuncius, 12. h. t. ubi dicitur: Clerici non ſunt à ferendo teſtimonio ſuper negotio Eccleſiæ ſuæ (niſi alia rationabilis cauſa impediat) repellendi. Accedit ratio: quia imprimis Clerici, qui tractarunt Eccleſiæ negotia, meliorem quoad ejus poſſeſſiones & jura, tum ex viſu, tum auditu, præ aliis cenſentur habere notitiam; ut dicitur can. Super prudentia. 15. q. 2. Deinde jus Eccleſiæ, non eſt jus proprium Clericorum; ergo malè repellerentur Clerici à ferendo teſtimonio in cauſis Eccleſiæ ſuæ. Antecedens partim patet ex eo: quia bona Eccleſiæ ſunt bona Dei, & patrimonium Chriſti, can. Quia tua & can. Res Eccleſiæ 12 q. 1. cum concordantiis. Partim ampliùs patebit ex textibus n. 213. allegandis, ex quibus clare habetur, quòd bona Univerſitatis non ſint bona ſingulorum.

198 Et hæc doctrina, quòd Clerici poſſint teſtificari in cauſis ſuæ Eccleſiæ etiam in favorem ejuſdem, procedit non ſolùm de Clericis Sæcularibus, ſed etiam Regularibus: nam & hi pro ſuo Monaſterio teſtes idonei reputantur. Tum quia Jura loquuntur indiſtinctè: tum quia Pontifex in c. Inſuper. 6. h. t. expreſsè concedit Priori, & Fratribus SS. Trinitatis, ut liceat ipſis in cauſis propriæ Eccleſiæ ferre teſtimonium. Accedit, quod rationes proximè allatæ æquè militent in Clericis Regularibus, imò fortiùs in iſtis; quia ſunt mortui Mundo, l. Deo nobis. C. de Epiſcopis & Cler. nihilque proprii poſſident, can. Non dicatis. 12. h. t. cum ſimilibus; ſicque in ipſis magis ceſſat præſumptio affectionis, ac ſuſpicio proprii intereſſe: Baldus c. Tertio loco n. 4. de Probation. Abbas cit. c. Inſuper. n. 1. h. t. Maſchard. Concl. 3. n. 11. & 12. Pirhing h. t. n. 101. Farinacius q. 60. de Teſtib. n. 463. & ſeqq. iſtud cum aliis etiam extendens ad Moniales, & n. 544. plurimos alios allegans.

199 Exemplificatur, & declaratur data Concluſio inductione. Sic quando agitur de donatione, vel Legato facto Eccleſiæ, Monaſterio, aut alteri Univerſitati, pro ædificiis v. g. extruendis, aut reficiendis, poſſunt Clerici, aut alii de Univerſitate illa eſſe teſtes idonei: nam tale v. g. legatum non afficit ſingulos de Univerſitate, ſed ſolùm Univerſitatem: unde ceſſat præſumptio pravæ affectionis; & ſi quæ remaneret levis ſuſpicio ipſius, hæc purgatur per juramentum teſtium. Felinus c. Inſuper n. 1. h. t. Menochius de Arbitr. Judic. lib. 2. caſ. 106. n. 4. Bartolus l. In tantum. §. Univerſitatis n. 1. ff. de Rerum diviſ. Alexander Conſil. 68. n. 14. iſtud exemplificans de molendino ſpectante ad Univerſitatem, ſeu Eccleſiam. Farinacius d. q. 60. n. 472. citans alios.

200 Deinde Canonici poſſunt eſſe teſtes in cauſa ſui Capituli, atque ad ejus favorem. Gl. in caſu. can. Super prudentia. 14 q. 2. juncto textu ib. Ubi de mandato Paſchalis II Canonici S. Stephani, in cauſa civili ſui capituli, admittuntur in teſtes contra Canonicos S. Joannis, addita illa ratione: Cæterùm in poſſeſſionum, vel hujuſmodi negotiis hi potiſſimum aſſumendi ſunt, qui eadem negotia tractaverunt, de quorum auditu, & viſu dubitatio eſſe non poteſt. Baldus c. Tertio loco. n. 3. & 4. de Probat. Maſcardus de Prob. Concl. 260. n. 6 & 9. Far. c. q. 60. n. 60. allegans alios.

201 Tertiò Canonici poſſunt eſſe teſtes eorum, quæ ſunt geſta in Capitulo, putà in electionibus, & hujuſmodi, quæ ſecretò inter ipſos capitulariter fieri ſolent. Gloſſa d. c. Tertio loco. v. Jurati. de Probat. Bartolus l. In tantum. §. Univerſitatis. n. 1. ff. de Rerum diviſ. Menochius de Arbitrar. Jud. lib. 2. caſ. 106. n. 1. citans alios. Idque clarè deſumitur ex c. Veniens. 38. §. fin. h. t. ubi hoc ipſum expreſsè conceſſum legitur, addita illa ratione: Quia, quæ in Capitulo aguntur, non poſſunt facilè niſi per Canonicos ipſos probari. Idem habetur ex c. Cùm dilectus. 32. §. Nos attendentes. de Election. ubi Pontifex juſſit, tres Electores præſtito juramento dicere, quot ex Canonicis in Electum conſenſerint.

202 Quartò, conſuetudo non ſolvendi Epiſcopo quartam Decimarum, & hujuſmodi, poteſt probari per Rectores vicinarum Eccleſiarum, atteſtantes de generali conſuetudine eaſdem non ſolvendi; quamvis in conſequentiam videantur deponere circa id, quod concernit proprium eorum commodum. Io: Andreas c. Sine poſſeſſione. n. 8. v. Primo caſu. de Reg. Jur. in 6. Felinus c. Inſuper. n. 17. h. t. Maſcardus de Probat. Concl. 1364. n. 60. Farinacius cit. q. 60. n. 494. & alii ab his relati.

203 Quintò, poteſt unus Canonicus eſſe teſtis in cauſa ſui Canonici. Gloſſa in cap. Super prudentia. 14. q. 2. v. Stephani, iſtud intelligens in caſu, quo unus canonicus inducit ſuum Canonicum in teſtimonium contra alium Concanonicum ejuſdem Eccleſiæ: quia tunc par affectionis cauſa excludit ſuſpicionem, l. Non ſolùm. ff. de Ritu nupt. eſtque in ſimili jam dictum ſupra §. 4. nu. 107. Vel etiam contra Canonicum alterius Eccleſiæ, imò & contra ſuum Prælatum, ut can. Lator. 2. q. 7. Concordat alia Gl. In c. Cùm. R. Canonicus. v. Cùm ſint ejus ſocii. & Abbas ib. n. 4. & Felin. n. 3. de Off. Deleg. Maſcar. de Prob. Concl. 260. n. 7. Farin. d. q. 60. n. 460. & 461. citans alios.

204 Reſp. II. Nihilominùs data n. 197. Concluſio nonnullas patitur limitationes, ratione quarum notanter in ea fuit additum; Dummodò non ſubſit alia rationabilis cauſa, illos impediens à teſtificando. Sic quippe incipiendo à generalioribus, talis cauſa rationabilis, impediens Cle-



Clericum à teſtificando in cauſa ſuæ Eccleſiæ, poteſt eſſe excommunicatio, perjurium, infamia, vel aliud grave crimen ipſius. Abbas c. cùm unicus nu. 1. h. t. junctis illis, quæ per præcedentes Paragraphos copioſius dicta fuerunt.

205 Deinde deſcendendo ad ſpecialiora, Clericus nequit eſſe teſtis in cauſa ſuæ Eccleſiæ, quando in eadem cauſa conſtitutus eſt Actor, vel Reſponſalis ſeu Procurator, qui nomine ipſius Eccleſiæ, ſeu Univerſitatis cauſam exerceat: ſiquidem nemo poteſt ſimul eſſe actor, & teſtis, in eadem cauſa. Textus eſt in cap. Inſuper h. t. ubi Gloſſa in caſu. Jo: Andreas, Abbas, Felinus in Summario. Farinacius cit. quæſt. 60. n. 256. allegans alios.

206 Tertiò, prædicta Concluſio, ſeu Regula procedit ſolùm in cauſis illis, in quibus agitur de rebus, quæ quoad nomen & commodum immediatum ſunt Eccleſiæ, ſeu Univerſitatis; puta, quando hæc per ſuos Officiales percipit redditus: ſive (ut alii loquuntur) quando cauſa tractatur, de rebus, quarum proprietas, ſimul & utilitas, eſt ipſius Eccleſiæ, Monaſterii, vel alterius Univerſitatis. Secùs, quando commodum, ſeu utilitatis inde proveniens eſt ſingulorum, licet proprietas ſit Eccleſiæ, ſeu Univerſitatis: quia tunc Clerici pro tali negotio ſuæ Eccleſiæ, vel ſinguli de Univerſitate non ſunt teſtes idonei; teſtificarentur enim in re propria, ſeu cujus commodum ſingulis eorum immediate obveniret. Ita Jo: Andreas c. cùm unicus nu. 3. h. t. Abbas c. Inſuper nu. 2. & Felinus nu. 6. eod. Alexander conſil. 68. n. 14. lib. 2. Maſcardus de Probat. Concl. 318. n. 3. Farinacius cit. quæſt. 60. n. 495. & ſeq. uſque ad nu. 507. allegans alios, & ſuſe hanc materiam declarans.

207 Hinc Canonicus non poteſt eſſe teſtis idoneus in cauſa ſuæ Præbendæ, quia, licet in genere omnes præbendæ ſpectent ad Capitulum, nihilominùs earum redditus immediate obveniunt ſingulis Canonicis ſpecialiter deputatis; atque ideò meritò Canonicus repellitur à ferendo teſtimonio in cauſa ſuæ Præbendæ, cum agatur de proprio & ſpeciali commodo ipſius. Abbas d. c. Inſuper n. 7. & Felinus ibid. n. 7. h. t. Maſcardus de Probat. Concl. 3. n. 19. & Concl. 1364. nu. 29. iſtud amplians ad Epiſcopum, vel Abbatem, quos pariter negat poſſe ferre teſtimonium in rebus ſpectantibus ad Menſam ſuam. Farinacius d. quæſt. 60. n. 462. citans alios.

208 Similiter Prælatus Eccleſiæ, vel Capellæ non Collegiatæ, nequit eſſe teſtis in cauſa ipſius Eccleſiæ. Ita Jo: Andreas in Addit. ad Speculatorem tit. de Teſte n. 24. verſ. Dominicalis, diſtinguens inter Prælatum Eccleſiæ Collegiatæ, de quo hactenus dicta procedunt, & inter Prælatum Capellæ, in quo (inquit) dum manet Prælatus, data Regula non procedit. Idem tenet Socinus in Fallentiis Regula 408. fall. 4. Nec immeritò: nam redditus Eccleſiæ non Collegiatæ immediate proveniunt prælato, ſeu Rectori ipſius: unde procedent proxime dicta de Canonico non admittendo ad teſtificandum in cauſa ſuæ Præbendæ.

209 Reſp. III. Loquendo nunc de cauſis criminalibus, quamvis Clerici in cauſa ſuæ Eccleſiæ poſſint teſtificari contra Prælatum, vel Concler icum ſuum, ab alio accuſatum: nihilominùs quando criminaliter accuſatur aliquis extraneus in cauſa Eccleſiæ, vel alterius Univerſitatis, tunc Clerici, vel alii de tali Univerſitate aſſumpti, non ſunt teſtes idonei ad teſtificandum in favorem hujus contra illum extraneum. Ita Speculator tit. de Teſte §. 1. n. 22. Menochius de Arbitrar. Judic. caſ. 106. n. 17. Felinus c. Inſuper n. 4. h. t. allegans communem. Et quidem prior pars patet ex can. Lator 2. q. 7. & c. Ex par. 11. de Accuſat. cum ſimilibus; ubi tales accuſationes, & teſtificationes Clericorum contra Epiſcopum, vel Monachorum contra Abbatem ſuum factæ, & permiſſæ leguntur. Accedit ratio: qui tunc ceſſat præſumptio ſiniſtræ affectionis, cùm Clerici in teſtes adducti non magis reputentur eſſe domeſtici, & familiares alterius Concler ici Prælatum accuſantis, quam ipſius Prælati accuſati: unde par affectionis cauſa tollit ſiniſtram ſuſpicionem, prout in ſimili jam dictum eſt ſupra §. 4. nu. 104. & num. 127. Et hæc ratio pariter militat reſpectu Concler ici ab alio accuſati.

210 Altera pars habetur deciſa in can. Super prudentia 14. q. 2. eamque præter jam allegatos tradit Abbas in cit. c. Inſuper n. 3. h. t. Speculator, ubi ſupra n. 22. generaliter docens, quod ſi aliquis de Univerſitate accuſat extraneum, non poſſit teſtem inducere ſocium, qui eſt ejuſdem Univerſitatis, niſi in defectum, Maſcardus de Probat. Concl. 295. n. 14. & ſeqq. Farinacius d. quæſt. 60. n. 308 & ſeqq. allegans alios. Accedit ratio: quia in criminalibus requiruntur probationes indubitatæ, & luce clariores. l. Sciant cuncti C. de Prob. & teſtes omni ſuſpicione, maculaque carentes, cap. 1. de Except. & can. Teſtes 2. q. 7. Atqui tales teſtes non ſunt, qui producuntur de Univerſitate in ejus favorem, utpote quibus poteſt opponi exceptio familiaritatis, & aliqualis proprii intereſſe: ergo ipſi meritò repelluntur. Niſi forſan neceſſitas, ſeu defectus aliarum probationum, tales ſuadeat eſſe admittendos ad teſtificandum in ſubſidium, ſeu ne deficientibus aliis teſtibus veritas occultetur, atque injuſtus exiſtimetur probus, in grave præjudicium Eccleſiarum; prout limitant Authores proxime citati.

211 Quæritur III. An pariter illi, qui ſunt membra alicujus Univerſitatis ſæcularis v. gr. Civitatis, Oppidi &c. poſſint eſſe teſtes in cauſa dictæ Univerſitatis? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi, eſt: quia Jura nu. 197. allegata, & Clericos ad teſtimonium in cauſis ſuæ Eccleſiæ admittentia, ſolùm loquuntur de Clericis, de quibus utpote Deo ſpecialiter conſecratis, vel propter Deum omnia temporalia relinquentibus, magis præſumitur, quod in cauſa ſuæ Eccleſiæ nolint pejerare, falſum atteſtando: ſimulque, quia Clerici ratione ſacri Ordinis cenſentur teſtes magis idonei, quam Laici, juxta dicta ſuperiùs §. 6. n. 180. Deinde quia nullus idoneus teſtis in re ſua intelligitur, juxta textum expreſſum in can. Si teſtes §. Nullus & §. Omnibus 4. q. 3. & l. Nullus ff. h. t. cum ſimilibus hoc autem videtur fieri, cùm Sæculares in particulari ſint capaces dominii (quod ſecùs accidit in Regularibus) & bonum Communitatis redundet in ſingula membra ejus. Tandem teſtimonium domeſticum utroque Jure reprobatur; ut cit. can. Si teſtes §. Etiam jure civili 4. q. 3. & L. 2. C. h. t. cum concordantiis: tale autem videtur eſſe illud, quod fertur à membro Univerſitatis ſæcularis pro ipſa contra extraneum. Atque ob has, & conſimiles rationes, non deſunt Doctores oppoſitum tenentes; ut Ang. Aretinus Inſt. de Rerum diviſ. in princ. n. 1. quem ſecutus eſt Petraſancta Singul. 24. poſt n. 4. cum nonnullis aliis, quos refert Farinacius cit. quæſt. 60. n. 454. & Menochius lib. 2. de Arbitr. Judic. caſ. 106. n. 5. Verùm his non obſtantibus

212 Reſp. I. Etiam in cauſa Univerſitatis ſæcularis, vel alterius cujuslibet, poſſunt teſtes eſſe illi, qui ſunt de Univerſitate; adeò, ut cives v. g. pro ſua Civitate, oppidani pro ſuo Oppido ad teſtificandum admittantur. Ita Abbas in c. Inſuper n. 2. h. t. Baldus c. Tertio loco n. 4. de Prob. Jaſon l. Sed ſi hac lege §. Patronum nu. 7. ff. De in jus vocand. Menochius cit. caſ. 106. n. 6. & ſeqq. Farinacius cit. quæſt. 60. de Teſtib. n. 452. & ſeqq. citans alios, atque hanc Concluſionem appellans veriſſimam, & communem.

213 Ratio fundamentalis eſt: quia tales revera non ferunt teſtimonium in propria cauſa, juxta illud l. In tantum ff. de Rerum diviſ. ubi dicitur: Univerſitatis ſunt, non ſingulorum, quæ communia ſunt Civitatum: & conſequenter cauſa Univerſitatis, non eſt cauſa ſingulorum. Accedit textus in l. Sicut ff. Si quod Univerſitatis nomin. illis verbis: Si quid univerſitati debetur, ſingulis non debetur: nec quod debet univerſitas, ſinguli debent. Unde, quod eſt commune in Univerſitate, nullus poteſt ſingulariter dicere, Meum eſt: quinimò iſta ſunt contraria, ſcilicet, Eſſe ſingulorum, &, Eſſe univerſorum; quia non poteſt eſſe plurium in ſolidum, prout argumentatur Baldus cit. n. 4.

214 Hoc ipſum declaratur inductione. Sic poteſt quis eſſe teſtis, qui eſt de Univerſitate, etiam ſæculari, quando agitur de donatione, vel legato eidem Univerſitati relicto. Siquidem titulus donationis, ſeu relicti in ultima voluntate, non acquiritur ſingulis, ſed toti Univerſitati, L. ult. C. de Sacroſanct. Eccleſ. & l. Civitatibus ff. de Legatis 1. ubi illud quod ad diviſionem ſingulorum civium relictum fuerit cenſetur eſſe relictum Civitati. Felinus c. Inſuper n. 2. h. t. Farinacius cit. quæſt. 60. nu. 472. allegans plurimos alios; & concordant dicta ſuperius n. 199.

215 Deinde, quando agitur de probatione Confinium, admittuntur teſtes de Communitate: quia non teſtantur in re propria, ſed in ea, quæ eſt Univerſitatis, l. In tantum §. Univerſitatis ff. de Rerum diviſ. & l. Sed ſi hoc §. Qui manu-

*mittitur ff. De in Jus vocand.* Menoch. *de Arbitrar. Judic. caſ.* 106. *num.* 5. Farinacius *loc. cit. num.* 487. Maſcardus *de probat. Concl.* 395. *nu.* 9. aſſerens, hanc eſſe communem opinionem.

216 Tertiò, teſtes de Univerſitate admitti in probatione conſuetudinis non ſolvendi v. g. decimas, vel gabellas, affirmarunt Felinus *c. Inſuper n.* 17. *h. t.* & Farinacius *cit. quæſt.* 60. *n.* 494. allegans alios; & concordant dicta ſuperiùs *n.* 202. Item, ſicut teſtis de Univerſitate admittitur ad teſtificandum pro ea, ita etiam admittendus eſt contra ipſam: tenetur enim eſſe indifferens ad deponendam jurato veritatem, prout in ſua conſcientia repererit. Speculator *tit. de Teſte* §. 1. *n.* 22. Farinacius *loc. cit. n.* 488. apud quem nonnulla alia huc ſpectantia.

217 Nec obſtant rationes dubitandi *n.* 211. in contrarium adductæ. Non prima: quia, licet nonnulli Canones expreſſe faciant mentionem tantummodò de Clericis, utpote de quorum recto guberntio ex profeſſo loquuntur; nihilominùs alia Jura indiſtinctè admittunt teſtes de Univerſitate, ut dictum in Concluſione. Accedit, quod etiam Laici præſumantur boni & veraces, donec probetur contrarium. Ad alteram negatur, teſtes de Univerſitate dicere teſtimonium in cauſa propria, quando teſtificantur in cauſa Univerſitatis: quia Univerſitatis ſunt, non ſingulorum, quæ ſunt communia, ut jam dictum. Ad tertiam pariter negatur, membra alicujus Univerſitatis eſſe proprie Domeſticos ejus: unde etiam Jus ſatis aperte ipſorum teſtimonium pro cauſis ad Univerſitatem ſpectantibus admittit.

218 Quod ſi urgeas. Ex cauſa Univerſitatis, etiam membra illius commodum reportant; ergo adhuc videntur teſtificari in cauſa propria. Reſp. neg. conſequent. Tum ob rationem proxime dictam, quia videlicet ea, quæ ſunt communia, non ſunt ſingulorum: ac proinde, etſi membra Univerſitatis emolumentum aliquod exinde reportent (quod ipſum eſt incertum, conſideratis aliis neceſſitatibus, atque expenſis ſæpè ſæpiùs per Univerſitatem faciendis) illud non percipiunt nomine proprio, ſed nomine Univerſitatis, cujus ſunt membra. Tum quia ejuſmodi commodum non obvenit directe, ac principaliter ſingulis membris dictæ Univerſitatis (alioquin ſecùs eſſet dicendum, juxta Concluſionem proximè ponendam) ſed ſolummodò indirecte, ſecundariò & conſecutive, ac plerumque non niſi poſt longum tractum temporis. Hoc autem eſt per accidens nec impedit eorundem teſtimonium: prout in ſimili patet in Legatariis, qui admittuntur in teſtes circa validitatem teſtamenti; haud obſtante, quod exinde aliquod lucrum, ſive legatum ſibi relictum conſequantur §. *Legatariis inſtit. de Teſtament.* eſtque jam ſuprà *n.* 296. dictum.

219 Reſp. II. Nihilominus proxime data Concluſio procedit ſolùm in illis cauſis, in quibus agitur de negotio, ſeu commodo & incommodo totius Univerſitatis: ſecùs dicendum, quando agitur de commodo Univerſitatis, quod ſigillatim ſpectat ad utilitatem ſingulorum; hoc eſt, ubi commodum, vel (ſi cauſa perdatur) damnum inde reſultans tangit ſingulos de Univerſitate in particulari; quia tunc hi poſſunt repelli, veluti teſtes in propria cauſa, cùm in effectu ageretur de commodo, vel damno ſingulorum. Sic contingit, quando Communitas habet nemora, vel paſcua, in quibus quilibet incolarum poteſt ligna cædere, vel animalia ſua mittere ad paſcendum: quia tunc orta lite ſuper eiſdem, repellerentur ſinguli de tali Communitate à ferendo teſtimonio; eò quòd lucrum, vel damnum inde obveniret ſingulis de Communitate in particulari, cùm non ampliùs cauſa perdita poſſent ibi ligna cædere, vel animalia ſua paſcere. Ita Felinus *in cap. Inſuper nu.* 5. *h. t.* Jaſon *l. Sed ſi hac lege* §. *Patronum numer.* 7. *ff. de in jus vocand.* Menochius *cit. caſ.* 106. *numer.* 13. Covarruvias *Practic. Quæſt. capit.* 18. *numer.* 4. hanc appellans communem opinionem. Pirhing *h. t. numer.* 102. Farinacius *d. quæſt.* 60. *num.* 495. *& ſeqq.* citans complures alios: quamvis Abbas *in cap. Inſuper numer.* 2. *verſ. Primum membrum h. t.* de veritate allatorum exemplorum dubitet: Licet enim (inquit) aliqua utilitas obveniat ſingulis, nihilominùs cauſa eſt Univerſitatis, & Univerſitas poteſt commutare uſum v. gr. nemoris, vel aliter de eo diſponere &c.

220 Similiter, quando agitur de prædio, vel vinea, aut hujuſmodi, cujus proprietas quidem ſpectat ad Univerſitatem, ſed uſusfructus aut utilitas ejus pertinet ad ſingulos (utputà, quia ſinguli de Communitate vivunt de fructibus illius) tunc iſti non poſſunt eſſe teſtes idonei in tali cauſa: nam ratione uſusfructus, ſeu utilitatis in ſingulos provenientis, cenſetur cauſa illa ſpectare ad ſingulos de Univerſitate. Baldus *c. cùm nuncius n.* 1. *h. t.* Felinus *in d. c. Inſuper n.* 4. *eod.* Farinacius *cit. qu.* 60. *nu.* 499. *&* 504. Pirhing *d. n.* 102. & alii.

221 Rurſus teſtes de Univerſitate non cenſentur idonei, quando agitur de lite, in qua ſi Communitas ſuccumbit, venit in ſingulos imponenda certa collecta: tunc enim talis cauſa cenſeretur tangere ſingulos de Univerſitate, ſicque hi non eſſent admittendi ad teſtificandum. Felinus *cap. Inſuper num.* 6. & ibi Baldus *num.* 3. *h. t.* Menochius *d. caſ.* 106. *numer.* 15 Maſcardus *de Probat. Concl.* 1422. *num.* 5. *&* 6. Farinacius *cit. quæſt.* 60. *num.* 505. *&* 507. illud intelligens cum aliis, quando certum foret, collectam ſingulis de Communitate eſſe imponendam: alias ſecus.

222 Reſp. III. Inſuper data Concluſio eſt limitanda in cauſis civilibus arduis, & magni præjudicii. Hæ enim æquiparantur criminalibus, ut dictum ſupra §. 3 *num.* 82. ac proinde, ſicut teſtes de Univerſitate in cauſa criminali contra extraneos non admittuntur, juxta dicta *nu.* 209. *&* 210. ita nec in cauſa civili multùm ardua, & magni præjudicii. Accedit, quod teſtis repellatur ob magnam affectionem, quam gerit ad rem litigioſam, non minus ac conſanguineus. Felinus *d. c. Inſuper nu.* 5. *&* 11. *h. t.* Baldus *in c. cùm nuncius n.* 1. *eod.* Covarruvias *Pract. quæſt. cap.* 16. *nu.* 4. Atqui in re civili ardua, magnique præjudicii ſuæ Univerſitati imminentis, utputa, ubi agitur de magno honore, commodo, vel juriſdictione ipſius, præſumi poteſt magna affectio ex parte illius teſtis propter annexam commoditatem in ſingulos redundaturam; haud obſtante, quod res immediate ſpectet ad Univerſitatem, & non ad ſingula membra ejus. Ita Felinus, Baldus, Covarruvias, *ubi ſupra.* Maſcardus *de Probat. Concl.* 1522. *nu.* 18. Farinacius *d. qu.* 50. *n.* 521. *&* 522. allegans plurimos alios.

223 Quæritur IV. Num teſtes de Univerſitate ſint generaliter, ſeu directe admittendi ad teſtificandum in negotiis Eccleſiæ, vel Univerſitatis ſuæ, vel tantum in defectum aliarum probationum? Reſp. Hanc eſſe ſpecialem difficultatem, in ejuſque reſolutione variare Doctores. Et quidem Speculator *tit. de Teſte* §. 1. *nu.* 22. Felinus *c. cùm nuncius nu.* 2. *h. t.* Maſcardus *Concl.* 318. *nu.* 2. Engel *h. t. n.* 39. pluresque alii cenſent, eos admittendos tantùm eſſe in defectu aliorum teſtium. Idque probant per textum *in c. Etſi Chriſtus* §. *fin. de Jurejurand.* ubi Papa Monachis indulſit, ut *in cauſis ſui Monaſterii (deficientibus aliis teſtibus) pro ipſo perhibere poſſent teſtimonium veritati.* Nota ly, *deficientibus aliis teſtibus*: cui textui ſane abſque divinatione (ait Engel) reſponderi non poteſt. Accedit, quod præcipua ratio, cur teſtes de Communitate admittantur, ea ſit, quod plerumque homines extranei rerum ad Communitatem ſpectantium veram notitiam non habeant, *arg. can. Super prudentia* 14. *q.* 2. Atqui hæc ratio ceſſat, quando adſunt extranei veram notitiam habentes, qui idcircò teſtes eſſe poſſunt: ergo. Concordat *can. Quamquam eod.* 14. *q.* 2. ubi, præſertim Clerici in cauſis civilibus ſolùm admittuntur ad teſtificandum in ſubſidium; ſeu, *ubi nullæ idoneæ ſæcularium inveniuntur perſonæ: ne veritas occultetur, & malus ut bonus æſtimetur*, prout loquitur textus ibidem. Verùm his non obſtantibus

224 Reſp. I. Teſtes de Univerſitate admittuntur non ſolùm in ſubſidium, ſeu quando veritas aliter haberi non poteſt (in quo caſu nullus negat, eos eſſe admittendos) ſed etiam generaliter, ac pro illo quoque caſu, quo adſunt alii teſtes: ſive, ut loquitur Menochius *de Arbitrar. Judic. lib.* 2. *caſ.* 106. *nu.* 8. teſtes ejuſmodi admittuntur propriè ac directe, & non tantùm in ſubſidium. Ita Abbas *c. Inſuper n.* 2. *V. An autem admittantur h. t.* citans Hoſtienſem, & Doctores communiter. Felinus *d. c. Inſuper n.* 7. ex profeſſo rejiciens contrariam opinionem Speculatoris. Menochius, *ubi ſuprà.* Farinacius *cit. quæſt.* 60 *n.* 474. *& ſeqq.* citans plures alios pro utraque ſententia; ac *nu.* 478. pro concordia ſubjungens, quod quidem in

utro-



utroque caſu, videlicet tam in ſubſidium, quam alias, teſtes de Univerſitate admittantur, ſed quando admittuntur in ſubſidium, tunc ſint teſtes omni exceptione majores, ſecus, ſi non in ſubſidium, de quo infrà *Concl. ſeqq.*

225 Prima pars Concluſionis probatur ex eo: Quia teſtes de Univerſitate nullo Jure excluduntur (uti patebit ex ſolutione contrariorum) ergo hoc ipſo ſunt admittendi, & quidem generaliter, ac directe, per textum *in L.* 1. *ff. de Teſtib.* Deinde in ſæpe *cit. c. Inſuper* 6. *& c. cùm nuncius* 12. *h. t. & can. Super prudentia* 14. *q.* 2. indiſtinctè admittuntur teſtes hujuſmodi in cauſa Univerſitatis, ſeu Eccleſiæ ſuæ: ſimulque ratio *n.* 223 allata, ſeu quod ejuſmodi bona *ſint Univerſitatis, non ſingulorum*, urget generaliter, ac indiſtinctè; unde etiam indiſtinctè teſtes de Univerſitate ſunt admittendi, & non tantummodo in ſubſidium. Accedit, veriſimile non eſſe, quod quis velit pejerare propter jura Univerſitatis: *Naturale quippe vitium eſt negligere, quod communiter poſſidetur*; ut dicitur *l. Meminimus C. Quando & quibus quarta pars &c. lib.* 10.

226 Nec urgent rationes *num.* 223. in contrarium allatæ. Nam *in cap. Etſi Chriſtus de Jurejurand.* ſermo eſt de juramento, quod Monachi præſtare timebant, ob verba Chriſti, *Matth. cap.* 5. dicentis: *Nolite jurare omnino.* Unde Papa, cùm præmiſiſſet, licite jurari pro re vera, atque exigente neceſſitate, poſtea Monachis dat licentiam jurandi, declarando per illa verba, *Deficientibus aliis teſtibus*, hic intervenire veram neceſſitatem jurandi: per hoc tamen non negavit, quin etiam extra talem caſum neceſſitatis poſſint membra Communitatis in hujus negotiis teſtimonium ferre. Quinimò, cùm iſtud Jura proxime allegata indiſtinctè concedant, id quod in *cit. c. Etſi Chriſtus*, habetur, eſt intelligendum juxta contingentiam facti, de quo ibidem fit mentio: vel, conformiter cæteris Juribus, dictum illud oportet ſupplere per ly, *maxime deficientibus aliis teſtibus*; prout ſupplendum cenſet Abbas *d. c. Etſi Chriſtus n.* 4. *de Jurejur.* citans Hoſtienſem, & Speculator *tit. de Teſte* §. 1. *n.* 22.

227 Ad alterum patet ex dictis: nam allata ratio non eſt adæquata: imò præcipua ratio, cur quis poſſit eſſe teſtis in cauſa Univerſitatis, ea eſt, quia jus Univerſitatis non eſt jus ſingulorum. Ad *can. Quamquam* 14. *q.* 2. patet ex contextu verborum, ibi ſolùm prohiberi, ne Clerici in cauſis civilibus, ſeu inſtrumentis Laicorum, extra caſum neceſſitatis, teſtimonium ferant; de quo jam ex profeſſo dictum eſt ſupra §. 6. *nu.* 182. *& ſeqq.* Ex hoc tamen nihil ſequitur contra Concluſionem.

228 Reſp. II. Etſi teſtes de Univerſitate plene probent, quando admittuntur in ſubſidium, eò quòd per alios veritas haberi non poſſit: nihilominùs extra caſum defectus aliarum probationum probabilius eſt, & magis inter Doctores receptum, quod teſtes de Univerſitate non ſint omni exceptione majores, ſed minor fides ipſis ſit adhibenda; idque pro qualitate cauſæ, & perſonarum, Judicis arbitrio ſit relinquendum. Prior pars eſt Abbatis *cit. c. Inſuper n.* 2. *V. Ego putarem h. t.* & Farinacii *d. q.* 60. *n.* 278. *&* 280. ſub data diſtinctione concordantis extremas Doctorum ſententias. Fundamentum hujus deſumitur ex *c. Tertio loc.* 5. *de Prob.* ubi teſtes de Univerſitate admittuntur ad reprobandum inſtrumentum in caſu, quo agebatur de geſtis in Capitulo, ſicque alii teſtes haberi non poterant. Atqui ad reprobandum inſtrumentum requiruntur teſtes legales, & omni exceptione majores Gloſſa *fin. in cit. c. Tertio loco.* Bartolus *in L.* 1. §. *Si quis neget, V. Quæro, quid ſi inſtrumento ff. Quemadmodum teſtament. aperiant.* Felinus *c. cùm Joannes n.* 44. *de Fide Inſtrument.* Iſtud inter alia probans *ex l. Optimam* §. *fin. C. de Contrahend. ſtipulat.* Menochius *de Arbitrar. Jud. caſ.* 105. *n.* 33. Maſcard. *q.* 6. *Proœm. de Prob. n.* 68. citans alios.

229 Altera pars eſt quidem contra Felinum *c. Inſuper nu.* 2. *h. t.* Menochium *de Arbitr. Judic. caſ.* 106. *n.* 8. Alexandrum *Conſil.* 68. *n.* 14. *vol.* 2. & nonnullos alios à Farinacio *d. quæſt.* 60. *n.* 537. citatos, qui indiſtinctè volunt, teſtes de Univerſitate plene probare in cauſis ejuſdem. Verùm aut hi Doctores ſunt benigne interpretandi, quod loquantur in caſu defectus aliarum probationum, juxta proxime dicta: aut iiſdem relictis tenenda eſt ſententia datæ Concluſionis, quæ eſt æquitati magis conſentanea, magiſque recepta inter Doctores; uti videre eſt apud Maſcardum *de Probat. Concl.* 1422. *n.* 15. *& ſeqq.* & Farinacium *loc. cit. n.* 536. *&* 538. Ratio eſt: quia, licet agatur de negotio Univerſitatis, nihilominùs ob naturalem affectionem, quam membra Univerſitatis erga eam gerere conſueverunt ratione utilitatis inde ſibi quoquo modo obvenientis, non carent omni ſuſpicione; ſicque non mirum, quod cæteris paribus minùs eis credatur ac crederetur, ſi iſthac etiam ſuſpicione affectionis carerent. Quamquam in caſibus particularibus Judicis arbitrio relinquendum ſit, quantam fidem mereantur teſtes de Univerſitate in hujus favorem deponentes; uti notarunt Menochius *cit. caſ.* 106. *n* 9. *&* 11. Covarruvias *Pract. Quæſt. cap.* 18 *n.* 4. Maſcardus *loc. cit. n.* 19. Farinacius *n.* 538. allegans communem.

230 Infertur proinde, quod licet teſtes de Univerſitate admittantur ad teſtificandum in ejus favorem; in concurſu tamen aliorum teſtium ipſis contradicentium, ſeu ab altera parte productorum, & contrarium deponentium, minùs illis, quam iſtis credatur: nam illi laborant aliquali ſuſpicione affectionis non iſti; in pari autem cauſa meritò major fides eſt adhibenda illis, qui etiam hac qualiquali ſuſpicione carent. Abbas *cit. c. Inſuper num.* 2. *verſ. Ego putarem h. t.* Menochius *d. caſ.* 106. *nu.* 10. Maſcardus *cit. Concl.* 1422. *nu.* 17. Farinacius, *ubi ſupra nu.* 534. allegans alios.

## §. VIII.

## De Numero Teſtium ad legitimam probationem requiſitorum; & an aliquando ſufficiat teſtimonium unius.

*S U M M A R I U M.*

231 *Regula eſt, ad legitimam probationem requiri, & ſufficere duo teſtes.*

232 *Et quidem in qualibet cauſa tam profana, quam Eccleſiaſtica, imò & criminali.*

233 *Dummodò illi duo teſtes ſint omni exceptione majores.*

234 *Teſtium numerus poteſt ſupplere ipſorum defectum in cauſis civilibus.*

235 *Secus in cauſis criminalibus, & civilibus arduis.*

236 *Dantur certæ cauſæ, in quibus plures, quam duo teſtes requiruntur. Et n.* 241. *ac ſeqq.*

237 *Notabilis contra hoc proponitur objectio ex illo.* In ore duorum &c.

238 *Quæ reſolvuntur. Et nu. ſeqq.*

239 *Dictum illud.* In ore duorum &c *qualiter intelligendum, & nu. præc.*

240 *Conſuetudo adhibendi ſeptem teſtes in Teſtamento, qualiter dicatur eſſe aliena à Lege Divina?*

241 *In Purgatione canonica plures requiruntur teſtes, & cur?*

242 *In cauſa divortii ob impotentiam viri, ſeptem requiruntur teſtes.*

243 *Ad condemnationem Epiſcopi Cardinalis requiruntur ſeptuaginta duo teſtes*

244 *De conſuetudine iſtud non ſervatur in practica.*

245 *Ad inſpectionem Privilegiorum, quot teſtes ſufficere debeant?*

246 *De Jure Civili requiruntur in Teſtamentis ſeptem teſtes, & quinque in Codicillis.*

247 *Teſtimonium unius, quantumvis legitimum, regulariter non probat, neque ſufficit ad deciſionem cauſarum.*

248 *In quacunque Dignitate is ſit conſtitutus. Et n. ſeqq.*
Vox unius, vox nullius, *ibid.*

249 *Idque procedit etiam de Jure Divino.*

250 *Teſtimonium unius non caret omni effectu.*
*Quia inducit præſumptionem, ibid.*

251 *Et facit indicium ſufficiens ad inquirendum, & citandum, & ad torturam.*

252 *Unus teſtis legitimus facit ſemiplenam probationem.*

253 *An in nullo prorſus caſu ſufficiat teſtimonium unius ad plenam probationem, ſeu terminationem cauſarum?*
*Rationes dubitandi, & negativam tenendi, proponuntur, ibid.*





254 Dan-

254 Dantur nonnulli tales caſus. Et nu. 258. ac ſeqq.
255 Solvuntur rationes dubitandi.
256 Papa non poteſt tollere Jus Divinum, bene tamen interpretari.
Atque ex certis cauſis ſtatuere, ut credatur uni teſti, ibid.
257 An hoc ipſum poſſint ſtatuere alii Principes ſuperiorem non recognoſcentes?
Et quid de conſuetudine particulari locorum? ibid.
258 Uni teſti plene creditur, quando non agitur de alterius præjudicio.
259 Puta, quod aliquis ſit baptizatus, ordinatus, Eccleſia conſecrata &c.
260 Dummodò probatio, v. g. Clericatus nemini præjudicet: alias ſecus.
261 Teſtis unus ſufficienter probat, quod moriturus dederit ſigna pœnitentiæ, ſicque poſſit abſolvi.
262 Sufficit etiam teſtis unicus, quando agitur de impediendo peccato &c.
263 Ac in denunciatione inhabilitatis ad Ordines, vel Beneficium obtinendum.
Secus, ſi Beneficium cuipiam jam fuiſſet collatum, ibid.
264 Creditur dicto unius de conſenſu partium.
265 Aut quando Teſtator ita præcepit.
266 Sufficit dictum unius teſtis ad probandam innocentiam inquiſiti, denunciati, vel accuſati.
Idque exemplificatur, ſimul & limitatur, ibid.
267 Idem dicendum in cauſis, in quibus nullo modo, aut difficulter plures teſtes haberi poſſunt.
Sic creditur dicto Interpretis, ibid.
268 Et quando agitur de indiciis, ſeu declaratione mentis diſponentis.
Teſtis unus atteſtans in individuo de mente alterius, facit indicium, ibid.
269 Teſtis unus probat concurrente ſimul fama, arbitrio tamen Judicis. Et nu. ſeq.
270 Vel quando accedit juramentum ſuppletorium perſonæ principalis.
Aut concurrunt alia adminicula, ibid.
271 Officialis jurati dicto creditur in his, quæ pertinent ad ſuum officium.
272 Sic ſtatur dicto Nuntii publici.
273 Item Ponderatori publico circa menſurationem, ſeu ponderationem.
274 Sicut & Medico, Architecto, Agrimenſori, & ſimilibus.
275 Statur Notarii publici teſtimonio de geſtis à ſeipſo.
Inſtrumenta publica, in quibus Notarius atteſtatur de rebus à ſe viſis, vel coram ſe geſtis, faciunt probationem probatam, ibid.
276 Quid, ſi teſtis aſſerat, ſe non ita dixiſſe, ſicut Notarius ſcripſit.
277 Teſtis unus ſufficit in probanda veriſimili cauſa ignorantiæ.
Ignorantia, qualiter probetur, ibid.
278 Teſtimonio ſolius Papæ creditur, quando deponit de facto proprio.
279 Idem dicendum de Imperatore, & Rege.
Cardinali aſſerenti, ſe eſſe Legatum Papæ, creditur, ibid.
280 Sufficit teſtis unicus in cauſis levioribus.
281 Sicut & ad leviores pœnas delinquentibus imponendas, idque exemplificatur.

231 Quæritur I. Quot teſtes requirantur ad legitimam probationem? Reſp. I. Regula eſt, quod in qualibet cauſa ad legitimam probationem, plenamque fidem faciendam, requirantur, & ſufficiant duo teſtes probatæ vitæ, omnique exceptione majores; niſi expreſſe per Legem, ſeu Canonem plures in aliqua cauſa requirantur. Ita Speculator tit. de Teſte §. Reſtat. nu. 1. Farinacius quæſt. 63. de Teſtib. n. 232. & communis. Idque patet ex l. Ubi numerus ff. h. t. quæ canonizata eſt in can. Si teſtes §. Ubi nu. 4. quæſt. 3. quo utroque in loco dicitur: Ubi numerus teſtium non adjicitur, etiam duo ſufficiunt. Concordat textus in cap. Licet univerſis 23. h. t. ubi Pontifex inquit: Mandamus, quatenus ſi inter vos emerſerit quæſtio, non minus, quam duorum, vel trium virorum, qui ſint probatæ vitæ, & fidelis converſationis, teſtimonium admittatis, juxta illud Dominicum (Matth. cap. 18. & Lucæ cap. 17.) In ore duorum, vel trium teſtium, ſtat omne verbum. Quia licet quædam ſint cauſæ, quæ plures quam duos exigant teſtes, nulla eſt tamen cauſa, quæ unius teſtimonio (quamvis legitimo) terminetur. Simulque quid habetur c. In omni 4. & c. Veniens 10. h. t. cum concordantiis. Accedit ratio: quia manifeſtum periculum ſubeſt, ne ſi unicus homo ad ferendum teſtimonium admitteretur, is ſiniſtro affectu amoris, odii, timoris, aut hujuſmodi perverſus, falſum teſtimonium diceret: duo tamen non tam facilè pervertuntur, ſaltem ut per omnia conformiter loquantur, & falſitatis ſe non prodant; uti patet in duobus illis Senibus, quos ex propriis verbis falſitatis convictos fuiſſe, legitur Daniel. cap. 13.

232 Atque data Regula procedit in qualibet cauſa, tam profana videlicet, quam Eccleſiaſtica. Siquidem Regulæ inhærendum eſt, donec de fallentia conſtet, ſeu per adverſarium probetur, cur in illo caſu Regula non loquatur. Gloſſa in Rubric. de Reg. Jur. in 6. Quinimò data Concluſio procedit nedum in cauſis civilibus, ſed etiam in criminalibus: adeò, ut duorum legitimorum, & omni exceptione majorum teſtium depoſitio, ſufficiat ad convincendum, & condemnandum. Farinacius cit. quæſt. 63. de Teſtibus n. 233. Julius Clarus lib. 5. Practic. Criminal. §. fin. quæſt. 66. n. 5. Maſcardus de Probat. Concl. 462. n. 1. & alii. Idque probat textus can. Nullam §. Sed hoc 2. q. 5. illis verbis: Quorum vita adeò laudabilis eſt, ut omnibus imitanda appareat, de quorum aſſertione nulla dubitatio naſci poterit, eorum teſtimonio duorum, vel trium teſtium quilibet jure convinci, & damnari poterit.

233 Dicitur notanter in Concluſione, duo teſtes omni exceptione majores, ſive, ut loquitur allegatus textus, de quorum aſſertione, nulla dubitatio naſci poterit. Secùs enim dicendum de aliis teſtibus minùs idoneis, & quibus aliqua exceptio jure opponi poteſt, & opponitur: nam in cauſis criminalibus criminaliter motis requiruntur teſtes omni exceptione majores, omnique ſuſpicione, & macula manifeſta carentes, cap. 1. de Except. & can. Teſtes 2. q. 7. Maſcardus Concl. 460. n. 6. & 7. Quod ipſum procedit in cauſis civilibus: nam etiam in his regulariter requiruntur, ac ſufficiunt, duo teſtes omni exceptione majores.

234 Additur regulariter, ob nonnullas limitationes, ſeu fallentias in progreſſu adducendas. Quod ipſum, loquendo de teſtibus omni exceptione majoribus, eſt limitandum niſi forſan teſtium numerus ſuppleat ipſorum defectum, atque inhabilitatem: nam quod in cauſis civilibus inhabilitas teſtium poſſit ſuppleri per eorum numerum, tradit Gloſſa l. Teſtium verſ. Numerus, juncto texto ibid. ff. h. t. Alexander Conſil. 5. n. 6. vol. 1. Jaſon in Auth. Si verò contigerit n. 2. & ſeqq. C. de Judiciis. Maſcardus Concl. 1359. n. 14. & Farinacius de Teſtib. quæſt. 62. n. 309. & 311. allegans plurimos alios, & communem Doctorum.

235 Secùs dicendum in cauſis criminalibus criminaliter motis: nam in his ob gravitatem earum, & periculum majoris præjudicii, adeò requiruntur teſtes omni exceptione majores, omnique ſuſpicione & macula carentes, per Jura n. 233. allegata, ut teſtium numerus eorum defectum, atque inhabilitatem non ſuppleat. Jaſon cit. Auth. Si verò contigerit n. 6. C. de Judic. Baldus c. Ad noſtram n. 1. de Probat. Farinacius d. quæſt. 63. n. 211. allegans alios: atque n. 213. iſtud extendens ad cauſas civiles arduas & graves, utpote quæ æquiparantur criminalibus, juxta dicta ſuperius §. 3. n. 82.

236 Reſp. II. Etſi Concluſio præmiſſa regulariter procedat, dantur nihilominùs certæ cauſæ, in quibus plures quam duo teſtes requiruntur. Ita communis; & patet ex cit. c. Licet univerſis h. t. ibi: Licet quædam ſint cauſæ, quæ plures quam duos exigant teſtes. Ubi Gloſſa V. Quædam & Baldus n. 1. & Felinus §. In textu, & alii notant, dari quaſdam cauſas, in quibus non ſolùm requiruntur plures, quam duo teſtes (quod nullus negat) ſed etiam plures, quam tres, utputa, in teſtamento, ac hujuſmodi.

237 Verùm contra iſtud poſterius inſurgit Fagnanus in cit. c. Licet univerſis n. 7. h. t. dicens. Juxta illud Salvatoris jam allegatum, In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum: ergo repugnat Juri Divino, ut requirantur plures, quam tres; non minùs ac repugnat eidem, quod ſufficiat unicus teſtis. Accedit: quia in allegata Decretali ſolùm dicitur, dari quaſdam cauſas, quæ plures,
quam



quam duos, exigant teſtes (hoc enim non repugnat Legi Divinæ, quæ ſolùm loquitur alternative, duorum vel trium, interim relinquens determinationi Legum humanarum, in quibus cauſis ſufficiant duo teſtes, vel tres ſint neceſſariò adhibendi) non autem in citata Decretali dicitur, dari aliquas cauſas, quæ plures quam tres exigant teſtes. Quinimò iſtud expreſſe reprobatur c. Cum eſſes 10. §. Quia verò de Teſtament. ubi conſuetudo exigendi ſeptem teſtes in teſtamentis, dicitur eſſe aliena à Divina Lege, & Sanctorum Patrum inſtitutis &c.

238 Sed his haud obſtantibus à data Concluſione non videtur recedendum, quæ ampliùs patebit inductione, enumerando tales cauſas, in quibus plures, quam tres teſtes requiruntur, uti patebit ex progreſſu. Nec obſtat Authoritas Divina, In ore duorum, vel trium teſtium, ſtat omne verbum. Quia, ut inquit Gloſſa in cit. c. Licet univerſis V. Duorum & Bald. ibid. h. t. dictum illud eſt intelligendum abnegative, ſeu exponendum pro: id eſt, non pauciorum: ut ſic affirmativa exponatur per negativam. Concordat illud Deuteron. cap. 17. In ore duorum aut trium teſtium peribit, qui interficietur: nemo occidatur non contra ſe dicente teſtimonium: ſicque præmiſſum ly, In ore duorum, aut trium teſtium, claris verbis exponitur abnegativè. Hoc ipſum fit, atque repetitur Deuteron. cap. 19. V. 15.

239 Deinde dictum illud procedit regulariter: limitatur tamen in caſibus, ubi per Leges humanas juſtis de cauſis, ſeu ad præcavendum diverſis fraudibus hominum, plurium teſtimonium requiritur. Neque iſtud eſt prohibitum Jure Divino, eò quòd de tali prohibitione non conſtet. Quinimo illa ipſa Authoritas Divina, etiam abnegative intellecta, patitur limitationem in cauſis nulli præjudicialibus, & nonnullis aliis, in quibus ſufficere teſtimonium unius, infra nu. 254. 258. & ſeqq. dicitur: ergo pariter, imò à fortiori, poteſt limitari, ut in certis cauſis ex rationabili diſpoſitione Legum humanarum requiruntur plures, quam duo, aut tres teſtes.

240 Ad c. Cum eſſes de teſtament. longiori opus foret reſponſione: pro nunc ſufficiat dicere; conſuetudinem adhibendi ſeptem teſtes in teſtamento juxta præſcriptum Legum Civilium, ibidem dici à Lege Divina alienam: non quidem poſitivè, quaſi ſit contra Legem Divinam, hujuſque prohibitionem; ſed negative, quia eſt præter Legem Divinam, neque ab hac fuit præcepta. Neque cuipiam mira videatur hæc reſponſio: nam hac ipſa ratione in §. Jus autem gentium Inſtit. de Jur. nat. gent. civil. bella, captivitates & ſervitutes, dicuntur Juri naturali contrariæ; prout dictum in Proœmio, Lib. 1. §. 1. n. 22.

241 Reſp. III. Inter caſus illos, qui de Jure Canonico plurium, quam duorum, vel trium requirunt teſtimonium, potiſſimum ſunt ſequentes. Primò in Purgatione Canonica: nam in Purgatione Epiſcopi, requiruntur teſtes duodecim; can. Omnibus §. Ipſe verò Sacerdos 2. q. 5. juncto cap. 1. & c. Quoties de Purgation. Et in purgatione Presbyteri, ſeptem; & in purgatione Diaconi, tres, can. Si Legitimi cad. cauſ. 2. q. 5. Nec mirum, quod plures teſtes in purgatione canonica requirantur; hi enim ſolùm deponunt, ac jurant, ex credulitate, ſeu quod credant, purgatorem, negantem ſub juramento crimen ſibi objectum, verum juraſſe, cit. c. Quoties & c. De teſtibus de Purg. canon.

242 Secundò, in cauſa divortii, ob impotentiam viri inter conjuges inſtituendi, requiritur, quod uterque, tam vir nimirum quam mulier, cum ſeptima propinquorum, vel vicinorum manu juret, quod invicem cohabitaverint, & tamen nunquam per carnis copulam una caro effecti fuerunt, can. Requiſiſti 33. q. 1. & c. Laudabilem 5. & c. Litteræ 7. de Frigid. & maleficiat.

243 Tertiò, in can. Præſul, & can. Nullam 2. q. 4. ad condemnationem Epiſcopi Cardinalis requiruntur ſeptuaginta duo teſtes; & quadraginta quatuor ad Presbyterum Cardinalem, & ſeptem ad Subdiaconum, Acolythum &c. damnandum. Quamquam Gratianus in fin. cit. can. Nullam & Abbas cap. Licet num. 5. h. t. poſt Hoſtienſem ibid. aſſerant, Canones allegatos loqui de teſtibus non integris, ſive de talibus, qui cùm non ſint ſpectatæ vitæ & ſcientiæ, improbe nonnunquam in accuſationem Miniſtrorum Dei repente proſiliunt: alias verò ſufficerent duo, vel tres teſtes ſi ſint omni exceptione majores: quorum nimirum vita adeò laudabilis eſt, ut omnibus imitanda appareat, de quorum aſſertione, nulla dubitatio naſci poterit, prout loquitur Gratianus loc. citat. §. Sed hoc.

244 Verùm, quidquid ſit de rigore Juris communis, quod diſpoſitio cit. can. Præſul. 2. q. 5. de conſuetudine non ſervetur hodie in practica: teſtatur Jul. Clarus in Pract. Criminal. lib. 5. §. fin. q. 66. n. 5. Pirhing h. t. n. 108. Farinacius q. 63. de Teſtib. n. 244. allegans alios, & communem.

245 Quartò, ad inſpectionem Privilegiorum, quæ redarguuntur de falſo, debet quis eſſe contentus duodecim hominum numero, cap. Accepimus 4. §. fin. de Fide Inſtrument.

246 Quinto, de Jure Civili in Teſtamentis requiruntur ſeptem teſtes, l. Hac conſultiſſima C. de Teſtament. Et quinque teſtes in Codicillis, L. ult. de Codicill. & alibi. Similiter requiruntur quinque teſtes in donatione facta cauſa mortis, L. ult. C. de Donat. cauſ. mort. Tacentur plures alii caſus, in quibus ad legitimam probationem plures requiruntur teſtes, quam duo: de quibus fuſe agit Speculator tit. de Teſt. §. Reſtat. nu. 1. & ſeqq. univerſim viginti duos tales caſus enumerans, & Farinacius de Teſtib. q. 63. n. 239. & ſeqq. allegans alios.

247 Quæritur II. Utrùm probet, vel quid aliud operetur teſtimonium unius? Reſp. I. Teſtimonium unius quantumvis legitimum, contra alterum regulariter non probat, neque ſufficit ad deciſionem cauſarum. Ita Gloſſa fin. in c. Licet univerſis 23. h. t. Speculator tit. de Teſte §. Reſtat. n. 8. & ſeqq. Maſcardus de Probat. Quæſt. 11. Proœm. n. 2. & ſeqq. Farinacius cit. quæſt. 63. num. 50. ac ſeqq. & alii. Concluſio hæc patet ex cit. c. Licet univerſis h. t. ubi dicitur: Nulla eſt tamen cauſa, quæ unius teſtimonio, quamvis legitimo, terminetur. Ubi Gloſſa illud eſſe verum, inquit, in præjudicium alterius: quod meritò additur ob caſus infra n. 258. excipiendos. Concordat c. Veniens 10. h. t. ibi: Nec unius teſtimonium ad condemnationem ſufficiat alicujus: junctis concordantiis ibidem à Gloſſa finali citatis. Hinc can. Admittere 33. q. 1. Stephanus Papa V. generaliter inquit: Nec Evangelium, nec alia Divina, humanaque Lex unius teſtimonio etiam idoneo quempiam condemnat, vel juſtificat: cum ſimilibus.

248 Et hoc intellige de uno teſte, in quacunque Dignitate ſit conſtitutus, can. Si teſtes §. Jurisjurandi 4. q. 3. & l. Jurisjurandi C. de Teſtib. ibi: Manifeſte ſancimus, ut unius omnino teſtis reſponſio non audiatur, etiamſi præclaræ Curiæ honore præfulgeat. Ubi proinde Summarium refert illud vulgatum: Vox unius, vox nullius. Concordat cap. Cùm à nobis 28. de Teſt. ubi Papa diſtrictius inhibet, ne unius judicis, quantæcunque authoritatis fuerit, verbo credatur in cauſis, ſive ſuper teſtamentis, ſive quibuslibet aliis contractibus quæſtio agitetur. Nec ſcriptum eorum (niſi teſtium adminiculo fulciatur) eam obtineat firmitatem, quin ei poſſint, & debeant, duorum vel trium teſtium bonorum teſtimonia prævalere: ſalva in omnibus Sedis Apoſtolicæ authoritate.) Hæc ibi.

249 Atque iſtud procedit non ſolùm de Jure humano, Civili & Canonico, Sed etiam de Jure Divino, juxta illud Salvatoris, Matth. 18. & Luc. 17. In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum. Quod eſſe intelligendum abnegativè, ſeu exponendum pro ly, non pauciorum, paulò ſuperiùs n. 238. jam dictum fuit, atque probatum ex illo Deuteron. cap. 17. Nemo occidatur uno contra ſe dicente teſtimonium. Sigiſm. Scaccia lib. 2. de Judiciis, cap. 9. num. 381. & 392. & ſeqq. iſtud intelligens de cauſis, in quibus agitur de magno præjudicio. Farinacius cit. quæſt. 63. n. 2. & 3. allegans alios, atque hoc amplians ad teſtem Senatoria, aut Præſidiali Dignitate fulgentem, juxta cap. Licet ex quadam 47. h. t. Abbas c. Cùm à nobis num. 1. h. t. aſſerens, quod excepto Papa (utpote quem ſolùm textus ibidem excipit) nulli credatur in præjudicium alterius, quantæcunque fuerit authoritatis, etiam Cardinalitiæ.

250 Reſp. II. Etſi teſtimonium unius non faciat plenam fidem, neque ſe ſolo ſufficiat ad terminationem cauſarum, ut dictum; nihilominus illud non caret omni prorſus effectu. Ita communis: ac patet inductione. Sic quippe teſtis unus inducit præſumptionem. Gloſſa fin. c. Licet univerſis h. t. Speculator tit. de Teſte §. Reſtat. n. 11. Maſcardus de Probat. Quæſt. Proœm. 11. nu. 4. Farinacius d. quæſt. 63. num. 50. allegans alios. Idque patet ex L. 1. §. fin. ff. Quemadmodum teſtam. aperiant. ubi dictum unius teſtis,

ſigillum ſuum negantis ſe agnoſcere, reddit ſuſpectas tabulas teſtamenti, licèt eas non prorſus infringat.

251 Deinde unius teſtis integri depoſitio facit indicium ſufficiens ad inquirendum, & citandum, imò & ad torturam. Scaccia *lib. 1. de Judic. cap. 84. n. 7.* poſt Romanum *Conſil. 451. n. 4.* & Vivianum *in ſuis Commun. Opinion. V. Teſtis unicus.* Julius Clarus *in Pract. Crimin. lib. 5. §. fin. quæſt. 21. n. 2.* allegans communem.

252 Tertiò, unus teſtis legitimus facit ſemiplenam probationem. Gloſſa *in L. 3. V. Decidi oportet. C. de Rebus creditis.* Jaſon *in Repet. l. Admonendi n. 178 ff. de Jurejurand.* Maſcardus *cit. q. 11. n. 3.* Quia ſi duo faciunt plenam probationem; ergo unus ſemiplenam, prout argumentatur Gloſſa *cit. loc.* allegans diverſa Jura. Atque hinc ulteriùs ſit, quod Judex poſſit deferre juramentum ſuppletorium illi, pro quo ſtat ſemiplena probatio, ſaltem in defectum aliarum probationum, *l. Si duo §. 1. ff. de Jurejurand.* ac ſuo loco ampliùs dicetur.

253 Quæritur III. Utrùm in nullo prorſus caſu ſufficiat teſtimonium unius ad plenam probationem, ſeu terminationem cauſarum? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi, deſumitur ex jam allegato dicto Salvatori Matth. cap. 18. *In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum:* quod eſſe intelligendum abnegative, hoc eſt, ut non ſufficiat verbum pauciorum, jam ſupra dictum eſt. Accedit illud *cap. Licet univerſis 23. h. t.* ubi Pontifex indiſtincte inquit, quod *nulla eſt cauſa, quæ unius teſtimonio (quamvis legitimo) terminetur,* cum ſimilibus. Verùm his non obſtantibus

254 Reſp. I. Dantur nonnulli caſus, in quibus dictum unius teſtis plene probat, ſeu tantam fidem facit, quanta ſufficit ad deciſionem cauſarum. Ita Speculator *tit. de Teſte §. Reſtat. num. 8. & ſeqq.* triginta tales caſus enumerans. Card. Tuſchus *Litt. T. Concl. 281.* addens plures alios caſus. Felinus *c. Veniens il 1. n. 18. & ſeqq. h. t.* Baldus *cap. Licet univerſis n. 4. eod.* Maſcard. *cit. quæſt. 11. Proœm. nu. 12. & ſeqq.* Farinacius *d. q. 63. nu. 18. & ſeqq.* citans complures alios. Concordant dicta ſuperiùs *tit. præced. §. 3. nu. 61. & ſeqq.* ubi plures enumerantur caſus, in quibus terminandis non requiritur plena, & neceſſariò concludens probatio, ſed ſufficit ſemiplena, vel alia ex indiciis, atque conjecturis deprompta admittitur: unde conſequens eſt, quod in ipſis etiam ſufficiat teſtimonium unius fide digni teſtis, cum iſtud cæteroquin faciat ſemiplenam probationem.

255 Nec obſtant rationes dubitandi proximè adductæ. Nam dictum Salvatoris, *In ore duorum &c.* ſicut & *c. Licet univerſis h. t.* utpote fundans ſe in relata authoritate Divina, loquitur de cauſis arduis & gravibus, in quibus agitur de magno præjudicio, puta: in criminalibus, ubi agatur de inferenda morte, juxta illud jam allegatum Deuter. cap. 17. *Nemo occidatur uno contra ſe dicente teſtimonium:* & in cauſis civilibus arduis, magnique præjudicii, eò quòd hæc æquiparentur criminalibus, juxta dicta ſuperius §. 3. *n. 82.* prout reſpondet Gloſſa *in cit. c. Licet univerſis h. t.* ac veriſſimam eſſe ſolutionem, inquit Sigiſm. Scaccia *lib. 2. de Judic. cap. 9. n. 392.* Secus ergo dicendum de aliis cauſis, in quibus, vel de nullo, vel ſaltem non de gravi præjudicio alterius agitur.

256 Accedit, quod etſi Summus Pontifex non poſſit tollere Jus Divinum, neque in eo diſpenſare; imò teneatur illud uſque ad animam, & ſanguinem confirmare, *can. Sunt quidam 25. q. 1.* Nihilominùs poteſt is Jus Divinum interpretari, atque ex certis & urgentibus cauſis interpretando limitare; prout ampliùs dictum eſt, *Lib. 1. Tit. 2. De Conſtitutionibus §. 18. n. 455. & ſeqq.* Ergo etiam Papa poteſt ex certis cauſis, & pro aliquibus controverſiis definiendis ſtatuere, ut credatur uni teſti, eique plena fides adhibeatur, ſufficiens ad deciſionem cauſarum: ut putà, in rebus nullius, aut modici præjudicii, vel quando agitur de impediendo peccato, & hujuſmodi. Abbas *c. Nuper nobis n. 1.* & Felinus *ibid. n. 3. h. t.* Farinacius *cit. quæſt. 63. nu. 11. & 12.* & Scaccia *d. lib. 2. quæſt. 9. n. 380.* allegans alios, atque hanc appellans communem, & veriorem opinionem.

257 Et hoc ipſum præcitati Authores extendunt ad alios Principes ſuperiorem non recognoſcentes. Licet enim iſti generaliter, & pro omnibus cauſis, etiam arduis, magnique præjudicii, ſtatuere non poſſint, ut unico teſti plenè credatur (obſtat enim Jus naturale, ac Divinum jam relatum) poſſunt tamen in aliquibus negotiis, atque ex certis cauſis ſtatuere; ut unico teſti cæteroquin idoneo, ac jurato, vel in magna Dignitate conſtituto, plena fides in judiciis adhibeatur. Atque iſtud confirmatur ex *can. Quicunque & can. Omnes itaque 11. quæſt. 1.* ubi Theodoſius Imperator decrevit, ut *teſtimonium, ab uno licet Epiſcopo perhibitum, omnes Judices indubitanter accipiant &c.* Et quod hic dictum eſt de Principe, extenditur etiam ad Civitates Superiorem non recognoſcentes, harumque Statuta: ſicut & ad particulares conſuetudines locorum. Farinacius, *ubi ſuprà,* citans alios.

258 Reſp. II. Inter caſus, in quibus uni teſti, cæteroquin legitimo, ac jurato plenè creditur, potiſſimùm numerantur ſequentes. Primo, uni teſti plenè creditur, quando non agitur de alterius præjudicio. Ita Gloſſa *in cap. Nuper. V. Niſi juratus h. t.* Felinus *c. Veniens il 1. n. 18 eod.* Abbas *in c. Propoſuiſti de Conſecr. Eccleſiæ* Jaſon *l. Legatum eſt ita n. 20. ff. de Legatis 1.* & alii.

259 Sic per unum teſtem plenè probatur, quod aliquis ſit baptizatus, *can. Parvulos & can. cùm itaque de Conſecr. diſt. 4.* Similiter per unum teſtem probatur, quod aliquis ſit ordinatus: vel quod Eccleſia ſit conſecrata; ſimiliter Sacerdotium, vel Doctoratus poteſt probari per unum teſtem juratum, qui interfuit: ſiquidem in iſtis caſibus depoſitio teſtis nemini præjudicare ſolet, bene tamen prodeſſe illi, pro quo ſit. Gloſſa *fin. c. Nuper h. t.* id amplians ad caſum, quo quis vult probare, ſe egiſſe pœnitentiam, per Confeſſarium ſuum. Speculator *tit. de Teſte §. Reſtat. n. 8.* Baldus *c. Licet univerſi n. 4. h. t.* Maſcardus *cit. quæſt. 11. n. 14.* & alibi. Jaſon *cit. l. Legatum eſt ita n. 20. ff. de Leg. 1.* Farinacius *cit. qu. 63. n. 26.* & alii.

260 Additur notanter, *nemini præjudicare ſolet &c.* Nam, quando probatio v. gr. Clericatus afferret alteri præjudicium, utputa, ſi agitur lis inter duos ſuper Beneficio uni eorum collato, cujus collationem alter prætendit nullam, veluti factam in non Clericum; tunc probatio illa Clericatus debet legitime fieri vel per duos teſtes, vel per ſcriptum inſtrumentum recepti Clericatus: ut *c. Tuæ de Cleric. peregrin.* ac rectè notat Farinacius *loc. cit. n. 27. & 28.* allegans alios.

261 Similiter ob eandem rationem, ſeu quia non agitur de alicujus præjudicio, probat ſufficienter teſtis unus, quando quis moriturus dedit ſigna pœnitentiæ, ſeu petiit Confeſſarium, de quo ſaltem unus teſtatur: quia ille poteſt abſolvi, etiamſi lapſus in phreneſin, vel jam agonizans, ſuperveniente Confeſſario nullum ampliùs ſignum dare poſſit, *can. Qui recedunt. & can. Is qui pœnitentiam 26. qu. 6.* Speculator *cit. tit. de Teſte §. Reſtat. num. 8.* Card. Tuſchus *Litt. T. Concl. 281. nu. 14.* Diana *part. 3. tract. 3. reſol. 5.* & alii; atque jam dixi in Theologia Morali *Tract. 14. Diſt. 7. nu. 67.*

262 Deinde, ubicumque agitur de impediendo peccato, & ſimul nondum fuit jus aliquod alteri quæſitum, ſufficit teſtis unicus, utpote ad cujus depoſitionem oritur dubium, an actus ille liceat: in dubio autem non eſt licitum operari. Idipſum deſumitur ex *c. Super eo 22. h. t.* ubi ad dictum ſolius matris de impedimento deponentis, impeditur matrimonium à filio contrahendum, ſed contractum non diſſolvitur; eſtque jam dictum ſuprà *§. 6. num. 146.* Abbas *in cit. c. Super eo n. 7.* & Vivianus *ibid. §. Quia præſumptio h. t.* Jaſon *in Repetit. l. Admonendi n. 197. ff. de Jurejurand.* Farinacius *de teſtib. quæſt. 63. n. 48.* Sanchez *lib. 1. de matrim. diſp. 71. nu. 1.* loquens de impedimento matrimoniali, & aſſerens, nullum in hoc diſcrepare; atque *n. 2. & ſeqq.* iſtud amplians ad teſtem non citatum, ad teſtem criminoſum, atque ad teſtem, qui non vult publice, ſeu in partis præſentia teſtificari, ſed duntaxat ſecretò, & abſque ſui nominis publicatione, *arg. c. Præterea 12. de Sponſalib.* Quod intellige cum Gobat *tract. 9. Theolog. Experiment. n. 66.* & aliis, quamdiu non probatur contrarium: prout fieri poſſe, conſtat ex *cit. c. Propterea* juncta Gloſſa *fin.*

263 Hoc ipſum tradit Layman *lib. 3. Theolog. Moral. ſect. 5. tract. 6. cap. 4. n. 6.* & Pirhing *h. t. n. 112.* de denuntiatione inhabilitatis ad ſuſcipiendos Ordines, vel obtinendum Beneficium Eccleſiaſticum: quia ſufficit unus teſtis juratus, cùm agatur de impediendo peccato alterius, & jus parti needum fuerit acquiſitum; quamvis (inquit Pirhing



*loc. cit.*) nonnulli contra dicant. Quod ſi autem Beneficium cuipiam jam fuiſſet collatum, certum eſt, non ſufficere teſtem unicum ad inducendam illius inhabilitatis probationem: ſed requiri plenam probationem per duos ſaltem teſtes, *arg. c. Super his 16. de Accuſ.* cum ſimilibus.

264 Tertiò plene creditur dicto unius, de conſenſu partium. Siquidem, ubi conſenſus partium intervenerit, poteſt etiam fieri, ut ſoli dicto alterius partis, ſeu adverſarii ſui credatur, *L. ult. C. de Fideicommiſſ. & L. ult. C. de Sent. poſſ.* ergo pariter, & quidem à fortiori, poſſunt partes convenire, & facere, ut credatur uni teſti cæteroquin indifferenti. Speculator *loc. cit. n. 11.* Farinacius *cit. quæſt. 63. n. 18. & ſeqq.* allegans communem aliorum; idque intelligens, quando partes non ſolùm conſentiunt in perſonam teſtis, ſed etiam in dictum ejus ſuper certo negotio.

265 Quarto, ſtatur dicto unius teſtis, quando Teſtator id præcepit. Poteſt enim Teſtator in ſua ultima voluntate mandare, ut in materia hæreditatis ſtetur aſſertioni unius certæ perſonæ; & tunc creditur ipſi propter authoritatem Teſtatoris, utpote cujus ſolius diſpoſitioni ſtaretur, *l. Theopompus ff. de Dote prælegat.* Gloſſa *fin. c. Veniens il 1.* & Felinus *ibid. numer. 18. h. t.* Speculator *cit. § Reſtat. numer. 8.* Jaſon *in Repetit. l. Admonendi numer. 200 ff. de Jurejurand.* Maſcardus *cit. quæſt. 11. Proœm. numer. 13.* Farinacius, *ubi ſupra numer. 39.* cum aliis. Qui tamen addunt tunc requiri citationem partis adverſæ, ac prævium teſtis illius juramentum, quod Teſtator ita ſibi imperaverit.

266 Quintò, ſufficit dictum unius teſtis ad probandam innocentiam inquiſiti, denuntiati, vel accuſati. Maſcardus *de Probat. Concl. 491. nu. 17. & 18 & Concl. 906. num. 10.* Farinacius *d. quæſt. 63. nu. 42. & 43.* aliique plures ab his citati. Hinc ſi Titius accuſetur, quod occiderit Cajum, ille verò probet, quod occiderit provocatus, & ad ſuam neceſſariam defenſionem; vel quod Cajus non ex vulnere, ſed ob malum regimen obierit: tunc ad probandam Titii innocentiam ſufficit teſtis unicus, cæteroquin tamen idoneus, ſaltem ad hoc, ut non poſſit condemnari. Secùs tamen dicendum, quando per duos legitimos teſtes probatum fuit, quod Titius occiderit Cajum, & Titius econverſo per unum teſtem probare conetur, quod non occiderit: quia tunc ambæ probationes non ſunt compatibiles (quales tamen ſunt in priori caſu) ſed inter ſe directè contrariæ: ac proinde probatio Accuſatoris, veluti plenior, præfertur probationi ipſius Rei. Farinacius *cit. nu. 43.* allegans alios, & concordant dicta *Tit. præced. §. 4. nu. 74. & 76.*

267 Sextò, ſufficit dictum unius teſtis in probatione cauſarum, in quibus vel nullo modo, vel ſaltem difficulter haberi poſſunt plures teſtes, *arg. L. 1. §. fin. ff. de Verb. oblig.* Ubi creditur dicto Interpretis, linguam ignotam alteri explicantis: quamquam Gloſſa marginalis *ibid.* dubitet, an Interpres poſſit dici teſtis, ac velit, eum potiùs eſſe dicendum expoſitorem, quam teſtem. Maſcardus *quæſt. 11. Proœm. nu. 17.* Farinacius *cit. quæſt. 63. n. 38.* allegans alios. Concordat Card. Tuſchus *Litt. T. Concl. 281. nu. 50.* hoc ipſum docens in antiquis, in quibus fama, & ſemiplena probatio ſufficit: quia pariter (inquit ipſe poſt Decianum *Conſil. 17. nu. 11. & ſeqq. lib. 3.*) admittitur unus teſtis.

268 Idem dicendum, quando agitur de indiciis, ſeu declaratione voluntatis & mentis diſponentis, quæ per indicia & conjecturas ſatis apparet, *l. Hæredes palam §. Sed ſi notam ff. de Teſtament. & l. cùm proponeretur ff. de Legat. 1.* Quia teſtis unus atteſtans in individuo, & directè de mente alterius, facit indicium & conjecturam. Alexander *Conſil. 76. nu. 14. vol. 5.* Et ſic in dato caſu etiam probat Card. Tuſchus *cit. Concl. 281. nu. 71. & 72.* illicò poſt Gabrielem *Conſil. 51. nu. 8. lib. 2.* ſubjungens, quod ubi agitur de iis, quæ non ſunt facti, ſed animi & intentionis, unus teſtis ſufficiat.

269 Septimò, probat unus teſtis concurrente ſimul fama, *arg. cap. 1. de Appellat.* ac notat Abbas *in c. cùm cauſam n. 2. de Probat.* Speculator *tit. de Teſte §. Reſtat. nu. 21.* Card. Tuſchus *Litt. T. Concl. 281. n. 32.* Quod tamen intelligendum eſt accedente ſimul arbitrio Judicis, juxta dicenda inferius *§. 12. n. 401. & 404. ac ſeqq.*

270 Similiter teſtis unus probat, quando accedit juramentum ſuppletorium perſonæ principalis, *l. In bonæ. C. de Rebus credit. &c. Sicut de Probat.* Speculator *ibid. n. 8.* Card. Tuſchus *cit. Concl. 281. nu. 10.* Et quoties cum uno teſte concurrunt aliæ præſumptiones, ſeu adminicula: quia tunc, ſi teſtis ille cæteroquin ſit major omni exceptione, in cauſis civilibus (ſecùs in criminalibus) videtur induci plena probatio. Farinacius *d. q. 63. n. 35.* allegans alios, & concordant dicta ſuperiùs *Tit. præced. §. 4. nu. 98. 99. & ſeqq.* ubi oſtenſum, atque declaratum fuit, qualiter ex duabus ſemiplenis probationibus fiat una plena.

271 Octavò creditur dicto Officialis jurati, in his, quæ pertinent ad ſuum officium. Idque fit tum ratione publici officii, quod gerit: tum ratione juramenti, cum juratus ſit officium ſuum fideliter exequi; ac proinde hoc præſtare præſumatur; niſi contrarium probetur, per textum *in c. Illud quoque 11.* juncta Gloſſa *fin. de Præſumpt. & cap. Ad audientiam. 13. de Præſcription.* & alibi.

272 Sic ſtatur dicto Nuncii publici jurati in iis, quæ concernunt ſuum officium. Maſcardus *de Probat. Concl. 1121. n. 1. & 4.* putà dicentis, quòd aliquem citaverit. Gloſſa *c. Cùm parati verſ. Suus nuncius de Appellat.* Jaſon *l. Nec is n. 10. ff. de Acquirend. hæredit.* Maſcardus *loc. cit. n. 14. & ſeqq.* rationem hujus reddens: quia Nuncius publicus juravit officium ſuum exercere legaliter; & ſic ipſi creditur, donec probetur contrarium, dummodo aliunde non ſit ſuſpectus. Sed de hoc plura ſuperius *Tit. 3. De libelli oblation. §. 2. num. 52. & ſeqq.*

273 Inſuper creditur Ponderatori publico circa menſurationem, ſeu ponderationem juſtam rerum ad ſe delatarum, quando is ab aliqua Civitate conſtitutus eſt ad ponderandum, ſeu menſurandum, *L. 2. C. de Ponderation. lib. 10.* ubi ad ejus dictum lites exortæ dirimuntur.

274 Et idem dicendum in Medico, Architecto, Agrimenſore, & ſimilibus: nam etiam uni horum (ſi unum ſolum Civitas habeat) jurato deponenti credendum eſſe, deciſum legitur *in Auth. De non alienandis &c. §. Quod autem collat. 2.* Baldus *c. Licet univerſis n. 4. h. t.* Felinus *cap. Veniens il 1. num. 20. eod.* Farinacius *d. quæſt. 63. num. 40.* allegans alios.

275 Nono, ſtatur Notarii publici teſtimonio, licet ſingulari, de geſtis à ſeipſo: ut ſi atteſtetur, aliquid à ſe ſcriptum. Menochius *de Arbitr. Judic. lib. 2. caſ. 92. num. 3.* Maſcardus *de Probat. concl. 1101. nu. 1.* cum aliis. Adeò, ut Inſtrumenta publica, quæ magna illa præſumptione Notarii publici, atteſtantis de rebus à ſe viſis, vel coram ſe geſtis juvantur, vera credantur, & probationem probatam faciant. Bartolus *in l. 1. in princip. num. 8.* & Jaſon *ibid. num. 10. ff. de Novi oper. nunciat.* Menochius *de Recuperand. poſſeſſ. remed. 1. numer. 224.* Maſcardus *loc. cit. numer. 2.* Idque deſumitur ex *cap. Ad audientiam 13. de Præſcription.* ibi: *Nec credendum ſit, ipſum Scrinarium, cùm juratus ſit ſuum officium fideliter exequi, aliud ſcripſiſſe, quam à teſtibus diceret.* Intellige niſi aliunde probetur contrarium, ſeu ejuſmodi inſtrumentum impognetur, conformiter dicendis infrà *tit. 22. De fide inſtrumentorum §. 10. num. 287.*

276 Quinimò Abbas ex allegato textu *in cit. c. Ad audientiam n. 7. de Præſcript.* poſt Speculatorem *tit. de Inſtrumentorum editione §. Reſtat. verſ. Quid ſi dum atteſtationes num. 10. & ſeqq.* concludit, quod ſi teſtis publicatione dicti ſui facta aſſerat, ſe non ita dixiſſe, ſicut Notarius ſcripſit: nihilominùs Notario plus credatur in cauſis civilibus, per textum *cit. c. ad audientiam.* Intellige, niſi forſan Notarius aliunde foret ſuſpectus, aut falſitas ſcripturæ ſua per alios teſtes, qui ſimul aderant, & audierant deponentem, probari poſſet.

277 Decimò, ſufficit unus teſtis in probanda veriſimili cauſa ignorantiæ. Quia enim ignorantia in dubio præſumitur; ideò teſtis unicus, de cauſa dictæ ignorantiæ deponens, plenè probabit. Speculator *tit. de Teſte §. Reſtat de numero n. 8.* Farinacius *loc. cit. nu. 49.* Quinimò in tali caſu ſtatur ſoli juramento illius, qui allegat ignorantiam; puta, quod ignoraverit v. g. illum eſſe Clericum, quem percuſſit, *c. Si verò aliquis 4.* juncta Gloſſa *verſ. ignoraverit de Sentent. excommunication.* Card. Tuſchus *d. Litt. T. eod. 281. num. 7.* Aut, quod ignoraverit, citationem Edictalem contra ſe fuiſſe factam. Gloſſa *cap. Ex litteris verſ. Ad plenum. De in integrum reſtitut.* eſtque jam dictum ſuprà *Tit. 24. De Dolo, & contumacia §. 2. nu. 60.*

278 Undecimò, plene creditur aſſertioni, ac teſtimonio ſo-

*ult. de Succeſſ. ab inteſt.* ac notat Abbas *ib. nu.* 17 Alexander *conſ* 76. *n.* 4 & 5. *lib.* 6. Maſcardus *de prob concl.* 379. *n.* 14. allegans alios: & concordant dicta ſuperius *tit. præc.* §. 4. *n.* 99. & 100. ubi oſtenſum, quod ex pluribus probationibus imperfectis conſtituatur una perfecta, juxta prudens arbitrium Judicis.

299 Declaratur eadem Concluſio exemplis. Sic loquendo imprimis de probatione actus continui, & ſucceſſivi, tunc Teſtes, vel in tempore, vel in loco diſcordes non cenſentur ſingulares, ſed probant. Ita Gloſſa notabilis *can. Nihilominus*, 3 q 9. ubi diſtinguendo inter actus momentaneos, v. g. homicidium alicujus, quod non niſi ſemel committitur, & inter actus ſucceſſivos; ultrò quidem concedit, quod diverſitas in loco, aut tempore, circa actus momentaneos contingens, tollat fidem teſtibus, & in eiſdem inducat ſingularitatem: ſecùs tamen eſſe dicendum de actibus ſucceſſivis, notat ſequentibus verbis: (Si tamen aliquem actum continuum viderent aliqui, licet diverſis horis, videtur, quod teſtimonium teneret: ut ſi ſucceſſivè in uno foramine viderunt aliquos fornicari; vel ſi aliqui volunt teſtari, quod aliquis excommunicatus celebravit, & unus audivit finem Miſſæ, alter principium, hoc caſu concedo eos benè teſtari de una re propter continuationem actus, ſicut propter continuationem poſſeſſionis una dicitur præſcriptio, licèt ſit facta à diverſis perſonis.) 16. *q.* 3. §. *poteſt.* Hactenus Gl. *loc. cit.* quam ſequitur Farinacius *d. q.* 64. *n.* 87. 90. & 91. allegans plurimos alios. Accedit ratio: quia, cùm actus ille ſit ſucceſſivus, teſtes ejuſmodi non videntur deponere ſuper diverſis actibus, ſed ſuper uno tantum; prout argumentatur Maſcar. *de prob. concl.* 65. *n.* 2. poſt Gl. *loc cit* Bartolum *in l. quærebatur, ff. de rei vindic.* Baldum *l. Teſtium. C. de teſtib.* & alios.

300 Aliud exemplum de actu quopiam generico ponit Gl. *fin. in leg. ob carmen ff. de teſtib.* ubi inquit: (Si dicam, quod poſſederim, & inducam plures, quorum unus dicat, quod viderit me poſſidere per annum, alius per alterum, & ſic de cæteris, eorum tenet teſtimonium: quia hoc ſolum quæritur, an poſſederim, quod omnes teſtes dicunt; non autem eſt quæſtio, an iſta vel illa die poſſederim.) *Hæc Gloſſa*: quam communiter ſervari in Judiciis, refert Farinacius *cit. q.* 64. *n.* 88. & 171. & 172. allegans plurimos alios: quamvis in hoc poſteriori loco rectè notet, datam doctrinam ſolummodò procedere, quando agitur de probanda poſſeſſione in genere abſque limitatione certi temporis; ſecùs, quando agitur de probanda poſſeſſione in ſpecie, ac pro tali tempore; quia tunc ſingularitas in tempore tolleret fidem teſtibus, ſicut innuit Gl. *loc cit* & ſequuntur alii.

301 Nec obſtant Jura *n.* 290. allegata, & indiſtinctè dicentia, quod teſtes ſingulares non probent. Reſp. enim, iſtud indubitate quidem procedere in teſtibus ſingularibus ſingularitate obſtativa; eo quod fidem ſibi mutuò detrahant propter contrarietatem, & repugnantiam, dolumque præſumptum, quem continet; ſimulque procedere in Teſtibus ſingularibus ſingularitate diverſificativa, qui licet aliquam ſemiplenam probationem faciant (dummodo inter eos ſit unus Teſtis omni exceptione major) quia tamen ſinguli teſtantur de diverſis actibus, non plus probant mille, quam unus; ut notat Arnaldus Albertinus *cit. repet. quoniam n.* 66 & 68. Secùs tamen eſt dicendum de teſtibus ſingularibus ſingularitate adminiculativa, ac loquendo de actu generico, continuo ſeu ſucceſſivo, ob rationes in Concluſione allatas; & ſuadet multiplex authoritas Doctorum.

302 Quod ſi urgeas. In *c. Licèt cauſam §. quamquam de prob.* Teſtes ſingulares Faventinorum non probant, licet fuerint inducti generatim, & abſque aliqua temporis determinatione, ſuper uſu juriſdictionis; ergo nulla reſponſio. Ob hunc textum, qui prima facie videtur fortiter ſtringere, Jaſon *in repet. leg. Admonendi n.* 256. *ff. de Jurejur.* tandem in contrariam abivit ſententiam. Idem tradit Baldus *in d. c. cum cauſam n.* 11. *de prob.* aſſerens eſſe *notatu dignum, quod in probatione actus generalis, puta juriſdictionis, teſtes ſingulares nihil probant: textus eſt hic expreſſus melius quam reperiatur alibi.* Hæc ille. Eidem contrariæ ſententiæ adhæret Albericus *in l. ob carmen §. fin. n* 7. *ff. de Teſtib.* & nonnulli alii, apud Farinacium, *ubi ſupr. n.* 165. citati.

303 Verùm, quod ſingularitas Teſtium tunc non obſit, quando agitur de probando aliquid in genere, ut poſſeſſionem, juriſdictionem, & ſimilia; ac proinde probetur poſſeſſio, ſi unus Teſtis dicat, quod vidit arari, alter ſeminari, alius meſſes colligi, alius arbores putari: in hoc ipſo exemplo tenet Maſcardus *de prob Concl.* 1205. *n.* 24. & 25. & Farinacius *d. q.* 64. *n.* 164. allegans alios, qui atteſtantur de communi; & ſubjungens, quod ita fuerit unanimiter concluſum per Rotam Romanam, uti teſtatur Cæſar de Graſſis *dec.* 78. *n.* 10. *Caputaq. dec.* 269. *n.* 1. & 2. *p.* 3. Neque urget *c. c. Licèt cauſam de prob.* Quia, uti liquet ex contextu, ibi Faventini ceciderunt cauſa, non præcisè, quia teſtes ipſorum fuerunt ſingulares (nam, ut patet ex litera; ſex iſtorum remanſerant concordes, qui utique ſuffeciſſent ad legitimum teſtimonium) ſed quia contraria pars juſtum titulum, & longè potiores probationes allegaverat.

304 Reſp. II. Loquendo de facto aliquo particulari, ſeu actu ſpeciali & individuo, tunc teſtes ſingulares etiam ſingularitate adminiculativa plenè non probant, licèt faciant magnum adminiculum, ac præſumptionem. Ita Gl. *in cit. can. Nihilominus* 3. *q.* 9. Felinus *d. c. Licèt ex quadam n.* 2. *b.* 1. Card. Tuſchus *Litt. T concl.* 265. *n.* 58. Arnald. Albertinus *cit. repet. c. quoniam n.* 56. *de Hæret.* Jaſon *in repet. l. Admonendi n.* 255 *ff. de jurejur.* Farinacius *cit. q.* 64. *n.* 113. & 126. allegans plurimos alios; idque exemplificans in caſu, quo unus Teſtis deponit de veritate, v. g. mutuatæ, ſeu numeratæ Titio pecuniæ; & alter deponit de confeſſione, qua Titius fatebatur, mutuatam ſeu numeratam ſibi fuiſſe pecuniam: quia (inquit) veritas eſt, quod ex eorum dictis non inducatur plena, & omnimoda probatio ad condemnandum ſufficiens. Atque illud ad minimum convincunt Jura *n.* 290. allegata; & præſertim caſus in *c. cum dilectus* 32. *de elect.* Accedit ratio: quia revera tales teſtes ſunt ſingulares, cum deponant de factis omnino diverſis; putà, unus de numeratione pecuniæ, alter verò de confeſſione dictæ numerationis ſibi factæ: ſicque neuter habet conteſtem circa idem factum particulare.

305 Quia tamen depoſitio Teſtis de veritate numeratæ pecuniæ teſtificantis facit ſemiplenam probationem, quæ adjuvatur ſeu adminiculatur per depoſitionem alterius de audita illa confeſſione, v. g. Titii: hinc magna exinde conſurgit præſumptio, ſeu adminiculum; & aliquando plus quam ſemiplena probatio, ſecundum quod animus Judicis movetur plus vel minùs ad præſumendum, ſeu indubitanter credendum, *arg. l.* 2. §. *Ætas ff. de excuſ. tutor.* juncta Gl. *ib.* ℣. *Legitimis*, allegante inter alia illud vulgatum: *Quæ non proſunt ſingula, multa juvant.*

306 Infertur proinde, quod ex ejuſmodi Teſtibus ſingularibus poſſit Judex moveri ad deferendum juramentum ſuppletorium. Farinacius *cit. q* 64. *n.* 52 & *n.* 113. Maſcardus *de prob. concl.* 958. *n.* 20 *in fin.* & alii. Imo & quandoque, concurrentibus aliis ſufficientibus adminiculis ad indubitanter credendum; adeò, ut exinde in certis caſibus, putà, qui ſunt difficilioris probationis, ſeu minoris præjudicii, aut hujuſmodi, etiam procedere poſſit ad ferendam ſententiam. Nam quod duæ ſemiplenæ probationes, quæ tendunt ad eundem finem, unam plenam facere poſſit, jam ſuprà *tit præc* §. 4. *n.* 98. & *ſeqq.* dictum fuit.

307 Quæritur IV. Utrum Teſtes ſingulares ſingularitate adminiculativa probent in cauſis criminalibus? Reſp. I. Etſi in cauſis criminalibus criminaliter motis ejuſmodi Teſtes ſingulares, ut putà de diverſis actibus, vel diverſis indiciis commiſſi ſceleris deponentes, plenè non probent in ordine ad condemnandum pœna ordinaria; nihilominùs teſtes illi cæteroquin habiles cauſant magnam præſumptionem contra reum, ita ut aperiatur via Judici ad inquirendum ſpecialiter contra ipſum; & inſuper conſtituunt indicium ſufficiens ad torturam, imò & quandoque ſufficiunt ad inferendam pœnam extraordinariam. Ita Alexander *Conſ.* 77. *n.* 10. & 11. *vol.* 1. aſſerens, quod Teſtes ſingulares pro parte accuſatoris adducti, non probent quoad plenam probationem, ſed quoad indicium una præſumptio juvet alteram; ut per Bartolum *in Leg. fin. ff. de qu.* Sigiſm Scaccia *de Judiciis*, *lib.* 2. *c.* 9. *n* 367. & *ſeqq.* Layman *lib* 3. *ſect.* 5. *tr.* 6. *c.* 4. *num.* 5. *in fin.* Julius Clarus *in pract. crim lib.* 5. §. *fin. qu.* 53. *n.* 18. Farinacius *in Praxi crim. lib.* 1. *q.* 37. *n.* 34. & 35 ubi iſtud intelligit de Teſtibus ſingularibus, qui alioquin ſunt omni exceptione majores, ſimulque deponunt ſuper indiciis proximis delicti; & alii, quos citat.



308 Ratio prioris partis eſt, quia in criminalibus ad condemnandum requiruntur probationes indubitatæ, *l. Sciant cuncti C. de prob.* & abſque ulla ſuſpicione, vel exceptione manifeſta, *can. teſtes* 2. *q.* 7. & *c.* 1. *de except.* Atqui tales non ſunt ejuſmodi teſtes ſingulares, utpote adhuc de diverſis factis particularibus deponentes, & in ſuis dictis conteſtem non habentes; ergo: Altera pars patet ex dictis ſuprà *tit.* 18. *de Confeſſis* §. 4 *n.* 107. quamvis etiam impræſentiarum arbitrio judicis multum ſit relinquendum, juxtà ſæpiùs jam dicta.

309 Reſp. II. Etſi in probatione Uſuræ, ſeu quod quis ſit uſurarius manifeſtus, ac proinde privandus ſepultura Eccleſiaſtica, & aliter puniendus, juxta *c. ult. de Uſuris in* 6. non pauci Doctores velint, ſufficere teſtes ſingulares ſingularitate adminiculativa, ſeu qui deponunt de diverſis actibus uſurariis particularibus: putà, quod unus teſtis dicat, ſe vidiſſe Titium ſub uſuris mutuantem Cajo, & alius aſſerat, eum taliter mutuaſſe Sempronio: prout vult Abbas *conſ.* 77. *n.* 1. & 2. *p.* 2. Covarruvias *lib.* 3. *var. reſ. c.* 3. *n.* 5. ℣. *utrum quoties*, & plures alii, tum ab iſto, tum à Farinacio *de teſtib. q.* 64. *n.* 195. pro hac ſententia allegati: quia (inquiunt) hic agitur de probando aliquo univerſali, habente in ſe plura particularia; ſicque non poſſunt dici teſtes ſingulares, cum ex dictis ipſorum reſultet totum.

310 Nihilominùs oppoſitam ſententiam, ſeu ejuſmodi teſtes ſingulares non plenè probare, quod quis ſit uſurarius manifeſtus, ac puniendus, ut ſuprà, videtur tenenda, per rationem *n.* 308. allatam: quia videlicet in criminalibus requiruntur teſtes omni exceptione majores. Atque ita hanc opinionem tenet, & communem, ac veriorem appellat Sigiſm. Scaccia *lib.* 2. *de Judic. c.* 9. *n.* 276. & *ſeqq* & Farinacius *d. q.* 64. *n.* 196. & 200. citans plurimos alios; & pro concordia ſubjungens, quod teſtes ſingulares probant, non uſuram, ſed infamiam uſuræ &c. Quæ quidem infamia non ſufficiet ad ſententiandum, & condemnandum de uſura, ſed tantummodo ad repellendum à teſtimonio, vel ad diminuendum ei de fide. Hæc ille.

311 Atque hoc ipſum (ſervata proportione) dicendum videtur de probatione Hæreſis: prout fuſiùs oſtendit Farinac. *d. q.* 64. *n.* 201. & 202. *ac ſeqq.* allegando in utramque partem diverſas DD. ſententias, & authoritates: ubi etiam in progreſſu de aliis criminibus ſingillatim tractat, qui idcircò conſuli poterit.

312 Juvat huc pro majori præmiſſorum declaratione, referre Conſtitutionem 34. Greg. XV. *Univerſi Dominici* (quæ habetur *Tom.* 3. *Bullarii Romani*) in qua, ne ob defectum probationum illud tam enorme, & Eccleſiæ Dei tam perniciosum delictum, videlicet Sollicitationis pœnitentium in Confeſſione ad inhoneſta, maneat impunitum, §. 5. expreſſè quidem admittuntur teſtes ſingulares; ſed ita, ut non probent, niſi concurrentibus aliis præſumptionibus, & indiciis, arbitrio Judicis dijudicandis, ibi: *Cùm difficilis ſit probationis, teſtibus etiam ſingularibus, concurrentibus præſumptionibus, indiciis, et aliis adminiculis, delictum probatum eſſe judicandi etc.* Unde, quod ſcelus iſtud licet ſit nefandum, immaneque ſacrilegium, & difficillimæ probationis, non probetur ſufficienter per teſtes ſingulares, puta, per plures fœminas, quæ ſingillatim deponunt, ſe à tali Confeſſario ſeorſim fuiſſe ſollicitatas ad inhoneſta, niſi concurrant alia indicia, & præſumptiones: meritò docet Iacobus Pignatellus *tom.* 1. *conſult.* 104. *n.* 2 & *ſeqq.* Idem igitur in ſimili dicendum de probatione aliorum criminum, haud obſtante, quod ad ipſorum probationem etiam admittantur teſtes ſingulares, *arg. leg. Non poſſunt ff. de Legibus*, cum concordantiis.

## §. X.

## De Teſtibus contrariis, variantibus, & vacillantibus.

### SUMMARIUM.

313 *Teſtis contrarius*, &

314 *Teſtis varius, ſeu varians, quis?*

315 *Et quomodò differant?*

316 *Teſtis vacillans, quis?*

317 *Si deponit verè dubitando, fidem non meretur.*

318 *Et quid, ſi deponat titubando, timendo, ſudando?*

319 *Judex debet vacillationem teſtis, & cauſam ipſius in Actis ponere.*

320 *Et ad deprehendendam ejuſmodi contrarietatem, varietatem, & vacillationem, teſtes perſonaliter evocare.*

321 *Si teſtes videantur inter ſe contrarii, tunc pro poſſibili debet Judex eorum dicta interpretari, ut non contradicant &c.*

*Teſtium dicta benignè ſunt interpretanda, ne perjurii reatu notentur. Ib.*

322 *Teſtes duos ex una parte producti, & ſibi manifeſtè contradicentes, nihil probant; ſed ſi multi fuerint, valet teſtimonium plurium concordantium, etſi debilitetur.*

323 *Quid agendum, ſi duo teſtes conteſtes allegant tertium, qui negat ſe interfuiſſe, aut aliquid ſcire &c.*

Magis credendum eſt duobus Teſtibus affirmantibus quam centum negantibus: *idque declaratur. Ib.*

324 & 325 *Teſtibus ex utraque parte productis, & manifeſtè contrariis, qui ſint præferendi?*

326 *Teſtis ſibi ipſi contrarius nihil probat.*

327 *Niſi forſan incontinenti correxerit prius dictum; nam tunc ſtatur poſteriori dicto. Et n. præc.*

328 *Teſtis in judicio contraria deponens, eſt competenter puniendus; & qualiter?*

329 *Niſi per errorem, ſeu ignorantiam id acciderit.*

*Et quid, ſi unum dixit in Judicio, & aliud extra judicium? Ib.*

330 *Quando teſtis in diverſis Judiciis, vel diverſis inſtantiis ejuſdem Judicii contraria deponit, ordinariè ſtatur primæ ejus depoſitioni juratæ.*

331 *Fallit hoc, ſi quis ex intervallo dictum ſuum corrigat allegando errorem facti, eumque probando:*

*Error facti excuſat. Ib.*

332 *Fallit etiam, quando poſterius dictum judiciale teſtis eſt magis veriſimile, vel adminiculatum aliis conjecturis.*

333 *Fallit tertiò in cauſa Hæreſis.*

334 *Et quando teſtis depoſuit primum dictum ſine juramento & poſterius contrarium cum juramento.*

335 *Si teſtis ſub juramento depoſuit unum in judicio, & contrarium ejus dicat extra judicium, ſtandum eſt dicto judiciali, niſi contrarium aliunde probetur.*

336 *Idque amplius oſtenditur.*

357 338 & 339 *Solvuntur notabiles objectiones contra hoc.*

340 *Prima depoſitio jurata judicialis debilitatur per ſecundam judicialem contrariam, arbitrio Judicis.*

341 *Idemque dicendum, quando teſtis extra judicium reſponderit contraria dictis in judicio.*

313 Quæritur I. Quis dicatur Teſtis contrarius, varius, & vacillans? Reſp. I. *Teſtis contrarius* dicitur, qui deponit duo, vel plura inter ſe repugnantia: ut ſi quis interceptus per diverſas interrogationes ſibi factas talia aſſerat, quæ prorſus inter ſe repugnat, & ſimul eſſe non poſſunt. Hoc ipſum clariùs videre licet in diſtinctis teſtibus, hinc inde ex utraque parte adductis: nam non rarò directè contraria, & mutuò repugnantia deponere reperiuntur. Quæ quidem Teſtium contrarietas poteſt inveniri in omnibus propemodum materiis, ac diſcurrendo per ſingula decem Prædicamenta; prout de ſingularitate teſtium ſuperius *n.* 284. jam dictum fuit.

Reſp.

314 Reſp. II. *Teſtis varius*, ſeu *varians* cenſetur, qui varia loquitur: ut inquit Baldus *in c. præterea n. 7. de teſtib. cogend.* Hoc eſt, qui non ſtat firmus in dicto ſuo: puta quia in uno judicio ſic, in altero autem, ſive iterum examinatus, diverſo modo loquitur ſuper eodem facto. Intellige, quando quis primò dicit aliquid, & poſteà dicit contrarium ejus, nulla variationis cauſa aſſignata; ut inquit Jo: Andreas *in d. c. præterea n. 11. de teſtib. cogend.* Alioquin enim, ſi cauſam ſuæ variationis daret, potius dictum ſuum corrigere, quam variare cenſeretur.

315 Differt autem teſtis varius à contrario: quia hic in eodem examine dicit contraria, ſeu inter ſe repugnantia; teſtis varius autem ſucceſſivè, ſeu in diverſis inſtantiis, aut examinibus. Quamquam iidem *in l. qui falſo ff. h. t.* & alibi inter ſe etiam æquiparentur. Niſi cum Farinac. *q. 66. de teſtib. n. 8. & 9.* dicere velis, quod ille teſtis propriè dicatur variare, qui non deponit contraria, ſed qui diverſo modo dicit: ut ſi primò dixerit, *Titium emiſſe Domum Sempronii*; poſteà verò, ſeu in alio examine aſſerat. *Titium emiſſe domum Sempronii unà cum uxore ſua.*

316 Reſp. III. *Teſtis vacillans* dicitur, qui timendo, titubando, vel dubitando teſtimonium dicit. Ita Jo. Andreas *c. præterea, n. 11. de teſtib. cogend.* dicens, quod teſtis vacillans ſit, qui dubitando, & timendo loquitur. Farinacius *d. q. 66 n.* 10 citans alios. Unde, ut teſtis cenſeatur vacillans ſufficit, quod dubitando, timendo, aut titubando deponat, etſi non loquatur contraria. Concordat Paris de Puteo *tom. 7. tractatuum, tr. de Syndicatu, circa fin. § Viſo. de Judiciis n. 8.* Ubi inquit, quod tunc dicitur quis vacillare in teſtimonio, quando deponit dictum ſuum dubitando, vel tremendo, vel ſudando, præ nimio timore loquendo.

317 Et quidem teſtis vacillans, quando deponit vere dubitando, fidem non meretur: quia hoc ipſo, quod verè dubitet, in neutram inclinat partem; ſicque incertum eſt ejus teſtimonium, nec eſt ratio, cur uni potius, quàm alteri parti aſſenſus præbeatur, ac proinde tollitur fides ejus in totum. Io. Andreas *c. c. Præterea n. 11. de teſtib. cogend.* Farinacius *loc. cit. n. 16.* & alii. Unde Innocentius *in d. c. præterea* & poſt ipſum Baldus *ib. n. 6.* inquiunt, quod qui dubitando loquitur, vacillat, ſcilicet quoad fidem ei adhibendam, id eſt, vacillat fides ejus.

318 Quod ſi verò ſit tantummodò vacillans, quatenus deponit, titubando, timendo, ſive ſudando, tunc probatio ejus non tollitur in totum; bene tamen de fide ejus diminuitur. Farinacius *d. q. 66. n. 15. & 16.* poſt Alberic. *in l. qui falſo, n. 5. ff. de teſtib.* & alios. Et meritò: quia non obſtante tali timore, aut ſudore, vel pallore vultus, qui vel ex periculi magnitudine, vel ob cordis debilitatem, aut puſillanimitatem ſæpiùs oriri ſolet, teſtis duntaxat titubando vacillans verè in favorem unius partis, & quidem ſub juramenti Religione deponit; ſicque non deſtituitur omni fide, ſed meretur aliquam, majorem tamen vel minorem, pro qualitate ſuæ vacillationis, formidinis, ſeu palloris, aliarumque circumſtantiarum, prudenti judicis arbitrio dimetiendam.

319 Et hinc notat Jacob Cagnacenus *in rep. c. quoniam contra n. 56. de prob.* & Paris de Puteo *cit. ℣. Viſo de Judiciis, n. 8.* quod tunc Iudex debeat ejuſmodi vacillationem teſtis, & cauſam ipſius in Actis ponere, & per quem modum vacillavit; debeatque ipſam vacillationem ſcribi facere in Actis ipſo deponente intelligente, & tunc quando deponit, juxta *leg. de minore, §. Tormenta, ff. de Qu.* Innoc. *c. quoniam contra. de probat.* Bartolus *l. fin. ff. de Quæſtionibus.*

320 Porrò ad deprehendendam ejuſmodi contrarietatem, varietatem, ſeu vacillationem teſtium, ſiqua forſan ſubeſſet, jubetur Judex teſtes perſonaliter evocare, atque ad dignoſcendum, quanta fides ipſis habenda ſit, attendere; *cujus dignitatis, & cujus exiſtimationis ſint: & quid ſimpliciter viſi ſint dicere: utrum unum eundemque, & præmeditatum ſermonem attulerint: & an ad ea, quæ interrogaverit, ex tempore veriſimilia reſponderint*; prout reſcripſiſſe Imperatorem, habetur *l. 3. §. Ideoque, ff. de teſtib.* additis illis notabilibus verbis, videlicet: *Teſtibus ſe, non teſtimoniis crediturum.* Quia, ut ibidem ſubjungitur, *Alia eſt authoritas præſentium teſtium, alia teſtimoniorum, quæ recitari ſolent.* Hæc ibi.

321 Quæritur II. Quid juris, ſi teſtes hinc inde producti videantur inter ſe contrarii? Reſp. I. Ad Officium Iudicis cum primis pertinet, teſtes ejuſmodi, ſi poſſibile eſt, inter ſe conciliare, & ita interpretari eorum dicta, ut vel non contradicant, vel de diverſis actibus depoſuiſſe cenſeantur. Ita Gloſſa *cap. In noſtra 32. ℣. adverſa h. t.* ubi magiſterialiter declarans materiam de contrarietate teſtium, rectè inter alia datam Concluſionem intelligit, ſive teſtes ab una parte, ſive ex utraque producti inter ſe diſſideant, ac diverſa deponant. Abbas *citat. cap. In noſtra, num. 4.* & Barboſa *ibidem num. 14.* Rota apud Bichium *Deciſ. 503. num. 9* & alia Rota *in Elboren. Penſion.* *7. Junii 1627. coram R. D. Ubaldo.* Pirhing. *b. t. n. 152.* Farinacius *de teſtibus, quæſt. 65. num. 37. & ſeqq.* allegans plurimos alios, & communem. Ratio eſt: *quia dicta in meliorem partem interpretari debent*, per textum vulgatum *in cap. Eſtote de reg. Juris.* Simulque, quia nemo præſumitur eſſe perjurus, ſi verba ipſius quoquo modo in partem meliorem trahi poſſint; ergo, ſi teſtes prima fronte contrarii appareant, prius Iudex, ſi fieri poterit, eos concordare ſtudebit, ne alioquin quidam eorum perjurii eſſe convincantur. Idipſum patet ex *cap. cum tu 16. h. t.* ubi idcircò Pontifex *dicta teſtium benignè interpretatur, ne perjurii reatu notentur: quia utrumque* (inquit) *eſſe potuit.* Idem fit *cap. In præſentia 8. §. Quare de prob.* & alibi.

322 Reſp. II. Si duo duntaxat teſtes ex una parte producti fuerint, & ſibi manifeſtè contradicant, certum eſt, eos nihil probare: quia unus enervat dictum alterius, nec conſtat, quis eorum veritatem dixerit. Secùs eſt, quando multi ab eadem parte teſtes producuntur, quorum plures inter ſe concordant; aliqui verò, ſed pauciores, ab eis diſcordant: valet enim, cæteris paribus, teſtimonium plurium inter ſe concordantium; quamvis negari non poſſit, ex tali quorundam contradictione, ſi hat circa ſubſtantiam negotii, ſeu qualitates intrinſecas, aliorum teſtium concordantium fidem debilitari, ita ut minùs probent. Ita Gloſſa magiſterialis *c. c. In noſtra ℣. adverſa* & Abbas *ib. n. 3. h. t.* Pirhing. *eod. n. 145.* Farinacius *de teſtib. q. 65. n. 2. & ſeqq.* allegans alios. Quamquam notanter addatur, *cæteris paribus valet teſtimonium plurium &c.* Quia non ad ſolam teſtium multitudinem reſpicere oportet, ſed etiam, an cætera ſint paria, conſiderando videlicet eorum qualitatem, & quorum dictis potius affulgeat lux veritatis; ſeu qui veriſimiliora deponant: prout obſervat Pontifex *in c. c. In noſtra 32. h. t.*

323 Et conformiter dictis reſolvendum eſt illud dubium, quid videlicet agendum ſit, ſi duo teſtes conteſtes ab eadem parte producti allegent tertium conteſtem, iſte tertius verò negat ſe interfuiſſe, vel aliquid ſcire, aut recordari talis facti. Standum quippe eſt teſtimonio duorum teſtium concordantium, cæteroquin tamen habilium tum quia ſunt numero plures, ſicque procedunt proximè dicta. Tum quia magis credendum eſt duobus teſtibus affirmantibus, quam centum negantibus; ut inquit Innoc. *c. cum ſuper. de renunc.* Abbas *c. cum in tua n. 2. de teſtibus*, & Io: Andreas *c. cum Joannes n. 8. de Fide Inſtr.* addita ea ratione: quia poſſibile eſt, quod ubi etiam plures ſunt præſentes, duo tantum ad id, quod agitur, ſint attenti, cæteris non advertentibus, vel non curantibus, aut poſteà non ampliùs recordantibus; & hinc aptius & naturalius eſt teſtimonium affirmantium, præſertim ſi plures ſint, bonæque fidei, quam negantium. Nec obſtat, quod Abbas *loc. cit.* aſſerat, dictum illud *Magis credendum eſt duobus affirmantibus, quam centum negantibus*, ſolum procedere, quando negativa non eſt coarctata, utpote quæ verè probari non poteſt: ſecùs, ſi eſt coarctata; cum hæc ſaltem indirectè probari poſſit. Non obſtat: inquam: quia ratio allata ex Io. Andrea, etiam urget in negativa coarctata: niſi forſan probetur, vel aliunde conſtet, teſtes fuiſſe ad omnia attentos, riteque omnium recordari, præſertim loquendo de factis recentibus. Deinde in caſu poſito tertius ille, negans ſe interfuiſſe, aut aliquid ſcire, eſt unicus teſtis, atqui *nulla Lex unius teſtimonio etiam idoneo quempiam condemnat, vel juſtificat*, ut dicitur *can. Admonere te 33. qu. 2. & cap. Licet univerſis 23. h. t.* ergo. His adde dicenda inferius *Tit. 22. de Fide inſtrumentorum, §. 10. nu. 296. & ſeq.*

324 Reſp. III. Quod ſi manifeſta contrarietas ſit inter teſtes



ſtes hinc inde productos, ex parte Actoris videlicet ac rei tunc ſi teſtes utrinque producti ejuſdem ſint honeſtatis, atque exiſtimationis, præferuntur numero plures: ſi vero teſtes ex una parte producti tantæ præeminentiæ fuerint, quod eorum authoritas meritò ſit præferenda aliorum numero, tunc prævalent digniores, & veriſimiliora deponentes. Ita expreſſum habetur *in d. c. in noſtra h. t.* juncta Gl. *ib. In caſu*, rectè notante, quod non ſemper Judex debeat ſe referre ad multitudinem teſtium, ſed potiùs ad eorum honeſtatem & opinionem, & qui veriſimiliora dicant; puta, juri conſona, vel aptiora negotio.

325 Reſp. IV. Si vero teſtes ex utraque parte producti omnino pares exiſtant, & deponant contraria, tunc pro reo fertur ſententia: niſi forſan Actor foveat cauſam favorabilem, ſtantem videlicet pro matrimonio, libertate, dote, aut teſtamento. Ita textus clarus *in c. Ex litteris 3. de prob.* ibi: *Quod ſi ambarum partium teſtes ſint æque idonei, poſſeſſoris teſtes præferentur; cum promptiora ſint jura ad ſolvendum, quam ad condemnandum: præterquam in liberali cauſa*: id eſt *in cauſa favorabili, puta, matrimonio, libertate, dote, aut teſtamento*, prout explicatur *c. ult. de Sent. & re judicat.* Unde verſus, apud Gloſſam ibidem relati.

*Stat Teſtamentum, Libertas, Conjugium, Dos;*
*Si ſint æquales, qui producuntur utrinque.*

326 Quæritur III. An probet teſtis ſibi ipſi contrarius, vel potius ſit puniendus? Reſp. I. Certum eſt, ſi unus idemque teſtis ſibimetipſi expreſſè contradicat in ſua depoſitione judiciali, non valere ejus teſtimonium: niſi forſan hoc fecerit incontinenti corrigendo dictum ſuum, nam tunc ſtatur dicto poſteriori, utpote prius corrigenti. Ita communis Doctorum. Et quidem prima pars habetur *can. Nihilominus 3. q. 6. & can. Quod autem 23. q. 7. & c. Sollicitudinem 54. in fin. de appel.* ibi: *Non eſt tanquam adverſa petens, & ſibi contrarius audiendus*, cum concordantiis. Atque idcircò *in c. Licet cauſam 6. §. quamquam de prob.* multi Faventinorum teſtes reprobantur, cum ſibimet in ſerie ſui teſtimonii contradicant. Accedit, quod non ſit major ratio, cur uni potiùs, quam alteri dicto talis teſtis ſibi contrarii credatur. Imò ex manifeſta illa contrarietate redditur teſtis ſuſpectus, atque perjurus; cum juraverit dicere veritatem; & contraria non poſſint eſſe vera.

327 Altera vero pars habetur expreſſa in *c. præterea de teſt. cogend.* ibi: *Quorum teſtium teſtimonia, ſi quandoque non ſtudioſè, ſed in proferendo erraverint, & ſe incontinenti correxerint, reprobari non debent*: & conſequenter ſtatur poſteriori eorum dicto Ubi Gl. ly *Incontinenti*, explicat, *id eſt, in eadem inſtantia judicii, antequam loquatur partibus, vel antequam recedatur à præſentia judicis: quia poſteà ſubornatus præſumitur.* Vel certè juxta Hoſtienſem, & Gloſſam marginalem *ib.* id arbitrio judicis erit relinquendum, ut conſiderata qualitate perſonæ, quantitate intervalli, colloquio partium, & reliquis circumſtantiis correctionem admittat, vel non. Concordant dicta ſuperius *tit. 18. de Confeſſis §. 3. n. 78. & 79.*

328 Reſp. II. Inſuper teſtis in judicio contraria deponens, eſt competenter puniendus de falſo. Ita textus expreſſus *in l. qui falſo ff. h. t.* Quæ eſt canonizata *in can. Si teſtes 4. q. 3.* quo utroque in loco ſic legitur: *Qui falsò, aut variè teſtimonia dixerunt, vel utrique parti prodiderunt, à judicibus competenter puniantur*: videlicet pœna *Legis Corneliæ de Falſis*, ut explicat Gl. *fin. in cit. l. qui falſo*; & ſequitur Farinacius *d. q. 66. n. 56.* allegans alios; quamquam circa finem *cit. n. 56.* moneat, quod hodie pœna Falſi ſit arbitraria. Porrò ſecundum Canones, teſtis ille de commiſſo perjurio deberet agere pœnitentiam ſeptem annorum, *can. quicunque 6. q. 1.* ac notat Gloſſa *c. Sicut nobis 9. ℣. perjurio h. t.*

329 Excipe tamen hinc teſtem ſibi varium, & contrarium per errorem, ſeu ignorantiam; ut putà, ſi per oblivionem aliquid dixit, & poſteà ſe corrigat, aut ab alio meliùs informari patiatur. Talis enim non eſt puniendus; ut notat Farinacius *loc. cit. n. 33. 34. & 35.* allegans alios. Idemque dicendum, ſi unum dixit in judicio, & contrarium ejus extra judicium: quia teſtis deponens falſum extra judicium, non punitur de falſo. Farinacius *ib. nu. 83.* allegans communem; quamvis tanquam mendax leviter puniatur arbitrio Judicis, pro facti & perſonæ qualitate. Covarruvias *c. quamvis p. 1. §. 7. n. 5. propè med. de Pactis in 6.* Menochius *de arbitr. Judic. lib. 2. caſ. 312. nu. 3.* Farinacius *n. 84.* & alii.

330 Quæritur IV. Utrum aliquid probet teſtis varians in judicio, & quod dictum ejus valeat? Reſp. I. Quando teſtis in diverſis judiciis (putà, ſummario, & ordinario) vel in diverſis inſtantiis ejuſdem judicii, ſuper eodem facto contraria deponit, ordinariè ſtatur primæ ejus depoſitioni juratæ. Ita Abbas *c. cum in tua, n. 9.* & Felinus *ib. num. 4. h. t.* Menochius *de Arbitr. Jud. lib. 2. caſ. 108. num. 10.* Farinacius *q. 66. n. 124. & ſeqq.* citans plurimos alios. Pirhing *h. t. num. 158. & 160.* aſſerens poſt Mynſinger *Cent. 2. obſervat. 86.* ita ſervare praxin Cameræ Imperialis. Ratio eſt: quia, ut *l. Generaliter. C. de non numerat. pecun. & c. per tuas. de probat.* expreſſum legitur: *Nimis indignum eſt, ut quod ſua quiſque voce dilucidè proteſtatus eſt, in eundem caſum proprio valeat teſtimonio infirmare.* Accedit ratio: tum quia non debet eſſe in poteſtate teſtis, per falſi machinationem tollere jus jam quæſitum parti, pro qua prius depoſuit. Tum quia teſti perjuro non creditur: atqui conſitens, ſe prius jurato falſum dixiſſe, fatetur ſe perjurum; ergo ei non eſt credendum poſt talem confeſſionem. Hinc *c. Sicut nobis 9 h. t.* non creditur teſtibus (niſi in proprium eorum præjudicium, ſeu ad injungendam ipſis pœnitentiam) qui aſſerebant, ſe corruptos teſtimonium perhibuiſſe falſitati: ſed vult Papa, ut ſuper hoc diligenter inquiratur, & ſi probetur corruptionis veritas, tunc primum ſententia retractetur.

331 Additur tamen in Concluſione, *ordinariè ſtatur primæ &c.* Fallit enim iſtud primò, ſi quis ex intervallo dictum ſuum corrigere vult, allegando errorem facti, eumque probando: eritque talis extra pœnam falſi, & ultimum dictum habebitur validum, & legitimum. Gl. in *c. ult. ℣. Juſta cauſa. de jureiur. in 6.* Zoeſius *h. t. num. 41.* Siquidem error facti, ſi probetur ante negotium finitum, excuſat; prout habetur *c. Ex parte 3. de Confeſſis.* Et meritò, *cum nullus ſit errantis conſenſus*, per textum *in l. Non idcircò C. de juris & facti ignorant.* Unde etiam talis error excuſat quempiam à culpa, & reddit eum innocentem, *cap. ult.* juncta Gloſſa *℣. juſta cauſa, de jurejurand. in 6.*

332 Fallit deinde, quando poſterius dictum judiciale teſtis eſt magis veriſimile, quam primum. Item quando ſecundum eſt adminiculatum redditione alicujus rationis concludentis, vel aliis conjecturis, ſeu præſumptionibus: quia tunc attenditur ſecundum, & non primum. Tyndarus *Tom. 4. Tractatuum, tract. de Teſtibus, lib. 1. cap. 12. num. 5. & cap. 14. num. 1.* Farinacius *citat. quæſt. 66. numer. 150. & 151.* allegans alios. Idque deſumitur ex *cap. Litteras 14. de præſumpt.* ubi poſterius dictum judiciale, quadam præſumptione adminiculatum, præfertur priori. Et *cap. per tuas 12. de probation.* ubi confeſſio extrajudicialis, gravibus præſumptionibus munita, præfertur Juramento judiciali. Et *cap. cum cauſam 37. hoc tit.* ubi teſtes jubentur diligenter examinari de ſingulis circumſtantiis; ſicque dicta illorum, qui magis veriſimilia deponunt, meritò præferenda cenſentur.

333 Fallit tertiò in cauſa Hæreſis: ſiquidem teſtis ſuper facto hæreſis anteà falſum deponens, ſi poſteà velit corrigere dictum ſuum, & veritatem dicere, ſive contra ſe, ſive contra ſuos complices deponendo, non obſtante, quod ſit perjurus, auditur & probat: dum tamen ex aliis indiciis apparuerit, talem non animi levitate, odio, vel corruptione, ſed Zelo veræ Fidei velle dictum ſuum corrigere, ac quæ prius pejerando celaverat, revelare. Idque ob favorem fidei ſtatutum habetur *c. accuſatus §. Licet de Hæret. in 5.* ac notat Felinus *c. cum in tua n. 6. h. t.* Covarruvias *lib. 2. var. reſ. c. 13. n. 9* Pirhing. *h. tit. num. 159. in fin.* Farinacius *d. quæſt. 66. num. 157.* allegans alios.

334 Fallit ulterius, quando teſtis primum dictum depoſuit ſine juramento, & poſteà ſecundum dictum contrarium deponat cum juramento. Quia tunc attenditur dictum juratum, etſi ſit poſterius; cum præſumatur magis præmeditatum, & ratione annexi juramenti veritati conſonum; nam ideò teſtes compelluntur jurare, ut timore Dei, ac reverentia juramenti, verum dicere cogantur, *cap. de teſtibus 29. h. t.* Tyndarus

darus *cit. tract. de teſtib. lib. 1. cap. 11. num.* 1. & 2. Farinac. *loc. cit. num.* 148. allegans alios, & quaſdam alias fallentias ſubjungens.

335 Reſp. II. Si Teſtis ſub juramento depoſuit unum in judicio, ſed contrarium ejus vel jam anteà dixerat extra judicium, vel poſteà extra iſtud dicat, etiam expreſſè fatendo, quod falſum in judicio dixerit; nihilominus ſtandum eſt dicto judiciali, niſi contrarium aliunde probetur. Ita Abbas *c. per tuas n. 11. de prob.* Tyndarus *cit. tr. de teſtib. lib. 2. c. 2.* Menochius *de arbitr. Judic. lib. 2. caſ.* 108. *n.* 19. Farinacius *d. q. 66. num.* 200. Maranta *p. 6. Speculi Aurei tit. de Confeſſione n.* 11. dicens, quod non probet confeſſio Teſtis, extra judicium aſſerentis, ſe falſum depoſuiſe in judicio, quia non per hoc tollitur ejus depoſitio. Gabriel. *de Maleſ. lib. 7. concl.* 31. ubi ampliationes, & limitationes. Pirhing. *h. t. n.* 161. & alii ab his citati: Idque deſumitur ex *c. Sicut nobis 9. h. t.* ubi non creditur teſtibus aſſerentibus extra judicium, quod corrupti falſum in judicio teſtimonium dixerint (*Cùm perjurii ſint*, ut loquitur textus) niſi in eorum præjudicium; ſive ad injungendam ipſis pœnitentiam; & niſi aliunde contrarium probetur.

336 Accedit alia ratio; quia Teſtimonium judiciale ob juramenti Religionem, Judicíſque præſentis authoritatem eſt magis qualificatum, & deliberatum; ſicque meritò præfertur ſimplici dicto extrajudiciali. Quinimò non raro contingit, quod extra judicium quis dicat Falſum, ut complaceat partibus; in judicio autem propter Religionem juramenti verum dicat, quia igitur iſtud ad hoc defertur, ut timore juramenti Teſtes cogantur dicere veritatem, ſimulque nemo præſumitur eſſe immemor ſuæ ſalutis, potius ſtatur dicto judiciali jurato, quam alii; prout argumentatur Abbas in *c. per tuas, num.* 11. *de probation.*

337 Objicies contra hanc Concluſionem. In *c. per tuas 10. de probat.* potiùs creditur priori dicto extrajudiciali mulieris, aſſerentis, quod filium ſuſceperit ex proprio marito, quam ejus juramento judiciali in contrarium poſteà præſtito; ergo prius dictum extrajudiciale præponderat poſteriori dicto judiciali, etiam jurato. Reſp. hunc caſum eſſe unum ex fallentiis datæ Concluſionis, quæ quidem regulariter procedit, patitur tamen & ipſa ſuas fallentias. Ideò autem ibidem credebatur potius priori dicto extrajudiciali memoratæ mulieris, quia cum ipſo concurrebat communis exiſtimatio populi, ſimul & nominatio & tractatus ipſiuſmet mulieris, quo alterum tractabat ad modum legitimi filii: unde meritò ſubſequens juramentum in contrarium reddebatur ſuſpectum, ac nihil probabat, uti notat Abbas *cit. cap. per tuas, num.* 9.

338 Urgebis, aſſerendo rationem ibidem à Pontifice allatam: *Nimis indignum eſt, ut quod ſuâ quiſque voce dilucidè proteſtatus eſt, in eundem caſum proprio valeat teſtimonio infirmare*; ergo. Reſp. hoc imprimis verificari de teſtimonio judiciali jurato, juxta dicta *n.* 330. Deinde loquendo de teſtimonio extrajudiciali, de quo ibidem eſt ſermo, reſpondetur, idipſum pariter procedere, quando quis *dilucidè*, ſeu concurrentibus tam gravibus adminiculis, ut ſuprà, quidpiam extrajudicialiter proteſtatus eſt: alias ſecùs. Vel dic cum Abbate *loc. cit. n.* 11. datam rationem procedere, quando quis negat in facto proprio, ſeu quaſi proprio, & præſumitur appetere, ſeu horrere aliquid, prout ibidem accidit: nam tunc obeſt ſibi confeſſio propria extrajudicialis anteà facta, & negatio judicialis ſequens redditur ſuſpecta; quia præſumitur facta ratione emolumenti inde ſperati. Secùs autem dicendum, quando quis aſſumitur teſtis in facto alieno, unde nullum ſibi ſperare poteſt commodum eventurum: durum enim eſſet, quod quis ex ſimplici aſſertione extrajudiciali poſſit præcludere viam veritatis indagandæ in judicio.

339 Objicies ulteriùs In *l. eos qui ff. ad Leg. Cornel. de Falſ.* dicitur, *Eos qui diverſa inter ſe teſtimonia præbuerunt, quaſi falſum fecerint, eſſe puniendos*; ergo neque primum, neque ſecundum dictum teſtis variantis valet, quia eſt convictus de falſo, atque ut talis puniendus. Reſp. neg. conſeq. Ibi quippe ſermo eſt de duobus contrariis teſtimoniis datis in judicio, prout liquet ex Summario: in quo caſu non credi ſecundæ depoſitioni, cum fiat à convicto de falſo, ultrò eſt fatendum, conformiter dictis ſuprà *n.* 330. Inde tamen nihil infertur contra ultimam Concluſionem.

Reſp. III. Licèt prima depoſitio jurata, & judicialis, per ſecundam contrariam totaliter revocari non poſſit, ut dictum *n.* 330. nihilominùs prima depoſitio per ſecundam judicialem contrariam debilitatur, ac redditur plurimum ſuſpecta, & Judex ex circumſtantiis, aliiſque indiciis diſcernere debebit, an, & quanta ei fides ſit adhibenda. Ita Abbas *in c. per tuas num. 11. de prob. & cap. cum in tua num.* 9. & Felinum *ib. num. 4. h. t.* Tyndarus *cit. lib. 1. c. 14. n.* 3. Engel. *h. t. n.* 56. Farinacius *d. q. 66. n.* 164. allegans alios. Idque deſumitur imprimis ex *c. præterea de teſtibus cogend.* Accedit textus in *c. Sicut nobis 9. h. t.* ubi teſtibus *privatim*, ſeu extrajudicialiter dicentibus, ſe corruptos dediſſe falſum teſtimonium; præter pœnitentiam eis injungendam, jubetur veritas diligenter inquiri: & conſequenter eorum teſtimonium judiciale debilitabatur, ſeu ſuſpectum reddebatur per contrarium dictum ipſorum ſubſequens, licet fuerit duntaxat extrajudiciale. Idem ergo, & quidem à fortiori, dicendum de ſecundo dicto judiciali, quando eſt varium, ſeu contrarium priori judiciali. 340

Addit Covarruvias *lib. 2. var. reſ. c. 13. num.* 7. poſt Aretinum *conſ. 71. col.* 4. Alexandrum *conſ. 63. lib.* 1. & alios, vacillaturam quoque fidem teſtis, & arbitrio Judicis fore diminuendam, quando is extra judicium etiam abſque juramento reſponderit contraria his, quæ jam ſolemniter in judicio dixerat. Non enim (inquit) quiſpiam inficiari poterit, hunc teſtem ſaltem eſſe mendacem, & varium, ſicque fidei ſatis dubiæ; & ideò cautè cum eo eſt agendum, & Judex diſcretus arbitrabitur, quantam fidem mereatur, attenta negotii, perſonarum, & temporis qualitate. Accedit caſus proximè relatus ex *cit. c. Sicut nobis h. t.* 341

## §. XI.

## De Teſtibus, de credulitate, & auditu auditus.

*SUMMARIUM.*

342 *Teſtes de ſcientia, qui?*
343 *Tales ordinariè requiruntur.*
*Teſtes tenentur reddere cauſam ſcientiæ, ſeu teſtimonii ſui. Ibid.*
344 *Teſtes de credulitate, qui?*
*Hi propriè non dicuntur teſtes. Et n. ſeqq.*
*Et ſententia lata per dicta teſtium de credulitate, nunquam tranſit in rem judicatam. Num.* 344.
345 *Credulitas non poteſt ſtare cum ſcientia.*
*Scientia de illis, quæ ſunt facti, unde capiatur. Ib.*
346 *Teſtes ex auditu auditus, ſive ex auditu alieno, qui?*
347 *Non dicuntur verè, ac propriè teſtes; & cur?*
348 *Regula eſt, quod teſtes de credulitate non probent.*
349 *Fallit tamen in pluribus caſibus. Et n. ſeqq.*
350 *Ut, quando credulitas eſt proxima ſenſui.*
351 *Sive, quando teſtis de credulitate ſufficientem reddit rationem credulitatis ſuæ.*
352 *Item fallit in iis, quæ ſunt difficilis probationis.*
353 *Admittuntur quoque teſtes de credulitate ad probandam hominis innocentiam.*
*Sicut & in Purgatione canonica. Ib.*
354 *Teſtes deponentes per verbum* Credo *de iis, quæ conſiſtunt in peritia artis, probant: ut Medici, Obſtetrices &c.*
*Niſi debeant deponere de rebus ſenſu corporeo perceptibilibus. Ib.*
355 *Teſtes de credulitate probant contra producentem.*
356 *Sicut & confeſſio de credulitate probant contra confitentem.*
357 *Teſtis primò deponens de veritate, & poſteà dicens ſe illud credere, probat.*
358 *Teſtes de credulitate faciunt indicium efficaciſſimum; & quando?*
359 *Teſtimonium de credulitate admittitur in omnibus illis caſibus, in quibus admittitur teſtimonium de auditu alieno.*
360 *Regula eſt, quod teſtimonium de auditu alieno non valeat.*
361 *Etiamſi fama concurrat, ſine aliis tamen adminiculis.*
*Dictum unius facilè ſequitur multitudo. Ib.*
362 *Idque vel maximè procedit in delictis.*
363 *Notabilis caſus quoad propoſitum refertur.*
364 *Regula prædicta fallit in pluribus caſibus. Et n. ſeqq.*
*Teſtimonium de auditu proprio quoad res auditu perceptibiles, valet. Ib.*
365 *Teſtes etiam de auditu alieno probant in factis antiquis.*
366 *Antiquum, & tempus antiquum, quod dicatur?*
*Referuntur variæ circa hoc Doctorum ſententiæ. Ibid.*
367 *Teſtis de auditu alieno probat contra producentem.*
368 *Et quando agitur ad defenſionem rei.*
*Ac in aliis cauſis, in quibus modica ſcientia fidem facit. Ibid.*
369 *Atque in illis, quæ ſunt difficilis probationis.*
370 *Teſtes de auditu alieno faciunt præſumptionem.*
371 *Imò accedentibus aliis adminiculis etiam plenam probationem.*
372 *Proximè dicta procedunt, quando illi, à quibus teſtis audivit, jam ſunt mortui, vel ſaltem longè abſentes: aliàs ſecùs.*
373 *Conſanguinitas, & affinitas, etiam contra valorem matrimonii, olim probabatur per teſtes ex auditu alieno.*
374 *Hodie tamen iſtud non nihil eſt correctum & cur?*
*Ut de factò poſſint recipi teſtes de auditu alieno ſuper cauſis matrimonialibus, requiruntur duodecim conditiones. Ib. & n. ſeqq.*
375 *I. Ut teſtes illi ſint perſonæ graves.*
376 *II. Et ante litem motam teſtificata didicerint.*
377 *III. Et quidem ab antiquioribus ſuis.*
378 *IV. Nec ab uno tantùm, ſed pluribus.*
379 *V. Et quidem non infamibus & ſuſpectis; ſed fide dignis &c.*
380 *VI. Atque deponat cum proprio juramento.*
381 *VII. Et ad ferendum teſtimonium odio, amore &c. non procedant.*
*VIII. Teſteſque illi debent perſonas expreſſis nominibus, vel circumlocutione ſufficienti exprimere, ib.*
*IX. Et ab utroque latere ſingulos gradus clarè diſtinguere. Ib.*
382 *X. Et in ſuo juramento concludere, ſe accepiſſe à majoribus, quod deponunt.*
*XI. Et ſe credere, ita eſſe. Ib.*
383 *XII. Ac ſe vidiſſe, perſonas pro conſanguineis ſe habere.*



342 Quæritur I. Qui dicantur Teſtes de ſcientia, de credulitate, & de auditu? Reſp. I. *teſtes de ſcientia* dicuntur illi, qui deponunt, ſe ſcire rem ita geſtam eſſe, eo quod proprio ſenſu corporeo, v. g. viſu, vel auditu eam perceperint; putà, viderint Titium à Caio eſſe occiſum, audierint eum blaſphemantem, & hujuſmodi. *Scire* enim in propoſito illud dicimus, ad quod movemur per ſenſus: & hæc eſt ſcientia, quæ requiritur in teſte, ut inquit Abbas *c. Litteras n. 12. de Jurejur.* Idque patet ex *can. Hortamur. 3. q. 9.* & melius ex *can. Teſtes ead. cauſ. 3. q. 9.* ubi dicitur: Teſtes per ſcripturam teſtimonium non proferant, ſed præſentes de his, quæ noverunt, & viderunt, veraciter teſtimonium dicant: nec de aliis cauſis, vel negotiis dicant teſtimonium, niſi quæ ſub præſentia eorum acta eſſe cognoſcuntur. Concordat textus *in l. Teſtium C. de Teſtibus.* Juncta Gl. marginali *ib.* rectè notante, quod teſtis debeat reddere rationem dicti ſui per ſenſum corporeum, puta, per viſum, vel auditum, quibus communiter res geſtæ percipiuntur; aut loquendo de iis, quæ guſtu, odoratu, vel tactu percipiuntur, per ſenſum illis proportionatum.

343 Et tales dicuntur *Teſtes de propria ſcientia*, quales ordinariè requiruntur ad facti probationem: quia non poſſunt teſtes eſſe certi de facto externo, & ſenſu perceptibili, niſi per aliquem ſenſum corporeum. Unde fit, quod teſtes teneantur reddere cauſam ſcientiæ, ſeu teſtimonii ſui, quando deſuper interrogantur, prout à Judice interrogari debent, *c. cum cauſam 37.* juncta Gl. ℣. *De cauſis h. t.* Adeò, quod alioquin dictum ejus non valeret, *c. Sicut nobis 16. de Sent. & re jud.* ac notat Gloſſa *ib.* ℣. *De cauſis.* & communis Doctorum.

Reſp. II. *Teſtes de credulitate* dicuntur, qui jurati deponunt, ſe credere, rem ita ſe habere. Et tales propriè non dicuntur teſtes, ſed tantum impropriè; ut inquit Gl. *in L. 2. §. pen. ℣. Audierint ff. de Aqua pluvia arcend.* Farin. *de Teſtib. 68. n.* 62. & Iaſon *in rubr. ff. de Jurejur. n.* 11. citans alios. Ubi proinde poſt Ant. de Butrio *in c. propoſuiſti de prob.* & Lud. Romanum *conſ. 228. ad fin.* & Alexandrum de Imola *in l. Si ab hoſtibus ff. ſoluto matr.* notanter infert, quod ſententia lata per dictum teſtium de credulitate, nunquam tranſeat in rem judicatam; ſed cognita veritate per alios teſtes melius deponentes, ſemper poſſit retractari. 344

Porro, quod teſtes de credulitate non dicantur propriè teſtes, vel ex eo patet. Quia credulitas concipitur ex variis argumentis, indiciis, & præſumptionibus, ut inquit Abbas *c. Litteras n. 12. de præſ.* ergo hoc ipſo non poteſt ſtare cum ſcientia (qualis requiritur in teſte propriè dicto, per Jura *n.* 342. allegata) ſed ineſt ipſis quondam diſſidium. Scientia enim de illis, quæ ſunt facti, tunc habetur, quando eam capimus per proprium ſenſum, putà, videndo, audiendo, guſtando &c. Credulitas autem ex conjecturis dimanat: & ſic ibi non eſt verè ſcientia, ſicque nec teſtis propriè dictus. Maſcardus *de prob. Concl. 459. n. 2. & ſeqq.* 345

Reſp. III. *Teſtes ex auditu auditus*, ſive (ut alii loquuntur) *ex auditu alieno*, vocantur illi, qui jurati deponunt, ſe ita audiviſſe narrari à viris fide dignis. Nam, ut notat Gl. *in can. Hoc videtur 22. q. 5. ℣. Indicavit.* teſtimonium de auditu propriè eſt, cum quis audivit aliquid dici eſſe factum. 346

Porrò Teſtes de auditu alieno, pariter non dicuntur verè ac propriè teſtes; prout notat Gloſſa *l. in ſumma. ℣. audierint ff. de Aqua pluvial. arcend.* Abbas *c. tam litteris n. 5.* & Felinus *ib. n. 2. h. t.* Farinacius *q. 69. n.* 7. citans alios. Et ratio eſt: quia teſtis debet deponere de eo, quod geſtum eſt, vel dictum in ſua præſentia, *cit. can. Teſtes 3. q. 9.* Tales autem non ſunt teſtes ex auditu auditus, uti patet. Et hinc *in c. Licèt ex quadam 47. h. t.* teſtes de auditu dicuntur *teſtes præter communem formam*: de quibus proinde etiam procedunt dicta *n.* 344. nempe, quod ſententia ex eorum dictis lata, non tranſeat in rem judicatam. 347

Quæritur II. Utrum teſtes de credulitate ſint admittendi; & aliquid probent? Reſp. I. Regula eſt negativa, videlicet eos non eſſe admittendos, nec probare. Ita Gl. *c. quoties ℣. credere* & Felinus *ib. n. 7. ℣. eſt enim regulariter h. t.* & alia Gl. *l. teſtium ℣. præſto c. eod.* Speculator *tit. de Teſte §. 1. n.* 58. Socinus *de Fallentiis reg.* 407. Farinac. *loc. cit. q. 68. n.* 62. & Doctores communiter. Ratio eſt: quia teſtis de credulitate nihil certi videtur affirmare: quinimò credulitas dimanat ſolùm ex conjecturis, ac præſumptionibus; ac proinde ibi non datur vera ſcientia, virtute cujus quis poſſit aliquid certi affirmare. Atqui teſtes, ut probent, debent deponere de eo, quod viderunt, ſeu proprio corporeo ſenſu perceperunt, ſicque ſciunt, *can. Teſtes 3. q. 9. & l. teſtium C. h. t.* ergo Accedit, quod teſtis de credulitate non ſit propriè teſtis, ut proximè dictum: quinimò ſtrictè loquendo, *ſcire*, & *credere*, non poſſunt ſuper eodem facto concurrere. Abbas *d. c. quoties n. 6. h. t.* Quamvis illicò rectè moneat, quod verba teſtium rudium, qui non capiunt iſtas ſubtilitates, & ſæpè dicunt, ſe credere illud, quod ſciunt, ſint largo modo capienda, ut valeat eorum teſtimonium. 348

Reſp. II. Etſi data Concluſio contineat regulam, procedatque regulariter; dantur nihilominùs plures caſus, in quibus neceſſitate ſic ſuadente admittuntur teſtes de credulitate. Ita Speculator *Tit. de teſte §. 1. n.* 58. Socinus *cit. reg.* 407. Jaſon *ad rubr. ff. de Jurejur. n. 4. & ſeqq.* octo limitationes dictæ regulæ referens. Farinacius *cit. q. 68. n. 74. & ſeqq.* octodecim tales limitationes adducens, & communis; idque probatur inductione. 349

Sic imprimis, quando credulitas eſt proxima ſententia ſenſui quem percipitur veritas, tunc valet tale teſtimonium: ſecùs, quando eſt remota à ſenſu. Abbas *cit. c. quoties n. 6. h. t.* Maſcardus *de prob. concl. 459. n.* 12. Farinacius *cit. quæſt. 68. num.* 92. allegans alios. Exemplum 350

plum

plum prioris eſt: ſi teſtis dicat, ſe vidiſſe ſolum cum ſola, vel nudum cum nuda in eodem loco, ſicque credere, quod commiſerint adulterium: talis enim teſtis, utpote in materia difficilis cæteroquin probationis atteſtans de præſumptione tam violenta, ſeu deponens ex credulitate proxima ſenſui, probat; ut *c. præterea 27. h. t.* ſecùs foret, ſi ſolum vidiſſet eos ſimul confabulantes; quia inde non rectè probaretur adulterium ex credulitate ſua.

351 Hoc ipſum, ſed ſub aliis terminis, tradent Farinacius *cit. q. 68. n. 74.* & Maſcardus *d. concl. 459. n. 11* cum aliis dicentes, quod teſtis de credulitate probet, quando ſufficientem reddit rationem credulitatis ſuæ: prout accidit in allato exemplo de eo, qui vidit nudum cum nuda, ſicque credit ipſos peccaſſe carnaliter. Idemque dicendum quando concurrunt alia adminicula, & præſumptiones ad ſic credendum: nam inſufficiens probatio fit ſufficiens ex præſumptionibus, conjecturis, aliiſque adminiculis *arg. c. cum cauſam 13* juncta Gloſſa *fin. de prob. & l. Inſtrumenta cap. eod.* cum ſimilibus. Præſertim, quando accedit præſumptio juris, Farinacius *loc. cit. nu. 40.* poſt Rotam *in una Cluſin. penſion. coram Blanchetto, die 9. Decemb. 1574.* & alios.

352 Deinde data Regula non procedit in iis, quæ ſunt difficilis probationis, ut eſt probatio filiationis, ac hujuſmodi: nam in talibus teſtis deponens per verbum *Credo*, bene probat. Jaſon *ad rubr. ff. de Jurejur. n. 5* poſt Bartolum *in L. 2. §. penul. ff. de Aqua pluvial. arcend.* Alexander *conſil. 24. n. 6. & 20. lib. 2.* Farinacius *loc. cit. n. 81. & ſeqq.* allegans alios.

353 Tertiò admittuntur teſtes de credulitate ad probandam hominis innocentiam, v. g. quod quis hominem occiderit ob neceſſariam ſui defenſionem. Jaſon *loc. cit. n. 7.* Farinacius *n. 77.* Pirhing *h. t. n. 135.* & alii. Siquidem innocentia hominis non poteſt aliter, quam per præſumptiones, ac credulitatem probari. Et ob eandem rationem in purgatione canonica admittuntur ſeu jurant Compurgatores de credulitate *c. quoties & c. de teſtib. de purg. can.*

354 Quartò, quando teſtes per verbum *Credo* deponunt de iis, quæ conſiſtunt in peritia artis: ut fit in Medicis, Obſtetricibus, ac hujuſmodi. Tales enim probant Gl. *L. 1. ℣. Et duæ* & Bartolus *ib. ff. de Ventre inſpiciend.* Jaſon *ubi ſuprà n. 4.* Socinus *cit. Reg. 407. Fallent. 3.* Maſcard. *concl. 1370. n. 14.* Felinus *c. quoties n. 11. h. t.* Farinacius *d. q. 68. n. 95* & alii. Siquidem Periti in arte, utpote qui de rebus judicio duntaxat intellectus comprehenſibilibus deponunt, hoc ipſo non niſi de judicio & credulitate deponere valent. Aliud foret, ſi peritus in arte deponere debeat de rebus ſenſu corporeo perceptibilibus, putà, per inſpectionem ocularem: quia tunc tenetur jurare, & deponere non ſolum, quod ita credat, ſed etiam, quod ita ſit. Farinacius *cit. n. 95.* cum aliis.

355 Quintò, licèt teſtes deponentes de credulitate regulariter non probent contra illum, contra quem producuntur, ob dicta *n. 348.* probant tamen contra producentem, ſive contra eum, à quo producuntur: quia producens videtur dicta eorum ratificaſſe, ſeu approbaſſe per ſuam productionem. Jaſon *loc. cit. n. 9.* poſt Ludov. Romanum *conſ. 104. in fin.* Maranta *p. 6. Speculi Aurei tit. de Teſtium productione n. 16.* Maſcardus *d. concl. 1370. n. 18.* aſſerens, quod teſtis de credulitate contra producentem optimè probat. Farinacius *n. 75.* & alii.

356 Sextò teſtis, ſeu potiùs confeſſio de credulitate, probat contra confitentem, ſicut probat confeſſio de veritate. Abbas *c. quoties n. 8. h. t.* id probans ex *c. Ex litteris 32. de jurejur.* juncta Gloſſa *fin. ib.* dicente: quòd *æquè præjudicat confeſſio de credulitate, ſicut de veritate:* quia videlicet confitendo ex credulitate, quis approbat dictum ſuum. Idem tradit Tyndarus *cit. tract. de Teſtib. lib. 1. cap. 5. num. 14.* ubi ait, quod per verbum *Credo* inducitur confeſſio valida, & reſponſio poſitionibus, ſicut per verbum aſſertivum. Jaſon, *ubi ſupr. n. 10* Farinacius *n. 99.* & alii.

357 Septimò, quando teſtis primò deponit de veritate, ſeu quidplam affirmat de ſcientia facti, & poſteà dicit ſe illud credere: nam per hoc non evaneſcit prius ejus teſtimonium, neque teſtis ille dicitur ſibi contrarius, ſed bene probat. Felinus *c. quoties n. 8. h. t.* Jaſon *loc. cit. n. 6.* Maſcardus *d. concl. 1370. n. 17.* aſſerens, quod tunc illud verbum *credere*, exponatur pro certitudine, & veritate. Farinacius *cit. quæſt. 68. num. 102.* cum aliis.

358 Octavò, licèt teſtes de credulitate non inducant plenam probationem, nihilominùs ipſa faciunt indicium efficaciſſimum. Jaſon *loc. cit. n. 9.* citans Angelum *in conſ. 3* Maſcardus *loc. cit. n. 22.* Farinacius *n. 105.* & alii. Quod tamen intellige, quando teſtes congruam rationem aſſignant, unde reſultat tale indicium, vel præſumptio, prout explicat Socinus *in Fallentiis, reg. 429. fall. 1.* Alioquin enim, quamvis teſtis dicat, ſe pro certo credere, non facit præſumptionem; ut inquit Baldus *in l. Sive poſſidetis C. de prob.* & Jaſon *cit. n. 9.*

359 Tandem, ut nonnullæ aliæ limitationes, apud Authores proximè citatos videndæ, ſed cum præmiſſis multum convenientes, taceantur, teſtimonium de credulitate admittitur in omnibus illis caſibus, in quibus admittitur teſtimonium de auditu alieno. Speculator *t. de Teſte §. 1. n. 58.* Abbas *c. quoties n. 7. h. t.* Jaſon *ubi ſuprà, n. 10.* Farinacius *cit. q. 68. n. 100.* Maſcardus *d. concl. 1370. n. 19.* Socinus *cit. reg. 429. fall. 1.* & alii. Occaſione cujus

360 Quæritur III. An, & in quibus caſibus teſtes de auditu alieno, ſive auditu auditus probent? Reſp. I. Regula eſt, quod teſtimonium de auditu alieno non valeat. Ita Gloſſa *fin. c. quoties h. t.* Speculator *loc. cit. nu. 53.* Iſtud probans ex can. *Imprimis 2. q. 1. §. Sed & de perſonis & c. Licèt ex quadam 47. h. t.* ubi Abbas *n. 1.* Farinacius *de Teſtib. q. 69. n. 1.* & communis. Ratio eſt: quia teſtes de auditu alieno non fundantur ſuper principali facto, ſed ſuper dicto tertii. Atqui iſtud non ſufficit, quia teſtes tenentur deponere de ſua, non aliena Scientia; hoc eſt, de eo, quod per proprium ſenſum perceperunt, juxta textum *n. 342.* relatos.

361 Et hoc extende, etiamſi fama publica cum tali depoſitione concurrat, ſine aliis tamen adminiculis, *arg. c. tam litteris 33 §. 1. h. t.* ubi nihil ſufficienter oſtenſum dicitur, cum teſtes tantum de auditu, & fama depoſuerint: & amplius firmat Gl. *ib. ℣. de auditu.* Accedit ratio: quia *dictum unius facile ſequitur multitudo*, prout legitur *in c. cum in juventute 12. de purg. can.*

362 Atque iſtud vel maximè procedit in delictis. Cardin. Tuſchus *Litt. T. concl. 180. n. 1.* poſt Alexandrum *Conſ. 72. n. 8. in fin. lib. 1.* & alios. Adeò, ut teſtes de auditu alieno non ſolùm non probent, ſed nec præſumptionem faciant ad condemnandum, imò nec indicium ad torturam. Farinacius *de Teſtib. q. 69. n. 9. & 13.* Pirhing. *h. t. n. 137.* & alii. Siquidem in criminalibus, ut jam ſæpius dictum, requiruntur probationes indubitatæ, *l. Sciant cuncti. C. de probat.* & teſtes abſque ulla macula & ſuſpicione, ſeu omni exceptione majores, *cap. 1. de except.* cum ſimilibus.

363 Notabilem ad propoſitum refert caſum Caramuel *in Theologia Regulari n. 1881.* de Maldero Epiſcopo Antverpienſi, viro cæteroquin doctiſſimo, qui Paſtorem de fornicatione, ut dicebatur, infamatum capi juſſerat: auditur ipſe, audiuntur octoginta ruſtici; negat ille crimen, aſſerunt iſti, & negans, ob tot teſtimonia, ceu convictus de crimine condemnatur. Verum Reus audita ſententia, cum neque hanc acceptare, neque appellare vellet, modeſtè ad Epiſcopi colloquium admitti rogavit: qua gratia obtenta ajebat, ſe damnari ut convictum virtute informationis, quæ nondum erat plena; obrui teſtium numero, non veritate; neminem ex illis octoginta eſſe conteſtem oculatum, teſtibus vero ex auditu neminem convinci poſſe; porro omnes illos crimen illud fornicationis habuiſſe ex ore alicujus vetulæ, ſibi ante aliquot menſes à ſervitiis, ſed jam ob furtum dimiſſæ. Obſtupuit hæc audiens Epiſcopus, recognoſcit proceſſum, nec videt in illo vel unum oculatum teſtem, imo nec auritum, ſed ſingulorum teſtimonia ſine expreſſione iſtius neceſſariæ circumſtantiæ. Mittitur proinde, qui ruſticos ſecundo examinet: illi ſuæ depoſitioni conſtant, fornicationem à Sacerdote commiſſam aſſerunt: at rogati, unde ſcirent? an viderint actum, vel indicia? linguam illius vetulæ ruris adlegant, & fortè alios qui audiverunt à vetula. Unde Epiſcopus revocat ſententiam, Parochum innocentem declarat, atque ob illatam, ut putabat, injuriam, veniam rogat, in vetulam tamen animadvertit. Vide, quam parùm probent teſtes ex auditu.





364 Reſp. II. Nihilominùs data Regula, ſeu quòd teſtes de auditu alieno non admittantur, neque probent, fallit in certis caſibus. Ita Authores proximè citandi, & communis. Notanter tamen additur, *de auditu alieno:* quia, quòd valeat teſtimonium de auditu proprio quoad res ſenſu auditus perceptibiles, putà, ſi quis teſtificetur, ſe fuiſſe præſentem, & audiviſſe, quando Titius blaſphemavit, vel quid promiſit &c. indubium eſt; atque liquet *ex c. 2. de Conſuetud.* ibi: *Sub teſtimonio videntium, & audientium.* Nam audiens verba alterius loquentis, atque de iſtis teſtimonium ferens, reverà teſtificatur de iis, quæ proprio ſenſu corporeo percepit; ſicque teſtimonium tale eſt legitimum, riteque probat: Verùm loquendo de teſte ex auditu alieno, ſeu deponente, quòd ita audierit ab aliis dici, poſſet dubitari, an aliquando probet: & Concluſio eſt affirmativa. Siquidem

365 Fallit primò data Regula, & probant teſtes ex auditu alieno in factis antiquis. Speculator *Tit. de Teſte §. 1. n. 54.* Abbas *c. Licèt ex quadam n. 3. h. t.* ubi diſpoſitionem illius Capituli, expreſsè loquentis de probanda conſanguinitate, ſeu affinitate, ob paritatem rationis procedere ait in aliis factis antiquis de quibus teſtes haberi non poſſunt. Card. Tuſchus *Litt. T. Concl. 180. nu. 26.* Menochius *de Arbitrar. Judic. l. 2. Caſ. 475. n. 9. & 10.* & alii. Atque iſtud, præter jam allegatum *c. licèt ex quadam 47. h. tit.* deſumitur *ex l. Si arbiter ff. de Prob. & l. In ſumma 2. §. ante penul. ff. de Aqua pluvial. arcend.* ubi ad probandum, quòd operis facti memoria extet, admittitur probatio de auditu auditus. Hinc Doctores ferè in ore habent, quòd in antiquis propter difficultatem probationis ſufficiant leviores probationes, *L. 1. ff. de Probation. & c. Cùm cauſam 13. eod.* cum ſimilibus. Aymon Cravetta *Tom. 17. tract. tract. de Antiquitate temporum §. 1. n. 1. & §. Ampliatur & §. viſo de verbis ac ſeqq.*

366 Cæterùm quodnam Tempus dicatur antiquum in materia probationum, variant Doctores, ut videre eſt apud Menochium *l. 2. Arbitrar. Judic. caſ. 3. n. 1. & ſeqq.* ubi refert ſeptem diverſas ſententias. Et quidem, ut aliquid dicatur *Antiquum*, requiri tempus centum annorum, ſicque *Tempus* centum annorum cenſeri *antiquum:* tradit Abbas *c. Licèt ex quadam nu. 3. h. tit.* id deſumens ex *L. ult. C. de Sacroſanct. Eccleſ.* Innocentius *c. Veniens de Verb. ſignif.* Alexander *Conſil. 6. n. 7. lib. 1.* Farinacius *de Teſtib. q. 69. n. 226.* Jaſon *in Repet. l. Admonendi n. 245. & 246.* allegans alios, & communem; quam ſententiam etiam appellat communem Cravetta *cit. tract. de Antiquit. temp. § 1. num. 4. & 5.* cum aliis. Atque huic ſententiæ noviſſimè favet Card. de Luca *de Jurepatron. Diſcurſ. 57. n. 32 & 33.* quamvis addat, centenarium iſtud tempus non eſſe intelligendum præcisè, ſed moraliter; ac proinde quoad fidem ſcripturarum, & alios effectus ex antiquitate reſultantes, ſufficere tempus ſupra nonaginta annos, etſi ſint infra centum: quoniam adhuc adimpletur idem finis, ſeu verificatur eadem ratio defectus memoriæ hominum. Ab hac opinione non multùm diſtat Decius *Conſil. 195. n. 7.* aſſerens, tempus antiquum eſſe nonaginta annorum.

Alii econtrà volunt, Tempus antiquum in materia probationum eſſe tempus triginta, vel ſaltem quadraginta annorum: quidam verò crediderunt, tempus ſeptuaginta annorum eſſe antiquum, prout videre eſt apud Menochium *cit. caſ. 3. n. 3. & ſeqq.* Media via ingreditur Rota apud Rubeum *Deciſ. 424.* & Seraph *Dec. 75.* & alia Rota apud Merlin. *Dec. 489.* dicens, tempus antiquum dici tempus ſexaginta annorum. Nec immeritò: nam tale tempus ſubductis pueritiæ annis, utpote quibus minùs perfectè res geſtas percipere ſolemus, communiter memoria hominum excedit, juxta illud Davidicum, Pſal. 89. *Dies annorum noſtrorum in ipſis, ſeptuaginta anni.* Ultima, & cæteris probabilior ſententia aſſerit, quale Tempus dicatur antiquum, Judicis arbitrio eſſe relinquendum, qui ex ſubiecta materia iſtud determinabit. Ita Alexander *Conſil. 187. n. 4. l. 2.* poſt Gloſſam *fin. Clem. 1. de Rebus Eccleſ. non alienand.* iſtud probans ex *l. 1. ff. de Jure deliberand.* Menochius *cit. caſ. 3. n. 2.* allegans plures alios. Nam ſufficere tempus decem annorum, quando agitur de modico & levi præjudicio, inquit Carol. Molinæus *in Conſuetud. Pariſ. tit. 1. §. 5. n. 65.* quem refert idem Menochius *n. 5.* & Cravetta *l. c. §. 1. n. 7.* poſt Decium putat, tempus quadraginta annorum ſufficere ad plenam probationem, ubi non agitur de gravi præjudicio: hoc eſt, quando præjudicium eſt quidem alicujus conſiderationis (in modicis enim etiam admittitur probatio alias imperfecta) non tamen præjudicium illud eſt multùm grave: quod totum (inquit) in arbitrio Judicis videtur poſitum. Porrò in cauſis magni, vel graviſſimi præjudicii, locum habebit aut opinio Rotæ ſexaginta annos requirentis aut ſeverior opinio requirens centum annos, non quidem phyſicè, ſed moraliter computandos, juxta ſententiam Cardinalis de Luca jam relatam.

367 Fallit ſecundò dicta Regula, teſtis de auditu alieno probat contra producentem. Card. Tuſchus *cit. Litt. T. Concl. 180. n. 88.* poſt Romanum *Conſil. 290.* dicentem, quod is jungatur cum teſte partis adverſæ deponente de viſu. Farinacius *q. 69. n. 57.* allegans alios: & concordant in ſimili dicta ſuperiùs *n. 355.*

368 Fallit tertiò, quando agitur ad defenſionem Rei: quia enim tunc admittuntur teſtes de credulitate, ut dictum *n. 353.* ergo pariter admittendi ſunt teſtes ex auditu, qui audierunt ab aliis fide dignis, ac reddentibus cauſam ſui dicti; putà, quòd fuerint præſentes, & viderint, iſtum eſſe innocentem. Idemque dicendum in aliis cauſis, in quibus modica ſcientia fidem facit: ut eſt cauſa denunciationis. Gloſſa *can. Hoc videtur 22. q. 5 verſ. Indicavit* Farinacius *de teſtib. q. 69. n. 54. & 56.*

369 Fallit quartò in illis, quæ ſunt difficilis probationis; quia in talibus etiam admittitur teſtimonium de auditu. Farinacius *cit. qu. 69. n. 48. & ſeqq.* allegans alios. Ut accidit in delictis occultis. Hoſtienſis *c. Præterea nu. 4.* & Jo. Andreas *ibid. n. 10. h. t.* Saltem, quando alia adminicula concurrent; prout innuit textus *in d. c. Præterea* & notat Farinacius *l. c. n. 52.*

370 Quintò, licèt teſtes de auditu non probent plenè, nihilominus faciunt præſumptionem. Archidiaconus *can. hoc videtur 22. q. 5. n. 3.* Felinus *c. tam litteris n. 3 h. tit.* Menochius *de Arbitrar. Judic. lib. 2. caſ. 475. n. 5.* Card. Tuſchus *cit. Concl. 189. n. 74.* cum aliis. Qui addunt, dictam præſumptionem iſtud operari, ut onus probandi tranſeat in adverſarium: quamvis hoc ultimum non pauci negent, quos allegat Card. Tuſchus *ibid. n. 76.*

371 Quòd ſi verò dictæ præſumptioni acceſſerint alia adminicula, Judicis arbitrio dijudicanda, tunc inde etiam plena probatio reſultabit, *arg. cit. c. Præterea n. 27.* juncta Gloſſa *℣. de auditu* & DD. *ibid. h. t.* Menochius *cit. caſ. 475. n. 9.* Card. Tuſchus, *ubi ſuprà, n. 78* Farinacius *cit. qu. 69. n. 44. & ſeqq.* apud quem nonnullæ aliæ fallentiæ videri poterunt.

372 Solùm pro meliori præmiſſorum intelligentia adverte cum Menochio *cit. caſ. 475. n. 6.* allegante pro ſe Cravettam *Conſil. 277. col. 3 & in tr. de antiq. temp. in ultima parte primæ par. n. 7.* proximè dicta procedere, quando illi, à quibus teſtis audivit, jam ſunt mortui, vel ſaltem longè abſunt: ſecùs, ſi in humanis, & præſentes exiſterent. Nam tunc nullam præſumptionem facerent: quia potiùs exſurgit ſuſpicio quædam adverſus illum, qui producit ſolummodò teſtes ejuſmodi de auditu alieno, cùm tamen producere poſſet illoſmetipſos, qui id anteà dixerant.

373 Quæritur IV. Utrùm, & quando in probatione conſanguinitatis, vel affinitatis, admittantur teſtes de auditu alieno? Reſp. I. Quia antiquitus conſanguinitas, & affinitas, uſque ad ſeptimum gradum dirimebat matrimonium; ſimulque ob brevitatem vitæ humanæ difficile fuerat ſcire, ſive proprio ſenſu percipere, quouſque conſanguinitas ſe extenderet: hinc olim neceſſitate ſic urgente, in cauſis matrimonialibus, ac etiam contra valorem matrimonii jam contracti, admittebatur probatio conſanguinitatis per teſtes ex auditu alieno; ut *can. De parentela 25. q. 5.* juncto *c. Licèt ex quadam 47. §. 1. h. t.*

374 Quia tamen experientia teſte, exinde multa pericula contra legitima provenerunt matrimonia; prout obſervavit Concilium Generale (ſeu Lateranenſe, ſub Innocentio III. celebratum) à quo editum fuit *cit. c. Licèt ex quadam*; ſimulque hodie impedimentum conſanguinitatis non amplius extenditur ad ſeptimum gradum, ſed duntaxat ad quartum: hinc antiqui Canones quoad hoc non nihil ſunt correcti, nec valet teſtimonium de auditu auditus ad probandam conſanguinitatem, niſi obſervatis

illis conditionibus, quas ponit idem Concilium Generale ibidem relatum; & juxta Jo: Andream, Abbatem, & Summarium *in d.c. Licèt ex quadam, h.t.* ac Farinacium *de Teſtib. quæſt.69. n.105. & ſeqq.* ſunt duodecim. Unde

375 Reſp.II. Prima conditio requiſita ad hoc, ut de cæteropoſſint recipi teſtes de auditu alieno ſuper cauſis matrimonialibus, eſt illa: videlicet, quòd teſtes ita depoſituri, *perſonæ graves exiſtant, quibus fides ſit meritò adhibenda*, prout loquitur Concilium Generale *loc cit.* Gravitas autem perſonæ deſumitur ex gravitate morum, bonæque famæ & opinionis, ſicut ut cenſeatur fide digna. Gloſſa *ibid. verſ. Perſona.* & Hoſtienſis *verſ. Gravis.*

376 II. Teſtes illi debent deponere de iis, quæ audierunt ante litem motam; juxta illud, quod *in cit. c. Licèt ex quadam h.t.* ſubjungitur: *Et ante litem motam teſtificata didicerint &c.* Unde ſi deponerent de illis, quæ primum audierunt poſt litem motam, nullam fidem facerent, licèt intervenirent omnes cæteræ conditiones, quæ ibi requiruntur; quia ſi vel una earum deficiat, tunc teſtes nullam penitus fidem faciunt, Maſcardus *de Probation. Concl. 410. num. 7. & 8.* poſt Hoſtienſem, & Innocentium *in cit. c. Licèt ex quadam*, ubi & Barboſa *in Collectan. n. 2. h. t.* citans alios.

377 III. Quòd teſtes illi audierint, ſeu *teſtificata didicerint ab antiquioribus ſuis:* Antiquioribus enim magna fides adhibetur, ut inquit Barboſa *ibid. n. 4.* poſt Tiraquellum *de jure Primogenituræ, in Præfat. n. 148. & ſeqq.*

378 IV. Quòd audierint non ab uno tantùm: quia, ſicut ille ſolus non ſufficeret ad faciendam plenam fidem, etiamſi de ſcientia deponeret; ita nec ſufficiunt plures teſtes de auditu, qui ab uno ſolo audierunt, ſeu gradus conſanguinitatis didicerunt: ne plus credatur copiæ, quàm originali, ut loquitur Card. Tuſchus *Litt.T. Concl. 180. n. 33.* Unde ſubjungit ibidem Concilium Generale: *Non utique ab uno, cum non ſufficeret ille, ſi viveret: ſed duobus ad minus.* Ubi Gloſſa *℣. ab uno*, ampliùs hoc confirmat ex eo: quia omnes illi, qui cauſam habent ab uno, pro uno ſolo reputantur, *arg. can. Cito 1. q. 1. & l. Cui fundus ff. de Condit. & demonſtrat.*

379 V. Ut teſtes illi de auditu deponentes, non audierint gradus conſanguinitatis *ab infamibus & ſuſpectis, ſed à fide dignis, & omni exceptione majoribus: cum ſatis videretur abſurdum illos admittere, quorum repellerentur auctores;* prout loquitur Concilium Generale *loc. cit.* Nam is, qui audivit aliquid ab alio, non poteſt ſuperare fidem illius, à quo audivit & cujus verba refert.

380 VI. Teſtes ejuſmodi debent deponere cum proprio juramento: aliàs non probant, juxta textum ibidem, ubi dicitur: *Teſtes proprio juramento firment &c.* Et infrà: *Nec tales ſufficiant, niſi jurati deponant &c* ubi ponderando ly, *proprio juramento*, videtur pro fama, & ad terrorem aliorum, requiri proprium juramentum: adeò, ut non ſufficiat jurare per Procuratorem habentem ſpeciale mandatum prout docet Abbas *ibid. n. 6.* aſſerens, ita tenere omnes Doctores.

381 VII. Ut teſtes illi *ad ferendum teſtimonium in cauſa ipſa odio, amore, timore, vel commodo non procedant.* Ita textus ibidem. VIII. Teſtes illi debent *perſonas expreſſis nominibus, vel demonſtratione, vel circumlocutione ſufficienti deſignare.* IX. Ac etiam *ab utroque latere ſingulos gradus clara computatione diſtinguere;* ut loquitur textus *ibid.* Ubi tamen Gloſſa *℣. Gradus*, & Barboſa *num. 6.* & Farinacius *quæſt. 69. n. 117.* iſtud intelligunt, dempto ſtipite: quia de iſto non reperitur Canon, ſed tantum de lateribus; ac proinde ſufficit incipere à fratribus, *arg. c. Tuæ nos 7.* juncta Gloſſa *℣. Vel germanis, de Conſanguinit. & affinit.*

382 X. Debent teſtes illi *in ſuo nihilominus juramento concludere, ſe accepiſſe à ſuis majoribus, quod deponunt.* XI. Addendo ſimul, *ſe credere ita eſſe;* prout loquitur Concilium Generale *ibid.*

383 XII. *Sed nec tales* teſtes *ſufficiant, niſi jurati deponant, ſe vidiſſe perſonas, vel ſaltem in uno prædictorum graduum conſtitutas, pro conſanguineis ſe habere.* Ita ſtatuit Concilium Generale *loc. cit.* addita illa ratione: *tolerabilius eſt enim, aliquos contra ſtatuta hominum relinquere copulatos, quam conjunctos legitimè, contra ſtatuta Domini ſeparare.* Nam in Conſtitutionibus ſuis poteſt Eccleſia, ſive Romanus Pontifex Conditor Canonum diſpenſare; non item in Lege Divina, poſita de indiſſolubilitate matrimonii legitimè contracti.

## §. XII.

## De Fama, & qualiter probetur, ac probet.

### SUMMARIUM.

384 *Fama vi nominis, &*
*Fama ut ſic, quid? ibid.*
385 *Fama in bonam partem accepta, quid?*
386 *Propriè loquendo Fama non dicitur, niſi bona ſit,*
*Fama mala appellatur* Infamia. *ibid. & n.29.*
387 *Fama ut ſic dividitur in Famam hominis, &*
388 *Famam inter homines; & quid?*
389 *Fama an certo authore provenire debeat? Et n. præced.*
390 *Fama inter homines eſt duplex; & qualis?*
391 *Fama ſuper facto aliquo particulari, poteſt ratione ſuæ originis tripliciter diſtingui.*
392 *Fama differt à Rumore, & quomodo?*
*Rumor, quid? ibid.*
393 *Quæ requirantur ad hoc, ut fama probet? Et num. ſeqq.*
*Fama debet eſſe uniformis, ſolida, conſtans & perpetua; non vaga, levis, aut contraria, ibid.*
394 *Fama poteſt probari per duos teſtes.*
*Teſtes illi debent eſſe ſpectatæ fidei, ſeu omni exceptione majores, ibid.*
395 *Teſtes deponentes de fama debent deponere, quòd ita audiverint dici à majori parte populi. Et n.396.*
396 *Populi nomine, qui hic intelligantur?*
*In negotiis tamen parvis ſufficit fama viciniæ. Ibidem.*
397 *Teſtes de fama tenentur exprimere certas perſonas, ſaltem duas, à quibus audierunt.*
398 *Ac reddere cauſam ſcientiæ, & dicti ſui.*
399 *Simulque deponere de tempore, à quo fama traxit originem.*
*Fama eſt difficilis probationis. Ibid.*
400 *Quis ſit effectus famæ, ſeu quam vim probandi habeat? Et n. ſeqq.*
*Fama regulariter plenam fidem non facit, ibid.*
401 *Utrùm fama faciat ſemiplenam probationem, variant Doctores. Et n. ſeqq.*
402 *Refertur ſententia aſſerentium, famam per ſe nihil probare.*
403 *Alii tenent, quòd fama legitimè probata, ſemiplenam probationem inducat in cauſis civilibus.*
404 *Melius iſtud relinquitur arbitrio judicis, qui penſata qualitate famæ, cauſiſque ejus, & aliis circumſtantiis id dijudicabit.*
405 *Dantur aliqui caſus, in quibus fama plenè probet. Et n. ſeqq.*
406 *Ut in factis antiquis.*
407 *Et in rebus modici præjudicii.*
408 *Vel quando cum fama concurrunt alia adminicula.*
409 *Item in iis, quæ ſunt difficilis probationis.*
410 *Et quando agitur Remedio* can Redintegranda. 3.q.1.
411 *Item, quando agitur ad evitandum peccatum.*

Viſo de Teſtibus ex auditu alieno, operæ pretium 384
eſſe videtur etiam de Fama tractare, utpote quæ ex auditu ſumit originem. *Fama* ſiquidem à *fando*, ſive loquendo ſic dicta, vi nominis dicitur, quidquid de aliquo divulgatur, ſive in bonam, ſive in malam partem; ut inquit Calepinus in Dictionario, *verſ. Fama.* Unde Bartolus *l. De minore, §. Plurimum n.8. de quæſtion.* famam ut ſic definiens, inquit: *Fama* eſt communis opinio voce maniſeſtata, ex ſuſpicione proveniens. Et hæc groſſo modo dicitur, *Vox populi*; de qua loquendo

Quæritur I. Quid, & quotuplex ſit Fama, & quomo- 385
do differat à Rumore? Reſp. I. *Fama* in bonam partem accepta, eſt illæſæ dignitatis ſtatus, moribus, & legibus comprobatus, ita textus *in l. Cognitionum ff. de Variis & extraord. cognit.* ubi dicitur: *Exiſtimatio eſt dignitatis illæſæ ſtatus, legibus & moribus comprobatus, quæ ex delicto noſtro*

autho-



*authoritate legum aut minuitur, aut conſumitur.* Nam exiſtimatio idem eſt, ac fama & opinio, ut inquit Gloſſa *ibid. ℣. Exiſtimatio.*

386 Et propriè loquendo, Fama non dicitur, niſi bona ſit; quia fama eſt argumentum virtutis, ut inquit Baldus *c. In Geneſi num.66. de election.* De qua loquitur S. Auguſtinus *can. Nolo 12. q.1.* relatus illis verbis: *Duæ ſunt res, conſcientia & fama: conſcientia neceſſaria eſt tibi, fama proximo: qui fidens conſcientiæ ſuæ negligit famam ſuam, crudelis eſt.* Similia habentur *can. Non ſunt 11. q.3.* Econtrà verò Fama in malam partem accepta, ſpeciali nomine appellatur *Infamia*, id eſt, *Famæ privatio;* prout notat Gloſſa *loc. cit.* eſtque jam dictum ſupra, *§.2. n.29.*

387 Reſp.II. Fama ut ſic dividitur in Famam hominis, & Famam inter homines. Ita Fagnanus *c. Veſtra, num. 27. de Cohabit. Cleric.* Bartolus *in l. De minore, §. Plurimum ff. de Quæſtion.* Maſcardus *de Probat. concl.749. num.1.* & alii. *Fama hominis*, ſeu (ut alii loquuntur) Fama de homine eſt ea, de qua proximè dictum eſt, cuique convenit data definitio.

388 *Fama inter homines* ſic dicitur reſpectu eorum, inter quos viget, ſeu circumfertur: nec aliud eſt, ac publica ſeu communis inſinuatio, vel proclamatio ex ſola ſuſpicione, & certo authore proveniens. Ita Ant. Nebriſſenſis *in Vocabulario Juris, verſ. Fama*, Fagnanus *loc. cit. n. 38.* & alii.

389 Etſi enim Speculator *tit. de Notoriis criminibus, §. fama eſt*, aſſerat, quòd fama quandoque procedit ex ſcientia, quandoque ex ſuſpicione, quandoque ex certo, & quandoque ex incerto authore; ut *can. Sanctum eſt, de Conceſſ. diſt. 4.* ibi: *Sed incerto authore fama commendat.* Ex quo Canone Gloſſa *c. Qualiter & quando il 2. ℣. A malevolis, de accuſat.* infert, quòd difficile eſt probare, famam ortam eſſe à malevolis: cùm fama ab incerto authore procedat, *can. Sanctum eſt, de Conſec. diſt. 4.* Nihilominus meritò retinetur dictio illa, *& certo authore procedens*, in definitione Famæ propriè dictæ appoſita; idque tum ad differentiam Rumoris, de quo infrà: tum quia Judex, ut tollat omnem ambiguitatem, debet teſtes de Fama deponentes interrogare, à quo vel à quibus dici audierint, & ubi, & an ſit fama recens: uti notat Baldus *c. Tua num.3. de Cohabit. Cleric.* & ampliùs in progreſſu dicetur.

390 Reſp. III. Fama inter homines adhuc duplex eſt: una, quà de aliquo homine, putà Titio, in genere dicitur, quòd ſit bonus, vel malus, aut fur &c. In qua acceptione ſumitur Fama *cit. l. De minore, §. Plurimum, ff. de Quæſtion.* dum inter alia jubetur inveſtigari, *Cujus exiſtimationis quiſque in civitate ſua eſt.* Altera verò quæ eſt de aliquo facto particulari cujuſpiam, ut putà, quà dicitur inter homines communiter, Titium commiſiſſe tale furtum, homicidium, aut hujuſmodi. Et hoc modo accipitur Fama *in L. 3. §. Ejuſmodi quoque, ff. hoc tit.* ibi: *Aliàs veluti conſentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem.* Bartolus *cit. § Plurimum n. 7.* Maſcardus *d. Concl.749. n.4.* & alii.

391 Reſp. IV. Fama hujuſmodi, ſeu ſuper facto aliquo particulari exorta, ratione ſuæ originis, poteſt adhuc tripliciter diſtingui. Primo, ut eſt vana vox vulgi, & rumor in populo, quæ nullos habet certos authores, nec cauſas ſeu rationes probabiles ad ſic credendum: & talis fama non eſt attendenda, *l. Decurionum filii, Cod. de Pœnis, & c. Oſius Epiſcopus, 2. de Election.* junctis concordantiis à Gloſſa *ibid. ℣. Populi*, relatis. Secundò, ut oritur ab aliquibus malitioſis, ſuſpectis, aut proprio commodo, ſuæque utilitati ſtudentibus: & hæc pariter fama non eſt attendenda, *c. Qualiter & quando, 24. de Accuſation.* ibi: *Si per clamorem, & famam ad aures Superioris pervenerit, non quidem à malevolis & maledicis, ſed à providis & honeſtis.* Tertiò, prout fama traxit originem à perſonis fide dignis, gravibus, & de quorum commodo non agitur, ſeu apparet: ex qua ratione & cauſa fama ortum habuerit, *cit. c. Qualiter & quando, 24. de accuſation. & c. Licèt ex quadam, 47. h. tit.* ibi: *Nec ab infamibus & ſuſpectis, ſed à fide dignis* didicerint. Et de Fama hoc tertio modo conſiderata, impræſentiarum eſt ſermo.

392 Reſp.V. Fama taliter accepta multipliciter differt à Rumore. Nam Fama propriè eſt, quando tota civitas, vel vicinia, ſeu major pars populi aliquid aſſerit. Rumor autem eſt, quando aliqua pars minor, putà, media, tertia vel quarta pars ita loquitur. Abbas *c. Super eo, n. 3. De eo qui cognovit conſang.* Speculator *tit. de Notoriis criminibus, §. Nunc de rumore num.1.* Nebriſſenſis *in Vocabulario Juris. ℣. Rumor*, & alii. Deinde Fama, ſaltem propriè dicta, procedit à certo authore; putà; quando eſt orta à certis & honeſtis perſonis, quæ dixerunt in populo, ſe quid vidiſſe, & interfuiſſe: Rumor autem eſt ab incerto authore. Baldus *cit. c. Tua, num.4. de cohabit. Cleric.* Fagnanus *d. c. Veſtra n.44. eod.* Tertiò, minùs probat Rumor, quàm Fama: hæc enim eſt communis aſſertio; Rumor verò, cùm pauci aliquid dicunt, & ideò non probat, ſed ſolam ſuſpicionem, & præſumptionem inducit. Nebriſſenſis *loc. cit.* Inſuper Fama vires ſuas eundo, & perſeverando extendit, juxta illud Virgilii Æneidos 4. *Fama malum, quo non aliud velocius ullum Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo.* Rumor econtrà quandoque citò deficit, *L. ult. ff. de hæredib. inſtituend.* Hinc *Rumor* definitur à Speculatore, & Nebriſſenſi, *loc. cit.* & aliis, quòd ſit particularis aſſertio, ex incerto authore, & ſola ſuſpicione proveniens.

Quæritur II. Quæ requirantur ad hoc, ut Fama pro- 393
bet, quibuſque teſtibus ipſa probetur? Reſp.I. Ad hoc, ut fama habeat vim quandam probandi, plura requiruntur, ac præſertim ſequentia. I. Ut fama ſit uniformis, ſolida, conſtans & perpetua: non autem vaga, levis, aut contraria, ſeu contrariis allegationibus, vel conquaſſata: quia alioquin non conſtaret, qualis fama fuerit, quidque aſſeveraverit. Baldus *conſil.275. vol.1.* Sperellus *deciſ.173. Pont Eccleſiaſtici, n.37.* poſt Rotam *deciſ. 335. n.5. part.2 recent.* Rolandum *conſil.3. n.49. lib. 1.* & alios. II. Requiritur, quòd fama originem duxerit à perſonis honeſtis, & fide dignis, *c. Qualiter & quando 24. de accuſation.* cum ſimilibus. III. Quòd conſtet, ſeu per teſtes legitimè probetur, famam ex probabilibus cauſis originem duxiſſe, quæ populum inducere poterant ad ſic credendum, & dicendum: aliàs enim non eſſet fama, ſed vana vox populi: quæ attendi non debet, *l. Decurionum filii. C. de pœnis.* Hæ duæ poſteriores conditiones ut meliùs intelligantur

Reſp.II. Fama poteſt probari per duos teſtes ſpecta- 394
tæ fidei, atque integræ opinionis, ſeu (ut alii loquuntur) omni exceptione majores. Ita Gloſſa *in l.3. ℣. Confirmat. ff. h.t.* dicens; quòd fama probatur per duos teſtes, cùm jurant, majorem partem populi ita ſentire. Bartolus *l. De minore, §. Plurimum num. 19. ff. de quæſtion.* Felinus *c. Tertio loco, nu.4. de Probation.* Jul. Clarus *in Pract. Crimin. § fin. quæſt.6. num.12.* Farinacius *lib.1. Praxis criminal. quæſt.47. n.208. 210. & ſeqq.* Menochius *lib. 8. conſil.701. num.49.* Maſcardus *de Probat. concl.750. num.1.* allegans communem. Et habetur *c. Inquiſitiones 21. §. Quæſitum de accuſat.* ubi fama cenſetur probata per duos, vel tres teſtes. Concordat *c. Licèt univerſis 23. h.t. & c. Cùm eſſes 10. de Teſtament.* ubi allegatur illud Dominicum: *In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum.* Quod autem teſtes illi debeant eſſe ſpectatæ fidei, ſeu (ut loquitur Menochius *cit. n.49.* & Farinacius *d. nu. 210.* cum aliis) omni exceptione majores, patet ex *c. Qualiter & quando, 24. de accuſat. & c. Licèt ex quadam 47. h. t.* quorum verba *n.391.* referuntur.

Reſp.III. Teſtes deponentes de fama debent inter alia 395
deponere, quòd audierint ita publicè dici à majori parte populi: alioquin non probarent famam. Ita Gloſſa *loc. c.* Bartolus *cit. num.19.* Maſcardus *nu. 1. & 2.* allegans alios. Ratio eſt: tum quia teſtes, ut probent, debent reddere rationem dicti ſui per ſenſum corporeum; putà, quia audierunt ſic dici à majori parte populi, ut dictum ſuprà *§. præc. num. 342. & 343.* Tum quia fama non inducitur, niſi à majori parte populi; ergo etiam teſtes de ea deponentes tenentur jurati dicere, ſe audiviſſe ita publicè dici à majori parte populi. Unde non ſufficit deponere, quòd audierint ita publicè dici (poſſet enim contingere, quòd unus ſolus id publicè dixiſſet) ſed neceſſe eſt teſtificari, ita fuiſſe dictum à majori parte populi.

Cæterùm nomine majoris partis *Populi*, hic non ſem- 396
per venit intelligenda major pars totius multitudinis hominum in tali loco, vel vicinia quomodocunque exiſtentium: ſed id eſt accipiendum in ſenſu accomo-

do, videlicet pro majori parte eorum, qui hoc ſcire poterant, & ad quos ſpectabat iſtud ſcire. Bartolus *cit. §. Plurimum num.* 12. Maſcardus *d. Concl.* 550. *num.* 8. & alii. Sic, ubi quæritur de fama ſuper peritia alicujus, vel ejus ſcientia, ſufficit eſſe famam inter peritos, & diſcipulos talis artis, aut ſcientiæ, à majori parte ſic dicente; puta, inter Legiſtas, ſi quæratur de fama Legiſtæ; vel inter Canoniſtas, ſi de Canoniſta, & hujuſmodi. Unde Gloſſa *l. Cùm quidam ¥. Sed ſi ſcit. ff. de Acquirend. hæredit.* in ſimili ita loquitur: *Sed ſi ſcit, multorum opinione, qui hoc ſcire poſſunt.* Concordat textus *l. In ratione §. Quod vulgò dicitur, ff. ad Legem Falcid.* ubi ly, *quod vulgò dicitur*, nequit verificari, niſi inter Sapientes & Studentes, qui Jus illud ſcire poſſunt, & debent; prout argumentatur Bartolus, *ubi ſuprà.*

Deinde ex eo, quòd fama oriatur non niſi ex communi opinione eorum, ad quos ſpectat ſcire; infertur, quòd teſtes ſuper ea deponentes in negotiis magnis, debeant teſtificari, famam eſſe totius Civitatis, utpote ad quam pertinet ſcire negotia ardua, vel ſaltem majoris partis ejus: ſecùs in negotiis parvis, nam in his ſufficit fama viciniæ, ſeu illius Univerſitatis, ad quam de hoc ſcire ſpectat. Bartolus *loc. cit. num.* 12. id probans *c. Illud de Præſumpt. & l. Cùm quidam §. quando dicitur. ff. de Acquirend. hæredit.* & ſequitur Maſcardus *cit. Concl.* 750. *num.* 9. allegans inſuper Salycetum *in l. Ea quidem C. de Accuſation.*

397 Reſp. IV. Inſuper teſtes ſuper fama deponentes, ac interrogati, tenentur exprimere certas perſonas, ſaltem duas, à quibus audierunt, quamvis de aliis non ampliùs recordentur. Ita Menochius *cit. Conſil.* 701. *n.* 50. & 51. poſt Bartolum *l. De minore §. Plurimùm nu.* 23. *ff. de quæſtion.* Fagnanus *c. Qualiter & quando il* 2. *num.* 83. *de Accuſat.* poſt Innocentium *ibi. num.* 1. & Maſcardus *cit. Concl.* 750. *num.* 12. 16. & 17. allegans alios; de quibus multi dicunt, iſtud etiam procedere, licèt teſtes non ſint interrogati. Ratio eſt: quia fama debet habere originem ab honeſtis & providis, & non malevolis perſonis, neque ab iis, de quarum commodo agitur, *cit. c. Qualiter & quando* 24. *de accuſat. & c. Licèt ex quadam h. t.* cum ſimilibus. Hoc autem Judici conſtare nequit, niſi certæ perſonæ, ſaltem duæ nominentur: alioquin, ut *l. Decurionum. C. de Pœnis*, dicitur, *Vanæ voces populi non ſunt audiendæ.*

398 Addit Alexander *conſil.* 70. *n.* [illegible] 3. & *Conſil.* 25. *num.* 5. *vol.* 4. Sperellus *cit. Deciſ.* 173. [illegible] 39. allegans Rotam *coram Card. Mantica, Deciſ.* 279. *num.* 9. & Maſcardus *d. concl.* 750. *n.* 12. & 15. poſt Bertrandum *Conſil.* 126. *num.* 8. *vol.* 7. Decium *cap.* 1. *n.* 20. *de appellat.* & plures alios, quòd teſtes ſuper fama deponentes, non ſolùm teneantur reddere cauſam ſcientiæ ſuæ, atteſtando videlicet, quòd publicè ſic audierint dici à majori parte Communitatis: ſed inſuper debeant dare cauſam dicti ſui, nempe aſſignando cauſas probabiles, ex quibus inductus eſt populus ad ſic credendum: puta, quia perſonæ illæ honeſtæ, à quibus fama traxit originem, aſſeruerunt, ita ſe vidiſſe oculis ſuis; vel quia is, de cujus morte dicitur publica fama extare, ingreſſus eſt conflictum bellicum, aut navigans paſſus eſt naufragium, & ampliùs non eſt inventus, nec comparuit, licèt diu expectaretur, vel hujuſmodi. Niſi enim (inquiunt) hujuſmodi cauſæ probabilis exortæ famæ aſſignentur, non cenſetur fama probata, ſed potiùs dicitur eſſe probatum de vanis vocibus populi, quæ audiri non debent, *cit. l. Decurionum, C. de pœnis.*

399 Reſp. V. Ad famam legitimè probandam ulterius requiritur, quòd teſtes illi deponant de tempore, à quo fama traxit originem: nam, ut probent famam, requiritur, quòd ita audierint ante litem motam; alioquin præſumeretur orta fama primùm occaſione litis motæ, ſeu ex conteſtatione ipſius. Deſumitur iſtud ex *c. Licèt ex quadam §. Niſi fortè* 47. *h. t.* ac notat Abbas *ibid. nu.* 3. & Ancharanus *n.* 5. & Maſcardus *cit. Concl.* 750. *n.* 30. & 31. Qui tamen Maſcardus illicò ſubjungit, iſtud intelligendum eſſe, quando teſtis interrogatur de tempore: quia ſi non fuerit interrogatus, neque expreſsè depoſuerit de tempore, præſumitur, famam jam extitiſſe ante litem motam, niſi aliud ex depoſitione ipſius deprehendatur, uti voluit Deciſio Rotæ *coram Dom. de Rubeis* 1563. *menſ. Decemb. in cauſa Toletanæ Portionis*: apud quem nonnulla alia de conditionibus ad probationem famæ requiſitis: quæ cum tam multæ ſint, non mirum, quòd fama cenſeatur eſſe difficilis probationis; adeò, ut Grammaticus *Conſil. criminal* 42. *n.* 8. quem refert Sperellus *d. Deciſ.* 173. *n.* 42. & Menochius *cit. Conſil.* 701. *n.* 51. cum nonnullis aliis dixerit, toto tempore vitæ ſuæ nunquam ſe vidiſſe Proceſſum, in quo fama legitimè probata fuerit.

Quæritur III. Quis ſit effectus Famæ, ſeu quam vim 400
probandi habeat? Reſp. I. Fama regulariter plenam probationem non facit. Ita Gloſſa *can. Si teſtis* 4. *q.* 3. *verſ. Fama.* Abbas *c. Tranſmiſſa n.* 10. *Qui filii ſint legit.* Felinus *c. Per tuas n.* 15. *de Probat.* Maſcardus *de Probat. concl.* 754. *num.* 1. allegans communem. Ratio eſt: quia fama ſæpè eſt fallax, teſte experientia: nam *dictum unius, facilè ſequitur multitudo*, prout notavit Pontifex *cap. Cùm in juventute de Purgat. canon.*

Reſp. II. Utrùm fama faciat ſemiplenam probatio- 401
nem, variant Doctores; & meliùs iſtud Judicis arbitrio relinquitur, qui penſata qualitate famæ, cauſiſque ſeu conjecturis, & perſonis, à quibus traxit originem, ipſiuſque negotii gravitate, & aliis circumſtantiis, vim probandi ipſius dijudicabit. Ita Abbas *c. Veniens ad nos*, 10. *n.* 8. & Felinus *ibid. n.* 11. *h. t.* Bartolus *l. De minore §. Plurimum circa fin. ff. de quæſtion.* Maſcardus *de Probat. Concl.* 754. *num.* 6. allegans alios.

Et quidem prior pars, ſeu quòd circa hoc varient Do- 402
ctores, patet inductione. Nam quòd fama per ſe, ac ſine aliis adminiculis nihil probet, tradit Gloſſa *can. Si teſtes* 4. *q.* 3. *¥. Fama*, dicens, quòd *fama per ſe nihil probat.* Idemque in re tenent omnes illi, qui volunt, famam ſe ſola non inducere ſemiplenam probationem, ſed tantummodò coadjuvare probationem factam: ita nimirum, ut ſi utriuſque partis probationes eſſent æquales, & altera pars inſuper pro ſe haberet famam, illa vinceret: pro qua ſententia Bartolus *ubi ſuprà*, allegat Jacob. de Aretio, & Ant. de Piſis, & Jacob. Butrium; quibus plures alios addit Maſcardus *loc. cit. n.* 5. Accedit ratio: quia probatio debet neceſſariò concludere, *c. In præſentia* 8. *de Probat.* cum ſimilibus: atqui fama eſt fallax; ergo.

Econtra, quòd fama legitimè probata, ut ſupra, ſemi- 403
plenam probationem inducat, ſaltem in cauſis civilibus (ſecùs in criminalibus, ubi requiruntur probationes indubitatæ, & luce clariores) inſinuat Gloſſa *c. Veniens ad nos* 10. *¥. Illorum h. t.* & Gloſſa *in l.* 3. *¥. confirm. ff. h. t.* aſſerens cum aliis, quòd fama faciat probationem ſemiplenam, unde facit deferri juramentum, ut *l. In bonæ C. de jurejur.* Archidiaconus *can. ſi duo* 35. *q.* 6. *n.* 5. Speculator *tit. de Notoriis criminibus, §. Fama eſt n.* 5. pariter aſſerens, quòd fama inducit ſemiplenam probationem in civilibus. Card. Tuſchus *Lit. F. concl.* 66. *n.* 59. poſt Alexandrum *conſil.* 103. *n.* 3. & 5. *lib.* 7. inferens, quòd in civilibus & pecuniariis cauſis fama faciat plenam probationem, ſi jungatur cum alia probatione ſemiplena. Jaſon *in repet. l. admonendi n.* 242. *ff. de jurejur.* Sigiſm. Scaccia *l.* 2. *de Judiciis, c.* 9. *n.* 84. & 85. Sannig *tit. de Probat. c.* 4. *n.* 12. Et pro hac ſententia ulteriùs allegat Maſcardum *l. c. n.* 6. Pariſium *Conſil.* 75. *n.* 16 *vol.* 1. Decium *cap.* 1. *n.* 11. *de Appellat.* ubi hanc dicit communem opinionem & ſervari in practica, Bellameram *Deciſ.* 740. & alios. Atque ex his patet varietas ſententiarum inter Doctores quantùm ad propoſitum.

Altera verò pars Concluſionis, ſeu quòd Judicis arbi- 404
trio ſit relinquendum, quantam vim probandi hic & nunc fama obtineat, eſt probabilior. Siquidem hæc ambas extremas ſententias hactenus allatas aptè inter ſe conciliat, dum primam procedere cenſet ſeclusis aliis adminiculis, ſeu conjecturis; ſecundam verò admittit iſtis ſimul concurrentibus, quod eò magis dicendum, quia fama non cenſetur legitimè probata, niſi nominatis ejus authoribus, qui ſint honeſtæ vitæ, & bonæ fidei, reddendo ſimul rationem dicti ſui, quibus concurrentibus rectè Judex arbitrabitur, quòd fama inducat ſemiplenam probationem, imò quandoque etiam plenam, prout illicò ampliùs dicetur. Accedit textus expreſſus *in L.* 3. *§. Ejuſdem ff. h. t.* quæ eſt canonizata *in can. Si teſtes, §. Sæpè.* 4. *q.* 3. ubi iſtud Judicis arbitrio relinquitur dijudicandum, illis verbis: *Sæpè ſine publicis monumentis cujuſque rei veritas deprehenditur: alias numerus teſtium, alias dignitas & authoritas, alias veluti conſentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem. Hoc ergo ſolùm tibi ſcribere poſſum ſummatim* (alloquitur Judicem Imperator) *non utique ad unam probationis ſpeciem cognitionem ſtatim allegari debere, ſed ex ſententia animi tui te exiſtimare oportere, quid aut credas, ut parùm probatum tibi opineris.* Hæc ibi.



405 Reſp. III. Dantur nihilominùs aliqui caſus, in quibus Fama plenè probat. Ita Bartolus *in l. De minore §. Plurimùm circa. fin. ff. de Quæſtion.* junctis Authoribus proximè citandis; eſtque communis. Concordant dicta ſuperiùs *Tit. præced. §.* 3. *n.* 61. *& ſeqq.* ubi plures enumerantur caſus, in quibus ſufficit ſemiplena probatio, vel alia ex conjecturis deſumpta. Accedit textus ex jam allegata *L.* 3. *ff. h. t.* ibi: *Veluti conſentiens fama confirmat.*

406 Idem probatur inductione. Sic quippe in factis antiquis, quæ excedunt memoriam hominum, fama plenè probat: ut *c. Cùm cauſam.* 13. *de Probat.* ubi fines Diœceſium in alia probantur per famam; & notat Innocentius *c. Veniens. il* 1. & Felinus *ibid. h. t.* Alexander *Conſil.* 83. *n.* 7. *vol.* 3. Jaſon *in Repetit. l. Admonendi. n.* 243. *ff. de Jurejurand.* Maſcardus *d. Concl.* 754. *n.* 7. allegans alios, & communem. Generaliter enim in antiquis, ob difficultatem probationum, leviores probationes admittuntur; prout jam ſæpiùs dictum eſt.

407 Deinde Fama plenè probat in rebus modici præjudicii. Abbas *c. Veniens ad nos.* 10. *n.* 9. *verſ. Si verò agatur.* & Felinus *ibid. n.* 9. *hoc tit.* Bartolus *c. l. De minore. §. Plurimum. circa fin. ff. de Quæſtionib.* id probans ex *l. Ubi adhuc. C. de jure dotium.* Maſcardus *d. Concl.* 754. *n.* 8. & 17. allegans alios: Concordant dicta ſuperiùs *§.* 8. *numer.* 286. & alibi.

408 Tertiò poteſt Fama plenè probare, quando cum ea concurrunt alia adminicula; juxta illud *c.* 1. *de Appellat.* ibi: *Veritate per idoneas perſonas & famam loci ſollicitè inquiſita.* Concordat textus *in c. Illud quoque. de Præſumpt.* ubi Gloſſa *¥. Fama loci*, rectè infert, quod fama ſufficiat ad probationem, ſi aliæ præſumptiones coadjuvent; ita quòd cum fama faciant probationem, & ita, quæ non proſunt ſingula, multa juvant. Huc adde *c. Præterea, de Teſtibus*, ibi: *Si præſumptionem violentam fama conſentiens ſubminiſtret ac alia legitima adminicula ſuffragentur. Etenim circumſpectus judex atque diſcretus motum animi ſui ex argumentis, & teſtimoniis, quæ rei aptiora eſſe compererit, confirmabit.* Hæc ibi. Atque idcircò hanc limitationem tradunt Felinus *loc. cit. n.* 17. Alexander *Conſil.* 24. *n.* 20. *l.* 2. Abbas *Conſil.* 81. *nu.* 1. *vol.* 2. aſſerens, quòd fama cum aliis adminiculis ſufficiat ad probandum quem uſurarium manifeſtum, ut excludatur à ſepultura Eccleſiaſtica; idque probans ex *c. Cùm in Diœceſi.* juncta Gloſſa *¥. Manifeſtos.* & Jo. Andrea *ibid. nu.* 2. *de Uſuris.* Card. Tuſchus *Litt. F. Conſil.* 66. *n.* 3. & 63. hanc appellans communem opinionem.

409 Quartò, Fama ſola, legitimè tamen probata, plenè probat in iis, quæ ſunt difficilis probationis. Card. Tuſchus *d. Concl.* 66. *n.* 66. Alexander *Conſil.* 66. *n.* 9. *lib.* 3. citans Ant. de Butrio in *c. Veniens. il* 1. *de Teſtib.* & Bartolum *l. De pupillo. §. Si quis ipſi prætorio. qu.* 8. *ff. de Novi oper. nunciat.* Jaſon *cit. Repetit: l. Admonendi. n.* 252. *ff. de jurejurand.* Maſcardus *cit. Concl.* 754. *n.* 22. & alii.

410 Quintò, quando agitur Remedio *can. Redintegranda.* 3. *q.* 1. ad recuperandam poſſeſſionem; nam tunc probata publica fama, debet reſtitui poſſeſſio agenti hujuſmodi Remedio. Ancharanus *Conſil.* 42. *n.* 2. aſſerens, in hoc convenire omnes Doctores Maſcard. *n.* 24. allegans alios.

411 Sextò Fama probat, quando agitur ad evitandum peccatum: ut *c. Super eo.* juncta Gloſſa *fin. de Conſanguin. & affinit.* ubi ſola fama loci de ſubſiſtente impedimento, impedit matrimonium contrahendum. Septimò, quando agitur de probanda morte alicujus in loco remoto, aut naufragio, vel conflictu bellico, juxta dicta *n.* 398. Octavo, fama plenè probat in iis caſibus in quibus verſatur opinio, & conſuetudo hominum, ut in nominum impoſitione, *arg. l. Liberorum §. Quod tamen* juncta Gloſſ. *¥. Libros deberi. ff. de legat. III.* Nonò, quando Lex vult, quòd ſufficiat, famam eſſe de re aliqua; prout ampliùs tradit Maſcardus *cit. Concl.* 754. *n.* 24. 25. *& ſeqq.* ubi citatis aliis Authoribus univerſim enumerat trigintaduos tales caſus.

## §. XIII.

## De productione Teſtium.

### SUMMARIUM.


412 *Teſtes regulariter ſint producendi poſt litem conteſtatam.*

413 *Exceptis certis caſibus. Remiſſivè.*

414 *Qualiter teſtes ſint producendi?*
*Sunt producendi tempore per Judicem deſignando, vel citandi à judice ad inſtantiam partis. Ibid.*

415 *Teſtis ultroneus cenſetur ſuſpectus, & non probat parte contra eum excipiente. Et n.* 417.

416 *Si tamen deponat in præſentia partis, valet dictum ejus nemine reclamante.*

417 *Partibus præſentibus, & non contradicentibus, non requiritur alia teſtis citatio.*

418 *Regula eſt, quòd productio & receptio teſtium, debeat fieri citata parte adverſa: aliàs non probant.*

419 *Et hujus ratio:*

420 *Debet etiam citatio illa ſcribi inter Acta judicii.*

421 *In quo ſenſu pars adverſa debeat audire teſtes, juxta c.* 2. h. t.
*Juramentum teſtium trahitur ad totum actum depoſitionis. Ibid.*

422 *Regula illa eſt limitanda in certis caſibus.*

423 *Sic, quando eſt periculum in mora, poſſunt teſtes recipi altera parte non citata: idque exemplificatur.*

424 *Idem dicendum, quando pars adverſa conſentit, ſaltem tacitè.*

425 *Aut, quando ea eſt præſens in productione, ac receptione teſtium.*

426 *Vel intervenit monitio Judicis ut pars adverſa compareat.*
*Plus operatur monitio Judicis, quam citatio nuntii. Ibid.*

427 *Item, quando eſt talis teſtis, ut ejus dicto neceſſariò ſit ſtandum:*
*Et quid, ſi teſtis ſit omni exceptione major? ibid.*

428 *Et quando teſtes recipiuntur ad informationem Superioris ſuper habilitate Electi &c.*

429 *Item cauſa Hæreſis.*

430 *Et quando judex vult ſe informare ſuper notorio, vel fama.*
*Vel teſtis* [illegible] *nnatus iterum producitur ad declarandum* [illegible] *ſuum. Ibid.*

431 *Excommunicari poteſt, qui impedire præſumit productionem teſtium. Et n.* 432. & 434.

432 *Judex ex officio providere debet, ne impediatur productio teſtium.*

433 *Quid agendum, ſi teſtes producendi alienæ ſint juriſdictionis? Et n. ſeq.*
*Debet tunc citatio eorum expediri per litteras* Mutui Compaſſus *ibid.*

434 *His non indiget Epiſcopus in cauſis Eccleſiaſticis citans teſtes laicos ſuæ Diœceſis; & cur?*
*Epiſcopus eſt Ordinarius totius Diœceſis. Ibid.*

435 *Quid ſi teſtes perſonaliter venire nequeant, concedenda eſt alteri Judici* Remiſſoria.

436 *Intelligendo iſtud in cauſis civilibus: ſecùs in criminalibus, in quibus Remiſſoria non conceditur.*
*Niſi hæ ſint modicæ, vel agatur ad defenſionem Rei &c. ibid.*

437 *Depoſitiones teſtium à Judice Remiſſoriam accipiente tranſmitti debent alteri Judici clauſæ, ſeu ſigillatæ. Et n.* 435.
*Et quid, ſi tranſmittantur apertæ? ibid.*

438 *Teſtes è longinquo ſunt producendi ſumptibus ipſius producentis.*

439 *Qui tenetur eis ſubminiſtrare competentes expenſas in veniendo, ſtando, & redeundo; & qualiter id præſtandum?*

440 *Judex cavere debet, ne teſtes è longinquo adductos diutius detineat, ſaltem non ultra quindecim dies.*

441 *Expenſæ teſtibus è longinquò venientibus debitæ qualiter ſint menſurandæ? Et n. ſeqq.*

442 *Ruſticus equo uti non debet; & ſi utatur expenſæ idcircò factæ non ſunt ei reficiendæ.*

443 *Utrùm emolumentorum, quibus teſtis ob abſentiam carere debet, ratio ſit habenda?*

444 *Teſtes è longinquo citati gratiâ utriuſque partis, ab utraque ſumptus ex æquo recipiunt.*

*Sed hoc pars victa tenetur victrici refundere, niſi &c. Ibid.*

445 *Regulariter tres ſolùm productiones teſtium fieri poſſunt: quarta verò non niſi cum ſolemnitate Legali admittitur.*

446 *Solemnitas iſta Legalis declaratur.*

447 *Importat juramentum ſuper tribus punctis judicialiter deponendum,*

448 *Affertur ratio memoratæ Deciſionis.*

449 *Cur juramentum, ad quartam productionem teſtium requiſitum, non ſuperfluat poſt præſtitum juramentum calumniæ?*

450 *An per* Productionem, *oporteat hîc intelligere* Dilationem,

451 *Si quarta productio teſtium fuerit conceſſa ſine ſolemnitate legali nemine contradicente, valent atteſtationes.*

452 *Secùs, ſi fuerit contradictum, & appellatum.*

*Idem dicendum de receptione teſtium poſt Concluſionem in cauſa. Ibid.*

453 *Teſtes ſemel producti, an iterum in eadem cauſa produci valeant? Et n. ſeq.*

*Poteſt eos reproducere, qui teſtificata nondum didicit. Ibid.*

454 *Didicita teſtificata, quando dicantur? Et n. ſeqq.*

455 *Non cenſetur didiciſſe teſtificata, cui teſtes revelarunt, quid dixerint, aut dicturi ſint.*

456 *Secùs, quando judex prælegit partibus teſtium depoſitiones, vel quis eas ſubtraxit &c.*

457 *Poſt publicationem atteſtationum, & didicita teſtificata nequit pars ſuper eiſdem articulis reproducere priores teſtes, nec alios producere; & cur?*

458 *Etiamſi didiciſſet teſtificata ſtatim poſt primam, vel ſecundam productionem teſtium.*

459 *Et hoc regulariter loquendo, ac demptis certis caſibus. Remiſſivè.*

460 *In cauſa appellationis, an poſt didicita teſtificata poſſint priores, vel novi teſtes produci?*

461 *Timor ſubornationis teſtium magis urget poſt publicationem atteſtationum, quàm* [illegible]

462 *Solvitur inſtantia ex* c. Cùm [illegible] *b. t.*

412 QUæritur I. Quando, & qualiter teſtes ſint producendi? Reſp. I. Teſtes regulariter ſunt producendi poſt litem conteſtatam. Ita communis; & patet ex Rubrica, totoque Tit. *Ut lite non conteſtata non procedatur ad teſtium receptionem* eſtque jam ſuperiùs dictum *eod. Tit. 6. n. 1. & ſeqq.*

413 Additur *regulariter*, ob certos caſus *ibid. nu. 4. ac ſeqq.* jam ſpecificatos. Poteſt enim Reus etiam ante litem conteſtatam, petere productionem, & receptionem teſtium, atque eorum teſtimonia publicanda curare, ſi timet v.g. de futura controverſia ſibi per adverſarium movenda, & teſtes, quos pro ſua defenſione nunc habere poſſet, ſunt valetudinarii, aut in longinquas regiones abituri; ſicque periculum ſubeſt, ne ob ipſorum defectum veritas impoſterum occultetur, *c. Quoniam. 5. §. 1. Ut lite non conteſtata &c.* Tacentur cæteri caſus ibidem videndi.

414 Reſp. II. Quando lite jam conteſtata Actor per teſtes vult probare intentionem ſuam, vel Reus ſuam exceptionem, petere à Judice debet admitti ad probandum, ſeu producendum teſtes ſuos tempore per Judicem deſignando: & ſi teſtes ad ſola producentis preces venire recuſent, vel ſaltem recepta praxis Tribunalium ita habeat, tunc ipſi ſunt citandi à Judice, ad inſtantiam tamen partis producentis. Ita Vallenſis *b. t. §. 3. n. 1.* Engel *eod. n. 1.* & alii, præſertim proximè citandi. Idque deſumitur ex *l. 3. §. fin. ff. b. t.* ubi Judex jubetur in teſtibus vocandis attendere ad antiquam locorum conſuetudinem; & conſequenter Judicis eſt, evocare teſtes ad petitionem partis, vel ſaltem huic dare facultatem ſtatuto tempore ipſos producendi.

415 Et meritò hic intervenit authoritas Judicis, parte petente vel teſtes citantis, vel eorum productionem pro ſtatuto tempore concedentis. Nam teſtis ultroneus, ſive non citatus, neque poſt aſſignatum à Judice terminum à parte producente petitus, ſed ultrò ad teſtificandum ſe offerens, cenſetur ſuſpectus, id eſt, nimiùm parti affectus; ac proinde debet reprobari, juxta *l. Quæ omnia. §. Sed & ſi ff. de Procurat.* Nec probat parte adverſa contra ipſum excipiente. Felinus *c. In nomine. n. 23. b. t.* iſtud confirmans ulteriùs ex *Auth. de Teſtib. §. Si verò ignoti, Collat 7.* Bartolus *l. Poſt legatum. §. His verò ff. De his quibus ut indignis &c.* Maſcardus *de Probat. Concl. 1365. n. 63.* Farinacius *de Teſtib. q. 80. n. 1.* allegans plurimos alios.

416 Excipe, niſi ejuſmodi teſtis ultroneus in præſentia adverſæ partis, & Judicis depoſuerit: quia tunc, nemine reclamante, valet dictum ipſius. Ratio eſt: quia talis non præſumitur ſe ingerere, ſed potius à parte produci, utpote quæ in ejus depoſitionem altera parte non reclamante conſenſit: nam, ut inquit Abbas *c. In nomine. n. 15. b. t.* poſt Dom. de Rota *Deciſ.* 360. ad validitatem teſtimonii ſatis eſt, quòd Judex aſſignet certum terminum parti ad producendum teſtes: quo facto poteſt pars intra terminum abſque alia citatione teſtes producere, *arg. c. Conſtitutus. b. t.* ubi pars ita legitur teſtes coram Judicibus pro ſe produxiſſe. Idem docet Speculator *tit. de Teſte. §. Qualiter. n. 6.* Maſcardus *cit. Concl. 1365. n. 66. & 67* poſt Rotam *Deciſ. 22. de Teſtib.* Bartolum *cit. l. Poſt legatum. §. His verò. ff. De his quibus ut indign.* & plurimos alios, quos citant.

417 Accedit Felin. *c. 2. n. 24. b. t.* aſſerens veritatem eſſe, quòd præſentibus partibus, & non contradicentibus, alia teſtis citatio, vel monitio non requiratur. Et quòd dictum illud, *teſtis ultroneus non probat*, ſit verum parte opponente: alioquin verò noceat ei taciturnitas ſua, juxta Reg. 43. Jur. in 6. *Qui tacet conſentire videtur.* Siquidem inhabilitas iſta non eſt talis, cui pars tacitè renunciare non poſſit: unde redeunt dicta ſuperius §. 1. *n.* 17. 18. & 21.

418 Quæritur II. Utrùm ad productionem teſtium requiratur citatio partis adverſæ; & quid, ſi quis eam impedire præſumat? Reſp. I. Regula eſt, quòd productio, & receptio teſtium debeat fieri citata parte adverſa, contra quam producuntur: alioquin atteſtationes contra non citatum receptæ nihil probant, imò ſunt nullius momenti. Ita textus expreſſus *in c. 2. b. t.* ubi Gloſſa, Abbas, Jo. Andreas, Baldus *in Summario.* Maſcardus *de Probat. Concl. 683. n. 1.* Farinacius *de Teſt. q. 72. n. 1.* & communis. Idipſum habetur *in Auth. de Teſtib. §. Et hic verò. Collat. 7.* quæ eſt canonizata *in cit. c. 2. b. t.* illo tamen addito, quòd ſi citatus ceſſante juſto impedimento venire noluerit; abſentia ejus habeatur pro præſentia; & factæ poſtmodùm atteſtationes perinde teneant, ac ſi eo etiam præſente factæ ſint.

419 Ratio Concluſionis eſt. Tum quia, ubi agitur de alicujus intereſſe, ſemper ille in judicium citandus eſt, *leg. De unoquoque. ff. de Re judicat.* Tum quia, ſi teſtes reciperentur parte adverſa non citata, adimeretur huic facultas proponendi legitimas exceptiones, per quas repellerentur perſonæ teſtium, aut negotium principale elideretur, *c. Quoniam frequenter. §. 1.* juncta Gloſſa ℣. *Ad repellendum. & ℣. Vel aliæ. Ut lite non conteſtata &c.* Hoc autem fieri non debet; cùm legitimæ defenſiones nulli ſint ſubtrahendæ, *Clem. Sæpè contingit. §. 1. de Verb. ſignif.* cum ſimilibus.

420 Quinimo non ſolùm pro receptione teſtium citandi ſunt illi, quorum intereſt; ſed etiam ſuper ipſa facta citatione, teſtiumque depoſitionibus confici debet publicum inſtrumentum: ut *c. Significavit. 41. & c. Albericus 43. b. t.* & notat Hoſtienſis *in Summa. tit. de Teſtib. n* 8. Aut ſaltem per Notarium ea eſt ſcribenda inter Acta judicii, *c. Quoniam contra. 11. de Probat.*

421 Cæterum illud, quod *in cit. c. 2. b. t.* additur, videlicet quòd *oporteat, ut teſtimonia dentur, illo* (adverſario) *admonito à judice, vel defenſore venire, & audire teſtes:* non ſic intelligendum eſt, quaſi adverſa pars venire debeat, ut audiat teſtes, quando deponunt dictum ſuum (debent enim teſtes ſecretò, ac ſingillatim deponere, *c. Venerabili. 52. b. t. & l. Nullum. C. eod.*) ſed quia debent eos videre, & audire jurantes; ut explicat Gloſſa *ibid.* ℣. *Audire.* & Vivianus *in Rationali cit. c. 2. b. t.* Nam teſtis cenſetur recipi, ac deponere, quando jurat, eò quòd juramentum teſtium ad totum actum depoſitionis trahatur, *l. Si quando. C. b. t.* & ſic actus depoſitionis refertur ad tempus juramenti. Vivianus *loc. cit.* Porrò dicta ipſamet teſtium ſufficienter audiuntur, ac videntur poſt publicationem atteſtationum, quando etiam legi poſſunt.



422 Reſp. II. Etſi data Regula, ſive Concluſio regulariter procedat, eadem nihilominùs eſt limitanda in certis caſibus. Ita Abbas, & Felinus *in cit. cap. 2. n. 7. b. t.* & Additio *Ad Abbat. ibid.* ℣. *De crimine.* Maſcardus *Concl. 683. n. 15. & ſeq.* Farinacius *d. q. 72. n. 36. & ſeqq.* ubi viginti tres hujuſmodi limitationes refert: earum tamen præcipuæ ſunt ſequentes.

423 Primò data Regula fallit, poſſuntque teſtes recipi parte altera non citata, quando eſt periculum in mora. Maſcardus *cit. Concl. 683. n. 41.* Farinacius *d. n. 36.* allegans alios. Ut ſi juriſdictio Judicis delegati eſſet peritura eo tempore, quo pars citatur: Vel ſi agatur de probatione debiti contra debitorem de fuga ſuſpectum. Farinacius *ibid. n. 36. & 37.* Maſcardus *n. 26.* cum aliis. Aut, quando eſt timor mortis, aut diuturnæ abſentiæ teſtium, vel aliàs urget periculum amittendæ facultatis ad probandum, *c. Quoniam frequenter, §. 1. Ut lite non conteſtata, &c.*

424 Deinde fallit data Concluſio, quando pars adverſa conſentit in talem productionem, ac receptionem teſtium abſque ſua citatione (poteſt enim cedere juri ſuo) ſive dein ita conſentiat expreſsè, ſive tacitè; hoc eſt, non excipiendo contra talem productionem teſtium, juxta dicta ſuperiùs, §. 1. *n.* 17. 18. & 21.

425 Idem dicendum, ſi pars adverſa ſit præſens in productione, ac receptione juramenti teſtium: quia tunc non eſt opus alia citatione, cùm præſentia ejus ſuppleat citationem. *Auth. Sed ſi quis. C. b. t.* Gloſſa *cap. 2.* ℣. *Admonendus.* & Felinus *ibid. n. 16. b. t.* & concordant dicta ſuperiùs *Tit. 3. De Libelli oblatione. §. 2. n. 69.*

426 Fallit tertiò data Regula, quando intervenit monitio Judicis, ut pars adverſa compareat: quia tunc non eſt opus alia citatione; ut probat textus *in d. cap. 2. b. t.* ibi: *Illo admonito à Judice, aut defenſore venire &c.* Quinimò plùs operatur monitio Judicis, quàm citatio nuntii. Maranta *part. 6. Speculi Aurei. tit. de Citatione. n. 49.* Farinacius *d. Quæſt. 72. n. 76.*

427 Fallit quartò, quando eſt talis teſtis, ut ejus dicto jurato neceſſariò ſit ſtandum; utputà, ex voluntate teſtatoris ita mandantis, juxta *l. Theopompus.* ubi Bartolus *n. 4. ff. de Dote prælegat.* ac notat Alexander *Conſil. 130. n. 5. l. 1.* Felinus *c. In nomine. 2. n. 14. b. t.* rejiciens contrariam Abbatis opinionem. Maſcardus *d. Concl. 683. n. 30.* allegans alios. Idem dicendum, quoties certum eſt, nihil poſſe opponi contra teſtem: putà, quia conſtat, quòd ſit major omni exceptione. Felinus, & Maſcardus, *ubi ſuprà*, & plures alii, quos pro hac ſententia allegat Farinacius *d. q. 72. n. 47.* quamvis ipſe *n. ſeqq.* fateatur, hanc limitationem ſibi admodum duram videri: quia, licèt nihil poſſit opponi perſonæ teſtis, multa tamen alia poſſunt proponi ad impediendum examen vel ſaltem ad veritatem magis explicandam formando certa interrogatoria, quæ pars citata formare poſſet.

428 Fallit quintò, quando teſtes recipiuntur ad informationem Superioris ſuper habilitate vel inhabilitate Electi, vel alterius perſonæ ad aliquam Dignitatem promovendæ: tunc enim non requiritur citatio partis. Abbas *c. In nomine. n. 7.* & Felinus *ibid. num. 8. b. t.* Socinus *de Fallentiis. reg. 406. fallent. 2.* Farinacius *d. q. 72. n. 51. & 52.* iſtud intelligens, antequàm quis eſt promotus ad Dignitatem: ſecus, ubi quis jam fuit promotus, & agitur de illo removendo; quia tunc judicialiter foret agendum, non ſic in priori caſu, ubi ſufficit informatio extrajudicialis.

429 Fallit ſextò in cauſa Hæreſis, quando propter potentiam perſonarum, contra quas inquiritur, teſtibus grave periculum imminere, vident Epiſcopus & Inquiſitores; quia tunc nomina teſtium non ſunt publicanda, *c. ult. de Hæretic. in 6.* ſicque ceſſat diſpoſitio *c. 2. b. t.* Abbas *cit. c. 2. n. 8.* & Felinus *ibid. n. 17. b. t.* Socinus *d. reg. 406. fallent. 4.* Maſcardus, *ubi ſuprà, n. 36.* & alii.

430 Fallit ſeptimò, quando Judex vult ſe informare ſuper notorio, vel fama: putà, quando agitur, ut deveniatur ad inquiſitionem ſpecialem, juxta *c. Qualiter & quando. 24. de Accuſat.* quia tunc poteſt recipere teſtes parte non citata. Felinus *c. In nomine. n. 7. b. t.* Maſcardus *d. Concl. 683. nu. 15.* allegans alios. Idemque dicendum, quandò teſtis aliàs examinatus, iterum producitur ad declarandum dictum ſuum; quia in tali declaratione non eſt neceſſaria partis citatio. Maſcardus *loc. cit. n. 31* allegans alios. Tacentur aliæ limitationes, de quibus Authores proximè citati: nam præmiſſæ ſunt principaliores, minuſque dubiæ.

431 Reſp. III. Quòd ſi pars adverſa, vel quicunque alius impedire præſumpſerit productionem teſtium, tunc excommunicari poterit. Textus eſt *in c. Conſtitutis. 45. b. t.* ubi Pontifex intellecto, quòd nonnulli partim minis & terroribus, partim extorto juramento de non teſtificando contra Reum, teſtes à ferendo teſtimonio arcere niterentur; ex officio ſuo providere volens mandavit, ut generalis ſententia excommunicationis feratur in omnes, qui impedimentum aliquod parti in producendis teſtibus præſtare præſumpſerint; & notat Abbas *in Summario*, & Barboſa *in Collectan. ibid. n. 1.* & communis Doctorum. Accedit ratio: quia occultare veritatem in alterius præjudicium, dum quis legitimè inducitur ad teſtificandum, eſt peccatum mortale, *can. Quiſquis metu. 11. qu. 3.* ergo idem dicendum de eo, qui malitioſè præſumit impedire alterum à ferendo teſtimonio; nam facientes, & conſentientes pari pœna ſunt plectendi, *c. Quantæ. 47 de Sentent. excommunic.* Atqui pro peccato mortali; præſertim tam pernicioſo, poteſt quis excommunicari, *can. Nemo Epiſcoporum. & can. Nullus ſacerdotum. 11. q. 3.* ergo.

432 Hinc Abbas *in cit. c. Conſtitutis. n. 1. hoc tit.* ex textu illius notanter infert, quòd Judex ex officio ſuo providere debeat, ne impediatur productio & receptio teſtium, ſed ſalva ſit partibus rerum probatio: & ſi ſecùs fiat, Judex Eccleſiaſticus poſſit excommunicare etiam Laicos, vel quoſcunque impedientes partem in explicandis illis, quæ ſunt judicio neceſſaria. Quòd ſi tales ignorantur in ſpecie, notetur Practica *in d. c. Conſtitutis. 45. b. t.* inſinuata, ut feratur excommunicatio generalis in quoslibet ita impedientes.

433 Quæritur III. Quid agendum, ſi teſtes producendi alienæ ſint juriſdictionis? Reſp. I. Quando teſtes non ſunt ſubjecti juriſdictioni Judicis citantis, ſed alienæ juriſdictionis; tunc eorum citatio expediri debet per litteras, quas vulgò *Mutui Compaſſus* appellant, in quibus requiritur Judex competens, ut teſtes ſuæ juriſdictioni ſubjectos mittat ad locum Judicii, in quo eorum teſtimonium deſideratur. Ita Engel *b. t. n. 2.* Et ratio eſt; quia neceſſariæ probationes debent fieri coram Judice, qui præeſt judicio, *l. Quinquaginta. ff. de Probat.* Et ipſe omnibus ritè obſervatis tenetur exiſtimare, quanta fides teſtibus ſit adhibenda, *L. 3. §. Ideòque. ff. b. t.* Iſtud autem obtineri non poteſt à teſtibus alienæ juriſdictioni ſubjectis, niſi per memoratas litteras petendo ipſorum remiſſionem à proprio eorum Judice; ſiquidem citatio non ſubditi, nullius eſt momenti; cùm extra territorium jus dicenti, impunè non pareatur, *L. ult. ff. de Juriſdict. omn. judic. & c. ult. de Conſtit. in 6.* ergo.

434 Additur notanter, *quando teſtes non ſunt ſubjecti juriſdictioni Judicis citantis, &c.* Cùm enim Epiſcopus ſit Ordinarius totius Diœceſis. Abbas *in Repet. c. Si quis contra. n. 41. de Foro compet.* Atque ipſe in quolibet loco ſuæ Diœceſis non exempto per ſe, vel per alium poſſit pro Tribunali ſedere, eò quòd *Epiſcopus in tota ſua Diœceſi juriſdictionem ordinariam noſcatur habere*, juxta textum expreſſum *in c. Cùm Epiſcopus. 7. de Offic. Ordinar. in 6.* Liberamque habeat poteſtatem, adulteria & ſcelera inquirendi, ulciſcendi, & judicandi, ſecundùm quòd Canones cenſent, abſque impedimento alicujus, *c. 1. de Offic. Ordinar.* junctis concordantiis à Gloſſa *ibid.* ℣. *Secundum quòd*, relatis. Hinc perſpicuum eſt, quòd Epiſcopus in cauſis Eccleſiaſticis citans teſtes laicos ſuæ Diœceſis, non indigeat litteris *Mutui Compaſſus*, quibus requirat Judices ſæculares, ut mittant ſubditos ſuos ad ferendum teſtimonium in judicio Eccleſiaſtico: habet enim Epiſcopus juriſdictionem Eccleſiaſticam non ſolùm in Clericos, verùm etiam in Laicos totius ſuæ Diœceſis; ſicque teſtes ab eodem in cauſis Eccleſiaſticis citati, nequeunt declinare Forum ipſius. Quòd ſi forſitan aliqui eorum ſecùs attentare præſumpſerint, per cenſuras Eccleſiaſticas ſunt compellendi ad ferendum teſti-

teſtimonium, ne veritas occultetur, *c. 1. & 2. & c. Pervenit. ad nos. 5. de Teſtib. cogend.* Sed nec ejuſmodi teſtes poſſunt à ſæcularibus Judicibus, vel Dominis ſuis territorialibus impediri, quò minùs ferant teſtimonium coram Epiſcopo loci in cauſis ad ejus Forum pertinentibus: quia, ut patet ex *c. Conſtitutis. 45. h. t.* eſtque proximè dictum *n. 431. & 432.* per Judicem Eccleſiaſticum excommunicandi ſunt quicunque illi etiam Laici, qui productionem teſtium impedire præſumpſerint.

435 Reſp. II. Quòd ſi teſtes vel ob nimiam diſtantiam locorum, ſeu pericula itinerum, aut infirmitatem ipſorum, vel aliud juſtum impedimentum, Judicem judicii perſonaliter accedere, ſeu remitti nequiverint, tunc per iſtum concedenda eſt alteri Judici *Remiſſoria* (ſeu litteræ Remiſſoriales) pro examinandis ejuſmodi teſtibus abſentibus, ac extra Provinciam exiſtentibus: ita videlicet, ut ille alius Judex examen teſtium in ſe ſuſcipiat, illudque ſecundùm ordinem Juris inſtituat, ac depoſitiones teſtium in ſcriptis ſub ſuo ſigillo clauſas tranſmittat. Ita probat textus *in l. Judices. C. de Fide inſtrument.* ac notat Menochius *de Recuperand. poſſeſſ. Remed. 15. nu. 348.* aſſerens, ita affirmare omnes; ac Farinacius *de Teſtib. q. 77. nu. 2.* citans plurimos alios; & *n. 4.* adjungens, quòd ſi Judex ejuſmodi in cauſa civili denegaverit Remiſſoriam poſſit à tali denegatione appellari.

436 Notanter tamen additur, *In cauſa civili*. Nam in cauſis criminalibus Remiſſoria non conceditur; ut habet textus expreſſus *in Auth. Apud eloquentiſſimum. C. de Fide Inſtrument.* Ubi Baldus, & Salycetus in Summario, ſic inquit: *Receptio teſtium poteſt committi in civilibus cauſis, non in criminalibus.* Quamquam iſtud ſit limitandum in cauſis criminalibus parvis, ſeu ubi agitur de modica pœna pecuniaria: item, quando agitur ad defenſionem Rei inquiſiti; vel de crimine agitur ſolùm civiliter: aut quando petitur Remiſſoria pro examinandis teſtibus ſenibus, vel valetudinariis, ſive non habentibus tutum acceſſum ad locum, ubi cauſa criminalis intentatur; atque in nonnullis aliis caſibus, in quibus Remiſſoria etiam in cauſis criminalibus concedi poteſt, ne facultas probationum anguſtietur; aut veritas occultetur: prout fuſiùs declarat Farinacius *cit. q. 77. à n. 78. uſque ad nu. 114.* allegans alios.

437 Porrò, quòd atteſtationes, ſeu depoſitiones teſtium examinatorum à Judice delegato, ſeu Remiſſoriam accipiente, tranſmitti debeant Judici Remiſſoriam concedenti clauſæ, ſeu ſigillatæ, non verò apertæ, patet ex eo: Quia per Remiſſoriam committitur alteri Judici examinatio teſtium, non verò publicatio atteſtationum, *cit. l. Judices.* juncta Gloſſa *fin. C. de Fide Inſtrument.* & notat Farinacius *d. q. 77. n. 143.* Quamquam illicò ſubjungat *n. ſeqq.* quòd ſi ſecùs fiat, & atteſtationes teſtium mittantur apertæ, ſeu non ſigillatæ, idcircò non vitientur dicta teſtium: licèt pars aperiens dictas atteſtationes abſque authoritate Judicis, puniatur pœna Falſi; & ampliùs non poſſit opponere contra teſtes de inhabilitate, vel falſitate.

438 Quæritur IV. Cujus ſumptibus teſtes è longinquo ſint producendi? Reſp. I. Teſtes ſunt producendi ſumptibus ipſius producentis, ſive ipſorum teſtimonium deſiderantis; qui proinde teſtibus è longinquo adductis tenetur ſubminiſtrare viaticum, ſeu competentes expenſas in veniendo, ſtando, & redeundo factas, juxta conditionem & qualitatem ipſorum. Ita communis; & habetur deciſum *in c. Statutum. 80. §. Proferendo. de Reſcript. in 7. & l. Quoniam liberi. C. h. t.* ubi Judex jubetur eſſe cautus, ut teſtibus *venturis ad judicium, per accuſatorem, vel ab iis per quos fuerunt poſtulati, ſumptus competentes dari præcipiat.* Quod ipſum refertur *can. Si teſtes. §. Venturis 4. q. 3.* Et meritò: quia licèt teſtimonium non debeat teſti eſſe lucro, non tamen debet ipſi eſſe nocumento: & regulare eſt, quòd ille teneatur ad impenſas, cujus gratia actus celebratur, *l. Sed etſi hæreditas. §. Quo autem. ff. Ad exhibendum.* Menochius *de Arbitrar. Judic. lib. 2. caſ. 310. n. 10.* Covarruvias *c. Peccatum. part. 2. §. 3. numer. 2.* Gailus *lib. 1. Practic. Obſervat. 99. n. 2. & ſeqq.* Engel *h. t. n. 8.* & alii.

439 Additur notanter, *competentes expenſas in veniendo, ſtando, & redeundo.* Hæ enim omnes ſunt teſtibus aliunde vocatis ſubminiſtrandæ, per textum expreſſum *in cit. c. Statutum §. Proferendo de Reſcript. in 6.* Ubi Gloſſa *V. Expenſas*, & Ancharanus *ibid. n. 3.* ſentit, expenſas illas eſſe deponendas apud Judicem jam à principio, ſeu antequàm teſtes citet è longinquo. Et idem placet Gailo *cit. Obſervat. 99. n. 2. & 3.* ubi addit, iſtud pro cautela eſſe bene notandum: ſimulque notant, quòd ubi teſtes extra locum habitationis ſuæ peregrè evocantur, viaticum neceſſarium ipſis ſubminiſtrandum ſit nulla habita ratione, vel deductione ſumptuum, quos aliàs domi feciſſent, per textum *in d. §. Proferendo*: & niſi producens id fecerit, teſtes citati comparere non teneantur, nec Judex cauſam differre debeat, juxta Gloſſam *ibid. §. Expenſas.*

440 Judex tamen cavere debet, ne teſtes è longinquo adductos diutiùs, quàm par eſt, in loco examinis ſtare faciat, & ſaltem ipſos non detineat ultra quindecim dies; aliàs enim teſtes illi, etiam venia non petita diſcedere, atque domum redire poſſent, per textum expreſſum *in l. Si quando. C. de Teſtib.* Licèt ante illud tempus, abſque licentia, impunè hoc facere non poſſint, *c. 1. de Judiciis*, ac notat Gailus *loc. cit. n. 6.* allegans alios.

441 Reſp. II. Expenſæ teſtibus è longinquo venientibus debitæ, ſunt menſurandæ per Judicem habita ratione ſtatus perſonarum, & qualitatum ſuarum. Ita deſumitur ex textu *cit. §. Proferendo*, ibi: *Competentes expenſas.* Quod ipſum traditur *in d. leg. Quoniam liberi C. h. t.* ibi: *Sumptus competentes dari præcipiat.* & ampliùs tradit Gailus *loc. cit. n. 3. & 4.*

442 Hinc in taxando modo expenſarum conſiderare oportet, an nobilis, plebejus, vel ruſticus in teſtem vocetur. Ruſticus enim equo uti non debet; & ſi utatur, expenſæ idcircò factæ non ſunt ei reficiendæ, juxta Gloſſam ſingularem *in l. Idemque. §. Idem Labeo. V. Eum operam. ff. Mandati*: Quia (inquit Gloſſa) conſuetudo ſua eſt ſervanda, & non competit ſuæ conditioni equitare.

443 Utrùm autem emolumentorum, quibus teſtis ob abſentiam carere debet, ſeu operarum omiſſarum ratio habenda ſit, variant Doctores. Et quidem negativam tenet Gailus *cit. Obſervat. 99. n. 5.* poſt Baldum *in L. fin. n. 12. C. de Fructib. & lit. expenſ.* ac tenent nonnulli alii apud Farinacium *de Teſtib. q. 67. nu. 271. & 272.* Verùm ipſemet Farinacius *ibid. n. 270. & 273.* adhæret oppoſitæ ſententiæ tanquam veriori, & magis communi; ne videlicet teſtimonium ſit teſtificanti damnoſum ex jactura talium emolumentorum.

444 Solùm adde, quòd ſi teſtes è longinquo citentur pro utilitate utriuſque partis, tunc ſumptus ex æquo faciendi ſint ab utraque parte, utpote cujus gratia actus geritur; ut *l. Sed & loci. §. 1. ff. Finium regund.* Gailus *loc. cit. nu. 6.* Alioquin verò pars victa cogetur ſumptus neceſſarios in producendis teſtibus factos, parti victrici refundere: niſi forſan ob juſtam cauſam litigandi compenſatio expenſarum facta fuerit, *l. Properandum. § Sive autem alterutra. C. de Judiciis.*

445 Quæritur V. Quot poſſint fieri productiones teſtium? Reſp. I. Regulariter tres ſolùm productiones Teſtium fieri & admitti poſſunt; quarta verò non niſi ex juſta cauſa, & cum ſolemnitate Legali, admitti debet. Ita Summarium, Abbas, Barboſa, & DD. communiter *in c. In cauſis. 15. h. t.* ubi ſic habetur deciſum, illis verbis: *In cauſis Eccleſiaſticis, & civilibus ultra tertiam productionem, non debent teſtes produci, niſi adhibita quadam ſolemnitate, quæ in Legibus invenitur expreſſa.* Concordat *Auth. de Teſtib. §. Quia verò. Collat. 7. & c. Ultra tertiam. 53. eod.* illicò referendum. Unde

446 Reſp. II. Solemnitas Legalis, quæ debet obſervari in quarta teſtium productione, determinatur *in cit. Auth. de Teſtib. §. Quia verò. & d. c. Ultra tertiam. h. t.* illis verbis: *Ultra tertiam productionem non debent teſtes produci in cauſa: Niſi præſtito ab eo, qui hoc poſtulat, juramento, quòd neque per ſe, neque per alium teſtificata ſubtraxerit, vel fuerit percunctatus: nec per dolum, aut artem aliquam, quartam productionem expoſcat; ſed quia, quos deſiderat de novo producere, priùs habere nequivit.* Hæc ibi.

447 Ex quibus verbis liquet, quòd dicta ſolemnitas Legalis importet juramentum ſuper tribus punctis judicialiter præſtandum. I. Quòd *teſtificata*, ſeu factas ſive pro ſua, ſive pro adverſa parte (ut explicat Gloſſa *in cit. c. Ultra tertiam. V. Teſtificata*) teſtium depoſitiones, *neque per ſe, neque per alium ſubtraxerit*; hoc eſt, ſuppreſſerit, vel occul-



taverit, forſan advertens, quòd ſibi non faveant. II. Quòd nec teſtificata *fuerit percunctatus*; id eſt, non didicerit, aut exploraverit: quia tunc oriretur periculum, & præſumptio ſubornationis teſtium, ſi iſti poſt jam didicita teſtificata produci poſſent, *c. Fraternitatis. 17.* juncta Gloſſa *V. Novis. h. t.* III. Quòd dolosè, *ſuper dolum, aut artem aliquam*, putà, ad malitioſè protrahendam litem, *quartam productionem non petat*; ſed quia hujuſmodi teſtes anteà producere non poterat: uti liquet ex allegato textu, & *cit. Auth. de teſtib. §. Quia verò.*

448 Ratio Concluſionis, ſeu memoratæ Deciſionis eſt. Partim, ut coerceatur effrænata teſtium multitudo; qualis ſequeretur, ſi ſemper alii & alii teſtes poſſent produci, *L. 1. § fin. ff. h. t. & c. Significaverunt. 36.* juncta Gloſſa *V. Effrænata. h. t.* Partim, quia ex petita tam multiplici productione teſtium oritur præſumptio, quòd quis malitioſè id faciat, nimirum vel animo prolongandi litem; vel quia jam percunctatus fuerat dicta teſtium anteà à ſe productorum, & videndo, quòd illi non bene probent intentionem ſuam, velit poſteà producere alios teſtes ſubornatos: prout in ſimili cavetur *Clem. 2. h. t.* Sed quia poteſt quandoque oppoſitum contingere, hinc ſtatuitur illud moderamen, ut ceſſante tali fraude poſſit quidem admitti quarta teſtium productio, ſed non niſi ſervata præmiſſa ſolemnitate Legali, ſive præſtito juramento, ut ſuprà.

449 Dices. Fruſtrà exigitur iſtud juramentum, poſtquàm à principio jam fuit juratum de calumnia; ergo. Antecedens probatur. Quia juramentum de calumnia extendit ſe ad omnia, quæ poſteà occurrunt in cauſa, *Auth. Hoc ſacramentum. C. de Jurament. calumn.* ſimulque non debet ſæpiùs in eadem cauſa jurari, *Auth. De his qui ingred. appellat. §. fin. Collat. 5.* Reſp. neg. antecedens, cum ſuæ probationis conſequentia. Quia juramentum de calumnia eſt longè diverſum ab iſto; atque ideò unum juramentum non excludit alterum, neque iſtud reddit ſuperfluum: nam juramentum de calumnia, eſt juramentum de credulitate, ſeu quòd quis credat, ſe habere juſtam cauſam &c. Juramentum autem, quod hic requiritur ad obtinendam quartam productionem teſtium, eſt juramentum de veritate; ſeu quòd quis neque per ſe, neque per alium didicerit teſtificata &c. Gloſſa *cit. cap. Ultra tertiam. verſ. Juramento. h. t.* juncta Gloſſa marginali *ibid.* ampliùs hanc inſtantiam deducens, & reſolvens.

450 Circa dictam tamen Concluſionem, & allegatum in ea textum ex *c. Ultra tertiam. h. t.* eſt ſciendum, quòd Gloſſa *ibid. V. Productionem.* & Barboſa *in Collectan. n. 1.* Jo. Andreas *c. In cauſis. n. 6. h. t.* pluresque alii, per ly, *Productionem*, intelligant *Dilationem*: ut ſit ſenſus, quòd ultra tertiam non concedatur quarta dilatio abſque memorata ſolemnitate Legali, quamvis intra terminum ejuſdem dilationis plures poſſint fieri productiones teſtium. Verùm de hac opinione Gloſſæ multùm dubitat, ac in oppoſitum inclinat Abbas *in cit. c. Ultra tertiam. not. 1. & c. In cauſis. n. 1. h. t.* eumque ſequitur Pirhing *h. t. n. 174.* Tum quia textus in Juribus præallegatis utitur verbo *Productionis*, & non *Dilationis*. Tum quia ex tot repetitis teſtium productionibus, quæ juxta dictam Gloſſæ opinionem intra ſingulas dilationes fieri poſſent, daretur locus effrænatæ teſtium multitudini: ſimulque oriretur præſumptio fraudis contra producentem, juxta dicta *n. 448.* Quòd ſi tamen iſta incommoda ceſſarent, poterit habere locum dicta Gloſſæ opinio: quam etiam ſervari in practica, eſſeque tenendam, monet Jo. Andreas *ad fin. cit. n. 6.*

451 Reſp. III. Etſi quarta productio teſtium concedi non debeat abſque memorata ſolemnitate Legali, ut dictum: nihilominùs ſi ea conceſſa fuerit abſque illa ſolemnitate, ſimulque à parte altera non ſit contradictum, neque appellatum, valent atteſtationes inde ſecutæ. Ita Abbas *cit. c. In cauſis. n. 4. h. t.* Maſcardus *Quæſt. 10. Proœm. nu. 63. & 64. & Concl. 1229. n. 18.* citans alios. Ratio eſt: quia hoc ipſo, quòd non fuerit contradictum, cenſetur pars altera tacitè conſenſiſſe in ejuſmodi quartam productionem teſtium, eamque approbaſſe: ſicque ſibi præjudicat, conformiter dictis ſuprà *§. 1. nu. 17. 18. 21. & Tit. 8. De Dilationibus. §. 3. n. 57. & 58.*

452 Accedit, quòd in ſimili, imò & à fortiori, valeat productio ac receptio teſtium facta poſt Concluſionem in cauſa, ſi non fuerit contradictum; prout cenſuerunt Domini de Rota *Deciſ. 5.* apud Abbatem *cit. num. 4.* Quòd ſi verò fuerit contradictum, & appellatum, non valent atteſtationes, quæ recipiuntur poſt Concluſionem in cauſa, vel in quarta teſtium productione abſque ſolemnitate Legali conceſſa, juxta Reg. 64. Juris in 6. *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*, cum concordantiis. Abbas *loc. cit. n. 4.*

453 Quæritur VI. An teſtes ſemel producti, iterum in eadem cauſa produci valeant? Reſp. I. Qui teſtificata nondum didicit, neque teſtibus producendis renunciavit, poteſt in eodem etiam judicio, & ſuper iiſdem articulis, iterùm eoſdem, vel alios teſtes producere. Ita habetur deciſum *in c. Conſtitutis. 46. h. t.* ubi Summarium, Gloſſa, Abbas, Barboſa, aliique communiter. Accedit ratio: quia is, qui teſtificata nondum didicit, adhuc ignorat, quid teſtes depoſuerunt in ſua priori productione, ſicque ceſſat periculum ſubornationis, ut aliquid addant, vel corrigant de priore teſtificatione ſua. Deinde facultas probationum non eſt indebitè anguſtianda, *c. Dilecto. 40. h. t. & Lib. 1. § Adhiberi. ff. eod.* ergo non eſt impedienda iterata productio teſtium illorum, quos anteà quis producere potuit, aut etiam produxit, niſi obſtet facta renunciatio teſtium, vel aliud legitimum impedimentum. Occaſione cujus

454 Eſt notandum, quòd *Didicita teſtificata* tunc dicantur, quando quis Acta depoſitionis teſtium plenè cognovit, ſeu ex Actis intellexit, quid teſtes in ſua teſtificatione depoſuerint: ſecùs, quando quis vel omnino non, vel ſaltem non plenè, aut non ex Actis illis, ſed aliunde extrinſecùs, teſtium depoſitiones intellexiſſet. Baldus *c. Conſtitutis. il 2. n. 3. h. t.* aſſerens, hoc eſſe menti tenendum; & alii proximè citandi. Quare ſi quis atteſtationes perfunctoriè, & quaſi aliud agens non diligenter perlegerit, vel ſi ipſi legenti Notarius atteſtationes è manibus eripuerit, aut alio quovis modo imperfectè duntaxat atteſtationum notitiam acquiſierit, nondum cenſetur teſtificata didiciſſe; ſicque poteſt adhuc teſtes producere. Bartolus *in Auth. At qui ſemel. verſ. Venio ad quartum. C. de Probat.* Baldus *loc. cit.* Maſcardus *de Probat. Concl. 1243. n. 30.* & alii quos citat.

455 Hinc etiam non cenſetur didiciſſe teſtificata pars illa, cui teſtes probantur revelaſſe examen; ſeu, quid in ſua teſtificatione depoſuerunt: quia ſæpè mentiuntur: aut ſaltem veritatem occultant ejuſmodi teſtes, ut partibus blandiantur, & placeant. Baldus *cit. n. 3.* Gailus *lib. 1. Pract. Obſerv. 105. n. 3. verſ. Idem eſt, ſi ab ipſis &c.* Idemque dicendum, ſi teſtis, antequam deponeret, prædixit parti, quid in examine dicturus ſit: quia ſæpè aliter poſteà dicunt. Felinus *c. Fraternitatis. n. 11. h. t.* Farinacius *de Teſtib. q. 73. n. 35. & 38.* allegans plurimos alios, atque inde concludens quòd quis propterea non excludatur à productione novorum teſtium.

456 Econtrà verò, quando Judex partibus præſentibus, tacentibus & audientibus, prælegit teſtium depoſitiones, tunc indubiè cenſentur à partibus teſtificata didicita, ſeu plenè percepta. Et idem dicendum, quando quis teſtificata ſubtraxit, vel penes Notarium, aut aliam perſonam exiſtentia perfectè legit, *arg. c. Ultra tertiam. 53. h. t.* Vel quando aliàs hæc penes ipſum aperta, ſeu diſſigillata reperiuntur; præſumitur enim teſtificata perlegiſſe, ſicque didiciſſe; niſi forſan oppoſitum probari poſſet, v. gr. ex eo, quòd atteſtationes penes ipſum reperiantur adhuc clauſæ, & non diſſigillatæ. Farinacius *cit. q. 73. n. 43* & alii quos copioſè citat.

457 Reſp. II. Poſt publicationem atteſtationum, & didicita teſtificata, non poteſt pars ſuper eiſdem articulis, vel directè contrariis, reproducere priores teſtes, neque alios novos producere. Ita Gloſſa *c. Fraternitatis. V. Novis.* & Abbas *ibid. n. 9. h. t.* Farinacius *cit. q. 75. nu. 68.* & communis Doctorum. Atque iſtud habetur expreſſum *in Auth. de Teſtib. §. Quia verò. Collat. 7.* ubi dicitur: *Illud tamen indubium eſt, quia & ſi ſemel producens teſtes, aut bis, aut teſtificationes tractaverit* (id eſt, deſcripſerit, ut explicat Gloſſa) *aut adverſario hoc faciente ipſe diſputationem acceperit, & ex hoc didicerit teſtificata, non habebit omnino licentiam ullam ulteriùs tui teſtium productione.* Concordat textus *in c. Conſtitutis. 46. h. t.* ibi: *Cùm nondum teſtificata didicerint*, ſumpto argumento à ſenſu contrario. Et *c. Ex*

*tenore.*

*tenore.* 35. juncta Gloſſa *fin.* & *c. Veniens* 38. *§. Pars autem. h.t.* cum ſimilibus. Accedit ratio: quia, poſtquàm pars didicit teſtificata, ſubeſt periculum ſubornationis teſtium, ſeu ne pars, quæ teſtes produxit; eos ſubornet, ac inſtruat, ut aliquid addant, vel demant factæ ſuæ depoſitioni; prout notatur *in Clem. 2. de Teſtibus.*

458 Atque hæc Concluſio non ſolùm procedit ad impediendum quartam productionem teſtium, de qua fit mentio *in c. Ultra tertiam* 15. *h.t.* ſed etiam locum habet, quando quis poſt primam jam, vel ſecundam teſtium productionem teſtificata didicit; uti probatur ex *cit. Auth. de Teſtib.* ibi: *Et ſi ſemel producens teſtes, aut bis &c.* Nam etiam tunc ſubeſt periculum ſubornationis teſtium, dum quis teſtificata jam didicit, per Jura hactenus allegata; ſicque non poſſunt alii teſtes produci, aut reproduci.

459 Intellige, *regulariter loquendo*, ac demptis certis caſibus, in quibus etiam poſt publicationem atteſtationum, aut didicita atteſtata, imò & poſt Concluſionem in cauſa, poſſe novas probationes recipi, teſteſque produci aut reproduci, jam dictum eſt ſupra *Tit. præced. §. 6. n.* 154. *& ſeqq. & n.* 163. *& ſeqq.* Sed de his ibi videatur: vel, ſi placuerit, legatur Proſper Farinacius *de Teſtib. q.* 75. *n.* 98. *uſque ad n.* 255. ubi ſexaginta ſeptem tales limitationes adducit.

460 Procedit inſuper data Concluſio in cauſa appellationis: nam etiam tunc poſt publicatas anteà factas teſtium depoſitiones, & didicita teſtificata, non poſſunt ampliùs ſuper eiſdem, vel directè contrariis articulis, priores vel novi teſtes produci. Gloſſa *in cit. c. Fraternitatis.* ℣. *Nobis.* & Abbas *ibid. n. 3. h.t.* rejiciens contrariam quorundam Legiſtarum ſententiam. Siquidem *cit. Auth. de Teſtib. §. Quia verò*, loquitur indiſtinctè: & ratio prohibitionis, ſcilicet timor ſubornationis, quæ eſt in cauſa principali, pariter militat in cauſa appellationis. Accedit nova Deciſio Apoſtolica, ſeu textus apertus *in Clem. 2. h. t.* ubi & hujus ratio additur, illis verbis: *Cùm non minùs in appellationibus, quàm in principali cauſa, ſubornatio ſit timenda.* Intellige tamen hoc ipſum regulariter, demptis nimirum caſibus, de quibus *num. præced.* remiſſivè dictum fuit.

461 Dices. Timor ſubornationis teſtium etiam urget ante publicationem atteſtationum, cùm pariter anteà ſuper cauſa principali poſſint teſtes ſubornari, *arg. c. Licèt cauſam* 9. *§. Poſt hæc. de Probat.* & *c. Sicut nobis.* 9. *h. t.* ergo. Reſp. neg. conſequent. Quia, ut notat Jo. Andreas *d. c. Fraternitatis n.* 24. & Abbas *ibid. n. 3. h. t.* ante publicationem atteſtationum non ſubeſt tantus timor ſubornationis teſtium, quantus poſteà. Siquidem pars veriſimiliter anteà ſperat, ſe poſſe intentionem ſuam probare per teſtes, vel adverſarium ſuum in probando ſuccubiturum; ſicque minùs eſt ſollicita de ſubornatione teſtium: ſecùs dicendum poſt jam didicita atteſtata, ubi videt ſe ſuccubituram, niſi aliter teſtes depoſuerint: unde ſpe victoriæ, ſeu ne ſuccumbat, faciliùs induceretur ad teſtium ſubornationem, ſi denuò ſuper iiſdem articulis, vel ſaltem directè contrariis, teſtes producere, vel reproducere poſſet.

462 Urgebis *In c. Cùm cauſa.* 42. *h. t.* recipiuntur teſtes, etiam jam anteà producti, ad probandam eandem cauſam; ergo. Reg. neg conſequent. Quia, licèt ibidem fuerint teſtes recepti ſuper eadem cauſa, videlicet læſionis ultra dimidiam juſti pretii in contractu venditionis; non tamen iidem teſtes fuerunt reproducti ſuper eodem articulo, ſed ſuper articulo diverſo: nam teſtes illi in ſecunda productione ſolùm debuerunt deponere de valore, ſeu quantitate pretii, quo res vendita conſtabat tempore venditionis; prout liquet ex textu, & ampliùs probat Gloſſa *ibid.* ℣. *Ad alium.* Porrò, quod ſuper diverſis articulis poſſint teſtes tum iidem, tum diverſi ſæpiùs produci, etiam poſt publicationem atteſtationum ſuper uno articulo factam, patet ex *c. Fraternitatis* 17. juncta Gloſſa ℣. *Novit. h. t.* eſtque jam dictum *Tit. præced. §. 6. n.* 150.

## §. XIV.

## De Juramento Teſtium.

*SUMMARIUM.*

463 *Teſtis, antequàm deponat, debet jurare; alioquin non probat.*
464 *Juramentum teſtium eſt de veritate dicenda.*
465 *Quinque capitula, ſecundùm Gloſſam, ſunt juranda per teſtes nempe, quòd dicent totam veritatem.*
466 *Nullam interſerendo falſitatem.*
467 *Et quòd dicent veritatem pro utraque parte.*
468 *Et quidem omnem veritatem, ſive interrogati, ſive non.*
469 *Et quòd non pretio, nec amore, nec timore &c. teſtimonium dicent.*
470 *Alii ſextò requirunt, quòd teſtes jurent, ſecretò tenere dictum ſuum.*
471 *Dantur aliqui caſus, in quibus juramentum teſtium non exigitur, ſed probant teſtes non jurati. Et n. ſeqq.*
472 *Ut, quando Judex ſuper notorio recipit informationes ad ſuam plenam inſtructionem.*
473 *Item in probatione conſuetudinis populi.*
474 *Et generaliter quando teſtes recipiuntur pro informatione ſolius Judicis.*
475 *Unde executor Litterarum Apoſtolicarum cum clauſula,* Si idoneum eum inveneris, *poteſt recipere informationes à teſtibus non juratis.*
476 *Probat teſtis non juratus, quando ipſi remittitur juramentum. Et num. 480. & ſeqq.*
477 *De conſuetudine multis in Provinciis Perſonæ Illuſtres ſine juramento teſtificantur &c.*
*Non teſtimoniis, ſed teſtibus judicandum eſt. Ibid.*
478 *Conſuetudo illa non valet, qua generaliter omnibus teſtibus creditur ſine juramento.*
479 *Teſtes ſine juramento recepti, licèt non probent, ne quidem ſemiplenè, faciunt tamen præſumptionem.*
480 *Juramentum poteſt teſtibus remitti de conſenſu partium; & cur?*
481 *Diſparitas inter juramentum teſtium, & juramentum calumniæ, quod expreſſè remitti nequit.*
482 *Ut remittatur juramentum teſtibus, requiritur utriuſque partis conſenſus.*
483 *Solvitur inſtantia ex* c. Tuis quæſtionibus h. t.
484 *An ad remittendum juramentum teſtibus requiratur authoritas Judicis.*
485 *Dantur aliqui caſus, in quibus juramentum teſtibus remitti non poteſt. Et n. ſeqq.*
*Ut in cauſa matrimoniali, quando agitur de matrimonio diſſolvendo: aliàs ſecùs. Ibid.*
486 *Et in cauſis criminalibus, præſertim capitalibus.*
487 *Et quando agitur de Beneficio Eccleſiaſtico &c.*
*Ac in cauſis civilibus arduis. Ibid.*
488 *Juramentum teſtium, qua forma ſit præſtandum? Et n. ſeqq.*
*Debet eſſe perſonale, ac præſtari tactis SS. Evangeliis. Ibid.*
489 *Spectato rigore Juris, qui non habet manus nequit teſtimonium judiciale dicere.*
*Juramentum quando poſſit præſtari ſolo verbo? Ibid.*
490 *De conſuetudine alicubi ſufficit jurare tangendo quaslibet ſacras ſcripturas.*
*Conſuetudo hæc eſt strictè interpretanda; & qualis eſſe debeat? Ibid.*
491 *Epiſcopus receptus in teſtem jurat, non tactis, ſed poſitis ante ſe Evangeliis &c.*
492 *Teſtes priùs debent jurare quàm deponere; aliàs non valet teſtimonium.*
493 *Quid, ſi priùs deponant, & poſteà jurent? Et numer. præced.*
494 *Teſtis debet jurare præſente adverſario.*
495 *Niſi forſan citatus, contumaciter abſit.*
496 *Et quid, ſi adverſarius juſta de cauſa venire nequiverit.*

463 QUæritur I. An, & de quibus teſtes ante ſuam depoſitionem jurare debeant? Reſp. I. Teſtis, antequàm deponat ſuum teſtimonium, debet jurare; alioquin dictum



dictum ejus non probat. Ita communis; & habetur expreſſum *in c. Nuper nobis.* 51. *h. t.* illis verbis *Nullius teſtimonio, quantumcumque religioſus exiſtat, niſi juratus depoſuerit, in alterius præjudicium debet credi.* Ubi proin Jo. Andreas, & Felinus, Abbas *in Summario*, Barboſa, & alii paſſim, hanc regulam ponunt: *Non creditur teſti, etiam religioſo, qui ſine juramento deponit.* Concordat textus *in l. Jurisjurandi. C. h. t.* quæ eſt canonizata *can. Si teſtes*, *§. Jurisjurandi. 4. q. 3.* ubi dicitur: *jurisjurandi religione teſtes, priuſquam perhibeant teſtimonium, coarctentur:* juncto *c. Fraternitatis.* 16. & *c. Tuis quæſtionibus.* 39. *h. t.* & *l. Teſtium. C. eod.* cum ſimilibus. Unde ob textus Juris tam claros, quòd præſens Concluſio contradictorem non habeat, teſtatur Farinacius *de Teſtibus, q. 74. nu. 2.* quamvis ipſa procedat ſolùm *regulariter* demptis videlicet certis caſibus, infrà *n. 471. & ſeqq.* referendis; & ſalva illa quæſtione, an ſufficiat teſtem jurare poſt depoſitionem ſuam, de qua *n. 492. & 493.*

464 Reſp. II. Juramentum teſtium eſt de veritate dicenda; & quidem de tota, quam noverunt de re illa, ſuper qua depoſituri jurant. Ita Gloſſa *fin. in c. Fraternitatis. h. t.* quam approbat Jo. Andreas *ibid. n. 15.* & Abbas *num. 13.* Speculator *tit. de teſte §. Sequitur n. 1.* Farinacius *cit. q. 74. n. 3. & ſeqq.* & alii. Idque patet ex *can. Hortamur. 4. q. 6.* ubi teſtes jubentur veritatem aperire, *tactis ſacroſanctis Evangeliis, præbito etiam legaliter ſacramento, quæ in veritate rerum noverunt, ut patefactis omnibus, quæ ſecundùm leges, & juſtitiam cenſenda ſunt,* Judex cognoſcere, & competentem legibus, & veritati terminum dare valeat. Concordat *Auth. de Teſtibus. §. Sancimus autem. Collat. 7.* cum ſimilibus.

465 Atque idcircò Gloſſa *fin. cit. c. Fraternitatis. h. t.* ponit quinque capitula juranda per teſtes, quibus Jo. Andreas, & Abbas, *ubi ſuprà*, addunt ſextum. Primò enim jurabunt, quòd dicent totam veritatem Judici, vel cui is commiſerit, quam noverunt de re illa, ſuper qua jurant, ut proximè dictum. Et hinc inquit Speculator *cit. §. Sequitur. n. 3.* & Pirhing. *n. 116. h. t.* allegans inſuper Imolam *in c. De Teſtibus. n. 2. eod.* notandum eſſe, quòd nec Judex, nec partes pati debent, ut teſtes de veritate jurent ſuper certis duntaxat articulis (ſic enim non valeret eorum teſtimonium ſuper aliis, quæ nonnunquam contingunt; eò quòd de his non jurati deponerent) ſed debeant jurare ſuper articulis datis, totaque cauſa; & ſic valebit eorum teſtimonium ſuper omnibus ad cauſam facientibus; ut *can. Hortamur. 4. q. 9. & c. De teſtib. 29. h. t. & c. Cùm dilectis. 18. §. 1. de Accuſation.* Hoc ipſum confirmat praxis recepta Tribunalium, juxta quam teſtes jurant, quòd dicent veritatem ſuper illis, de quibus fuerint interrogati: tale enim juramentum reſpicit totam cauſam, quando de ea, ſicut poſſunt, interrogabuntur.

466 Secundò teſtes jurabunt dicere veritatem, nullam interſerendo falſitatem: ut *can. Nullam damnationem. 2. q. 4.* ibi: *Et priùs ad ſacra Chriſti quatuor Evangelia ſacramenta præſtent, quòd nihil falſum depromant:* juncta Gloſſa *ibid.* ℣. *Falſum*, quæ pariter enumerat quinque iſta capitula per teſtes juranda. Verùm hæc verba ſufficienter in priori capitulo includuntur, etſi formam dicendæ veritatis magis ſpecificent, & declarent: unde quòd verba iſta, de falſitate non immiſcenda, in practica non apponantur juramento teſtium, refert Farinacius *cit. q. 74. n. 12.* allegans alios.

467 Tertiò jurabunt teſtes, quòd pro utraque parte dicent veritatem, quam ſciunt, *can. Non ſanè. 14. q. 5.* ac notat Gloſſa, *ubi ſuprà*, Speculator *loc. cit. n. 1.* iſtud ulteriùs probans ex *Auth. Sed Judex. C. de Epiſcop. & Cleric. & c. Veniens 38. §. fin. h. t.* ibi: *Ut vocati ad teſtimonium liberè valeant pro utraque parte teſtari.* Maranta *part. 6. Speculi Aurei tit. de Teſtium productione n. 19.* Farinac. *d. q. 74. n. 16.* allegans alios. Sicut enim teſtes pro utraque parte tenentur dicere veritatem, ita etiam jurare. Pirhing *h. t. n. 116.*

468 Quartò jurabunt teſtes, quòd dicent omnem veritatem, ſive interrogati, ſive non, *arg. c. Cùm dilecti. 18. §. 1. & can. Nullam damnationem, 2. q. 4.* ℣. *Falſum.* Farinacius *ead. q. 74. n. 9.* allegans alios: quamquam ſtatim *n. 10.* ſubjungat, iſtud requiſitum in practica non ſervari, ſeu in juramento Teſtium non exprimi; ſed ſufficere, ut Teſtis juret ſimpliciter de veritate dicenda: hoc ipſum enim importat omnem veritatem.

469 Quintò jurabunt Teſtes, quòd non pretio, nec amore, nec timore, vel odio, aut pro alio commodo, quod habuerunt, habent, vel habituri ſunt, teſtimonium dicent, *c. Quoties. 6. & c. Licèt ex quadam. 47. hoc tit.* Gloſſa, *ubi ſuprà.* Speculator *cit. tit. de teſte. §. Sequitur. n. 2.* Farinacius *loc. cit. n. 17.* allegans alios, quamvis addat, etiam hoc requiſitum in forma juramenti Teſtium non ſolere exprimi, cùm ſufficienter includatur in eo, quod teſtes jurent ſimpliciter de veritate dicenda.

470 Sextum capitulum, quod extra Gloſſam Abbas *in cit. c. Fraternitatis, n. 13. h. t.* citans Jo. Andream, & Speculator *loc. cit. n. 2.* & Farinacius *n. 18.* cum aliis in juramento Teſtium requirunt, conſiſtit in hoc, quòd teſtes jurent, ſecretò tenere dictum ſuum, illudque antè publicationem atteſtationum nemini revelare. Idque deſumitur ex *leg. Qui falsò. ff. hoc tit.* quæ eſt canonizata *in can. Si teſtes. §. Qui falsò. 4. q. 3.* illis verbis: *Qui falsò, vel variè teſtimonia dixerint, vel utrique parti prodiderint, à Judicibus competenter puniantur.* Ratio hujus prohibitionis eſt, ne ex talium teſtium dicto alii teſtes ſubornentur. Quamquàm & iſtud requiſitum potiùs ſit de ſpecificatione formæ juramenti, quàm de ipſa forma, ut notat Farinacius *num. 19.*

471 Reſp. III. Dantur nihilominùs aliqui caſus, in quibus juramentum teſtium neceſſariò non exigitur, ſed probant Teſtes etiam non jurati. Ita Socinus *in Fallentiis, Reg. 424.* plures tales caſus enumerans. Farinac. *cit. q. 74. n. 83. & 101. ac ſeqq.* allegans alios. Idque probatur inductione.

472 Sic imprimis teſtis non juratus admittitur, quando Judex procedit ſuper notorio, ac ſuper eo recipit informationes, & probationes ad ſuam plenam inſtructionem, *arg. c. Tua nos*, juncta Gloſſa ℣. *Teſtimonio, de Cohabit. Cleric. & c. Ad noſtram, 21. de Jurejurand.* ubi dicitur, quòd in notoriis ordo judiciarius non ſit neceſſariò obſervandus. Abbas *c. in nomine Domini 2. n. 7.* & Felinus *ibid. n. 7. h. t.* Jaſon *in Repetit. l. Admonendi. n. 232. ff. de jurejurand.* Socinus *cit. Reg. 424. Fallent. 1.* Maſcardus *de Probat. concl. 1369. n. 17.* Farinac. *n. 103. & 104.* & alii.

473 Deinde teſtes non jurati admittuntur in probatione conſuetudinis populi. Felinus *c. tuis quæſtionibus. n. 2. h. t.* Jaſon *l. c. n. 232.* Maſcard. *cit. numer. 17.* Farinacius *n. 105.* & alii: qui tamen loqui videntur de conſuetudine notoria, eò quòd de conſuetudine, & notorio, ſimul loquantur.

474 Tertiò generaliter admittuntur teſtes non jurati, quando recipiuntur pro informatione ſolius Judicis. Jaſon *cit. Repetit. l. Admonendi, n. 220 ff. de jurejurand.* allegans pro ſe Gloſſam ſingularem *in c. 1. §. Si duo. de Pace tenend. in Uſibus Feudor.* & Baldum *ibid.* Maſcardus *d. concl. 1369. n. 14. & 15.* citans Innocentium *c. Dum in tua. de Sponſalib.* aſſerentem, quòd Judex poſſit ad informationem ſuam procedere ſine ordine & figura judicii, & ſine teſtibus in forma judicii receptis. Farinacius *loc. cit. n. 106.* allegans complures alios.

475 Infertur proinde, quòd Executor Litterarum Apoſtolicarum cum clauſula. *Si idoneum eum inveneris*, poſſit recipere informationes à Teſtibus non juratis. Maſcardus *loc. cit. n. 16.* poſt Butrium, & Abbatem *in c. 1. de Poſtulat. Prælat.* Farinac. *eadem q. 74. n. 107.* allegans alios; & Socinus *cit. Reg. 424. fallent. 4.* iſtud limitans, niſi diceretur, quòd diligenter ſe informet: quia tunc Teſtes deberent jurare, & partes citari.

476 Quartò probat depoſitio Teſtis non jurati, quando ipſi de conſenſu partium remittitur juramentum; prout remitti poſſe teſti, præſertim Illuſtri, aut Religioſo, vel in aliqua Dignitate conſtituto, proximè dicetur.

477 Addit Farinacius *loc. cit. n. 58.* & Ludov. Engel *h. t. n. 43.* & Pirhing *eod. n. 112.* poſt Gailum *lib. 1. Pract. Obſervat. 103. n. 13. & 14.* in multis Provinciis, ac nominatim in Bohemia, Auſtria, Bavaria, & aliis locis, ex ſingulari privilegio, & longa obſervantia, atque conſuetudine introductum eſſe, ut Perſonæ Illuſtres, & in Dignitate conſtitutæ, ſine juramento ſolùm ſub fide Nobilitatis, vel Status ſui teſtificentur, & depoſitionem in ſcriptis clauſam, ſuoque ſigillo munitam Judici tranſmittant. Quamquàm de rigore Juris *non ſit teſtimoniis, ſed teſtibus judicandum*, juxta textum *in c. tua nos. 8. de Cohabit. Cleric.* Siquidem *alia eſt authoritas præſentium teſtium,*

*alia*

*alia teſtimoniorum, quæ recitari ſolent*; prout habetur *l. teſtium fides, §. Sabino, ff. h. t.*

478 Cæterùm conſuetudinem illam eſſe reprobandam, nec valere, qua generaliter; & omnibus teſtibus, etiam privatis indifferenter creditur ſine juramento; meritò cenſet Farinacius *cit. q. 74. n. 57.* & 58. citans Gailum *d. Obſervat.* 101. *n.* 12. & 13 & alios, ac ſequitur Pirhing *cit. n.* 122. & Engel *ubi ſup. n.* 44. Quia talis conſuetudo generalis foret irrationabilis, cùm præberet anſam multis calumniationibus, falſitatibus, & corruptionibus teſtium.

479 Tandem, ut taceantur nonnulli alii caſus, in quibus admittuntur teſtes non jurati, viderique poſſunt apud Maſcardum, & Farinacium, *ubi ſup.* licèt Teſtes ſine juramento recepti plenè non probent, imò nec ſemiplenam probationem faciant, ut inquit Maſcard. *cit. Concl.* 1369. *n.* 18. nihilominùs faciunt ipſi aliquam præſumptionem. Gloſſa *fin. c. Nuper nobis. h. t.* Jaſon, *ubi ſuprà, nu.* 220. Farinac. *d. q. 74. n.* 109. & 110. allegans compluresalios. Quæ quidem præſumptio id operatur, ut ſi ab utraque parte par foret probatio, prævaleret illa, quæ cæteris paribus haberet ulteriùs pro ſe teſtem non juratum. Menoch. *l. 1. de Arbitr. Judic. q.* 26. *n.* 6. Maſcard. *d. concl.* 1369. *n.* 18. Farinac. *n.* 110. & alii ab ipſis citati. Concordant dicta ſuperiùs *Tit. præc. §. 4. n.* 79.

480 Quæritur II. An juramentum poſſit teſtibus remitti? Reſp. I. Teſtes poſſunt teſtificari de conſenſu partium etiam ſine juramento, ſicque poteſt illud illis remitti. Ita Gloſſa *fin.* & DD. communiter *in c. Tuis quæſtionib.* 39. *h. t.* ubi dicitur: *Teſtes producere abſque juramenti depoſitione non poſſunt; niſi fortè à parte remittatur adverſa.* Accedit ratio: quia juramentum in favorem ipſarum partium principaliter introductum fuit, ne in earum præjudicium veritas occultetur; ſed poteſt quilibet favori pro ſe principaliter introducto renunciare, *c. Ad Apoſtolicam, de Regularib.* ergo. Accedit, quòd quis verbo adverſarii totum ſuum jus relinquere poſſit, *L. ult. C. de Fideicommiſſ.* ergo etiam poterit iſtud relinquere verbo teſtis, atque eſſe contentus, ut in proprium etiam præjudicium fides habeatur ſimplici ejus aſſertioni.

481 Nec obſtat, quòd juramentum calumniæ de expreſſo conſenſu partium nequeat remitti, *L. 2. §. Sed quia. C. de jurejurand. propt. Calumn. dand.* & *c. 1. §. Propter emiſſum. de jurament. calumn. in* 6. Diſparitas enim inter juramentum teſtium, & juramentum calumniæ, jam ſuprà *Tit. 7. De Juramento calumniæ. §. 3. n.* 47. aſſignata fuit. Siquidem expreſſa remiſſio juramenti calumniæ præberet anſam calumniandi, & cùm agatur de proprio intereſſe partium, circumveniendi partem alteram, ſicque violandi jus publici judicii; & ſic contra bonos mores foret talis remiſſio, ac proinde non valeret. Nam generaliter pacta, quæ invitant ad peccatum, non ſunt ſervanda, *l. Illud ff. de Pactis dotalib.* & *c. ult. de Pactis*: unde nec valet pactum, ne dolus præſtetur, *l. Contractus, ff. de Reg. Jur.* Secùs accidit in juramento Teſtium: nam hujus remiſſio, etiam expreſſa, non ſic inducit ad peccandum, eò quòd non agatur de proprio intereſſe Teſtium, à quo faciliùs ſolet animus corrumpi; quinimò juramentum Teſtium reſpicit potiùs favorem partium, cui per has remitti poteſt. Gloſſa *c. Tuis q.* 39. ℣. *Remittatur*; & Abbas *ibid. n. 6. h. t.*

482 Reſp. II. Ad hoc, ut remittatur juramentum Teſtibus, requiritur utriuſque partis conſenſus. Ita Jo. Andreas *cit. c. Tuis quæſtionibus, n.* 1. & Abbas *ibid. n. 4. h. t.* Farinacius *cit. q. 74. n.* 86. cum aliis. Ratio eſt; quia Teſtis tenetur teſtificari, pro utraque parte veritatem deponendo; unde etiam utrique parti poſſet præjudicium generari ex falſo ejus teſtimonio: ergo utriuſque partis intereſt, ut Teſtes ſub juramenti Religione ad veritatem edicendam compellantur; & conſequenter ad iſtud juramentum remittendum requiritur etiam utriuſque partis conſenſus, juxta Reg. 66. Juris in 6. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.*

483 Objicies contra datam Concluſionem. In *cit. c. Tuis quæſtionibus, h. t.* fit mentio ſolius conſenſus adverſarii, ſeu remiſſionis juramenti per ipſum factæ, ibi: *Niſi fortè à parte remittatur adverſa*: ergo ſufficit conſenſus ſolius adverſarii. Reſp. neg. conſeq. Quia ideò textus ille fecit mentionem duntaxat de remiſſione juramenti per partem adverſam, contra quam Teſtes inducebantur; quia pars altera, ſeu producens Teſtes, ultrò in hoc jam conſenſerat, volendo Teſtes producere abſque interventu juramenti: ſed Pontifex hoc illius intentum reprobat, niſi forſan acceſſerit etiam remiſſio partis adverſæ. Abbas *ibid. n.* 4.

484 Urgebis. Requiritur ulteriùs conſenſus, & authoritas Judicis, ut juramentum Teſtibus remitti poſſit; ergo non ſufficit conſenſus utriuſque partis duntaxat. Reſp. neg. anteced. Licèt enim Gloſſa *in cit. c. Tuis quæſtionibus.* ℣. *Remittatur.* & Baldus *ibid. n.* 6. & Ancharanus *n. 4. h. t.* & Speculator *tit. de Teſte. § Sequitur. n.* 6. pluresque alii velint, juramentum illud teſtium non poſſe remitti à partibus, niſi accedente ſimul authoritate & conſenſu Judicis: oppoſitum tamen eſt probabilius, tum per allegatum textum *cit. c. Tuis quæſtionibus*: tum per *l. Si convenerit.* juncto Summario, *ff. de Re judicat.* ubi dicitur, quòd ſi partes concordant, qualiter ſententia feratur, Judex debeat ſequi eorum voluntatem. Ita Abbas, *ubi ſuprà. n.* 3. Pirhing *h. t. n.* 124. Farinac. *d. q. 74. n.* 91. allegans pluresalios. Multò minùs poteſt Judex partibus invitis remittere dictum juramentum, ut tradit idem Farinac. *num.* 78.

485 Reſp. III. Dantur nihilominùs aliqui caſus, in quibus juramentum teſtibus remitti non poteſt. Ita communis; & patet inductione. Sic imprimis nequit remitti juramentum Teſtibus in cauſa matrimoniali, quando agitur de matrimonio diſſolvendo. Gloſſa *in cit. c. Tuis quæſtionibus*, ℣. *Remittatur*, & Abbas *ibid. n.* 5. & Barboſa *n. 3. h. t.* Speculator *cit. § Sequitur. n.* 6. Maſcardus *de Probation. q. 5. proœm. n.* 3. Farinacius *n.* 92. & alii. Idque meritò: ne alioquin partes ad invicem colludere poſſint contra valorem matrimonii, *c. Super eo, 5 De eo, qui cognovit. conſang. uxor.* Secùs dicendum, quando agitur de matrimonio contrahendo: tunc enim benè poteſt partibus juramentum remitti. Gloſſa, Abbas, Maſcardus, Barboſa, *ubi ſuprà.* Speculator *cit. n.* 6. Farinac. *n.* 94. & alii.

486 Deinde nequit teſtibus remitti juramentum in cauſis criminalibus, præſertim capitalibus: quia tunc non agitur de privato duntaxat favore partium, ſed potiùs de communi & publica Reipublicæ utilitate, utpote cujus intereſt, delicta non manere impunita, ſed caſtigari, *l. Si ita vulneratus, ff. ad L. Aquiliam*, cum concordantiis. Atqui favori publico partes renuntiare nequeunt, *c. Si diligenti, 12. de Foro compet.* & *l. Jus publicum, ff. de Pactis*; ergo.

487 Tertiò, nequit remitti juramentum teſtibus, quando agitur de Beneficio Eccleſiaſtico, aliave re ſpirituali non dependente à mera voluntate partium. Farinac. *cit. q.* 74. *n.* 93. & alii. Idemque dicendum in cauſis civilibus arduis, utpote quæ æquiparantur criminalibus. Barboſa *cit. n.* 3. Farinac. *n.* 85. allegans alios.

488 Quæritur III. Quâ forma juramentum Teſtium ſit præſtandum? Reſp. I. Juramentum Teſtium debet eſſe perſonale, ac præſtari tactis ſacroſanctis Evangeliis. Ita Gloſſa 1. *in l. Jurisjurandi. C. h. t.* Abbas *c. Tuis quæſtionibus, n. 7. h. t.* Speculator *cit. tit. de Teſte. §. Sequitur, n.* 4. Farinac. *d. q. 74. n.* 20. Pirhing *h. t. n.* 118. & alii. Idque patet *ex can. Hortamur. 4. diſt.* 9. ubi jubentur Teſtes jurare *tactis ſacroſanctis Evangeliis.* Concordat textus *in Clem. 1. §. Porrò de Hæretic.* ibi: *Jurabunt ad Sancta Dei Evangelia corporaliter à ſe tacta.*

489 Unde, quamvis regulariter juramentum poſſit præſtari ſolo verbo, & abſque tactu SS. Scripturarum; ſecùs tamen eſt, ubi juramentum defertur à Jure tactis SS. Evangeliis: quia tunc non ſufficit, quòd ſolo verbo juretur, aut in conſpectu SS. Evangeliorum; ſed neceſſe eſt, ut eorum tactus interveniat. Et hinc ſpectato rigore Juris, qui non habet manus, nequit teſtimonium judiciale dicere: quia oportet, ut Teſtes jurantes tangant manibus ſacras Scripturas. Maſcard. *de Probat. Concl.* 136. *nu.* 40. Farinac. *cit. n.* 20. allegans Rotam *de Juram. calumn. Deciſ. 1. aliàs* 37. *n. 4. in nov.* & alios.

490 Verùm, quòd de conſuetudine alicubi ſufficiat jurare tangendo quaslibet Sacras Scripturas, etiamſi non ſint Evangelium; cenſet Gloſſa *in cit. Clem. 1. §. Porrò.* ℣. *Tacta. de Hæretic.* & Abbas *cit. c. Tuis quæſtionib. n. 7. h. t.* Farinac. *d. q. 74. n.* 22. allegans alios. Quamvis deinde addat, conſuetudinem illam eſſe strictè intelligendam ſimulque debere eſſe ſpecificam, expreſſam, & ſervatam ſuper non tactu Evangeliorum: alioquin enim, ubi talis con-



ſuetudo in ſpecie non viget, Teſtis juxta diſpoſitionem Juris communis jurare debet ad Sancta Evangelia.

491 Excipitur tamen hinc Epiſcopus: qui licèt receptus in Teſtem jurare debeat, & alioqnin non probet; nihilominùs non jurat tactis corporaliter ſacris Evangeliis, ſed tantummodò iis coram ſe poſitis, & inſpectis tangendo pectus ſuum, juxta *Auth. ſed judex C. de Epiſcop. & Cleric.* & *c. ult.* juncta Gloſſa ℣. *Per teipſum, de juram. calumn.* & confirmat generalis conſuetudo, de qua teſtantur Farinacius *cit. quæſt. 74. num.* 81. & 82. Pirhing *h. t. num.* 121. aliique ab his coploſè citati.

492 Reſp. II. Teſtis priùs debet jurare, quam deponere: adeò, ut probabiliùs non valeat teſtimonium, ſi priùs deponat, & poſteà primùm juret. Ita deſumitur ex *leg. Jurisjurandi C. h. t.* quæ eſt canonizata *in can. Si teſtes §. Jurisjurandi.* 4. *q.* 3. ubi dicitur: *Jurisjurandi Religione teſtes, priuſquam perhibeant teſtimonium, conſtringantur*: & notat Gloſſa *in cit. l. verſ. Jurisjurandi*, reddens rationem: *Quia aliter eſſet ordo præpoſterus.* Bartolus *ib. in 2. Lectura not.* 1. ponderans dictionem illam, *Priuſquàm.* Maſcardus *de Probation. concl.* 1369. *n.* 10. Gailus *lib. 1. Practic. obſervat.* 101. *n.* 7. Farinacius *diſt. quæſt.* 74. *n.* 31. citans plurimos alios, hancque ſententiam aſſerens eſſe magis inter DD. receptam. Accedit textus *in c. Fraternitatis 17. h. t.* ibi: *Receptis priùs teſtium juramentis*: juncto *c. De teſtibus* 29. ubi Jo: Andreas *n.* 2. Abbas *n.* 8. Felinus *n. 5. h. t.* & alii. Siquidem antea jurans, religione juramenti non præſumitur falſum dicere: ſed poſtea juſſus jurare, etſi priùs falſum dixiſſet, tamen ob verecundiam, & metum infamiæ, contrarium dicere non audet; & ſic juramentum tunc deſtituitur ſuo fine, ceſſatque dicta præſumptio.

493 Additur tamen in Concluſione, *probabilius non valet.* Nam, quòd præfatus ordo non ſit ſubſtantialis, adeoque valeat teſtimonium, ſi teſtis priùs deponat, & poſtea primùm juret, non pauci, præſertim ex antiquioribus, tenent; uti videre eſt apud Authores proximè relatos. Accedit Gailus *lib. 1 Practic. Obſervat.* 101. *n.* 7. in Camera receptum eſſe, quòd depoſitio teſtis, ante juramentum facta, catenùs valeat, ſi poſt eam incontinenti ſequatur juramentum: tunc enim dictum teſtis cenſetur juramento informatum, juxta illam Regulam; Quæ incontinenti apponuntur, cenſentur ineſſe, *l. Juris gentium §. Quinimò de Pactis*, cum ſimilibus.

494 Reſp. III. Teſtis debet jurare præſente adverſario, & depoſitionem juramenti audiente: niſi forſan citatus contumaciter abſit. Ita Speculator *tit. de Teſte § Sequitur n.* 4. & communis; patetque ex *cap. 2. h. t.* & dictis ſupra *§. 13. n.* 418. & 421. *ac ſeqq.*

495 Additur notanter, *niſi forſan citatus contumaciter abſit.* Quia ſi debitè fuerit citatus adverſarius, & tamen noluerit venire, & quidem contumaciter (hoc eſt, *non ex inevitabili quadam neceſſitate* præpeditus, ut loquitur textus *in cit. cap. 2. h. t.* ſed forſitan malitioſè abſentia impediturus receptionem teſtium) perinde teſtimonia receptorum teſtium valebunt, ac ſi ipſo præſente facta fuiſſent. Textus eſt *in d. cap. 2. h. t.* & *in Auth. de Teſtibus §. Et hic verò. Collat.* 7.

496 Quòd ſi verò citatus adverſarius ex inevitabili quadam neceſſitate, ſive (ut explicat Gloſſa *in cit. cap. 2. verſ. Inevitabili. h. t.*) juſta de cauſa detentus, venire nequierit: tunc probata poſtmodùm tali cauſa abſentiæ, nec ipſe cenſebitur contumax, neque valebunt atteſtationes teſtium ipſo abſente receptæ; ſed erunt in irritum revocandæ, ſicut & ſententia inde ſecuta. Gloſſa *in cap. 2. verſ. Inevitabili. h. t.* & Abbas *ib. nu.* 11. & 12. aliique Doctores, quos citat, & ſequitur Farinacius *quæſt.* 72. *de Teſtib. n.* 20. Idque clarè patet ex *d. Auth. de Teſtibus. §. Et hic verò*, atque ex textu *cit. cap. 2. h. t.* argumento à ſenſu contrario deſumpto: & concordat *c. Cùm Bertoldus. 18. de Sentent. & re judic.* & *l. Si prætor juſſerit. §. fin. ff. de Judiciis.*

§. XV.

## De Examine Teſtium, ac Interrogatoriis ſuggeſtivis vitandis.

*S U M M A R I U M.*

497 *Teſtes ſunt examinandi ab ipſomet Judice.*
498 *Qui tamen ex cauſa poteſt examen teſtium alteri committere.*
499 *Teſtes ſunt examinandi ſecretò, & ſingillatim. Et num. ſeqq.*
500 *Etſi per hoc non excludatur præſentia Notarii, eorum depoſitiones conſcribentis. Et n. præc.*
501 *In examine teſtium ſuper crimine Hæreſis, præter Notarium, adhibentur aliæ duæ diſcretæ perſonæ.*
*Conſultum eſt, ut idem fiat in aliis cauſis multùm arduis. Ibid.*
502 *Examinatio teſtium regulariter fit in loco judicii.*
503 *Quamvis etiam extra judicium, & ubivis locorum fieri poſſit.*
504 *Perſonæ egregiæ domi ſuæ examinari debent. Et num.* 506.
505 *Inter has connumerantur Epiſcopi, Sacerdotes, aliique Clerici; item Perſonæ illuſtres, Doctores, & Milites.*
506 *Ad Perſonas egregias, quando producuntur in teſtes debet Judex domum mittere pro excipiendo earum juramento, & teſtimonio.*
*Idem dicendum de Teſtibus valetudinariis, ſenibus, fœminis &c. Ibid.*
507 *Sacerdotes, aliæque perſonæ Eccleſiaſticæ, ſi producuntur in teſtes coram ſæculari Judice, non jurant, neque deponunt coram eo, ſed coram Epiſcopo &c.*
508 *Teſtes, de quibus ſint interrogandi, ſeu examinandi? Et n. ſeqq.*
509 *Interrogatoria generalia, &*
510 *Interrogatoria ſpecialia, quæ?*
511 *Teſtes ſunt diligenter examinandi de cauſis.*
*Teſtis tenetur reddere cauſam ſuæ ſcientiæ, ſi interrogatur. Ibid.*
512 *Secùs, ſi non interrogetur.*
513 *Teſtes ſunt examinandi de ſingulis circumſtantiis; putà, de perſonis, loco, & tempore.*
514 *De viſu, & auditu.*
515 *De ſcientia, & de credulitate; ac de fama, & certitudine.*
516 *Interrogatoria ſuggeſtiva quæ?*
*Teſtes interrogari per ſuggeſtionem, quid? Ibid.*
517 *Suggeſtio alia aperta, alia palliata, quid?*
518 *Interrogatoria ſuggeſtiva ſunt prohibita, & vitanda.*
519 *Interrogationes teſtium debent fieri in genere, gradatim deſcendendo ad magis ſpecialia.*
520 *Idem procedit in examine Rei ſuper crimine admiſſo.*
521 *Adeò, ut confeſſio Rei per ſuggeſtionem extorta, non ſufficiat ad condemnandum &c.*

497 QUæritur I. A quo, coram quibus, & ubi examen teſtium ſit inſtituendum? Reſp. I. Teſtes ſunt examinandi ab ipſomet Judice: utpote qui in perſona teſtium diligenter explorare debet, cujus conditionis, *& cujus dignitatis, & cujus exiſtimationis ſint, & quid ſimpliciter viſi ſint dicere: utrùm unum eundemque & præmeditatum ſermonem attulerint: an ad ea, quæ interrogaverit, ex tempore veriſimilia reſponderint.* Textus eſt *in l. 3. ff. h. t.* ubi pluribus officium, atque poteſtas Judicis in examinandis teſtibus, & diſcutiendis argumentis, quanta fides habenda ſit teſtibus, declaratur. Concordat *Auth. ut defuncti, ſeu funera &c. §. Illud etiam Collat.* 5. ubi ipſimet Adminiſtratores (id eſt ordinarii Judices, ut explicat Gloſſa *verſ. adminiſtratores*) per ſeipſos jubentur examinare teſtes, ut poſſint iſtos terrere, & ſi opus fuerit, juxta Gloſſam *ibid. verſ. teſtibus*, etiam per torturam cogere ad ferendum teſtimonium: niſi forſan aliis publicis occupationibus impediti, examen iſtud teſtium inferioribus Conſiliariis delegare cogantur.

Et

498 Et notanter hoc ultimum additur. Quia ſi Judex ordinarius juſtis de cauſis impeditus teſtes perſonaliter examinare nequiverit, aut ipſimet teſtes remotè abfuerint, ita ut difficulter ad eum accedere valeant; tunc Judex poterit alteri, putà, Conſiliario ſuo, aut alteri idoneæ perſonæ, vices ſuas delegare, eique examen teſtium committere: Ita tamen, ut ipſe poſtea cauſam audiat, ſententiamque ſibi reſervet, ac proferat, *cit. §. Illud etiam.* Concordat textus *in l. Judices.* juncta Gloſſa & Summario *C. de Fide inſtrument.* ubi diſponitur, quod Judices poſſint committere examinationem abſentium teſtium Judici illius territorii, ubi teſtes degunt, & commonere partes, ut adſint delationi juramenti ab ipſis teſtibus præſtandi. Quinimò ad excipiendum teſtimonium mulierum, quæ perſonaliter ad judicium invitæ trahendæ non ſunt, poſſe tranſmitti Tabellionem, aut aliam perſonam idoneam, habetur deciſum *c. 2. de judiciis in 6.*

499 Reſp. II. Teſtes ſunt examinandi ſecretò, ac ſingillatim; etſi per hoc non excludatur præſentia Notarii eorum depoſitiones in ſcripta redigentis. Ita Speculator *tit. de Teſte §. Nunc tractandum n. 2.* Abbas *c. Cùm cauſam 37. n. 5. h. t.* & alii. Prior pars conſtat ex *c. Venerabili 52* juncta Gloſſa *verſ. Examinare h. tit. & l. Nullum C. eod. & c. Inquiſitionis §. Tertiæ de Accuſation* ibi: *Qui poſt juramentum interrogati ſecretò.* Idque meritò fit exemplo Danielis, qui ſecretò ac ſeparatim examinavit duos Senes, qui accuſabant caſtam Suſannam. Alioquin enim, ſi non ita ſecretò & ſingillatim teſtes examinarentur, ſed omnes ſimul & ſemel interrogarentur, periculum foret, ne unus inſtrueret alterum, ſicque omnibus eodem modo reſpondentibus, falſitas deprehendi non poſſet.

500 Altera verò pars conſtat ex *cap. Quoniam contra 11. de Probation.* ubi Judex in judicio jubetur adhibere publicam perſonam, ſive Notarium, aut alios duos viros idoneos, qui fideliter inter alia Acta judicii conſcribant *Teſtium depoſitiones*, & conſequenter Notarius ille, aut alii duo Viri idonei debent intereſſe examini teſtium, horumque depoſitiones audire. Nam id, quod dicitur, teſtes ſecretò, ac nemine audiente eſſe examinandos, refertur tum ad partem litigantem, quæ non poteſt intereſſe examini, & depoſitioni teſtium, ne forſan ejus præſentia deterriti, vereantur liberè veritatem edicere: tum ad alios ſimul teſtificaturos, qui pariter cæterorum depoſitiones audire non debent, ne ab illis inſtruantur, quid dicant. Neutiquam tamen illud refertur ad Notarium, aut illos alios duos viros idoneos, qui neceſſe habent acta judicii conſcribere. Sicuti a ſimili *in c. Qui propter 42. de Election.* jubetur electio Prælatorum fieri ſecretò, ac ſingillatim: haud obſtante, quod tres de Collegio fide digni aſſumantur, qui vota ſingulorum eligentium in ſcriptis redigant; imò & Notarius publicus, aliique teſtes extranei ad negotium illud electionis aſſumi valeant; prout jam alibi, videlicet *Lib. 1. Tit. 6. de Electione §. 5. n. 124. & 126.* dictum fuit.

501 Accedit textus notabilis *in c. Ut Officium §. quia verò de Hæretic. in 6.* ubi in cauſa Hæreſis, propter negotii gravitatem, & ad præcavendum quemlibet errorem, mandat Pontifex, ut Inquiſitores in examine teſtium, ſuper crimine præfato recipiendorum, præter publicum Notarium adhibeant alias duas religioſas & diſcretas perſonas. Atque, ut hoc ipſum Judex faciat in aliis cauſis multùm arduis, adhibendo videlicet in examine teſtium præter Notarium alios duos fide dignos viros, ne unquam de ejus fide dubitari contingat: monet Abbas *cap. Cùm cauſam 35. n. 5. h. t.* Baldus *in l. Nullum num. 5. C. eod.* & Felinus *c. Venerabili n. 3. h. t.* Idipſum conſulunt plures alii, quos pro hac ſententia allegat Farinacius *de Teſtib. quæſt. 80. num. 95. & 96.* quamvis ipſe dicat, communem obſervantiam eſſe in contrarium, ſeque nunquam vidiſſe talem cautelam ſervari.

502 Reſp. III. Receptio, atque examinatio teſtium, regulariter in loco judicii per ipſummet Judicem die non Feriato inſtitui debet; & niſi neceſſitas aliud expoſcat, ante prandium, dum teſtes adhuc jejuni, & melius ſibi præſentes exiſtunt, *c. 1.* juncta Gloſſa *fin. h. t.* ac notat Engel *h. t. n. 46.* poſt Sutingerum *Obſervat. 54. & ſeqq.*

503 Additur tamen, *regulariter*. Nam quòd examinatio teſtium, ſi opus fuerit, aut expedire videatur, etiam extra judicium, & ubique locorum fieri poſſit: notat Abbas *in c. Quoniam contra num. 31. de Probat.* id deſumens ex textu ibidem, dum Notarius jubetur in Actis judicii ſcribere depoſitiones teſtium, *loca deſignando, tempora &c.* Idipſum declaratur inductione.

504 Sic quippe Perſonæ egregiæ, quando producuntur in teſtes, domi ſuæ examinari poſſunt, ac debent, *l. Ad perſonas ff. de Jurejurand.* ubi dicitur: *Ad perſonas egregias, eoſque qui valetudine impediuntur, domum mitti oportet ad jurisjurandum.*

505 Porrò inter *Perſonas egregias* connumerantur Epiſcopi, Sacerdotes, aliique Clerici, eo quod ſint conſtituti in altiore gradu Eccleſiæ; ac notat Abbas *cap. Si qui teſtium n. 5. & 6. h. t.* Pirhing *eod. n. 189.* Farinacius *de Teſtibus quæſt. 77. n. 213.* citans alios. Item Perſonæ Illuſtres, & in Dignitate conſtitutæ. Felinus *cap. Si qui teſtium n. 6. h. t.* Farinacius *cit. quæſt. 77. n. 210.* Pirhing *h. t. nu. 189.* Item Doctores. Abbas *in d. c. Si qui teſtium n. 5.* Farinacius *num. 214.* Et Milites. Farinacius *loc. cit. n. 223.* allegans alios.

506 Atque ad hujuſmodi Perſonas egregias, quando producuntur in teſtes, debet Judex in earum domum mittere Notarium, vel alios idoneos viros, qui illarum juramentum, & teſtimonium fideliter excipiant, Judicique deferant, juxta *cit. l. Ad perſonas, ff. de jurejurand.* etſi iſtud quoad Clericos, præſertim inferiores, in pleriſque Dicaſteriis Eccleſiaſticis non ſit uſu receptum. Idipſum eſt dicendum de aliis perſonis privilegiatis: ut ſunt Fœminæ, præſertim religioſæ, *c. 2. de Judiciis in 6.* Item teſtes valetudinarii, & ſenes, vel debilitate confecti, aut paupertate depreſſi, ita quod non poſſint ad præſentiam Judicis adduci: nam etiam ad horum teſtimonium recipiendum Judex mittere debet perſonas idoneas, ac diſcretas, juxta textum expreſſum *in cit. c. ſi qui teſtium n. 8. h. t.*

507 Illud tamen non eſt prætereundum, quòd Sacerdotes, aliæque perſonæ Eccleſiaſticæ privilegio Fori gaudentes, quando producuntur in teſtes coram ſæculari Judice, non jurent, neque examinentur coram eo, ſed coram Epiſcopo, vel Prælato ſuo Eccleſiaſtico, aut coram eo, cui is commiſerit: prout inter alios obſervat Abbas *c. Si quis teſtium n. 5. h. t.* & patet ex *can. Quamquam 14. q. 2.* juncta Gloſſa *ibid. V. Coram ſe.* Nec mirum, nam hoc ipſum contingit in Laicis, quando eorum teſtimonium petitur à Judice alterius territorii: quia tunc jurant; atque teſtificantur coram ſuo Judice, qui eorum atteſtationes clauſas, ſuoque ſigillo obſignatas mittit ad alterum, *Auth. Apud eloquentiſſimum C. de Fide inſtrument.* Speculator *tit. de Teſte §. Sequitur n. 5.* eſtque uberiùs dictum ſuprà *§. 13. n. 434. & ſeqq.*

508 Quæritur II. De quibus teſtes ſint interrogandi, ſeu examinandi? Reſp. I. In examine teſtium proponuntur ipſis Interrogatoria partim generalia, partim ſpecialia: eorumque dicta, quantùm ad verba etiam formalia, prout fieri poteſt, protocollari debent. Ita in re communis. Et quidem

509 *Interrogatoria generalia* ſunt primò, quo nomine teſtis vocetur? Cujus ſit ætatis, & conditionis? Deinde, an ſit conjunctus producenti? An inimicus parti adverſæ? An non ſubornatus? An non cum aliis teſtibus convenerit, quid dicere velit? An non in cauſa controverſa intereſſe habeat? & hujuſmodi, de quibus hactenus plura.

510 *Interrogatoria ſpecialia* ſunt, quæ ex facto controverſo, ejuſque circumſtantiis deſumuntur. Et horum generatim ſunt decem, quæ enumerat, atque in teſtibus ſingillatim examinanda decrevit Pontifex *in c. Cauſam 37. h. t.* mandans Epiſcopo Placentino, *Quatenus recipiat teſtes, quos utraque pars duxerit producendos: ac eos diligenter examinari procuret: & de ſingulis circumſtantiis diligenter inquiret, de cauſis videlicet, perſonis, loco, tempore, viſu, auditu, ſcientia, credulitate, fama, & certitudine, cuncta plenè conſcribat.* Hæc ibi. Quibus verbis Interrogatoria ſpecialia breviter quidem, ſimul tamen exactè comprehenduntur, atque numerum denarium conſtituunt; & in ſequentibus verſiculis, ibidem à Gloſſa relatis, aptè continentur.

*Auditus, viſus, perſona, ſcientia, cauſa,*
*Fama, locus, tempus, ac certum, credulitaſque*
*Dum teſtes recipit, judex hæc cuncta notabit.*

511 Reſp. II. Diſcurrendo per ſingula hæc decem Interrogatoria ſpecialia, juxta ordinem à Pontifice obſervatum, Judex imprimis tenetur diligenter examinare teſtes *de Cauſis*: tum rei geſtæ; videlicet cur, & qua occaſione initium ſumpſerit: tum ſuæ ſcientiæ; hoc eſt, an & qualiter teſtes producti ſciant, negotium ita geſtum eſſe. Siquidem teſtis debet reddere cauſam ſuæ ſcientiæ, quam ſi interrogatus non reddiderit, non valebit dictum ejus, neque fidem faciet; ut *l. Solam, C. h. t. & can. Si teſtes. § Sola 4. q. 3.* juncta Gloſſa *ibid. & Auth. de teſtibus, §. Et licèt. Collat. 7.* cum ſimilibus. Et meritò: quia ſcire, eſt rem per cauſam cognoſcere; ergo hoc ipſo non cenſetur ſcire, qui neſcit reddere rationem dicti ſui. Farinac. *quæſt. 70. de teſtib. n. 1.* allegans alios.



512 Additur verò, *quam ſi interrogatus non reddiderit &c.* Quia teſtis non interrogatus de ratione, ſeu cauſa ſcientiæ ſuæ, non tenetur eam reddere. Gloſſa *cit. c. Cùm cauſam. 37. V. De cauſis*, & Abbas *ibid. n. 6. h. t.* Farinacius *d. quæſt. 70. num. 91.* cum aliis. Neque idcircò invalidum erit teſtimonium ejus, *c. Sicut nobis. 16.* juncta Gloſſa *V. De cauſis de ſentent. & re judicat. & l. De pupillo. §. Qui opus. ff. de novi Oper. nunciat.* Siquidem teſtis ille dixit omnia, quæ novit, etſi non dixerit cauſam eorum. Gloſſa *can. Si teſtes 4. q. 3. V. Atteſtatione.* Nec enim hanc non interrogatus dicere tenebatur, quia non debet eſſe verboſus. Gloſſa magna *in cit. l. Solem. C. h. t.* Quamquàm ſi Judex malitioſè omiſiſſet interrogare teſtem de cauſa, ſciens forſitan, eum non redditurum ſufficientem ſuæ ſcientiæ cauſam: non ſolùm in Foro externo (ſi iſtud probari poſſet) ſed etiam in Foro conſcientiæ, ſeu pœnitentiali, teneretur parti læſæ ad intereſſe, ſeu ad compenſationem damni illati. Abbas *cit. c. Cùm cauſam n. 7. h. t.*

513 Deinde teſtes diligenter examinandi ſunt de ſingulis circumſtantiis, prout Judex arbitratur fore neceſſarium, vel utile: quia aliter ad veritatem non perveniretur, *can. Occidit. 23. q. 8.* Hinc teſtes ſunt examinandi de *Perſonis*: tum illis, quas tangit negotium principale; putà, an eas teſtis probe noverit, quales ſunt, cujuſque conditionis &c. tum de aliis, quæ forſan rei geſtæ interfuerunt. Item *de Loco*, exemplo Danielis duos Senes interrogantis, ſub qua arbore viderint Suſannam adulterantem. Ac *de tempore*, quo aliquid dicitur factum: quia, ſi teſtes diſcordent in loco; vel tempore, tunc veluti inter ſe contrarii nihil probant: prout jam ſupra dictum *§. 10. n. 322.*

514 Rurſus teſtes ſunt interrogandi de *Viſu*: hoc eſt, an proprio ſenſu corporeo rem geſtam perceperint, viderintque, v. g. quòd Titius percuſſerit Cajum: quia bene poteſt contingere, quòd quid præſens fuerit, ſed ad alia intentus non viderit, quod actum fuit. Item de *Auditu*: quando videlicet vel res geſta, puta blaſphemia, non niſi ſenſu auditus erat perceptibilis; vel, quando teſtis interrogatur de iis, quæ audivit a Majoribus ſuis dici, ſicque debet teſtificari de auditu alieno; ut ſimiliter jam dictum ſuperiùs *§. 11. n. 364. & ſeqq.*

515 Ulteriùs teſtes ſunt interrogandi de *Scientia*: an nimirum illud, quod deponunt, verè ſciant, ſeu proprio ſenſu corporeo veraciter & indubitanter perceperint, riteque adhuc omnium recordentur &c. Ac de *Credulitate*: ſeu, num credant, rem ita ſe habere, prout aſſerunt; præſertim, quando ſolùm deponunt de conjecturis, aliiſque indiciis rei geſtæ, ipſam tamen propriis oculis non perceperunt. Item de *Fama*, quæ de ejuſmodi facto, aut negotio, in populo habetur. Et de *Certitudine*: an ſcilicet certi ſint de eo, quod teſtificantur, qualemque deſuper certitudinem acquiſierint &c. Textus, Gloſſa & DD. *in cit. c. Cùm cauſ. 37. h. t.*

516 Quæritur III. Quid ſint Interrogatoria ſuggeſtiva, & qualiter evitanda? Reſp. I. *Interrogatoria ſuggeſtiva* dicuntur ea, quæ fiunt de aliquibus in ſpecie, ſive exprimendo ſpeciales perſonas, circumſtantias, & qualitates alicujus cauſæ civilis, vel criminalis, ſeu rei geſtæ, aut commiſſi criminis. Prout contingit, ſi Judex interroget teſtem, an viderit, quod *Titius occiderit Cajum tali die, in tali loco, percutiendo ipſum gladio, vulnerando in pectore &c.* Hac enim ratione dicitur teſtis *interrogari per ſuggeſtionem*, ſuggerendo videlicet, ſeu ipſi indicando, quid reſpondeat: putà, *ita vidi, quod Titius occiderit Cajum tali die & loco, gladio ipſum percutiendo in pectore &c.* Sigiſm. Scaccia *lib. 1. de judiciis c. 86.* & Farinacius *tom. 3. Praxis Criminalis, q. 84. n. 91. & 92.*

517 Porrò duplex eſt Suggeſtio, una aperta, alia palliata. *Suggeſtio aperta* dicitur, quando de ea apertè, ſeu clarè conſtat ex ipſamet facta interrogatione; uti fit in proximè allato exemplo. *Suggeſtio palliata* econtrà cenſetur ſi tecto aliquo modo aperitur via reſpondendi, ſed de ea ex interrogatione non apparet: idque accidit dupliciter. Primò, quando nullo modo apparet, de qua re teſtis fuerit interrogatus: ut putà, ſi in Actis ſcribatur: *Ad opportunam interrogationem reſpondit &c.* ſic enim libera datur via reſpondendi. Secundò, quando interrogans prævenit teſtem in reſponſione, quaſi ſubtiliter ei indicando modum reſpondendi; aut (ſi ipſemet Reus interrogetur) modum evadendi. Scaccia *cit. q. 86. n. 8. & n. 40.* aſſerens cum aliis, hoc genus ſuggeſtionis eſſe valdè perniciosum. Farinacius *d. n. 91. & 92.* ubi tamen *n. 89.* poſt alios notavit, in Judicis arbitrio eſſe politum, quæ dicantur Interrogatoria ſuggeſtiva, & quæ non

518 Reſp. II. Interrogatoria ſuggeſtiva ſunt vitanda, & in Jure prohibita; teneturque Judex ab ipſis abſtinere non ſolùm, quando tendunt in damnum Rei, ſed etiam, quando tendunt in damnum Fiſci. Ita Scaccia *cit. q. 86. n. 8. & 40.* Farinacius *de teſtibus, q. 79. num. 78.* & communis. Idque patet ex textu aperto *in L. 1. §. Qui quæſtionem ff. de quæſtionib.* ubi dicitur: *Qui quæſtionem habiturus eſt, non debet ſpecialiter interrogare, an Lucius, Titius homicidium fecerit; ſed generaliter, quis id fecerit; alterum enim magis ſuggerentis, quàm requirentis videtur.*

519 Infertur proinde, quòd interrogationes teſtium ſolùm debeant fieri in genere: putà, utrùm ſciant delictum eſſe perpetratum, quale, à quo, & quando illud ſit commiſſum, quo modo, quibus cooperantibus &c. ſemper à generalioribus gradatim deſcendendo ad magis ſpecialia. Idemque dicendum, quando teſtes producuntur ſuper cauſis civilibus: quia in his quoque Judici abſtinendum eſt ab interrogatoriis ſuggeſtivis, ne teſtes facilè aſſentiendo deponant ea, quæ à veritate ſunt aliena, nec antehac ab ipſis cogitata; cùm potiùs aſſenſerint ſuggerenti, ne forſan diſpliceant, quàm interroganti ex proprio reſponderint.

520 Atque hoc ipſum procedit in examine Rei ſuper crimine admiſſo. Nam etiam Reus, quando in Proceſſu criminali interrogatur ſuper quopiam crimine, non niſi Juris ordine ſervato interrogari debet: ac proinde nequaquam per interrogationes ſuggeſtivas, juxta *cit. l. 1. §. Qui quæſtionem*, ubi Bartolus, & alii. *ff. de quæſtion.* Hinc Judex non illicò debet interrogare Reum, an ipſe occiderit Cajum, an mœchatus ſit cum Bertha &c. ſed incipiendo ab indiciis, & quidem à generalioribus, & deſcendendo ad particularia, quaſi per circuitum, & à longè, debet formare ſuas interrogationes, v. g. An interfuerit, dum Cajus occiſus eſt; an ſciat, quis percuſſerit Cajum; an ipſe habuerit cum eo rixas &c. ſicque paulatim deſcendendo ad qualitates, & circumſtantias ſpeciales, juxta quod indicia magis magiſque ſe produnt; ac demum deveniendo ad ipſum delictum in ſpecie. Sigiſm. Scacc. *lib. 1. de Judiciis, cap. 86. num. 39.* Farin. *tom. 3. Praxis Criminal. q. 83. n. 84. & ſeqq.* citans alios; atque iſtud *n. 97.* limitans, quando indicia commiſſi criminis ſunt manifeſta: quia tunc Reus poteſt etiam in ſpecie interrogari de crimine:

521 Quòd ſi ſecùs accidat, & Reus per interrogatoria ſuggeſtiva deceptus crimen fateatur: tunc ejuſmodi confeſſio per ſuggeſtionem extorta non præcedentibus ſignis, non ſufficit ad condemnandum, omniaque inde ſecuta, ipſo jure nulla ſunt ac invalida. Scaccia *d. lib. 1. cap. 86. n. 7. & 40* & Farin. *cit. tom. 3. q. 83. n. 84.* allegans plures alios; & tradit noviſſimè Ludov. de Ameno *in Practica Criminali, tit. 19. § 4. n. 17.* aſſerens, ita tenere Doctores communiter; atque hoc ipſum ſubjungens de teſte ſuggeſtivè interrogato. Nec immeritò: nam, *quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*, ut dicitur *Reg. 64. Juris in 6. & can. Imperiali, 25. quæſt. 2. & l. Non dubium, C. de Legib.*

## §. XVI.

## De Publicatione Atteſtationum.

*S U M M A R I U M.*

522 *Publicatio atteſtationum, quid ſit, qualiter fiat, & an poſt ipſam liceat alios teſtes, vel inſtrumenta producere? Remiſſivè.*
523 *Publicatio atteſtationum non eſt de ſubſtantia proceſſus judiciarii, benè tamen de ejus juſtitia &c.*
524 *Idque probatur.*
525 *Atteſtationes receptæ in uno judicio, ſed non publicatæ, fidem non faciunt in alio, etiam inter eaſdem perſonas.*
526 *Idque probatur. Et n. præc.*
527 *Solvitur inſtantia.*
528 *Regula data non procedit in Judice ſubrogato ejuſdem judicii.*
529 *Neque in Judice in cauſa appellationis, & reviſionis.*
530 *Regula illa fallit quoque in nonnullis aliis caſibus, & num. ſeqq.*
*Ut ſi accedente conſenſu partium. Ibid.*
531 *Item in illis caſibus, in quibus teſtes poſſunt examinari lite non conteſtata.*
532 *Et quando teſtes priores interim fuerunt mortui &c.*
533 *Tenetur pars adverſa vel ratam habere priorem receptionem teſtium, vel pati, ut denuo teſtes examinentur.*

522 QUæritur I. Quid ſit Publicatio atteſtationum, qualiter fiat, & an poſt ipſam liceat alios teſtes, vel inſtrumenta producere? Reſp. De hoc, occaſione aliarum materiarum tunc occurrentium, ex profeſſo jam dictum eſt *tit. præced. §. 6. n. 148. uſque ad n. 158.* ubi videatur.

523 Quæritur II. Utrùm publicatio atteſtationum ſit de ſubſtantia Proceſſus judiciarii? Reſp. I. Publicatio atteſtationum, per quam videlicet examinatione teſtium peracta, horum atteſtationes in ſecreto receptæ, utraque parte præſente (niſi aliqua ritè citata contumaciter abſit) à Judice publicantur, ſeu publicè præleguntur, non eſt de ſubſtantia Proceſſus judiciarii; bene tamen de ejus juſtitia; adeoque omiſſio publicationis atteſtationum non vitiat proceſſum, valetque ſententia inde ſecuta, & tranſit in rem judicatam, niſi intra decendium ab ea fuerit appellatum; poteſt tamen pars litigans petere harum publicationem, & Judice recuſante eam facere, appellare. Ita Innocentius, & Abbas *in c. Cùm I. & A. n. 10.* Jo. Andreas *ib. n. 8.* & Felinus *n. 1.* aliique DD. *de Sentent. & re judicat.* Menochius *de Arbitr. judic. l. 1. q. 33. n. 1.* Maranta *part. 4. Speculi Aurei diſſ. 9. n. 22.* Gailus *l. 1. Practic. Obſerv.* 105 *n. 5.* aſſerens, ita communiter receptum eſſe, contra Accurſium *in l. Prolatam C. de Sent. & interlocut. omn. judic.* Farinacius *de teſtibus q. 75. n. 5.* citans alios.

524 Concluſio hæc deſumitur ex *cit. c. Cùm I. & A. 22. de Sent. & re judicat.* ubi Pontifex, poſt interpoſitam ad ſe appellationem, novis Judicibus delegatis mandat, ut ſervatis ſervandis confirmet proceſſum, quem alii Judices formarant, ſententiamque tulerant teſtium *depoſitionibus coram partibus minimè publicatis, nec oſtenſis eiſdem.* Quem textum Innocentius *ibid.* & Gloſſa marginalis, dicit eſſe ſingularem ad hoc, quòd atteſtationum publicatio ſit de juſtitia, non autem de ſubſtantia proceſſus. Accedit ratio: quia Judici ſemper publicatæ ſunt atteſtationes, ſeu nota Acta judicii, & partium jura; ut inquit Menochius *cit. q. 33. n. 1. & 11.* & Pirh. *h. t. n. 202.* unde cùm is optimè inſtructus ſit de jure partium ex atteſtationibus teſtium ſibi cognitis, ferre ſententiam poterit, lataque valebit, niſi ab ea appellatum fuerit.

525 Quæritur III. Utrùm atteſtationes teſtium receptæ, ſed non publicatæ in uno judicio, probent, ſeu fidem faciant in alio? Reſp. I. Atteſtationes receptæ in uno judicio, ſed non publicatæ, fidem non faciunt in alio judicio, etiam inter eaſdem perſonas. Ita Felinus *cap. Cauſam quæ II 1. n. 13. h. t.* allegans pro ſe Gloſſam, Jacob. de Aretio, & Bartolum *in l. Geſta C. de Re judicat.* Menochius *de Arbitrar. Judic. l. 2. qu. 33. n. 7. & 8.* Pirhing *h. t. n. 203. & ſeqq.* Farinacius *cit. q. 75. n. 10. 12. & ſeqq.* cum aliis pluribus contra Abbatem *in cit. c. Cauſam quæ 11. n. 2.* & nonnullos alios, qui volunt, teſtes in uno judicio receptos fidem facere in alio, quamvis non fuerint publicati. Ratio Concluſionis eſt: quia Judex alterius judicii non ita notam habet qualitatem teſtium, neque adeò poteſt eſſe inſtructus de jure partium, ſicuti prior Judex, qui teſtes examinavit: unde non mirum, quòd aliter de hoc, quàm de illo dicatur.

526 Accedit textus *in c. Cùm cauſam 37. §. fin. h. t.* ubi Pontifex mandat, ut per novos Judices à ſe delegatos iidem teſtes, qui jam anteà fuerant recepti, ſed nondum publicati (parte adverſa eorum depoſitiones non ratificante) iteratò producantur, ea addita ratione: *Cùm atteſtationes illæ ſint clauſæ:* ſicque totum defectum nullitatis illarum atteſtionum, ſeu cur coram novis Judicibus datis fuerint repetendæ, refundit Pontifex in defectum publicationis earum, ſeu quia adhuc fuerunt clauſæ. Accedit textus *in l. Geſta C. de Re judicat.* ubi tum demum geſta ſub priore Judice cenſentur habere firmitatem perpetuam, quando *ſunt tranſlata in publica monumenta* (hoc eſt, quando geſta, ſeu *Acta illa ſunt in ſcriptis translata, facta ſcilicet publicatione coram eo, apud quem ſit publicandi facultas, arg. l. Publicati Cod. de Teſtament.* prout Gloſſa *ibid.* ℣. *Geſta,* explicat.) *Neque enim morte cognitoris perire debet publica fides:* id eſt, Acta publicata non pereunt morte Judicis, ut ſubjungit textus *in cit. leg. Geſta,* juncta Gloſſa *fin.*

527 Nec obſtat *c. ult. de Probat.* & Gloſſa *ibid.* ℣. *Judices,* abſolutè dicens, quòd atteſtationes in uno judicio receptæ, valent in alio, *Auth. de Teſtibus §. Quoniam Collat.* 7 cum ſimilibus. Reſp. enim, concordando jura juribus, hujuſmodi authoritates eſſe intelligendas de teſtibus in priori judicio receptis, ſimul & publicatis; alioquin enim ſaltem foret contra juſtitiam, atteſtationibus nondum publicatis, ſimulque partibus invitis, ferre ſententiam. Jura autem non intendunt aliquam injuſtitiam fovere, ſeu approbare, multo minùs committendam tradere.

528 Reſp. II. Concluſio, ſeu Regula proximè data procedit, quando ſermo eſt de diverſo judicio, diverſoque Judice: ſecùs, in Judice ſubrogato ejuſdem judicii: putà, quando Judex aliquis recepit Teſtes, & ante publicationem atteſtationum, ſententiamque latam mortuus eſt, ac in locum ejus alius ſucceſſit, ſive ſubrogatus fuit. Ita Felinus *in c. Cauſam quæ II 1. n 1. h. t.* Jaſon *l. 2. n. 21 C. de Edendo* Pirhing *h. t. n 204.* Farinac. *cit. q. 75. n. 21.* allegans alios. Ratio eſt: quia Succeſſor, ſive ſubrogatus Judex, debet judicare ex Actis, quæ coram mortuo fuerunt producta, *l. Mortuo judice ff. de Judiciis:* imò cenſetur veluti idem judex cum priori *l. Proponebatur ff. eod.* Et conſequenter atteſtationes, etiam nondum publicatæ, æquè probant coram ipſo, ac coram priori Judice; ſicque valet ſententia inde lata abſque harum publicatione, niſi fuerit appellatum; juxta dicta *concl. 1.*

529 Atque hoc ipſum eſſe dicendum de Judice in cauſa appellationis, & reviſionis, cenſent proximè citati Authores. Idque tum ob paritatem rationis, quia videlicet Judex *ad quem* ſuccedit reſpectu ejuſdem cauſæ Judici *à quo.* Tum quia alioquin ſequeretur, quòd ſententia lata per Judicem *à quo* ſine publicatione atteſtationum, non poſſet confirmari per Judicem *ad quem* ſine nova receptione, & publicatione atteſtationum: hoc autem non eſſe dicendum, patet ex *c. Cùm I. & A. 22. de Sent. & re judic.* de quo jam ſuprà *n.* 524. dictum eſt.

530 Reſp. III. Dantur ulteriùs nonnulli alii caſus, in quibus fallit Regula *n.* 525. data, ac teſtes in uno judicio recepti, fidem faciunt in alio etiam ſine publicatione ſuarum atteſtationum. Ita Felinus *loc. cit. n. 14. & ſeqq.* Farinacius *n. 22. & ſeqq.* & alii. Sic quippe fit accedente conſenſu partium: quia partibus conſentientibus Teſtes etiam non publicati, probant coram quocunque Judice, per textum *in cit. c. Cùm cauſa 37. h. t.*

531 Deinde Teſtes non publicati probant inter eaſdem perſonas, ac etiam coram alio Judice, in omnibus illis caſibus, in quibus Teſtes poſſunt examinari lite non conteſtata. Jaſon *cit. l. 2. n. 22. C. de Edend.* id probans *ex Auth. Sed & ſi quis C. de teſtib.* quem textum Bartolus *ib.* ad hoc notat, & reputat mirabilem. Farinac. *d. q. 74. nu. 25.* Pirhing *h. t. n. 205.* iſtud exemplificantes in Teſtibus ſenibus, valetudinariis, & hujuſmodi.

532 Idipſum eſt dicendum in caſu, quo Teſtes priores interim fuerunt mortui, vel nunc exiſtunt in adeò remotis parentibus, quòd iterato produci non poſſint: quia tunc ipſi probant non publicati. Jaſon *l. 2. n. 20. C. de Edendo.* Farinacius *cit. q. 74. n. 26.* allegans alios.

533 Tandem, etſi Teſtes non publicati fidem non faciant coram alio Judice, ut dictum: nihilominùs pars adverſa vel debet ratam habere priorem receptionem Teſtium, atque in eorum publicationem per alterum Judicem faciendam conſentire; vel compellitur pati, ut denuo iidem, aliique teſtes producantur, atque examinentur, *c. Cùm cauſam, 37. h. t.* Farinac. *cit. q. 74. n. 28.* & alii.

## §. XVII.

## De Exceptionibus contra Teſtes proponendis, horumque reprobatione.

*S U M M A R I U M.*

534 *Exceptiones, quæ teſtibus poſſunt objici, ſunt triplicis generis. Et num. ſeqq.*
*Poteſt opponi contra perſonas teſtium. Ibid.*
535 *Contra examen teſtium.*
536 *Et contra dicta teſtium.*
*Teſtes extra Articulum deponentes, nullam fidem faciunt. Ibid.*
537 *Exceptiones contra perſonas teſtium ſunt opponendæ ante publicationem atteſtationum, exceptis tribus caſibus; & quibus?*
538 *Si quis proteſtatus eſt exceptionem proponere contra perſonam teſtis, tunc teſti in favorem ejus deponenti de facili non creditur.*
539 *Exceptiones contra dicta teſtium, & contra eorum examen, opponuntur poſt publicationem atteſtationum.*
540 *Exceptio contra perſonas teſtium propriè non eſt dilatoria, nec peremptoria.*
*Exceptio contra teſtes eſt quaſi peremptoria. Ibid.*
541 *Ea regulariter non impedit examen teſtium, ſed reſervatur diſputanda in finem litis.*
542 *Fallit hæc Regula, quando pro opponente ſimul ſtat præſumptio juris.*
543 *Vel, quando notorius eſt defectus, qui teſti objicitur.*
544 *Vel, quando teſti opponitur excommunicatio, ob quam ſit vitandus.*
545 *Item, quando periculum eſt, quòd teſtes reprobatorii aliorum, poſteà non ampliùs ſint reperiendi in fine litis.*
546 *In arbitrio Judicis eſt poſitum, exceptiones teſtium ſtatim admittere ad probandum, vel earum diſcuſſionem reſervare in finem litis.*
*Materia de Teſtibus multùm eſt arbitraria. Ibid.*
547 *Non poſſum reprobare teſtem, quem induxi pro me, niſi nova cauſa ſupervenerit.*
548 *Ne quidem in alio judicio.*
549 *Etiamſi ipſo poſteà uſus non ſim.*
550 *Ex cauſa de novo ſupervenientе poſſum reprobare teſtem anteà à me productum.*
551 *Ac etiam ex defectu nunc primùm cognito, quo anteà teſtis laborabat.*
*Paria ſunt, non eſſe, & non apparere. Ibid.*
552 *Poſſum reprobare dicta teſti, à me producti, quando ſunt ſibi contraria, vel aliunde eorum falſitas oſtendi poteſt.*
553 *Teſtes probatorii, reprobatorii, & teſtes reprobatorii reprobatoriorum, qui?*
554 *Teſtes probatorii poſſunt reprobari per alios teſtes reprobatorios; & hi rurſus mediantibus aliis, ſive per Teſtes reprobatorios reprobatoriorum; ſed non ultrà. Et n. ſeqq.*
555 *Infinitas eſt vitanda, & reprobatur à Jure.*
556 *Licèt teſtes reprobatorii reprobatoriorum non poſſint reprobari per novos teſtes, poſſunt tamen reprobari per inſtrumenta.*
557 *Modus in reprobatione teſtium probatoriorum, & reprobatoriorum obſervandus, in quo conſiſtat? Et n. ſeq.*
*Non ſufficit dicere in genere, quòd, v. g. teſtis ſit criminoſus; ſed oportet crimen ſpecificè exprimere; & cur? Ibid.*
558 *Qui producit teſtes reprobatorios reprobatoriorum, debet jurare, quòd ad hoc ex malitia non procedat.*
*Et quid dicendum de prima reprobatione teſtium? Ibid.*

534 QUæritur I. Quotuplicis generis exceptiones poſſint Teſtibus opponi, & quando proponendæ? Reſp. I. Exceptiones, quæ teſtibus objici poſſunt, ſunt triplicis generis. Ita Pirhing *h. t. num. 239.* poſt Hilcropium *in Proceſſ. Judic. tit. 9. c. 6.* Idque patet inductione. Primò enim poteſt excipi contra perſonas teſtium, opponendo videlicet ipſis, quòd vel omnino, vel ſaltem reſpectu talis cauſæ, inhabiles ſint ad ferendum teſtimonium: & de hoc fusè dictum fuit ſuprà *à §. 2. uſque ad §. 7.*

535 Secundò poteſt excipi contra examen teſtium: opponendo videlicet, quòd non ſit legitimè factum. Idque vel ex defectu juriſdictionis, ſi nimirum ab incompetente Judice teſtes fuerunt examinati; putà, Clerici à Judice ſæculari ſine conſenſu proprii Epiſcopi, *can. Quamquàm, 11. q. 2.* Vel quia teſtes producti, & recepti fuerunt ante litem conteſtatam, ſeu adverſa parte non citata, ſive poſt tertiam productionem non obſervata ſolemnitate Legali, aut poſt jam didicita teſtificata, ſive non jurati, aut non ſingillatim, ſed ſimul plures admiſſi, ac hujuſmodi: de quibus etiam fusè dictum extitit ſuprà §. 13. & 15.

536 Tertiò poteſt excipi contra depoſitiones, ſeu dicta Teſtium: ut quia depoſuerunt contraria, obſcura, incerta, vacillantia, non veriſimilia, non congruentia facto, vel penitùs falſa: aut quia depoſuerunt ſingularia, vel non addita cauſa ſuæ ſcientiæ, aut ſaltem non idonea, & hujuſmodi; de quibus pariter jam dictum eſt *§. 9. 10. & ſeqq.* Huc accedit, quando teſtibus objici poteſt, quòd dicta eorum ſint impertinentia, ſive data extra Articulos: nam, quòd teſtes extra Articulum interrogati, ſeu deponentes, nullam fidem faciant, eò quòd deponerent non jurati, deſumitur *ex c. De teſtib.* ac notat Gloſſa *ib.* ℣. *Non jurati,* & Abbas *n. 1. h. t.* Jaſon *l. Si duo patroni §. Idem Julianus. n. 26. & ſeqq. de Jurejur.* Gailus *l. 1. Pract. Obſerv. 95. n. 4.* Pirhing *h. t. n. 239.* & alii.

537 Reſp. II. Exceptiones contra perſonas teſtium ſunt opponendæ ante publicationem atteſtationum; his autem publicatis regulariter non poteſt ampliùs aliquid objici in perſonas teſtium. Ita textus *in c. Præſentium. 31. h. t.* Alioquin enim præſumptio foret, quòd quis malitiosè velit tunc teſtes reprobare, poſtquàm vidit, ſeu ex publicatis atteſtationibus cognovit, quòd contra eum depoſuerint, prout notat Abbas *ib. n. 2.* Additur verò *regulariter:* fallit enim hoc in tribus caſibus, qui referuntur *in c. c. Præſentium. h. t.* & ſunt ſequentes. I. Si quis *cùm juramento firmaverit, quòd ad hoc ex malitia non procedat.* II. Si *forſan ante publicationem id fuerit proteſtatus.* Et hic eſt caſus cæteris frequentior: formam autem talis proteſtationis ponit Speculator *tit. de Teſtes, §. de Teſtium reprobatione. n. 3.* III. Quando quis *oſtendere poterit, quod poſt publicationem* atteſtationum primùm, non autem anteà *didicerit, quod objicit in perſonas.* Et hoc ultimum (inquit Gloſſa *ib* ℣. *Didicerit*) eſt difficile probare, niſi per juramentum.

538 Ubi tamen notandum eſt, quòd ſi quis ante publicationem atteſtationum proteſtatus fuerit, ſe velle contra perſonam alicujus teſtis exceptionem proponere, ipſumque reprobare; tunc non facilè credendum ſit dicto talis teſtis, ſi forſan is in favorem proteſtantis depoſuerit, Textus eſt *in c. c. Præſentium, h. t.* ibi: *Si quid pro ipſo dixerint* (nempe proteſtante) *de facili non credatur.* Ubi Gl. *fin.* & Abbas *ib. n. 12.* & alii plures, ly *de facili,* exponunt pro ly, *nullo modo:* vel ſaltem (quod probabilius eſt) ut ſenſum faciat, *Non credatur de facili;* videlicet, ſine aliis adminiculis: quod poſteà Judicis arbitrio relinquitur. Ratio hujus eſt: tum quia proteſtatio illa debilitat dictum teſtis, dum exinde oritur præſumptio contra ipſum, quòd in favorem proteſtantis aliquid dixerit ex timore criminis, alioquin ſibi ab eo objiciendi,

di, ſi quid contra eum diceret. Tum quia is, qui noluit dictis illorum teſtium fidem haberi contra ſe, etiam non debet habere pro ſe, *arg. c. Cùm olim. 19. de Cenſib.* ubi quis ex eo, quod ſtuduit impugnare, non debet beneficium conſequi; cum ſimilibus.

539 Reſp. III. Exceptio contra dicta teſtium eſt opponenda poſt publicationem atteſtationum: neque enim anteà norunt partes, quid Teſtes depoſuerint; ac proinde, quid in eorum dictis ſit reprobandum. Engel *h. t. §. 4. num. 52.* Idemque, ſervata proportione, dicendum de exceptionibus contra examen Teſtium: nam & hæ tunc primùm opponi valeant, quando examine illo Teſtium producto alteri parti innoteſcere potuit, iſtud ſe non citata, vel aliàs illegitimè fuiſſe attentatum, & factum.

540 Quæritur II. Utrùm exceptio contra perſonas Teſtium ſit dilatoria, impediatque examen teſtium? Reſp. I. Exceptio contra perſonas teſtium propriè non eſt dilatoria, nec peremptoria, ſed participat de utraque. Ita Abbas *d. c. Præſentium, n. 1. h. t.* Pirhing *h. t. n. 144.* Ratio eſt: quia imprimis ea propriè non eſt dilatoria: nam exceptio dilatoria differt, ſeu impedit proceſſum ſuper negotio principali ad tempus, *§. Appellantur. Inſtit. de Exception.* debetque ante litis conteſtationem opponi, *cap. Inter Monaſterium 20. de ſentent. & re judic. & L. ult. C. de Exception.* Exceptio autem contra perſonas Teſtium poteſt etiam poſt litem conteſtatam opponi; imò & quandoque poſt publicationem atteſtationum, ut proximè dictum. Nec propriè eſt peremptoria: quia exceptio peremptoria eſt actionis excluſio, *L. 1. & 2. ff. de Exception.* & ſemper agentibus obſtat *cit. §. Appellantur. Inſtit. eod.* Hoc autem non facit exceptio contra perſonas Teſtium; ergo. Remanet proinde, quòd exceptio, quæ fit contra Teſtes, participet de utraque: niſi cum Gloſſa *in c. Ex parte A. V. Teſtes idoneos, de teſtib.* Abbate *c. Finem litibus, n. 11. de Dolo & contumac.* atque Barboſa *c. 1. n. 7. h. t.* exceptionem illam, quæ opponitur contra Teſtes, malueris appellare *quaſi peremptoriam*: quia, licèt directè non perimat intentionem adverſarii, perimit tamen ipſam per obliquum: dum ſublata probatione per Teſtes, jus ipſius remanet inutile, ſeu non probatum.

541 Reſp. II. Exceptio contra perſonas Teſtium regulariter non impedit examen illorum, ſed reſervatur examinanda ſeu diſputanda in finem litis. Ita Gloſſa *in cap. parte. V. Infames*, & ibi Jo: Andreas *n. 1. & 16.* Abbas *n. 3.* Baldus *n. 11.* Felinus *n. 12. h. t.* Socinus *de Fallent. reg. 129.* Maſcardus *de Probation. Concl. 695. n. 1.* Pirhing. *h. t. n. 247.* Farinacius *de Teſtibus, q. 62. n. 350.* allegans plurimos alios. Idque deſumitur ex *Auth. Si teſtis. C. h. t.* ubi decernitur, quòd propter exceptionem, quæ objicitur in perſonam Teſtis, non differatur ejus teſtimonium; ſed dictæ exceptionis probatio, & examinatio in tempus diſputationis (hoc eſt, poſt publicationem atteſtationum) ſit differenda: niſi pro opponente ſit de jure præſumptio, vel talis aperta probatio, quæ teſtimonium etiam latum penitùs evertat; prout limitat Baldus *in Summario ibidem*. Accedit ratio: quia ſtatim diſputando de inhabilitate Teſtium, quæ nondum eſt aperta, ſed longiori indiget examine, multùm protraherentur lites, & quandoque inutiliter: cùm contingere poſſit, quòd in progreſſu appareat, Judicem etiam ſine teſtimonio illorum Teſtium, quibus aliqua exceptio objicitur, ex aliis depoſitionibus, & probationibus, poſſe ſententiam ferre. Sufficit ergo, in fine diſputare de inhabilitate Teſtium, quando id opus eſſe videtur; eaque probata reſpuere teſtimonium illius Teſtis.

542 Dicitur tamen in data Concluſione, *regulariter*. Patitur enim hæc Regula ſuas limitationes. Et primò quidem, quando pro opponente ſimul ſtat juris præſumptio; ut ſi contra Teſtem opponatur, quòd ſit Servus; ſicque inhabilis ad teſtificandum; & Teſtis fateatur, ſe fuiſſe Servum, nunc autem eſſe Libertinum, ſive manumiſſum: quia tunc non admittitur ad teſtificandum, niſi priùs exhibeat inſtrumentum ſuæ manumiſſionis; ſtat enim præſumptio juris contra ipſum, utpote manumiſſionem non præſumentis, donec probetur. *Auth. Si teſtis. C. h. t.* Socinus *cit. Reg. 129. Fallent. 3.* Farinacius *d. qu. 62. n. 356.* & alios.

543 Limitatur ſecundò, quando notorius eſt defectus, qui teſti objicitur; aut ſi huic opponitur crimen publicum, & manifeſtum; vel ſaltem incontinenti offertur ejus probatio: quia talis exceptio impedit examen Teſtium, illiuſque probatio ſtatim eſt admittenda, nec reſervatum in finem litis; & ſi Judex noluerit eam admittere, licitè appellatur. Caſus eſt *in cit. c. Ex parte 7. h. t.* ubi Summarium, & Abbas *n. 8.* Felinus *n. 15.* Menochius *de Arbitr. Judic. lib. 2. caſ. 239. n. 12.* Farinacius *d. q. 62. n. 358. & 362.* allegans plurimos alios. Idipſum deſumitur *ex cit. Auth. Si Teſtis. C. h. t.*

Limitatur tertiò, quando opponitur Teſti excom- 544
municatio, ob quam ſit vitandus: quia talis exceptio impedit receptionem, atque examen illius Teſtis, propter periculum communicationis cum excommunicato; atque ideò ſtatim eſt inquirendum de veritate dictæ exceptionis. Jo. Andreas *cit. c. Ex parte. n. 15.* & Abbas *ib. n. 8. h. t.* Socinus *cit. Reg. 129. fallent. 4.* Maſc. *cit. Concl. 195. n. 3.* iſtud probans *ex cap. Pia de Exception. in 6.* Pirhing *num. 250.* & alii.

Limitatur quartò, quando periculum eſt, quòd Te- 545
ſtes reprobatorii aliorum, contra quos proponitur exceptio, poſteà non ampliùs ſint reperiendi in fine litis; ut quia ſunt ſenes, infirmi, vel in remotas regiones abituri; tunc enim exceptio contra Teſtes oppoſita non reſervatur in finem litis, ſed impedit examen Teſtium, donec de ea cognoſcatur. Jo. Andreas *l. c. n. 16.* & Abbas *d. n. 8.* Soc. *c. Reg. 129. Fall. 5.* Farin. *d. q. 62. n. 363.* allegans alios.

Tacentur nonnullæ aliæ limitationes, apud Autho- 546
res proximè relatos videndæ: qui tandem concludunt, in arbitrio Judicis eſſe poſitum, an penſatis variis circumſtantiis, quæ hinc inde poſſunt occurrere, velit exceptiones contra Teſtes oppoſitas ſtatim admittere ad probandum, vel potiùs earum diſcuſſionem reſervare in finem litis: nam præſens materia de Teſtibus, multùm eſt arbitraria, *L. 3. ff. h. t.* Quòd ſi verò Judex non arbitrabitur ut bonus vir, poterit ab eo appellari. Abbas *cit. n. 8. verſ. Quare concludo*, & alii.

Quæritur III. A quo poſſint, vel non poſſint reproba- 547
ri Teſtes, aut dicta eorum? Reſp. I. Etſi Reus poſſit reprobare Teſtes Actoris contra ſe inductos, & econtra, oſtendendo ipſorum inhabilitatem, dummodò eos anteà necdum approbaverit, ut eſt extra controverſiam, Teſtem tamen, quem induxit pro ſe, non poteſt ampliùs reprobare, ſed tenetur eum admittere contra ſe, niſi nova cauſa ſupervenerit. Ita Gloſſa *in c. Præſentium V. Si quis*, & Jo. Andreas *ibid. n. 10.* & Abbas *n. 6. h. t.* Speculator *tit. de teſte. §. de teſtium reprobatione, n. 5.* & alii. Ratio eſt: quia, cùm quis producit Teſtem pro ſe, hoc ipſo approbat perſonam illius; ergo contra perſonam ejus (niſi ex nova cauſa emergente) nihil ampliùs poteſt opponere; ſicque tenetur eum etiam contra ſe admittere: nam, *quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt*, juxta *Reg. 31. Juris in 6.* cum ſimilibus. Accedit textus *in l. Si quis Teſtibus. C. h. t.* proximè referendus.

Ampliatur hæc Concluſio, ut etiam in alio judicio 548
non poſſim reprobare perſonam teſtis, quem ſemel pro me induxi, niſi ex nova cauſa. Textus eſt expreſſus *in c. l. Si quis teſtibus. C. h. t.* quæ eſt canonizata *in can. Si teſtes. § Si quis teſtib. 4. q. 3.* quo utroque in loco ſic legitur: *Si quis teſtibus uſus fuerit: iidemque teſtes in alio judicio* (ſeu in alia lite) *producantur, non licebit ei perſonas eorum excipere, niſi oſtenderit, inimicitias inter ſe & illos poſteà emerſiſſe, ex quibus teſtes repelli Leges præcipiunt &c.* Hæc ibi.

Et quamvis allegatus textus loquatur in caſu, quo 549
*quis teſtibus uſus fuerit*: hoc ipſum tamen cenſent Doctores eſſe dicendum etiam tunc, quando quis Teſtes pro ſe produxit, etiamſi iis poſteà uſus non ſit: fortè, quia non potuit, vel eorum teſtimonio non indiguit. Quia hoc ipſo, quòd iſtorum teſtimonio uti voluerit, ſicque eos produxerit, cenſetur approbaſſe perſonam illorum: unde redit allata ratio, ſeu ne quis reprobet, quod anteà approbavit. Jo. Andreas, & Abbas, *ubi ſuprà, n. 7.* & alii.

Cæterum limitatio illa, *niſi oſtenderit inimicitias inter* 550
*ſe & illos poſteà emerſiſſe &c.* meritò extenditur ad omnes alias cauſas de novo ſupervenientes, quibus de jure poteſt perſona Teſtis repelli; ut putà ſi poſteà Teſtis ille factus ſit infamis, perjurus &c. Tunc enim poſſum eximdè ipſum repellere, haud obſtante, quòd anteà eum pro me induxerim, juxta tex. relatũ *ex c. l. Si quis teſt. C. h. t.*

Atque



551 Atque hoc ipſum eſt dicendum de aliis hujuſmodi defectibus poſteà primùm cognitis, quibus teſtis productus anteà laborabat, ſed à producente ignorabantur. Abbas *cit. n. 7.* aſſerens, ejuſmodi ignorantiam poſſe probari juramento: quod ipſum tradit Felinus *c. Paſtoralis, de Except.* & favet textus *c. Nulli licerè. 8. de Elect. in 6.* Siquidem quantùm ad propoſitum, paria ſunt, non eſſe, & non apparere, *l. In lege fundi* juncto Summario. *ff. de contrab. empt.*

552 Reſp. II. Etſi perſonam teſtis, quem induxi pro me, non poſſim ampliùs reprobare abſque nova cauſa, ut dictum: poſſum tamen reprobare dicta ejus, quando video, quòd ſibi ſint contraria, vel aliunde eorum falſitas oſtendi poteſt. Ita Gloſſa *in cit. l. Præſentium, V. Si quis*, & Jo. Andreas *ibid. n. 8. & 12.* & Abbas *num. 7. in fin. h. t.* & alii. Ratio diverſitatis eſt: quia, qui producit Teſtem, cenſetur noſſe, & approbare perſonam ejus; ſicque contra hanc non poteſt ampliùs excipere, niſi nova ſupervenerit cauſa: non autem is novit, neque divinare potuit, quid Teſtis ſit dicturus; atque ideò dicta ipſius reprobare poteſt, oſtendendo eorum contradictionem, falſitatem &c. Sicut in ſimili poteſt quis appellare à ſententia illius, quem impetravit in judicem; *cap. Cauſam quæ 24. de Sent. & re judic. & leg. Ex conſenſu, ff. de Appellat.* licèt perſonam ejus, quam ſuo conſenſu jam approbaverat, ampliùs repudiare, ſeu recuſare non poſſit, niſi nova cauſa ſuperveniente, *c. Inſinuante. 25. de Offic. Delegat.* cum ſimilibus.

553 Quæritur IV. Qua ratione licitum ſit reprobare teſtes probatorios, & reprobatorios? Ubi prænotandum, quòd *Teſtes probatorii* dicantur illi, qui ſuper negotio principali producuntur ad probationem illius. *Teſtes reprobatorii* verò appellantur, qui ab altera parte producuntur ad probandum, ſeu refutandum perſonas, aut dicta illorum teſtium probatoriorum: ut putà, probando per eos, quòd teſtes illi probatorii ſint ſervi, infames &c. aut quòd eorum depoſitio ſit contradictoria, falſa &c. ſicque ipſi nihil probent. *Teſtes reprobatorii reprobatoriorum* tandem vocantur illi, qui viciſſim producuntur ad reprobandum perſonas, aut dicta præfatorum teſtium reprobatoriorum. Hoc prænotato

554 Reſp. I. Teſtes probatorii ſeu producti ſuper probatione cauſæ principalis, poſſunt reprobari per alios teſtes reprobatorios à parte adverſa productos; ac etiam hi ipſi rurſus poſſunt reprobari mediantibus aliis, ſive per teſtes reprobatorios reprobatoriorum: ultra verò, hoc eſt contra teſtes iſtos reprobatorios reprobatoriorum, non eſt permiſſum alios teſtes reprobatorios producere. Ita habetur deciſum *in c. Licèt dilectus. 49. h. t.* ac notat ibi Summarium, Innocentius, Jo. Andreas, Abbas, Barboſa & communis aliorum. Ratio eſt: quia reprobatio teſtium, ſive repulſa ipſorum ob ſuam inhabilitatem, ſeu falſitatem, eſt quædam defenſio, ſi enim non liceret uni parti teſtes ab altera parte productos reprobare, ſæpè veritas ſuccumberet, ac per falſos teſtes opprimeretur, *c. 2. h. t. & l. Eos teſtes. C. eod.* Ac proinde, ut æqualitas ſervetur in judiciis, meritò tam Actori, quàm Reo permittitur reprobare tum teſtes probatorios ſuper principali negotio ab altera parte productos, tum etiam horum reprobatorios: ita tamen, ut hic, ſive in tertia productione teſtium priores reprobantium, utrobique detur ſtatus.

Et meritò hic datur ſtatus: *Ne ſi, producendi quar-* 555
*tos contra tertios, & ſic deinceps partibus licentia tribuatur, negotium diutiùs protelari contingat*; prout loquitur Pontifex *c. c. Licèt dilectus. h. t.* Quia tunc daretur proceſſus in infinitum, nec eſſet aliquis finis litium, partibus ſemper in nova reprobatione ulteriorum teſtium occupatis. Infinitas autem eſt vitanda inquit Gloſſa *ibid. V. Quos.* id probans *ex l. Ut inter divinum C. de Sacroſ. Eccl.* utpote quæ reprobatur à Jure, *c. Cum in multis. de Reſcript. in 6.* juncta Gloſſa, *V. Multis*, fuſiùs iſtud exemplificante

Dicitur notanter in Concluſione, *ultrà vero non eſt* 556
*permiſſum, alios teſtes reprobatorios producere.* Licèt enim teſtes ſecundò reprobatorii (hoc eſt, reprobatorii reprobatoriorum) non poſſint reprobari per novos teſtes, bene tamen poſſunt iidem reprobari per inſtrumenta; ut inquit Jo. Andreas *in cit. c. Licèt dilectus. n. 4.* & Abbas *ibid. n. 3.* & Imola *col. 2. h. t.* & Pirhing. *eod. nu. 253.* Tum quia *in cit. c. Licèt dilectus. h. t.* ſolùm prohibetur, ne fiat tertia reprobatio per teſtes; atqui in materia odioſa, ut eſt præſens, nomine *teſtium* non veniunt *inſtrumenta*. Tum quia in ſimili, poſt publicationem atteſtationum non eſt licitum novos teſtes producere; bene tamen poſſunt produci inſtrumenta de novo reperta, *l. Cùm dilectus. 6. de Fide Inſtrum.* eſtque jam dictum ſuprà *Tit. præc. §. 6. n. 149. & 152.*

Reſp. II. Modus in reprobatione teſtium probatorio- 557
rum, & reprobatoriorum obſervandus, traditur *in cap. 2. §. Teſtes etiam. hoc tit. in 6.* & conſiſtit potiſſimùm in ſequentibus: Primò, ut *fiat ſingillatim ſpecificatio criminum, & aliorum objectorum*, ſeu defectuum, qui forſan productis teſtibus objici poſſunt, ſuntque tales, ut illi idcircò teſtes eſſe prohibeantur; prout explicat Gloſſa *ibid. V. Et aliorum.* Unde non ſufficit tantùm in genere dicere, quòd teſtis, qui ab altera parte productus fuit ſit criminoſus, vel aliunde inhabilis ad teſtificandum: ſed oportet, crimen illud, vel alium defectum ſingillatim, ac ſpecificè exprimere. Alioquin enim opponens crimen ſub tali generalitate, poſſet poſteà variare; & cognito, quòd unum crimen probare nequiret, aliud fraudolenter objicere, ſicque negotium protrahere in infinitum: quod eſt abſurdum. Simile quid habetur *c. Ut circa. de Election. in 6.* ubi pariter appellantes contra electionem, tenentur exprimere omnia, quæ intendunt objicere contra perſonam Electi, vel formam electionis.

Secundò, quòd is, qui producit teſtes reprobatorios 558
reprobatoriorum, *priùs præſtet juramentum, quòd ad hoc ex malitia non procedat.* Ita loquitur textus *in cit. cap. 2. in fin. h. t. in 6.* Ubi Gloſſa *V. Juramentum*, quærit rationem diſparitatis, cur in prima reprobatione teſtium probatoriorum, non exigatur juramentum, bene tamen in ſecunda, per quàm teſtes reprobatorii reprobantur. Et reſpondet, diſparitatem eſſe: quia potius præſumitur, malitiam intervenire in reprobatione teſtium reprobatoriorum, quàm in reprobatione probatoriorum, ſeu ſuper principali negotio productorum: quamquam hoc ipſum ſit in poteſtate Judicis; adeò, ut in prima etiam reprobatione poſſit exigere juramentum, ſi ita ſibi videbitur, *cap. 2. §. fin. de Juram. calumn. in 6.* & illud in ſecunda omittere, ſi ſibi videbitur.

# TITULUS XXI.

## De Teſtibus cogendis, vel non.

*1 Ratio continuationis Rubricarum.*

QUia præcedenti Titulo viſum eſt de Teſtibus & atteſtationibus; & dubitari poſſet, an quis invitus poſſit ad teſtificandum cogi, nec ne, meritò præſens Rubrica ſubjungitur: quæ cum duplex membrum contineat, pariformiter duobus Paragraphis declarabitur. Unde ſit

### §. I.

### Quo modo, & pœna, quibuſque in cauſis Teſtes cogendi ſint?

*S U M M A R I U M.*

2 *Teſtes authoritate publica ſunt citandi, vocato etiam adverſario,*
3 *Regula eſt, quòd ſi teſtes legitimè citati venire, aut teſtificari nolint, per Judicem compelli poſſint.*
4 *Officium teſtium eſt publicum, vel quaſi publicum.*
5 *Aliæ rationes aſſeruntur; cur teſtes quandoque cogantur ad teſtificandum.*
6 *Teſtes non illicò compellendi ſunt, ſed debet præcedere monitio.*
7 *Niſi eorum teſtimonium mox à principio ſit neceſſarium.*
8 *Teſtes admoniti, & teſtificari recuſantes, compellendi ſunt pro qualitate Fori.*
9 *Nempe de Jure Canonico, per cenſuras Eccleſiaſticas.*
10 *Et de Jure Civili; pignora capiendo; vel mulctam imponendo.*
11 *Qui ſubtrahit teſtes à teſtificando, poteſt excommunicari.*
12 *Et punitur pęna extraordinaria, tanquam contemptor Judicis.*
13 *An etiam teneatur pęna Falſi? Et n. ſeq.*
14 *Teſtes continentur appellatione inſtrumentorum. Et n. præced.*
*Propriè tamen aliud ſunt Inſtrumenta, aliud Teſtes. Ibid.*
15 *Subtrahens adverſario inſtrumenta, vel teſtes, ex hoc ſolo cauſam non perdit: oſtendit tamen, quòd iniquam foveat cauſam. Et num. ſeq.*
16 *Hæc præſumptio, quid operetur?*
17 *Certum eſt, in cauſis civilibus poſſe teſtes cogi ad teſtificandum, niſi reperiantur privilegiati.*
18 *De Jure Civili etiam in cauſis criminalibus cogendi ſunt teſtes.*
19 *An idem ſit dicendum de Jure Canonico, variant Doctores.*
20 *Secundum Canones, in cauſis criminalibus regulariter teſtes non poſſunt cogi. Et n. ſeqq.*
21 *Peccatum fratris tacere, non eſt peccatum, ſed meritorium; & quando?*
22 *Vel maximè teſtes non ſunt cogendi, quando agitur de probando crimine occulto.*
23 *Vel quando ex tali depoſitione grave periculum, v. g. capitalis inimicitiæ imminet teſti.*
24 *In certis caſibus, etiam de Jure Canonico, coguntur teſtes ferre teſtimonium in cauſis criminalibus. Et num. ſeqq.*
25 *Ut, quando veritas aliter haberi non poteſt.*
26 *Vel, quando adverſa pars malitioſè impedit teſtium productionem.*
*Item, quando ipſimet teſtes ſe ſe ſubtrahunt timore, gratia, vel odio. Ibid.*
27 *Et in criminibus ſummè pernicioſis Hæreſis, læſæ Majeſtatis, &c. Et n. 22.*

2 QUæritur I. An, & quomodo, quibuſque pœnis teſtes cogi poſſint ad ferendum teſtimonium? Antequam reſpondeatur, eſt ſupponendum, quòd teſtes authoritate publica, hoc eſt, à Judice, vel de ejus mandato per publicam perſonam, ad ferendum teſtimonium judiciale citari debeant: ita tamen, ut ſimul vocetur, ſeu admoneatur adverſarius ad veniendum, & audiendum teſtium juramentum; vel etiam ad opponendum contra eorum perſonas, ſi quid forſan habuerit, quod teſtibus objicere, ſicque eos reprobare poſſit; prout uberius *Tit. præc.* diverſis in locis dictum eſt. Quia verò nonnunquam contingit, quòd teſtes legitimè citati, vel odio producentis, vel gratia, aut timore illius, contra quem producuntur, ſeſe ſubtrahant; & vel penitùs comparere recuſent, vel ſaltem in tali cauſa, & contra talem perſonam teſtificari nolint: hinc quæſtio remanet, an, & quomodo, quibuſque pœnis teſtes cogi poſſint ad ferendum teſtimonium. Quo prænotato

3 Reſp. I. Regula eſt, quòd ſi teſtes legitimè citati venire, aut teſtificari nolint, per Judicem tum Ordinarium, tum Delegatum, ad teſtificandum compelli valeant. Ita textus expreſſus *in c. 1. h. t.* ubi Pontifex ſic loquitur: *Mandamus, quatenus teſtes ab alterutra partium in ſuę aſſertionis teſtimonium invocatos, ne veritatem occultent, diligentiùs moneas, & inducas. Si autem odio, vel gratia, vel timore ſe ſubtrahant, eos ad ferendum teſtimonium coram præfatis Judicibus, vel eorum nuncio, quem ad hoc miſerint, Eccleſiaſtica diſtrictione compellas.* Hæc ibi. Atque ideò hanc Regulam tradit Hoſtienſis *in Summa, h. t. n. 1.* Speculator *tit. de Teſte. §. de Teſtium compulſione, n. 3.* Sigiſm. Scaccia *lib. 2. de Judiciis, c. 10. n. 1.* Farinacius *de Teſtib. q. 78. n. 57.* citans alios.

4 Accedit ratio: quia officium teſtium, eſt officium publicum, *arg. l. 1. ff. de Teſtib.* & notat Baldus *ad Rubric. h. t. n. 1.* Maſcardus *de Probat. q. 5. Proœm. n. 48.* Valenſis *h. t. n. 1.* Vel ſaltem, ut inquit Jo: Andreas *ad Rubr. h. t.* officium teſtium eſt quaſi publicum: ſive, ut inquit Innocentius *in c. Nihil, ad fin. de Election.* & Abbas *ad Rubr. h. t. & c. ult. n. 3 eod.* eſt publicum in ſe. Atqui ad officium publicum compellitur interdum quis invitus, *l. Cum ab initio*, juncta Gl. ℣. *Cogat. ff. Quemadmodum teſtament. aperiant.* cum ſimilibus: neque enim juri publico quis renunciare poteſt, *c. Si diligenti. 12. de Foro compet.* ergo.

5 Confirmatur. Tum quia teſtes quandoque cogi ad teſtificandum, exigit bonum commune, & publica neceſſitas ſeu utilitas Reipublicæ, ut hac ratione præcaveatur malitiis hominum cæteroquin plures fraudes criminaque perpetrantium, quæ occulta remanerent, niſi quandoque teſtes cogi valerent: ſeu, *ne veritas occultetur, & ne malus ut bonus æſtimetur*, prout habetur *can. Quamquàm, 14. q. 2. & cit. c. 1 h. t.* Tum quia ex eo, quòd quis non vult ferre teſtimonium, præſumitur contra ipſum; quòd veritatem, quam novit, vel odio, gratia, vel timore occultare; ſicque meritò compellitur ad eam detegendam. Tum tandem, quia officium teſtium adeò eſt neceſſarium, ut quis etiam removeatur à munere judicandi propter actum teſtificandi, *c. Dilecto, 40. de Teſtib.* ubi Judici delegato ſubſtituitur alius, eò quòd pars litigans illius teſtimonio indiguiſſet: nam, ut inquit Abbas *ibid. nu. 3.* faciliùs reperiuntur centum judices, quàm unus teſtis.

6 Reſp. II. Teſtes recuſantes ferre teſtimonium, non illico, & ex abrupto compellendi ſunt, ſed neceſſe eſt, ut præcedat monitio. Ita textus *in c. c. 1. h. t.* ibi: *Diligentiùs moneas, & inducas*: ac notat Abbas *ib. n. 1.* Felinus *n. 1.* Farinacius *de Teſtib. q. 78. n. 55.* allegans alios. Concordat textus *in c. Super eo. 3. h. t.* illis verbis: *Teſtes, qui interfuerunt facto, monendi ſunt, non cogendi ad ferendum teſtimonium veritati.* Ubi Gloſſa *v. Non cogendi*, hoc intelligit, *à principio: primò enim ſunt monendi, & poſteà cogendi*, inquit Gloſſa. Nec immeritò: quia non ſtatim debet Judex fulminare minitando excommunicatio-

nem,



nem, ſed mitiùs procedendo, priùs monere, donec creſcente contumacia teſtis, ad graviora Juris remedia procedere oporteat.

7 Limitat tamen iſtud Abbas *in cit. c. 1. n. 1. h. t.* & poſt ipſum Farinacius, *ubi ſuprà n. 56.* niſi teſtimonium illorum teſtium mox à principio fuerit neceſſarium: ut putà, quia factum aliter probari non poteſt; vel quia Judex eſt remotus à partibus, nec judicium de facili poteſt geminari. Tunc enim non eſt opus præmittere aliam monitionem; ſed poterit Judex ſtatim à principio præcipere teſtium comparitionem, atque depoſitionem, etiam ſub conditione fulminando cenſuras Eccleſiaſticas. Idque deſumit Abbas *loc. cit. ex c. 2. h. t.* ubi ita videtur practicatum à Pontifice in caſu, quo teſtimonium quorundam fuerat neceſſarium pro deciſione cauſæ tunc exiſtentis.

8 Reſp. III. Quòd ſi admonitio teſtibus facta de aperienda veritate non proſit, ſed ipſi jam admoniti adhuc teſtificari recuſent, tunc teſtes (extra caſus in Jure privilegiatos) ſunt compellendi pro qualitate Fori. Ita communis, & patet ex Juribus illicò allegandis.

9 Et quidem de Jure Canonico teſtis monitus, ac interrogatus, ſi odio unius, vel gratia, aut timore alterius partis (quod juxta Gloſſam in *c. Super eo.* ℣. *Timore, h. t.* fieri præſumitur, niſi privilegium, aut juſtum impedimentum allegare valeat) teſtimonium ferre recuſaverit, *Eccleſiaſtica diſtrictione* compelli debet, *cap. 1. h. t & c. 2. & c. Pervenit ad nos, 5. eod.* ibi. *Sunt per cenſuram Eccleſiaſticam compellendi.* Id eſt, Clericus in teſtem vocatus, & contumaciter non comparens, imprimis compellitur ſub pæna *ſuſpenſionis*: deinde, quia creſcente contumacia creſcere debet & pœna, cogitur ſub pœna *excommunicationis*: & tandem ſub pœna *depoſitionis*, juxta textum *in cit. c. 2. h. t.*

10 Porrò de Jure Civili, teſtis authoritate Judicis compelli debet venire in judicium, atque teſtimonium perhibere: quòd ſi facere contemnat, pignora ejus erunt capienda, & diſtrahenda; vel ipſe mulcta, ſeu banno extraordinario coercebitur, donec veniat, & reſpondeat: ut *l. 1. §. Poſt editum. ff. de Ventre inſpiciend.* ubi Gloſſe ℣. *Et mulctis.* Bartolus, & alii; & ſequitur Vallenſis *h. t. n. 2.* de quo tamen Civiliſtæ. Verùm occaſione horum

11 Quæritur II. Qua pœna puniatur ille, qui ſubtrahit teſtes à teſtificando, & an idcircò perdat cauſam? Reſp. Qui ſubtrahit teſtes adverſario ſuo, putà, impediendo, ne teſtimonium contra ipſum ferant, aut per vim occultando eos domi, ut non teſtificentur, poteſt excommunicari. Ita textus *in c. Conſtitutis, 45.* & Jo: Andreas, & Abbas *in Summario ibid. de Teſtib.* Farinacius *de Teſtib. q. 78. n. 138.* & alii; eſtque jam dictum ſuprà *tit. præc. §. 13. num. 431. & ſeqq.* ubi generaliter dicitur, poſſe excommunicari eos, qui partem impediunt in producendis teſtibus.

12 Reſp. II. Inſuper ſubtrahens teſtem adverſario ſuo, puta, per vim eum domi occultando, ne teſtificetur, punitur pœna extraordinaria ad nutum Judicis, tanquam contemptor ipſius. Ita deſumitur ex *c. Pervenit ad audientiam, 4. h. t.* ubi dicitur quòd ſubtrahens adverſario teſtem, *experiri debet in ſe judicis authoritatem eluſam*; hoc eſt, quam ſuo facto eludebat: ac notat Baldus *in c. Pervenit; il 1. n. 2.* & Felinus *n. 3. h. t.* Farinacius *cit. q. 78. n. 138.* allegans alios.

13 Dices. Qui ſubtrahit, ſeu furatur inſtrumenta, ut veritas non appareat, tenetur pœna Falſi, *l. Eum qui. C. Ad Leg. Cornel. de Falſis*: atqui ſubtrahens teſtes, hoc ipſo ſubtrahit inſtrumenta; ergo is tenetur pœna Falſi, & conſequenter non ſola pœna extraordinaria, ſeu arbitraria. Min. probatur ex textu *cit. cap. Pervenit ad audientiam, h. t.* ubi Pontifex attendendum cenſet, *quòd nemo debet adverſario inſtrumenta (quorum appellatione teſtes continentur) ſubtrahere.* Reſp. Majorem eſſe veram de inſtrumentis propriè dictis: ut ſunt Tabulæ teſtamentariæ, de quibus *in cit. l. Eum qui*, fit mentio: ſecùs dicendum de Teſtibus.

14 Ad probationem negatur conſequentia. Quia, licèt teſtes nomine *Inſtrumenti* contineantur, ut inquit textus allegatus; poſſintque dici Inſtrumenta, ſaltem in lata ſignificatione, quatenus deſerviunt ad inſtruendam cauſam, non minùs, ac inſtrumenta, *l. In exercendis. C. de Fide inſtrument.* ſicque inſtrumentis æquiparentur, *c. Forus*, juncta Gloſſa ℣. *Teſtibus, & fide tabularum, de Verb. ſignif.* Nihilominùs propriè loquendo, ac in materia ſtrictæ interpretationis (qualis eſt iſta, imponens ſubtrahentibus inſtrumenta pœnam Falſi) aliud ſunt inſtrumenta, & aliud teſtes. Unde in ſimili videmus, quòd poſt publicationum atteſtationem poſſint produci inſtrumenta, non verò teſtes, *cap. Cùm dilectus, 9. de Fide inſtrument.* Ita Abbas *in cap. Pervenit, il 1. num. 2.* & Baldus *ibid. num. 2.* & Felinus *ibid. num. 3. h. t.* Farinacius *cit. q. 78. num. 134.* & alii.

15 Reſp. III. Licèt is, qui ſubtrahit adverſario inſtrumenta, vel teſtes, oſtendat iniquam à ſe litem moveri; ſicque oriatur contra eum præſumptio; ac proinde teſtes ſint compellendi ad dicendam veritatem: nihilominùs ſubtrahens teſtes ex hoc ſolo non perdit cauſam, ſi de juſtitia ſua aliunde doceat. Ita Gloſſa *fin. l. Providendum. C. de Poſtuland* loquens in ſimili caſu, quo quis adverſario ſubtrahit copiam Advocati. Abbas *in cit. c. Pervenit, il 1. n. 2.* Jo. Andreas *ib. n. 5.* & Felinus *nu. 3. h. t.* Farinacius *d. q. 78 n. 141. & ſeqq.* citans alios, nonnullis tamen exceptis. Et quidem prior pars conſtat ex texto *cit. cap Pervenit, il 1. h. t.* Ratio verò poſterioris partis eſt: quia nullo Jure reperitur cautum, quòd ſubtrahens teſtes, in pœnam hujus delicti perdat cauſam; ergo nec eſt aſſerenda talis pœna, ſed ſufficit pœna arbitraria, vel etiam excommunicatio ipſi infligenda, donec dimittat teſtes ad liberè ferendum teſtimonium.

16 Quia tamen contra talem oritur præſumptio juris, quòd foveat iniquam litem, *cit. c. Pervenit, il 1.* ſeu *c. Pervenit ad audientiam, 4. h. t.* Hinc imprimis meritò teſtis ille compellendus eſt ad detegendam fraudem, & calliditatem illius, qui eum voluit ſubtrahere, prout loquitur textus *ib. in fin.* Deinde debet teſtis ille deponere ſuper cauſa principali, ne veritas occultetur: imo, ut inquit Abbas *ibib. n. 2.* poſt Innocentium, poteſt etiam ad hoc compelli. Tandem, ſi non conſtet de juſtitia cauſæ ex parte ſubtrahentis teſtes, ſed de ea remaneat dubium, tunc præſumitur, quòd ſubtrahens ille foveat injuſtam cauſam; & ſic, loquendo de cauſa civili, amittit ipſam ex tali præſumptione. Farinacius *loc. cit. n. 143.* Quin etiam in criminalibus præſumptio delicti oriens ex ſubtractione teſtium contra ſubtrahentem, transfert in ipſum onus probandi ſuam innocentiam; aliàs condemnabitur, juxta Hoſtienſem *cit. c. Pervenit. il 1. n. 1. & 2. h. t.* quem ſequitur Farinacius *d. q. 78. n. 148.*

17 Quæritur III. Utrùm non ſolùm in cauſis civilibus, ſed etiam in criminalibus; teſtes ſint cogendi ad perhibendum teſtimonium? Reſp. I. Certum eſt, quòd in cauſis civilibus teſtes poſſint compelli ad teſtificandum, niſi reperiantur expreſſè privilegiati; de quibus *§. ſeq. n. 28. & ſeqq.* Ratio eſt: quia Jura hactenus allegata ad minimum procedunt in cauſis civilibus. Idque patet ex *c. 1. & 6. h. t.* ubi ſermo eſt de cauſa matrimoniali, & conſanguinitate probanda. Item *ex c. 2. & 3.* juncta Gloſſa *fin. eod.* ubi clarè habetur, in cauſis civilibus poſſe cogi teſtes, cum ſimilibus.

18 Reſp. II. Utrùm in cauſis criminalibus cogendi ſint teſtes, variant Doctores. Et quidem loquendo de Jure Civili, Regula eſt affirmativa, quòd videlicet quilibet poſſit cogi ad ferendum teſtimonium, niſi reperiatur exceptus. Ita deſumitur ex *l. Si quando, C. h t.* juncta Gloſſa *ib.* ℣. *Cauſis*; quæ iſtud ulteriùs probat ex eo; quia cùm quidam excuſentur, ut inviti non dicant teſtimonium, *l 4. & ſeq. ff. de teſtib.* conſequens eſt, alios ad hoc compelli. Atque ideò hanc ſententiam in Jure Civili eſſe expeditam, eamque ſervari de conſuetudine, aſſerit Jul. Clarus *in Praxi Crimin. l. 5. §. fin. q. 24. n. 21.* Et Sigiſm. Scaccia *cit. l. 2. de Judiciis, c. 10. n. 12.* allegans Capellam Tholoſanam *dec. 413. in fin.* Follerum *in Pract. crim. can. Rubr. Teſtibuſque diligenter examinatis, c. 8. n 5. & n. 34.* & alii,

19 Verùm loquendo de Jure Canonico, diverſæ ſunt Doctorum ſententiæ. Et quidem affirmativam ſententiam, ſeu ſpectato etiam Jure Canonico teſtes in criminalibus cogi poſſe ad teſtificandum, originaliter docuit Hoſtienſis *in Summa, h. t. n. 2.* appellans falſam opinionem Doctorum antiquiorum, negativam tenentium, Zoeſius *n. 2. h. t.* rationem dans, quòd Reipublicæ interſit crimina ſciri, ne maneant impunita. Et huic ſententiæ multum

favet Gloſſa fin. in c. Dilectorum, verſ. In contrarium, h. t. ipſamque in praxi hodie eſſe receptam, refert Scaccia cit. c. 10. n. 16. Jul. Clarus d. q. 24. n. 21. in fin. Barboſa c. Dilectorum, n. 4. h. t. & Farinacius cit. q. 78. n. 120. in fin. ubi n. 116. pro hac ſententia plures alios Doctores allegat. Negativa econtrà ſententia, abſtrahendo à ſpeciali locorum, ſeu Tribunalium conſuetudine, videtur Juri conformior, atque magis recepta inter Canoniſtas doctrina, quamquàm etiam ipſa quaſdam patiatur limitationes. Unde

20 Reſp. III. Secundùs Sacros Canones, in cauſis criminalibus regulariter teſtes non poſſunt cogi ad teſtificandum. Ita Gloſſa c. Super eo. ℣. Paſſim, & c. Pervenit ad nos. ℣. Recuſant. & c. Dilectorum. ℣. Super criminibus, h. t. Speculator t. de teſte. §. ad Teſtium compulſionem, n. 4. Innocentius c. 21. n. 2. h. t. Abbas cit. c. Dilectorum. n. 3. eod. Pirhing h. t. n. 11. & ſeqq. Farinacius cit. q. 78. n. 11. allegans plurimos alios, hancque appellans communem opinionem Canoniſtarum, Atque pro hac Regula facit textus in d. c. Dilectorum, 10. h. t. illis verbis; Teſtes, qui fuerint nominati, præterquàm ſuper criminibus (ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint) per cenſuram Eccleſiaſticam cogatis veritati teſtimonium perhibere. Ubi exceptio illa, præterquàm ſuper criminibus, firmat regulam in oppoſitum. Concordat c. ex parte, 7. de Teſtib. juncta Gloſſa fin. ubi dicitur, quòd in crimine probando teſtes ſunt monendi, non cogendi.

21 Accedit ratio; quia peccatum fratris tacere, non eſt peccatum (ſaltem regulariter, & quando ſine periculo diſſimulari poteſt) imò eſt laudabile, ac meritorium, arg. can. Si peccaverit, 2. q. 1. Simulque in infamiam alterius nemo facilè debet proſilire, arg. can. Ex merito, & can. Summa iniquitas, 6. q. 1. ergo multo fortiùs nemo debet ad hoc compelli.

22 Atque hæc Concluſio vel maximè procedit, quando agitur de probando crimine occulto: quia tunc multò minùs teſtes cogendi ſunt, per Jura proximè allegata, juncto c. Super eo, 3. h. t. ubi dicitur: Verùm ſi non eſt notorium, teſtes qui interfuerunt facto, monendi ſunt, non cogendi &c. ac notat Jo. Andreas c. Dilectorum, n. 11 verſ. In occultis, h. t. hinc excipiens crimina occulta pernicioſa; ut eſt Hæreſis, dilapidatio, & hujuſmodi. Farinacius d. q. 78. n. 121. allegans alios.

23 Atque idipſum incunctanter etiam eſt dicendum, quando ex depoſitione ſuper crimine alterius grave periculum, v. g. capitalis inimicitiæ, imminet teſti: quia tunc non debet Judex eum cogere. Baldus c. Dilectorum n. 6. & Felinus ibid. n. 3. h. t. Menochius de Arbitr. Judic. l. 2. caſ. 487. n. 3. & ſeqq. qui tamen extra tale periculum arbitrantur, teſtem eſſe cogendum ad teſtificandum etjam in criminalibus favore Reipublicæ, ne crimina maneant impunita. Rationem dant: quia nemo poteſt cogi teſtificari in præjudicium ſuorum conſanguineorum, vel affinium, l. Lege Julia, ff. de teſtib. cum concordantiis; ergo multò minùs, æquitate naturali ſic ſuadente, cogitur quis teſtificari in præjudicium proprium adeò magnum, quale eſt inimicitia capitalis, quæ ex teſtimonio in cauſa capitali conſurgere ſolet, arg. cap. Cùm P. 10. de Accuſat.

24 Reſp. IV. Patitur nihilominùs data Concluſio quaſdam limitationes, atque in certis caſibus teſtes etiam de Jure Canonico coguntur ferre teſtimonium in cauſis criminalibus. Ita Abbas c. Dilectorum, n. 6. h. t. nonnullas tales limitationes aſſignans; & ſubjungens, promptum eſſe, hoc modo jura juribus concordare. Farinacius cit. q. 78. n. 122. & 124. ac ſeqq. & alii.

25 Sic imprimis teſtes ad teſtificandum compelluntur, quando veritas aliter haberi non poteſt: & hoc non ſolùm in civilibus, ſed etiam in criminalibus. Textus eſt in c. Pervenit ad nos, 5. juncto Summario, & Gloſſa ℣. Eccleſiaſticis, h. t. ubi in cauſa injoriarum enormium Clericis illatarum illi, qui teſtificari recuſant, ſi aliter veritas nequiverit elici, ad illud ſunt per cenſuram Eccleſiaſticam compellendi. Abbas c. c. Dilectorum. n. 6. h. t. Pirhing eod. n. 13. Socin. in Fallentiis, reg. 417. fall. 1. Farinacius d. qu. 78. n. 121. allegans plurimos alios.

26 Deinde teſtes in criminalibus compelluntur teſtificari, quando adverſa pars malitioſè impedit eorum productionem, c. Pervenit ad audientiam, 4. h. t. Item, quando ipſimet teſtes ſeſe ſubtrahunt timore adverſæ partis, c. Super eo. 4. eod quem timorem eo ipſo præſumi, quòd quis monitus ſit, & nolit teſtificari, cenſet Gloſſa in cit. c. Super eo ℣. Timore. Idemque dicendum, quando teſtes ſeſe ſubtrahunt non ſolùm timore partis adverſæ (ut vult Abbas in c. c. Super eo. n. 2.) ſed etiam gratia, vel odio aliquo; ut c. Cùm contra 9. & c. ult. h. t. ubi expreſsè dicitur, teſtes etiam in criminalibus, utpote de quibus ibidem agitur, eſſe cogendos ad perhibendum teſtimonium veritati, ſi ſe gratia, odio vel timore ſubtraxerint: haud obſtante, quòd in cit. c. Super eo, eod. de ſolo timore fiat mentio. Farinacius cit. q. 78. n. 126. cum plurimis aliis.

Inſuper in crimine Hæreſis, læſæ Majeſtatis, Conjurationis, Simoniæ, aliiſque hujuſmodi graviſſimis, ſummeque pernicioſis criminibus compelluntur teſtes, haud obſtante, quòd ſimus in criminalibus; talia enim crimina nequeunt diſſimulari, neque reticeri in ſummam perniciem Communitatis, can. Si quis per capillum, 22. q. 1. & c. ult. h. t. cum ſimilibus. Baldus ad Rubr. h. t. n. 2. Jo. Andreas d. c. Dilectorum. n. 11. h. t. Socinus cit. reg. 517. fall. 3. Pirhing h. t. n. 19. Farinacius d. q. 78. n. 189. & ſeqq. allegans alios, & de ſingulis talibus criminibus ſpecialiter differens: quamquàm n. 199. rectè ſubjungat, quòd ubi agitur cauſa ſanguinis, tunc Clerici ſint excipiendi, nec cogendi ad ferendum teſtimonium, propter periculum irregularitatis; eſtq; jam dictum ſuprà t. præc. §. 6. n. 170. & 171. 27

## §. II.

## De Perſonis privilegiatis, vel non, à ferendo teſtimonio.

### SUMMARIUM.

28 Plures ſunt perſonæ privilegiatæ à ferendo teſtimonio Et n. ſeqq.
29 Ut Parentes, & Liberi adverſùs ſe.
30 Agnati, & Cognati uſque ad tertium gradum.
31 Agnati, & Cognati, qui & quomodo differant?
32 Affines, qui ſibi inſtar parentum, & liberorum ſunt, inviti non coguntur adverſùs ſe teſtimonium perhibere; & quales illi ſint?
33 Differentia inter Agnatos & Affines, & inter Parentes & Liberos quoad hoc.
34 Quando veritas aliter haberi nequit, poſſunt Agnati, & Affines cogi ad ferendum teſtimonium.
35 Adhuc tamen eſt diſparitas inter privilegiatos, & non privilegiatos, & qualis?
36 Inviti non coguntur ferre teſtimonium Senes, valetudinarii, milites &c.
Et in quo ſenſu?
37 Clerici in certis caſibus non coguntur teſtificari.
38 Utrùm Clericus poſſit compelli ad ferendum teſtimonium contra ſuam Eccleſiam? Et ratio dubitandi, ac negativam tenendi.
39 Quando Eccleſia producit Clericum pro ſe in teſtem, tenetur is etiam teſtificari contra eam.
40 Sed ſi producitur ab adverſario, timetque ſibi de damno aliquo, poteſt ſe Clericus excuſare à ferendo tali teſtimonio.
41 Extra hos caſus, ſi non adſunt alii teſtes, compellitur Clericus perhibere teſtimonium veritati, etiamſi cederet in damnum Eccleſiæ.
42 Solvuntur rationes dubitandi.
43 Poteſt cogi ad teſtificandum, qui juramento ſe obſtrinxit ad nihil dicendum, nec teſtificandum.
44 Et hujus ratio.
45 Imò talis poteſt teſtificari nulla prævia ſui juramenti abſolutione.
Quãvis hãc præmittere, ſit conſultius. Ib. & n. 48 & 49.
46 Juramentum de non teſtificando, eſt contra bonos mores, ſicque non obligat. Et n. 44. & 47.
47 Declaratur iſtud in crimine Simoniæ.
48 Et conjurationis, ſeu conſpirationis ſubditorum contra Prælatum ſuum.
49 Et in Inquiſitione ſuper reformatione Monaſterii.
50 Atque in Denuntiationibus matrimonialibus.
Conſcius impedimenti matrimonii tenetur illud denunciare, etiamſi ſub ſecreto acceperit, vel etiam ſub jurato, ne quid dicat. Ibid.

28 Quæ-



28 Quæritur I. Quænam ſunt perſonæ privilegiatæ, ita ut non poſſint cogi ad ferendum teſtimonium? Reſp. I. Plures eſſe tales perſonas.

29 Et imprimis excipiuntur Parentes & Liberi, qui non ſolùm non coguntur inviti adverſùs ſe dicere teſtimonium, ſed ne quidem volentes admittuntur, l. Parentes. C. de Teſtib. quæ eſt canonizata in can. Si teſtes. §. Parentes, 4. q. 3. ubi dicitur: Parentes, & liberi invicem adverſùs ſe nec volentes ad teſtimonium admittendi ſunt. Et meritò: ne quoquo modo vel pietas in liberis (ſub his quoſcunque deſcendentes comprehendendo) vel charitas in parentibus lædatur, ſi adverſùs ſe teſtari eos contingat. Concordant dicta ſuperiùs tit. præc. §. 5. nu 144. & ſeqq. ubi plura de hoc.

30 Deinde Agnati, & Cognati, non poſſunt compelli ad teſtificandum contra ſuos Conſanguineos uſque ad tertium gradum incluſivè. Gloſſa fin. in can. Conſanguinei. 3. q. 5. Abbas c. Litteras, n. 8. ℣. Et quod dixi, de Præſumption. Maſcardus de Probat. Concl. 74. n. 3. Farinacius de teſtib q. 54. n. 23. allegans alios. Idque deſumitur ex l. 4. ff. de teſtib. quæ eſt canonizata in can. Si teſtes, 4. q. 3. §. Lege Julia publicorum; ubi cavetur, ne conſanguinei inviti cogantur adverſùs ſe dicere teſtimonium uſque ad Sobrinum & Sobrinam, Sobrinove natum; quos tertio gradu ſecundùm Canones ab invicem diſtare, conſtat ex Arbore Conſanguinitatis.

31 Ubi ſecundum, quòd Agnati dicantur illi, qui propter virilis ſexus cognationem ſunt conjuncti: adeòque eodem nomine Gentilitio, Familia, & Inſigniis utuntur. Cognati autem vocantur, qui per fœminei ſexus cognationem ſanguine junguntur; prout habetur §. 1. Inſtit. de Legitima agnator. tutel. & l. Sunt autem agnati. ff. de Legitimis tutorib. & l. Inter agnatos, ff. Unde legitimi, Quamvis in hoc ultimo loco addatur, quòd Cognatorum nomen latiùs pateat; adeò ut Agnati etiam cenſeantur Cognati, ſed non econtrà: prout v. g. omnis emptio eſt pactum, ſed non econtrà; cùm pactum ſit genus reſpectu emptionis, ut exemplificat Gloſſa ibid. ℣. Continentur.

32 Inſuper Affines, qui ſibi inſtar parentum & liberorum ſunt, ut Socer, Gener, Vitricus, Privignus, inviti non compelluntur adverſùs ſe teſtimonium perhibere, cit. l. 4. ff. de teſtib. & can. Si teſtes, 4. q. 3. §. Lege Julia publicorum, quo utroque in loco etiam ſubjungitur, Generi appellatione, Sponſum filiæ quoque contineri; item Soceri, Sponſæ patrem. Et meritò tales perſonæ ſunt privilegiatæ, ne cogantur adverſùs ſe dicere teſtimonium: quia durum, & naturali affectioni contrarium eſſe dignoſcitur, ut quis invitus contra ſuum ſanguine, vel affinitate adeò conjunctum, atque in præjudicium ipſius, paſſim compellatur ferre teſtimonium.

33 Eſt tamen differentia inter Agnatos & Affines, ac hujuſmodi, & inter Parentes & Liberos. Nam hi non ſolùm non poſſunt cogi, ſed neque volentes admittendi ſunt ad teſtificandum contra ſe, cit. l. Parentes, C. h. t. Illi verò, licèt non cogantur inviti, tamen volentes admittuntur. Vallenſis h. t. n. 6.

34 Deinde dictum illud, quòd Cognati, & Affines, non cogantur adverſùs ſe dicere teſtimonium, procedit quidem regulariter: fallit tamen, quando veritas aliter haberi non poteſt. Nam, ubi ob defectum aliarum probationum, ſive teſtium, veritas aliunde nequit haberi, ceſſat harum perſonarum privilegium; atque poſſunt eædem cogi ad ferendum teſtimonium in ſubſidium etjam contra ſe invicem: idque publicæ utilitatis cauſa, quæ privato affectui præferenda eſt. Ita deſumitur ex c. Pervenit ad nos. 5. h. t. ibi: Si aliter veritas nequiverit elici: juncto c. ult. eod. ibi: Ne pro defectu teſtium pereat ſua juſtitia; cum ſimilibus: ac notat Hoſtienſis in c. 1. n. 2. & Jo: Andreas ibid. n. 5. & Abbas n. 4. & Felinus n. 8. h. t. Vallenſis eod. n. 7. Farinacius cit. q. 78. n. 77. & n. 108. allegans plurimos alios.

35 Neque hinc inferre licet, quòd fruſtraneum ſit harum perſonarum privilegium. Reſp. enim cum Jo: Andrea, & Abbate, ubi ſuprà, & aliis, adhuc diſparitatem eſſe inter privilegiatos, & non privilegiatos: nam non privilegiati poſſunt compelli ad ferendum teſtimonium hoc ipſo, quòd nominantur; ſeu in teſtes vocantur, & moniti teſtificari recuſant, etiamſi veritas aliunde haberi poſſit. At verò perſonæ privilegiatæ non coguntur, niſi ubi per alios nequit veritas apparere; ut can. Quanquàm. 14. q. 2. ubi Gloſſa ℣. Occultetur, inquit, iſtud eſſe regulariter, quòd in defectum probationum quilibet poſſit cogi, ut c. Pervenit ad nos, 5. de teſtib. cogend. Nam qui veritatem occultat, peccatum committit mortale, can. Quiſquis metu. 11. q. 3. ut loquitur Gloſſ. in c. 1. ℣. Occultent. h. t.



Rurſus inviti teſtimonium dicere non cogantur Senes (ideſt, majores ſeptuaginta annis; ut L. 1. C. Qui ætate, &c. & l. 3. ff. de immun.) item valetudinarii, milites, vel illi, qui cum Magiſtratu Reipublicæ cauſa abſunt, vel quibus venire non licet, cit. can. Si teſtes, 4. q. 3. §. Inviti, & l. 8. ff. de teſtib. juncta Gloſſa ib. Quod tamen intelligendum eſt, non quòd tales ſimpliciter exempti ſint à ferendo teſtimonio, ſed ne inviti longiùs evocentur ad Judicem. Idque meritò ſtatutum eſt, partim propter eorum impotentiam, qualis reperitur in ſenibus, & valetudinariis, ac hujuſmodi; partim propter occupationem, qua detinentur Milites, & alii Reipublicæ cauſa abſentes: & hinc, quando vocantur in teſtes, ad ipſorum domum pro recipiendo teſtimonio ſuo mittendum eſt, c. Si qui teſtium, 8. de Teſtib. 36

Tandem, ut omittantur nonnulli alii, de quibus fit mentio in ſæpè c. can. Si Teſtes, 4. q. 3. Clerici in certis caſibus, ac præſertim in cauſa ſanguinis propter periculum irregularitatis, non coguntur teſtificari; prout uberius jam dictum eſt tit. præc. §. 6. n. 170. Et multo minùs poſſunt iidem ferre teſtimonium ſuper auditis in confeſſione, propter ſigillum ipſius; eſtque ampliùs dictum tit. 18. de Confeſſis, §. 6. n. 133. Verùm occaſione horum 37

Quæritur II. Utrùm Clericus, ab alio invocatus, poſſit compelli ad ferendum teſtimonium contra ſuam Eccleſiam? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi, eſt: quia Clericus, qui contra Eccleſiam, à qua Beneficium obtinet, pro extraneis Advocatus, vel Procurator eſſe præſumpſerit, poteſt tanquam ingratus Beneficio hujuſmodi ſpoliari, per textum expreſſum in c. ult. de Poſtulando: idem ergo dicendum de teſtimonio adverſùs Eccleſiam ſuam ferendo. Accedit, quòd nemo cogatur eſſe teſtis in præjudicium fratris, & cognatorum ſuorum, l. 4. ff. de teſtib. & can. Si teſtes, §. Lege Julia publicorum, 4. q. 3. ergo nec Clericus in præjudicium ſuæ Eccleſiæ; quia nulla ejus proximior videtur, quàm Eccleſia ſua, quæ ipſum Domino ſociavit, c. Presbyteri, 2. de Pœnis. Tandem, nemo debet petere ab adverſario ſuo propria inſtrumenta, c. 1. de Prob. & c. Si teſtes. §. Qui intendit. 4. q. 3. ergo neque Actor poteſt exigere probationes, ſeu atteſtationem fieri ſibi per Clericum Eccleſiæ, contra quam agit. Verùm his in ſuo robore relictis 38

Reſp. I. Quando Eccleſia producit Clericum pro ſe in teſtem, tunc is, quando rei veritas ita exegerit, tenetur etiam teſtificari contra Eccleſiam. Ita Gloſſa c. Cùm nuncius, 12. ℣. Repellendi, & Abbas ib. n. 2. de teſtib. & alii. Ratio eſt: quia teſtis pro utraque parte tenetur deponere, ac dicere veritatem, can. Non ſanè, 14. q. 5. ac proinde hoc ipſo, quòd Eccleſia inducat pro ſe teſtem Clericum, tenetur ipſum recipere contra ſe, can. Si teſtes. §. Si quis teſtibus, 4. q. 3. cum concordantiis. 39

Reſp. II. Quod ſi verò Eccleſia non produxit Clericum illum pro ſe in teſtem, ſed inducitur ab adverſario, tunc Clericus ille, quando timet aliquod damnum temporale, vel ſpirituale inde ſibi imminere, putà à populo, vel alio potentiore, poteſt ſe excuſare à ferendo tali teſtimonio. Ita Baldus in c. c. Cùm nuncius, n. 1. de teſtib. id probans ex eo: quia, ſi non cogitur quis in præjudicium fratris, vel conſanguineorum ferre teſtimonium, l. 4. ff. de teſtib. cum ſimilibus; ergo multò minùs cogetur illud dicere in præjudicium tam grave ſui ipſius. 40

Reſp. III. Extra hoſce caſus eſt diſtinguendum: quia aut reperiuntur alii teſtes, per quos veritas haberi poteſt; & non compellitur Clericus teſtificari contra Eccleſiam, juxta textum notabilem in c. quamquam, 14. q. 2. & favent rationes dubitandi proximè allatæ: aut non adſunt alii teſtes, per quos veritas aperiatur; & tunc compellitur Clericus perhibere teſtimonium veritati, etiamſi cederet in aliquod damnum Eccleſiæ. Ita Gloſſa un in cit. c. Cùm nuncius, & Abbas ib. n. 4. de teſtib. & alii. Ratio eſt: quia in defectu probationum ceſſat omne privilegium, ne veritas occultetur, & injuſtitia foveatur, cit. can. Quamquàm, 14. qu. 2 & cap. 1. jun- 41

S 4 cta

cta Gloſſa, ℣. *Occultent. h. t.* & *c. Pervenit ad nos. 5. eod.* cum ſimilibus. Majorque debetur reverentia veritati, quàm Eccleſiæ: præſertim, cùm iniquum ſit, Eccleſiam contra alium injuſtè locupletari, vel manuteneri, atque cum gravi alterius læſione veritatem opprimi. Accedit, quòd Clericus poſſit teſtificari in favorem Eccleſiæ ſuę, *cit. c. Cùm nuncius. 12. de Teſtib.* eſtque amplius dictum *Tit. præc. §. 7. num. 197. & ſeqq.* ergo æquum eſt, ut pro manutenenda veritate etiam contra eam teſtificari valeat, ſaltem in ſubſidium, ſeu quando alii teſtes non adſunt: putà, quando ipſe adfuit contractui per Oeconomum nomine Eccleſiæ celebrato cùm aliquo Laico, qui ſoluta jam pecunia urget ejus obſervantiam, nec aliter niſi per Clericum poteſt probare celebrationem illius, aut ſolutionem pecuniæ à ſe jam factam.

42 Nec urgent rationes dubitandi *num. 38.* allatæ. Non quidem *c. ult. de Poſtuland.* Quia ibi ſermo eſt de munere Advocati, vel Procuratoris; quorum prius aliunde Clericis prohibitum eſt, *c. 1. de Poſtuland.* poſterius autem nemo invitus ſuſcipere compellitur, *l. Invitus, C. de Proc.* Secùs eſt dicendum de teſtibus, quos cogi poſſe ad ferendum teſtimonium, præſertim ubi veritas aliunde haberi non poteſt, patet ex toto hoc Titulo. Ad ſecundam dicitur, etiam Cognatos & Affines cogi ad ferendum teſtimonium, quando aliter veritas haberi non poteſt, ut dictum *n. 34.* unde iſta ratio militat in oppoſitum. Ad tertiam dicitur, ipſam procedere in inſtrumentis, non in teſtibus, horumque atteſtatione; cùm propriè nomine Inſtrumenti non veniant, ut dictum *n. 14.* Accidit, quòd res, ſeu cauſa Eccleſiæ, non ſit res vel cauſa Clerici: unde requirendo Clerici teſtimonium contra Eccleſiam, in defectum aliarum probationum, neutiquam petuntur inſtrumenta è domo adverſarii.

43 Quæritur III. An poſſit cogi ad teſtificandum, qui juramento ſe obſtrinxit ad nihil dicendum, ſeu non teſtificandum? Reſp. I. Non obſtante juramento, quo teſtis juravit ſe nihil dicturum, neque depoſiturum in judicio, poteſt is ad teſtificandum compelli. Ita textus *in c. Pervenit ad audientiam.* & Gloſſa *ibid.* ℣. *Juramento aſtrinxit*, & Abbas *n. 2. h. t.* Maſchardus *de Probat. qu. 5. Proœm. n. 47. 48. & ſeqq.* ubi *n. 49.* iſtud extendit ad eum caſum quo quis ſub juramento promiſit alicui non revelare arcanum ſibi privatim commiſſum; nam ſi producatur in teſtem, tenetur (inquit) illud detegere. Farinacius *de Teſtibus. q. 78. n. 149.* allegans plurimos alios. Concordat *c. ult. h. t.* & *c. Conſtitutis, 45. de Teſtib.* ubi teſtes inducti *ad jurandum, ne adverſùs Archiepiſcopum aliquid dicerent*, denunciantur *juramento hujuſmodi non teneri.*

44 Accedit ratio; quia tale juramentum eſt temerarium, & contra bonos mores præſtitum, eſtque vinculum iniquitatis, ne ſcilicet veritas manifeſtetur, & juſta ſententia ſequatur: atqui *non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum*, juxta Reg. 58 Juris in 6. Confirmatur; quia ſimpliciter jurans de non revelando, vel intendit comprehendere caſum teſtimonii judicialis non ferendi; & illicitum fuit juramentum, utpote factum contra jus Superioris, *c. Venientes, 19. de Jurejurand.* Vel non intendit, nec cogitavit caſum illum comprendere; & ſic juramentum illud ad talem caſum non extenditur, & conſequenter hic & nunc non obligat, *can. Hananæ cures. 12. q. 5.* Ita argumentatur Abbas *in c. ult. n. 3. h. t.* & poſt ipſum Maſcard. *c. q. 5. n. 50.* & concordant proximè dicenda *n. 46.*

45 Reſp. II. Poſt ejuſmodi juramentum de non teſtificando factum, poteſt quis in teſtem vocatus, ac judicialiter deponere juſſus, nulla alia prævia illius juramenti abſolutione teſtificari; quamvis, ſi juramentum illud ſit, publicum, conſultius ſit, abſolutionem ad cautelam ab eodem petere, vel ſaltem, ut Judex priùs declaret nullitatem ejus. Ita Gloſſa *in c. ult.* ℣. *Sacramento abſolvant*, & Abbas *ibid. n. 3. h. t.* Vallenſis *eod. n. 3.* Pirhing. *nu. 19.* Maſchardus *cit. q. 5. n. 48. & 54.* Farinacius *d. q. 78. n. 150. & 151.* & alii. Et quidem conſultius eſſe, talem abſolutionem ad cautelam, ſeu declarationem nullitatis juramenti præmittere, non eſt cur negetur: idque convincunt Jura, & rationes in progreſſu adducendæ.

Prior autem pars ex eo probatur. Tum quia tale juramentum non eſt obligatorium, utpote præſtitum contra bonos mores: unde abſque ullo periculo perjurii poteſt quis ipſi contravenire, *c. Quanto, 18 de Jurejurand.* Tum quia omni juramento præter alias conditiones, de quibus jam dixi in *Theologia Morali. Tract. 6. Diſtinct. 2. n. 23.* tacitè ſubintelligitur conditio illa, *ſi potero* (quia ad impoſſibile, de jure vel facto, nemo tenetur, juxta *Reg 6. Juris in 6.* juncta Gloſſa, & DD. *ibid.*) & *ſalvo jure, & authoritate Superioris*; prout liquet ex *c. Venientes, 19. de Jurejurand.* Atqui tale juramentum eſt obſervatu impoſſibile ſaltem de jure: cùm ſit vinculum iniquitatis, & contra bonos mores: ſimulque præjudicat juri Superioris, nempe Judicis publica authoritate conſtituti, & juridicè interrogantis; ergo. 46

Utraque hæc Concluſio declaratur exemplis. Sic *in c. Conſtitutis, 45. de Teſtib.* ubi teſtes aliqui leguntur anteà fuiſſe inducti ad jurandum, ne quid dicerent contra Archiepiſcopum de Simoniæ crimine accuſatum, hoc non obſtante coguntur teſtificari, jubetque Papa Judici à ſe Delegato, ut *illos, quos juraſſe conſtiterit, quòd contra Archiepiſcopum nihil dicerent, denunciet juramento hujuſmodi non teneri.* Quæ poſteriora verba clarè indicant, juramentum ejuſmodi ipſo jure fuiſſe invalidum, veluti contra bonos mores præſtitum: quia Pontifex non mandat ſuo Delegato, ut illos à ſuo juramento priùs abſolvat: ſed ſolum, ut denunciet illos ſuo juramento non teneri. 47

Deinde *in c. ul. h. t.* compellunt teſtes ad manifeſtandam veritatem conjurationis, ſeu conſpirationis ſubditorum contra ſuum Prælatum, etiamſi priùs juraverint eam celare, & nullatenùs manifeſtare; ita tamen, ut prius illi, quorum intereſt, per cenſuras Eccleſiaſticas cogantur, ut teſtes illos *ab hujuſmodi juramento abſolvant.* Ubi tamen Gloſſa ℣. *Juramento abſolvant*, & Abbas *ib. n. 3.* aliique notant, quòd abſolutio illa, ſeu relaxatio juramenti non fuiſſet neceſſaria, ſed potiùs ſit facta ad cautelam: qua ratione quandoque aliquos abſolvi ad cautelam, ut poſſint teſtificari, patet ex *c. Veniens ad Apoſtolicam, 38. in fi. de Teſtib.* 48

Simile quid habetur *c. Pervenit ad audientiam; 4. h. t.* & *c. Olim. 26. de Accuſation.* ubi in inquiſitione ſuper reformatione Monaſterii jubentur omnes Regulares deponere, *juramentis, ſi qua tacenda veritate Abbas extorſerat, relaxatis*, ut loquitur textus. Quamvis enim talia juramenta ipſo jure non teneant, utpote pręſtita contra bonos mores: nihilominus ad cautelam, majoriſque ſecuritatis gratia, non immeritò prius relaxantur, vel ſaltem per judicem priùs denunciantur eſſe invalida, pręſertim quando exiſtunt notoria; ne teſti illi quoquo modo vitium perjurii objici valeat, ſicque minus valeat teſtimonium ejus; vel ne ipſe Judex perjurum videatur in teſtem admiſiſſe. Pirhing *h. t. n. 18.* Farinacius *c. q. 78. n. 150.* allegans alios. 49

Hoc ipſum eſt extendendum ad Denuntiationes matrimoniales. Quando enim quis conſcius eſt alicujus impedimenti, quantumvis illud extra Confeſſionis ſigillum ſub ſecreto acceperit, vel etiam ſub juramento, ne quid dicat, nihilominus tenetur illud denuntiare. Sanchez *l. 3. de matr. diſp. 13. n. 5. & 6.* citans plures alios. Ratio eſt; quia ſecretò commiſſa tenetur quis manifeſtare, quoties vergunt in damnum publicum Communitatis, vel in grave damnum alicujus tertii, ut inquit D. Thomas *2. 2. q. 70. a. 1. ad 2.* ac ſequuntur Theologi communiter; prævalet enim bonum Communitatis, nec habet quis jus ad tuendam famam ſuam cum tam gravi damno proximi. Atqui iſtud contingit in impedimento matrimoniali ſecretè cognito, utpote quod, ſi non denuncietur, vergit tum in præjudicium alterius conjugis bona fide contrahentis; tum in irreverentiam Sacramenti Matrimonii, invalidè, vel ſaltem illicitè contracti: imò etiam tendit in graviſſimum ſpirituale damnum contrahentis cum tali impedimento, utpote non ſolùm mortaliter peccantis, ſed etiam in apertum periculum permanendi in concubinatu ſeſe conjicientis: ergo. 50

TITU-



# TITULUS XXII.

## De Fide Inſtrumentorum.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*
*Scriptura juvat ad probationem actus, licèt ad ejus ſubſtantiam non ſemper requiratur. Ibid.*

1 VIſo in præcedentibus duobus Titulis de prima ſpecie probationis, quæ fit per Teſtes, ſequitur nunc de altera, quę fit per Inſtrumenta. Et meritò: nam probatio faciliùs, & ſecuriùs fit per ſcripturam, licèt hæc ad ſubſtantiam actus non ſemper requiratur. *l. Contrahitur, ff. de Pign.* ibi: *Fiunt enim de his ſcripturę ut quod actum eſt per eas faciliùs probari poſſit; & ſine his autem valet, quod actum eſt, ſi habeat probationem.*

### §. XI.

### De Inſtrumentorum natura & diviſione, ac de Inſtrumento Publico.

*SUMMARIUM.*

2 *Inſtrumentorum nomine largè loquendo, ea omnia accipiuntur, quibus cauſa inſtrui poteſt.*
*Etiam teſtes. Ibid.*
3 *Inſtrumentum largiſſimè acceptum, comprehendit etiam utenſilia domus &c.*
4 *Inſtrumentum ſtrictè, quid?*
5 *Aliud eſt publicum, aliud privatum.*
6 *Inſtrumentum publicum generatim, quid, & quæ ejus ſpecies?*
7 *Inſtrumentum publicum ſpecialiùs loquendo, quod?*
8 *Notarius, quis?*
*Vocatur etiam Tabellio, Scrinarius &c. Ib.*
9 *Inſtrumentum privatum, quid?*
10 *Differentia inter inſtrumenta publica, & privata. Et n. 12.*
*Inſtrumentum publicum in prima figura, quod?*
*Probat plenè, etiam abſque aliis adminiculis.*
11 *Niſi quis poſſit illud arguere de falſo.*
12 *Inſtrumenta privata regulariter valent in præjudicium ſcribentium: non verò ad eorum commodum, niſi aliis adminiculis adjuventur.*
13 *Inſtrumentum authenticum, & non authenticum, quid.*
14 *Inter inſtrumentum publicum, & authenticum, an ſit differentia? Et n. ſeqq.*
*Differunt tanquam ſuperius & inferius. Ibid.*
15 *Scriptura authentica magis patet, quàm publica. Et n. præced.*
16 *Inſtrumentum publicum, & authenticum, frequenter ſumuntur pro ſynonimis. Et n. 14.*
17 *Ad Inſtrumentum publicum, quæ ſolemnitates requirantur. Et num ſeqq.*
18 *Debet illud continere invocationem Divini Nominis.*
19 *Ac in eo apponi annus Dominicæ Incarnationis.*
20 *Item menſis, & dies anni.*
21 *Atque indictio.*
22 *Indictionis nomine quid intelligatur, & unde traxerit originem.*
*Modus faciliimus inveniendi indictionem cujuslibet anni. Ibid.*
23 *Inſtrumento publico debet inſeri nomen Papæ, vel Imperatoris &c.*
*An etiam nomen Conſulis? Ibid.*
24 *In eo debet exprimi locus, in quo celebratur contractus in ipſo expreſſus: & quidem locus particularis.*
25 *Nomina etiam teſtium, qui interfuerunt actui, ſunt inſtrumento publico inſcribenda.*
26 *Teſtium tamen ſubſcriptio non requiritur.*
27 *Ex parte Notarii plura requiruntur ad validitatem inſtrumenti. Et n ſeqq.*
*Nempè, ut is legitimè ſit creatus, ac per ſe ſciat actum &c. Ibid.*
28 *Notarius debet ſubſcribere nomen ſuum, addendo, qua authoritate ſit Notarius.*
29 *An etiam debeat addere ſignum ſui Notariatus?*
*Narbonæ, & in quibuſdam locis, hoc non fit. Ibid.*
30 *Notarius debet eſſe rogatus à partibus.*
31 *Is attendat, ut ſemper ſervet eandem formam ſubſcriptionis &c.*
32 *Dictæ ſolemnitates in publicis inſtrumentis ſunt ſervandæ; & cur?*
*Omiſſio Solemnitatis de conſuetudine requiſitæ vitiat inſtrumentum. Ibid.*
33 *Notarius, vel alius ad ſcribendum teſtamentum alienum vocatus, nequit ſibi adſcribere hæreditatem, aut legatum, ſub pena falſi &c.*

QUæritur I. Quid, & quotuplex ſit Inſtrumentum? Reſp. I. Largè & generaliter loquendo, *Inſtrumentorum* nomine non tantùm comprehenduntur ſcripturæ, ſed etiam teſtes, horumque teſtimonia; imò & omnis alia probatio, per quam cauſa, & notitia judicis inſtrui poteſt. Et in hoc largiori ſenſu intelligendum eſt illud, quod habetur *cap. Pervenit ad audientiam 4. de Teſtib. cogend.* ibi: *Nemo debet adverſario inſtrumenta, quorum appellatione teſtes continentur, ſubtrahere.* Item illud quod *L. 1 ff h. t.* habetur, illis verbis: *Inſtrumentorum nomine ea omnia accipienda ſunt, quibus cauſa inſtrui poteſt: & ideo tam teſtimonia, quàm perſonæ, inſtrumentorum loco habentur.* Quod eſſe accipiendum in largiori ſignificatione, jam dictum eſt ſuperiùs *Tit. Præc. §. 1. n. 14.* 2

Tacetur illa largiſſima acceptio Inſtrumenti, qua illud ſub ſe comprehendit etiam utenſilia, per quę domus, vel fundus inſtruitur. In quo ſenſu de Inſtrumentis fit mentio *L. 1. & l. Inſtrumenta, ac ſeqq ff. de Fundo inſtructo &c & L. 1. & l. Inſtrumenti, ac ſeqq. ff. de Supellect legat.* & *c. Significaſti, 18. §. fin. de Homicid* ibi: *Ratione inſtrumenti, cum quo ipſe percuſſit*; & alibi. Verùm de inſtrumento ſic largiſſimè ſumpto impræſentiarum non eſt ſermo. 3

Reſp. II. *Inſtrumentum* ſtrictè acceptum, ſeu quantùm attinet ad Rubricam præſentis Tituli, idem eſt, ac ſcriptura, quæ fit ad probationem alicujus rei in futurum faciendam. Ita Abbas *ad Rubr. h. t* & alii paſſim. Ratio patet ex ipſa diverſitate Titulorum: nam ſi hìc appellatione *Inſtrumentorum*, etiam Teſtes venirent, non debuiſſet nunc poni Rubrica ſpecialis, ſed ſimul de utriuſque agendum fuiſſet. Atque de Inſtrumentis in hac poſtrema acceptione loquendo 4

Reſp. III. Inſtrumentum aliud eſt publicum, aliud privatum: atque de utroque in præſenti Titulo tractatur; uti patet ex *c. Scripta verò, 2. & c Imputari, 13. & c. Si cautio, 14. h t.* cum ſimilibus. Porrò 5

*Inſtrumentum publicum* generatim dicitur omne illud, quod publicam habet authoritatem. Speculator *tit. de Editione inſtrumentorum. §. Nunc dicendum, num. 1. & ſeqq.* ubi plures inſtrumenti publici ſpecies enumerat; videlicet, Inſtrumentum manu publica, ſeu publici Notarii confectum, de quo mox plura. Deinde inſtrumentum authentico ſigillo ſigillatum; putà ſigillo Epiſcopi, Capituli, vel Principis, aut Magiſtratus ſæcularis munitum in rebus ad ſuum officium ſpectantibus, *cap. 2.* juncta Gloſſa. ℣. *Sigillum, h. t.* quamvis idem Speculator *num. 2.* notet, tale inſtrumentum potiùs dici authenticum, quàm publicum. Tertiò, inſtrumentum publicum cenſetur illud, quod eſt authoritate Judicis exemplatum: ut *cap. penult. & ult. h t. & cap. 1. ac ſeqq. de Confirmat util. & l. Publicari, C. de Teſtament.* cum ſimilibus; atque infrà §. 2. *num. 45. 48. & ſeqq.* ampliùs dicetur. Quartò, inſtrumentum dicitur publicum, quod in judicio ſcribitur apud Acta publica; ut *c. Quoniam contra de Probation. & l. ult C. de re judicat.* Quintò, inſtrumentum dicitur publicum; quod de Archivio publico producitur, arg. *can. Pervenit. 30 q. 1. & c. Ad audientiam, 13. de Præſcript. & Auth. Ad hæc de iis Cod. de Fide inſtrument.* Addit Speculator *loc. cit. num. 3.* atque Maſcardus *de Probat. quæſt. 6. proœm.* 6

*proœm. n.* 73. poſt Innocentium *c. 1. h. t.* quòd generaliter inſtrumentum publicum, ſive publica ſcriptura, vel authentica dicatur illa, cui de jure, vel ſpeciali conſuetudine creditur. Verùm iſtud dumtaxat procedit ſumendo inſtrumentum publicum pro authentico: alioquin verò plura dari inſtrumenta authentica privata, ſeu non publica, patebit ex dicendis infrà *§. 5. n. 143. & ſeqq.*

7 Additur notanter, *Inſtrumentum publicum generatim &c.* Nam magis communiter, & ſpecialius loquendo, *Inſtrumentum publicum* appellatur ſcriptura illa, quæ per manum publicam, ſive à publico Notario, legitimè, & cum debitis Solemnitatibus confecta eſt. Textus eſt *in c. 2.* juncta Gloſſa, & DD. *ibid. h. t. & Auth. de Inſtrumentorum cautelis, & fide §. Sed etſi. Collat. 6* Atque in hac ultima potiſſimùm acceptione de Inſtrumento publico in præſenti Paragrapho dicetur.

8 Solùm nota, quòd *Notarius* (qui *in cit. c. 2. h. t.* intelligitur per *Manum publicam*, ut explicat Gloſſa *ibid. ℣. per manum*) aliud non ſit, quam perſona publica à Principe deputata, & ſacramento obſtricta, ut rationes, & acta in formam publicam redigat. Et hic alio nomine in Jure appellatur *Tabellio*: uti nominatur *cap. penult. h. t. & Auth. de Tabellionibus. Collat. 4.* per totum. Item *Scrinarius*, prout nominatur *c. Ad audientiam 13. de Præſcript.* & notat Gloſſa *ibid. ℣. Scrinarius.* Dicitur etiam Servus publicus, *L. 2. ff. Rem pupilli ſalvam fore*, juncta Gloſſa *℣. Publicum*: quia videlicet eſt perſona publica, cujus officium eſt inventum ad publicam utilitatem.

9 *Inſtrumentum privatum* econtrà vocatur illa ſcriptura quæ fit à privatis perſonis: & plerumque contra ſcribentem tantùm, rariùs autem pro ipſo fidem facit. Et hujuſmodi Inſtrumentum privatum, ſeu privata ſcriptura ad tres ſpecies reducitur: quarum prima vocatur *Apoca*, quæ datur à parte parti; atque alio nomine appellatur *Chirographum*, & complectitur ſub ſe Antapocham, & Syngrapham. Secunda dicitur *Liber rationum* & tertia *Epiſtolæ*: de quibus, earumque fide, quam faciunt, ſingillatim plura inferius *§. 5. 6. & 7.*

10 Solùm nota cum Gloſſa *in cap. 2. ℣. Authentica, h. t.* communiter recepta, notabilem differentiam inter inſtrumenta publica, & privata. Siquidem inſtrumenta publica perpetuam habent firmitatem ad damnum, & commodum utriuſque partis: ut *cit. cap. 2. h. t. & can. Si quis de Clericis, 12. q. 2. & c. Cùm pridem, de Pactis*, cum ſimilibus. Et hinc inſtrumentum publicum, ſeu manu publici Notarii confectum, ſi fuerit in prima figurà (hoc eſt, non cancellatum, non abolitum, non vitiatum, ſed abſque omni vituperatione; ut explicatur *L. ult. C. de Edicto D. Hadriani tollend.*) plenè probat, etiam abſque aliis adminiculis; prout habetur *cit. l. ult. & d. c. 2. h. t.* ubi ſcripta per manum publicam facta plenæ firmitatis robur habere noſcuntur, etiamſi teſtes inſcripti jam deceſſerint.

11 Intellige, dummodò is, contra quem ejuſmodi inſtrumentum manu Notarii confectum eſt, non poſſit illud arguere de falſo: puta, probando, quod ille non fuerit legitimus Notarius, vel quòd in confectione illius inſtrumenti crimen falſi commiſerit. Hoc tamen aſſerenti, incumbit defectus ejuſmodi probandus: nam inſtrumentum præſumitur verum, validum & ſolemne, donec probetur contrarium, *arg. l. Cùm precibus C. de Probat.* Baldus *c. Illud, n. 7 de Præſumpt.* Maſcardus *de Probat. Concl. 907. n. 1. & ſeqq.* citans alios.

12 Econtrà verò inſtrumenta privata valent quidem regulariter in præjudicium illorum, qui ea ſcripſerunt, *l. Generaliter ff. De non numerat. pecun. & l. Publia Mævia, § fin. ff. Depoſiti.* Ad commodum verò eorum non valent, niſi aliis adminiculis adjuvetur, *l. Inſtrumenta, & l. Rationes, & l. Exemplo C. de Probation.* atque ampliùs declarabitur, ſimul & limitabitur infrà *§. 6. per totum.*

13 Reſp. IV. Ulteriùs inſtrumenta alia ſunt authentica, alia non. *Inſtrumentum authenticum*, ſeu *Scriptura authentica* dicitur, quæ per ſe fidem facit: ſive id contingat ob interventum publici Notarii, ſive ex appoſitione ſigilli autentici, ſive alio modo, ita quòd ad ſui validitatem non requirat aliud adminiculum. Unde vocatur *authenticum*, quaſi ex ſe authoritatem habens, ut inquit Abbas *cap. 1. n. 2. h. t.* Econtrà *Inſtrumentum non authenticum* dicitur, quod ex ſe, ac ſecluſis aliis adminiculis non facit fidem, plenamque probationem. Occaſione cujus

14 Quæritur II. An ſit differentia inter Inſtrumentum publicum, & authenticum? Reſp. I. Etſi inter inſtrumentum publicum, & authenticum, poſſit notari aliqua differentia, in effectu tamen parum intereſt; ac frequenter publica, & authentica inſtrumenta, ſumuntur pro ſynonimis. Ita Abbas *in cit. cap. 1. n. 2. h. t.* dicens, quòd *omnis ſcriptura publica eſt authentica: ſed non omnis authentica, eſt publica: habent enim ſe, ut ſuperius & inferius.* Hæc ille. Idipſum tradit Innocentius *in c. Scripta vero, 2. n. 1. h. t.* aſſerens, quòd omnia ſcripta publica poſſint dici authentica, ſed non econtrà; quia *ſe habent ut excedentia, & exceſſa.* Baldus *ibid. n. 8* Engel *h. t. n. 2.* Sannig *eod. cap. 2. n. 1.* & alii. Ratio prioris partis eſt: quia magis communiter per *Inſtrumentum publicum*, intelligitur illa ſcriptura, quæ confecta fuit a publica perſona, ſcilicet à Notario cum ſolemnitatibus à Jure requiſitis. Econtra verò per *Inſtrumenta authentica* intelliguntur ea, quæ ex ſe fidem faciunt: ſive ex appoſitione ſigilli authentici, putà Epiſcopi, vel Principis ſæcularis, cui creditur de conſuetudine: ſive alio modo, ita ut ad ſui validitatem non requiratur aliud adminiculum. Unde patet, quòd differat velut excedens & exceſſum, ſeu tanquam ſuperius & inferius: atque inſtrumentum publicum ſit etiam authenticum, ſed non econtrà omne authenticum ſit publicum.

15 Accedit, quòd ſcripturæ illæ, quæ originaliter ſunt privatæ, pluribus modis poſſint roborari; ita ut recipiant authentizationem, atque authentica evadant, plenamque fidem faciant, ſicut ſcriptura publica: & conſequenter ſcriptura authentica magis patet, quam ſcriptura publica. Antecedens probatur inductione. Sic enim ſcriptura, cæteroquin privata, ſeu non confecta manu publici Notarii, dicitur authentica, quando ipſi appoſitum eſt ſigillum authenticum; putà, Epiſcopi, Capituli, vel alicujus Principis ſæcularis, *cap. 2.* juncta Gloſſa *℣. Sigillum, h. t.* Item, quando habet trium teſtium viventium ſubſcriptionem, *l. Scripturas §. fin. C. Qui potiores in pignore, &c.* Inſuper ſcriptura privata, redditur authentica per ſubſcriptionem ambarum partium: ut fit in contractibus, aliiſque ſcripturis facientibus pro utraque parte: imò & per ſubſcriptionem illius ſolius partis, contra quam facit; ut in donatione, depoſito, ac hujuſmodi, *l. In donationibus C. de Donation.* Jo. Andreas *in Addit. magna ad Speculatorem, tit. de Inſtrumentorum editione §. 7. Nunc dicendum, verſ. Tertium ſupplementum.* Tacentur nunc alii modi, quibus ſcripturæ privatæ authentizantur, atque infrà *§. 5. n. 143. & ſeq.* ex profeſſo declarabuntur.

16 Altera pars datæ Concluſionis, ſcilicet, in effectu parum intereſſe inter Inſtrumentum publicum & authenticum, ex eo patet: quia hoc ipſo, quod Inſtrumentum authenticum ex ſe fidem faciat, jam illud perpetuæ firmitatis eſt, fidemque meretur omnium; non obſtante, quòd à publico Notario cum requiſitis ſolemnitatibus confectum non fuerit. Atque idcircò Speculator *tit. de Inſtrument. edition. §. Nunc dicendum, n. 1.* pro eodem accipit *Inſtrumentum publicum, ſeu authenticum*: ac frequenter hæc duo accipi pro ſynonimis, fatetur etiam Pax Jordanus *to. 3. tit. de Fide Inſtrument. n. 5. ac 13.* Et quia hæc videtur quæſtio de nomine, non expedit eidem diutiùs immorari.

17 Quæritur III. Quæ ſolemnitates requirantur ad Inſtrumentum publicum? Reſp. I. Loquendo de Inſtrumento publico ſpecialius accepto, ſeu manu publici Notarii confecto, plures ſolemnitates de jure, vel conſuetudine, ad illud requiruntur. Ita Speculator *cit. tit. de Inſtrumentorum editione §. 1. n. 1. & ſeqq.* Abbas *c. 1. n. 3. h. t.* Maſcardus *de Probat. quæſt. 6. proœm. n. 80. & ſeqq.* Covarruvias *Pract. quæſt. c. 20. n. 1. & ſeqq.* Engel *h. t. ſect. 1.* & communis. Idque probatur inductione, declarando ſingulas ſolemnitates, quæ in eo adhibendæ ſunt.

18 Et primò quidem oportet, ut inſtrumentum publicum contineat invocationem Divini Nominis, per ly, *In Nomine Domini, Amen: In Nomine Sanctiſſimæ, & Individuæ Trinitatis.* Atque hæc ſolemnitas deſumitur ex *can. In Nomine Domini, diſt. 23. & can. In Nomine Patris, diſt. 73.* ubi Pontifex in publico inſtrumento legitur uſus tali invocatione Divini Nominis: juncta *Auth. Ut præponatur nomen Imperatoris documentis. Collat. 5.* Ibi: *Authore Deo:* & idipſum probat conſuetudo, quæ viget hodie, ſicque eſt obſervanda. Quamquam ſolemnitatis hujus omiſſio,



omiſſio, veluti levis, non vitiet inſtrumentum: unde & in Juribus allegatis ipſa quidem adhibetur, non tamen fieri præcipitur. Covarruvias *loc. cit. n. 1.* Maſcardus *n. 81.* allegans communem, etſi ratione receptæ conſuetudinis contrarium ſentire videatur Abbas, *ubi ſuprà, n. 3.* citans quoſdam alios.

19 Deinde ad Inſtrumentum publicum requiritur, ut apponatur annus Dominicæ Incarnationis. Ita Gloſſa *in cit. Auth. Ut præponatur nomen Imperatoris. ℣. Authore*, & alia Gloſſa *c. Inter dilectos ℣. Inductionis, h. t.* Abbas *loc. cit.* Maſcardus *n. 82.* Covarruvias *d. c. 20. n. 2.* allegans alios. Quamvis enim hæc ſolemnitas jure non requiratur, nec prohibetur (nam *in cit. can. In nomine Domini, diſt. 23. & can. In nomine Patris, diſt. 73.* hoc quidem obſervatur, non tamen mandatur, ut ita fiat) nihilominus ipſa de conſuetudine eſt inducta; adeò, ut ea omiſſa inſtrumentum ſit nullum. Neque enim negari poteſt, mentionem annorum Domini eſſe maximi momenti, ut conſtet, quo tempore ſit confecta ſcriptura; cùm alioquin maxima poſſet contingere incertitudo cujuslibet negotii, ſeu juris per inſtrumentum probandi: ſimulque ad invalidandum inſtrumentum ſufficiat omiſſio ſolemnitatis conſuetudine tantùm inductæ, modo ea cæteroquin non ſit levis, ſed magni momenti. Gloſſa *in cit. Auth. Ut præponatur nomen Imperatoris. ℣. Authore.* Covarruvias *Pract. quæſt. cit. cap. 20. n. 2.* aſſerens, hanc ſententiam in praxi eſſe receptam, & nunquam ſe vidiſſe hac de re ambigi.

20 Tertiò, in Inſtrumento publico debet apponi menſis, ac dies Anni Dominici, quo ea geſta ſunt, quæ inſeruntur inſtrumento. Gloſſa *c. Inter dilectos ℣. Indictionis, h. t.* & alia Gloſſa *in l. Generali ℣. Servituti C. de Tabulariis lib. 10.* Speculator *loc. cit. n. 7.* & alii.

21 Quartò, debet addi Indictio; prout habetur *cit. Auth. Ut præponatur nomen Imperatoris. Collat. 5.* ac notat Gloſſa *cit. c. Inter dilectos ℣. Indictionis h. t.* juncto textu *ibid.* dum inquit, quòd in annotatione Indictionis falſitas inſtrumenti faciliùs potuiſſet deprehendi. Covarruvias *lib. 1. Variar. reſolut. cap. 1. n. 7.* poſt Bartolum *in l. Si quis §. Si initium n. 12. ff. de Edendo*, & Felinus *cit. c. Inter dilectos, num. 12. h. t.* dicens, ita fieri debere, niſi conſuetudine id omiſſum fuerit.

22 Porrò *Indictio*, ſic dicta ab *indicendo*, eſt numerus annorum conſtans ex tribus luſtris, ſeu ex quindecim annis. Gloſſa *cit. c. Inter dilectos ℣. Indictionis, h. t.* Quibus peractis, iterum reditur ad unitatem: initiumque ſumit quilibet annus hujus Cycli Indictionum à Januario in Bullis Pontificiis, prout notatur circa initium Breviarii Romani *tit. De Indictione.* Originem autem hujus nominis *Indictionis* tradit Gloſſa *in Auth. Ut præponatur nomen Imperatoris &c. ℣. Indictionis Collat. 5.* ſequentibus verbis: quia (inquit) antiquitus Romani ſingulis quindecim annis recipiebant tributum de toto Mundo: & erat in primo quinquennio ferrum, ut inde fierent arma militibus Romanis: ſecundo quinquennio argentum, ut inde haberent ſtipendia milites: tertio quinquennio aurum, quod in ærario reponebatur, ut tempore neceſſitatis pro Republica Romanorum expenderetur. Unde adhuc hodie ſervamus curſum illorum trium luſtrorum, ſcilicet horum quindecim annorum; & Indictionem appellamus. Hæc Gloſſa *loc. cit.* ſubjungens modum facillimum inveniendi Indictionem cujuslibet anni. Accipe (inquit) annos Domini & eis addat tres annos; quia tertius annus Indictionis erat tempore Nativitatis Chriſti: deinde numerum annorum divide per quindecim, & ſemper abjicias illa quindecim; & reſiduum, vel ſaltem ultimum quindecim, dabit Indictionem. Hæc breviter annotare placuit, quia Indictionum (vulgo, Romanarum Indictionum) frequens mentio fit in Diplomatibus, Bullis Pontificiis, aliiſque ſcripturis publicis.

23 Quintò, Inſtrumento publico debet inſeri nomen Papæ, vel Imperatoris, aut Regis, in locis ipſius Imperio ſubjectis, una cum anno Papatus, ſeu Imperii: & hoc eſt neceſſarium, juxta *cit. Auth. Ut præponatur nomen Imperatoris &c.* ac notat Abbas *in d. cap. 1. n. 3. h. t.* poſt Bartolum *l. Infames, ff. de Public. judic.* Et ſubjungit Abbas, utile eſſe, ut apponatur nomen utriuſque, videlicet tam Papæ, quam Imperatoris, una cum anno Imperii, ſeu Papatus: Porrò nomen Conſulis illius anni, olim quidem apponi debebat, juxta *d. Auth. Ut præponatur nomen &c.* iſtud tamen hodie locum ampliùs non habet. Gloſſa *can. Quoties cordis, 1. q. 7. ℣. Conſulibus.*

24 Sextò, neceſſarium eſt, ut in Inſtrumento publico exprimatur locus, in quo celebratur contractus, ſive actus ille, qui in inſtrumento exprimitur. Gloſſa *c. Abbate ſanè, ℣. Cenſetur*, juncto textu *ibid. de Sentent. & re judicat. in 6.* Abbas *cit. n. 3.* Covarruvias *Pract. quæſt. c. 20. n. 3.* Maſcardus *cit. quæſt. 6 proœm. n. 89. & 90.* citans alios. Et quidem locus celebrationis actus debet in inſtrumento exprimi, non tantùm in genere, v. g. dicendo, ita eſſe actum Romæ; ſed debet addi ipſemet locus particularis, nimirum domus, in qua actus ille geſtus eſt: alioquin hujus omiſſio inſtrumentum labefactare poſſet, ob incertitudinem illam, quam haberet, ſi locus & tempus confecti inſtrumenti deficeret. Covarruvias *cit. n. 3.* Maſcardus *n. 90.* allegans alios. Quinimò majoris ſecuritatis gratia, ſolet etiam exprimi in Inſtrumentis locus loci particularis; putà, hypocauſtum ipſius domus: quamvis hoc ultimum non ita ſit neceſſarium, ut notat Maſcardus *loc. cit. n. 91.* poſt Bartolum, & alios communiter.

25 Septimò, nomina teſtium, qui celebrationi actus, ſuper quo fit Inſtrumentum, interfuerunt, atque ad minimum duo requiruntur, etiam publico inſtrumento ſunt inſcribenda. *Auth. de Inſtrumentorum cautelis §. Sed & ſi inſtrumenta. Collat. 6.* Et ſolet quoque addi per Tabellionem in inſtrumento, quòd teſtes illi fuerint ad hoc vocati, & rogati: quamvis de jure iſtud non ſit neceſſarium, demptis certis caſibus. Speculator *loc. cit. num. 10.* Abbas *cit. n. 3. verſ. An autem teſtes*, & alii.

26 Teſtium tamen ſubſcriptio neutiquam requiritur ad inſtrumentum publicum; prout deſumitur ex *Auth. de Inſtrumentorum cautelis §. Sed etſi inſtrumenta. Collat. 6.* juncta Gloſſa *℣. Compleatur*, ac notat Abbas *d. c. 1 n. 3. h. t.* Covarruvias *Pract. quæſt c. 20. n. 4.* citans alios: quidquid contradicat Gloſſa *c. Poſt ceſſionem ℣ Litteras, de Probat.* cum nonnullis aliis. Quamquam in hoc ſervandam eſſe conſuetudinem locorum, moneat Abbas *loc. cit.* Nec obſit, ſi teſtes ſe ſubſcribant, *arg. c. Cùm inter 13. de Sentent. & re judicat. & l. Contractus C. h. t.*

27 Octavo, atque ex parte Notarii, ad validitatem Inſtrumenti plura requiruntur. I. Ut is legitimè fuerit creatus, id eſt, ab habente poteſtatem publicus Notarius conſtitutus. II Notarius confecturus inſtrumentum, debet per ſe ſcire, atque interfuiſſe ipſi negotio, de quo conficit inſtrumentum: ac proinde nihil aliud debet ſcribere, quam quod ipſemet propriis oculis vidit, atque præſens audivit; prout habetur *Auth. de Tabellionibus. Collat. 4.* & cum aliis notat Speculator *cit. tit. de Inſtrumentorum editione §. 1. n. 13.* Menochius *lib. 2. de Arbitrar. Judic. caſ. 145. n. 8* Engel *h. t. n. 7.*

28 III. Notarius nomen ſuum ſubſcribat propria manu, addendo, qua authoritate, an Cæſarea, vel Pontificia, ſit Notarius: alias vitiabitur inſtrumentum, *Auth. de Inſtrument. cautel §. Sed etſi inſtrumenta collat. 6.* juncta Gloſſa *ibid. ℣. adjiciatur* Speculator *tit. de Inſtrument. edit. § 1. n. 11.* Covarruvias *d. c. 20. n. 5.* Maſcardus *qu. 6. proœm. n. 91.* Engel *h. t. n. 14.* & alii ab iſtis citati.

29 IV. Notarius debet addere ſignum ſui Notariatus, *cit. auth. de Inſtrument. cautel. §. Sed etſi inſtrumenta*, juncta Gloſſa *℣. Oportet, & l. ult. Cùm de aſſeſſorib.* Covarruvias *cit. n. 5.* aſſerens, hujus omiſſionem vitiare inſtrumentum. Maſcardus *loc. cit. n. 92.* poſt Bartolum *in Proœm. ff. n. 6.* & alios. Et quamvis Abbas *cap. 1. n. 3. verſ. Decimo requiritur, h. t. & c. Inter dilectos, n. 3.* & Felinus *hic, n. 5. verſ. Et advertere, eod.* velit, quòd ſolemnitas ſigilli in inſtrumento manu publici Notarii confecto non ſit neceſſaria, nec defectus in eo noceat: atque etiam Speculator *cit. tit. de Inſtrument. edit. §. 1. n. 15.* referat, quòd in quibuſdam locis, ut Narbonæ, Tabelliones non utantur aliquibus ſignis, ſed ſolùm ſe in inſtrumentis ſubſcribant: tamen illicò hic ſubjungit, quòd circa iſtud ſit ſtandum conſuetudini Regionis; nihilominùs utile ſit, ac honeſtum, unumquemque Notarium ſuum proprium habere ſignum. Addit Engel *cit. n. 14. h. t.* quòd quamvis hoc ſignum non eſſet de ſubſtantia inſtrumenti, ut vult Abbas, *ubi ſupra*, cum nonnullis aliis: tamen conſuetudo ita paſſim invaluit, ut inſtrumentum illo ſigno carens, de falſitate ſuſpectum habeatur.

30 V. Ad

30 V. Ad valorem inſtrumenti ex perſona Notarii requiritur, ut ſit rogatus à partibus, *Auth. de Tabellionibus. §. 1. Collat. 4.* Atque ideò ſtylus communis habet, ut Notarii in principio, vel fine inſtrumenti exprimant, ſe fuiſſe rogatos.

31 VI. Notarius attendat, atque in praxi ſollicitus ſit, quòd ſemper ſervet eandem formam ſubſcriptionis in uno inſtrumento, ac in aliis: ut, cùm opus fuerit, poſſit fieri comparatio inſtrumentorum per ipſum confectorum, *arg. cit. Auth. de inſtrum. cautel.* juncta Gloſſa *℣. Adjiciatur. Collat. 6.*

32 Tandem ſciendum, quòd licèt aliquæ ex dictis ſolemnitatibus de rigore Juris non forent neceſſariæ, dummodò aliàs non intervenerit vitium; de conſuetudine tamen tales ſolemnitates in publicis inſtrumentis adhiberi ſoleant, & debeant: nam omiſſio ſolemnitatis de conſuetudine requiſitæ ita vitiat inſtrumentum, ſicut omiſſio ſolemnitatis juris. Gloſſa *in d. Auth. Ut præponatur nomen Imperatoris. ℣. Authore.* Alexander *Conſil. 166. nu. 13. lib. 6.* Maſcard. *cit. q. 6. n. 93.* allegans inſuper Craver. *Conſil. 216.* & alios. Addit Engel. *h. t. n. 15.* Conſtitutionem Maximiliani Imperatoris, in Comitiis Colonienſibus Anno 1512. promulgatam, in qua dictæ ſolemnitates in neceſſitatem legis translatæ videntur.

33 Caveat autem Notarius, vel quicunque alius ad ſcribendum Teſtamentum alienum vocatus, ne in tali Teſtamento, vel Codicillo, manu ſua ſibi hæreditatem, aut legatum adſcribat: alioquin enim non ſolùm privaretur tali legato, ſed etiam incideret in pœnam Falſi, *L. Divus Claudius. §. 1. ff. ad Leg. Cornel. de falſis. & l. Quæ in teſtamento, ac ſeqq. C. de his, qui ſibi adſcribunt in teſtam.* Hoſtienſis *in Summa. tit. de Falſis. n. 5.* Julius Clarus *in Pract. Crim ℣. Falſum n. 34.* Zoeſius *lib. 48. ff. tit. ad Leg. Cornel. de Falſis. n. 17.* & alii. Siquidem hæc res eſt Jure prohibita, quia fraudi obnoxia; unde ſi teſtator quid velit relinquere Notario, vel alteri teſtamentum ſcribenti, iſtud ſcribendum erit manu aliena, *cit. l. Divus Claudius. §. fin.* ut ſic evitetur fraudis ſuſpicio. Zoeſius *loc. c.* ubi *n. 24.* ſubjungit, quòd Sereniſſimi Imperii Principes Edicto anni 1611. *art. 14.* vetuerint Notariis, & iis qui funguntur Notariorum vice, ſibi quid adſcribere, aut parentibus ſuis uſque ad quartum gradum, ſecundùm Jus Civile computandum. Verùm de hoc plura Doctores præallegati, & alii Juris Civilis Interpretes.

## §. II.

## De fide Protocolli, atque Exemplarium ſeu Tranſumptorum.

*SUMMARIUM.*

34 *Protocollum, quid?*
35 *Dicitur etiam Liber, in quo originalis ſcriptura inſtrumentorum continetur.*
36 *Protocollo, ſi omnia requiſita habeat, plena fides adhibetur.*
37 *Adeò, ut in dubio magis ſit ſtandum protocollo, quàm inſtrumento inde deſumpto.*
38 *Solvitur inſtantia.*
*Nihil creditur actum, dum aliquid ſupereſt addendum. Ibid.*
39 *Quæ requirantur ad protocollum, ut plenè probet? Et num. ſeqq.*
*Notarius illud conficiens debet eſſe rogatus à partibus, ac per ſe audire negotium &c. Ibid.*
40 *In protocollo debent geſta clarè eſſe conſcripta, &c.*
41 *Ad illud requiruntur omnia, quæ debent intervenire in publico inſtrumento, &c.*
42 *Protocollum, an debeat publicari, ſeu prælegi partibus &c. Et n. ſeq.*
43 *Ubi ſcriptura eſt de ſubſtantia actus non valet, quidquid ſcribitur, niſi completè ſcribatur.*
44 *Protocollum Notarii, cui aliqua ex requiſitis deſunt, adhuc ſemiplenam facit probationem.*
45 *An unus Notarius poſſit in publicam formam redigere inſtrumentum juxta notas in protocollo alterius repertas? Et num. ſeq.*
*Notarius, dum vivit, non poteſt alteri Notario committere completionem publici inſtrumenti, ſed ipſemet debet illud complere &c. Ibid.*
46 *Nihil addendo, aut diminuendo, quàm in protocollo continetur: & quomodo iſtud ſit intelligendum?*
47 *Si duo, vel tres Notarii de eodem inſtrumento fuerunt rogati, an tunc unus eorum poſſit inde inſtrumentum levare?*
48 *Mortuo priore Notario, qui protocollum fecit, poteſt alius iſtud in publicam formam redigere, concurrentibus tamen certis conditionibus. Et n. ſeqq.*
49 *Nimirum, ſi prior mortuus eſt naturaliter, aut civiliter.*
50 *Fiatque illud ad petitionem eorum, quorum intereſt &c.*
51 *Et accedat authoritas Judicis ordinarii, vel delegati.*
*Illeque ſecundus ſit Notarius publica authoritate creatus. Ibid.*
52 *Et prioris protocollum redigat in formam publicam.*
53 *Atque iſtud præſtet fideliter.*
*Notarius protocollum penes ſe habere debet. Ibid.*
54 *Judex de præmiſſis ſummariè cognoſcat.*
55 *Schedulæ à Notario ſcriptæ, an faciant plenam fidem? Et n. ſeqq.*
56 *Protocollum, Nota, & Abbreviatura, idem ſunt.*
57 *Ex ſchedulis penes Notarium defunctum repertis, quando poſſit confici publicum inſtrumentum? Et num. ſeq.*
58 *Quid de ſchedulis Notarii adeò abbreviatis, ut voluntatem partium perfectè non exprimant? Et nu. 40.*
59 *Exemplaria, ſeu Tranſumpta originalium inſtrumentorum, ſi fiant authoritate Judicis, ac ſervatis ſervandis, eandem vim probandi cum originalibus habent.*
60 *Plures conditiones requiruntur ad ſolemnem exemplationem; & quæ?*
61 *His non obſervatis Exemplar inſtrumenti regulariter non probat.*
62 *Etiamſi à Notario publico ex Originali fuiſſet extractum.*
63 *Potiùs iſtud procedit in Exemplo exempli.*
64 *An juxta Exemplaria ſolemniter traducta, poſſit fieri nova exemplatio? Et n. præced.*
65 *Dantur tamen aliqui caſus, in quibus probat Tranſumptum abſque illis conditionibus.*
*Ut ſi litteris Pontificiis habetur inſerta hujuſmodi clauſula. Ibid.*
66 *Vel quando exemplar fuit ſcriptum manu illiuſmet Notarii, qui inſtrumentum originale confecit.*
67 *Aut ubi contraria conſuetudo derogavit cuipiam conditioni.*
68 *Item de conſenſu partium.*
69 *Exemplar ſine dictis conditionibus facit aliquam præſumptionem, ac deperdito originali ſemiplenam probationem.*

34 Quæritur I. Quid ſit Protocollum, & quam vim probandi habeat? Reſp. I. *Protocollum* eſt prima, ſeu originalis ſcriptura, in qua breviter à Tabellione annotatur ſubſtantia actus geſti, ut deinde extendi, & abſolvi poſſit. Ita Calvinus *in Lexico Juridico. ℣. Protocollum.* Spiegelius *in Lexico Juris. eod. ℣. Protocollum*, & alii. Et dicitur *Protocollum*, à græco verbo, *protos*, quod eſt *primum*; & *collum*; quod eſt *collatio*, ſcilicet litterarum: quaſi diceretur: *Protocollum*, eſt prima collatio litterarum in charta. Gloſſa *in Auth. de Tabellionibus. ℣. Protocollum. Collat. 4.* Atque alio nomine dicitur, *Abbreviatura*. Maſcard. *de Prob. Concl. 4. n. 1. & 5.* Card. Tuſcus *Lit. P. Concl. 945. n. 1.* illud appellans *Imbreviaturam*, ſive inſtrumentum Notarii non extenſum.

35 Porrò *Protocollum* dicitur etiam liber, in quo prima matrix, ſeu originalis ſcriptura inſtrumentorum rogatorum deſcribitur, habens generalem ſubſcriptionem: *Hic eſt liber Protocollorum mei &c.* De quo fit mentio *in cit. Auth. de Tabellionibus. §. Illud quoque.* juncta Gloſſa *℣. Protocollum*, & notat Card. Tuſchus *l. c. n. 3.* Quamvis de conſuetudine liber iſte Protocolli non ubique ſit in uſu; ſed vel in quaterno, vel in alia prorſus charta rogationes petentium, ſeu ſubſtantialia actuum à petentibus geſtorum, per Tabelliones, ſive Notarios publicos deſcribi ſoleant. Gloſſa. *l. c.*

Reſp.



36 Reſp. II. Protocollo, ſi habeat omnia requiſita, plena fides adhibetur. Ita Speculator *tit. de Inſtrumentorum editione §. Videndum n. 4.* Abbas *c. Cùm P. num. 3.* & Felinus *ibid. n. 1. h. t.* Maſcardus *d. Concl. 4. num. 1.* poſt Bartolum *in Rubric. C. de Fide inſtrument. & Concl. 1250. nu. 2. & 26.* Pirhing *h. t. n. 56.* & alii, nonnullis tamen exceptis, ob rationem loco objectionis *n. 38.* afferendam. Concluſio hæc deſumitur ex *l. Argentarius* juncta Gloſſa *℣. Abſimiles*, & Summario, *ibid. ff. de Edend.* ubi Argentarii & omnes, qui gerunt officium publicum, putà Notarii, tenentur ſuas rationes, cùm opus fuerit, edere: & conſequenter horum ſcripta probant. Idem, & quidem fortiùs, probatur ex *c. Quoniam contra 11. de Probation.* ubi Judex ſemper adhibere jubetur Notarium publicum; aut duos viros idoneos, qui fideliter univerſa judicii Acta conſcribant, ut ſi quid difficultatis emerſerit, ad eadem impoſterum poſſit haberi recurſus: & conſequenter protocollum ejuſmodi probat. Concordat textus notabilis *in L. ult. C. de Re judicat.* ubi dicitur: *Geſta, quæ ſunt tranſlata in publica monumenta, habere volumus perpetuam firmitatem: neque enim morte cognitoris perire debet publica fides.* Accedit ratio: quia inſtrumentis ex protocollo extractis habetur publica fides, & perpetua firmitas *cap. penult. h. t.* ergo multo magis ipſi Protocollo, juxta illud vulgatum Philoſophorum: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis eſt tale.*

37 Reſp. III. Protocollo habenti omnia requiſita adeò creditur, ut in dubio magis ſit ſtandum protocollo, quam inſtrumento inde deſumpto. Ita Abbas *c. Tum ex litteris n. 8. De in integrum reſtitut.* Bartolus *l. Sempronius ff. de legat. 2.* iſtud probans ex *l. Si quis ex argentariis §. penult. ff. de Edend. & Auth. de Tabellionibus Collat. 4. per totum.* Alexander *Concl. 105. n. 1. vol. 2.* Menochius *de Arbitrar. Judic. lib. 2. caſ. 87. n. 21.* Maſcardus *de Probat. Concl. 1205. n. 2.* & plurimi alii ab his allegati. Idque clarè deſumitur tum ex *cit. c. Quoniam contra de Probat.* Tum amplius ex *d. Auth. de Tabellionib. Collat. 4.* ubi multas fraudes per hoc fuiſſe detectas, fatetur Imperator *in §. Illud quoque*, illis verbis: *Novimus enim, multas falſitates ex talibus chartis* (Protocollis) *oſtenſas & nunc, & priùs.* Hinc Zoeſius *h. t. n. 6.* rectè cum aliis notat, ſi contrarietur protocollo inſtrumentum, potiùs ſtandum eſſe protocollo, tanquam priori, & continenti primam actus ſive contractus geſti conceptionem; & quia ex eo trahitur inſtrumentum, & iſtud ſecundùm formam illius expediri debet; quo fit, ut ſi de inſtrumenti fide dubitetur, ad protocollum recurri ſoleat.

38 Objicies majoris claritatis gratia. Protocollum eſt principium inſtrumenti nondum completi; ergo, niſi compleatur, pro nihilo habetur, ſicque non probat, *arg. l. Cùm Syllanianum §. fin C. Ad Syllanian.* ubi Imperator ſic loquitur; *Nihil etenim actum eſſe credimus, dum aliquid addendum ſupereſt.* Reſp. cum Abbate *cit. c. Cùm P. n. 3. h. t.* inſtantiam hanc, & contrariam quorundam opinionem procedere, quando ſermo eſt de protocollo imperfecto; ſeu ita truncato, & abbreviatè ſcripto, ut non poſſint ex eo, quæ acta ſunt, plenè intelligi: tunc enim, cùm multa poſſint intelligi ſub abbreviaturis illis, non eſt congruum fidem adhiberi, donec negotium illud in publicam & extenſam formam redactum fuerit. Secùs dicendum de protocollo, quod habet omnia requiſita, & de quo hactenus dicta procedunt. Verùm occaſione hujus

39 Quæritur II. Quæ requirantur ad Protocollum, ut habeat vim probandi? Reſp. I. Ad protocollum, ut plenè probet, requiritur cum primis, quòd manu Notarii, per ſe negotium audientis, ex rogatione partium, ſit ſcriptum, & quidem tam clarè, ut ex ipſo, quæ geſta ſunt, plenè ac indiſtinctè intelligi poſſint. Ita Abbas *cit. c. Cùm P. n. 3.* Felinus *ibid. n. 1. h. t.* Maſcardus *de Probat. Concl. 4. n. 24. & ſeqq. & Concl. 1250. n. 26. & 40.* Menochius *de Arbitrar. Judic. lib 2. caſ. 187. n. 1. & 3. & 30.* aliique ab his allegati. Et quidem, quòd Tabellio, ſive Notarius publicus, debeat à partibus eſſe rogatus, & ipſe per ſe audire negotium, ac ipſemet ſcribere, non verò alicui alteri delegare: habetur ſtatutum *in Auth. de Tabellionibus §. Nos autem Collat. 4* juncta Gloſſa *ib. ℣. Ipſis per ſe.*

40 Cæterùm, quòd in protocollo, ut probet, debeant geſta clarè eſſe conſcripta, patet ex proximè dictis *num. 38.* alioquin enim ex eo conſtare non poſſet; quid reverà geſtum fuiſſet. Unde notulæ, ſeu ſchedulæ illæ, in quibus Notarii multoties aliqua annotant, ſeu ſummatim & admodùm abbreviatè ſcribunt, fidem in judicio non faciunt: quia voluntatem partium perfectè non exprimunt. Menochius, & Maſcardus, *ubi ſuprà*, & alii.

Reſp. II. Ad Protocollum, ut plenè probet, ulteriùs requiruntur ea omnia, quæ debent intervenire in publico inſtrumento ad effectum plenæ probationis, nempe ſubſcriptio Notarii, ſignum ipſius, rogatus, ſeu petitio partium, expreſſio loci, temporis, & perſonarum celebrati actus, ſeu contractus, conformiter dictis ſuprà de Solemnitatibus inſtrumentorum. Ita Abbas *cit. c. Cùm P. n. 3.* & Felinus *ib. n. 1. h. t.* Alexander *Conſil. 153. n. 12. vol. 2.* Hondedæus *Conſult. 66. n. 65. vol. 1.* poſt Decium *Conſil. 447. n. 5.* Angelum *Conſil. 220.* & alios. Maſcardus *d. Concl. 4. n. 17. & Concl. 1250. n. 26.* allegans alios. Idque deſumitur tum ex *cit. Auth. de Tabellionibus Collat. 4.* tum ex *c. Quoniam contra de Probat.* ubi inter alia ad hoc, ut Acta judicialia per Notarium conſcripta faciant fidem perpetuam, requiritur, quòd eadem diligenter conſcribantur *loca deſignando, tempora & perſonas.* Accedit textus *in cit. c. Cùm P. 15. h. t.* ubi ea, *quæ in nota redacta fuerunt* à Notario mortuo, non probant, donec authoritate Judicis ordinarii in publicam formam redigantur; de quo tamen infrà *n. 48. & ſeqq.*

41 Reſp. III. Quamvis conſultum ſit, præter obſervatas alias ſolemnitates inſtrumenti publici, Protocollum publicare, ſeu prælegere partibus eo tempore, quo actus coram Notario geſtus eſt, atque in protocollum relatus, ut appareat, omnia ritè percepta, & conſcripta fuiſſe: nihilominus loquendo de aliis caſibus, in quibus ſcriptura non eſt ſubſtantia actus, ſive contractus, talis prælectio, ſeu publicatio protocolli coram partibus & teſtibus, non neceſſariò requiritur. Ita Abbas *cit. c. Cùm P. n. 4. h. t.* Pirhing *h. t. n. 27.* Maſcardus *d. Concl. 4. num. 26.* poſt Socinum Junior. *Conſil. 102. n. 8. vol. 4.* & alios. Ratio eſt, quia nullo jure talis neceſſitas publicationis probatur. Quinimò *c. Quoniam contra de Probat.* ad hoc, ut ſcriptura Notarii perpetuam fidem faciant circa actus judiciales, ſolùm requiritur, quòd Acta illa diligenter conſcribantur, *loca deſignando, tempora & perſonas*; non autem requiritur aliqua eorum prælectio, ſeu publicatio.

42 Additur notanter, *loquendo de illis caſibus, in quibus ſcriptura non eſt de ſubſtantia actus, ſive contractus.* Nam ubi ſcriptura eſt de ſubſtantia actus, ſive contractus, tunc non valebit, quidquid ſcribitur, niſi completè ſcribatur, *l. Contractus C. h. t.* ubi ſancitur, contractus venditionum, permutationum, tranſactionum, & hujuſmodi, quos in ſcriptis fieri placuit, *non aliter vires habere, niſi inſtrumenta in mundum recepta, ſubſcriptionibuſque partium confirmata, & ſi per Tabellionem conſcribantur, etiam ab ipſo completa, & poſtremò à partibus abſoluta ſint*; qualia proinde debent partibus prælegi, ſeu publicari. Gloſſa *in l. Fideicommiſſa §. 1. ℣. Quoties ff de Leg. III.* Abbas *cit. n. 4.* Maſcardus *d. Concl. 4. n. 16. verſ. Septimo* allegans alios.

43 Reſp. IV. Protocollum Notarii, in quo ſufficienter apparet de perfecta voluntate partium, ſaltem ſemiplenam facit probationem, etſi aliqua ex cæteris requiſitis non adſint. Ita Bartolus *l. Admonendi §. Quæro pone quod in libro Notarii ff. de Jurejurand.* Maſcardus *Concl. 1250. n. 31.* poſt Hoſtienſem *c. 1. h. t.* Nevizanum *Conſil. 25. n. 9.* & alios, iſtud exemplificans in defectu Indictionis, & ſubſcriptionis, & ſigni Notarii. Quia enim teſtis unus cæteroquin idoneus inducit ſemiplenam probationem, cur non idem dicendum de Notario publico, ejuſque ſcriptura? Præſertim, quia juravit officium ſuum fideliter exequi, licet forſan morte præventus non potuerit ſcripturam illam in formam authenticam redigere. Idem confirmatur ex *cit. c. Cùm P. 15. h. t.* ubi alius Notarius poteſt notas defuncti Notarii in formam publicam authoritate Judicis redigere; prout illicò fuſiùs declarabitur. Unde

44 Quæritur III. Utrùm unus Notarius poſſit in publicam formam redigere inſtrumentum juxta notas in Protocollo alterius repertas? Reſp. Notarius publicus, dum vivit, non poteſt alteri Notario committere completionem publici inſtrumenti, ſed ipſemet debet illud complere, prout in protocollo reperitur. Textus eſt *in Auth. de*

*Tabel-*

*Tabellionibus Collat.* 4. ubi Gloſſa ℣. *Ipſi per ſe*, notanter ex his ipſis verbis, ac ſequenti littera infert, quòd ipſe Tabellio, ſeu Notarius debeat à partibus eſſe rogatus, ac ipſe debeat per ſe audire, & ſcribere verba contractus uſque ad finem, non verò poſſit illud alteri ſcribendum committere. Quia (inquit) facere inſtrumentum, non competit jure magiſtratus; ergo delegari non poteſt, *L. 1. in princ. ff. de Officio ejus, cui mandata eſt juriſdict.*

46 Cōcordat Gloſſa *fin. in c. Cùm P. h. t.* aſſerens eſſe ſciendum, *quòd Tabellio dum vivit, non poſſit alteri committere completionem inſtrumenti, ſed ipſemet debeat complere inſtrumentum, prout in protocollo reperitur; nihil addendo, aut diminuendo, quam in protocollo continetur;* ut *in Auth. de Tabellionib. Collat. 4.* Hæc Gloſſa. Quamquam verba illa, *Nihil addendo &c.* intelligenda ſint de verbis ſpectantibus ad ſubſtantiam actus, ſeu contractus: nam hoc ipſo, quòd protocollum ſit prima ſcriptura, in qua breviter ſolum à Tabellione annotatur ſubſtantia actus geſti, ut deinde extendi, & abſolvi poſſit, juxta dicta *n. 34.* neceſſe eſt, in ejuſmodi extenſione, ſeu confectione ſolemnis inſtrumenti, quædam addere juxta interpretationem juris, & conſuetudinem locorum, dummodo nihil addatur, aut diminuatur à ſubſtantialibus.

47 Cæterum data Concluſio patitur limitationem, quando duo, vel tres Notarii de eodem inſtrumento rogati fuerunt: quia tunc unus eorum ſolus, vel is, cui alterius protocolla commiſſa ſunt, inſtrumentum authenticum inde levare poteſt. Menochius *de Arbitrar. Judic. lib. 2. caſ. 187. n. 7.* id probans ex *Auth. de Inſtrument. cautel. & fid.* juncta Gloſſa *in Auth. de Hæredib. & Falcid. §. Si verò abſunt* ℣. *Quantum*. Siquidem tunc unuſquiſque Notariorum in ſolidum rogatus cenſetur: niſi forſan ex adverſo probetur, omnes Notarios una ſimul & conjunctim rogatos eſſe; tunc enim non poſſet inſtrumentum tale ab uno eorum duntaxat levari: Alexander *Conſil. 124. n. 4. lib. 7.* poſt Baldum, & Angelum *in l. Si quis ex argentariis ff. de Edend.* ex textu ibidem notantes, quòd ſi plures Notarii (nempe omnes in ſimul, ut intelligit Menochius *cit. n. 7.*) fuerunt rogati eodem inſtrumento, non ſit neceſſe, quòd unuſquiſque ſcribat totum; ſed ſufficiat, quòd unus ſcribat totum, & alter confirmet ſe ſubſcribendo.

48 Reſp. II. Quòd ſi Notarius ille, qui ad partium petitionem protocollum fecit, ante perfectionem ſolemnis inſtrumenti mortuus fuerit; tunc, accedente Judicis authoritate, poteſt alius Notarius anteà requiſitus ab iis, quorum intereſt, mortui notas, ſive protocollum in publicam formam redigere; adeò, ut tale inſtrumentum inde extractum publicam fidem faciat, acſi à priore Notario confectum fuiſſet. Ita communis; atque habetur expreſſè deciſum *in cit. c. Cùm P. ſeu penult. h. t.* ubi Gregorius IX. reſcribit I. Tabellioni, illis verbis: *Cùm P. Tabellio morte præventus, quædam non perfecerit inſtrumenta, quæ in nota redacta fuerunt ab eodem, ad petitionem eorum, ad quos pertinet, authoritate ordinarii Judicis poteris* (tu I. Tabellio) *ea fideliter in publicam formam redigere habitura per hoc perpetuam firmitatem*. Hæc Pontifex.

49 Ex quibus verbis Jo. Andreas *in cit. c. Cùm P. n. 8.* & Abbas *ibid. n. 1.* & Barboſa *in Collectan. n. 2. & ſeq. h. t.* Covarruvias *Pract. quæſt. cap. 21. n. 3.* & alii, plures deſumunt conditiones requiſitas ad hoc, ut unus Notarius poſſit in formam redigere, ac publicare inſtrumentum, de quo fuit rogatus alius I. Ut iſte *morte præventus* fuerit quod non tantum de morte naturali, ſed etiam civili, putà miſſione in exilium, imò & de longa infirmitate, ſeu alio diuturno impedimento procedit. Abbas, Barboſa, *ubi ſuprà*. Alias enim unus Notarius non poteſt publicare, ſeu in publicam formam redigere notas ſive protocollum alterius Notarii: ut *cit. c. Cùm P. h. t. & Auth. de Tabellion. Collat.* 4. eſtque proximè dictum *n. 45. & 46.*

50 II. Ut ſecundus Notarius iſtud faciat *ad petitionem eorum, ad quos pertinet*. Unde etiam pars adverſa, cujus intereſt, debet citari: acſi pars eſt incerta, requiritur generalis citatio per Proclama. Barboſa *loc. cit. n. 3.* cum aliis: quamquam ſimul referat nonnullos caſus apud eundem videndos, in quibus talis citatio non requiritur.

51 III. *Authoritas Judicis* ordinarii, vel Delegati: hæc enim neceſſaria eſt, tum ad citationem partis adverſæ, tum ob dicenda *n. 54.* IV. Ut ille ſecundus, qui ſupplet vices defuncti, etiam ſit Tabellio, ſeu Notarius publica authoritate creatus; uti liquet ex ly *Poteris*, juncta ſuperſcriptione *cit. c. Cùm P. h. t.*

52 V. Ut ille ſecundus Notarius notas, ſeu protocollum prioris Notarii mortui, in *publicam* inſtrumenti *formam* redigat. Quale protocollum Notarius penes ſe ſervare debet, *c. Quoniam contra 11. de Probat. & Auth. de Tabellion. Collat.* 4. ea addita ratione: *Ut habeat, unde ſciat negotium; & interrogatus à Judice poſſit, quæ ſubſecuta ſunt, cognoſcere, & reſpondere*.

53 VI. Ut illud præſtet *fideliter*: hoc eſt, nihil ad ſubſtantiam pertinens addendo, ſubtrahendo, vel mutando ex iis, quæ in notis, ſeu protocollo defuncti continentur Gloſſa *fin.* & Abbas *in cit. c. Cùm P. h. t.* Quamquam per hoc non negetur, quin alter Notarius illa, quæ abbreviatè reperit ſcripta in protocollo defuncti, extendere valeat ſecundum interpretationem Juris, vel conſuetudinis, aut communis intellectus: dummodò nihil addat, ſubtrahat, vel mutet de pertinentibus ad ſubſtantiam actus, Jo. Andreas *cit. c. Cùm P. n. 8.* & Abbas *ibid. n. 5.* eſtque dictum paulò ſuperiùs *n. 46.*

54 VII. Ut de morte, ſeu diuturno impedimento prioris Notarii, ſimulque de fide & integritate illius, nec non protocolli, ſeu notarum per ipſum factarum, Judex ſummariè cognoſcat: ad hoc quippe authoritas Judicis, de qua *in cit. c. Cùm P. h. t.* fit mentio vel maximè requiritur. Covarruvias *pract. quæſt. cap. 21. n. 3.* Pirhing *h. t. n. 19.* allegans alios. Verum occaſione præmiſſorum

55 Objicies contra dicta *n. 41.* juxta ſæpe *cit. c. Cùm P. 15. h. t.* & Concluſionem proximè datam, priore mortuo poteſt alius Notarius *ea, quæ in nota redacta fuerunt ab eodem* priore Notario, in publicam formam redigere &c. ergo non ſolùm protocollum Notarii habens ſolemnitates publici inſtrumenti, ſed etiam ſchedulæ ab eodem ſcriptæ, ſeu *Notæ* in ſchedula protocollo non inſerta contentæ, faciant plenam fidem. Probatur conſequentia. Quia tranſumptum, ſeu Extractum non poteſt habere majorem fidem, quam ipſum Originale, nam procedens à radice infecta, & vitioſa, etiam ipſum redditur vitioſum: ergo ſi inſtrumentum ex *Nota*, ſeu ſchedula mortui Notarii extractum plenam fidem facit, pariter ipſamet Nota illa, ſeu Schedula plenè probabit.

56 Ad hanc inſtantiam reſpondetur cum Abbate *in cit. c. Cùm P. n. 3. h. t.* quòd *Nota*, ſeu Abbreviatura, de qua ibidem eſt ſermo, idem ſit ac Protocollum: hæc enim tria (inquit) nempe *Protocollum, ſeu Nota, ſive Abbreviatura, idem ſunt*. Unde nihil ſequitur contra hactenus dicta, bene tamen confirmantur ea, quæ *n. 41.* dicta ſunt de ſolemnitatibus in Protocollo requiſitis, & quidem iiſdem, quæ requiruntur ad inſtrumentum: eò quòd Extractum non poſſit habere majorem fidem, quam ipſum primum Originale.

57 Quòd ſi omnino contendas, etiam ſchedulis ſaltem penes Notarium defunctum repertis, quando perfectè exprimunt voluntatem partium, licèt careant ſubſcriptione, aut ſigillo illius Notarii, debere adhiberi fidem, atque inde poſſe ad petitionem partium confici publicum inſtrumentum authoritate Judicis interveniente *arg. cit. c. Cùm P. ſeu c. penult. h. t.* Reſp. cum Maſcardo *de probat. Concl. 1250. nu. 38.* citante Caſtrenſem *Conſil. 111. verſ. Si verò quæritur & Conſil. 306. verſ. Breviter vol. 1.* & nonnullos alios, multis tamen contradicentibus, id quidem fieri poſſe, ſed tunc ſolùm, quando intervenit ſpecialis commiſſio Judicis, ſimulque cognitio cauſæ, & examen teſtium ſuper litteris, ſive ſchedulis illis, & publicatio dicti inſtrumenti; non verò aliter. Et tunc inſtrumentum ejuſmodi recipit vires non ex ſolis prioribus ſchedulis Notarii defuncti, ſed à Notario altero tranſcribente, illudque ad petitionem eorum, quorum intereſt, authentizante ex commiſſione Judicis, ac prævia cauſæ cognitione: nam Judex in tali caſu advertere debebit, quo in loco reperta ſit ejuſmodi ſchedula, an ſit ſuſpecta, nec ne, & deinde, quod ſibi bene viſum fuerit arbitrabitur. Menochius *lib. 2. de Arbitrar. Judic. caſ. 187. n. 29.* Maſcardus *loc. cit. n. 39.*

58 Nec his obſtant dicta ſuperiùs *cit. n. 40.* Quia ibi ſermo eſt de ſchedulis adeò imperfectis, & abbreviatis, ut voluntatem partium perfectè non exprimant: tales enim, ne quidem authoritate Judicis, poſſunt in publicam formam redigi; ſed oportet, negotium de novo coram Notario expedire. Verùm occaſione præmiſſorum



59 Quæritur IV. Quam vim probandi habeant Exemplaria, ſeu Tranſumpta originalium inſtrumentorum? Reſp. I. Si talia exemplaria, ſeu Tranſumpta originalium inſtrumentorum fiant authoritate Judicis ordinarii, vel delegati, per publicam perſonam, ac ſervatis de jure ſervandis, tunc ipſa eandem cum Originalibus authoritatem, ſeu vim probandi obtinebunt. Ita expreſſè deciſum habetur *c. ult. h. t.* ibi: *Si inſtrumenta propter vetuſtatem, vel propter aliam juſtam cauſam exemplari petantur, coram ordinario judice, vel delegato ab ipſo ſpecialiter præſententur: qui ſi ea diligenter inſpecta in nulla ſui parte vitiata repererit, per publicam perſonam illa præcipiat exemplari, eandem authoritatem per hoc cum originalibus habitura*. Hæc ibi.

60 Dicitur notanter, *authoritate Judicis per publicam perſonam, ac ſervatis aliis &c.* Nam ad ſolemnem traductionem copiæ ex originali inſtrumento, ſeu ad Tranſumptum eandem cum ipſo vim probandi obtinens, juxta Doctores paſſim, plures conditiones requiruntur. I. Ut interveniat juſta cauſa: puta, ne propter vetuſtatem Originale pereat, aut propter viarum diſtantiam, & diſcrimina amittatur *cap. ult. h. t. & c. Cùm dilecta de Confirmat. utili &c.* II. Debet exemplatio illa fieri interveniente authoritate Judicis ordinarii, vel delegati, per textus citatos III. Debet ea fieri ad petitionem partium, vel ſaltem alterius partis; & quidem per perſonam publicam, id eſt, per publicum Notarium, cui id Judex præcipiat: quòd ſi ejuſmodi publica perſona haberi non poſſit, ſatis eſſe arbitratur Gloſſa *fin. in cit. cap. ult. h. t.* quod per aliquam aliam perſonam honeſtam authoritate Judicis reſcribatur, dummodò ſigillum authenticum apponatur. IV. Ad ſolemnem exemplationem requiritur citatio eorum, quorum intereſt, *c. Significavit 41. de Teſtib.* ubi in ſimili ad receptionem teſtium requiritur citatio partis adverſæ: ac notat Covarruvias *pract. quæſt. c. 21. n. 4.*

61 Reſp. II. Præmiſſis non obſervatis Exemplar, ſeu Tranſumptum inſtrumenti, regulariter non probat non exhibito ipſo originali. Ita Covarruvias *loc. cit. n. 2.* Maſcardus *de probat. Concl. 712. n. 2.* Jaſon *Auth. Si quis in aliquo n. 2. C. de Edend.* cum communi. Patet hoc ex *c. 1. h. t.* ibi: *Si Scripturam authenticam non videmus, ad exemplaria nihil facere poſſumus*. Concordat Jus Civile *L. 2. ff. de Fide inſtrument.* juncta *Auth. Si quis in aliquo C. de Edend. & L. 3. C. de Diverſis reſcript.* cum ſimilibus. Idque ſtatutum eſt ratione falſitatis vitandæ, quæ alioquin facilè committi poſſet.

62 Et hoc adeò verum eſt, ut etiam Exemplar, ſeu Tranſumptum à Notario publico ex originali extractum, ſpectato Juris rigore plenè non probet, niſi obſerventur aliæ ſolemnitates *n. 60.* relatæ. Maſcardus *cit. Concl. 712. n. 1. & ſeq.* allegans alios, pluresque hujus rationes referens. Earum una eſt: quia Notario publico non creditur, niſi de his, quæ coram eo vidente, vel audiente, à partibus geſta ſunt, *Auth. de Tabellionibus §. Nos autem collat.* 4. Atqui actus ille, de quo publicum inſtrumentum debet exemplari, coram tali Notario geſtus non fuit; ergo. Accedit, quòd teſtis de auditu auditus non probet, ut dictum *Tit. 20. de Teſtibus §. 11. n. 360.* ergo nec probabit Notarius exemplans inſtrumentum ab alio confectum, & receptum, niſi obſerventur ſolemnitates de Jure requiſitæ. Probatur conſequent. Tum quia valet argumentum à Teſte ad Notarium, procedentem non ſervatis ſolemnitatibus Juris: reputatur enim tunc veluti perſona privata. Tum quia quandoque poteſt impugnari ipſum inſtrumentum originale, ob certos defectus in eo notatos: tales autem defectus non poſſent notari in exemplo ejus, ſi fieri poſſet privatim, ac propria authoritate, per quemlibet Notarium, & non citatis illis, quorum intereſt. Tacentur aliæ rationes apud Maſcardum *loc. cit.* videndæ.

63 Porrò data Concluſio fortiùs procedit in Exemplo exempli; ut inquit Jaſon *cit. Auth. Si quis in aliquo n. 2. C. de Edend.* id probans ex *l. 3. C. de Diverſis reſcript.* Adeo ut Alexander *conſil. 138. n. 4. lib. 1.* poſt Baldum *in d. l. Sancimus*, & quoſdam alios aſſerat, Exemplum exempli etiam legitimè exemplatum fidem non facere, ſicuti nec teſtimonium de auditu auditus probat.

64 Fatendum tamen, quòd oppoſitum hujus teneat Bartolus *in Auth. Si quis in aliquo §. Quæro utrum exemplum C. de Edend.* ubi priorem opinionem inquit procedere, quando fit exemplum exempli abſque partis alterius præſentia, vel ea contradicente: ſecùs, ſi exemplatio fiat partibus præſentibus, & interveniente Judicis authoritate, id probans ex *L. 1. & 2. C. de Relationib.* Et ratio eſt: quia parte altera præſente, nec rationabiliter contradicente, de fide & veritate illius Exempli dubitari non poteſt. Hoc ipſum convincit textus *c. ult. h. t.* & jam ſuprà allegatus, ibi: *Eandem authoritatem per hoc cum originalibus habitura*: & conſequenter, ſicuti juxta originalia, ita & juxta exemplaria ſolemniter traducta poterit fieri nova exemplatio; dummodò hæc fiat juſta de cauſa ad petitionem partis, & interveniente authoritate Judicis, citatiſque aliis quorum intereſt.

65 Reſp. III. Nihilominus data proximè Concluſio fallit in pluribus caſibus, in quibus probat Tranſumptum abſque conditionibus *num. 60.* relatis. Et primo quidem, quando in Litteris Pontificiis, ut ſæpius fit, habetur inſerta hujuſmodi clauſula: *Quodque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent oſtenſæ, vel exhibitæ*. Nam tunc ſufficit talia obſervari, ne clauſula hujuſmodi ſit ſuperflua, ſed aliquid operetur.

66 Fallit ſecundò, quando Exemplar fuit ſumptum, ſeu ſcriptum manu illiuſmet Notarii, qui inſtrumentum originale confecit: quia enim talis ſufficienter eſt inſtructus de toto negotio, utpote coram ſe geſto: hinc in ipſo ceſſant rationes *n. 62.* allatæ; ac proinde Exemplum probat indiſtinctè, ſicut ipſum Originale. Bartolus *cit. Auth. Si quis in aliquo §. Quæro utrum exemplum circa fin. C. de Edend* id probans ex *l. Si quis ex argentariis §. Prohibet ff. eod.* Covarruvias *Pract. quæſt. cap. 21. n. 2. verſ. Quod ſi fiat*. Maſcardus *cit. Concl. 712. n. 35.* citans alios, qui atteſtantur de communi. Accedit, quòd idem Tabellio de eodem actu poſſit conficere plura inſtrumenta; & cùm ſit author ejuſdem ſcripturæ, eadem fides debet adhiberi utrique. Facit huc optimus textus *in cap. Dudum 20. de Converſion. conjugat.* ubi tale publicum inſtrumentum, poſt amiſſionem prioris ab eodem Notario confectum; & pro legitimo habitum legitur.

67 Fallit tertiò, ubi contraria conſuetudo derogavit quoad aliqua Conſtitutioni *cap. ult. h. t.* relatæ. Nam, ut notat Pirhing *h. t. n. 22.* in praxi hodie Judex non inſpicit originale; ſed Tabellio, qui inſtrumentum tranſcribit, teſtatur, quòd ipſe illud diligenter inſpexerit, nullumque in eo vitium repererit &c.

68 Fallit quartò de conſenſu partium. Poteſt enim exemplatio inſtrumenti originalis fieri abſque authoritate Judicis à ſolo Tabellione, ſi partes ad hoc conſenſerint: ita tamen, ut ipſis duntaxat, eorumque ſucceſſoribus præjudicet. Covarruvias *cit. cap. 21. n. 5. verſ. Poterit tamen*, poſt Bartolum *in Auth. Si quis in aliquo C. de Edend.* communiter receptum.

69 Fallit quintò, quia exemplar ſine debitis ſolemnitatibus ex inſtrumento originali deſcriptum, etſi non faciat plenam probationem, adhuc tamen facit aliquam præſumptionem. Maſcardus *loc. cit. n. 59. & 60.* poſt Geminianum *Conſil. 100. n. 3.* Imò, ſi originale inſtrumentum probetur fuiſſe amiſſum, tunc Exemplar ipſius facit ſemiplenam probationem, adeò ut poſſit deferri juramentum in ſupplementum. Gloſſa *in l. 1. Sicut iniquum* ℣. *Facile C. de Fide inſtrument.* Jaſon *Auth. Si quis in aliquo n. 6. C. de Edend.* Maſcardus *cit. Concl. 712. n. 58.* & alii ab his allegati, qui nonnullas alias fallentias adducunt.

## §. III.

## De fide Sigilli, & aliis iſtud concernentibus.

### SUMMARIUM.


70 *Sigillum, quid?*
71 *Dividitur in authenticum, & non authenticum.*
72 *Quatuor detrahunt fidei Sigilli; & quæ? Et num. ſeq.*
*Sigilli falſitas arguitur ex eo, quia non congruit in ſculpturis dignitati ſigillantis. Ibid.*
73 *An, & qua ratione quis uti poſſit Sigillo alieno?*
74 *Sigillum ſolitum Magiſtratus, & ad talia negotia deſtinatum debet adhiberi; alioquin redditur ſuſpectum.*
75 *Sigillum redditur ſuſpectum, quando litteræ ejus non ſunt legibiles.*
76 *Aut patitur enormem fracturam.*
*Vel per glutinem novæ ceræ eſt chartæ connexum, arbitrio Judicis. Ibid.*
77 *Sigillum publicum.*
78 *Quod ſæpiùs confunditur cum authentico,*
79 *Et ſigillum privatum, quid?*
80 *Ratione finis multiplex eſt diviſio ſigilli.*
81 *Sigillum de ſe nihil probat, niſi concurrant aliæ conditiones.*
82 *Harum potiſſimùm ſunt tres. Et nu. ſeqq.*
83 *Sigillum ut probet, oportet, ut litteris exprimatur, cujus ſit.*
84 *Sigillans cum re non habente characteres, v. g. cum corrigia, nihil agit.*
85 *Sigillum in Jure etiam vocatur Annulus.*
86 *Ut ſigillum probet, debet apparere, à quo fuerit appoſitum.*
87 *Et qua de cauſa appoſitum ſit.*
88 *An etiam requiratur ſubſcriptio apponentis.*
89 *Scripturæ, ſeu inſtrumenta, quæ habent ſigillum authenticum, plenè probant.*
90 *Differentia inter ſigillum authenticum, publicum, & privatum.*
91 *Sigillum an probet, etiamſi nulla intervenerit ſubſcriptio ſigillantis? Et nu. ſeqq.*
92 *Negativæ ſententiæ rationes.*
93 *Fundamenta ſententiæ affirmativæ referuntur.*
94 *In teſtamentis, aliiſque caſibus magni præjudicii, requiritur ſubſcriptio, nec ſufficit ſola appoſitio ſigilli.*
95 *Secùs dicendum de negotiis modici præjudicii &c. Et n. præced.*
*Ad evitandas diſputationes optimum eſt, etiam addere ſubſcriptionem. Ibid.*
96 *Solvitur notabilis objectio.*
*Cur magis credatur ſigillo, quàm dicto unius teſtis? Ibid.*
97 *Inſtrumentum an aliquando probet abſque appoſito ſigillo? Et n. ſeq.*
*Teſtamenta, Privilegia, & hujuſmodi, abſque ſigillo, non habent vim probandi.*
98 *Extra hoſce caſus regulariter ſigillum inſtrumentis ad ſubſtantiam actus non adhibetur.*
99 *Sed ad faciliorem ejus probationem. Et n. præc.*
*Sigillans ſcripturam, videtur fateri omnia contenta in ea. Ibid.*
100 *Scriptura etiam privata, plenè probat contra ſigillantem.*
101 *Conſuetudo Provinciarum multùm operatur quoad hæc, ut credatur alicui ſcripturæ, vel non.*


70 QUæritur I. Quid, & quotuplex ſit Sigillum, quamque vim probandi habeat ſigillum authenticum? Reſp. I. *Sigillum*, quod eſt diminutivum à *ſigno*, impræſentiarum accipitur pro imagine, qua ceræ impreſſa litteras obſignamus. Atque in hac acceptione dicuntur *Litteræ ſigillatæ*; id eſt; ſigillo appoſito clauſæ, obſignatæ, ſeu munitæ. Calepinus ℣. *Sigillum*. Quamquàm præter hanc vulgatam ſignificationem, Sigillum quandoque parvam ſtatuam, putà, domui affixam ſignificet, *l. Quæſitum §. Papinianus ff. de Fundo inſtruct. legat.*

Reſp. II. Sigillum variè dividitur. Et primò quidem 71
in authenticum, & non authenticum. *Sigillum authenticum* eſt, quod multorum authoritate comprobatum eſt: ſive, quod eſt certæ fidei. Nam, ut obſervat Spiegelius, & Jo: Calvinus *in Lexico Juris*. ℣. *Authenticon*, iſtud vocabulum *Authenticum* pro re certæ fidei ponitur, ſeu quæ multorum authoritate comprobata eſt. *Sigillum non authenticum* econtrà dicitur illud, cujus fides vacillat.

Porrò quatuor ſunt, quæ detrahunt fidei Sigilli, & 72
faciunt illud vacillare; ut notat Abbas *cap. Inter dilectos n. 4.* juncto textu *ibid. h. t.* Primò, quando ſigillum non congruit in ſculpturis dignitati ſigillantis: non enim præſumitur ſigillum illius, cui adſcribitur, ſi ſibi non convenit: Et hinc *in cit. c. Inter dilectos §. Sed contra. ℣. Tertio h. t.* falſitas ſigilli cuipiam inſtrumento appoſiti arguitur ex eo, quia in ipſo apparebat quædam imago, non cum Mitra in capite (quale ſolebat eſſe Luitardi Epiſcopi, cujus dicebatur fuiſſe inſtrumentum illud) ſed cum Pileo; nec induta Pontificalibus, ſed Regalibus indumentis; tenens in manu non Baculum Paſtoralem, ſed quaſi Sceptrum Regale.

Ex quo ſequitur, quòd ſi quis habeat ſigillum pro- 73
prium, tunc ipſo, & non alieno ſigillare debeat: alioquin illud non proderit, cùm ſibi, ſuoque ſtatui non conveniat. Si autem nullum ſigillum proprium habeat, vel ſaltem non habeat illud præ manibus, neque facilè acquirere poſſit: tunc poteſt quidem uti alieno, *§. Poſſunt Inſt. de Teſtam. ordinand.* debet tamen exprimere, ſe alieno, & non proprio ſigillo ſignaſſe, & cujus, & quare alieno. Innocentius, quem citat, & ſequitur Abbas *c. 2. n. 16. h. t.* idque ob rationem proximè dictam.

Illud etiam in Sigillo, præſertim Magiſtratus eſt ob- 74
ſervandum, ut adhibeatur ſigillum ſolitum, & ad talia negotia expedienda deſtinatum. Alioquin enim veluti non congruens negotio, & poteſtati ſigillantis, redderetur ſuſpectum, nec cenſeretur authenticum: nam authoritas ſigilli reſtringitur ad cauſam, & ad officium, ad quod deſtinatum eſt ſigillum, *c. Significavit* 48. juncta Gloſſa, ℣. *Ad citationes de Appell.* Felinus *c. Poſt ceſſionem n. 17. de Probat.* Maſcardus *de Probat. Concl.* 1309. *n.* 28. Menochius *de Arbitrar. Judic. lib. 2. caſ.* 113. *n.* 7. allegans plures alios.

Secundo. Sigillum redditur vacillans, ac detrahitur 75
fidei ejus, quando litteræ ſigilli non ſunt legibiles; vel leguntur ita paucæ, quòd neceſſariò non concludant, ſigillum eſſe illius, cui adſcribitur, ſed oritur æquivocatio. Idemque dicendum, ſi ſculpturæ ſunt conſumptæ, nec aliter poteſt certificari, cujus ſit ſigillum, juxta *cit. c. Inter dilectos 6. h. t.* Ubi proin Gloſſa ℣. *Dimidia*, infert, quòd ad hoc, ut ſigillum ſit authenticum, debeant in eo apparere characteres, & orbita, *l. Ad teſtium §. Signum ff. de Teſtam.*

Tertio, Sigillum redditur ſuſpectum, quando pati- 76
tur enormem fracturam, ita quòd ex reſiduo non poſſit clarè cognoſci, cujus ſit: quod ipſum ſequitur ex proximè dictis. Quartò, quando ſub ſigillo charta reperitur perforata, & per glutinum novæ ceræ ſigillum illud ipſi chartæ connexum; ut eſt caſus *in cit. c. Inter dilectos*, ac poſt Innocentium notat Abbas *ibid. n.* 4. & Felinus *n.* 5. *h. t* & Menochius *lib. 2. de Arbitrar. Judic. caſ.* 113. *n.* 12. & 13. allegans alios. Qui tamen notant, arbitrio prudentis Judicis eſſe relinquendum, quænam ex his in caſibus particularibus ſufficiant ad fidem detrahendam ſigillo, attenta qualitate læſionis ipſius ſigilli, aliiſque circumſtantiis; prout in ſimili dici ſolet de vi probationis teſtium, *L. 3. ff. de Teſtib.* & *can. Si teſtes* 4. *q.* 3.

Reſp. III. Sigillum dividitur ulteriùs in publicum, & 77
privatum. *Sigillum publicum* dicitur, quod publica authoritate nititur: putà, quia eſt Epiſcopi, Capituli, Principis, Civitatis, Judicis, vel alterius perſonæ magiſtratum gerentis in iis, quæ ſpectant ad ejus juriſdictionem, ſeu officium. Et notanter hoc ultimum additur: quia ſigillum, v. g. Epiſcopi, appoſitum in teſtamento, vel circa alium actum non ſpectantem ad juriſdictionem ipſius, non cenſetur publicum. Maſcardus *d. Concl.* 1309. *n.* 48. cum aliis.





78 Porrò hujuſmodi Sigillum publicum ſæpiùs confunditur cum Sigillo authentico, juxta Gloſſam, *cap. 2.* ℣. *Sigillum h. t.* quamvis revera differant, ſicut magis & minùs commune. Nam omne ſigillum publicum, eſt etiam authenticum; ſed non econtrà: ſicut in ſimili de inſtrumento publico, & authentico dici ſolet, eſtque jam dictum ſuprà §. 1. *nu.* 14. & 15. Gonzalez Tellez *in c. Scripta.* 2. *num.* 4. *h. t.*

79 *Sigillum privatum* econtrà dicitur, quod apponitur à perſona privata, ut eſt ſigillum utentium. Maſcardus *citat. concl.* 1309. *n.* 45. cum aliis. Et ſi negatum fuerit, hujuſmodi ſigillum eſſe ſuum, tunc à producente illud veritas ejus erit probanda: putà, per comparationem aliarum litterarum tale ſigillum habentium; vel per teſtes, qui fuerunt præſentes appoſitioni illius ſigilli, ac hujuſmodi: nam generale eſt, quod affirmanti incumbat onus probandi, *L. 2 ff. de prob.* cum ſimilibus.

80 Reſp. IV. Ratione finis, ob quem apponitur, multiplex etiam eſt diviſio Sigilli. Quoddam enim eſt *Sigillum authoritatis*: ut ſigillum Papæ, Imperatoris, Regis, Epiſcopi, Dominorum temporalium, *arg. can. Nobiliſſimis*, *diſt.* 96. Aliud eſt *Sigillum ſolemnitatis*: ut ſigillum teſtium in teſtamentis. Aliud *Sigillum teſtimoniale*, quale ſolet apponi in litteris teſtimonialibus, ſeu pro ferendo teſtimonio cujuſpiam rei datis. Aliud *Sigillum ratificativum*, aut poſitum in ſignum conſenſus, quando v. g. agitur de præjudicio ſigillantis, & hujuſmodi: prout fuſiùs oſtendit Maſcardus *cit. concl.* 1309. *n.* 51. cum aliis.

81 Quæritur II. An, & qualem vim probandi habeat Sigillum; Reſp. I. Sigillum de ſe nihil probat, niſi concurrant aliæ certæ conditiones. Ita Menochius *de Arbitrar. Judic. lib. 2. caſ.* 113. *n.* 1. poſt Baldum *tit. De pace Conſtantiæ ℣. Imperialis num.* 8. ubi idcirco dixit, commiſſionem, maximè ſpecialem, ex ſolo ſigillo non probari, cum ſigillum ſit res inanimata. Idemque tradit Felinus *c. Tertio loco in princip. de prob* pluresque alii à Menochio, *ubi ſuprà*, relati. Accedit ratio: quia ſigillum eſt teſtis mutus, & incertus; eſt enim ad plura indifferens, niſi aliunde, puta, per appoſitam ſcripturam, determinetur ad aliquid certum, & determinatum probandum.

82 Reſp. II. Conditiones requiſitæ ad hoc, ut ſigillum probet, fidemque faciat, potiſſimum ſunt tres; quarum prima eſt, ut litteris exprimatur, cujus ſit: ſecunda, ut pateat, à quo appoſitum fuerit: tertia, ut conſtet, qua de cauſa appoſitum fuerit. Ita Menochius *cit. lib. 2. de Arbitrar. Judic. caſ.* 113. *n* 3. & *ſeqq.* Maſcardus *de Prob. concl.* 1309. *n.* 53. citans alios. Nec in re diſcordat Baldus *c. 2. n.* 15 *h. t* ubi inquit, quod *in ſigillo quatuor requiruntur; videlicet actus, aptitudo, voluntas, & character.* Nam ly *aptitudo*, & ly *character*, primam conditionem complectitur; ly *voluntas*, ſecundam; & ly *actus*, tertiam: prout ampliùs patebit ex declaratione ſingularum trium præmiſſarum conditionum.

83 Primò igitur, ut probet Sigillum, requiritur, quod *litteris exprimatur cujus ſit.* Unde oportet, quod habeat quamdam impreſſionem, putà, imaginem alicujus Sancti, vel Principis, vel Regis &c. aut arma ſigillantis, *arg. l. 1. §. Sin autem ſocius C. de Communi ſervo manumiſſ.* ibi: *Sigillo impreſſo* prout hoc ipſum fieri ſolet in moneta, *L. ult.* juncta Gloſſa ℣. *Æternalos C. de Veteris numiſmat. poteſt. lib.* 12. Quinimo, ſi deſit, aut deleta fuerit imago, vel characteres, ita ut non appareat, cujus ſit ſigillum; vacillat fides ejus, atque ipſum redditur non authenticum, *c. Inter dilectos 6. h. t.* eſtque paulò ſuperiùs *n.* 75. jam dictum.

84 Infertur proinde, quod ſi quis vellet ſigillare cum re non habente characteres, ſeu litteras legibiles, v. g. cum corrigia, vel hujuſmodi, nihil ageret, *arg. l. Teſtium. §. Signum autem ff. de Teſt.* ubi dicitur: *Et magis eſt, ut tantùm annulo quis poſſit ſignare, dum tamen habeat characteres* Innocentius *in c. 2. ℣. cum corrigia h. t.* iſtud probans ex *cit. l. ad teſtium & l. arg. §. ornam. ff. de Auro & argent. leg* Abbas *eod. c. 2. n.* 14. & Baldus *ibid. n.* 15. *h. t.* Maſcardus *d. conc.* 1309. *n.* 53. cum aliis.

85 Solùm nota pro intelligentia allegatæ Legis, *ad teſtium*, cum Innocentio, & Abbate, *ubi ſuprà*, & Baldo *n.* 16. quod illud, quod Canoniſtæ appellant *Sigillum*, Jus Civile appellet *Annulum*. Unde quod dicitur de Sigillo idem eſt in Annulo; dummodò ſit ſculptura ad modum ſigilli cum imagine, & characteribus, ut dignoſci valeat, cujus ſit; quales annuli hodie multi reperiuntur, ac etiam taliter appellantur *can. In nomine Patris. diſt.* 73.

Secundo, ut probet ſigillum, requiritur, quod appa- 86
reat, à quo ipſum fuerit appoſitum. Alioquin verò in dubio non præſumitur ſigillum voluntate domini eſſe appoſitum, ſi is hoc negaverit: quinimò, ubi conſtat de proteſtatione contrariæ voluntatis, ſigillum præſumitur furtivum, ſi voluntas non colligatur aliunde, quàm ex ſigillo: ut eſt caſus *in c. Tertio loco 5. de probat.* Menochius *cit. caſ.* 113. *nu.* 3. Maſcardus *d. concl.* 1309. *nu.* 41. & 42. referens talem caſum ſigilli furtivi. Veruntamen ſcripturæ non vitiantur ex eo, quod in eis non fuerit ſpecificatum, à quo ſigillum eſt appoſitum, dummodo ex aliis circumſtantiis iſtud poſſit deprehendi. Abbas *c c. 2. n.* 16. *h t* poſt Innocentium. Maſcardus *loc. c. n.* 11.

Tertiò requiritur, ut conſtet, qua de cauſa ſigillum 87
fuerit appoſitum: unde de hac communiter in inſtrumentis ſolet fieri expreſſa mentio. Idque meritò fit; quia ſigillum multis de cauſis poteſt apponi; ut puta, in ſignum præſtiti à ſe conſenſus, vel pro teſtimonio alteri dato, vel ad ſolemnitatem teſtamenti, aut hujuſmodi. Unde, niſi harum aliqua exprimeretur, vel de ipſa aliunde ſufficienter conſtaret, ſigillum appoſitum, veluti incertum, nihil probaret.

Addit Ludov. Engel *h. t. n* 17. etiam requiri ſubſcri- 88
ptionem apponentis: quia ſigillum ſine ſubſcriptione videtur teſtis mutus; & alioquin, ſi ſoli ſigillo plena fides adhibenda foret, facilè dolus committi poſſet. Verùm licet optimum ſit, ac in praxi frequentiſſimum, præter appoſitum ſigillum ſeſe ſubſcribere; idque quandoque ſit neceſſarium, ut in teſtamentis; nihilominùs ſubſcriptionem apponentis ſigillum non ſemper requiri; dicetur infrà *n.* 98. & *ſeqq.*

Reſp. III. Scripturæ, ſeu inſtrumenta illa, quæ pro 89
ſui confirmatione habent ſigillum authenticum, faciunt plenam fidem. Ita textus *in c. 3. h. t.* ubi dicitur, corruere inſtrumentum, ſi teſtes inſcripti deceſſerint, *niſi per* manum publicam, ſeu Notarium quempiam fuerit confectum, aut *niſi authenticum ſigillum habuerit*. Et notat Gl *ib.* ℣. *Authentica*. Abbas *in Summario* Barboſa *in Collect. n.* 1. & alii DD. Maſcardus *cit. concl.* 1309. *n.* 2. allegans plurimos alios.

Eſt tamen hic notanda differentia inter ſigillum au- 90
thenticum publicum, & privatum. Nam inſtrumenta publica, ſeu publico ſigillo munita, perpetuam habent firmitatem ad damnum, & commodum utriuſque partis, *arg. can. Si quis de Cleric. is* 12. *qu.* 2. & *cap. cum pridem de Pactis*, & *l. In exercendis C. de Fide Inſtrum.* cum ſimilibus. At verò privata inſtrumenta, ſeu ſigillo privato munita, valent quidem in præjudicium illorum, qui ea ſcripſerunt, *Leg. Generaliter. C. de non numerat. pecun.* & *l. Publia §. fin. ff. depoſiti*: non verò ad commodum eorum, niſi ab adverſario fuerint approbata, *cit. l. Publia. §. fin.* juncto Bartolo *in Summario ib* & *L. Inſtrumenta domeſtica. C. de probation.* Gloſſa *in d. cap. 2. verſ. Authentica h. t.* Maſcardus *cit. concl.* 1309. *num.* 1. 4. & 40. *ac ſeqq.* allegans alios.

Quæritur III. Utrùm probet Sigillum etiamſi nulla 91
intervenerit ſubſcriptio ſigillantis? Reſp. I. In reſolutione hujus quæſtionis variant Doctores, atque in diverſas abeunt ſententias, quas majoris claritatis gratia breviter juvabit adducere. Et quidem

Negativam ſententiam, ſeu quod abſque ſubſcriptio- 92
ne apponentis non probet ſigillum, tenet Bartolus *in Proœmio ff. n.* 8. *verſ. Item quæro, ſi eſt ſolum ſigillum &c.* pro ſe allegans *leg ad teſtium §. Si quis ex teſtibus ff. de Teſtament.* ubi dicitur: *Si quis ex teſtibus nomen ſuum non adſcripſerit, veruntamen ſignaverit, pro eo eſt, atque ſi adhibitus non eſt.* Unde Summarium *ib.* ex eodem Bartolo deſumptum inquit: *Requiritur ſignatio, & ſubſcriptio: & alterum ſine altero non valet.* Eidem ſententiæ favet Speculator *tit. de inſtrumentorum editione. §. Inſtrumentum ergo publicum. num.* 19. *verſ. Item quod non eſt ſignatum*, ubi ad valorem inſtrumenti tam ſigillum, quàm ſubſcriptionem requirit: & alii, quos pro hac ſententia allegat Maſcardus *d. Concl.* 1309. *num.* 6. ac ſequitur

Engel h.t.n.18. addita ea ratione quia ſigillum ſine ſubſcriptione videtur eſſe teſtis mutus, qui in judicio productus nihil loquitur: & ſi ſoli ſigillo plena fides habenda foret, facilè aliquis dolus committi valeret.

93 Oppoſitam, ſeu affirmativam ſententiam, videlicet probare ſigillum, ubi de ipſo conſtat, nec eſſe neceſſariam propriam ſubſcriptionem ſigillantis, niſi aliud legibus, vel conſuetudine conſtitutum fuerit: tenet Covarruvias pract. q. c. 22. n. 9. circa fin. allegans alios. Menochius lib. 2. de arbitr. Jud. caſ. 113. n. 6. Innocentius in c. 2. in fin. h. t. Decius c. poſt ceſſionem n. 31. de prob. & alii, quos pro hac ſententia refert Maſcardus cit. concl. 1309. n. 5. Accedit ratio: quia in c. 2. h. t. iſta duo æquiparantur, & alternativè ſufficere dicuntur; videlicet, ſcripta per manum publicam facta, & ſcripta habentia ſigillum authenticum, ibi: *Niſi per manum publicam facta fuerint, ita quod appareant publica, aut authenticum ſigillum habuerint, per quod poſſint probari.* Atqui in alternativis ſufficit alterum adimpleri, juxta Reg. 70. Juris in 6. cum concordantiis. Verùm inter haſce extremas ſententias videtur media via incedendum: unde

94 Reſp. II. In teſtamentis ſcriptis, ſicut & in aliis caſibus, ubi agitur de magno præjudicio, aut de jure vel conſuetudine ſpecialiter requiritur ſubſcriptio, hæc omninò eſt facienda, neque ſufficit ſola appoſitio ſigilli: ſecùs dicendum in aliis negotiis, quæ ſunt modici præjudicii, ſimulque conſtat ſigillum eſſe cujuſpiam, atque ab ipſo vel de ejus voluntate fuiſſe appoſitum. Ita Covarruvias loc. cit. Maſcardus d. concl. 1309. n. 7. & alii. Neque in re videntur diſſentire Authores pro ſententia negativa n. 92. allegati, quia ipſi, ac præſertim Bartolus, loquuntur in teſtamentis ſcriptis, juxta l. ad teſtium §. Si quis ex teſtibus ff. de Teſt. quam Bartolus pro ſe allegat, quamque agere de ſolemnitate teſtamentorum, patet ex rubrica, totoque contextu. Atqui in teſtamentis, aliiſque cauſis, in quibus agitur de magno præjudicio, vel ubi reperitur ſpecialis conſtitutio, aut conſuetudo, requiri ſubſcriptionem, & ſigillationem ſimul, ultrò fatetur præſens Concluſio. Siquidem de teſtamentis iſtud clarè habetur ſtatutum in cit. l. ad teſtium de aliis verò cauſis arduis idipſum ſuadet gravitas negotii, maluſque periculum; præſertim ſi acceſſerit ſpecialis conſtitutio, vel conſuetudo locorum, cum hæc ſola ſufficere valeat ad inducendam neceſſitatem ſubſcriptionis, c. ult. de conſuetud. cum ſimilibus.

95 Secùs dicendum de negotiis modici præjudicii, ſimulque conſtat de appoſitione ſigilli, quia tunc (ſecluſo ſpeciali locorum ſtatuto, vel conſuetudine) ceſſant rationes proximè allatæ, atque ſubintrat diſpoſitio cap. 2. h. t. Quamquam Menochius cit. caſ. 113. n. 6. notanter moneat, quod ad evitandas omnes diſputationes optimum ſit, etiam addere ſubſcriptionem.

96 Objicies autem contra præmiſſa, afferendo notabilem inſtantiam. Non creditur dicto unius teſtis, quantæcumque ſit authoritatis, c. cum à nobis 28. de Teſt. & l. Jurisjurandi C. eod. ergo multò minùs ſigillo quantumcunque authentico: cum non major fides adhibenda ſit voci mutæ, quàm vivæ; nec minùs induci quis poſſit ad apponendum falſum ſigillum, quàm ad falſum teſtandum. Reſp. nego conſeq. & paritatem. Etenim ſigillo authentico, de cujus veritate conſtat, creditur tum authoritate Legis c. 2. h. t. cum ſimilibus: tum ex recepta conſuetudine locorum, ubi contraria conſuetudo non inolevit. Nam conſuetudo non ſolùm eſt optima Legum interpres, c. cum dilectus 8. de conſuet. ſed etiam poteſt facere, ut credatur talibus litteris ſigillatis in quocunque facto, etiam ubi aliàs non plenè crederetur ſigillo; prout cum communi DD. notat Maſcardus cit. concl. 1309. n. 34. Horum autem nullum procedit de dicto unius teſtis. Accedit, quod ob labilitatem linguæ multò plura pericula falſi teſtimonii ſubeſſent, ſi paſſim crederetur dicto unius teſtis, etſi cæteroquin gravis, quàm ſi fides adhibeatur appoſito ſigillo authentico. Tum quia in ſigillo faciliùs falſitas comprehendi poteſt, quàm in dicto teſtis: tum quia Concluſio procedit, quando non oritur rationabile dubium de voluntate apponendi ſigillum ex parte ejus, cujus eſt ſigillum.

97 Quæritur IV. Utrùm aliquando probet Inſtrumentum abſque appoſito ſigillo? Reſp. I. Loquendo de teſtamentis, privilegiis, & ſimilibus, in quibus ſigillum eſt de ſolemnitate vel ſubſtantia actus, tunc eo deficiente inſtrumentum non cenſetur authenticum, nec habet vim probandi. Ita Menoch. lib. 2. de arbitr. Jud. caſ. 113. n. 13. Felinus c. Inter dilectos n. 5. h. t. & alii, ex textu illius Capituli inſerentes, quod ob enormem fracturam ſigilli vacillet fides privilegii: quanto magis, ſi ſigillum penitus deficeret, ſeu nunquam appoſitum fuiſſet. Idem eſſe dicendum de teſtamentis, patet ex l. ad teſtium §. Si quis ex teſtibus ff. de Teſtam. cum concordantiis.

98 Reſp. II. Extra hoſce caſus, ac regulariter loquendo, ſigillum in inſtrumentis ad ſubſtantiam actus non adhibetur, ſed ut is faciliùs probetur. Ita Innocentius c. inter dilectos. ℣. ſigillum h. t. Abbas c. 1. n. 3. ℣. Decimò requiritur h. t. & c. Inter dilectos n. 3. eod. ubi tamen addit, quod ſemper apponatur ſigillum ad cautelam, quando inſtrumentum eſt publicum. Felinus c. c. inter dilectos n. 5. h. t. Menochius d. caſ. 113. n. 13. & 14. allegans inſuper Hoſtienſem, & Cardinalem, quos ſecutus eſt Zaſius conſ. 2. n. 37. lib. 1. & concordant dicta ſuperiùs §. 1. nu. 29. Idipſum deſumitur ex c. 2. h. t. ubi ſcripta illa cenſentur authentica, & mortuis etiam teſtibus probantia, quæ *per manum publicam* (id eſt, Notarium, ut explicat Gl.) *facta fuerunt, ita quod appareant publica*: ſicque iſtud ſolum ſufficit; nam de ſigillo primum ſubjungitur ſub disjunctione: *Aut authenticum ſigillum habuerint*. Concordat textus in l. Contractus venditionum C. h. t. ubi ad valorem inſtrumentorum plus non requiritur, quam quod *ſubſcriptionibus partium confirmata, & ſi per tabellionem conſcribantur, etiam ab ipſo completa, & poſtremò à partibus abſoluta ſint*; hoc eſt, ſubſcripta, ut explicat Gl. ib. ℣. abſoluta.

99 Solent tamen plerumque ſigillum apponi, non quod iſtud regulariter ſit neceſſarium, ſeu requirantur ad ſubſtantiam actus, ſed ad faciliorem probationem: nam ſigillans ſcripturam, contenta in ea præſupponit vera, & videtur fateri omnia contenta in ipſa. Alexander conſ. 147. n. 6. & 7. l. 2. Cardinal Tuſchus Litt. S. concl. 239. nu. 1. citans inſuper Baldum conſ. 175. n. 2. lib. 1. Romanum conſ. 303. in fin. & alios.

100 Infertur proinde, quod ſcriptura, etiam privata, quæ inducitur contra eum, qui ipſam ſcripſit, atque ſubſcripſit ad utilitatem alterius partis, v. g. in donatione &c. neque ab eo facta negatur, contra ipſum plenè probet, l. In donationibus C. de donationib. & l. Publia §. fin. ff. depoſiti. Idemque dicendum, quando ſcriptura facit pro utraque parte, & ſubſcribitur à qualibet earum, vel per alium vel alios de ipſarum voluntate; uti fieri poteſt in contractu locationis, & hujuſmodi: tunc enim ea per ſubſcriptionem ambarum partium efficitur legitima, & per illam ſubſcriptionem ſuppletur defectus publicæ perſonæ, ac etiam teſtium, cit. l. Contractus venditionum C. h. t. & l. Vice donatricis C. de donat. ac notat Jo: Andreas in add. magna ad Speculator. tit. de inſtrum. edit. §. Nunc dicendum. ℣. Tertium ſupplementum & Pax Jordanus vol. 3. lib. 14. de Fide inſtr. num. 9.

101 Illud quoque notandum eſt cum Speculatore cit. §. nunc dicendum nu. 8. Felino c. poſt ceſſionem nu. 8. de prob. & aliis, quod conſuetudo Provinciarum multum operetur quoad hoc, utrùm credatur alicui ſcripturæ, vel non, c. cum dilectus 9. h. t. juncta Gl. ℣. approbata, ubi inquit, quod conſuetudo facit aliquod inſtrumentum authenticum, quod aliàs non eſſet: ſicut & conſuetudo dat alicui juriſdictionem, quam alias non haberet. Concordat Jo: Andreas in cit. addit. magna ℣. Septimum ſupplementum, & Pax Jordanus loc. cit. n. 8. ubi inquiunt, quod juxta conſuetudinem loci Venetiis ſtatur inſtrumentis ſcriptis per Sacerdotes: & in multis partibus fidem faciat certum ſigillum, certa ſubſcriptio, certa ſtampa, vel formæ impreſſio. Stabitur enim (ajunt) conſuetudini illius loci, & inſtrumentis eo loco factis, etiamſi alibi agatur, & ſcripta illa producantur; ut d. c. cum dilectus h. t. & l. 1. C. de Emancip. Item tradit Jaſon l. Admonendi n. 78. ff. de Jurejur. citans alios. Concordant dicenda inferiùs §. 5. n. 153.





## §. IV.

## De fide Archivii, atque Scripturarum in eo repertarum.

### SUMMARIUM.


102 *Libri rationum, & cæteræ ſcripturæ privatæ, concurrentibus certis conditionibus deſumptæ ex publico Archivio plenè probant.*

103 *Conditiones ad id requiſitæ, ſunt quatuor. Et numer. ſeqq.*

*I. Ut Archivium ejuſmodi ſit publicum. Et n. ſeq.*

104 *Secus dicendum de Archivio privato.*

105 *II. Ut ſcriptura illa ſit poſita inter ſcripturas authenticas.*

106 *III. Ut ex conſuetudine fides detur talibus ſcripturis; & an talis conſuetudo ſit probanda?*

107 *IV. Ut conſtet, ſcripturam illam eſſe Archivii, ſeu repertam in eo.*

108 *Scripturæ privatæ repertæ in publico Archivio, an fidem faciant duntaxat inter territorium Domini ſui, vel etiam extra illud? Et n. ſeqq.*

*Refertur ſententia, aſſerens, eas tantum probare intra territorium illius, qui deputavit archivium. Ib.*

*Oppoſita ſententia, ſeu docens, tales ſcripturas probare ubique locorum, etiam inter non ſubditos Domini archivii, ſuadetur.*

110 *Et hæc videtur probabilior, ſub certa tamen limitatione. Et n. 112.*

111 *Solvuntur rationes contrariæ ſententiæ.*

*Archivium publicum, unde fidem faciat? Ib.*

112 *Et reſpondetur ad deciſionem Rotæ.*

113 *Ad conſtituendum publicum archivium, quæ requirantur.*

114 *Archiviis Monaſteriorum, civitatum, & perſonarum Illuſtrium, &c. atque libris, & ſcripturis inde depromptis, ex titulo archivii nulla authoritas competit.*

*Neque ipſis regulariter creditur, præſertim quando allegantur ad probanda propria jura. Ib.*

115 *Putà, ſi reperiatur in libro Monaſterii, rem meam eſſe eidem traditam; aut in eo ſint deſcriptæ ſolutiones canonum, vel cenſuum &c.*

116 *Contraria quorundam ſententia refertur.*

117 *Quæ rejicitur, ſeu explicatur.*

118 *Dantur certi caſus, in quibus libri ex Archiviis Monaſteriorum, Civitatum &c. extracti, plenè, vel quaſi plenè probant.*

*Ut ſi Monaſterio &c. competit jus publici archivii; aut ſi libri illi ſint ſcripti in forma publica. Ib.*

119 *Vel quando libri ejuſmodi communiter habentur pro authenticis, & in dubio ad eos recurri conſuevit.*

*Aut Decreto Principis ſancitum eſt, ut eis plena fides adhibeatur. Ib.*

120 *Item in Summis parvis: tunc enim datur plena fides libris Monaſteriorum, Civitatum &c.*

*Iſtud extenditur ad libros rationum adminiſtratoris, & Mercatorum. Ib. & n. 208. ac ſeqq.*

121 *Idem dicendum in Factis antiquis: unde*

*Libri antiqui Eccleſiarum probant pro Eccleſia; præſertim, quando agitur de probandis finibus. Ib.*

122 *Idipſum procedit, quando ex libris Monaſterii conſtat de ſolutione decennali uniformi cenſuum: quia tunc ſelita ſolutio cenſus rectè probatur.*

123 *Quod ſi agatur de probando dominio, vel poſſeſſione, tunc requiritur majus tempus; & quale?*

124 *Quando agitur contra Monaſterium, tunc contra iſtud ex libris ejuſdem plena fides inducitur.*

125 *Idem dicendum, quando unus ſubditus tales libros, vel ſcripturas Monaſterii, allegat contra alium ſubditum ipſis.*

126 *Libri Parochorum non habentium ſpeciale archivium, quam vim probandi habeant? Et n. ſeqq.*

*Quos libros Parochus teneatur habere? Ib.*

127 *Libri Parochiales de quorundam Baptiſmo, Matrimonio, vel morte atteſtantes, plenè probat.*

128 *Et qualiter probent libri Parochiales, in quibus annotantur redditus, jura, & bona Eccleſiæ ſuæ?*


108 QUæritur I. An, & quando ſcripturæ in publico Archivio repertæ, plenè probent? Reſp. I. Libri rationum, ſicut & cæteræ Scripturæ privatæ, concurrentibus certis conditionibus deſumptæ ex publico archivio, plenam fidem faciunt. Ita Abbas c. 2. n. 6. h. t. Jaſon repet. l. admonendi n. 97. ff. de Jurejurand. Maſcardus de prob. concl. 111. n. 9. & concl. 712. n. 60. & 61. Card. Tuſchus Litt. A. concl. 486. n. 1. & ſeqq. Engel h. t. n. 19. Sigiſ. Scaccia de Judiciis, c. 11. n. 756. & 761. ac ſeqq. Aymon Cravetta Tom. 17. Tractatuum, tr. de antiquitate temporum §. quartò limitatur n. 1. Felinus c. ad audientiam n. 11. & Barboſa ib. n. 3. de præſcript. Nicolaus Genova (aliàs, Nicolaus de Paſſeribus) tr. de Scriptura privata lib. 5. & §. 1. & 10. ac ſeqq. & alii paſſim. Siquidem per Archivium publicum datur robur ſcripturæ cæteroquin non authenticæ, arg. Auth. ad hæc de iis. C. de Fide Inſtr. ibi: *Item ex charta, quæ profertur ex archivio publico, & teſtimonium publicum habet.* Concordat textus in can. pervenit 30. q. 1. juncto c. ad audientiam 13. de præſcr. ubi plenè creditur Libro cenſuali, & aliis in archivio Sedis Apoſtolicæ repertis. Accedit ratio ibidem relata: quia, cum *Scrinarius juratus ſit officium ſuum fideliter exequi*, ratione juramenti, & publici officii præſumitur, nihil ipſum ſcripſiſſe, nec ibidem repoſuiſſe, quam quod verum extiterat, prout argumentatur Pontifex in c. c. ad audientiam, de præſcr.

103 Reſp. II. Conditiones requiſitæ ad hoc, ut Scripturæ ratione archivii plenè probent, ſunt quatuor. Prima eſt: ut archivium ejuſmodi ſit publicum; hoc eſt, erectum ab eo, cui jus archivii competere dignoſcitur: quale ſolet competere duntaxat Prælatis Eccleſiaſticis majoribus, puta Epiſcopis, horumque Superioribus; nec non & Principibus, Dominiſque ſæcularibus, qui in ſuis territoriis exercent jura Imperii, & Regalium. *Archivium* quippe eſt locus publicus, in quo ſolent reponi ſcripturæ publicæ, & authenticæ. Abbas c. cum cauſam nu. 1. ℣. Secundo dicit. de prob. Sigiſm. Scaccia lib. 2. de Judiciis c. 11. n. 757. & alii: de cujus requiſitis proximè dicetur n. 113.

104 Secùs dicendum de archivio privato: quia in hoc ſolet concurrere intereſſe eorum, qui habent tale archivium; atque ideò archivium privatum non poteſt dare fidem ſcripturæ inde extractæ. Scaccia cit. cap. 11. num. 760. Nam quod archivium publicum tribuat ſcripturæ fidem, & authentizationem, provenit tum ratione loci, publica authoritate, ſeu per Principem jus Imperii, ac Regalium habentem, ad hoc deputati, tum ratione juramenti præſtiti per officialem illum, ſub cujus cuſtodia exiſtit: unde præſumitur de fidelitate cuſtodiæ, & quod ſcripturæ ibidem repertæ cenſeantur fide dignæ, arg. cit. cap. Ad audientiam juncta Gloſſa ℣. Juratus & DD. ib. de præſcript. Talia autem deficiunt in archivio privato.

105 Secunda conditio eſt, quod ſcriptura illa, de cujus fide agitur, in publico illo archivio ſit poſita inter ſcripturas authenticas, vel pro authenticis habitas. Abbas c. c. cum cauſam n. 1. ℣. quandoque agitur. Genova, ubi ſupr. n. 2. Scaccia n. 762. allegans alios.

106 Tertia eſt, quod ex conſuetudine fides detur talibus ſcripturis. Nec tamen hinc ſequitur, quod producens ſcripturam ex archivio teneatur probare ejuſmodi conſuetudinem; ſicque non authoritas archivii, ſed conſuetudo, tribuat ſcripturæ illi vim probandi. Reſp. enim, quod authoritas archivii ſit cauſa illius conſuetudinis, taliſque conſuetudo ſit notoria in judiciis, niſi forſan alicubi vigeret contraria: unde conſuetudo illa, veluti notoria, non indiget alia probatione, ſed ſtat præſumptio pro illa; ac proinde in dubio ſcripturæ repertæ in publico archivio, de conſuetudine habentur pro authenticis, niſi probetur contrarium Scaccia loc. cit. n. 768. & 770.

107 Quarta conditio eſt, quod conſtet, ſcripturam illam eſſe ſcripturam archivii; ſeu quod ſcriptura illa corroboretur teſtimonio Officialis ipſi archivio aſſiſtentis, & atteſtantis, illam ſcripturam in archivio publico fuiſſe repertam. Textus eſt in Auth. ad hæc ex iis C. h. t. ibi: *Item ex charta, quæ profertur ex archivio publico, & teſti-*

*monium publicum habet*: ubi Gloſſa ℣. *Teſtimonium publicum* aſſerit, iſtud haberi eo ipſo, quod confiteatur Magiſtratus, ex Archivio eam eſſe; vel quod talia ſint ſigna in ea, qualia ſolent fieri manu Commentarienſis. Hoc ipſum tradit Gloſſa *cap. Ad audientiam* ℣. *Cenſualem*, *de Præſcr.* Scaccia, *ubi ſuprà*, *num.* 772. & 173. allegans alios.

108 Quæritur II. Utrùm Scripturæ privatæ repertæ in Archivio publico, fidem faciant duntaxat intra territorium Domini ſui, hoc eſt illius, cujus authoritate deputatum eſt archivium, vel etiam extra illud? Reſ. In reſolutione hujus Quæſtionis non nihil variare Doctores; prout videre eſt apud Aymon Cravettam *cit. Tom.* 17. *Tractatuum*, *tract. De antiquitat. tempor.* §. *Quarto limitatur nu.* 5. *ac ſeqq.* Card. Tuſchum *Litt. A. Concl.* 486. *n.* 6. & alios. Et quidem, quod libri, ſeu ſcripturæ privatæ ex archivio publico productæ, ſolùm probent intra territorium illius, qui deputavit archivium, ac etiam contra ſubditos ſuos extra illud exiſtentes, non verò contra alios: tenet Baldus *in rubric. C. de Fide inſtrum. num.* 44. & 45. Jo: Andreas *in Additione magna ad Speculatorem. tit. de inſtrum. edit.* §. *Nunc dicendum* ℣. *quintum ſupplementum*, & *verſic. ſextum eſt*. Felinus *cap. Ad audientiam*, *n.* 12. *de præſcr.* Alexander *conſ.* 138 *numer.* 5. & 6. *libr.* 1. Cravetta *loc. cit. n.* 5. quamvis poſteà videatur in oppoſitam ſententiam declinare. Maſcardus *de probat. concluſ.* 712. *num.* 63. & *concl.* 977. *num.* 52. Pax Jordanus *tom.* 3. *tit. de Fide inſtrument. num.* 37. citans Rotam *deciſ.* 271. *n.* 7. *part.* 1. *noviſſ.* Scaccia *cit. cap.* 11. *num.* 796. & 798. allegans plures alios. Rationem dant: quia virtus probandi ex tali libro, ſive ſcriptura ratione loci, ſeu publici archivii promanans, non extenditur extra territorium cum extra territorium jus dicenti impunè non pareatur, *cap. ut animarum*, *de conſtit. in* 6. & *L. ult. ff. de Juriſd. omn. judic.*

109 Oppoſitum tamen, ſeu ſcripturam ſumptam ex Archivio publico cum teſtimonio Officialis ad hoc deputati, plenam fidem facere, atque hunc effectum operari ubique locorum, etiam inter non ſubditos Domini archivii: tenet Franciſcus de Aretio *c. cum cauſam*, *n.* 6. & *ſeqq. de prob.* Jaſon *l. Si non ſpeciali num.* 3. *C. de Teſtament.* ubi ex textu illius Legis infert, quod non ſolum teſtamentum, ſed generaliter ſcriptura facta in loco ſecundum privilegium loci (quale etiam eſt privilegium publici archivii) probet ubique. Genova, *ubi ſuprà. d.* §. 1. *n.* 18. & 19. citans alios, idque probans ex *Auth. ad hæc C. de Fide Inſtrum.* & *Auth. de iis qui ingrediuntur ad appelland.* §. *Si verò etiam. Collat.* 5. Accedunt rationes relatæ per Cravettam *loc. cit. nu.* 6. & 7. quia videmus, quod ubi aliqua ſcriptura de jure non ſolemnis, fit valida ratione ſtatuti, vel conſuetudinis, talis conſuetudo extendatur extra territorium, & ſcriptura ſic roborata, ubique probet. Bartolus, & DD. *in L.* 1. *in* 7. *quæſt. C. de Summa Trinitat.* Baldus *l. Si non ſpeciali*, per textum *ib. C. de Teſtament.* & alii; & concordant dicta § *præced. nu* 101. & dicenda inferiùs §. 5. *n.* 153. 154. & 155. Deinde circa fidem ſcripturæ inſpicitur locus, ubi facta eſt, ubicunque poſteà producatur, per *l. Si fundus C. de evict.* Baldus *conſ.* 179. *lib.* 3. Jaſon *l. Jus autem Civile n* 33. *ff. de Juſt. & jur.* Guido Papa *q.* 262. Ita diſcurrit Cravetta *loc. cit.* ſubjungens quædam alia in favorem hujus ſententiæ.

110 Atque hæc poſterior ſententia videtur probabilior, Jurique conformior, loquendo tamen de archivio publico, & dummodo non agatur de commodo eorum, quorum eſt archivium; prout cenſet, ac limitat Maſcardus *d. concl.* 712. *n.* 64. allegans alios.

111 Nec obſtant rationes contrariæ ſententiæ, & *nu.* 108. allatæ. Siquidem ſcripturæ ſumptæ ex archivio publico fidem faciunt, non ratione loci undè ſumptæ (utpote qui eſt teſtis mutus, ac de ſe inidoneus ad dandam talem fidem) ſed potiùs ratione illius, cujus authoritate archivium publicum eſt conſtitutum, ac ſcripturæ ejuſmodi in illud relatæ, & ibidem fideliter cuſtoditæ atque aſſervatæ. Et quamvis hujus juriſdictio, videlicet Principis, cujus eſt archivium publicum, extra proprium territorium ſe non extendat: quia tamen circa fidem ſcripturæ inſpicitur locus, ubi facta eſt, hanc ſemel ex archivio publico acceptam retinet ſemper ſcriptura illa, ubicumque producatur.

112 Ad Deciſionem Rotæ dicitur, eam procedere, quando agitur de commodo eorum, quorum eſt archivium: quia ut inquit Pax Jordanus *loc. cit.* ea loquitur de archivio civitatis Ravennæ quoad Eccleſiaſticos ejuſdem civitatis. Hic autem caſus cum Maſcardo jam eſt exceptus *n.* 110. cum Juri naturali ſit conſentaneum, ne quis propria annotatione debitorem ſibi conſtituere valeat, præſertim à ſua juriſdictione cæteroquin exemptum: ut eſt Clerus reſpectu Fori ſæcularis

113 Notandum tamen eſt cum Engel *h. t. n.* 20. allegante communem, quod ad conſtituendum publicum Archivium tria requirantur. Primò, ut ſit erectum ab eo, cui jus archivii competere dignoſcitur, quale tantummodò competere Prælatis Eccleſiaſticis majoribus, nempe Epiſcopis, eorumque Superioribus, nec non & illis Dominis temporalibus, qui in ſuis territoriis exercent jura Imperii & Regalium, communis Doctorum ſententia cenſet. Secundò, & ſpecialiter requiritur, ut tale Archivium ſit ſub cuſtodia cujuſdam Officialis, quem antiqui *Commentarienſem*, moderni *Cancellarium* appellant Card. Tuſchus *Litt. A. concl.* 486. *num.* 1. & *ſeqq.* Felinus *c. cum cauſam*, *num.* 7. *de probat.* Scaccia *d. lib.* 2. *c.* 11. *nu.* 761. Engel *loc. cit.* & alii. Tertiò, ut is in productione ſcripturæ alicujus teſtetur, ejuſmodi ſcripturam inter alia Inſtrumenta authentica in tali Archivio, ſeu Cancellaria repertam, & aſſervatam fuiſſe, conformiter dictis ſuprà *n.* 105. & 157.

114 Quæritur II. Quid dicendum de Archiviis Monaſteriorum, ac hujuſmodi? Reſp. I. Archiviis Monaſteriorum, Civitatum, & perſonarum illuſtrium quibus nec Cancellarius, nec jura Regalium ſuffragantur, atque ſcripturis, vel libris inde depromptis ex titulo Archivii nulla authoritas competit. Ita Sigiſm. Scaccia *lib.* 2. *de Judiciis*, *c.* 11. *n.* 760. Engel *h. t. n.* 21. Genova *de Scripturis privatis lib.* 5. §. 1. *n.* 30. citans Rotam *die* 3. *Decemb.* 1548. *in cauſa Terraconenſi Parochialis*, *teſte Puteo lib.* 3. *dec.* 186. & alios; atque aſſerens, hanc eſſe receptiſſimam ſententiam. Ratio eſt: quia talia archivia ſunt privata duntaxat, cum eis deficiant conditiones ad Archivium publicum requiſitæ; ac proin exinde nequit ipſis accreſcere major vis, atque authoritas probandi. Unde conſequens eſt, quod ipſis regulariter non credatur, præſertim quando allegantur ad probanda propria ſua jura; ſicque in commodum ſuum, & aliorum præjudicium, *l. Exemplo C. de prob.* ibi: *Exemplo perniciosum eſt, ut ei ſcripturæ credatur, qua unuſquiſque ſibi annotatione propria debitorem conſtituit*: cum ſimilibus.

115 Infertur proinde, quod ſi reperiatur in libro Monaſterii, rem meam eſſe eidem traditam, ex hoc ſolo mihi præjudicium non inferatur: niſi ego conſentiam, vel aliæ probationes ſuppetant. Genova *cit. lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 2. & 9. poſt Matthæum de Afflictis *dec.* 364. *num.* 7 & alios. Item, ſi in libro Monaſterii ſint deſcriptæ ſolutiones canonum, aut cenſuum, ex hoc ſolo non ſequitur probatio cenſus, aut emphyteuſis. Abbas *Conſil.* 67. *circa med. lib.* 2. Genova *citat. cap.* 1 *numer.* 3. Cravetta *d. tract. de antiqu. tempor.* §. *quid in libro*, *numero* 2. citans Ancharanum *Conſ.* 44. *poſt mediclanenſ.* Joan: de Annania *Conſ.* 84. & Paulum de Caſtro *conſ.* 105. *lib.* 1.

116 Fatendum quidem, quod Romanus *conſ.* 127. *circa princ.* teneat, quod libri Monaſteriorum, & ſimilium locorum, talem ſolutionem continentibus, plena ſit adhibenda fides, per textum *in l. Cenſus ff. de probat.* & *c. Ad audientiam*, *de præſcript.* Cui ſententiæ etiam favent Boerius *deciſ.* 105. *numer.* 13. Pariſius *conſ.* 7. *num.* 4. Decius *conſ.* 147. *num.* 14. pluresque alii, quos pro hac ſententia allegat Genova *citat. lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 6. qui tamen dictam Romani ſententiam procedere ajunt concurrentibus aliis conjecturis. Ac Hippolytus Riminal. *conſ.* 506. *num.* 19. ubi docet, Libris Monaſteriorum eſſe credendum, in quibus apparent ſolutiones factæ per plures ipſorum Procuratores, & Oeconomos jam defunctos: quia non eſt veriſimile, quod mori voluiſſent in peccato falſitatis.

117 Verùm duo illa Jura, per Romanum allegata, iſtud non convincunt: nam textus *in d. l. Cenſus ff. de probat.* intelligitur in publicis inſtrumentis receptis manu Notarii, quæ habent fidem indubitatam. Cravetta *ct.* § *quid in libro*



*libro n.* 9. poſt Felinum, & alios. Textus autem *in d. c. ad audientiam de præſcr.* loquitur de publico Archivio Pontificio, non de privato monaſteriorum, & ſimilium locorum. Nec multum urgent cæteri authores, utpotè qui vel loquuntur concurrentibus aliis adminiculis, ſeu conjecturis, ut dictum, vel commodè poſſunt explicari, quod loquantur in factis antiquis, aut in aliis caſibus illicò aſſerendis, in quibus datam Concluſionem eſſe limitandam, ultrò fatendum. Hinc

118 Reſp. II. Nihilominùs data Concluſio patitur nonnullas limitationes; danturque certi caſus, in quibus libri ex archiviis Monaſteriorum, Civitatum, aut ſimilium locorum extracti, plenè vel quaſi plenè probant. Et primò quidem id contingit, quando Monaſterio, Principi, vel Civitati, competunt jura Imperii, ac Regalium, ſicque etiam publici archivii: nam tunc procedunt dicta ſuperius *n.* 108. Idemque dicendum, quando libri illi ſunt ſcripti in forma publica, aut inter ſcripturas publicas in loco publico ad hoc deſtinato, & per Officiales publicos ad id deputatos cuſtodiuntur: quia tunc etiam plenè probant, juxta dicta *nu.* 103. & *ſeqq.* & tradit Alexander *conſ.* 187. *n.* 2. *lib.* 7. cum aliis pluribus. Sed hi duo caſus ſunt extra propoſitum noſtrum.

119 Secundo limitatur data Concluſio, quando libri in archivio Monaſterii, vel Civitatis &c. aſſervati, communiter habentur pro authenticis, atque in dubio hactenus ad eos recurri conſuevit: nam tunc antiqua conſuetudo eiſdem tribuit authoritatem, ſicque ipſis plena fides adhibetur. Alexander *ct. conſ.* 187. *n.* 2. *lib.* 7. Cravetta *loc. c. n.* 6. iſtud probans ex *c. cum dilectus* 9. *de Fide Inſtr.* juncta Gl. ℣. *approbata* & *DD. ib.* Genova *c. c.* 1. *n.* 30. iſtud amplians ad Decretum Principis, quo ſancitur, ut talibus libris Monaſteriorum plena fides adhibeatur: Intellige, niſi ex aliis gravibus cauſis contrarium videatur Judici tenendum.

120 Tertiò limitatur in parvis Summis, ſeu quando agitur de modico præjudicio: tunc enim talibus libris Monaſteriorum, Civitatum &c. datur plena fides. Cravetta *c.* §. *quid in lib.* 10. *n.* 4. allegans Ancharanum *conſ.* 44 *n.* 6. atque iſtud extendens ad libros rationum Adminiſtratoris; nam ei creditur in ſummis parvis, & veriſimilibus cum juramento, ſi vivit: aliàs mors ſupplebit efficaciam juramenti. Maſcardus *de prob. concl.* 977. *n.* 58. iſtud à pari dicens de libris Mercatorum, quibus ſtandum eſt in poſtis minutis. Genova *c. c.* 1. *n.* 20. allegans communem, atque ampliùs dicetur *infrà* §. 7. *n.* 208. & 214.

121 Quartò limitatur in Factis antiquis, præſertim hominum memoriam excedentibus: ſiquidem in antiquis univerſaliter, propter difficultatem probationum, leviores probationes acceptantur, *c. cum cauſam* 13. *de prob.* cum ſimilibus. Unde quod libri Eccleſiarum antiqui, propter eorum antiquitatem, probent pro Eccleſia; textus eſt *in dict. capit. cum cauſam* juncta Gloſſ. ℣. *per libros antiquos*, *de prob.* ac notat Speculator *tit. de probat.* §. *Videndum numer.* 12. Abbas *conſ.* 74. *numer.* 1. *lib.* 1. Genova *loc. cit. num.* 14. Maſcardus *d. concl.* 977. *nu.* 57. allegans alios. Atque iſtud vel maximè locum habet, quando agitur de probandis finibus, ac territorio: utpote de quibus in *c. c. cum cauſam*, *de prob.* ex profeſſo agitur.

122 Idipſum procedit, quando ex libris Monaſterii clarè conſtat de ſolutione decennali uniformi cenſuum: quia non eſt veriſimile, quod viri Religioſi, vel Procuratores ipſorum, longo tempore falſo & fraudulenter annotaſſent factam ejuſmodi ſolutionem; ac proinde, niſi aliunde forent ſuſpecti, merito creditur ipſis etiam in præjudicium tertii, ſive ſolventium. Genova *cit. lib.* 5. *de Scriptura privata c.* 2. *n.* 11. & *ſeqq.* allegans Baldum *in L. fin. n.* 9. *C. ſine cenſu vel reliquis* &c. Ubi ait, ſolitam ſolutionem cenſus rectè probari per libros cenſuales continentes uniformem ſolutionem; nec ultra aliud inquirendum, ſi per decennium ita conſuetum fuiſſe, ſcriptum legatur, niſi contrarium probetur: quia hic non quæritur, an talia bona ſint Monaſterii, vel cenſualia, ſed hoc ſuppoſito tantummodò tractatur, quid, & quantum ſit præſtari ſolitum.

123 Quod ſi verò agatur de probando dominio, vel poſſeſſione illius, tunc requiritur majus tempus; videlicet tempus quadraginta annorum, ſi ſermo ſit de bonis Eccleſiæ, *arg. c. de quarta* juncta Gl. *ib.* ℣. *quadragenaria*, *de præſcr.* & *c. Olim cauſam* 20. *de Cenſib.* Maſcardus *de prob. concl.* 279. *n.* 1. & 2. allegans alios. Quamquam in rebus privatorum ſufficiant triginta anni, *c. Sanctorum*, juncta Gl. ℣. *Sincerè de præſcr.* Maſcardus *loc. cit n.* 3. Jul. Clarus §. *de Feudis*, *q.* 19. Genova, *ubi ſupr. n.* 13. cum aliis, quos citant.



124 Quartò limitatur, quando agitur contra ipſum Monaſterium: tunc enim contra iſtud ex ejuſdem libris plena, & indubitata fides inducitur. Abbas *conſ.* 67. *n.* 2. ℣. *nam ut apparet lib.* 2. Cravetta *cit.* §. *quid in libro n.* 6. poſt Ancharanum *conſ.* 42. Engel *h. t. n.* 21. Genova *c. c.* 1. *num.* 29. cum aliis. Nam generale eſt, quod ſcripturæ, ſeu inſtrumenta privata valeant in præjudicium illorum, qui ea ſcribunt, *l. Generaliter C. de non numerat. pec.* licet non ad commodum eorum. Gl. *c.* 2. §. *Authentica h. t.*

125 Quintò limitatur, quando unus ſubditus tales libros, ſeu ſcripturas Monaſterii, allegat contra alium ſubditum ipſius: tunc enim ceſſat omnis præſumptio fraudis, atque falſitatis, ob parem affectionem Domini erga ſubditos ſuos, *arg. l. Non ſolum* §. *de uno ff. de riptu nupt.* ſicque inde colligitur efficax probatio. Tacentur nonnullæ aliæ limitationes, apud Authores proximè relatos videndæ, quibus accedunt dicenda inferius §. 7. *de Libris rationum*; &c. *n.* 200. & *ſeqq.*

126 Quæritur IV. Quam vim probandi habeant Libri Parochorum, cæteroquin non habentium ſpeciale archivium? Ubi prænotandum, quod juxta præſcriptum Conc. Trid *ſeſſ.* 24. *c.* 1. & 2. *de ref. matr.* Parochus præcipuè teneatur habere duos libros, videlicet baptiſmalem, & matrimonialem. In priori tenetur diligenter inſcribere nomina eorum, quos baptizat, ſimulque illorum, qui Baptizatum de ſacro Fonte ſuſcipiunt, nec non nomen patris & matris ipſius baptizati; ut impoſterum tum ætas baptizati, tum cognatio ſpiritualis ex Baptiſmo ſuborta, inde probari valeat. In poſteriori autem, ſive in Libro matrimoniali, tenetur Parochus conjugum ipſo contrahentium, & teſtium nomina, diemque & locum contracti matrimonii deſcribere, quem diligenter apud ſe cuſtodiat. Præterea debet Parochus habere librum, in quo deſcribatur mors Sepultorum in ſua Eccleſia: item Librum, in quo continentur annotati redditus, jura, & bona Eccleſiæ ſuæ. Quo prænotato

127 Reſp. I. Libri Parochiales de quorundam Baptiſmo, Matrimonio, vel morte atteſtantes, & contenta in ipſis ad Parochi officium pertinentia, plenè probant. Ita Pax Jordanus *tom.* 3. *tit. de Fide inſtrum nu.* 48. allegans Rotam *dec.* 321. *n.* 3. *p.* 1. *noviſ.* ubi reſolvitur, ſufficienter probari mortem alicujus ex libro Parochi, in quo mortui adnotantur: quod à pari dicendum de Baptiſmo, Confirmatione, Matrimonio, & ſimilibus. Genova *cit. lib.* 5. *c.* 2. *q.* 1. & 2. Maſcardus *de prob. concl.* 673. *n.* 1. & *ſeqq.* allegans plurimos alios. Ratio eſt: quia, licet Liber Parochialis non ſit publicus, id eſt, manu publici Notarii cum debitis ſolemnitatibus Juris conſcriptus: nihilominus authoritate Sacr. Conc. Trid. induſtria, & fides Parochi eſt electa ad conſcribendum talem librum; ergo indubitanter fides tali libro eſt adhibenda. Alioquin enim fruſtrà à Generali Concilio fuiſſet Parocho impoſitum onus regiſtrandi talia in ſuo libro, niſi fidem apud omnes publicè faceret, & plenè probaret. Intellige, dummodo aliunde de oppoſita non conſtet, aut de errore doceatur; qua ratione etiam inſtrumentum publicum Notarii impugnari poſſe, infra §. 10. 293. 294. & 304. *ac ſeqq.* dicetur.

128 Reſp. II. Libri Parochiales, in quibus annotantur redditus, jura, & bona Eccleſiæ ſuæ, non aliter probant, ac libri & ſcripturæ, quæ aſſervantur in Archiviis Monaſteriorum, de quibus proximè dictum eſt. Ratio diſparitatis inter hos, & priores libros eſt: quia ex libro Baptiſmali, Matrimoniali, & Mortuali, nihil proprii commodi, atque emolumenti provenit Parocho; unde tunc ceſſat ratio ſiniſtræ ſuſpicionis contra ipſum: ſecùs dicendum de Libris reddituum &c. utpote in quibus agitur de proprio commodo Parochi.

## §. V.

## De Scripturis privatis, earumque diviſione, authentizatione, & probatione: ubi & de Comparatione litterarum.

*S U M M A R I U M.*

129 *Scripturæ privatæ, quæ?*
130 *Triplex eſt ſpecies earum. Et n. ſeqq.*
131 *Apocha generatim, &*
132 *Apocha ſpecialiùs accepta, quid?*
133 *Antapocha, ejuſque utilitas.*
134 *Syngrapha,*
135 *Liber rationum.*
136 *Inventarium, & Epiſtola, quid?*
137 *Scriptura, ſive inſtrumentum privatum, adhuc tripliciter dividitur.*
138 *Scriptura privata tibi tantùm facta, quæ?*
*Hæc regulariter non probat in commodum ſcribentium Ibid.*
139 *Adeò, ut etiam Rationes defuncti, ad probationem ſibi debitæ quantitatis ſolæ non ſufficiant.*
*Idem dicendum, ſi defunctus in ultima voluntate ſibi quid deberi ſignificaverit. Ib.*
140 *Scriptura privata alteri tantum facta, quæ?*
*Hæc regulariter plenè probat contra ſcribentem. Ib.*
141 *Scriptura privata tibi & alteri facta, quæ?*
142 *Scriptura privata alia eſt authentica, alia non authentica; quæ?*
143 *Scripturæ privatæ pluribus modis authentizantur, ita ut plenam fidem faciant. Et numer. ſeqq. Videlicet.*
144 *I. Per ſubſcriptionem propriæ manus, ac trium teſtium viventium.*
145 *Quid, ſi teſtes intereà ſunt mortui?*
146 *II. Per appoſitionem ſigilli authentici majoris Magiſtratus &c.*
147 *Idem dicendum, quando ſcriptura cæteroquin privata, cum debitis ſolemnitatibus eſt ſubſcripta, & ſigillata à publico Notario: ſecus, ſi eam confecit non ut Notarius.*
148 *III. Per ſubſcriptionem partium non negatam.*
149 *IV. Per ſubſequentem Judicis examinationem, & approbationem.*
150 *V. Per deputationem loci, ſeu ratione publici Archivii.*
151 *Scriptura privata, in Archivio publico fideliter cuſtodita, plenè probat; & quando?*
152 *VI. Ex longi temporis obſervatione.*
153 *VII. Scriptura cenſetur authentica, quæ confecta eſt ſecundum morem, & conſuetudinem Regionis: & ratio hujus.*
154 *Stante conſuetudine iſta, vel ſtatuto loci, datur ſcripturæ illi fides ubique locorum.*
155 *Statutum exiſtens in Curia Mercatorum, ut ſcripturæ mercatoris adhibeatur fides, debet ſervari in quolibet Foro.*
156 *Scriptura privata habens aliquod tale ſupplementum, dicitur Inſtrumentum publicum.*
*Inſtrumentum omnino privatum, quod; & an aliqua fides eidem adhibenda? Ib.*
157 & 158 *Scriptura privata, v. g. Apocha vel Epiſtola, quando negatur eſſe illius, contra quem producitur, nihil probat,*
159 *Donec oppoſitum per producentem oſtendatur. Et num. præced.*
160 *Iſtud poteſt imprimis probari per appenſum ſigillum illius.*
161 *Dummodo dolus in appoſitione ſigilli non videatur interveniſſe.*
162 *Deinde poteſt illud probari per teſtes, qui interfuerunt ſcriptioni &c.*
163 *Et quot teſtes ad id requirantur? Et n. ſeqq.*
*Quando tres teſtes fuerunt ſubſcripti, ſufficit, quod recognoſcant ſcripturam. Ib.*
164 *Si teſtes deponant ſuper contractu, ſeu de contentis in ſcriptura, tunc ſufficiunt duo teſtes pro ejus probatione.*
165 *Inſuper Apocham, v. g. ſeu Epiſtolam, manu cujuſpiam fuiſſe conſcriptam poteſt probari per comparationem litterarum &c.*
166 *Comparatio litterarum, quam vim probandi habeat? Et num ſeqq.*
*Ea eſt periculoſa; & cur. Ib.*
*Scriptura ejuſdem hominis ſolet mutari. Ib.*
167 *Comparatio litterarum ſe ſola plene non probat.*
*An ſaltem probet ſemiplenè? Ib.*
168 *Comparatio litterarum, qua forma, & quo ordine fieri debeat?*
169 *Ea non habet locum, niſi ipſam petens juret, ſe non habere alias probationes.*

129 QUæritur I. Quid, & quotuplex ſit Scriptura privata? Reſp. I. *Scripturæ privatæ* dicuntur, quæ à perſonis privatis fiunt; non autem à Notario in forma ſolemni ſunt confectæ, nec alias publicam authoritatem obtinent: ut dictum *§. 1. n. 6. & ſeqq.*

130 Reſp. II. Triplex eſt ſpecies Scripturarum privatarum; videlicet, Apochæ, Libri rationum, & Epiſtolæ. Ita Bartolus *in Auth. at ſi contractus §. Ut igitur. C. de Fide Inſtrum.* Iaſon *in repet. l. admonendi num. 87. ff. de Jurejurand.* Maſcardus *de probationib. Quæſt. 6. n. 26.* & alii. Nec obſtat, quod præter enumeratas etiam dentur Antapochæ, Syngraphæ, & inventaria privata. Nam iſta commodè ad unam prædictarum trium ſpecierum reducuntur: uti patebit ex explicationibus ſingulorum.

131 *Apocha* generatim dicitur ſcriptura, quæ datur à parte parti, ut inquit Bartolus *ubi ſuprà*. Et hac ratione complectitur ſub ſe tum Apocham ſpecialiùs dictam, tum Antapocham, & Syngrapham.

132 *Apocha* ſpecialius accepta dicitur ſcriptura, ſeu Chyrographum creditoris, confitentis de recepta, ſibique per debitorem ritè perſoluta pecunia, aut alia re debita. Et hæc alio nomine vocatur *quietantia* (vulgò, *e in quitung*) de qua fit mentio *in l. plures C. de Fide inſtrument.* ubi Gloſſa ℣. *Apochis*, inquit: *Apocha eſt de receptis, putà, Confiteor me recepiſſe tantum: & à creditore fit, & datur debitori.*

133 *Antapocha* econtrà eſt de ſolutis: ſive, eſt ſcriptura debitoris, in qua is confitetur ſe tantum vel tantum ſolviſſe nomine annui, v. g. cenſus, ſeu penſionis. Gl. *loc. ci.* Utile ſiquidem eſt creditori, tales antapochas recipere, ut paratam habeat probationem juris ſui, v. g. recipiendi ab altero tantum pro annuo cenſu, ne alter vel debitum ſucceſſu temporis negare, vel præſcriptionem prætendere queat, *arg. cit. l. plures C. de Fide inſtr.*

134 *Syngrapha*, latinè *Conſcriptio*, dicitur illa ſcriptura, quæ in alicujus rei fidem fit à pluribus, & utrique parti tradi ſolet. Anton. Nebriſſenſis *in Vocabulario Juris* ℣. *Syngrapha.* Sive, ut loquitur Calepinus, *Syngrapha* eſt ſcriptura, ſeu ſchedula, quæ fit propria manu contrahentium, ad pactorum fidem; Unde patet, quod reducatur ad Epocham generatim acceptam.

135 *Liber rationum* eſt ſcriptura privata, quam quilibet ſua ſponte de datis, & acceptis, ſibi conficit. Sive, ut *l. Si quis ex argentariis. §. Rationem ff. de edendo*, dicitur: *Ratio* (hoc eſt, *Liber rationum*, ut explicat Gloſſa ib.) *eſt ultrò citroque dandi, accipiendi, credendi, obligandi, ſolvendi ſui cauſa negotiatio.* Quod intellige, quando ſcripturæ hujuſmodi reperiuntur in forma rationis, & non in aliqua tantum ſchedula, vel memoriali annotato: nam iſtud non meretur nomen *Libri*. Et tales libri rationum communiter ſolent fieri à Tutoribus, Curatoribus, atque negotiorum alienorum Geſtoribus, ſicut & à Mercatoribus, & hujuſmodi.

136 Porrò ad Librorum rationem commodè reducitur *Inventarium privatum*, utpote pariter ſua ſponte de rebus propriis confectum: ad hoc videlicet, ut impoſterum ſciatur, quantum eo tempore, vel die, quo ſcribebatur, in bonis ſuis contentum fuerit. *Epiſtola* tandem eſt ſcriptura privata, quam quis alicui abſenti mittit.

137 Reſp. III. Scriptura privata, ſive Inſtrumentum privatum, adhuc tripliciter dividitur: nam aliquando facis ſcripturam privatam tibi tantum, aliquando alii tantum, aliquando tibi & alii. Ita Speculator *tit. de inſtrumentorum editione. §. Nunc dicendum n. 4.* eſtque in re communis.



138 *Scriptura privata tibi tantum facta*, cenſetur illa, in qua quidpiam ſcriptum, ſive annotatum habetur in tuum duntaxat commodum: ut putà, quod Titius tantum, vel tantum tibi debeat. Et hujuſmodi ſcripturæ regulariter non probant in commodum ſcribentium; prout habetur expreſſum *in l. exemplo. C. de prob.* illis verbis: *Exemplo pernicioſum eſt, ut ei ſcripturæ credatur, qua unuſquiſque ſibi annotatione propria debitorem conſtituit.* Concordat textus *in L. ult. C. de conveniend. fiſci debitorib. lib. 10. ibi: Iniquiſſimum eſſe perſpeximus, ut ſub propria annotationis manu unuſquiſque ſibi faciat debitorem.* Ratio hujus clara eſt; quia alioquin aperiretur via plurimis fraudibus, ac injuſtitiis, ſi ſola propria annotatione poſſet quis alium ſibi debitorem eſſe convincere; ſic enim poſſet quilibet perverſus plurima in ſui favorem, & aliorum præjudicium annotare. Accedit, quod privatæ ſcripturæ alicujus non plùs debeat credi, quàm vivæ voci ejuſdem: ſed ſi quis viva voce deponeret pro ſe, nihil ei crederetur, *l. Omnibus. C. de Teſtib.* ergo.

139 Et hoc adeo verum eſt, ut quamvis nemo in extremis conſtitutus, præſumatur eſſe immemor ſuæ ſalutis: nihilominus *Rationes defuncti, quæ in bonis ejus reperiuntur, ad probationem ſibi debitæ quantitatis ſolæ non ſufficiant. Ejuſdem juris eſt, etſi in ultima voluntate defunctus certam pecuniæ quantitatem, aut etiam res certas ſibi deberi ſignificaverit:* prout his ipſis verbis deciſum habetur *l. rationes C. de prob.* Quamquam in hac ipſa authoritate bene ſit ponderandum ly *ſolæ non ſufficiant*: etenim, quod concurrentibus aliis adminiculis ſcripturæ privatæ etiam probent in commodum ſcribentis, infra *§ ſeq. n. 186. 187. & ſeqq.* amplius declarabitur.

140 *Scriptura privata alteri tantùm facta* dicitur ea, quam feciſti contra te in commodum alterius duntaxat: ut eſt apocha in qua confiteris, te debere Titio centum ratione mutui, aut hujuſmodi. Et tali ſcripturæ regulariter ſtatur, pleneque ea probat contra ſcribentem; prout liquet ex *l. Publia Mævia §. fin. ff. Depoſiti*: atque amplius dicetur infrà *n. 170. 174 & ſeqq.* afferendo ſimul quaſdam hujus limitationes.

141 *Scriptura privata tibi & alteri facta* intelligitur, in qua agitur de commodo, & damno tam tuo, quam alterius: ut eſt Liberationum, in quo habetur annotata ratio dati, & accepti; item Liber cenſualis, ac hujuſmodi. Et huic interdum creditur, aliàs verò non, *arg. l. Si quis ex argentariis & l. Quædam §. Nummularios ff. de Edendo*, cum ſimilibus; atque ex profeſſo examinabitur infrà *§. 7. per totum*.

142 Reſp. IV. Tandem ſcriptura privata alia eſt authentica, alia non authentica. *Scriptura privata authentica* vocatur, quæ licèt originaliter ſit privata, certis tamen modis roboratur, ſeu authentizatur; adeo, ut ex ſe plenam fidem faciat in judicio. *Scriptura privata non authentica* econtrà eſt, quæ eſt deſtituta omni tali ſupplemento, ſeu robore; ac proinde fidem, plenamque probationem non facit. Ita Pax Jordanus *tom. 3. tit. de Fide Inſtrum. n. 5. & 13.* atque concordant dicta ſuperius *§. 1. n. 13.* Quod ut adhuc meliùs intelligatur.

143 Quæritur II. Quibus modis Scripturæ privatæ authentizentur, ita ut plenam fidem faciant? Reſp. Id pluribus modis accidere: adeò, ut Jo: Andreas *in Additione magna ad Speculatorem tit. de Inſtrum. edition. §. 7. Nunc dicendum*, ſeptem talia ſupplementa enumeret; & Pax Jordanus *loc. cit. nu. 5. & ſeqq.* novem referat modos authentizandi Scripturas privatas. Similia habet Jaſon *in Leg. admonendi, numer. 77. & 78. & in repet. cit. l. admonendi. à numer. 91. uſque ad num. 109. ff. de Jurejurand.* & Maſcardus *de prob. concl. 109. & ſeqq. & concl.* 1301. allegans alios.

144 Primò quidem ſcriptura privata authentizatur per ſubſcriptionem propriæ manus, ac trium teſtium adhuc viventium probatæ opinionis. Talis enim ſolemnitas ſupplet, & dat vires publici inſtrumenti, *l. Scripturas. C. qui potiores in pignore &c.* Ubi Gloſſa *fin.* illos pervetuſtos verſiculos refert.

*Cautio privata, jam trino teſte notata,*
*Hoc jus eſt nacta, quòd cautio publicè facta.*

145 Additur notanter, *trium teſtium adhuc viventium*. Quia ſcriptura privata cum teſtium ſubſcriptione, poſtmodùm ſuborto dubio, plenam fidem non facit mortuis intereà teſtibus; niſi fuerit etiam ſubſcripta per manum publicam, id eſt, per Notarium, aut ſigillo authentico munita, juxta textum expreſſum *in cap. 2. h. t.* Ubi Gloſſa, Summarium, Abbas, Felinus, Barboſa, aliique paſſim. Concordat *Auth. de inſtrument. cautel. §. ſi verò moriantur omnes. Collat. 6.* ac notat Pax Jordanus *loc. cit. nu. 6.* & Jaſon *cit. repet. l. admonendi n. 109. ff. de Jurejurand.* allegans alios.

Secundo Scriptura, quæ originaliter eſt privata, authentizatur per appoſitionem ſigilli authentici majoris Magiſtratus; ut puta, Epiſcopi, Principis, vel illius, cujus officium eſt in illo loco, vel Curia, publicis ſigillationibus præeſſe. Textus, & DD. *in cit. cap. 2. h. t.* Jo: Andreas *in d. Addit. magna ad Speculatorem* ℣. *Secundum ſupplementum*, & concordant dicta ſuperius *§. 3. num. 77. & 89.* 146

Atque hoc ipſum procedit, quando ejuſmodi ſcriptura, cæteroquin privata, cum debitis ſolemnitatibus ſubſcripta, & ſigillata fuit à publico Notario: quia tunc accipit authoritatem ab ejuſdem manu publica, *cit. cap. 2. h. t.* Secùs, ſi ſcripturam quampiam confecit, aut ſubſcripſit Notarius, non ut Tabellio ſeu perſona publica, ſed ut aliquis alius: quia tunc ſcriptura illa non acquireret majorem firmitatem, quàm à ſubſcriptione alicujus privati. Baldus *cit. cap. 2. n. 5.* ℣. *Sed pone* & Felinus *ib. n. 2. h. t.* Pax Jordanus, *ubi ſuprà, n. 6.* allegans Rotam *Deciſ. 139. num. 4. p. 2. noviſſ.* Maſcardus *de Probat. Concl. 1301. n. 9.* citans alios. 147

Tertiò, Scriptura privata efficitur legitima per ſubſcriptionem ambarum partium, loquendo de contractibus, vel ſcripturis facientibus pro utraque parte: vel ſaltem per ſubſcriptionem illius, contra quem facit; uti fit in mutuo, depoſito, donatione, ac hujuſmodi. Stante enim tali ſubſcriptione, & dummodò hæc rationabiliter non negetur, ſuppletur defectus perſonæ publicæ Notarii, ac teſtium: nam propria confeſſio, præſertim litteris comprehenſa, eſt optima probatio Io: Andreas, *ubi ſuprà,* ℣. *tertium ſupplementum* Pax Iordanus *loc. cit. n. 9.* Abbas *c. 2. n. 2. h. t.* Maſcardus *Concl. 109. nu. 2.* & communis. Quid autem ſit agendum, quando pars negat ſubſcriptionem eſſe ſuam, vel opponit quamdam exceptionem, v. g. non numeratæ pecuniæ, dicetur infrà *n. 157. 158. & ſeqq. & n. 182. & ſeqq.* 148

Quartò, Scriptura privata redditur authentica per ſubſequentem Iudicis examinationem, & approbationem: ut fit in ultimis voluntatibus ſeu teſtamentis, quæ licèt fuerint ſcriptæ à perſona privata, vel etiam à ſervo, tamen coram Iudice aperiuntur, atque examinantur; & ſi teſtes jurent, ita verum eſſe, ſicut ſcriptum eſt, publicantur: ſicque ſcriptura illa teſtamenti redditur authentica, fidemque facit, *l. Publicati*, juncta Gloſſa ℣. *Publicati C. de Teſtam.* Io: Andreas *loc. cit.* ℣. *Et eſt quartum ſupplementum*. Pax Iordanus *n. 10.* Iaſon. *loc. cit. n. 93.* & alii. 149

Quintò, Scripturæ privatæ authentizantur per deputationem loci, ſeu ratione Archivii publici: hoc eſt, quando ipſæ authoritate publica deputantur, ſeu regiſtrantur in publico Archivio, aut pro publicis ſcripturis communiter habentur, & ut tales à Iudicibus ſervantur: uti ſunt Libri cenſuales, Libri æſtimorum ac ſtatutorum, & hujuſmodi: *arg. l. Cenſus* juncta Gl *un. ff. de prob. & c. ad audientiam 13. §. Nos igitur de præſcription.* Io: Andreas *ubi ſuprà* ℣. *Quintum ſupplementum*. Pax Iordanus *loc. cit. num. 11.* & alii. 150

Atque iſtud ampliatur ad aliam ſcripturam privatam, v. g. Apocham, quando reperta eſt fideliter cuſtodita in archivio publico; hoc eſt, in loco, in quo ſolent reponi publicæ ſcripturæ. Talis enim ſcriptura ſine aliqua ſubſcriptione partium, & ſine teſtibus, plenè probat ratione loci, in quo authoritativè aſſervata, & reperta eſt; prout deſumitur ex *Auth. ad hæc C. de Fide inſtr.* atque cum aliis notat Iaſon *cit. repet. l. admonendi n. 97. ff. de Jurejur.* & Abbas *c. 2. n. 6. h. t.* iſtud intelligens, quando ſcriptura illa habet in ſe cauſam ſufficientem; ut *c. Si cautio 14. h. t. & l. Cum de indebito c. de Prob.* Adde etiam, dummodò concurrant conditiones ſuprà *§. 4. n. 103. & ſeqq. & num. 113.* enumeratæ, ubi plura de hoc. 151

152 Sextò, ſcriptura, quæ eſt originaliter privata, redditur authentica ex longi temporis obſervatione: quando videlicet longis retro temporibus, à ſingulis ut publica, & authentica ſervata fuit, *arg. L. 1. §. fin. ff. de Aqua pluvia arcend.* ibi: *Vetuſtatem, vicem legis tenere*, cum ſimilibus Jo: Andreas *loc. cit. V. ſextum eſt temporis obſervatio.*

153 Septimò, ſcriptura cenſetur authentica, quæ confecta eſt ſecundum morem, & conſuetudinem Regionis: habet enim conſuetudo vim efficiendi authenticam ſcripturam, quæ alias non eſſet talis. Gl. *c. cum dilectus V. Approbata* & Felinus *ib. n.* 35. & Abbas *n. 5. & 6 h. t.* citans inſuper Innocentium, & Hoſtienſem. Speculator *tit. de Inſtrum. edit. §. 7. Nunc dicendum n.* 8. Jo: Andreas, *ubi ſuprà V. Septimum ſupplementum*. Pax Iordanus *cit. tom. 3 tit. de Fide Inſtrum. n.* 8. Iaſon *cit. l. admonendi n. 78. ff. de Jurejur.* iſtud tenens non ſolùm de conſuetudine, ſed etiam de Statuto diſponente, ut tali vel tali ſcripturæ privatæ fides adhibeatur. Idque probatur ex *c. c. cum dilectus 9. h. t.* ubi per conſuetudinem patriæ approbatam inſtrumentum habetur authenticum, quod alias non eſſet, uti explicat Gl. Accedit quod conſuetudo det alicui juriſdictionem, quam aliàs non haberet, *c. cum contingat. 13. de Foro comp* junctis concordantiis à Gl. *fin. ib.* relatis: unde non mirum, quod longæva conſuetudo etiam ſcripturæ privatæ poſſit dare robur, & authentizationem. Sic Venetiis ſtatur inſtrumentis ſcriptis per Sacerdotes: atque in multis aliis partibus facit fidem certum ſigillum, certa ſubſcriptio, certa ſtampa, vel formæ impreſſio: ut inquit Io: Andreas *loc. cit.* & Pax Iordanus *d. n.* 8.

154 Porrò ſtante conſuetudine: vel ſtatuto loci, ut ejuſmodi ſcripturis privatis ibidem factis fides adhibeatur, datur ipſis fides ubique locorum, etiamſi alibi judicium agitetur, illæque ſcripturæ producantur. Io. Andreas, & Pax Iordanus, *ubi ſuprà*; & fusè Iaſon *cit. n. 78 & ſeqq.* allegans alios, atque iſtud probans ex illa regula; quia ſcriptura facta in loco ſecundum privilegium loci, probat ubique, *arg. l. Si non ſpeciali C. de Teſt.* & tradit Baldus, & Salycetus *ib. & L. 2. C. quemadmodum teſtamenta aperiantur.*

155 Accedit, quod ſi exiſtat ſtatutum in Curia Mercatorum, ut ſcripturæ Mercatoris adhibeatur fides, tunc illud ſtatutum debeat ſervari in quolibet Foro ſeculari, & Epiſcopali, *L. 2. §. fin. de C. de conſtituta pecun.* ubi dicitur: *Is videlicet, quæ negotiatores indefenſe conſtiterint, in ſua firmitate ſecundum morem uſque adhuc obtinentem durantibus:* ac notat Baldus *ib.* quem citat, & ſequitur Iaſon *loc. cit. n.* 80. quidquid contradicat Gl. *fin. in cit. L. 2. C. de Conſt. pecun.* Nam quod circa Deciſoria litis attendantur conſuetudines, ſtatuta litigantium, jam dictum eſt ſupra *tit. 1. de Judiciis §. 8. n. 227. & 228.*

156 Addit Io: Andreas *in cit. Addit. magna V. Septimum ſupplementum*, quod ſcriptura privata, ſive inſtrumentum privatum, habens aliquod ſupplementum ex proximè enumeratis, dicatur etiam *Inſtrumentum publicum* (quod intellige conformiter dictis ſuprà *§. 1. n. 14 & 16.* ſumendo Inſtrumentum publicum latiùs, ac prout coincidit cum Inſtrumento autheutico.) *Inſtrumentum omnino privatum* verò dicatur illud, quod nullum ſupplementum habet de prædictis. Atque iſtud quandoque patitur modicum defectum: ut ſi eſt ſcriptum cum ſolemnitatibus inſtrumenti publici à perſona magnæ opinionis & fidei, quæ tamen non eſt publicus Notarius. Quandoque habet magnum defectum: ut, ſi eſt ſcriptum à privata perſona ad proprium ſuum commodum. Eſt autem ſecundum qualitatem defectus tali privato inſtrumento fides habenda, quandoque ſemiplena, quandoque minor, quandoque nulla, *arg. l. Inſtrumenta & l. Exemplo. C. de prob.* Ita Io: Andreas *loc. cit.* Verùm occaſione præmiſſorum

157 Quæritur III. Quid juris, quando ſcriptura privata, v. g Apocha, vel Epiſtola, negatur eſſe illius, contra quem producitur; & qualiter oppoſitum probetur, præſertim per comparationem ſcripturarum; quæſtio hæc ſolummodo locum habere poteſt, quando ſcriptura privata nullum habet adminiculum ex proximè enumeratis quo reddatur authentica: alioquin enim plenam fidem faceret, ac proinde non niſi temerè, & per calumniam negaretur; niſi forſan quis illud impugnare valeret, conformiter dicendis infrà §. 9. & 10. *per totum*. Quo prænotato

158 Reſp. I. Quando is, contra quem ſcriptura privata producitur, negat eam eſſe ſuam, vel ſe ipſi conſenſiſſe, ſi dicatur ab alio ſcripta ſuo nomine, certum eſt, ipſam nihil probare, donec oppoſitum per producentem oſtendatur. Textus eſt *in l. Inſtrumenta C. de prob.* ibi: *Inſtrumenta domeſtica ſeu privata teſtatio, ſeu annotatio, ſi non aliis quoque adminiculis adjuvetur, ad probationem ſola non ſufficiunt.* Concordat textus *in c. 2 h. t.* ubi de ſimilibus ſcripturis privatis dicitur, quod *non videntur alicujus firmitatis robur habere.*

159 Reſtat proinde, quod allegantì, ſeu talem ſcripturam privatam producenti, incumbat onus probandi. Nam generale eſt, quod affirmanti incumbat probatio, *L. 2. C. de prob.* cum ſimilibus: *Cum factum negantis per rerum naturam nulla ſit directa probatio*, ut dicitur *can. Accuſator. 6. q. 5. & c. quoniam contra 11. de prob. & l. Actor. C. eod.* ac per hoc patet ad priorem partem propoſitæ quæſtionis: nunc pergendo ad alteram

160 Reſp. II Scripturam privatam, putà Apocham, manu cujuſpiam ſcriptam fuiſſe, vel ſaltem eam ab alio de ipſius voluntate conſcriptam, ſive ſubſcriptam eſſe (quod idem eſt, ac ſi propria manu ſcripſiſſet, *l. Vice donatricis. C. de donation.*) poteſt imprimis probari per appenſum ſigillum illius. Ita Maſcardus *de prob. concl. 330. n. 10.* iſtud *probans ex l. Si qua per calumniam C. de Epiſc. & Cleric.* Accedit ratio: quia ſigillum denotat conſenſum, & ratihabitionem, *arg. l. ſi Fid. juſſ. § Pater Seii ff. de pignorib.* ac tradit idem Maſcardus *Conc. 1301. n. 26.* poſt Romanum *Conſ. 303* & alios. Vel ſaltem maximè adjuvat alias probationes, v. g. comparationem litterarum, de qua proximè, ut inquit Menochius *de arbitr. Jud. lib 2. caſ. 114. n. 21.*

161 Intellige, dummodo dolus in appoſitione ſigilli non videatur interveniſſe: nam eo oſtenſo, ſigillum nihil probaret. Caſus eſt *in c. tertio loco 5. de prob.* ubi ſigillum Capituli furtivè appoſitum cuipiam inſtrumento, nihil probavit. Item *in l. Diſtrahente C. de rebus alienis non alienan.* ubi maritus rem ſuæ uxoris diſtraxit, atque inſtrumentum venditionis ſigillo ſuæ uxoris fraudulenter ſignavit; ſicque uxori non præjudicavit.

162 Reſp. III. Deinde ſcripturam manu, vel de voluntate cuiſpiam eſſe ſcriptam, poteſt probari per teſtes, qui atteſtantur ſe fuiſſe præſentes, quando pars, quæ nunc inſtrumentum negat, illud ſcribebat, vel ab alio ſcribi, ſive nomine ſuo ſubſcribi mandaverat: nam tales teſtes plenè probant. Ita Abbas *c. 2. n. 2. verſ. aut negat pars h. t.* Bartolus *l. Admonendi n. 26. ff. de Jurejur.* & Iaſon *in rep. cit. l. Admonendi num.* 88. Maſcardus *de prob. concl. 110. nu. 1.* allegans alios.

163 Solùm adde, quod ubi teſtes non deponunt de contractu, ſive tenore ipſius, ſed ſolùm, quod talem ſcripturam viderunt confici à convento, ſeu debitore eam nunc negante; ad iſtud plenè probatum requiruntur tres teſtes honeſti fideque digni, nec pauciores ſufficiunt. *Auth. de Inſtr. cautel. §. Si quis igitur, & §. oportet. collat* 6 Et hoc ipſum pariter procedere ſpectato Iure Canonico, tenet Abbas *c. c. 2. n. 2. verſ. Mihi autem*, & Felinus *ib. num. 4 h. t.* Tum quia non reperitur contrarium de Iure Canonico ſtatutum: tum quia alioquin de facili poſſet errari propter ſimilitudinem ſcripturarum; præſertim, ſi teſtes non fuiſſent ſubſcripti. Nam ſi tres teſtes ſubſcripti fuiſſent, non foret neceſſe, ut omnes tres ſcripturam recognoſcant, ſed ſufficere, quod duo ex tribus eam recognoſcant: cenſet Menochius *lib. 2. de Arbitr. Jud. caſ. 114. nu. 3.* id probans ex *l. comparationes litterarum* ubi Gl. *verſ. ſubſcriptiones* Baldus, & Salycetus *C. h. t.* Maſcardus *cit. concl. 110. n. 3.* allegans alios.

164 Quod ſi verò teſtes deponerent de contractu, ſeu de contentis in illa ſcriptura; puta, quia viderunt mutuum contrahi, vel depoſitum, aut ſimile, de quo dicta ſcriptura loquitur: tunc utroque Iure, tam Canonico videlicet, quam Civili, pro ejus probatione ſufficiunt duo teſtes cæteroquin idonei; juxta illam vulgatam Regulam, quod ad legitimam probationem requirantur, & ſufficiant duo teſtes, de qua fusè *tit. 20. de Teſt. ib. §. 8. num. 231. & ſeqq.* dictum eſt. Abbas, & Felinus, *ubi ſuprà* Maſcardus *cit. concl. 110. n. 4.* & alii.

165 Reſp. IV. Inſuper Apocham, v. g. ſeu Epiſtolam, manu cujuſpiam fuiſſe conſcriptam, poteſt probari per comparationem ſcripturarum, ſeu aliarum litterarum ab eodem ſcriptarum, atque approbatarum: & ſi tales non extent, tunc negans ſcripturam ſua manu factam

cogi



cogi poteſt ad ſcribendum, ut inde ſumi valeat comparatio litterarum. Ita deſumitur ex *l. Comparationes litterarum C. h. t.* ac notat Menochius *cit. caſ. 114. n. 11. & 12.* allegans alios. Occaſione cujus

166 Quæritur IV. Quam vim probandi habeat Comparatio litterarum, qualiterque fieri debeat? Reſp. I. Comparatio litterarum eſt valde periculoſa, ac multum in ea relinquendum eſt arbitrio Iudicis, qui tunc oculos habeat lynceos, ac omnia ritè examinet, adhibitis etiam aliis, ſi opus fuerit, in arte peritis. Ita Menochius *loc. cit.* & ratio eſt. Tum quia multi reperiuntur, qui alterius manum ita fingunt, ut illa ipſa ſcriptura eſſe putetur; prout aliquos ſe vidiſſe refert Marſilius *in rubr. C. de prob. n.* 318. & Zaſius *lib. 2. ſingul. reſponſ. cap.* 25. Maſcardus *de prob. concluſ. 330. n. 1.* allegans alios. Tum quia ejuſdem hominis ſcriptura per vitæ decurſum ſolet mutari: non enim ita quis ſcribit iuvenis & robuſtus, ac ſenex, & fortè tremens: ſæpè etiam languor litterarum diſſimilitudinem inducit; quin & calami atque atramenti immutatio, ſimilitudinis litterarum per omnia auſert puritatem; ut habetur *in Auth. de Inſtr. cautel. §. 1. collat. 6.*

167 Reſp. II Comparatio litterarum ſe ſola plenè ac ſimpliciter probare non poteſt ſcripturam manu cujuſpiam eſſe factam: ſed opus eſt aliis adminiculis, ut puta, confeſſione ipſius, vel ſubſcriptione teſtium, aut horum atteſtatione, quod eis præſentibus ſcriptura illa à tali facta ſit, aut proprii ſcribentis ſigilli appoſitione. Ita Gloſſa *in auth. At ſi contractus V. ſoli* & Bartolus *ib. C. h. t.* Menochius *cit. caſ. 114. per totum* id probans inter alia per rationem *n. præc.* allatam. Maſcardus *d. concl. 330. n. 1. & 3. ac ſeqq.* allegans alios. Qui tamen nonnullas hujus dicti limitationes aſſerunt; atque addunt, comparationem litterarum ſaltem ſemiplenè probare, juxta Gl. *fin. l. In bonæ fidei C. de Jurejur.* Bartolum *l. admonend. n. 26. ff. eod.* Felinus *c. 2. n. 14. h. t.* & alios: vel ſaltem Iudicis arbitrio eſſe relinquendum, quantam fidem mereatur ejuſmodi litterarum comparatio; prout melius cenſet Menochius *loc. cit. n. 6.*

168 Reſp. III. Qua forma, & quo ordine, talis comparatio litterarum fieri debeat, tradit inter alios Menochius *cit. caſ. 114. nu. 26. & ſeqq.* dicens, quod ſi Iudex nolit ipſemet facere comparationem (poteſt enim, ſi vult, ex ſuo arbitrio, juxta Baldum *l. Comparationes n. 17. C. h. t.*) tunc ipſe duos, nec pauciores, peritos artis ſcribendi eligere debeat: qui etiam, antequam ad comparationem litterarum deveniant, jurent, quod eam facient, non lucri cauſa, neque inimicitia, vel gratia tenti, juxta textum *cit. l. Comparationes §. Omnes*. Et tunc aſſumant alias ſcripturas ad faciendam ejuſmodi comparationem, quæ ſunt omnino certæ, & veræ illius, qui aſſeritur ſcripſiſſe hanc contentioſam ſcripturam: & quod periti iſti poſteà inſpiciant ſingulas litteras, & elementorum verborumque tractus, ſigna, ſtylum, atque his ſimilia: & tunc Iudici referant, quid egerint, atque judicaverint.

169 His adde, quod ille, qui petit comparationem litterarum fieri, priùs jurare debeat, ſe non habere alias probationes, præter hanc comparationis litterarum probationem. Ita quippe habetur expreſſum *in Auth. de Inſtrument. cautel. §. Si vero nihil Collat.* 6. illis verbis: *Et ipſe qui hoc petit fieri, juret, quia non aliam idoneam habens fidem, ad collationem inſtrumentorum venit, nec quicquam circa eam egit, aut machinatus eſt, quod poſſit fortè veritatem abſcondere.* Ubi Gloſſa *V. Juret.* idipſum confirmat ex *l. Comparationes §. Omnes autem C. h. t* ac notat Menochius *d. caſ. 145. n. 34* citans inſuper Salycetum *in d. l. comparationes verſ. Oppono ſexto.*

## §. VI.

## De fide Scripturarum privatarum, præſertim reſpectu Scribentis.

### S U M M A R I U M.


170 *Scriptura privata confeſſata, regulariter probat plenè contra ſcribentem.*

171 *Confeſſio facta in ſupplicatione Principi porrecta, plenè probat.*

172 *Alicubi ſcriptura privata confeſſata, v. gr. de pecunia mutuò recepta, habet paratam executionem.*

173 *Diſparitas inter confeſſionem extrajudicialem, & ſcripturam privatam.*

174 *Scriptura privata confeſſata, non præjudicat tertio &c.*

175 *Probat tamen contra ſcribentem, ejuſque hæredem. Hæres cenſetur eadem perſona cum defuncto. Ib.*

176 *Probat etiam contra alios Succeſſores, ac tertios, qui habent cauſam ab eo ſcribente. Dummodò recognitio ſcripturæ ſuæ facta ſit ante ceſſionem. Ibid.*

177 *Recognitio propriæ ſcripturæ non trahitur retrò ad tempus factæ ſcripturæ, niſi contra recognoſcentem &c. Et num. 174.*

178 *Scriptura privata in antiquis inducit ſemiplenam probationem contra tertium.*

179 *Scriptura privata, an in omni prorſus caſu plenè probet contra ſcribentem? Et n. ſeqq.*

180 *Regula illa fallit in ſcriptura privata, v. g. cautione, quæ continet debitum, ſed non cauſam debiti.*

181 *Secùs ſi in ea exprimatur cauſa debiti: quia tunc plenè probat.*

182 *Fallit ulterius, quando intra biennium per debitorem opponitur exceptio non numeratæ pecuniæ.*

183 *Aut exceptio non numeratæ dotis.*

184 *Creditores etiam, ſi citiùs dent quietantiam, quàm receperint pecuniam, poſſunt opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, ſed intra triginta dies tantum. Et cur creditoribus minus tempus concedatur ad opponendam dictam exceptionem, quam debitoribus? Ibid.*

185 *Confeſſio qualificata, quod ſcriptura privata fuerit manu ſua ſcripta jocosè ſolùm, an præjudicet confitenti? Remiſſivè.*

186 *Scripturæ privatæ regulariter non probant in commodum ſcribentium.*

187 *Fallit hoc, quando ſcriptura, cæteroquin privata, eſt ſubſcripta a partibus, & tribus teſtibus, qui adhuc vivunt, ipſamque recognoſcunt.*

188 & 189 *Et quid, ſi teſtes jam fuerunt mortui? Paria ſunt, totum ſcribere, vel tantùm ſubſcribere. Num. 189.*

190 *Scriptura privata plenè probat pro ſcribente, quando aliunde eſt authentizata.*

191 *Item de conſenſu, ſeu conventione partium.*

192 *Seu quando fuit producta, & contra eam pars adverſa nihil oppoſuit.*

193 *Epiſtola acceptata, & retenta, abſque eo, quod quis eì expreſſè contradicat, probat contra acceptantem pro ſcribente.*


187 QUæritur I. Utrum, & qualiter Scriptura privata confeſſata probet tum contra ſcribentem, tum etiam contra tertium? Reſp. I. Regula eſt, quod Scriptura privata, v. g. apocha confeſſata, plenè probet contra ſcribentem. Patet hoc ex *l. Publia Mævia §. fin. ff. depoſiti & l. Vice donatricis C de donat. l. & Generaliter C. de non numerat. pec.* Nam propria confeſſio, præſertim litteris comprehenſa, eſt optima probatio: niſi forſan aliis documentis, & probationibus quis probare poſſit, erroneum & falſum eſſe, quod ſcripſerat.

Hinc Iaſon *in l. cum te tranſegiſſe num. 12. C. de Tranſaction.* notanter inquit, quod confeſſio facta in ſupplicatione Principi porrecta plenè probet, etiam parte abſente. Idque deſumitur ex textu *ib.* ubi proin Baldus

in

*in Summario* inquit: *Non eſt minor probatio per confeſſionem, quam probatio per publicum inſtrumentum.* Hoc ipſum, ſeu quod ſcriptura privata agnita, ſeu confeſſata à parte, eandem vim habeat, ac ſi eſſet à publico Notario confecta: tradit Covarruvias *lib. 2. Variar. Reſolut. cap. 11. n. 4.* poſt Bartolum *l. Admonendi nu. 26. ff. de Jurejur.* Alexandrum *Conſil. 191. n. 1. vol. 2.* & alios, id probans per Jura proxime allegata, cum ſimilibus:

172. Quinimò certis in locis ſcriptura privata, puta, chirographum confeſſatum, in quo aliquis fatetur ſe recepiſſe mutuam pecuniam, habet paratam executionem: ita videlicet, ut ſtatim per Judicem ſolutio injungatur Debitori, neque is audiatur ante ſolutionem factam, quamvis velit aliquas exceptiones (altioris tamen indaginis, nec incontinenti probabiles) contra Creditorem proponere. Atque ita in Auſtria receptum eſſe, aſſerit Ludov. Engel *h. t. n. 26.* citans Butingerum *in Proceſſ. judiciar. obſervat. 11. & obſervat. 104. n. 2.* Idemque in Hiſpaniis per Conſtitutionem Madritianam conceſſum eſſe, refert Covarruvias *cit. c. 11. n. 4.* quamvis ultrò fateatur, ſpectato Jure communi, iſtud non procedere.

173 Nec obſtat, quod confeſſio extrajudicialis oretenùs facta plene non probet, *l. Certum §. Si quis abſente* ubi Bartolus *ff. de Confeſſis*, eſtque uberiùs dictum *Tit. 18. de Confeſſis §. 2. n. 49. & 54.* Reſp. enim, diſparitatem eſſe inter eam, & inter ſcripturam privatam: tum quia ſcriptura ſemper loquitur, *arg. l. Ariani C. de Hæretic.* & notat Jaſon *cit. l. cùm te tranſegiſſe num. 13. de Tranſact.* poſt Bartolum *in l. Nuda ratio ff. de Donation.* & alios; adeoque cenſetur etiam loqui in præſentia adverſarii, vel Judicis, ſi ipſi exhibetur. Tum quia cum majori deliberatione, & cautela, ſolemus aliquid ſcribere, quam loqui; ideoque majorem vim habet confeſſio inſtrumentalis, ſeu per litteras, quam ſimpliciter & exabrupto oretenus facta, *arg. L. 1. C. de Uſuris, & l. Sciendum ff. de Verbor. obligat.*

174 Reſp. II. Licet Scriptura privata recognita, ſeu confeſſata, fidem faciat contra ſcribentem, ut dictum, nihilominùs ea non præjudicat tertio: niſi in quantum talis ſcriptura poteſt de jure nocere cuipiam tertio à die factæ illius recognitionis. Ita Abbas *cap. 2. n. 2.* & Felinus *ibid. nu. 12. h. t.* Covarruvias *cit. lib. 2. Variar. Reſolut. cap. 11. n. 4.* Maſcardus *de Probat. Concl. 109. n. 4.* citans alios, addita illa ratione: quia alioquin foret in poteſtate Creditoris, præjudicare tertio: quod eſt abſurdum. Sic *l. Scripturas C. Qui potiores in pignore &c.* cavetur, quod ſcriptura privata cum cauſa, ſi de ipſa conſtet, v. g. per confeſſionem ſcribentis, vim habeat probationis contra ipſum: ita tamen, ut ſi quis jus pignoris, aut hypothecæ ex ea ſibi vendicare contenderit, præferatur ille, qui publico deſuper confecto inſtrumento munitus eſt, etiamſi ſit poſterior; niſi privata ſcriptura illa trino teſte ſubſcripta fuerit, ſicque quaſi publice confecta cenſeatur. Nec immeritò ita ſtatutum fuit, quia alioquin poſſet Debitor ad libitum fraudare priores Creditores jure pignoris, aut hypothecæ, conſtituendo per litteras ſuas, ſub Dato priore conſcriptas, alium anteriorem, prout argumentatur Abbas *loc. cit.*

175 Additur notanter in Concluſione, *niſi in quantum talis ſcriptura poteſt de jure nocere cuipiam tertio &c.* Nam imprimis ſcriptura privata recognita plene probat non ſolùm contra ſcribentem, ſed etiam contra ejus hæredem: atque in hoc ſenſu poteſt nocere tertio. Maſcardus *de Probat. Concl. 1301. nu. 2.* citans alios. Nec immeritò: nam hæres cenſetur eſſe eadem perſona cum defuncto, *Auth. de jurejurando §. 1. Collat. 5.*

176 Deinde ſcriptura privata recognita probat etiam contra alios Succeſſores, ſive univerſales, ſive particulares, ac tertios, qui habent cauſam ab eo ſcribente. Sigiſm. Scaccia *lib. 2. de Judiciis cap. 11. n. 80.* poſt Baldum *Conſil. 26. n. 1. lib. 4.* & alibi. Cravetta *cit. Tom. 17. Tractatuum, tract. de Antiquit. tempor. §. Viſo de Verbis enunciativis num. 15. & 19.* Maſcardus *cit. Concl. 1301. numer. 2.* cum aliis. Quamquam Cravetta *eod. numer. 16.* & poſt ipſum Scaccia *loc. cit.* dictum illud; quod ſcriptura privata fidem faciat etiam contra tertium, habentem cauſam à recognoſcente, non nihil limitent, dum id procedere aſſerunt, dummodò recognitio illa ſcripturæ ſuæ facta ſit ante ceſſionem: ſecùs, ſi poſtea. Quia tunc jam urgeret ratio *n. 174.* allata, ne videlicet poſſit quis alteri ad libitum inferre præjudicium, contra illud lumine naturali notum: *Non debet aliquis alterius odio prægravari*, ut loquitur *Reg. 22. Juris in 6.* cum ſimilibus.

177 Hinc Covarruvias *d. lib. 2. Var. reſol. cap. 11. n. 4.* notat, quod hujuſmodi recognitio propriæ ſcripturæ non trahatur retrò ad tempus factæ illius ſcripturæ, niſi contra recognoſcentem; non verò contra tertium, habentem medio tempore hypothecam: ſiquidem iſte habebit privilegia prioris, & potioris creditoris; prout notatur *in l. Scripturas C. Qui potiores in pignore &c.* juncto textu *ibid.* Atque ob hoc in Concluſione notanter etiam additum fuit ly: *Adde factæ illius recognitionis.*

178 Ulteriùs ſcriptura privata cujuſpiam, cæteroquin fide digni, in antiquis ſemiplenam inducit probationem contra tertium, contra quem ejuſmodi ſcriptura inducitur: dummodò non negetur, vel ſaltem aliunde conſtet, quod ſit ſcriptura illius, qui dicitur eam ſcripſiſſe. Cravetta *cit. Tract. de Antiquitat. tempor. §. Viſo de verbis enunciativis num. 2. & 3.* Jaſon *l. cùm aliquis num. 5. & 6. C. de Jure deliberand.* Maſcardus *cit. Concl. 1301. nu. 1.* allegans alios. Siquidem in antiquis admittuntur leviores probationes propter difficultatem probandi, *c. cùm cauſam 13. de Probat.* juncta Gloſſa *ibid.* cum ſimilibus.

179 Quæritur II. Utrùm Scriptura privata in omni prorſus caſu plene probet contra ſcribentem? Reſp. Negative: nam quædam dantur limitationes hujus Regulæ, adeò ut etiam impræſentiarum locum habeat illud vulgatum: *Nulla regula ſine exceptione.* Idque oſtenditur inductione, adducendo tales fallentias, ſeu limitationes ipſius.

180 Et primò quidem Regula illa fallit in privata ſcriptura, puta, cautione ſeu chirographo; quæ continet quidem debitum, ſed non exprimit cauſam debiti: nam ſi debitor poſtea negaverit, ſe revera debere id, quod in tali ſcriptura continetur, allegando, quod cautio ejuſmodi indebite expoſita, ſeu data fuerit, nulla inde actio, ſeu obligatio oritur in Foro externo, tum Eccleſiaſtico, tum Civili: ſed oportet, ut Actor aliunde probet, illud ex tali vel tali cauſa vere debitum fuiſſe, quod in cautione, ſeu ſcriptura illa privata continetur. Ita communis tum Canoniſtarum, tum Legiſtarum; atque habetur expreſſum *l. cùm de indebito §. fin. ff. de Probat. & c. Si cautio 14. h. t.* utpote quod cum citata Lege concordat, ſicque loquitur: *Si cautio, quam à te indebite proponis expoſitam, indeterminate loquatur, adverſarius tuus tenetur oſtendere debitum, quod continetur in ea.*

181 Secùs dicendum, quando in inſtrumento, ſeu ſcriptura privata, puta, cautione confeſſionata, exprimitur cauſa debiti, v. gr. quod quis debeat Titio centum vi mutui, vel ratione rei emptæ: quia tunc in judicio ſtandum eſt tali ſuæ confeſſioni, & cautio illa plene probat contra ſcribentem, iiſque veluti debitor condemnatur, niſi forſan legitime probet indebitum. Textus eſt *in cit. l. cùm de indebito §. fin. ff. de Probat. & cap. Si cautio 14. h. t.* in quo poſteriori loco, poſt verba *numero præced.* relata, ita ſequitur: *Sed ſi cauſam, propter quam hujuſmodi ſcriptura proceſſerit, expreſſeris in eadem, confeſſioni tuæ ſtatur: niſi probaveris, te id indebite promiſiſſe.* Hæc ibi. Concordant dicta ſuperiùs *Tit. 18. de Confeſſis §. 2. numer. 37. & 49. & ſeqq.* ubi hoc ipſum de confeſſione extrajudiciali, præſente adverſario, cum vel ſine adjectione cauſæ facta, pleniùs declaratur.

182 Secundò fallit data Regula, quando per Debitorem opponitur *Exceptio non numeratæ pecuniæ.* Nam ſi quis in apocha, ſeu chirographo privato fateatur, ſe accepiſſe pecuniam ab altero ſibi mutuatam, quam reverà non recepit (prout non rarò hujuſmodi apochæ ſolent dari, vel mitti ante receptionem pecuniæ, quam quis petit mutuam) tunc competit ipſi certum juris beneficium, quod appellatur *Exceptio non numeratæ pecuniæ.* Hancquippe exceptionem ſi Debitor ſcriptus intra biennium à die dati chirographi oppoſuerit, tunc onus probandi numerationem pecuniæ factam eſſe, in adverſarium transfert, *l. In contractibus & tot. tit. c. de non numerata pecunia*, eſtque communis Doctorum.

183 In dote ſimiliter conſtitutum eſt, ut marito intra biennium concedatur exceptio non numeratæ dotis, *cit. l.*



*In contractibus §. fin. C. eod.* ibi: *Quæ etiam in exceptione non numeratæ dotis locum habere, certum eſt.*

184 Quod ſi etiam Creditores citiùs dent apocham ſeu quietantiam, quam receperint ſolutionem debiti, etiam ipſi poſſunt opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, ſed intra triginta dies tantùm poſt dictæ quietantiæ expoſitionem computandos, *cit. l. In contractibus §. Super c. eod.* Ratio diſparitatis, cur his minus tempus, nempe triginta dierum ſolummodò, Debitoribus verò totum biennium à Jure concedatur, rectè ab Engel *h. t. n. 28.* aſſignatur: quia videlicet Debitor, ſi velit habere pecuniam mutuam, debet ad petitionem Creditoris priùs dare chirographum, ne alioquin mutuum negetur: Creditor verò non ſolùm non cogitur ad reddendum ante receptam ſolutionem chirographum, ſed etiam Debitorem, ſolvere recuſantem, poteſt per media judicialia compellere ad ſolvendum. Unde magis videbatur ſuccurrendum debitori, qui citiùs dedit chirographum, quam creditori.

185 Poſſet hoc loco etiam quæri, an confeſſio qualificata, quod ſcriptura privata fuerit manu ſua ſcripta jocoſe ſolùm, ſive calami experiundi gratia, præjudicet confitenti? Verùm de hoc jam dictum eſt ſupra *Tit. 18. De confeſſis §. 5.* ubi ex profeſſo actum fuit de confeſſione qualificata; ac præſertim *num. 128. & ſeqq.* ubi talis caſus refertur, atque uberius declaratur.

186 Quæritur V. An aliquando Scripturæ privatæ probent in commodum ſcribentium; & quando; Reſp. I. Regulariter loquendo, ſcripturæ privatæ non probant in commodum ſcribentium, *l. Exemplo cap. de Probat. & L. ult. cap. de conveniend. Fiſci debitorib. lib. 10.* ac tradit Gloſſa communiter recepta *in cap. 2. verſ. Authentica h. t.* ubi ponit differentiam inter inſtrumenta publica & privata, quod illa nitantur perpetua firmitate ad damnum, & commodum utriuſque partis: privata verò valeant quidem in præjudicium ſcribentium, *l. Publia Mævia §. fin. ff. Depoſiti*: ad commodum verò eorum minimè: *cit. l. Exemplo & l. Rationes c. de Probat.* eſtque jam dictum ſuprà *n. 138. & ſeq. & n. 170.* & alibi.

187 Reſp. II. Dantur nihilominus aliqui caſus, in quibus Scriptura privata plene probat pro ſcribente, ſeu in commodum ejus. Ita communis; & patet inductione. Sic imprimis ſcriptura cæteroqui privata plene probat pro ſcribente, quando eſt ſubſcripta à partibus, ſimulque à tribus teſtibus: nam ſi teſtes adhuc vivant, & recognoſcant ſcripturam, inſurgit plena probatio, *cap. 2. h. t.* argumento à ſenſu contrario deſumpto; ac tradit Abbas *ibid. num. 5.* Bartolus *l. Scripturas §. fin. c. Qui potiores in pignore &c.* juncta textu *ibid.* tum ibi talis ſcriptura, *quaſi publice confecta* intelligitur. Pax Jordanus *tom. 3. tit. de Fide inſtrument. num. 22.* Engel *h. t. num. 22.* & alii.

188 Quod ſi verò ſcriptura illa eſt ſubſcripta à partibus tantùm, tunc mota deſuper controverſia facit quidem magnam præſumptionem pro ſcribente, ſeu pro altera parte ſubſcribente; non tamen plene probat in commodum ejus contra tertium ſine augmento teſtium, *arg. cit. l. Scripturas c. Qui potiores in pignore &c.* ac notat Bartolus *ibid.* Abbas *loc. cit. n. 4.* Pax Jordanus *n. 20.*

189 Additur notanter, *contra tertium.* Quia contra alteram partem ſimul ſubſcribentem, ejuſque hæredem, bene probabit ſcriptura illa, dummodò non negetur ſubſcriptio, ſed ſit recognita, vel aliter juſtificata. Maſcardus *de Probation concl. 1301. nu. 2.* poſt Speculatorem *tit. de Inſtrument. edition. §. Nunc dicendum numer. 7* Bartolum *Auth. At ſi contractus eod. h. t.* & alios. Nam quod ſcriptura privata recognita, & confeſſata, etiam ſine aliis adminiculis plene probet contra ſcribentem (& conſequenter in commodum alterius partis, ſimul ipſam ſubſcribentis) jam ſupra *numer. 170.* cum communi dictum eſt. Atqui paria ſunt, totum ſcribere, vel tantum ſubſcribere, *l. Si quis argentariis §. cogentur.* juncta Gloſſa *marg. ff. de Edendo & §. 1. Inſtit. de Emption. & vendit.* ibi: *Inſtrumenta conſcripta vel manu propria contrahentium, vel ab alio quidem ſcripta, a contrahentibus autem ſubſcripta*; & tradit Pax Jordanus *loc. cit. nu. 23.* poſt Gabriel. *de Præſump. concl. 3.*

190 Deinde Scriptura privata plene probat pro ſcribente, quando aliunde eſt authentizata: utputa, quia eſt aſſervata in Archivio publico; vel quia eſt munita ſigillo authentico Curiæ, ſeu majoris Magiſtratus; aut quia ex longi temporis obſervantia cenſetur authentica, & hujuſmodi: prout uberius dictum eſt ſupra *§. 5. nu. 146. & ſeqq.*

191 Tertiò, Scriptura privata poteſt plenam fidem facere de conſenſu, ſeu conventione partium. Jaſon *in Repetit. l. Admonendi num. 101. ff. de Jurejurand.* citans alios Ratio eſt: quia quod ſcripturæ privatæ non credatur in commodum ſcribentis, principaliter eſt introductum favore partium, ſeu partis adverſæ; ergo huic favori poſſunt partes renunciare, *c. Si diligenti 12. de Foro compet.* cum ſimilibus: non minus, ac renunciare poſſunt juramento teſtium, *c. Tuis quæſtionibus 39.* juncta Gloſſa *fin. de Teſtib.*

192 Unde Alexander *Conſ. 185. in fin. lib. 6.* & Maſcardus *de Probat. Concl. 1301. num. 18.* citans Jacob. de Aretio, Hoſtienſem, Butrium, & alios, notanter infert, quod quælibet ſcriptura privata probet, habeatque effectum inſtrumenti, quando fuit producta, & contra eam pars adverſa nihil oppoſuit: quia tunc ab hac cenſetur ſcriptura illa approbata, & continere veritatem. Quod tamen procedit duntaxat, quando pars adverſa omnino nihil contra ejuſmodi ſcripturam opponit; videlicet nec expreſſe, puta verbis; nec etiam tacite, ſeu facto ipſo: non ſecùs foret, ſi quid opponeret facto ipſo, puta, petendo ſe abſolvi à petitis partis, *arg. l. Paulus reſpondit, non tantùm verbis ff. Rem ratam haberi*; ac notat Maſcardus *d. n. 18.* & Cravetta *cit. tract. de Antiquit. tempor. par. 1. §. Viſo de Verbis n. 23. & ſeqq.* allegans alios.

193 Quartò, Epiſtola per illum, cui ſcribitur, acceptata, & retenta abſque eo, quòd ei expreſſe contradicat, probat contra illum pro ſcribente: ita ut hoc ipſo debitum, vel obligationem in tali epiſtola expreſſam fateri cenſeatur, quod hanc recipiens non contradixerit, cùm potuerit. Jaſon *cit. Repetit. l. Admonendi num. 142. ff. de Jurejurand.* poſt Bartolum, Baldum, pluresque alios. Idem tenet Alexander *Conſil. 78. num. 2. lib. 1.* Engel *h. t. n. 31.* Idque probatur ex *Clem. 1. de Procurat. & l. Si filius familias abſente, ff. Ad S. C. Macedonian.* ubi Summarium ſic habet: *Ratione conventionis, qui epiſtolam recipit, videtur approbare, quod in epiſtola continetur.* Ubi Gloſſa *V. Contrariæ voluntatis*, inde notat, aliiſque allegatis Juribus firmat, quod *qui non improbat, probat.*

## §. VII.

## De Libris Rationum, fideque ipſorum; nec non de ſculpturis antiquis.

### SUMMARIUM.

194 *Libri rationum, qui, & à quibus confici ſoleant?*

195 *Regulariter non probant plene pro ſcribente, bene tamen contra ipſum.*

196 *Nec probant pro hærede ſcribentis; etiamſi ſuccedat Fiſcus, aut Eccleſia.*

197 *Fœneratores, cur cogantur edere Libros rationum ſuarum?*

198 *Liber rationum probat contra ſcribentem, etiamſi ſit ſcriptus manu alterius de ſua voluntate.*

199 *Et quid, ſi Principalis neget, talem Librum rationum manu alterius de ſua voluntate eſſe ſcriptum?*

200 *Dantur nihilominus aliqui caſus, in quibus Liber rationum probat pro ſcribente. Et n. ſeqq.*

201 *Iſtud fieri poteſt publica Lege ſic diſponente: ut antiquitus probarunt libri Argentariorum, & Numulariorum.*

202 *Item conſuetudine, vel Statuto ſpeciali; prout alicubi probant Libri mercatorum.*

203 *Saltem uſque ad certam quantitatem: alias conſuetudo illa non eſſet rationabilis.*

204 *Quod ſi alicubi vigeat talis conſuetudo, vel Statutum, ſine aliqua taxatione quantitatis, tunc hæc erit arbitraria Judici.*

205 *Debet quoque ejuſmodi conſuetudo, vel Statutum intelligi, niſi Mercator ſit ſuſpectæ vitæ.*

206 *Liber rationum defuncti, qui fuit vir bonus, facit pro hæ-*

re-

*rede non ſolùm præſumptionem, ſed etiam ſemiplenam probationem &c.*

207 *Non verò plenam, niſi aliis adminiculis adjuvetur.*

208 *Libro rationum Tutoris, Mercatoris, ſeu alterius Adminiſtratoris viventis, prævio ſcribentis juramento ſtatur in parvis ac veriſimilibus ſummis, dummodo ille ſit vir legalis.*

209 *Secùs dicendum in magnis ſummis niſi concurrant legitimæ probationes, vel ſufficientia adminicula.*

210 *Adminicula hujuſmodi, quibus probari poteſt veritas Libri rationum, ſunt plura. Et n. ſeqq.*

211 *Ut eſt Legalitas conſcribentis librum rationis &c.*

212 *Quod hic ſolemniter ſit factus in forma Libri rationum, & contineat ſimul data, & accepta.*

213 *Quod in eo addatur cauſa, ex qua aliquid datum & expenſum fuit, una cum anno, menſe & die.*

214 *Quod ex veriſimilibus conjecturis præſumi poſſit, verum eſſe illud, quod quis in Libro rationum ſuarum annotavit. Idque exemplificatur.*

215 *Quod Liber rationum ſit candidus, ſeu carens cancellationibus, & ſuperinductionibus.*

216 *Adminiculum ejuſmodi eſt etiam juramentum illius, qui Librum rationum compoſuit, quod contenta in eo ſint vera.*

217 *Quale juramentum præſtatur, quando ſcribens à principio ſui officii non depoſuit juramentum.*

218 *In defunctis, qui olim ſcripſerant Librum rationis, ſupplet mors efficaciam juramenti.*

*Tantum importat mors, quantum juramentum. Ibid.*

219 *Ut Liber rationum probet pro ſcribente, requiritur, ut is ad petitionem partis exhibeatur.*

220 *Et quod in eo ſolùm ſint deſcriptæ res pertinentes ad officium, de quo tractatur; non verò aliæ.*

*Item, ut Liber rationum ſit compaginatus, non autem in foliis volitantibus. Ibid.*

221 *Per Sculpturas, vel Litteras antiquas marmoribus inciſas, poſſunt probari facta antiqua.*

222 *Et quidem plene, quando de nullius præjudicio agitur.*

223 *Probatio ducta ab armis ſculptis, vel depictis in monumentis, Capellis &c. attenditur.*

224 *Item, ſi factum eſt antiquiſſimum, & agitur de modico præjudicio.*

225 *Lapides, ſeu columnæ terminorum, probant confinia.*

226 *Inſcriptio in antiquis probat jus patronatus.*

227 *Ubi agitur de magno præjudicio, tunc Sculpturæ, ſeu Litteræ antiquæ marmoribus inciſæ, ſolùm probant ſemiplene, niſi aliis adminiculis adjuventur.*

228 *Quænam adminicula, indicia & præſumptiones tunc ſufficiant ad plenam probationem, Judicis arbitrio relinquitur.*

194 QUæritur I. Quæ fides debeatur Libris rationum? Ubi prænotandum, quod per *Libros rationum* intelligantur illi, quo quis de datis, & acceptis ſibi conficit, ut jam dictum ſupra *§. 5. n. 135.* Et tales Libri rationum ſunt frequentes, ac uſitati, præſertim inter Mercatores, Tutores, Curatores, ac alios rerum alienarum Geſtores ſeu Adminiſtratores. Atque horum aliqui eos conficiunt ratione ſui officii; ut olim Nummularii, *l. Quædam §. Nummularios ff de Edendo* item Exactor tributorum, ac Theſaurarius, *l. Illatæ C. de Fide inſtrument.* Alii verò libros tales conſcribunt ratione ſuæ adminiſtrationis: ut Tutores, Curatores, aliique rerum alienarum adminiſtratores, *L. 1. §. Officio ff. de Tutel. & rationib. diſtrahend.* Quidam verò pro ſua voluntate & arbitrio, prout res poſtulat, aut expedire videtur, privatim ſibi tales libros rationum conficiunt: ut Mercatores, ac hujuſmodi. Quo prænotato

195 Reſp. I. Libri rationum regulariter pro ſcribente plene non probant, bene tamen contra ipſum, ſeu in ejus præjudicium. Ita Gloſſa *in Clem. un. §. Cæterum. V. Rationum de Uſuris*, & alia Gloſſa *l. Quædam §. Nummularios verſ. Decernitur, ff. de Edend.* Abbas *cap. 2. n. 8. & 9. h. t.* Bartolus *in l. Nuda ratio n. 5. ff. de Donation.* Maſcardus *de Probat. Concl. 977. n. 1.* allegans alios, cum communi. Siquidem tales ſcripturæ reverà ſunt privatæ; ſicque urgent Jura, & rationes, *§. præced. n. 170. & 186.* allatæ. Exemplo quippe pernicioſum eſt, quod ſub propriæ ſcripturæ annotatione quis alium ſibi debitorem conſtituere valeat, *l. Exemplo C. de Probat.* cum ſimilibus. Et ſi libris rationum in favorem ſcribentium paſſim foret credendum, de facili præberetur anſa delinquendi. Accedit, quod inſtrumenta quoque Notariorum, haud obſtante, quod eorum fides de publico approbata ſit, non probent in favorem ipſius ſcribentis, *l. Divus Claudius, ff. ad Lege Cornel. de Falſis.*

Atque iſtud ampliatur, ut Liber rationum privati non ſolùm non probet pro ſcribente, ſed nec etiam pro hærede ipſius; quamvis illi ſuccedat Fiſcus, aut Eccleſia, *l. Inter chartulas C. de Conveniend. fiſci debitorib. lib. 10.* Ubi proin Bartolus in Summario ſic loquitur: *Scriptura privata non facit fidem pro ſcribente, vel ejus hærede, etiamſi fiſcus ſibi ſucceſſerit.* Nam, ut inquit Imperator ibidem, *Iniquum eſſe perſpeximus, ut ſub propria annotationis manu unuſquiſque ſibi faciat creditorem*, cum concordantiis. 196

Nec obſtat, quod *in Clem. un. § Cæterùm de Uſuris*, Fœneratores in cauſis uſurarum cogantur edere libros rationum ſuarum; idque fruſtra fieret, ſi libri illi rationum nihil probarent. Reſp. enim, iſtud neutiquam obſtare: quia ibidem ſolummodò compelluntur Fœneratores ad exhibendum Codicis ſuarum rationum, & quidem ſub cenſuris Eccleſiaſticis, ut hoc modo poſſit deprehendi pravitas uſuraria ipſorum, quæ ut plurimùm ſolet occulte committi; non autem, ut libri illi eiſdem ſuffragentur: Unde Gloſſa *ibid. verſ. Cæterùm*, notanter infert, ac pluribus aliis Juribus allegatis firmat, quod illis fœneratorum rationibus ſtetur contra eos; pro eis non. 197

Ampliatur quoque altera pars datæ Concluſionis, ut Liber rationum probet contra ſcribentem, non ſolùm, quando eſt ſcriptus ſua manu, ſed etiam, quando eſt ſcriptus manu alterius de ſua voluntate: quia adhuc plene probat contra ſcribentem, *arg. l. Vice donatricis C. de Donation.* ubi paria eſſe cenſetur, per ſe ſubſcribere, vel alium ſubſcribere vice ipſius. Jaſon *in Repetit. l. Admonendi n. 112. ff. de Jurejurand.* Maſcard. *Concl. 978. n. 5.* citans alios; atque *n. 16. & ſeqq.* iſtud cum aliis intelligens, quando liber ille rationum continet cauſam debiti, vel ſaltem adſunt quædam conjecturæ de cauſa debiti: alias ſecùs. 198

Nec juvat, ſi Principalis, v. g. mercator neget, talem Librum rationum manu alterius de ſua voluntate conſcriptum fuiſſe. Non juvat, inquam: quia cùm mercator ille talem librum retineat ut ſuum, eoque utatur tanquam ſuo, quidquid reperitur in illo ſcriptum, præſumitur ſcriptum vel manu ſua, vel ab alio de ejus conſenſu, niſi contrarium evidenter probetur. Jaſon *cit. n. 112.* Maſcardus *d. Concl. 978. n. 9.* citans alios. Alexander *Conſil. 245. n. 1. & ſeqq. lib. 6.* aſſerens, quod libro creditoris etiam privato, in quo continetur ſolutio debiti, detur plena fides contra ipſum creditorem, *l. Quædam §. Nummularios*, juncta Gloſſa magna, *ff. de Edend.* 199

Reſp. II. Dantur nihilominùs aliqui caſus, in quibus data Concluſio, ſeu regula fallit, atque Liber rationum probat pro ſcribente, aut in commodum ſuorum hæredum. Ita Jaſon *cit. Repetit. l. Admonendi n. 125. & ſeqq. ff. de Jurejurand.* Maſcardus *d. concl. 97. n. 3. & ſeq.* Cravetta *Tractatuum tom. 17. tract. de Antiquit. tempor. §. Vidimus & abunde nu. 2. ac ſeqq.* & alii. Idque probatur inductione. 200

Et primò quidem id fieri poteſt publica Lege ſic diſponente: prout antiquitus libris Argentariorum, & Nummulariorum, qui publica authoritate aſſumebantur, & in ſuſceptione ſui officii juramentum de fidelitate præſtabant, plena fides adhibebatur, juxta textum expreſſum *l. Quædam §. Nummularios ff. de Edendo*, ibi: *Quia nummularii, ſicut argentarii rationes conficiunt: quia & accipiunt pecuniam, & erogant per partes, quarum probatio ſcriptura, codicibuſque eorum maxime comprobatur &c.* Verum hodie (inquit Gloſſa *ibid. verſ. Decurritur*) eorum ſcripturæ ſunt privatæ, ac proinde ipſis non eſt credendum pro ſe, ſed contra ſe. Concordat Maſcardus *loc. cit. n. 88. & ſeqq.* 201

Secundò, conſuetudine vel ſtatuto ſpeciali fieri poteſt, quod Libris rationum, v. g. Mercatorum, plena fides detur pro ſcribente, *arg. cit. §. Nummularios, & c. cùm dilectus 8. & cap. ult. de Conſuetud.* cum ſimilibus. Cravetta, *ubi ſupra num. 1.* Jaſon *cit. Repetit. l. Admonendi, num. 120. ff. de Jurejurand.* allegans Paulum de Caſtro *ibid. col. penult.* Baldum, & Alexandrum *in d. l. Quædam §. Nummularios*, cum aliis. Et addit Jaſon ibidem, Florentiæ talem eſſe conſuetudinem inter Mercatores, quod eorum libris ſtetur etiam pro ſe: quia maxima pœna imponitur eis, ſi aliquod falſum in libro committerent. Similiter Bononiæ eſt ſtatutum, quod liber mercatorum plene probet pro Mercatore: & tunc ſtandum eſt ei, niſi poſſit probari falſum. 202



203 In quibuſdam tamen locis taxatur, uſque ad quam quantitatem ſit credendum libris rationum in favorem ſcribentis, v. g. mercatoris. Nam conſuetudo indifferens ac indiſcreta, ſeu quæ diſponeret, quod crederetur omni ſcripturæ mercatoris pro ſe, etiam in quibuſcunque magnis quantitatibus, non eſſet rationabilis: quia daret anſam delinquendi, ac proinde veluti nutritiva peccati non valeret, *can. Erit autem lex, diſt. 4. & c. Ex parte, de Conſuet.* cum ſimilibus; ac notat Alexander *Conſil. 3. n. 6. lib. 2.* Jaſon *ubi ſupra n. 122.* Cravetta *cit. §. Vidimus & abunde n. 6.* & alii.

204 Quod ſi igitur detur alicubi talis conſuetudo, vel ſtatutum de credendo libris rationum in favorem ſcribentis ſine aliqua taxatione quantitatis; tunc illud, ne convincatur eſſe irrationabile, intelligi debebit ſub tacita illa clauſula: *Accedente conſenſu judicis, & ſi ei videbitur:* conſiderata videlicet qualitate perſonæ ſcribentis, quantitate & præjudicio cauſæ; & ſic illud erit arbitrarium Judici. Abbas *c. Bonæ memoriæ II 2. n. 30. de Poſtulat. prælat.* citans Baldum *in L. un. C. de Confeſſis.* Jaſon *loc. cit. n. 122. & 123.*

205 Inſuper ſtante ſtatuto, vel conſuetudine, quod libris mercatorum plena fides detur pro ſcribente, debet intelligi, ac limitari ejuſmodi conſuetudo ſive ſtatutum; niſi Mercator alioquin ſit infamis, vel ſuſpectæ vitæ, *arg. l. Si quis ex argentariis §. Cogentur, ff de Edendo*; ac notat Jaſon *loc. cit. n. 123* poſt Baldum *l. Cunctos populos, in Repetit. V. Quintum exemplum. C. de Summa Trinit.* & alios: idque ſuadent dicta *n. præced.*

206 Tertiò, ac ſecluſa ſpeciali locorum conſuetudine & ſtatuto, Liber rationum defuncti, qui fuit vir bonus, bonæque opinionis ac famæ, pro hærede ſcribentis non ſolùm facit aliquam præſumptionem, ut vult Abbas *cap. 2. n. 9. h. t.* & Bartolus *l. Admonendi n. 27. ff. de Jurejurand.* & alii; ſed etiam ſemiplenam probationem: dummodò liber ille defuncti habeat debitam formam rationum, ſeu contineat data & accepta; ſecùs, ſi eſſet ſimplex ſcriptura unius debiti tantùm, quia nihil probaret. Jaſon *cit. Repetit. l. Admonendi n. 120.* poſt Paulum de Caſtro *ibid. col. ult. ff. de Jurejurand.* & ſequitur Maſcardus *cit. concl. 977. n. 4. & 6.* Sigiſm. Scaccia *l. 2. de Judiciis, cap. 11. n. 261.* Genova *de Scriptura privata l. 4. tit. 1. ſeu de Libris rationum n. 24.* & alii ab his citati. Ratio eſt: quia non eſt veriſimile, quod vir probus, bonæque famæ, in articulo mortis ſcriberet librum falſum, aut eum falſa continentem relinqueret.

107 Plenam tamen probationem ſe ſolo ejuſmodi Liber rationum defuncti non facit, niſi aliis præſumptionibus & adminiculis adjuvetur, *lib. Ration. Cod. de Probat.* ibi: *Rationes defuncti, quæ in bonis ejus inveniuntur, ad probationem ſibi debitæ quantitatis ſolas ſufficere non poſſe, ſæpe reſcriptum eſt.* Secùs, ſi alia adminicula concurrant: nam tunc etiam plene probat, *arg. l. Inſtrumenta domeſtica cap. de Probat. & cit. l. Rationes*, ponderandi ly, *ſolas ſufficere non poſſe C. eod.* cum ſimilibus. Bartolus *in l. Admonendi n. 27. ff. de Jurejurand.* Abbas *cap. 2. n. 9. h. t.* Maſcardus *cit. Concl. 977. numer. 8.* Genova *loc. cit. num. 32.* & alii.

280 Quartò, & loquendo de Libro rationum Tutoris, Mercatoris, ſeu alterius Adminiſtratoris adhuc viventis, tunc prævio ſcribentis juramento ſtatur tali libro in parvis ac veriſimilibus ſummis, dummodò cæteroquin Tutor, Adminiſtrator, ſeu Mercator ille, ſit vir legalis, ac fide dignus. Abbas *c. Bonæ memoriæ 4. nu. 30. de Poſtulat. Prælat.* loquens de mercatore. Jaſon *loc. cit. nu. 126.* agens de tutoribus & curatoribus. Cravetta *loc. cit. §. Quid in libro n. 4. & 5.* Maſcardus *cit. Concl. 977. n. 13. & n. 38.* poſt Ancharanum *conſil. 44 n. 6.* & alios. Accedit ratio: quia officium illorum communiter eſt approbatum, & tacitè videtur eis mandatum, ut conficiant librum ſuarum rationum; ergo debet eis credi etiam pro ſe, ſaltem in parvis ac veriſimilibus ſummis, ne officium ſcribendi reddatur ipſis damnoſum, ſi libro ſuarum rationum duntaxat crederetur contra ſe, nullatenùs autem pro ſe. Cæterùm, quæ ſumma cenſeatur modica, nec ne, & quando ipſa ſit cenſenda veriſimilis, Judicis arbitrio eſt relinquendum; qui iſtud dijudicabit inſpecta qualitate rei & perſonarum aliarumque circumſtantiarum, *arg. l. Sed & ſi ſuſcepit §. Sed & ſi proponas, ff. de Judiciis*, cum ſimilibus.

Secùs dicendum in magnis ſummis, atque ad grave præjudicium tertii tendentibus. Tunc enim periculoſum, atque exemplo pernicioſum foret, credere ſoli libro rationum in favorem ſcribentis, *l. Exemplo, & l. Rationes C. de Probat.* cum concordantiis: ac proinde requiruntur aliæ legitimæ probationes; puta, per teſtes, ſeu apochas ritè ſubſcriptas: vel ſaltem tales præſumptiones & adminicula, quibus ſufficienter probetur veritas debiti, ſeu factarum expenſarum in favorem ſcribentis librum rationum. Occaſione cujus 209

Quæritur II. Quæ ſint adminicula illa, quibus probari poteſt veritas libri rationum in favorem ſcribentis? Reſp. Hujuſmodi adminicula eſſe plura, quæ referuntur tum ab Aymonex. Cravetta *cit. Tom. 17. Tractatuum tract. De antiquitat. temp. §. Vidimus & abunde nu. 20.* ubi poſt Guidonem Papæ *quæſt. 441.* & Boerium *dec. 105. num. 5.* ponit ſex talia adminicula: tum à Pace Jordano *tom. 3. tit. de Fide inſtrument. n. 8 & ſeqq.* referente novem talia requiſita: tum præſertim à Nicolao Genova alias, Nicolao de Paſſeribus *tit. lib. 4. de Scriptura privata tit. De libris mercatorum nu. 48. & ſeqq.* ubi refert quindecim adminicula, ſive requiſita, quibus concurrentibus, vel majori eorum parte, ſtante ſtatuto vel conſuetudine, poteſt libris Mercatorum plena fides adhiberi; & quidem non ſolum in parvis, ſed etiam in magnis ſummis, ſeu quantitatibus. Eorum præcipua ſunt ſequentia. 210

I. Legalitas conſcribentis librum rationum, v. g. Mercatoris: nempe, ut ſit homo legalis, fideque dignus, & pro tali communiter habitus. II. Ut liber ille rationum manu propria ipſius fuerit ſcriptus, *l. Generaliter. C. De non numerat. pecun.* quamvis alii ſufficere velint, ſi liber penes ipſum exiſtat, ſicque de ejus conſenſu & voluntate conſcriptus præſumatur, niſi contrarium probetur: quia ille videtur ſcribere, cujus nomine ſcribitur, *l. Vice donatricis C. de Donationib. & c. Qui facit per alium 72. de Reg. Jur. in 6.* Farinacius *lib. 1. Conſil. 18. num. 16.* Genova *loc. cit. num. 52. & 54.* allegans alios. III. Quod veritatem ſcribere conſueverit, *l. Vel univerſorum ff. de Pignorat. action.* Alioquin enim *ſemel malus*, ſeu falſus in ſcribendo, *ſemper præſumitur eſſe malus*, ſeu falſus, juxta *Reg. 8. Jur. in 6.* Verùm iſtud adminiculum commode reducitur ad primum. 211

IV. Adminiculum, ac ſe tenens ex parte libri rationum, eſt, quod hic ſolemniter ſit factus in forma Libri rationum, ſicque contineat congruam præfationem, aut inſcriptionem: ſecùs, ſi ſolùm foret ſimplex ſcriptura, ſeu quædam ſchedula, in qua annotatum reperitur aliquid ſibi debitum: talis enim nihil probaret in favorem ſcribentis. *Jaſon d. Repetit. l. Admonendi nu. 120, ff. de Jurejurand.* Maſcardus *cit. Concl. 977. nu. 7.* Sigiſm. Scaccia *lib. 2. de Judiciis cap. 11. n. 267.* Genova *d. lib. 4. tit. de Libris mercat n 96.* & alii. Unde ulterius, & V. Requiritur, quod Liber ille rationum aliquid contineat contra ſcribentem: alioquin enim non haberet debitam formam Libri rationum, niſi contineret ſimul data & accepta, ſicque aliquid contra ſcribentem, *arg. l. Quædam §. Nummularios ff. de Edendo.* Maſcardus *cit. num. 7.* Genova, *ubi ſupra n. 69.* & alii. 212

VI. Requiritur, quod in eo addatur cauſa, ex qua quid acceptum, & ex qua quid expenſum fuit, *arg. l. Nuda ratio*, juncta Gloſſa *fin. ff. de Donation.* Bartolus *l. Inſtrumenta C. de Probation.* Alexander *Conſil. 179 n. 2. lib. 6.* aſſerens, quod liber rationum non probet in ea parte, in qua ratio in ea deſcripta caret cauſa, *c. Si cautio de Fide inſtrument. & l. cùm de indebito § fin. ff. de Probatio.* Genova *loc. cit. nu. 60.* & alii. VII. Debet in ipſomet Libro rationum eſſe appoſitus annus, menſis, & dies, prout fieri ſolet in Diariis: quia ſine certo die rationes redduntur 213

ob-

obſcuræ, incertæ, & multis fraudibus expoſitæ; eò quòd falſitas, ſi qua intervéniſſet, omiſſo certo die non facile deprehendi poſſet. Abbas *cap. 2. n. 12. h. t.* Alexander *Conſil. 182. n. 6. lib. 2.* Cravetta, *ubi ſupra §. Quarto limitatur num. 45.* Scaccia *cit. cap. 11. nu. 281.* Genova *loc. cit. n. 76.* & alii.

214 VIII. Requiritur, quod ex veriſimilibus conjecturis præſumi poſſit, verum eſſe illud, quod quis in libro rationum ſuarum annotavit, utputa, ſi aliunde conſtet, mercatorem tradidiſſe cuipiam merces; quia tunc quantitas, & pretium earum, ſatis probatur per ejuſmodi librum rationum, huicque ſtatur, niſi aliunde contrarium probetur; cùm jam conſtet de ſubſtantia debiti. Cravetta, *ubi ſupra §. Vidimus & abunde n. 9. & ſeqq.* Genova *n. 82.* Maſcardus *d. Concl. 977. n. 33.* allegans alios. Idem dicendum, quando Tutor, Curator, vel rerum alienarum Adminiſtrator, in libro rationum ſcribit expenſas alimentorum pupilli, familiæ, aut alicujus fabricæ peractæ: quia enim talia ſine expenſis fieri non poſſunt; huic conſiderata qualitate perſonarum, temporis, loci, aliarumque circumſtantiarum, & quantitate expenſarum veriſimilium, ſtabitur libro rationum pro ſcribente, ſaltem prævio juramento ejus: quod ipſum tamen multùm arbitrio Judicis relinquitur. Jaſon *loc. cit. n. 125.* citans alios, ac pro ſe allegans *l. Lex quæ tutores C. de Adminiſtrat. tutor. & Auth. de Hæred. & Falcid. §. Si verò abſunt. Collat. 1.* Cravetta *cit. §. Vidimus & abunde num. 9.* Maſcardus *d. Concl. 977. nu. 82. & 95.* cum aliis.

215 IX. Quod Liber rationum non exiſtat mendoſus, ſed ſit candidus, ſive carens cancellationibus, & ſuperinductionibus: alioquin enim redderetur ſuſpectus, dum quod prior ſcriptura affirmaverat, cancellatio ſeu ſuperinductio poſtea negaret, ſeu immutaret. Farinacius *lib. 1. Conſil. 18. n. 4.* aſſerens, quod cancellatio, ſi fiat non probato errore, & ſine prævio conſenſu eorum, quorum intereſt, à Jure ſit improbata, arguatque falſitatem; cum prima confeſſio in ſcriptis facta, aliter revocari non poſſit. Decius *Conſil. 447.* Menochius *lib. 1. Conſil. 23. n. 16. & 17.* ubi addit, quod falſi ſuſpicio in una ſubſtantiali parte libri, totum vitiet, *arg. l. Si ex falſis C. de Tranſact. & l. Si aliquid C. de Suſceptorib. l. 10.* Genova *loc. cit. n. 84. & 86.*

216 X Adminiculum, quo probari poteſt veritas Libri rationum in favorem ſcribentis, eſt juramentum Mercatoris, vel alterius, qui Librum rationum conſcripſit, quod contenta in eo ſint vera. Cravetta *loc. cit §. quarto limitatur n. 47.* Alexander *Conſil. 71. n. 9. lib. 3* poſt Bartolum *in l. Theopompus, ff. de Dote prælegat.* per illum textum. Anton. de Butrio *c. Veniens II. 1. de Teſtib.* Genova, *ubi ſupra n. 89.* Menochius *Conſil. 23. nu. 14.* allegans alios.

217 Quod intellige, quando ſcribens librum rationum non depoſuit juramentum à principio ſui officii. Quia tunc tenetur poſtea jurare, vera eſſe, quæ continentur in libro: alias ſecùs, niſi ex nova cauſa emergente, *arg. Hoc ſacramentum C. de Jurejurand. propter calum.* Genova *loc. cit. n. 91.* Scaccia *lib. 2. de Judiciis cap. 11. nu. 286. & 287.* citans alios.

218 Inſuper notandum, quod iſtud juramentum duntaxat locum habeat in illis libris rationum, quos à ſe conſcriptos edunt, ſive exhibent adhuc viventes. Siquidem loquendo de libris rationum, quos interim defuncti olim conſcripſerant, ſupplebit mors efficaciam juramenti: quia ſi ille, qui ſcripſit librum, mortuus eſt, tantùm facit mors, quantum juramentum; ac proinde, ubi liber rationum cum juramento fidem faceret pro ſcribente, propter hujus mortem faciet fidem pro hærede abſque alio juramento: quia nempe tantùm importat mors, quantum juramentum. Ita Paulus de Caſtro *Conſil. 301. incipit. Ad bene examinandum dub. 5. lib. 1.* quem citat, & ſequitur Cravetta *d. tract. de Antiquit. tempor. §. quartò limitatur n. 48* poſt Decium *L. 1. in 2. notab. ff. de Edend.* cum aliis. Jaſon *de Repetit. l. Admonendi n. 128. ff. de Jurejurand.* & alii.

219 XI. Adminiculum, ſeu requiſitum ad hoc, ut Liber rationum pro ſcribente probet, eſt, quod liber ille ad petitionem partis exhibeatur ad effectum, ut contra eum apponere poſſit. Menochius *Conſil. 23. n. 17.* Genova *loc. cit. n. 92.* Pax Jordanus *cit. par. 3. tit. de Fide inſtrument. n. 118.* Farinacius *lib. 1. Conſil. 18. n. 18.* & alii. Nam generale eſt in omnibus Adminiſtratoribus, quod in redditione rationum teneantur exhibere omnes libros adminiſtrationis, *l. cùm ſervus ff. de Condition. & demonſt. & l. Si ſtatu libero § fin. de Statu liber.*

220 XII. Quod in Libro illo rationum ſint ſolùm deſcriptæ partitæ, ſive res pertinentes ad mercaturam, ſeu officium illud, de quo tractatur, non autem aliæ: quia pro his nulla exinde oriretur probatio. Menochius *de Arbitr. jud. lib. 2. caſ. 91. num. 22.* Maſcardus *de Probat. Concl. 977. n. 94.* Genova *loc. cit. n. 30. & 75.* & alii. Item, quod ipſemet Liber rationum ſit compaginatus, ſeu juxta conſuetudinem loci bene conſutus & compoſitus, non autem in foliis volitantibus: Baldus *Conſil. 152. lib. 3.* Farinacius *lib. 1. Fragment. criminal. verſ. Adminiſtrator. nu. 50.* Pax Jordanus *loc. cit. num. 115.* Genova *num. 97. & ſeqq.* & alii.

221 Quæritur III. Quid probent Sculpturæ, vel Litteræ antiquæ lapidibus inciſæ? Reſp. I. Facta antiqua poſſunt probari per Sculpturas, vel Litteras antiquas marmoribus inciſas. Ita Gloſſa *can. Sane profertur 24. qu. 2.* aſſerens, quod ſi in aliquo lapide, vel columna inveniatur ſcriptura; fides ei ſit adhibenda. Idem tradit alia Gloſſa *c. cùm cauſam verſ. Per libros antiquos* & Abbas *ibid. nu. 1.* Barboſa *in Collectan. nu. 5. de Probat.* Maſcardus *Concl. 105. n. 10.* & alii ab his copioſe allegati. Ratio eſt: quia facta antiqua ſunt difficilis probationis; unde in ipſis leviores probationes admittuntur *d. cap. cùm cauſam 13. de Probat.* eſtque uberiùs dictum ſuprà *Tit. 19. de Probationib. §. 3. nu. 66* Accedit, quod ſculpturæ, ſeu litteræ marmoribus inciſæ, fiant cum majori deliberatione; & cùm publice ſoleant videri ac legi, ab antiquo non tolerarentur, niſi forent veritati conſentaneæ.

222 Atque hæc Concluſio vel maxime procedit, quando agitur de nullius præjudicio: quia tunc litteris ſculptis in marmoribus, de antiquo eſt danda plena fides. Abbas *cit. nu. 1 verſ. Dic ergo,* & Additio *ibid.* allegans Baldum *Conſil. 345 incip. Jus patronatus.* Sic accidit, quando dubitatur, an Eccleſia ſit conſecrata; atque extant ſcripturæ lapidibus inciſæ de conſecratione ipſius atteſtantes; ac hujuſmodi.

223 Similiter probatio ducta ab armis ſculptis, vel affixis, aut depictis in monumentis, domibus ſeu Capellis, attenditur, juxta Baldum *Conſil. 310. lib. 5.* quem ſequitur Barboſa *loc. cit. num. 6.* allegans Rotam *in Comen. Habitus. Junii 1610. coram Pirovano & in Toletana. Habitus 14. Martii 1625. coram Merlino.*

224 Procedit inſuper data Concluſio, ſi factum eſt antiquiſſimum, & agitur de modico præjudicio. Abbas *loc. cit.* iſtud probans per textum *in cit. cap. cùm cauſam 13. de Probat.* ubi confines probantur per Libros antiquos indiſtincte: quia cùm agatur (inquit) de modico præjudicio, nec interveniat intereſſe burſale, non eſt veriſimile, quod quis ſcripſerit falſum, aut ejuſmodi ſcriptura, ſeu ſculptura, tanto tempore fuiſſet tolerata, ſi non continuiſſet veritatem.

225 Hinc Lapides, ſeu Columnæ terminorum probant confinia. Menochius *Conſil. 21. n. 30.* Card. Tuſchus *Litt. C. Concl. 700. n 3.* Maſcardus *de Prob. concl. 400. nu. 1.* id probans ex *L. 1. §. Qui in rationibus ff. Ad Leg. cornel. de Falſis.* Barboſa, *ubi ſupra nu. 6.* & alii ab his allegati. Qui tamen iſtud intelligunt, dummodo lapides pro confinibus poſiti, ſint immobiles, & terræ inhærentes inſtar terminorum; vel ſaltem habeant alios lapillos terræ adhærentes, qui vocantur *Indices.* Maſcardus *loc. cit. n. 4.* cum aliis.

226 Inſuper inſcriptio in antiquis probat juſpatronatus. Bartolus *l. Monumentorum c. de Religioſ. domib.* Barboſa *loc. cit. n. 7.* allegans Rotam *in Mutien. Plebis, ſeu juriſpatronatus 21. Februarii 1625 coram Coccino,* & alios

227 Reſp. II Loquendo tamen de cauſis, in quibus agitur de magno præjudicio, tunc ſculpturæ, ſeu litteræ antiquæ marmoribus inciſæ, ſolùm probant ſemiplene, non autem plene; niſi aliis quoque adminiculis adjuventur, aut ex antiquo eiſdem fuerit fides adhibita. Ita Abbas *cit. c. cùm cauſam n. 1. de Probat.* Maſcardus *d. Concl. 105. n. 6.* Cravetta *cit. tract. de Antiquit. temp. §. Viſo de verbis n. 1.* allegans alios. Idque partim deſumitur *ex d. c. cùm cauſam 13. de Probat.* Partim ſuadetur ex eo: quia ejuſmodi ſculpturæ antiquæ, ſunt ſolùm ſcripturæ privatæ: atqui hæ in antiquis tantùm ſemiplene probant, niſi aliis adminiculis adjuventur, aut ab antiquo eis fides adhiberi conſueverit. Accedit, quod cauſæ civiles arduæ, ſeu magni præjudicii, æquiparentur cauſis criminalibus, prout dictum eſt ſupra *Tit. 29. de Teſtibus §. 3. n. 81.* Atqui in cauſis criminalibus requiruntur probationes apertiſſimæ, *l. Sciant cuncti C. de Probat.* ſeu teſtes abſque ulla infamia, vel ſuſpicione, *cap. 1. de Exception.* ergo.



228 Porrò, quænam indicia, præſumptiones & adminicula ſufficiant ad faciendam per antiquas ſcripturas, ſive ſculpturas plenam probationem, Judicis arbitrio ſtandum eſt; prout recte obſervat Menochius *de Arbitr. Judic. lib. 2. caſ. 115. num. 9.* Maſcardus *de Probat. Concl. 1290. nu. 5. & 7.* & concordant dicta ſuperiùs *Tit. 19. De Probationibus §. 3. n. 60.* ubi generaliter aſſeritur, quod quænam probatio hic & nunc ſit plena, & concludens, Judicis arbitrio relinquatur.

## §. VIII.

## De Productione, atque Editione Inſtrumentorum.

*S U M M A R I U M.*

229 *Productio inſtrumentorum, quid?*
*Et quando fieri poſſit? Ibid.*
230 *Quid agendum, ſi inſtrumentum arguatur falſitatis?*
231 *Teſtamenta, à quo, quibuſque præſentibus ſint aperienda?*
232 *Editio inſtrumentorum, quid?*
*Edere quid? Ibid.*
233 *Rubrica,* De Edendo, *cur in Iure Civili ſic inſcribatur?*
234 *Inſtrumenta, quibus aliquis in judicio eſt uſurus, ſunt edenda.*
235 *Et quidem in originali. Et n. præc.*
236 *Originale tamen non tenetur quis relinquere apud Acta.*
237 *Inſtrumenta regulariter debent edi citata, & præſente parte adverſa.*
*Subinde tamen non requiritur citatio partis adverſæ. Ibid.*
238 *Inſtrumentum, quo quis uſurus eſt in judicio, totùm debet legi audiente Judice, & parte adverſa: ſi tamen ſuper unico tantùm capitulo moveatur quæſtio, ſufficit iſtud edere, ſeu parti ad deſcribendum dare. Et n. ſeqq.*
239 *Ratio prioris, &*
240 *Ratio poſterioris partis, quæ?*
241 *Inſtrumentorum editiones debent fieri ſine die: ſecùs in editione Rationum.*
242 *Reus inſtrumenta, quibus non eſt uſurus, regulariter non tenetur edere Actori ad fundandam hujus intentionem; & cur?*
243 *Quamvis teneatur reſpondere ad poſitiones Actoris: & quæ aſperitas?*
244 *Actor tamen tenetur edere Reo inſtrumenta ad fundandam hujus exceptionem; & cur?*
*Reus excipiendo fit Actor; & quomodo? Ibid.*
245 *Inſtrumenta communia tenetur Reus edere Actori petenti: & ſi Judex ea non faciat edi, licite appellatur.*
*Quod commune eſt, meum eſt. Ibid.*
246 *Inſtrumenta pluribus modis dicuntur communia: videlicet.*
*Ratione proprietatis. Ibid.*
247 *Ratione materiæ: quæ etiam debent edi.*
248 *Solvitur inſtantia ex* cap. 1. h. t.
249 *Et inſtrumenta communia ex natura negotii; quæ?*
250 *Regula illa,* Reus non tenetur Actori ſua propria inſtrumenta edere, *plures patitur limitationes. Et nu. ſeqq.*
251 *Reus tenetur edere ſua Inſtrumenta Fiſco, agenti contra illum.*
252 *Privilegium iſtud extenditur ad Eccleſias, Hoſpitalia aliaque Loca pia: item ad cauſam matrimonialem, cauſam dotium, alimentorum, legatorum piorum &c.*
253 *Uſurarii, quando conveniuntur ad reſtituendas uſuras, coguntur edere Libros rationum ſuarum.*
254 *Quando Actor habet intentionem ſuam in jure fundatam, tenetur Reus conventus edere privilegium in oppoſitum.*
255 *Idemque dicendum, quando Actor petit inſtrumentum ad intentionem ſuam jam fundatam coadjuvandam: idque exemplificatur.*

229 QUæritur I. Quid ſit Productio, atque Editio inſtrumentorum? Reſp. I. *Productio inſtrumentorum* idem eſt, ac exhibitio inſtrumentorum in judicio facta ad probandam ſuam intentionem. Atque hæc regulariter debet fieri primùm poſt litem conteſtatam: poteſt autem fieri uſque ad concluſionem in cauſa, etiam poſt publicationem atteſtationum; *c. cùm dilectus 9. h. t.* Verùm de his jam dictum eſt ſupra *Tit. 19. De Probationibus §. 6.* quærendo de tempore, quo faciendæ ſunt probationes: præſertim *n. 142. & ſeqq. & n. 149. 152. ac ſeqq.* ubi etiam nonnullas limitationes, quæ quoad utramque partem reperiuntur, videre licet.

230 Quod ſi verò inſtrumentum aliquod, puta privilegium, à parte adverſa redarguatur falſitatis; tunc illud pro inſpectione faciat Judex exhiberi parti adverſæ in loco ſecuro, atque congruo, & coram teſtibus paucis, ſeu duodecim hominum numerum non excedentibus. Ita habetur *c. Accepimus 4. h. t.* juncto *c. Inter dilectos, Sed contra eod.* ubi ex tali inſpectione plures defectus in inſtrumento leguntur reperti.

231 Porrò, quemadmodum Teſtamenta aperiantur, inſpiciantur, & deſcribantur, extat integer Titulus *lib. 29. ff. Quemadmodum teſtamenta aperiantur.* Solùm breviter dicendum, quod apertio Tabularum teſtamenti non quovis modo ſit facienda, ſed per legitimum Judicem, ut fides earum confirmetur, ſi forſan nonnulli contra legitimos hæredes controverſiam impoſterum eſſent moturi. Competens autem judex ille eſt Magiſtratus, qui Tabulas aperiat ſecundùm conſuetudinem loci, citatis illis, quorum intereſſe poteſt, nec non & teſtibus, ut ſua ſigilla recognoſcant. Si tamen teſtes abſuerint, non coguntur comparere; ſed orto dubio, mitti debent ad ipſos Tabulæ teſtamenti, ut recognoſcant, *l. Sed ſi quis, ff. Quemadmodum teſtament. aper.* Sufficit autem ad aperturam teſtamenti, ſi major pars teſtium ſignatorum adfuerit, *l. Sed major, ff. eod.* Quinimò etiam nullo eorum præſente, ſi urgeat neceſſitas, intervenientibus aliis optimæ opinionis viris poterit teſtamentum aperiri, & recitari, *cit. l. Sed ſi quis,* atque ampliùs declarat Zoeſius *eod. tit. Quemadmodum, teſtament. aper. ff. n. 2. & ſeqq.* Verùm de Teſtamentis alibi.

232 Reſp. II. *Editio inſtrumentorum* aliud non eſt, quam exhibitio, ſeu communicatio inſtrumentorum, facta coram Judice parti adverſæ. Ita Ant. Nebriſſenſis *in Vocabulario Juris verſ. Editio inſtrumentorum,* citans Hoſtienſem *in Summa h. t. §. An inſtrumentum &c.* eſtque in re communis. Nam, ut *L. 1. §. 1. ff. de Edendo,* dicitur: *Edere, eſt copiam deſcribendi facere.* Sive, *Edere eſt vel dictare, vel tradere libellum, vel Codicem proferre;* ut loquitur textus *in l. Si quis ex argentariis §. Si initium, ff. eod.* Generatim enim loquendo, & quantum ad propoſitum, *Edere,* idem eſt, ac *extra dare.* Quapropter & partus edi dicitur, cum naſcitur, *l. Arctuſa, ff. de Statu homin.* Et rationes eduntur, cùm exhibentur, atque copia deſcribendi fit, *l. Si quis §. Edere, ff. de Edendo.* Nebriſſenſis *loc. cit. verſ. Edere.*

233 Extat autem in Jure Civili integer Titulus, tum in Codice, tum Digeſtis contentus, ſub Rubrica, *De Edendo.* Et dicitur, *de Edendo,* per gerundium, non autem per ablativum, *de Editione,* ad inſtar Tituli, *de Pactis;* ſive, ut oſtendatur, quandam neceſſitatem imponi edendi (hoc eſt, exhibendi inſtrumenta, vel rationes, aut demonſtrandi actionem, qua quis acturus eſt, ut vult Gloſſa *ad Rubric. ff. de Edendo:* ſive quia Juriſconſultus intendit ibi tractare de Editione, prout eſt in fieri; & ſic poſuit per gerundium, quod ſignificat actum; uti notat Gloſſa Marginalis, & Bartolus *ibid.* Tractat autem Jus Civile de triplici Editione, nempe Actionum, Inſtrumentorum, & Rationum: ſed quia ſpectato Jure Canonico non eſt neceſſe edere nomen Actionis, quam quis intentare cogitat, *c. Dilecti 6. de Judiciis,* eſt-

eſtque jam dictum ſupra *Tit. 3. De Libelli oblatione §. 1. nu. 20. & 21.* Hinc in progreſſu de ſola Editione inſtrumentorum ſermo erit: quamquam ea, quæ de Inſtrumentis dicentur, ſervata proportione facile editioni Rationum accomodari poſſint. Unde

234 Quæritur II. An, & quomodo Inſtrumenta, quibus aliquis in judicio eſt uſurus, ſint edenda? Reſp. I. Certum eſt, ſi pars litigans, ſive Actor agendo, ſive Reus excipiendo, ſe ſuamque cauſam fundet ſuper aliquo privilegio, vel inſtrumento, ac proinde eodem in judicio uſurus ſit, quod teneatur illud in judicio edere, ſeu Judici inſpiciendum præbere; & quidem in originali, ac citata parte adverſa. Patet iſtud ex *c. Contingit 5. h. t. & L. ult. C. de Edendo. & L. 1. §. fin. ff. eod.* eſtque communis.

235 Additur notanter, *& quidem in originali*. Nam exemplaribus non creditur, juxta textum *cap. 1. h. t.* ibi: *Si Scripturam authenticam non vidimus, ad exemplaria nihil facere poſſumus.* Quod intellige, niſi exemplaria fuiſſent exemplata authoritate Judicis, ac ſervatis cæteris conditionibus de Jure ad id requiſitis, juxta dicta ſuperius *§. 2. n. 59. & ſeqq.*

236 Notat tamen Abbas *in cit. c. Contingit nu. 2. h. t.* quod utens privilegio, vel alio inſtrumento in judicio, non teneatur originale Judici relinquere apud Acta; ne eodem impoſterum carere cogatur, aut ipſum penitus amittatur: ſed ſatis ſit, præſentare in judicio præſente parte ad fidem ei faciendam, & copiam illius capituli, de quo eſt quæſtio, tranſcriptam tradere.

237 Deinde, quamvis regulariter inſtrumenta debeant edi citata parte adverſa, eaque præſente legi, *c. Contingit. 5. h. t.* ſicut & teſtes ea citata, & ſi voluerit, præſente producendi ſunt, *cap. 2. de Teſtib.* Recte tamen Valenſis *h. t. §. 3. n. 4.* cum aliis advertit, ſubinde non requiri citationem partis adverſæ; veluti, quando inſtrumentum producitur ad ſolam inſtructionem Judicis, & in aliis hujuſmodi caſibus: prout in ſimili de productione teſtium jam dictum eſt ſupra *Tit. 20. De Teſtibus §. 13. nu. 418. 422 & ſeqq.*

238 Reſp. II. Inſtrumentum, vel privilegium, quo quis uſurus eſt in judicio, totum quidem præſente Judice, & audiente parte adverſa legi, ſeu integraliter recitari debet: ſi tamen ſuper uno tantùm capitulo quæſtio mota fuerit, non cogitur quis parti adverſæ edere, ſeu deſcribendum dare totum inſtrumentum, ſed ſolummodò illud capitulum, de quo agitur. Ita communis: & habetur expreſſe deciſum *cap. contingit 5. h. t.* ubi Pontifex deſuper conſultus, ita loquitur: *Reſpondemus, ut quandocunque ſuper exhibendo privilegio, vel indulgentia, ſeu inſtrumento fueritis requiſiti: præſente judice, aut aliquis prudentibus viris deputatis ab ipſo, audiente parte contraria tantummodo recitetur: ita quod ſi ſuper uno tantum capitulo quæſtio fuerit, illud ſolummodò reſcribatur, & adverſæ parti copia ejus fiat.* Hæc ibi. Concordat *c. cùm perſonas §. Nolentes, de Privileg. in 6.*

239 Idipſum ſuadet ratio, & naturalis æquitas. Nam ex una parte, quia nonnunquam præcedentia vel ſubſequentia ſolent arctare, vel declarare articulum, de quo controvertitur: hinc ut Judex merita cauſæ, valoremque & vim inſtrumenti plene intelligat, totum inſtrumentum eidem exhibendum eſt; atque, ut pars etiam adverſa ſufficientem ejus notitiam habere queat, integraliter erit præelegendum. Nam, ut in ſimili *l. Incivile, ff. de Legib.* dicitur: *Incivile eſt, niſi tota lege perſpecta, unica aliqua particula ejus propoſita judicare, vel reſpondere.*

240 Ex altera verò parte, ne litigia nova ſuſcitarentur, ſi totum inſtrumentum, ſive copia ejus, parti adverſæ ederetur: hinc provide decretum fuit, ut totum quidem inſtrumentum prælegeretur parti adverſæ ad habendam ſufficientem totius inſtrumenti notitiam; non tamen totùm eidem ederetur, ſed duntaxat pars illa, ſive capitulum, ſuper quo quæſtio movetur. Quia non tam facile ex ſimplici lectura oritur nova materia litigandi, ſicut ex integro Tranſumpto Inſtrumenti: ſi enim iſtud continuò remaneret penes adverſarium, diebus ac noctibus per ejus Advocatos legeretur, diſcuteretur, & quoad alia capitula impugnari tentaretur, plurimis exinde novis litibus ſuſcitatis. Et ita teſte experientia olim factum eſſe, refertur *cit. cap. contingit h. t.* unde Pontifex eo intellecto, atque ad præcludendam viam plurimis litigiis cæteroquin ſuſcitandis, decrevit, ut ſuprà.

Atque hæc ratio tam fortis eſt, ut Jure Civili caveatur, quod ejuſmodi inſtrumentorum editiones *ſine die, & Conſule, fieri debeant: ne quid fraudis excogitetur edito die, & Conſule;* prout loquitur *L. 1. Editiones ff. de Edendo.* Quamquam illicò ibidem iſtud limitetur in Libris rationum, illis verbis: *Rationes tamen cum die & Conſule edi debent: quoniam accepta & data non aliter poſſunt apparere, niſi dies & Conſul fuerit editus.* Atque ex his patet diſparitas inter libros rationum, & alia inſtrumenta. 241

Quæritur III. An Reus ſua inſtrumenta, quibus in judicio non eſt uſurus, teneatur edere Actori ad fundandam ejus intentionem? Reſp. Regulariter non teneri edere; prout clare habetur *cap. 1. de Probat. & l. Qui accuſare cap. de Edendo.* Ratio eſt. Quia, qui cogitat agere in judicio, debet ipſemet eſſe paratus venire, atque probationes ſeu inſtrumenta, quibus ſuam intentionem fundare intendit, in promptu habere, *l. Pure §. fin. ff. de Doli mali exception.* juncto Summario, & DD. *ibid.* Neque enim juris, aut æquitatis ratio permittit, ut quis invitus arma, quibus impugnetur, adverſario ſuo tradere, eumque contra ſe adjuvare cogatur, *l. Nimis grave C. de Teſtibus.* Accedit, quod Actore non probante Reus ſit abſolvendus, *c. cùm Eccleſia §. fin. de Cauſa poſſeſſ.* ibi: *Actore non probante, qui convenitur, etſi nihil præſtiterit, obtinebit,* cum concordantiis. 242

Nec obſtat, quod Actor faciendo Poſitiones (ad quas Reus reſpondere tenetur, niſi velit pro confeſſo haberi, *cap. ult. de Confeſſis in 6.*) per reſponſionem, & confeſſionem Rei, poſſit fundare ſuam intentionem; & ſic quodammodò arma de domo adverſarii petere. Reſp. enim cum Jo: Andrea *cap. 1. n. 2 de Confeſſis in 6.* & Abbate *cap. Ex epiſtolæ n. 17. de Probat.* negando paritatem inter inſtrumenta, & confeſſionem Rei: nam reſpectu confeſſionis alterius non poteſt Actor venire paratus, cùm non ſit in ſua poteſtate, quid Reus fateatur. Secùs dicendum reſpectu inſtrumenti, cùm potuerit à principio Actor ſibi præcavere; & ſi hoc non fecit, ſibi imputet: nam jura vigilantibus ſubveniunt, non negligentibus. 243

Neque ulteriùs obſtat, quod Actor teneatur Reo edere inſtrumenta ad fundandam, ſive probandam ſuam exceptionem, *text. clar. l. Non eſt novum, & l. ult. C. de Edendo;* cùm tamen Reus excipiendo fiat Actor, *L. 1. ff. de Exception.* Reſp. enim, diſparitatem eſſe: quia, licet Reus excipiendo fiat Actor, tamen ipſe eſt actor neceſſarius, & quaſi invitus; cùm non ſit in ejus poteſtate, an, & quando conveniatur. Secùs dicendum de Actore: nam in poteſtate Actoris eſt, an, & quando convenire velint Reum; ſeque aut præmunire ſufficientibus probationibus, aut actionem non inchoare. Et hinc non immeritò, *Favorabiliores Rei potiùs, quam Actores habentur,* juxta textum vulgatum in *l. Favorabiliores, ff. de Reg. Jur.* cum ſimilibus. 244

Quæritur IV. An Reus Inſtrumenta communia teneatur Actori edere; & quæ cenſeantur communia? Reſp. I. Si inſtrumenta non ſunt propria ipſius Rei, ſed communia, tenetur ea Reus edere Actori petenti: & ſi Judex parti petenti non faciat edi inſtrumenta communia, licite ab ipſo appellatur; & quidquid poſt appellationem attentatum fuerit, non valet. Ita textus expreſſus *in c. G. perpetuus 12.* ubi Gloſſa *verſ. communium.* Abbas *in Summario.* Barboſa *n. 1.* & reliqui Canoniſtæ. Accedit ratio: quia inſtrumenta communia, ſunt quodammodò propria utrique parti: nam quod commune eſt, meum eſt, *l. Servi electione,* juncta Gloſſa *verſ. communis, ff. de Legat. I.* ſaltem quantum ad diſpoſitionem meæ partis, ut explicat Bartolus *in Summario ibid.* Ergo talia communia inſtrumenta à qualibet parte juſte petuntur; & ſi Judex eadem parti petenti negaverit, ipſam gravat injuſte, ſicque locus eſt appellationi. 245

Reſp. II. Inſtrumenta pluribus modis dicuntur communia; videlicet, ratione proprietatis, ratione materiæ, & ex natura negotii. Ita Abbas *cap. 1. n. 6. & 7. de Probation.* Engel *h. t. num. 38.* & alii. *Inſtrumenta communia ratione proprietatis* cenſentur ea, quæ communibus ſumptibus confecta ſunt, aut utrique parti legata, donata, vel alio conſimili modo acquiſita; ſicque utrique parti quoad proprietatem communia exiſtunt. 246



247 *Inſtrumenta communia ratione materiæ* cenſentur, quæ ſunt communia ob materiam, quam continent: uti ſunt Teſtamenta inter hæredes, & legatarios. Item inſtrumenta, ſeu rationes Tutorum, Curatorum, Procuratorum, utpote quæ fiunt pro cautione plurium, ſicque edi debent, *l. Quædam, §. 1. de Edendo.* Item inſtrumenta inter ipſos contrahentes ſuper contractibus confecta: nam hæc, ſi ſint in originali, ac penes partem adverſam, debent edi, *cit. c. G. perpetuus h. t.* Secùs, ſi ſunt exemplata ſumptibus ſolius partis alterius: nam tunc ratione proprietatis ſunt propria ipſius, ac proinde regulariter edi non tenentur.

248 Nec obſtat, quod Papa *cap. 1. de Probation.* negaverit, quòd Imperator teneatur ad editionem quorundam pactorum, olim inter Juſtinianum, & Prædeceſſores Tancredi Regis emiſſorum, quæ tamen pacta videntur fuiſſe communia utrique parti ratione materiæ. Reſp. enim cum Gloſſa, & DD. *ibid.* dictum pactorum inſtrumentum fuiſſe proprium Imperatoris: quia enim fuerat exemplatum, & in chartophylacium repoſitum ſumptibus Juſtiniani, factum eſt proprium ipſius, ſive ſuum jure proprietatis, ita ut commune alteri ampliùs cenſeri non debuerit: non obſtante, quòd alterius quoque utilitatem reſpiceret, quia is ſua culpa illud ſuum quoque facere neglexit. Vvagnerek *ad cit. cap. 1. de Probat.* & Pirhing. *eod. n. 24.*

249 *Inſtrumenta communia ex natura negotii* dicuntur, quæ ſunt geſta ab exercente aliquod officium publicum, & tenente librum, in quo ſcribebat omnia negotia officii: & talia debent edi. Sic Judex omnia Acta judicii cuilibet intereſſe habenti debet exhibere ad inveſtigandam veritatis fidem, *c. Quoniam contra. 11. de Probation. & L. 2. C. de Edendo.* Similiter Notarius publicus debet exhibere partibus contrahentibus Protocollum, inſtante alterutra parte, & mandatis pœnalibus ad id compelli poteſt, *l. Argentarius ff. de Edend.* & Jaſon *ibid. n. 1.* & Gailus *lib. 1. Practic. Obſervat. 106.* Inſuper libri Mercatorum, in quos ipſi, veluti ex publico, & ratione ſui officii, data & accepta referre ſolent, ſunt edendi petentibus, ut v. g. videre poſſint, quanti valuerit pannus ad veſtem Titio conficiendam apud talem Mercatorem emptus, *l. Quædam. §. Nummularios, & L. ſeqq. ff. de Edend.*

250 Quæritur V. Utrùm, & in quibus caſibus Regula illa, *Reus non tenetur actori ſua propria inſtrumenta edere,* quaſdam patiatur limitationes? Reſp. Regulam hanc plures pati limitationes: & quidem præter inſtrumenta communia, de quibus jam dictum.

251 Fallit primò data Regula reſpectu Fiſci. Nam Reus cogitur edere ſua inſtrumenta Fiſco, agenti contra illum, ad fundandam etiam Fiſci intentionem; idque ex ſpeciali privilegio conceſſum fuit Fiſco, *L. 2. ff. de Jure Fiſci.* Dummodò hinc excipiantur cauſæ criminales, præſertim capitales, ut bene ibidem ſubjungitur.

252 Et hoc privilegium Fiſco conceſſum extenditur etiam ad Eccleſias, Hoſpitalia, atque alia Loca pia: quia Fiſcus, & Eccleſia, in materia favorabili æquiparantur; cum utrobique verſetur publica utilitas. Idem quoque communiter à Doctoribus extenditur ad cauſam matrimonialem, utpote ubi multa ſunt ſpecialia, cum in ea vertatur periculum animarum. Idipſum admittunt Doctores in cauſa dotium, alimentorum, legatorum piorum, & in aliis cauſis favorabilibus; ſaltem ubi non adeſt alia copia probandi, niſi per inſtrumenta à Reo exhibita. Speculator *tit. de Inſtrumentorum editione §. Videndum reſtat num. 17.* aſſerens, quòd magna cauſa debeat Judicem movere ad cogendum aliquem, inſtrumenta ſua adverſario exhibere, *arg. l. In hac actione. §. Interdum æquitas, ff. Ad exhibendum,* cum ſimilibus: ubi Jo. Andreas *in Additione. V. Satis eſt,* iſtud exemplificat in cauſa matrimoniali: Si enim (inquit) favore Fiſci cogatur quis edere inſtrumenta, fortiùs hoc fieri debet favore matrimonii, in quo multa ſunt favorabilia, & ſubeſt periculum animarum. Concordat Abbas *c. 1. n. 19. & 20. de Probat.* præmiſſa intelligens, quando non adeſt alia copia probandi: alioquin enim non ſubeſſet bona cauſa violandi Regulas juris Felinus *eod cap. 1. n. 19. & ſeqq.* Pirhing. *de Probation. n. 26.* & alii.

253 Deinde Uſurarii, quando conveniuntur ad reſtituendas uſuras, coguntur edere inſtrumenta, ſeu Libros rationum ſuarum, & quidem ſub cenſuris Eccleſiaſticis, *Clem. un. §. Cæterum, de Uſuris.* Idque meritò ſtatutum fuit, tum in odium uſurariæ pravitatis: tum ut hac ratione fœneratores convinci poſſint de uſuraria pravitate ſua; prout loquitur textus ibidem.

254 Fallit ulteriùs dicta Regula, quando Actor habet intentionem ſuam in Jure fundatum: quia tunc tenetur Reus conventus edere inſtrumentum, vel privilegium in oppoſitum. Sic quando Ordinarii locorum citant perſonas, quæ ſe dicunt ab eorum juriſdictione exemptas, tenentur hæ exhibere ſuum privilegium, *c. Cùm perſonas, de Privileg. in 6. & l. Si quis ex aliena, ff. de Judiciis.*

255 Inſuper ea fallit, quando Actor petit inſtrumentum ad intentionem ſuam jam fundatam coadjuvandam: quia tunc tenetur id Reus edere. Sic quando Actor fundavit intentionem ſuam, ſeu plenè probavit, agrum talem è Reo ſibi fuiſſe venditum, nunc verò remanet quæſtio, quantum ager ille extendatur, tenetur Reus ad hoc oſtendendum edere ſua inſtrumenta: quia non petuntur ad impugnandum Reum, ſed ſolum ad coadjuvandum intentionem Actoris jam fundatam. Abbas *loc. cit. num. 15.* poſt Bartolum *L. 1. C. de Edendo.* Pirhing, *ubi ſuprà, n. 25.* citans Baldum *in L. ult. C. de Edend.* qui iſtud exemplificat in Colono cenſuali, vel Vaſallo: talis enim tenetur edere ſua Inſtrumenta ad dignoſcendum modum ſuæ obligationis, & qui ſint limites fundi cenſualis, ſeu feudalis: Tacentur nonnullæ aliæ fallentiæ, apud memoratos Authores videndæ; nam præmiſſæ ſunt principaliores.

## §. IX.

## De Impugnatione Inſtrumentorum, præſertim ob defectum Notarii.

*S U M M A R I U M.*

256 *Inſtrumenta generatim poſſunt impugnari juxta omnia quatuor cauſarum genera.*
257 *Impugnaturus inſtrumentum, ante omnia diligenter perlegat totum ejus tenorem.*
258 *Beneque perpendat, quis v. g. contraxit &c. ritè ponderando omnes circumſtantias.*
259 *Inſtrumentum à Notario confectum an valeat extra territorium ejus, a quo conſtitutus fuit? Et n. ſeqq.*
*Notarius conficiens inſtrumentum publicum, debet legitimè eſſe creatus. Ibid.*
260 *Poteſtatem creandi publicos Notarios, qui habeant?*
261 *Inſtrumentum publicum confectum à Notario intra territorium conſtituentis, valet etiam extra territorium ejus.*
262 *Notarius à Papa, vel Imperatore creatus, quæ inſtrumenta ſpectato Jure communi conficere poſſit?*
263 *De conſuetudine, ſi Notarius Imperialis cõficiat inſtrumentum in terris Eccleſiæ, probat; & econtrà.*
264 *Clericis in Sacris eſt prohibitum, officium Notariatus exercere in cauſis profanis; non tamen redditur inſtrumentum invalidum, ſi secùs attentetur.*
265 *Inſtrumenta confecta per Notarium putativum, an valeant? Et num. ſeqq.*
*Error communis jus tribuit; & quando? Ibid. & n. 269. 272.*
266 *Bonum eſt argumentum a teſte ad Notarium publicum, & econtrà. Et n. 273.*
267 *Si notarius ille putativus habet titulum coloratum ſui officii; valent inſtrumenta ab eo confecta.*
268 *Et hujus ratio.*
269 *Secùs, ſi non habeat titulum coloratum, ſed ipſemet ſe ingeſſit officio Notariatus. Et n. 267.*
270 *Confirmatur hoc ipſum exemplis.*
271 *Solvuntur rationes dubitandi. Et n. ſeqq.*
*Explicatur textus* in l. Barbarius, ff. de Offic. Prætor. *Ibid. & n. 265. & 269.*
272 *Error communis nihil operatur, quando error eſt ſubſtantialis.*

273 *Datur diſparitas aliqua inter teſtem, & Notarium publicum.*
274 *Valent inſtrumenta confecta per Notarium, qui ingreſſus eſt in quaſi poſſeſſionem Notariatus ſciente, & patiente Superiore, habente poteſtatem creandi Notarios.*
275 *Inſtrumenta confecta per Notarium de crimine Falſi condemnatum valent, ſi fuerunt facta ante ejus condemnationem.*
276 *Sed Inſtrumenta ab eo confecta poſt ſuam condemnationem, non valent. Et num. præced.*
277 *Inſtrumentum ſi habeat plura capitula, & in uno horum ſit admixta falſitas circa ſubſtantialia negotii, ob quam poſteà Notarius damnatur, probabilius reprobatur in totum.*
278 *Idque multipliciter probatur.*
*Si teſtis falſitatem circa ſubſtantialia adjiciat ſuo teſtimonio, dictum ejus reprobatur in totum. Ib. Et n. 281.*
279 *Falſitas circa ſubſtantialia negotii, quæ?*
*Summa, ſeu quantitas, pars eſt ſtipulationis; ſic eſt quid ſubſtantiale. Ibid.*
280 *Falſitas circa accidentalia non vitiat inſtrumentum.*
281 *Si teſtis depoſuit falſum circa accidentalia duntaxat, valet ejus teſtimonium quoad cætera.*

256 QUæritur I. Quibus modis generatim Inſtrumenta impugnari, & reprobari poſſint? Reſp. I. Inſtrumenta, generatim loquendo, poſſunt impugnari juxta omnia quatuor cauſarum genera. Ex parte quidem cauſæ efficientis, quando eſt factum ab eo, qui non erat habilis: ut putà, quia non erat Notarius publicus, vel fuerat excommunicatus &c. Ex parte cauſæ materialis, opponendo videlicet, quòd ſit factum ſuper re illicita, vel à Jure non permiſſa. Ex parte cauſæ formalis, quando non ſunt obſervatæ ſolemnitates à Jure requiſitæ: v. g. Si fuerit omiſſa indictio, annus, teſtis, ſubſcriptio, vel quid aliud ad ejus ſubſtantiam requiſitum, de quibus ſupra §. 1. *n.* 17. *& ſeqq.* Ex parte cauſæ finalis, ſi opponatur inſtrumentum, vel privilegium eſſe ob vel ſubreptitiè obtentum, narrando falſa, vel tacendo vera de jure exprimenda; de quorum poſtremo jam ex profeſſo dictum eſt *Lib. 1. Tit. 3. de Reſcriptis*, §. 7. *& ſeqq.* ubi etiam plura habentur *de Erroribus & Raſura Reſcriptorum*, quæ ſervata proportione huc applicari poterunt.

257 Reſp. II. Impugnaturus quodpiam inſtrumentum, vel quamcunque ſcripturam, ante omnia diligenter videat, & perlegat totum ejus tenorem: alias enim nec redargui poſſunt, nec valet reſciri, quid redargui in eiſdem debeat. Textus eſt *in c. Accepimus 4. h. t.* ibi: *Cùm privilegia non inſpecta non valeant argui falſitatis*: junctis concordantiis per Gloſſam *ibid. V. Non valeant*, allegatis.

258 Reſp. III. Perlegens inſtrumentum, bene perpendat, quis v. g. contraxerit, vel ſtipulatus ſit; quid, & cui, & quantum, & an ſit talis, qui hoc poterit; atque omnes alias hujuſmodi conditiones, ſeu circumſtantias ritè ponderet. Speculator *tit. de Inſtrumentorum editione*, §. *Inſtrumentum ergo publicum*, *num.* 1. & alii. De quibus tamen cum in propriis locis agi conſueverit, atque hactenus plura jam dicta fuerint, eiſdem pro nunc ſuppoſitis, ſpecialiores quædam quæſtiones circa cauſam efficientem inſtrumentorum, ſeu circa perſonam Notarii, impræſentiarum occurrunt reſolvendæ; Unde

259 Quæritur II. Utrum inſtrumentum publicum confectum à Notario valeat extra territorium ejus, à quo conſtitutus fuit? Ubi præſupponendum conformiter dictis, §. 1. *n.* 27. quod inter alia ad validitatem publici inſtrumenti requiratur, ut Notarius illud conficiens, legitimè ſit creatus; id eſt, ab habente poteſtatem conſtitutus fuerit publicus Notarius.

260 Porrò hujuſmodi poteſtatem creandi publicos Notarios, cum primis habet Papa, Imperator, Rex, & alius Princeps ſuperiorem non recognoſcens, ſicut & Civitates exercentes jura Principis. Abbas *c. Cùm P. n. 7. & 8. h. t.* aſſerens, de hoc non eſſe dubium. Speculator *tit. de Inſtrumentorum editione* §. *Reſtat videre n.* 22. id probans ex *cit. c. Cùm P. h. t. & c. Per venerabilem. Qui filii ſint legitim.* Deinde dicta poteſtas competit illis, quibus à Supremo Principe conceſſum eſt ſpeciale privilegium creandi Notarios: vel qui per immemorialem conſuetudinem tale jus legitimè præſcripſerunt, *arg. L. ult. C. de Emancipat. & c. Cùm dilectus 9. h. t. & c. Accedentibus 12. §. fin. de Exceſſib. Prælat.* ac notat Speculator & Abbas, *ubi ſupra*. Pirhing *h. t. n.* 8. citans alios. Quin etiam Epiſcopi poſſunt creare Notarios pro ſua Diœceſi. Card. Tuſchus *Litt. E. Concl.* 290. *n.* 1. poſt Oldradum *Conſil. 75. & Litt. N. Conſil. 70. n. 5. & 6.* Abbas *c. Cùm P. n. 8. h. t.* Belletus *Diſquiſit. Cleric. p. 1. tit. 1. §. 29. n. 10.* & alii ab his citati. Quo prænotato

261 Reſp. I. Inſtrumentum publicum confectum à Notario intra territorium conſtituentis, valet, facitque fidem etiam extra territorium ejus; adeoque ex hoc capite non rectè impugnatur. Ita Abbas *cit. c. Cùm P. n. 9. h. t.* & Felinus *ibid. n.* 16. citans Rotam *in Formis. Deciſ.* 291. *incip. Inſtrumenta confecta*, & plurimos alios; ac ſequitur Pirhing *eod. n.* 10. citans alios. Ratio eſt: quia circa valorem inſtrumenti inſpicitur locus, ubi inſtrumentum ſcriptum eſt, *arg. L. 1. C. de emancipat.* ac notat Abbas *loc. cit.* iſtud amplians, etiamſi Notarius intra territorium conſtituentis, feciſſet inſtrumentum rogatus ab extraneis: quia tale inſtrumentum jam acceperat fidem publicam in loco conſtituentis talem Notarium, & quidem à Jure communi: atqui vis probandi ſemel acquiſita, non tollitur mutatione loci; ergo. Concordant dicta ſuperiùs § 5 *n. 153. & 154* ubi pluribus oſtenditur, quòd inſtrumentum factum ſecundum conſuetudinem loci, probet ubique, etiam quoad extraneos.

262 Reſp. II. Spectato Jure communi Notarius creatus à Papa poteſt quidem inſtrumenta conficere in terris Eccleſiæ ſubjectis, ac etiam alibi quoad cauſas Eccleſiaſticas, non tamen in terris Imperii reſpectu cauſarum laicarum perſonarum, ſicut & Notarius creatus ab Imperatore nequit extra terras Imperii, vel in cauſis Eccleſiaſticis inſtrumenta conficere. Ita Abbas *cit. c. Cùm P. n. 9.* & Felinus *ibid. n. 7. h. t.* Jo. Andreas *c. Sicut te*, *n.* 3. & Abbas *ibid. n. 12. Ne Clerici vel Monachi &c.* Speculator *cit. §. Reſtat videre n. 27. & ſeqq.* Pirhing *h. t. n.* 11. quamvis oppoſitum eſſe de jure verius, cenſeat Card. Tuſchus *Litt. N. Concl. 72. n. 1. & 3.* allegans alios. Ratio Concluſionis eſt: quia, ut argumentatur Jo. Andreas *cit. n.* 3. duo operantur, quòd credatur publico inſtrumento, nempe præſtatio juramenti per Notarium facta, *c. Ad audientiam*, 13. *§. Nos igitur de Præſcript.* & authoritas judicialis, qua Notarius talem recipit poteſtatem, *Auth. de Tabellionibus*, §. 1. *Collat.* 4. Atqui hoc poſterius deficit in Notario, qui conficit inſtrumentum extra territorium conſtituentis. Accedit, quòd Notarius non exerceat juriſdictionem, quæ poſſit prorogari extra territorium de conſenſu partium: habet enim duntaxat officium in Republica; unde & *Servus publicus* appellatur, *L. 2. ff. Rem pupilli ſalvam fore*, & *cap. 2. de Uſuris in 6.* juncta Gloſſa *Servo publico*. Atqui hujuſmodi officium non extenditur extra territorium conſtituentis, *arg. l. Præſes, ff. de Offic. Præſid.* cum ſimilibus. Tandem dictum teſtis, authoritate Judicis laici in cauſa Eccleſiaſtica recepti, fidem non facit in Foro Eccleſiæ, *c. At ſi Clerici, 4. de Judiciis*; ergo nec probat inſtrumentum ſuper cauſa Eccleſiaſtica factum per Notarium laicum: valet enim argumentum à teſte ad Notarium & econtrà, juxta dicenda *n.* 266.

263 Additur notanter in Concluſione, *ſpectato Jure communi*. Nam, quod ſecùs accidere poſſit de conſuetudine; & per tacitum conſenſum Supremorum Principum, ultrò fatendum eſt. Et hoc modo videtur intelligendus Card. Tuſchus *cit. Concl* 72. & Maſcardus *de Probat. Concl. 28. n.* 19. cum pluribus aliis aſſerentes, quòd ſi Notarius Imperialis conficiat inſtrumentum in terris Eccleſiæ, probet, & econtrà; uti cenſuit Rota *Deciſ. 5. alias 291. de Fide Inſtrument. in novis*: quia (ſubjungit Maſcardus *n.* 21.) ita tenuit veterata conſuetudo, & communis obſervantia.

264 Nec obſtat, quòd Clericis in ſacris Ordinibus conſtitutis, ſub pœna privationis Beneficii prohibitum ſit, officium Notariatus exercere in cauſis temporalibus, ſeu profanis, *c. Sicut te 8. Ne Clerici vel Monachi &c.* Reſp. enim cum Jo. Andrea *ibid. n. 1.* & aliis, iſtud eſſe quidem illicitum dictis Clericis, non tamen reddi inſtrumentum invalidum, ſi ſecùs attentetur: quia iſtud ibidem non ſtatuitur, neque ejuſmodi inſtrumentum à Clerico factum declaratur invalidum, ſed ſola pœna privationis Beneficii Clerico imponitur; unde aliam invenire non debemus. Nam *interpretatione legum pœnæ ſunt molliendæ potiùs, quàm exaſperandæ*, ut dicitur *l. Interpretatione, ff. de Reg. Jur.* cum concordantiis. Simulque multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, roboris obtinent firmitatem, *c. Ad apoſtolicam*, 16. *de Regulari*.



265 Quæritur III. An inſtrumenta confecta per Notarium putativum, qui in veritate non eſt Notarius, tamen communi opinione reputatur talis, ſint valida? Ratio dubitandi, & affirmativam tenendi, eſt: quia *error communis jus tribuit*: prout habet vulgatum axioma, atque deſumitur ex *l. Barbarius, ff. de Offic. Prætor.* ubi Acta judicialia ſervi fugitivi, qui neſciebatur talis eſſe, atque in Prætorem electus fuerat, propter communem errorem, atque publicam utilitatem valere cenſentur. Accedit: quia talis Notarius eſt in quaſi poſſeſſione officii Notariatus: ſimulque nihil eſt, quod imputari poſſit parti ab ipſo confectionem inſtrumenti poſtulanti, cùm iſte publicè habeatur pro Notario.

266 Confirmatur: quia bonum eſt argumentum à teſte ad Tabellionem, ſeu Notarium publicum, & econtrà, *arg. l. Domitius Labeo, ff. de Teſtament.* juncta Gloſ. *fin. ibid.* computante Tabellionem in numero teſtium; & *l. Hac conſultiſſima, §. fin. C. de Teſtament.* ac notãt Doctores *ibid.* & Jaſon *d. l. Barbarius, n. 46. ff. de Offic. Prætor.* Atqui teſtis, qui reverà eſt inhabilis, comuni tamen opinione reputatur habilis, ſi adhibeatur in teſtamento, ſufficit ad hujus validitatem, *L. 1 C. de Teſtament & § Sed cum aliquis. Inſtit. eod.* ubi ſervus comuni opinione reputatus liber, poteſt in teſtamento eſſe teſtis; ergo idem dicendum de eo, qui comuni opinione reputabatur Tabellio, ſicque confecit inſtrumentum. Verum his non obſtantibus, affirmativa ſententia nequit indiſtinctè admitti, ſed oportet cõgruam adhibere diſtinctionem: unde

267 Reſp. I. Aut Notarius ille putativus, & conficiens inſtrumenta, habet titulum coloratum ſui officii (quia nimirum fuit conſtitutus à Superiore, ſed propter occultum defectum non potuit tale officium habere, vel iſtud denuò perdidit) & valent inſtrumenta ab eo confecta. Aut non habet titulum coloratum, eo quòd nunquam fuerit creatus Notarius per habentem poteſtatem, ſed ipſemet ſeſe ingeſſerit huic officio, & non valent ejuſmodi inſtrumenta. Ita Speculator *tit. de Inſtrumentorum editione. §. Reſtat videre nu.* 32. Bartolus *in d. l. Barbarius. §. Et per hoc puto, ff de Offic. Prætor.* Abbas *c. Sicut te n. 21. Ne Clerici vel Monachi &c.* Pirhing. *h. t. n.* 13. Zoëſius *tit de Fide inſtrument. ff. n. 4* Jaſon *d. l. Barbarius, n. 48. ff de Offic. Prætor.* citans alios, atque hanc ſententiam appellans veram & communem, & intrepidè tenendam. Concordant dicta ſuperiùs *Tit de judiciis, §. 8. n. 196. & ſeqq.* ubi in ſimili reſolvitur quæſtio illa: *Utrum valeant geſta per judicem putativum?*

268 Prima pars patet ex *cit. l. Barbarius, ff. de Offic. Prætor.* quæ expreſsè loquitur de caſu, in quo præceſſit electio alicujus in Prætorem, qui à parte rei quidem fuerat inhabilis (erat enim ſervus fugitivus) communi tamen hominum opinione reputabatur liber, atque ad exercendum illud officium habilis, ſicque ob publicam Reipublicæ utilitatem, & ne innoxii, qui coram ipſo bona fide egerunt, damnum patiantur, ſuſtinentur Acta ipſius, ipſo Jure communi ſic diſponente: idem ergo dicendum de Notario, habente titulum coloratum officii ſui, ob paritatem rationis. Hoc ipſum ſuadent rationes dubitandi *n 265. & 266.* relatæ, junctis earum ſolutionibus, in quantum pugnant contra alteram partem Concluſionis, proximè afferendis.

269 Secunda pars probatur ex eo: quia poteſtas creandi Notarium, eſt reſervata Supremo Principi, in ſignum ſuæ ſupremæ poteſtatis, *arg. c. Cùm P. h. t. & Auth. de Tabellionibus. Collat.* 4. Unde nemo eſt Tabellio, niſi creetur à Superiore. Bartolus, *ubi ſuprà*: ideoque error privatorum iſtam poteſtatem eidem præbere non poteſt, *l. Privatorum. C. de juriſdict. omn. judic.* Nec urget textus *in d. l. Barbarius, ff. de Offic. Prætor.* Nam ibi præceſſit deputatio Barbarii ſervi in Prætorem facta ab eo, qui poterat cum ipſo diſpenſare, ut loquitur textus; ſicque habuit titulum ſaltem coloratum, ac proinde meritò ob communem utilitatem ſuſtinentur Acta illius. Secùs accidit in hoc caſu, ubi quis nullum omninò habet titulum coloratum Notariatus; ſed ſemetipſum huic officio ingeſſit, nulla præcedente authoritate Superioris; vel titulo ſaltem colorato. Concordant dicta ſuperiùs *cit. Tit. 1. §. 8. n. 199. & 200.*

270 Confirmatur. Quia ſimiliter in aliis caſibus geſta ab eo, qui nullum habuit titulum, non valent: ut *cap. 1. de Reg. Jur. in 6. & c. Ex frequentibus, de Inſtitut.* ubi occupatio Beneficiorum ſine inſtitutione canonica non valet, non obſtante conſuetudine contraria, ſeu errore communi. Similiter non valent geſta ab eo, qui communi opinione reputatur Tutor, cùm non ſit, *L. 2. ff. De eo, qui pro tutore &c.* Accedit textus apertus *in l. Actuarios*, juncta Gloſſa *fin. C. de Numerariis, Actuariis &c. lib.* 11. ubi irrita cenſentur geſta ab Actuario, & ipſe faciens punitur, ſi non fuerit ſecundùm conſuetudinem antiquam ordinatus.

271 Nec obſtant rationes dubitandi *n.* 265. in contrarium allatæ. Non quidem textus *in cit l. Barbarius, ff. de Offic. Prætor.* quia ibi intervenit titulus coloratus, ac electio Barbarii ſervi in Prætorem, ut proximè dictum; ſecùs in noſtro caſu, ubi ſupponitur, titulum coloratum abeſſe in Notario, cùm ſeipſum officio tali ingeſſerit.

272 Neque obſtat communis error: quia quando actus peccat in ſui forma, ſive quando error eſt ſubſtantialis, tunc error communis nihil operatur. Sic autem ſit in propoſito, quia Notariatus eſt officium publicum, nec poteſt exerceri, niſi quis privilegium habeat à ſupremo Principe, aut cui is ſpecialiter commiſerit; cùm ſit de reſervatis in ſignum ſupremæ poteſtatis. Porrò poſſeſſio Notariatus nihil etiam juvat, cùm ſit merè naturalis: ſimulque, qui ſine creatione, ac Superioris authoritate ſe immiſcet officio Notariatus, potiùs cenſetur temerarius & violentus occupator, non autem poſſeſſor. Unde nec locum habere poteſt præſcriptio, quantocunque tempore poſſeſſio illa continuetur: quia *poſſeſſor malæ fidei, ullo tempore non præſcribit*, juxta *Reg 2. Juris in 6.*

273 Ad confirmationem negatur paritas in Notarium & teſtem, quantùm ad propoſitum. Quia, ut quis ſit teſtis, non requiritur authoritas, ſeu ſpecialis deputatio Principis; ſed generaliter omnes illi, quibus teſtimonium non reperitur interdictum, poſſunt eſſe teſtes, *L. 1. ff. de Teſtib.* Secus dicendum in Notario publico: unde patet magna diſparitas, haud obſtante, quòd in aliis valeat argumentum à Notario ad teſtem, & econtrà.

274 Reſp. II. Patitur nihilominùs data Concluſio quandam limitationem, ſi videlicet quis ingreſſus fuiſſet in quaſi poſſeſſionem Notariatus ſciente, & patiente Superiore, habente poteſtatem creandi Notarios, & fungeretur tali officio: nam tunc inſtrumenta per eum confecta, valerent. Ita Jaſon *cit. l. Barbarius, n. 52. ff. de Offic. Prætor.* poſt Anton. *in cap. 1. de Fide inſtrument.* Ratio eſt: quia, poſtquàm Superior ſcivit, & tacuit, cenſetur tacitè talem Notarium confirmaſſe: unde conſtituitur is in quaſi poſſeſſione officii Notariatus, ſicque valent geſta per ipſum: prout in ſimili de habente poſſeſſionem juriſpatronatus, decernitur *c. Conſultationibus 19. de Jurepatronat.*

275 Quæritur IV. An valeant inſtrumenta confecta per Notarium, qui anteà quidem legitimè creatus, ſed poſtmodum condemnatus fuit de Falſo in ſuo officio commiſſo? Reſp. I. Valent inſtrumenta à tali Notario ante ejus condemnationem facta, quamvis hæc poſteà ſequatur: ſed inſtrumenta ab eo confecta poſt ſuam condemnationem non valent. Ita Innocentius *in c. Fraternitatis, de Hæretic.* & Abbas *ibid. n.* 3. Bartolus *in l. Barbarius. §. Quid de Notario, ff. de Offic. Prætor.* Speculator *tit. de Inſtrumentorum editione*, *§. Reſtat videre, n.* 35. Jo. Andreas *in Addit. ibid. V. L. fin.* Pirhing. *h. t. n.* 13. & alii. Prima pars ſequitur ex dictis *n.* 268. quia ex quo talis Notarius toleratur in officio, geſta ratione publici officii propter publicam utilitatem non retractantur, licèt poſteà ſequatur

quatur depoſitio ipſius, *arg. l. Barbarius ff. de Offic. prætor & can. Infamis perſona, 3. q. 7. §. Veruntamen*. Accedit, quòd ſententia contra Notarium lata, non debeat aliis nocere, *l. Lucius Titius, in fin. ff. de iis qui notantur infam.* cum ſimilibus.

276 Altera verò pars deſumitur ex *cit. c. Fraternitatis 4. de Hæretic.* Quia, ex quo damnatus eſt author falſitatis, opera ejus, veluti falſarii, nequeunt amplius facere fidem: nam qualis eſt auctor, talia præſumuntur opera ejus. Textus, & Gloſſa *in Caſu cit. c. Fraternitatis*. Concordat Reg. 8. Juris in 6. *Semel malus, ſemper præſumitur eſſe malus*, ſaltem in eodem genere delicti, ut explicat Gloſſa *ibid.* Accedit, quòd Notarius de crimine Falſi convictus, & condemnatus, hoc ipſo removeatur à publico officio Notariatus: unde locum habet, quod ſtatuitur *l. Si aliquid C. de Suſceptorib. lib. 10.* ubi Bartolus *in Summario* breviter ſic ait: *Non poteſt quis exercere officium, in quo ſemel deliquit*.

277 Reſp. II. Inſtrumentum ante condemnationem Notarii confectum, ſi habeat plura capitula, & in uno capitulo ſit admixta falſitas circa ſubſtantialia negotii, ob quam poſteà Notarius ille damnatur, & deponitur, probabiliùs reprobatur in totum. Ita Abbas *cit. c. Fraternitatis, n. 4.* poſt Innocentium *ibid. de Hæretic.* Bartolus *l. Si ex falſis §. Adverte tamen C. de Tranſaction.* iſtud intelligens, quando falſitas provenit ex perſona Notarii, qui ſua malitia, vel dolo; commiſit falſum in uno, ex ſubſtantialibus. Eandemque ſententiam plures alii tenent apud Menochium *de præſumptionibus, lib. 5. præſumpt. 22. n. 3.* cui etiam multùm favet Speculator *tit. de Inſtrumentorum editione §. Inſtrumentum ergo, n. 10. & 11.* Tancredum, & quoſdam alios, qui volunt, quòd tunc reprobentur ſola capitula connexa cum falſo, non verò ſeparata: quam contrariam ſententiam etiam ſequitur Menochius *cit. præſumption. 22. n. 32.* Fachineus *lib. 9. Controverſ. Juris, c. 79.* & probabilem cenſet Pirhing *h. t. n. 52.*

278 Ratio Concluſionis eſt; quia fides inſtrumenti publici, pendet à fide & probitate Notarii; ut inquit Menochius *loc. cit. n. 4.* allegans Gloſſam *l. Si quis ex argentariis, §. 1. ff. de Edendo*. Ergo, ſi falſitas inſtrumenti circa ſubſtantialia negotii procedit ex vitio Notarii ob id condemnati, hoc ipſo totum teſtimonium ipſius utpote falſarii reprobatur; nam fides Notarii eſt quid individuum, atque ex ea pendet fides inſtrumentorum. Confirmatur: quia ſi teſtis aliquam falſitatem circa ſubſtantialia adjiciat ſuo teſtimonio, dictum ejus reprobatur in totum, utpote perjuri, *can. pura 3. q. 9.* ac notat Gloſſa *c. In noſtra V. Adverſa, de Teſtib.* Farinacius *de Teſtib. q. 67. n. 178.* allegans plurimos alios. Ergo à pari idem eſt dicendum de inſtrumento Notarii: nam etiam hic eſt aliquis teſtis, *l. Domitius ff. de Teſtament.* valetque argumentum à teſte ad Notarium, juxta dicta paulo ſuperiùs *n. 266.* Concordant ea, quæ in ſimili dicta ſunt *Lib. 1. Tit. 3. De Reſcriptis §. 8. n. 175. & ſeqq.* ubi ex profeſſo, atque ſolutis contrariis, fusiùs oſtenſum eſt, quòd ſubreptio, contingens in una parte Reſcripti diverſas partes habentis, probabiliùs vitiet in totum; ergo ob paritatem rationis, idem dicendum eſt in propoſito.

279 Additur notanter in Concluſione, *admixta falſitas circa ſubſtantialia negotii*. Qualis contingeret, ſi Notarius falſo ſcripſiſſet, contractum fuiſſe celebratum circa unam rem, v. g. equum; qui fuit factus circa aliam rem, v. g. vaccam: nam error, ſeu falſitas circa ſubſtantiam rei, proculdubio eſt ſubſtantialis: Idemque fieret, ſi Notarius ſcripſiſſet, Titium debere Cajo viginti, cùm ſcribendum fuiſſet decem: quia *ſumma*, id eſt, quantitas, *pars eſt ſtipulationis*, ſeu inſtrumenti, in quo continetur ſtipulatio; ac proinde eſt quid ſubſtantiale, *L. 1. §. Editiones*, juncta Gloſſa *V. Summa, ff. de Edendo*. Unde commiſſa per Notarium tali falſitate, meritò corruit totum inſtrumentum.

280 Secùs dicendum, quando falſitas contingit circa aliquod extrinſecum, & non ſubſtantiale: quia ſcripſit, contrahentes eſſe talis nationis, ſeu conſanguineos, affines, aut quid aliquid, quod non facit ad negotium. Etſi enim iſtud ſit falſum, non tamen ideò vitiatur totum inſtrumentum: quia nihil facit ad contractum venditionis, permutationis &c. undecunque ſint contrahentes, vel an conſanguinei exiſtant, nec ne, *arg. c. Cùm deputati 16. de Judiciis.* Innocentius, & Jo. Andreas *c. Fraternitatis, n. 1.* & Abbas *ibid. n. 4. de Hæretic.* aliique paſſim.

Simile quid contingit in teſtibus. Licet enim, ſi teſtis deponit falſum in ſubſtantialibus quoad unam partem, dictum ejus reprobetur in totum: quia reperitur perjurus, *can. Pura 3. q. 1. & can. Si teſtes 4. q. 3. §. Qui falſo*, cum ſimilibus. Secùs tamen eſt dicendum quando depoſuit falſum circa accidentalia duntaxat, ſeu circa circumſtantias neutiquam facientes ad ſubſtantiam negotii, de quo agitur: adhuc enim valet ejus teſtimonium quoad cætera, cùm nihil ſit, quod impediat fidem ipſius. Jo. Andreas, & Abbas, *ubi ſuprà*. Farinacius *de Teſtibus, q. 67. n. 179.* allegans plurimos alios; atque ſubjungens ita ſolere tenere Rotam. 281

## §. X.

## De Reprobatione Inſtrumentorum per teſtes.

### SUMMARIUM.

282 *Probatio per teſtes an ſit validior probatione per inſtrumenta? Et n. ſeqq.*
*Ponuntur rationes negativam tenendi. Ibid.*
283 *Probatio per teſtes, ſimpliciter loquendo, eſt validior digniorque probatione per inſtrumenta.*
284 *Idque variè probatur. Et n. 283. & 285.*
*Primò nominatus cenſetur cæteris dignior. Num. 283.*
285 *Probatio per teſtes eſt vera, & naturalis; probatio per inſtrumenta eſt extraordinaria, & artificialis.*
286 *Fides inſtrumentorum poteſt reprobari, atque elidi depoſitione teſtium.*
287 *Inſtrumentum inducit notorium, & facit rem manifeſtam &c. Quale?*
288 *Eadem vim obtinent tam fides inſtrumentorum, quàm depoſitiones teſtium; & quomodo? Et n. 282.*
289 *Teſtes plenam fidem faciunt in criminalibus: inſtrumenta verò directè non probant crimen.*
*Verbum* Litis, *non criminalem, ſed civilem cauſam deſignat. Ibid.*
290 *Inſtrumenti valor ſtat eouſque, donec aliquid probabile contra illud afferatur.*
291 *Ubi requiritur ſcriptura ad ſubſtantiam actus, teſtes non ſufficiunt.*
292 *Per teſtes inſtrumentarios qualiter poſſit inſtrumentum oppugnari? Et n. ſeqq.*
*Teſtes inſtrumentarii, & extranei, qui? Ibid.*
293 *Quando teſtes inſtrumentarii adhuc vivunt, omneſque adverſàtur inſtrumento, cenſetur iſtud omnino falſū.*
294 *Idemque dicendum, quando major pars teſtium inſcriptorum contradicit inſtrumento.*
295 *Solvitur inſtantia.*
*Abſentia teſtium qualiter probari poſſit? Ibid.*
296 *Quod ſi duo v. g. teſtes inſcripti contradicunt inſtrumento, tunc aut remanet legitimus numerus teſtium ſtantium pro inſtrumento; & valet.*
297 *Hujuſque ratio. Et n. ſeq.*
298 *Magis creditur duobus affirmantibus, quam mille negantibus, & cur?*
299 *Aut non remanet legitimus numerus teſtium; & non valet inſtrumentum. Et n. 296.*
300 *Si aliqui teſtium non abſolute negent, ſed dicant, ſe non ampliùs recordari &c. ſuſtinetur inſtrumentum.*
301 *Valet quoque teſtimonium teſtium, qui recordantur celebrati v. g. contractus, non tamen anni, menſis, aut diei, quo is factus eſt &c.*
302 *Valet inſtrumentum publicum, etſi teſtes inſcripti interea fuerint mortui.*
*Et quid, ſi negetur eſſe genuinum talis Notarii inſtrumentum? Ibid.*
303 *Aut teſtis aſſerat, ſe non ita dixiſſe, ſicut Notarius ſcripſerat. Remiſſivè.*
304 *Poteſt inſtrumentum reprobari etiam per teſtes extraneos. Et num. ſeqq.*
305 *Dummodò ipſi ſint teſtes idonei, atque omni exceptione majores.*
306 *Modicus enim defectus repellit tales teſtes.*



307 *Secùs dicendum de teſtibus inſtrumentariis, niſi nova cauſa iſtos repellendi ſuperveniat.*
308 *Inſtrumentum poteſt per teſtes reprobari dupliciter, nempè vel directè.*
309 *Et quid ad hoc requiratur?*
310 *Vel indirectè & quomodo iſtud fiat?*
*Probata falſitate inſtrumenti circa unum punctum ſubſtantiale, tollitur fides ejus in totum. Ibid.*
311 *Quot teſtes, præſertim extranei, ſufficiant ad reprobandum inſtrumentum Notarii, variant Doctores. Et num. ſeqq.*
312 *Refertur opinio Gloſſæ, quinque, vel ſaltem quatuor teſtes requirentis.*
313 *Probabilius eſt, ſufficere duos teſtes omni exceptione majores &c.*
314 *Solvuntur contraria. Et num. ſeqq.*
*Præſumptio quæ ſtat pro inſtrumento publico Notarii, tollitur per contrariam depoſitionem teſtium.*
315 *Inſtrumentum æquivalet duobus teſtibus; & quomodo? Et nu. ſeqq.*
316 *Teſtes inſtrumento inſcripti, quando probent?*
317 *Non tamen ſufficiunt duo teſtes ad reprobandum inſtrumentum, quando iſtud per alios teſtes viva voce coadjuvatur.*
318 *Judicis arbitrio multùm committitur, an inſtrumento, vel magis teſtibus contra illud deponentibus fides ſit habenda.*
319 *Ceſſante omni ſuſpicione ex parte Notarii, & inſtrumenti, magis inſtrumento credi debet, quam teſtibus contra illud deponentibus.*
*Præſertim, ſi inſtrumentum ſit antiquum. Ibid.*
320 *Dantur nihilominùs aliqui caſus, in quibus contra inſtrumentum non admittuntur teſtes; & qui?*

282 QUæritur I. Utrùm probatio per teſtes validior ſit probatione per inſtrumentum, atque hanc elidere valeat? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi, deſumitur ex *l. In exercendis C. de Fide inſtrument.* ubi dicitur: *In exercendis litibus eandem vim obtinent tam fides inſtrumentorum, quam depoſitiones teſtium.* Ubi proinde Summarium ſic habet: *Tantum valet inſtrumentum ad probandum, quantum depoſitiones teſtium, & econtrà.* Accedit, quòd inſtrumentum majori cum præmeditatione fiat, ac depoſitio teſtium: unde & facilior, certiorque eſt probatio per ſcripturam, quam per teſtes; eò præſertim, quòd horum memoria ſit labilis, ac ſubinde etiam mutabilis, *l. Hac conſultiſſima. §. At cùm humana C. de Teſtament.* Atque idcircò plures dantur caſus, in quibus ſcriptura requiritur, & teſtes non ſufficiunt; horum enim triginta quatuor enumerat Gloſſa *in cap. 1. V. In ſcriptis, de Cenſib. n. 6.* Verùm his non obſtantibus

283 Reſp. I. Probatio per teſtes, ſimpliciter loquendo, eſt validior digniorque probatione per inſtrumenta. Ita Abbas *in Rubric. de Teſtib.* & Baldus *ib.* Felinus *Rubric. de Fide inſtrument. n. 1.* Maſcardus *de Probat. Quæſt. Proœm. 6. n. 2. & ſeqq* allegans communem, contra Accurſium *in Rubric. ff. de Fide inſtrument.* & nonnullos alios. Probatur imprimis iſtud ex ordine Titulorum Juris Canonici: nam in iſto, ſicut & in Jure Civili *Lib. 4. Codicis* (quamvis ſecùs fiat *Lib. 22. Digeſtorum*) priùs agitur *de Teſtibus*, quam *de Fide inſtrumentorum*: atqui aliquid eſſe dignius altero, rectè deſumitur ex ordine Titulorum, prout tradit Cardinalis *in Rubric. de Statu Monachor.* Bartolus *in L. 1. ff. de Confirmat. tutor.* Maſcardus *loc. cit. n. 7.* allegans alios. Nec mirum: quia etiam ex ordine verborum eſt argumentandum; adeò, ut primò nominatus cenſeatur cæteris dignior, *arg. can. Inter verba, 11. q. 3.* juncta Gloſſa *ibid. V. Præmiſit*, ac notat Fagnanus *c. Bonæ memoriæ, n. 70. de Poſtulat.* citans alios.

284 Idipſum probatur rationibus, quarum novem aſſignat Baldus, & Felinus, *ubi ſuprà*. Quia, ut aliæ taceantur, dignior, atque æſtimabilior eſt vox viva, quam mortua; ut *Auth. de Inſtrument. cautel. §. Si quis igitur. Collat. 6.* ubi dicitur, quòd quis cautè depoſiturus non confidat ſoli accipientis ſcripturæ (hæc enim poteſt negari) ſed advocet etiam teſtes. Unde non debet quis teſtificari per ſchedulam, ſed viva voce, *c. Tuæ, de Cohabitat. Cleric.* cum ſimilibus. *Quia alia eſt authoritas præſentium teſtium, alia teſtimoniorum, quæ recitari ſolent*; prout habetur *L. 3. ff. de Teſtib. & can. Si teſtes 4. q. 3. §. Alia eſt authoritas*. Siquidem anima organo vocis exprimit ſuam voluntatem, atque intentionem; & voces ſunt ſigna paſſionum animi; cum nemo exiſtimandus ſit dixiſſe, quod mente non ſenſerat, *l. Labeo §. fin. ff. de Supellect. legat.* Hinc acuitas vivæ vocis fortiùs; atque efficacius, movet animum auditoris: ac plurimùm in excutienda veritate vox ipſa aliquid dicentis affert, *l. De minore §. Tormenta ff. de Quæſtionib.*

Accedit, quòd probatio per teſtes ſit vera & naturalis, Jurique Divino conformis, juxta illud Salvatoris Matth. cap. 18. *In ore duorum aut trium teſtium, ſtat omne verbum*. Econtrà probatio per inſtrumentum eſt extraordinaria & artificialis; eſtque quodammodo quid prodigioſum, ut credatur pelli animalis mortui cunctis tacentibus; prout poſt Innocentium *c. Cùm P. & c. Cùm Ioannes, h. t.* loquitur Abb. *c. Tertio loco 5. de Probat.* & Fel. *ad Rubric. de Fide inſtrum. n. 1.* & Maſcard. *l. c. n. 3.* allegans alios. Unde ulteriùs, & conformiter datæ Concluſioni 485

Reſp. II. Probatio per inſtrumenta, ſeu fides inſtrumentorum poteſt reprobari, atque elidi depoſitione teſtium, legitimè opponentium aliquid contra valorem, aut veritatem inſtrumenti. Ita communis; & patet ex *c. Tertio loco 5. de Probat. & c. Cùm Ioannes 10. §. porrò, de Fide inſtrument.* ubi referuntur tales caſus, in quibus inſtrumentum per teſtes fuit reprobatum; ac notant Gloſſæ, & DD. paſſim. Nam generale eſt, quòd ex contrariis probationibus fortior, ſeu efficacior, prævalere debeat, *l. Ob carmen. § fin ff. de Teſtib.* ac vincat, quod potentius eſt, *l. Generaliter, ff. de Fidejuſſorib.* cum ſimilibus; eſtque jam dictum ſuprà *Tit. 19. de probationibus, §. 4. n. 76. & ſeqq.* 286

Nec obſtat, quòd Inſtrumentum inducat notorium. Abbas *c. cum olim, n. 9. & 10. de cenſib.* juncto textu, ac Gloſſa *fin. ibid.* Bartolus *in L. 1 §. Venio ad quæſtionem, n. 8.* & Jaſon *ibid. n. 10. ff. de Novi operis nunciat.* Sigiſm. Scaccia *l. 2. de Iudiciis, c. 7. n. 152.* Menochius *de Recuperand. poſſeſſ. remed. 1. num. 224.* Et faciat rem manifeſtam, ſitque probatio probata. Baldus *l. Quoties, in fin. C. de Iudiciis*. Jaſon, Menochius, *ubi ſuprà*, & alii. Reſp. enim, iſtud procedere loquendo de inſtrumento confeſſato, ſeu contra quod a parte adverſa nihil opponitur: ſecùs dicendum, quando opponitur aliquid rationale contra validitatem inſtrumenti. Menochius *loc. cit. num. 225.* aſſerens, inſtrumentum ita demum rem claram facere, cùm nihil illi objicitur: nam ſi opponatur, & in controverſiam vocetur, res clara eſſe deſinit; ut probat Bartolus *in l. Si cauſa cognita, num. 4.* & ibi Alexander *num. 9. C. de Tranſaction.* Cravetta *conſil. 229. n. 8.* Decius *conſil. 351. num. 9.* & ſequitur Scaccia *cit. cap. 7. num. 156.* 287

Neque obſtant rationes dubitandi *num. 282.* in contrarium allatæ. Nam imprimis textus ex *l. In exercendis. C. h. t.* relatus, vult duntaxat, quòd eadem ſit inſtrumenti, ac teſtium vis quoad probationis effectum, ſi nihil ipſis opponatur: quia tunc æquiparantur, paremque habent vim probandi; cùm tamen teſtes, quàm inſtrumenta, plenam faciant probationem. Abbas *c. Tertio loco, n. 5. de Probat. & c. Cùm Ioannes num. 5. h. t.* Pirhing *h. t. nu. 73. verſ. Quare* Secùs dicendum, quando teſtes contradicunt inſtrumento, illudque reprobant veluti falſum, ſeu invalidum: quia tunc non obtinet eandem vim, ſed cæteris paribus prævalent teſtes. Gloſſa *n. cit. l. in exercendis*. Abbas *d. c. Cùm Ioannes, n. 5. h. t.* Maſcardus *de probat. q. 6. proœm. n. 22.* & alii. 288

Tacetur, quòd teſtes plenam fidem faciant etiam in criminalibus, *l. Sciant cuncti. C. de probat.* cum ſimilibus; inſtrumenta verò directè non probent crimen: unde in criminalibus teſtes perſonaliter debent apud Judices comparere, *Auth. Apud eloquentiſſimum. C. h. t.* ac fusè oſtendit Jo. Andreas *Reg. Semel malus, n. 4. & ſeq. de Reg. jur. in 6.* Atque ideò vel ex hoc capite major eſt vis teſtium, quàm inſtrumentorum, quoad effectum videlicet probandi in criminalibus. Quod ipſum indicat textus ex *cit. l. In exercendis litibus &c.* relatus: nam verbum *litis*, non criminalem, ſed civilem cauſam deſignat, *l. Litis nomen, ff. de Verb. ſignif.* 289

Ad alteram rationem *num. 282.* in contrarium allatam dicitur, ipſam habere locum, quando contra veritatem, 290

tatem, ſeu valorem inſtrumenti, nihil rationabile opponitur: alias ſecus. Nam valor, ac prærogativa inſtrumenti ſtat quidem eo uſque, donec aliquid probabile, & ratione conſentaneum contra illud fuerit allatum; ſecùs, ſi per teſtes probetur ejus falſitas, aut alius defectus ſubſtantialis. Quia etiam in inſtrumentis poſſe committi falſitatem, patet ex *cit. Tertio loco, de Probat.* Ut taceantur alii defectus ſubſtantiales, qui in inſtrumentis poſſunt intervenire, illudque invalidum reddere, conformiter hactenus dictis.

291 Ad tertiam dicitur, illud eſſe ſpeciale in caſibus illis, in quibus Jure ſic diſponente requiritur ſcriptura ad ſubſtantiam actus; ſive contractus, ſicque teſtes non ſufficiunt: ut *l. Contractus venditionum C. h. t.* cum aliis caſibus, per Gloſſam *cit. cap. 1. ℣. Inſcriptis, de Cenſib. in 6.* relatis. Secùs dicendum in cæteris caſibus, ſeu ubi ſcriptura neceſſariò non debet intervenire. Verùm occaſione præmiſſorum

292 Quæritur II. An, & qualiter per teſtes inſtrumentarios poſſit inſtrumentum impugnari, ac reprobari? Et additur notanter, *per teſtes inſtrumentarios*: plures enim impræſentiarum poſſunt caſus diſtingui. Vel enim *Teſtes* illi, qui inſtrumentum impugnant, ſunt *inſtrumentarii*; hoc eſt, deſcripti in inſtrumento, ſeu inſcripti (putà, ſi in inſtrumento dicatur, contractum aliquem fuiſſe celebratum præſentibus Titio, Cajo & Andrea teſtibus) aut etiam ipſi ſubſcripti: uti fit in teſtamentis. Vel non ſunt inſtrumentarii, ſed impugnatur inſtrumentum à *Teſtibus extraneis*; hoc eſt, non deſcriptis, aut ſubſcriptis in inſtrumento. Atque de utroque teſtium genere poſſunt plures caſus formari, de quibus in progreſſu, incipiendo à Teſtibus inſtrumentariis, de extraneis autem agendo in ſequenti quæſtione. Unde

293 Reſp. I. Quando teſtes inſtrumentarii, ſeu inſtrumento inſcripti aut ſubſcripti, adhuc vivunt, ſimulque omnes adverſantur inſtrumento, dicentes, ſe non interfuiſſe confectioni illius, aut non eſſe ita actum, prout in ipſo continetur: tunc ejuſmodi inſtrumentum non ſolùm redditur ſuſpectum, ſed omninò cenſetur reprobum & falſum, niſi teſtes illi falſitatis convincantur. Ita Innocentius *c. Cùm Ioannes*, & ibi Jo. Andreas *n. 7.* & Abbas *n. 14. h. t.* Bartolus *l. In exercendis, n. 3. & 7. C. h. t.* Pirhing *h. t. n. 71.* Menochius *de Arbitrar. judic. lib. 2. caſ. 105. n. 9.* allegans alios. Idque patet ex *cit. c. Cùm Ioannes, 10. h. t.* ubi inſtrumentum publicum, in quo continebatur, venditionem cujuſdam domus puram extitiſſe, reprobatur per quatuor teſtes, qui jurati depoſuerunt, ſe interfuiſſe contractui illi, dictæque domus venditionem extitiſſe conditionatam: Concordat *c. Tertio loco, 5. de Probation.* ubi ſimile inſtrumentum reprobatur, veluti falsò confectum nomine Univerſitatis, quæ tamen anteà ſemper contradixerat, uti probatur per teſtes juratos, nec contra hoc pars adverſa quidpiam opponere valebat. Accedit ratio: quia teſtes adhibentur inſtrumento, ut per eos compleatur fides inſtrumenti, *Auth. de Inſtrument. cautel. & fide §. Sed & ſi inſtrumenta, & §. Si verò. Collat. 6.* Atqui iſtud non fit, quando omnes teſtes contradicunt inſtrumento; prout argumentatur Bartolus, & Menochius, *ubi ſuprà*; ergo.

294 Et quod hic dictum eſt de contradictione omnium teſtium inſtrumento inſcriptorum, procedit pariter, ſi longè major pars ipſorum inſtrumento contradicat: prout deſumitur ex *c. Tam litteris 33. §. fin. de Teſtib.* ubi reprobatur inſtrumentum nomine majoris partis Capituli confectum, cùm conſtiterit per legitimas atteſtationes, longè majorem partem Capituli non fuiſſe conſciam ejuſdem. Accedit, quia fides inſtrumenti vacillat ad contradictionem unius teſtis inſtrumentarii *L. 1. §. Si quis ſe neget ff. Quemadmodum teſtament. aperiat.* ubi ſi unus teſtium in teſtamento deſcriptorum negaverit ſuum eſſe ſigillum, redditur teſtamentum ſuſpectum: ergo magis, ſi omnes, aut ſaltem longè major pars contradicat.

295 Dices. Singuli teſtes, qui negant, confectioni inſtrumenti ſe fuiſſe præſentes, ſunt in ſuo teſtimonio ſingulares: ergo per eos nihil probatur contra valorem inſtrumenti; cùm teſtes ſingulares non probent, *c. Licet cauſam 9. §. Quamquam de Probat. & c. Cùm dilectus 32. de Election.* cum ſimilibus. Reſp. Quidquid ſit de antecedenti: nam ſingulorum abſentia poteſt probari, vel per alios, qui fortè tunc aderant, ac viderant, iſtos tempore facti inſtrumenti non interfuiſſe; vel ſaltem indirectè, probando videlicet, quòd eodem die alibi extiterint. Verùm, quidquid ſit de antecedenti, negatur conſequentia: nam dictum illud, quòd teſtes ſingulares non probent, præcipuè locum habet in ſingularitate obſtativa, & diverſificativa; ſecùs in adminicolativa, prout ex profeſſo dictum eſt ſuprà *Tit. 20. de Teſtib. §. 9. n. 291. 294. 297. & ſeqq.* Atqui in propoſito vel nulla intervenit ſingularitas, putà, ſi aliunde conſtet de horum ſingulorum abſentia: vel ea eſt duntaxat adminiculativa, cùm teſtes ejuſmodi concordent in dicto ſuo, quòd nempe inſtrumentum ſit falſum, utpote in quo ipſi fuerunt falsò inſcripti, *c. Quanto De his quæ fiunt à Prælat.* Alioquin certè libera cuipiam malitioſo Notario daretur facultas conficiendi falſa inſtrumenta, teſteſque pro libitu inſcribendi, ſi illi veluti teſtes ſingulares contradicere non poſſent.

296 Reſp. II. Quòd ſi duo v. g. teſtes inſcripti contradicant inſtrumento, aſſerentes, ſe non interfuiſſe eidem, vel ſaltem non ita actum fuiſſe, prout in ipſo continetur: tunc autem remanet legitimus numerus teſtium ſtantium pro inſtrumento, & valet inſtrumentum; aut non remanet legitimus teſtium numerus (hoc eſt, neceſſarius, aut ſufficiens ad probationem, ſeu valorem inſtrumenti) tunc inſtrumentum redditur ſuſpectum, vel etiam falſum, niſi per alios idoneos teſtes ejus veritas probetur. Ita Gloſſa *in L. 1. ℣. Suſpecta fiant, ff. Quemadmodum teſtament. aperiant.* ex textu ibidem inferens, quod vox unius teſtis, negantis v. g. eſſe ſigillum ſuum teſtamento oppoſitum, inducat ſuſpicionem: ſi tamen præter hoc adſint alia ſufficientia ſigilla, ſufficiat, *arg. L. 3. Cod. Si ex falſo Inſtrument.* Idem docet Jo. Andreas *c. Cùm Joannes, n. 8.* & Abbas *ib. n. 14.* & Felinus *n. 50. h. t.* Covarruvias *lib. 2. Variar. reſol. cap. 13. n. 11. concl. 2.* Menochius *de Arbitrar. judic. lib. 2. caſ. 105. n. 27.* allegans plures alios; quamvis Authores hac in re variè loqui, & ſentire, ultrò fateatur Abbas *loc. cit. n. 13. & 14.* Maſcardus *de Probat. Concl. 921. n. 9.* Pirhing *h. t. n. 71.* cæteroquin etiam tenens datam Concluſionem.

297 Ratio prioris partis eſt: quia, ubi adhuc ſupereſt numerus legitimus, ac neceſſarius teſtium pro validitate inſtrumenti deponentium, hoc ipſo inſtrumentum illud eſt firmatum ſufficienti teſtium numero, ſimulque publica Notarii authoritate; ergo non eſt cur reprobetur ex contradictione quorundam teſtium ſupervacaneorum, utpote qui non ex neceſſitate, ſed ex ſuperabundanti duntaxat adhibiti fuerunt. Probatur conſequentia. Tum quia inſtrumentum ejuſmodi jam eſt firmatum ſufficienti authoritate, qualis nimirum de Jure requiritur. Tum quià alioquin utile vitiaretur per inutile, ſeu per ſupervacaneos teſtes, contra *Reg. 37. juris in 6.*

298 Confirmatur. Quia teſtes ſtantes pro valore inſtrumenti, deponunt affirmativè: alii verò, qui negant ſe interfuiſſe, aut contenta in inſtrumento vera eſſe, deponunt negativè: Atqui magis credendum eſt, duobus affirmantibus, quàm mille negantibus; prout loquitur Jo. Andreas *cit. n. 8. verſ. Quòd ſi non omnes &c.* addita ea ratione: quia poſſibile eſt, quòd ubi etiam multi præſentes ſunt, duo tantum ad id, quod agitur, ſint attenti, aliis non advertentibus, vel non curantibus; atque ideò aptius & naturalius eſt teſtimonium affirmantium, quàm negantium veritatem. Hinc (ut exemplificat, Covarruvias, *ubi ſuprà, Concl. 2.*) ſi inſtrumento inſcripti fuerunt quinque teſtes, cum duo tantum fuiſſent neceſſarii, & illud duorum teſtium viva voce comprobetur, non poterit reliquorum trium contrarium teſtimonium reprobari, auctore Baldo *conſil. 228. lib. 2.* cui accedit Aymon *conſil. 56. n. 9.* Ita Covarruvias.

299 Altera verò pars datæ Concluſionis, nempe non valere inſtrumentum, ſi non remaneat legitimus numerus teſtium, deſumitur ex *cit. L. 1. §. fin. ff. Quemadmodum teſtamenta aperiant.* ubi teſtamentum ad vocem unius ex ſeptem teſtibus, ad illud ſpectato Jure Civili neceſſario requiſitis ſic negantis ſuum eſſe ſigillum, redditur ſuſpectum. Unde Bartolus *ibid. in Summario*, ſic loquitur *Unus ex teſtibus neceſſariis adſcriptis in teſtamento contradicens, fidem teſtamenti facit vacillare.* Accedit ratio: quia, ſi unus ex teſtibus neceſſariis contradicat inſtrumento, remanet inſtrumentum ſine debita ſolemnitate; ergo hoc ipſo plenè non probat, niſi aliunde adjuvetur; prout argumentatur Felinus *cit. c. Cùm Joannes n. 60. h. t.* iſtud firmans ex *l. Jubemus C. de Probation.*



300 Reſp. III. Quòd ſi aliqui teſtium non abſolutè negant inſtrumentum, vel contenta in eo, ſed ſolummodò dicant, ſe non ampliùs recordari, an interfuerint, vel quid tunc actum fuerit, tunc inſtrumentum ſuſtinetur. Ita Jo. Andreas *d. c. Cùm Joannes n. 8. verſ. Sin autem teſtes*, & Abbas *ibid. n. 14. h. t.* Menochius *cit. caſ. 105. n. 31.* allegans alios. Ratio eſt: quia cum probatio inſtrumenti publica manu confecti, de ſe ſit plena ob authoritatem teſtimonii publici Notarii, non debet fides ejus vacillare per depoſitionem incertam, & dubiam talium teſtium. Dubitatio enim, vel ſuſpicio non eſt tantæ virtutis, ut omnino debilitet inſtrumentum: quinimo in dubio facienda eſt benigna interpretatio, ut res potiùs valeat, quam pereat, *c. Abbate 25. de Verb. ſignif.* junctis concordantiis à Gloſſa *ibid. ℣. Valere poſſit potiùs*, relatis.

301 Hoc ipſum, & quidem à fortiori, eſt dicendum, quando teſtes benè recordantur celebrati v. g. contractus, non tamen anni, menſis, aut diei, quo is factus eſt: quia nihilominùs valet teſtimonium eorum, uti eſt caſus *in cit. c. Cùm Joannes*, juncta Gloſſa *℣. Recordari h. t.* Niſi forſan ageretur de ipſomet tempore probando; ut *cap. Ex tenore 35. de Teſtib.*

302 Idem dicendum, quando teſtes inſtrumento publico inſcripti, intereà temporis fuerunt mortui: quia nihilominus inſtrumentum valet, *cap. 2. h. t.* argumento à ſenſu contrario deſumpto: Niſi forſan alia ratione illud impugnetur, ut putà negando, quod ſit genuinum talis Notarii inſtrumentum: in quo caſu, deficientibus aliis probationibus ad comparationem litterarum deveniendum eſſet, præſtito priùs per petentem juramento, quòd non malignitatis cauſa ipſam petat, textus eſt *in Auth. de Inſtrument. cautel. & fide §. Si verò moriantur. Collat. 6.*

303 Quid autem juris ſit, quando teſtis aſſerit, ſe non ita dixiſſe, ſicut Notarius ſcripſerat, jam dictum eſt ſuprà *Tit. 20. De Teſtibus §. 8. n. 275.* Ubi nonnulla alia de authoritate teſtimonii Notarii publici dicta reperiuntur.

304 Quæritur III. An, & quot teſtes extranei, ſeu inſtrumento non inſcripti, ſufficiant ad iſtud impugnandum. Reſp. I. Certum eſt, poſſe inſtrumentum reprobari etiam per teſtes extraneos: dummodò ipſi ſint teſtes idonei, atque omni exceptione majores, ſimulque probent totam ſubſtantiam negotii: ſeu quòd iſtud pro tali determinato tempore, ipſiſque præſentibus aliter fuerit geſtum, quàm eſt ſcriptum in inſtrumento; vel ſaltem probent, quòd teſtes illi, quos inſtrumentum dicit fuiſſe præſentes, non fuerint illo tempore præſentes. Ita Abbas *c. Cùm Ioannes, n. 13.* & Felinus *ibid. n. 35. & ſeq. h. t.* Covarruvias *lib. 2. Variar. Reſolut. c. 13. n. 11. Concl. 1.* Menochius *l. 2. Arbitrar. judic. caſ. 105. n. 53. & ſeqq.* Maſcardus *de probat. Concl. 921. n. 1. & ſeqq.* & alii ab iſtis copioſe citati. Idque deſumitur ex *c. Tertio loco*, juncta Gloſſa *fin. de Probat.* ubi talis caſus refertur. Concordat textus *in l. Optimam quæſtionem C. de Cōtrahend. ſtipulat. & l. Cùm precibus C. de Probation.* in quo ultimo loco Summarium ſic habet: *ſtatur Inſtrumento, donec probetur contrarium.*

305 Additur notanter primò in data Concluſione, *dummodò ipſi ſint teſtes idonei, atque omni exceptione majores.* Nam teſtes extranei, atque inſtrumentum reprobaturi, debent eſſe omni exceptione majores, per textum *In cit. l. Optimam quæſtionem C. de Contrahend. ſtipulat.* ibi: *Vel ſaltem per teſtes undique idoneos, & omni exceptione majores oſtenderit &c.* Ad idem facit textus *in §. Item verborum. Inſtitut. de Inutilib. ſtipulat.* & Gloſſa *ibid. ℣. Idoneos.* Abbas *cit. n. 13. verſ. Ego concordando.* Felinus *n. 44.* Menochius *n. 33.* Maſcardus *n. 5.* & alii. Quia enim magna ſtat præſumptio pro publico inſtrumento, hinc ad elidendam iſtam juris præſumptionem, validiores, imò apertiſſimæ requiruntur probationes, *L. ult. ff. De eo quod metus cauſa &c.* juncta Gloſſa *℣. Præſumptioni*, cum ſimilibus.

306 Unde quòd modicus etiam defectus repellat tales teſtes, utpote non ampliùs omni exceptione majores, cenſet Baldus *c. Cùm Ioannes n. 8. h. t.* Atque hoc ipſum de leviſſima etiam exceptione, quæ opponitur teſtibus reprobatoriis inſtrumenti, intelligitur Alexander *conſil. 43. n. 24. lib. 4.* & ſequitur Maſcardus *loc. cit. n. 6. & 7.* ſubinferens, quòd teſtes ejuſmodi non debeant eſſe inferioris conditionis, quam Notarius.

307 Veruntamen iſtud eſt intelligendum duntaxat de teſtibus extraneis, ſeu inſtrumento quod reprobant non inſcriptis. Loquendo enim de teſtibus inſtrumentariis, ac poſteà inſtrumento contradicentibus, nihil refert, an ſint omni exceptione majores, nec ne; eo quòd teſtes inſtrumento adhibiti, hoc ipſo cenſeantur à partibus approbati. Unde vi poſteà repelli nequeunt, niſi ex ſuperveniente nova cauſa ipſorum perſona reprobari valeat, *l. Si quis teſtibus C. de Teſtib.* quæ eſt canonizata *in can. Si teſtes, 4. q. 3. §. Si quis teſtibus.* Menochius *cit. caſ. 105. n. 6.* poſt Cravettam *conſil. 56. n. 9. & 10.* & Socinum juniorem *conſil. 189. n. 52. lib. 2.*

308 Additur ulteriùs in data *n. 304.* Concluſione, *ſimulque probent totam ſubſtantiam negotii &c. vel ſaltem probent &c.* Quia inſtrumentum Notarii poteſt reprobari per teſtes dupliciter; nimirum directè, & indirectè, ſeu per quoddam medium; uti loquitur Abbas *cit. c. Cùm Joannes n. 14. h. t.* Et quidem *Inſtrumentum reprobatur per teſtes directè*, quando hi expreſſè deponunt, ſeu probant per alios conteſtes, negotium non ita actum fuiſſe, ut in illo inſtrumento ſcriptum eſt. Caſus eſt *in d. Cùm Joannes, h. t.*

309 Porrò, ut teſtes poſſint hoc modo, ſeu directè, inſtrumentum reprobare, neceſſe eſt, quòd interfuerint toti negotio geſto, illudque plenè norint una cum anno, menſe, die, ac loco, quo geſtum eſſe habetur in inſtrumento: alias enim nihil probarent contra veritatem inſtrumenti, *arg. cit. l. Optimam quæſtionem §. fin. C. de contrahend. ſtipulat.* Oportet ſiquidem, ut teſtes reprobantes inſtrumentum optimè concordent: alioquin quippè adhuc ſtaret, & illæſa remaneret præſumptio, pro inſtrumento militans ex fide jurati Notarii publici. Alexander *conſil. 93. n. 12. lib. 5.* Menochius *d. lib. 2. de Arbitrar. Judic. caſ. 105. n. 34.* allegans alios. Atqui teſtes illi nihil concluderent, ſi non deponerent de illo eodemmet tempore, & loco, quo in inſtrumento legitur negotium fuiſſe geſtum; quia alio tempore, vel loco benè potuiſſet actus ille fuiſſe celebratus, de quo loquitur inſtrumentum, quamvis ipſi tunc non interfuiſſent; ergo. Menochius *cit. n. 34.* Maſcardus *d. concl. 921. n. 3. & 4.* citans plures alios.

310 Tunc autem *Inſtrumentum reprobatur per teſtes indirectè*, ſeu per quoddam medium, quando vel teſtes inſtrumentarii (de quibus jam anteà) vel alii teſtes extranei liquidò, ac manifeſtè probant, ſive per legitimas ſcripturas, ſive per alios idoneos teſtes, quòd perſonæ principales, aut una ipſarum, vel teſtes inſtrumento inſcripti, toto die celebrati contractus, quem continet inſtrumentum, non fuerint in illo loco, ſed in alio, quam aſſerit idem inſtrumentum; ut *l. Optimam quæſtionem C. de contrahend. ſtipulat. & §. Item verborum Inſtit. de Inutilib. ſtipulat.* Probata enim falſitate inſtrumenti circa unum punctum ſubſtantiale (putà, circa locum, ſeu diem celebrati contractus, aut teſtes neceſſariò requiſitos, &c.) tollitur præſumptio juris de auctoritate, fidelitateque Notarii illud conficientis; & per conſequens etiam tollitur fides inſtrumenti in totum, atque contentorum in eo, *arg. Si ad ſcripturas, diſt. 9. & can. Pura, 9. q. 3. & c. Quanto §. Abſentium. De his quæ fiunt à Prælatis &c.* ac notat Jo. Andreas *cit. c. Cùm Ioannes, n. 8. in fin.* & Abbas *ibid. n. 13. & 14. h. t.* Concordant dicta ſuperiùs *§. 9. n. 279. & 280.*

311 Reſp. II. Quot teſtes, præſertim extranei, ſufficiant ad reprobandum inſtrumentum Notarii, variant quidem Doctores; probabilius tamen eſt, ſufficere duos teſtes omni exceptione majores, ac deponentes ut ſuprà: niſi inſtrumentum illud per teſtes inſcriptos, aut alios, viva voce coadjuvetur. Ita Innocentius, & poſt ipſum Abbas *cit. c. Cùm Joannes, n. 13. verſ. Sentina eſt*, & Jo. Andreas *ibid. n. 20. verſ. Si verò non dubitatur*, & Felinus *n. 35. & 43. h. t.* Speculator *tit. de Inſtrumentorum editione §. Reſtat videre n. 15.* Covarruvias *lib. 2. Variar. Reſolut. cap. 13. n. 11. concl. 1.* Pirhing *h. t. n. 72.* Maſcardus *d. concl. 921. n. 9.* citans alios.

312 Prior pars liquet ex eo: quia ſolus Abbas *cit. n. 13.* enumerat ſeptem diverſas circa hoc Doctorum ſententias. Harum præcipua, eſt opinio Gloſſæ *c. Cùm Joannes* ℣. *Quodlibet inſtrumentum, h. t. & c. Tertio loco* ℣. *Teſtium, de probat.* quæ vult, quòd ad reprobandum inſtrumentum Notarii requirantur quinque, vel ſaltem quatuor teſtes idonei. Rationem dat: quia authoritas publici Notarii videtur æquivalere duobus teſtibus, *c. Quoniam contra, de probat.* & ipſum inſtrumentum valet duos teſtes; quia fides inſtrumentorum eandem obtinet vim probandi, ac depoſitiones teſtium, *l. In exercendis C. h. t.* Ergo, ut teſtes prævaleant inſtrumento, debent eſſe quinque, aut ad minùs quatuor meliores. Ita Gloſſa *loc. cit.* Reliquæ opiniones poterunt apud Abbatem, *ubi ſuprà* videri.

313 Altera pars, ſeu quod probabilius ſit, ſufficere duos teſtes omni exceptione majores &c. probatur ex eo: quia inſtrumentum non habet fidem, niſi ab officio & authoritate Notarii; atque teſtimonium duorum teſtium omni exceptione majorum, ac viva voce deponentium, meritò præfertur authoritati unius ſolius Notarii, juxta illud Salvatoris Matth. cap. 18. dicentis: *In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum*: ac refertur *c. Licèt univerſis, 23. de Teſtib.* Accedit quòd probatio per teſtes viva voce, ac de proprio ſenſu deponentes, ſit vera & naturalis; ergo meritò præfertur mutæ, ac mortuæ voci Notarii, juxta ampliùs dicta ſuperiùs *n. 285.*

314 Nec obſtat primò, quòd pro inſtrumento publico Notarii, ſtet præſumptio ratione publici officii. Reſp. enim, hanc præſumptionem tolli per contrariam depoſitionem duorum teſtium omni exceptione majorum, ut inquit Jo. Andreas *cit. n. 20.* Nam etiam in Notariis quandoque reperiri falſitatem liquet ex *cit. c. Tertio loco, de probat. & c. Cùm Joannes, h. t.* cum ſimilibus.

315 Nec obſtat ſecundo ratio Gloſſæ *n. 312.* relata: negatur enim conſequentia. Quia, ut obſervat Jo. Andreas *cit. c. Cùm Joannes, n. 20. h. t.* in antecedenti bis reaſſumitur idem: nam inſtrumentum, prout æquivalet duobus teſtibus, includit authoritatem Notarii, & Notarius, prout æquivalet duobus, includit inſtrumentum, utpote mediante, quo loquitur, ac veluti publica perſona fert teſtimonium. Et ſic patet, quòd in antecedenti idem bis, licèt ſub aliis terminis, reaſſumatur: unde neganda eſt conſequentia.

316 Neque ulteriùs obſtat, quòd inſtrumento ſoleant duo ſaltem teſtes inſcribi, coram quibus negotium, de quo tractat, dicitur fuiſſe geſtum. Reſp. enim, iſtud non urgere loquendo de teſtibus per Notarium duntaxat inſcriptis, ſed propria eorundem manu non ſubſcriptis: nam facilè foret Notario, qui falſum cogitat inſtrumentum conficere, etiam teſtes falſos inſcribere: unde impugnato per alios omni exceptione majores teſtes inſtrumento, ſola teſtium inſcriptorum nomina parum probant. Secùs eſt dicendum, quando teſtes illi propria etiam manu ſubſcripſiſſent inſtrumento una cum Notario (quod tamen non eſt moris, ut inquit Abbas *d. c. Cùm Joannes, n. 5. h. t.* (item quando teſtes illi adhuc vivunt, & viva voce coadjuvant inſtrumento, atteſtando pro ejus valore. Verùm de hoc caſu non loquitur altera pars datæ *n. 311.* Concluſionis, ſed tertia, iſtum caſum expreſſè excipiens, ob illicò dicenda: unde

317 Tertia tandem pars Concluſionis, ſeu quod non ſufficiant duo teſtes ad reprobandum inſtrumentum, quando iſtud per alios teſtes viva voce coadjuvatur, ex eo ſuadetur: Quia, ubi inſtrumentum publicum coadjuvatur per alios teſtes una cum Notario ſubſcriptos, quorum ſubſcriptio à parte adverſa recognoſcitur; vel ſaltem, ubi inſtrumentum per teſtes viva voce in ejus favorem deponente corroboratur: tunc ſicut creſcit numerus teſtium una cum publico Notario pro valore inſtrumenti ſtantium, ita econtrariò plures ſemper debent eſſe teſtes reprobatorii illius; alioquin hi nihil probarent contra illud. Jo. Andreas *cit. n. 20.* Menochius *lib. 2. de Arbitrar. Judic. caſ. 105. n. 45.* allegans alios. Nam productis hinc teſtibus debent prævalere illi, qui ſunt numero plures, & aptiora negotio, veroque ſimiliora deponunt, *c. Licèt cauſam 9. §. Ex præmiſſis, de Teſtib. & L. 3. ff. eod.* cũ ſimilibus.

318 Solùm adde, quòd in eo caſu, quo una pars allegat pro ſe inſtrumentum, altero verò producit teſtes illud reprobantes, ſeu directè contra contenta in illo deponentes, multùm Judicis arbitrio committi debeat, an inſtrumento, vel magis duobus aut tribus teſtibus, contra illud deponentibus fides ſit habenda. Abbas, *ubi ſuprà, n. 13. verſ. Ergo concordando.* Menochius *loc. cit. n. 42.* Pirhing *h. t. n. 73.* Maſcardus *d. Concl. 921. n. 10.* allegans alios: & concordant dicta ſuperius *Tit. 19. de Probationibus, §. 3. n. 60.* ubi inter alia dicitur, probationes omnes eſſe Judici arbitrarias.

319 Addunt Doctores, præſertim proximè citati, quòd in iſto caſu, ſi omnis ceſſet ſuſpicio ex parte Notarii, & inſtrumenti; tunc magis inſtrumento, quàm teſtibus contra illud deponentibus, credi debeat, *arg. l. Optimam quæſtionem C. de Contrahend. ſtipulat.* Præſertim ſi inſtrumentum ſit antiquum: quia tunc memoria teſtium eſt labilis, *l. Si arbiter ff. de Probat.* Quale periculum non urget ex parte inſtrumenti, etiam antiquiſſimi.

320 Reſp. III. Dantur nihilominùs aliqui caſus, in quibus contra inſtrumentum non admittuntur teſtes. Ita Gloſſa *fin. c. Tertio loco, de probat* & alii; idque probatur inductione. Sic quippe contra Inventarium publicè confectum, & famam in eo Tutoris confeſſionem, non admittitur probatio in contrarium. *L. ult. §. 1 C. Arbitrium Tutelæ.* Deinde contra inſtrumentum publicè confectum, & à tribus teſtibus conſignatum, quo mulier confitetur, ſeu fidejuſſiſſe pro alio, non gratis, ſed accepta pecunia, non admittitur probatio; ſed cogitur mulier illa carere beneficio S. C. Vellejani, *l. antiquæ juriſdictionis. C. Ad S. C. Vellejan.* Alius talis caſus refertur *in Auth. Ut liceat matri & aviæ §. Adhoc autem Collat.* 8. de quo ibi.

§. XI.

## De Contrarietate, raſura, & amiſſione Inſtrumentorum: ubi & de Extravaganti dubia.

*S U M M A R I U M.*

321 *Inſtrumenta inter ſe contraria, & ab eadem parte producta, nihil probant, ſed fidem ſibi adinvicem derogãt.*
322 *Sive ſint publica, ſive privata &c.*
323 *Solvitur inſtantia.*
*Diſparitas inter teſtes, & inſtrumenta quoad hoc, ibid.*
324 *Quando inſtrumenta contraria producuntur à diverſis partibus, ſtandum eſt digniori.*
325 *Si tamen aliqua ratione concordari poſſint, neceſſe eſt, ut inter ſe concordentur.*
326 *Quod ſi inſtrumẽta hinc inde producta omnino ſint æqualia, abſolvendus eſt Reus; præterquã in cauſa liberali.*
327 & 328 *Inſtrumentum ob factam in parte ſubſtantiali raſuram poteſt reprobari: ſecùs, ſi raſura eſt in parte non ſubſtantiali. Et n. 330.*
329 *Pars ſubſtantialis inſtrumenti, quæ?*
330 *Ob raſuram manu ejuſdem Notarii factam, aut de qua ipſemet atteſtatur &c. non vitiatur inſtrumentum.*
331 *Amiſſio inſtrumenti originalis poteſt tripliciter fieri.*
332 *Amiſſio inſtrumenti non nocet, ſi poſſit fieri probatio negotii, v. g. debiti, per teſtes, vel alios modos.*
333 *Quando inſtrumentum dicitur amiſſum caſu fortuito, oportet, ut illud allegans probet caſum fortuitum, ſimulque tenorem inſtrumenti.*
334 & 335 *Tenor inſtrumenti amiſſi poteſt probari per teſtes dupliciter; & quomodo?*
336 *Si teſtamentum proprio facto deperditum fuit, hoc ipſum tenetur, allegans v. g. creditor, probare.*
*Creditores, qui citiùs dant quietantiam, quàm receperint ſolutionem debiti, poſſunt opponere exceptionem non factæ ſolutionis, ſed intra triginta dies tantùm. Ibid.*
337 *Si tandem inſtrumentum facto adverſarii, v. g. illud dilacerantis, periit, oportet, ut iſtud legitimè probetur; & tunc per ſolum juramentum ſpoliati probatur tenor inſtrumentum.*
338 *Intelligendo iſtud in cauſis privatis, ſecùs, ubi agitur de præjudicio v. g. Eccleſiæ inde lædendæ.*
339 *Quid agendum, quando allegatur Extravagans Conſtitutio Papæ, de qua dubitatur, an ſit authentica?*
340 *Vel Reſcriptum Papæ, quod videtur prava ſuggeſtione obtentum?*

321 Quæ-



321 Quæritur I. Quid juris, quando producuntur Inſtrumenta inter ſe contraria? Reſp. I. Si ab eadem parte Inſtrumenta inter ſe contraria in judicio contra ſuum adverſarium producuntur, nihil probant, ſed fidem ſibi adinvicem derogant; ſibique talis imputet, cùm in ejus fuerit poteſtate, alterutrum, quod voluerat, non proferre. Ita textus expreſſus *in c. Imputari, 13. h. t. l. Scriptura. C. eod.*

322 Atque iſtud procedit, ſive dein ab eadem parte producantur ſcripturæ contrariæ publicæ, aut privatæ, ſive tales, quarum una eſt publica, & altera privata: quia eas producendo videtur quis omnia in eis contenta confiteri, ac proinde veluti ſibi ipſi contrarius auditur, neque aliquid probat. Abbas *c. c. Imputari, n. 4. h. t.*

323 Dices. Si quis producat in judicio teſtes, qui poſtmodùm contraria inter ſe deponunt, ſtandum eſt dignioribus, aut veriſimiliora deponentibus; *c. In noſtra, 23 de Teſtib.* Ergo idem dicendum de inſtrumentis: quia pari paſſu ambulant, *l. In exercendis. C. de Fide Inſtrum.* Reg. neg. conſequent. cum ſua probatione: etſi enim inſtrumenta, & teſtes, quoad vim probandi æquiparentur; ſecùs tamen fit in propoſito. Ratio diſparitatis, ac diverſæ diſpoſitionis juris eſt: quia non eſt in poteſtate producentis teſtes, de iiſdem deliberare, cum neſciat, quid dicturi ſint. Econtra producens inſtrumenta, poteſt deliberare, an ſint contraria nec ne, ſimulque alterum quod maluerit, relinquere, quòd ſi hoc non fecerit, ſibi imputet; nam *vigilantibus, non negligentibus jura ſubveniunt*, ut bene notat, & probat Gloſſa *fin. c. c. Imputari, h. t.*

324 Reſp. II. Si verò inſtrumenta contraria, & quæ nulla ratione concordari poſſunt; à diverſis partibus producantur, tunc ſtandum eſt digniori ſcripturæ, v. g. publicæ, aut quæ magis caret falſi ſuſpicione, *arg. l. Scripturas. C. Qui potiores in pignore &c.* Ita Gloſſa *fin. c. c. Imputari*, & Abbas *ib. n. 3. h. t.* & alii Idque deſumitur ex *leg. Scripturas. C. Qui potiores in pignore &c.* juncto *c. c. In noſtra, 32. de Teſtib* cum concordantiis.

325 Additur tamen, *& quę nulla ratione concordari poſſunt.* Nam ſi inſtrumenta hinc inde producta, videantur quidem prima fronte contraria, ſed re penitùs inſpecta poſſint aliqua ratione concordari, neceſſe eſt, ut ita inter ſe concordentur. Tum quia, quantum fieri poteſt, jura juribus ſunt concordanda, *c. Cùm expediat, 29 de Elect. in 6.* Tum quia hoc ipſum eſt obſervandum in teſtibus, juxta Gloſſam communiter receptam, *c. c. In noſtra.* ℣. *Adverſa, h. t.* eſtque ampliùs dictum ſuprà *Tit. 20. De Teſtib. §. 10. n. 321.* Atqui teſtib ęquiparantur inſtrumenta; ergo.

326 Reſp. III. Quòd ſi inſtrumenta illa, ſeu ſcripturę contrariæ hinc inde productæ omninò ſint æquales, & paris authoritatis, tunc Reus eſt abſolvendus; præterquàm in cauſa liberali. Textus eſt *in c. Ex litteris, 2. de Probat.* Nam *promptiora ſunt jura ad abſolvendum, quàm condemnandum præterquam in cauſa liberali*; prout loquitur Pontifex *ib.* Unde regula eſt, quòd Actore non probante Reus abſolvitur, *c. Cùm Eccleſia, § fin. de cauſa poſſeſſ.* cum ſimilibus. Concordant ea, quæ generatim de prævalentia probationum inter ſe dicta fuerunt ſuperiùs *Tit. 19. De Probat. §. 4. n. 80. 82 & 83. Tit. 12. de Cauſa poſſeſſionis & proprietatis, §. 7. n. 239. & ſeqq.*

327 Quæritur II. An Inſtrumentum ob factam in eo raſuram poſſit reprobari? Reſp. I. Si raſura, vel litterarum deletio ſit facta in parte aliqua ſubſtantiali, inſtrumentum redditur ſuſpectum de falſitate, ac proinde reprobari poteſt: ſecus, ſi ea ſit facta in parte non ſubſtantiali, ſeu in loco non ſuſpecto. Ita DD. communiter; eſtque uberiùs dictum *l. 1. tit. 3. De Reſcriptis, §. 9. n. 224. & ſeqq.*

328 Prima pars Concluſionis deſumitur ex *c. Inter dilectos h. t.* & clariùs ex *c. Cùm venerabilis, de Religioſ. domib.* ubi inſtrumentum declaratur *invalidum, utpote de jure ſuſpectum, propter ſuperlineatam ſcripturam, & raſuram loco ſuſpecto factam, ubi videlicet annotatio temporis recenſetur.* Altera verò pars patet ex *c. Ex litteralis h. t.* ubi deciditur propter abraſionem in narratione facti Litteras non poſſe judicari falſas, nec haberi ſuſpectas. Concordat *c. ult. de Crimin. falſ.* ubi propter paucarum litterarum raſurã in loco non ſuſpecto, inſtrumentum non cenſetur falsũ.

329 Porrò *Pars ſubſtantialis inſtrumenti*, cenſetur ea, ex qua potiſſimùm vis inſtrumenti, ac mota deſuper quæſtio pendet, maximeque rei veritas deprehendi poteſt: uti eſt indictio, tempus datæ, ſive annus Domini, & dies menſis; item nomen Actoris vel Rei, nomen loci, in quo factus eſt inſtrumentum, ac narratio juris, & hujuſmodi. Pirhing *h. t. n. 60.* junctis dictis ſuprà *c. Tit. 3. de Reſcriptis. num. 226.*

330 Limita tamen primam partem datæ Concluſionis una cum Gloſſa *fin. in c. Cùm venerabilis, de Religioſis domib.* & aliis Doctoribus, niſi hujuſmodi raſura cognoſcatur eſſe facta manu ejuſdem Notarii, vel de qua tanquam à ſe facta Notarius ipſe atteſtatur: aut niſi ex antecedentibus, & conſequentibus appareat, ita eſſe legendum, ſicuti raſura indicat: quia tunc neque poterit eſſe ſuſpicio falſitatis, neque vitiabitur inſtrumentum. Idemque dicendum, quando raſura non eſt in loco ſubſtantialis, juxta alteram partem datæ Concluſionis: quod quia generaliter determinari nequit, hunc rectè notat Menochius *li. 2. de Arbitr. Jud. caſ. 187. n. 41.* Judicis arbitrio eſſe relinquendum, quando raſura, vel interlineatio falſitatem arguat, necne. Accedunt dicta ſuperiùs *c. Tit. 3. de Reſcr. n. 266. & ſeqq.* ubi plura de hoc, quæ proinde non videntur ſuperfluè repetenda.

331 Quæritur III. Quid juris, quando inſtrumentum fuit amiſſum? Ubi prænotandum, quòd amiſſio inſtrumenti originalis poſſit tripliciter contingere. Primò, caſu fortuito, v. g. incendio, naufragio, deprædatione hoſtium, aut hujuſmodi. Secundò, ex proprio facto producentis: ut quia Creditor chirographum reddidit debitori ſpe obtinendæ ſolutionis, aut illud ex incuria dilaceravit. Tertiò, ex facto adverſarii, inſtrumentum v. g. dilacerantis, aut ſurripientis. Quo prænotato, atque ordinatè inter præmiſſos modos amittendi inſtrumentum diſtinguendo.

332 Reſp. I. Amiſſio Inſtrumenti non nocet, ſi poſſit fieri probatio ipſius negotii, v. g. debiti; per teſtes, vel alio legitimo modo. Ita textus, & Summarium *in L. 1. C. de Fide Inſtrum.* Ubi Imperator cuipiam creditori reſcribit, illis verbis: *Debitores tuos quibuſcunque rationibus debere tibi pecuniam ſi probaveris, ad ſolutionem compellet aditus Præſes Provinciæ, nec oberit tibi amiſſio Inſtrumentorum, ſi modò manifeſtis rationibus eos debitores eſſe apparuerit.* Accedit ratio: quia non ad unam ſpeciem probationis quis alligatus eſt, ut inquit Gl. *ib.* ℣. *Quibuſcunque*, iſtud inter alias probans ex *L. 3. §. ejuſdem ff. de Teſtib.*

333 Reſp. II. Quando inſtrumentum dicitur fuiſſe amiſſum caſu fortuito, putà incendio oportet, ut illud allegans probet hujuſmodi caſum fortuitum, ſimulque tenorem inſtrumenti. Ita habetur *l. Sicut iniquum. C. h. t.* ubi Salycetus *in Summario*, breviùs ſic loquitur. *Si creditor dicat, ſe perdidiſſe caſu inſtrumentum debiti, non debent propterea qui dicuntur debitores ad ſolutionem urgeri; niſi creditor probet caſum, & tenorem inſtrumenti.* Idipſum amplius declarat Maſcardus *de prob. Concl. 910. n. 1. & 9.* allegans plures alios.

334 Porrò tenor inſtrumenti amiſſi poteſt probari per teſtes dupliciter. Primò, quando deponunt de eo, quòd eſt contentum in inſtrumento: ut quia fuerunt præſentes contractui celebrato, de quo poſteà publicum inſtrumentum, nunc caſu fortuito amiſſum, per Notarium fuit confectum. Et in hoc caſu ſufficiunt teſtes cæteroquin boni, ſeu idonei, licèt non ſint valdè periti, aut ſcientes legere, & ſcripturam Notarii intelligere: teſtantur enim de proprio ſenſu, ſeu prout actus, quem tenor inſtrumenti exprimit, ipſis præſentibus eſt celebratus. Maſchardus *c. Concl. 910. n. 7.*

335 Secundò, poteſt tenor inſtrumenti probari per teſtes, qui licèt tempore contractus celebrati non fuerint præſentes, poſtea tamen inſtrumentum deſuper factum viderunt, ejuſdemque tenorem inſtrumenti deperditi; neceſſe eſt, ut non ſolum ſint viri boni, ſed etiam valdè periti, qui potuerunt defectus inſtrumenti, & litteras Notarii cognoſcere; ſimulque oportet, ut ipſi inter alia teſtentur, ſe ita legiſſe in dicto inſtrumento, & quòd inſtrumentum illud non fuerit vitioſum: alioquin enim facile poſſet fraus committi. Abbas *c. Albericus, n. 4. de Teſtib.* Alexander *Conſil. 196 n. 11. li. 2.* Bartolus *l. Sicut iniquum. n. 2. C de Fide inſtrument.* Maſcardus *cit. Concl. 910. n. 6. & 10. & ſeq.* allegans alios.

336 Reſp. III. Quòd ſi inſtrumentum proprio facto deperditum fuit (putà, quia creditor chirographum reddidit debi-

debitori ſuo, aut iſtud dilaceravit ſpe obtinendæ ſolutionis) tunc hoc ipſum tenetur allegans, v.g. creditor probare: alioqui pro debitore ſtat præſumptio liberationis, niſi contrarium probetur, *l. Si chirographum, ff. de Prob.* Pirhing *h.t.n.80.* Solùm adde, quòd creditores, qui citiùs dant quietantiam, quam receperint ſolutionem debiti poſſint opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, ſeu non factæ ſolutionis, ſed intra triginta dies tantùm, *l. In contractibus. §. Super cæteris. C. h. t.* eſtque jam dictum ſuprà *§. 6. n. 184.*

337 Reſp IV. Si tandem inſtrumentum facto adverſarii periit, putà, quia illud dilaceravit, vel abſtulit, tunc oportet, ut de hoc facto adverſarii conſtet, aut iſtud legitimè probetur: facta autem tali probatione, poſtmodùm per ſolum juramentum ſpoliati probantur contenta, ſeu tenor inſtrumenti, valorque reum in eo contentarum. Ita deſumitur ex *l. Si de poſſeſſione*, juncta Gloſſa marginali. *C. de Probat.* & notat Abbas *c. Accepimus, n. 4. h.t.* Maſcard. *Concl.* 911. *n. 3. & 4.* Engel *h.t. n. 54.* allegans communem. Ratio eſt: quia probata tali fraude, ſeu violentia, præſumitur contra adverſarium, qui inſtrumentum dilaceravit, ſeu ſubtraxit: Unde in ſimili, probata violentia per teſtes, res amiſſæ, earumque valor probatur per juramentum ſpoliati, *c. ult. De iis quæ vi metuſve cauſa &c.*

338 Intellige datam Concluſionem in cauſis privatis, ſeu quando agitur de præjudicio juris cujuſpiam privati inſtrumentum dilacerantis, Secùs enim eſt dicendum, ubi agitur de præjudicio v.g. Eccleſiæ, ex tali dilaceratione lædendæ; prout notat Abbas *c. c. Accepimus, n. 4. h.t.* & Pirhing *eod. n. 8.* Siquidem *delictum perſonæ*, putà Rectoris, vel Procuratoris Eccleſiæ, inſtrumentum alterius declarantis *non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare* juxta *Reg. 76. Jur. in 6.* Ac proinde Eccleſia erit admittenda, ſi alio modo, v.g. per teſtes, oſtendere velit falſitatem inſtrumenti, per ſuum Rectorem vel Procuratorem parti adverſæ ſubtracti, aut dilacerati, nec ſufficiet ſolum juramentū partis adverſæ in præjudicium Eccleſię.

339 Quæritur IV. Quid agendum, quando allegatur Extravagans Conſtitutio Papæ, de qua dubitatur, an ſit authentica? Reſp. Quæſtionem hanc reſolvi *in c. Paſtoralis, 8. h.t.* ubi Pontifex diſtinguendum cenſet: Quia aut Decretalis illa, de qua Judex meritò dubitat, eſt conſona Juri communi, aut diſſona. Si prius, tunc Judex debet judicari ſecundùm eam: *Cùm non tam ipſius, quam juris communis authoritate procedere videatur*; prout argumentatur Pontifex. Si poſterius, tunc eſt conſulendus Superior, ſeu Papa veluti conditor ipſius, ut *in textu*: nam ejus eſt interpretari legem, ſeu dubia circa hujus validitatem ſuborta reſolvere, cujus eſt condere, *L. ult. C. de Legib.*

340 Simile quid habetur *c. Si quando, 5. de Reſcript* ubi is, ad quem Reſcriptum Papæ dirigitur, debet illi parere, aut cauſam rationabilem aſſignare, quare parere non poſſit. Verba ejus ſunt multùm notabilia, & ſic ſonant: *Qualitatem negotii, pro quo tibi ſcribitur* (inquit Pontifex) *diligenter conſiderans, aut mandatum noſtrum reverenter adimpleas; aut per litteras tuas, quare adimplere non poſſis, rationabilem cauſam prætendas: quia patienter ſuſtinebimus ſi non feceris, quod prava nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum* Hæc ibi.

# TITULUS XXIII.

## De Præſumptionibus.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*

1 Viſo de Teſtibus, & Inſtrumentis, procedit Compilator Juris Canonici ad aliud probationis genus, nempe ad Præſumptiones: nam & hę ſunt quoddam probationis genus, dum quandoque plenè probant, ut violentiæ; quandoque ſemiplenam probationem faciunt; quandoque alias præſumptiones coadjuvant, uti patebit ex dicendis.

### §. I.

### Quid, & quotuplex ſit Præſumptio?

*SUMMARIUM.*

2 *Præſumere quandoque accipitur in malam partem.*
*Præſumptio vi nominis, quid? Ibid.*
3 *Ejus definitio ponitur, declaratur. Et n. ſeqq.*
4 *Qualiter differat à Conjectura?*
5 *Conjectura, quid?*
*Sumitur aliquando pro præſumptione. Ibid.*
6 *Præſumptiones quandoque plenè probant, quandoque ſemiplenè &c.*
*An ſint vera probatio. Ibid.*
7 *Præſumptio cedit veritati.*
8 *Eſt effectus indiciorum.*
*Præſumptio alia eſt probabilis, alia violenta, alia temeraria. Ibid.*
9 *Indicium propriè acceptum quid?*
10 *Indicium ſumitur quandoque pro plena probatione, ac pro præſumptione juris, & violenta.*
*Propriè tamen acceptum, eſt quid minus ſemiplena probatione. Ibid.*
11 *Indiciorum multiplex eſt diviſio. Et nu. ſeqq.*
12 *Indicium plenum, ſeu indubitatum ac certum; &*
13 *Indicium ſemiplenum, ſeu dubitatum quid?*
14 *Indicium proximum, & remotum.*
15 *Indicium leve, grave, & graviſſimum, quid?*
16 *Alia horum Indiciorum explicatio, juxta Jul. Clarum.*
17 *Quæ indicia ſint levia, vel gravia, judicis arbitrio relinquitur.*
18 *Præſumptio eſt multiplex. Et n. ſeqq.*
19 *Præſumptio juris, &*
20 *Præſumptio hominis, quæ?*
21 *Cur nō omnis præſumptio legitima, ſit pręſūptio juris?*
22 *Præſumptio naturæ &*
23 *Præſumptio facti, quid, & quotuplex?*
24 *Præſumptio juris ſubdividitur; & alia eſt*
25 *Præſumptio juris tantùm: alia*
26 *Præſumptio juris & de jure; quæ?*
27 *Præſumptio juris quomodo differat à Fictione juris? Remiſſivè.*
28 *Præſumptio hominis eſt triplex.*
29 *Violenta.*
30 *Probabilis, & temeraria, quæ?*

2 Quæritur I. Quid ſit præſumptio? Reſp. I. *Præſumptio*, quantum vim nominis attinet, idem eſt, ac *ante & ſumptio*, hoc eſt, *Anteſumptio*; quia videlicet ante legitimas probationes aliquid ſumit pro vero. Ita Menoch. *l. 1. de præſumpt. q. 7. n. 4.* poſt Simancam *lib. Catholica Inſtit. tit. 50. de Præſump. n. 4.* & alii. Quamvis autem *præſumere* quandoque accipiatur in malam partem, ſeu pro temere addere, ſeu tentare aliquid contra jus; prout ſumitur *in c. Sed nec ne Clerici vel Monachi &c.* ibi: *Nec Clericorum quiſquam exercere præſumet*, cum ſimilibus. Nihilominus in propoſito *Præſumere* idem eſt, ac ex veriſimilibus argumentis, & conjecturis, aliquid exiſtimare: ac *Præſumptio* dicitur exiſtimatio, quæ ex veriſimilibus reſultat. Quod ut meliùs intelligatur

3 Reſp. II. *Præſumptio* eſt rationabilis conjectura (vel probatio) rei dubiæ, collecta ex argumentis & indiciis, quæ per rerum circumſtantias frequenter eveniunt. Ita in re communis: quamvis plures aliæ ejus definitiones afferri ſoleant; uti videre eſt apud Maſcardum *de Probation. qu. proæm. 10. n. 8. & ſeq.* quarum potiſſima eſt illa, quam inter alios ſequitur Farinacius *lib. 1. Praxis Criminal. quæſt. 36. num. 72.* & Pirhing *h. t. n. 1.* dicens; *Præſumptio* eſt conjectura in rebus dubiis collecta ex argumentis, ſeu indiciis, per circumſtantias frequenter evenientibus.



4 Dicitur primò, *conjectura*. Quæ particula ſtat loco generis; quamvis non differat à præſumptione, niſi penes magis & minùs: nam Præſumptio importat magis determinatum aſſenſum, ſeu judicium; Conjectura verò potiùs ſuſpicionem. Pirhing *h. t.* Et additur, *rationabilis*: ad excludendum conjecturam, & præſumptionem temerariam.

5 Quia verò nonnulli volunt, Conjecturam idem eſſe, quod Indicium: in quo ſenſu Menochius *de Probation. quæſt. proæm. 14. n. 3.* cum aliis aſſerunt, quòd *Conjectura* ſit latentis rei indicium: ſicque ly, *Conjectura*, in data definitione non poſſet ſtare loco generis, cùm præſumptio ſit effectus indiciorum. Plures etiam tenent, quòd conjectura & præſumpio idem ſint, atque unum pro altero in Jure accipiatur; ut *L. un.* juncta Gloſſa *V. Conjectura. ff. Si tabulæ teſtament. extab.* ac notat Farinacius *1. Praxis Criminal. quæſt. 36. n. 273.* & Maſchardus *cit. quæſt. 14. n. 2.* allegans alios: in qua acceptatione rurſus ly, *conjectura*, malè poneretur loco generis, quia idem definiretur per idem.

6 Hinc in data præſumptionis definitione ſub disjunctione additur, *vel probatio*: Quæ particula extra controverſiam poteſt ſtare loco generis: nam in propoſito agitur de præſumptionibus, prout ipſæ præter teſtes & inſtrumenta, ſolent in judiciis deſervire loco probationum. Si quidem præſumptiones quandoque plenè probant, ut violentæ; quandoque ſemiplenam probationem faciunt: quandoque alias pręſumptiones, ceu conjunctas adjuvant; prout loquitur Abbas *ad Rubric. h. t.* atque ampliùs ex dicendis patebit. Quinimò Præſumptio dicitur eſſe vera probatio in materia, in qua probationes præſumptivæ duntaxat fieri poſſunt; putà, in filiatione, ac hujuſmodi: ut poſt Decium *in Rubric. de Probat. num. 17. & 166.* fatetur ipſemet Maſcardus *quæſt. 10. proœmial. n. 16.* haud obſtant, quòd *n. 14.* aſſeruerit præſumptionem in genere ſumptam eſſe minus, quàm ſimplicem probationem.

7 Dicitur deinde in data *num. 3.* præſumptionis definitione, *rei dubiæ, ſeu controverſæ*. Quia præſumptio locum habet ſolummodò in dubiis: alioquin, ſi conſtet de re ipſa, præſumptio cedit veritati, *l. Imperatores ff de Probation.*

8 Dicitur ulteriùs, *ex argumentis, ſeu indiciis per rerum circumſtantias plerumque evenientibus deſumpta*. Tum quia præſumptio eſt effectus indiciorum; & quò graviora vel leviora ſunt indicia, eò præſumptio eſt major vel minor: ipſa enim variatur, debilitatur, fortificatur plùs minùs, prout ſuadent indicia, ex quibus reſultat. Unde fit, quòd quædam præſumptio ſit probabilis, alia violenta, quædam verò temeraria: qualis eſt illa, quæ abſque ullis indiciis, vel ſaltem non ſufficientibus concipitur; ac proinde eſt rejicienda & repellenda, neutiquam verò admittenda, *can. Oves. 6. q. 1.* cum concordantiis a Gloſſa *fin. ibid.* adductis. Verùm quia præſumptio in ordine ad indicia explicatur, operæ pretium eſt etiam de his mentionem facere: unde

9 Quæritur II. Quid, & quotuplex ſit Indicium; Reſp. I. *Indicium* propriè acceptum, eſt notabile ſignum maleficii, vel alterius rei, deſerviens ad veritatem cognoſcendam. Ita Jo. Andreas *in Addit. ad Speculator. tit. de Probation. §. ult. n. 19 V. Sciant.* Abbas *c. Tertio loco num. 7. de Probat.* Sannig *h. t. cap. 2. num. 2.* & alii. Idque deſumitur ex *§. Præterea. 27. de Teſtib. & c. Tuæ nos 13. de Mane itaque de Homicid.* cum ſimilibus. Et dicitur *Indicium*, hoc eſt, argumentum, quia rem indicat; prout loquitur Gloſſa *in l. Indicia certa C. de Rei vendicat.* Quale indicium ſolet inſurgere ex aliqua ſingulari circumſtantia. Nebriſſenſis *in Vocabulario Juris, V. Indicium*: unde & in data definitione appellatur *Notabile ſignum*.

10 Additur verò, *Indicium propriè dictum*. Quia indicium, ſic dictum generatim ab indicando, habet nonnullas alias acceptiones: & quandoque ſumitur pro plena probatione; ut *L. ult. C. de Probation.* ibi: *Vel indiciis ad probationem indubitatis, & luce clarioribus*: juncto textu *in d. l. Indicia certa. C. de Rei vendicat.* Quandoque pro præſumptione Juris, aut pro præſumptione violenta, qualis ſufficit ad ferendam ſententiam, *arg. l. Solent. ff. de Præſcriptis verbis.* ac notat Jo. Andreas, & Abbas, *ubi ſuprà*. Indicium tamen propriè acceptum, & prout impræſentiarum definitur, eſt quid minus ſemiplena probatione. Gloſſa *in l. Cùm probatio. V. Deficit. ff. de Probation.* Bartolus *l. Excuſantur. §. Ad declarationem. ff. L. 2. de Excuſat. tutor.* Maſchar. *q. 15. proæmn. 4*

11 Reſp. II. Indiciorum multiplex diviſio: aliud enim eſt Indicium plenum, vel ſemiplenum, Indicium proximum remotum, leve, grave, vel graviſſimum. Ita Menochius *lib. 2. de Præſumptionib. quæſt. 7. n. 14.* poſt Baldum *in l. Ea quidem. n. 8. C. de Accuſation.* Farinacius *lib. 1. Paxis Criminal. quæſt. 36. & ſeqq.* Pirhing *h. t. n. 2.* Maſcardus *cit. quæſt. 15. n. 8. & 9.* & alii. Idque declaratur inductione: ſiquidem

12 *Indicium plenum*, ſeu (ut loquuntur) *indubitatum*, eſt illud, quod eſt ſufficiens ad movendum animum Iudicis ad plenum aſſenſum: hoc eſt, quod ita arctat animum Iudicis, ut omninò credat, & plus inveſtigare non curet. Et tale Indicium, ſive ſit unum, ſive conjunctum cum aliis, etiam *indicium certum* appellatur, *cit. l. Indicia certa. C. de Rei vendicat.* Quale fuit illud, quod habuit Salomon in muliere rogante, ne infans divideretur, eò quod commota fuiſſent viſcera eius, veluti veræ matris *c. Afferte. 2. h. t.* Tale etiam indicium foret homicidii ab eo perpetrati, qui egreſſus fuit è loco commiſſi homicidii totus pallidus, & gladium habens ſanguinolentum. Abbas *c. Tertio loco. n. 8. de probation.* ponens nonnulla alia exempla indicii indubitati.

13 *Indicium ſemiplenum*, ſeu *dubitandum* verò, eſt ſignum fortiter movens animum Judicis ad aliquid credendum, vel diſcredendum, ſed cum aliquali dubio. Et de hoc procedit Gloſſa *in d. l. Cùm probatio. V. Deficit ff. de Probation.* dicens quod *indicia ſint minus, quam ſemiplena probatio*: de quibus nunc potiſſimùm ſermo eſt.

14 *Indicium proximum* dicitur, quod immediatè tangit ipſum negotium, vel maleficium, de quo quæritur, *Indicium remotum* verò eſt, quod immediatè non reſpicit veritatem delicti, ſeu negotii controverſi, ſed circumſtantias eius. Farinacius *cit. quæſt. 39. n. 45. & ſeqq.* allegans alios.

15 *Indicium leve* cenſetur illud, quod non multùm urget: unde ſuſpicionem tantummodò gignit. Layman *lib. 3. Theolog. Moral. tract. 6. cap. 5. n. 2.* Pirhing. *h. t. n. 2.* Sive ut loquitur Farinacius *loc. cit. n. 54.* Indicium leve eſt, quod frequenter & facile contingit abeſſe à tali negotio, ac reperiri in alio. *Indicium grave* econtrà eſt, quod frequenter contingit adeſſe, ſeu in tali negotio, aut maleficio intervenire: unde conſurgit præſumptio, ſeu opinio non levis, etiamſi necdum omninò certa, de commiſſo v. g. maleficio, *Indicium graviſſimum* cenſetur, quod frequentiſſimè ſolet adeſſe: ac proin parit aſſenſum moraliter certum.

16 Alio modo hanc Indiciorum diviſionem explicat Julius Clarus *lib. 5. Pract. Criminal. quæſt. 20. num. 1. & 2.* dum *Indicia levia* appellat ea, quæ ſufficiunt ad capturam, ut Reo collatur facultas fugiendi; ac etiam ad inquirendum, id eſt, ad aſſumendas ex officio informationes contra aliquem de delicto: non tamen ſufficiunt ad tranſmittendam ipſi inquiſitionem, vel citationem. *Indicia gravia* verò nominat, quæ ſufficiunt ad tranſmittendam Reo abſenti inquiſitionem, eumque ſuper delicto examinandum, atque ad ipſum torquendum. *Indicia graviſſima* tandem vocat ea, quæ ſufficiunt etiam ad condemnandum, *arg. l. Sciant cuncti. C. de Probat.* verùm hæc Clari deſcriptio Indiciorum procedit in ſolis cauſis criminalibus, ut patet: ſimulque reſpicit potiùs effectum Indiciorum, quàm illorum ſubſtantiam; unde meritò retinetur prior.

17 Porrò quænam Indicia in caſibus particularibus ſint levia, vel gravia, adeoque ſufficientia ad capturam, vel inquiſitionem, aut torturam, prudentis Iudicis arbitrio eſt relinquendum. Farinacius *cit. lib. 1. qu. 1. n. 45.* Menochius *lib. 2. de Arbit. Judic. caſ. 270. num. 4.* citans alios; eſtque iam dictum ſuprà *Tit. 18. De Confeſſis §. 4. num. 112. & §. 6. nu. 139. & ſeqq.* enumerando quænam legitima Indicia in ſpecie. Quamquam ejuſmodi arbitrium debeat eſſe regulatum; id eſt, debeat re-

gi

gi ſecundùm jura, & æquitatem; non autem pro mera Judicis voluntate aſſumi. Maſcardus *cit q 16. n. 16.* eſtque in ſimili dictum ſuprà *Tit. 19. De Probationibus. §. 3. n. 60.* Nunc redeundo ad Præſumptiones

18 Quæritur III. Quotuplex ſit Præſumptio? Reſp. I. Præſumptio eſt multiplex; uti notat Gloſſa *cap. Is qui fidem. V. Contra præſumptionem, de Sponſalib.* & alia Gloſſa *in L. ult. V. Præſumptione. ff. De eo quod metus cauſa &c.* cum communi. Idque probatur inductione. Imprimis enim Præſumptio alia eſt juris, alia hominis.

19 *Præſumptio juris* (ſeu Canonis, aut Legis) dicitur illa, quæ in Jure habetur expreſſa: hoc eſt, quæ à Lege nominatim fit, aut ab ea approbatur. Sperellus *Deciſ. 174. Fori Eccleſiaſt. num. 50.* Menochius *lib. 1. de Præſumpt. quæſt. 5 num. 6.* Sive, *Præſumptio juris* dicitur, quando Jus ipſum ſuper incerto præſumit quidpiam ex conjecturis, atque ex tali præſumptione aliquid decernit. Abbas *c. Quanto. num. 2. b. t.* Maſcardus *q. proœm. 10. num. 31.* & alii. Exemplum hujus extat *in cap. ult. de Reſtitut. ſpoliat. in 6.* ubi Decimæ præſumuntur ſpectare ad Eccleſiam Parochialem, niſi aliud oſtendatur. Item *l. Sive poſſidetis. C. de Probat.* ubi dominium patris præſumitur continuatum in filium heredem; non in eum, qui contendit rem ſibi fuiſſe donatam à patre, niſi iſtud probaverit. Alia hujuſmodi exempla paſſim occurrunt in utroque Jure.

20 *Præſumptio hominis* econtrà dicitur, quæ nullo Jure ſcripta reperitur, ſed juxta rerum, circumſtantiarumque exigentiam, & varietatem, prudenti hominis, puta Judicis, arbitrio concipitur. Sive, ut inquit Abbas *cit. c. Quanto. num. 5. b. t.* Præſumptio hominis eſt, quando Judex ex aliquibus conjecturis quidpiam pro-vel contra aliquem, ſeu in aliqua cauſa præſumit, ubi Jus ſpecificè aliquid non præſumit. Quia enim Judex debet animi ſui motum informare ex argumentis, & teſtimoniis, quæ rei aptiora eſſe compererit, *L. 3 ff. de Teſtib. & can. Si teſtes. 4. q. 3.* cum concordantiis: ad hæc autem non ſemper poſſit habere veram ſcientiam facti per ſenſum aliquem corporeum, niſi forſan factum ſit notorium permanens; hinc oportet, ut quandoque animi ſui motum informet ex præſumptionibus, quæ conſentur ex variis conjecturis, indiciis, aut etiam dictis teſtium. Et hæc dicitur *Præſumptio hominis*.

21 Dices. Omnis præſumptio, quæ eſt legitima, & non temeraria, fit Lege approbante; ergo nulla datur præſumptio hominis duntaxat. Reſp. neg. conſequent. Quia ad præſumptionem juris requiritur, ut ſpecialiter ſit aliqua Lege, ſeu Canone expreſſa, prout fit in allatis *n. præced.* exemplis: unde non ſufficit, quòd tantùm terminis generalibus ſit permiſſa.

22 Addit Gloſſa *in cit. c. Is qui fidem, de Sponſalib. & L. ult. ff. De eo quod metus cauſa &c.* præſumptionem naturæ, & præſumptionem facti. Et quidem *Præſumptio naturæ* dicitur illa, quæ reſultat ex illis, quæ nobis naturaliter inſunt: ut amor filiorum, qui præſumitur erga parentes, & econtrà, cùm nobis ſit inſitus à natura. Unde in dubio non præſumitur mater, quæ non diligit filium, *c. Afferte. 2. b. t.* prout exemplificat Maſcardus *de Probat. Concl. 126. n. 4.* Similiter juxta Gloſſam *loc. cit.* ſi parens exhæredavit filium, præſumitur contra eum, quod injuſte exhæredaverit; & hoc propter naturam: niſi ab eo, vel ejus hæredibus, juſta cauſa exhæredationis probetur, *l. Omnimodo. C. de Inoffic. Teſtament.*

23 *Præſumptio facti* dicitur, quando præſumitur ex ſubſequentibus factis circa præterita, vel ex præteritis circa futura. Siquidem *Præſumptio facti* alia eſt præcedentis circa futura: ut ſi ſemel calumniatus es contra me, & iterùm velis me accuſare; præſumitur, quòd rurſus velis calumniari, *l. Si cui. §. Iiſdem, ff. de Accuſation. & can. Si accuſatorum. 3 q. 10. & c. Semel malus. 8. de Reg. Jur. in 6.* cum ſimilibus. Unde vulgati illi verſiculi.

*Rumor de veteri faciet ventura timeri.*

24 *Cras poterunt fieri turpia, ſicut heri.*

Alia *Præſumptio facti* eſt ſubſequentis circa præterita, quando nimirùm ex facto ſubſequenti præſumitur circa præteritum: ut cùm aliqui accuſati fuerunt de adulterio, quod depellebant prætextu conſanguinitatis, ſi poſteà in matrimonium ſe conjunxerint, præſumitur facinus præteritum, de quo anteà fuerunt accuſati, *l. Si qui adulterii. Cod. Ad Leg. Jul. de Adulteriis*, cum ſimilibus.

Reſp. II. Præſumptio juris ſubdividitur in præſumptionem juris tantùm, & in præſumptionem juris & de jure. Ita Abbas *cap. Quanto. num. 3. b. t.* & communis aliorum. Ratio eſt: quia quandoque Jus præſumit aliquid ex conjecturis in tantum, quòd ſuper illa præſumptione quid certum ſtatuat, illudque veluti veriſſimum haberi velit: & hæc appellatur *Præſumptio juris & de jure*. Aliquando autem Jus aliquid præſumit, ſed ſuper ſua præſumptione non ita firmat pedes, ut ſuper illa certum quid ſtatuat: & hæc ſimpliciter vocatur *Præſumptio juris*. Itaque

25 *Præſumptio juris* tantùm eſt illa, cui Jus tamdiu innititur, donec contrarium probetur. Sic de jure quilibet præſumitur bonus, niſi probetur malus; ut *c. Mandata, & cap. ult. b. t.* Et econtrà, *ſemel malus ſemper præſumitur eſſe malus* (intellige, in eodem genere delicti, & niſi de emendatione appareat) juxta *Reg. 8. Juris in 6.* Similiter vicinus hac juris præſumptione præſumitur ſcire ea, quæ ſunt facta in vicinia, *c. Quoſdam, & ſeqq. b. t.* ubi plura alia hujuſmodi exempla habentur.

26 *Præſumptio juris & de jure* illa dicitur, propter quam Lex aliquid certum ſtatuit. Abbas *c. Inter alia, n. 6. & 7. de Immunitat. Eccleſ.* Sive *Præſumptio juris & de jure* eſt ea, cui Jus adeò fortiter innititur, ut eam plenè pro veritate habendam decernat. Unde hæc tantum operatur in Foro judiciali quantum veritas. Abbas *c. Is qui fidem, n. 2. de Sponſalib.* Neque recipit probationem in contrarium, *c. Is qui fidem, de Sponſalib.* & ampliùs dicetur infrà *n. 52.* Et meritò hæc dicitur eſſe *Præſumptio juris*, utpote cùm ſit à Lege introducta: ſimul *& de jure*, quia ſuper hac præſumptione Lex firmum ſancivit jus, & eam pro veritate haberi voluit. Exemplum habetur *cit. c. Is qui fidem. de Sponſalib.* de matrimonio taliter præſumpto. Item *Clem. Litteris, de Probat.* ubi contra Litteras Summi Pontificis, de facto proprio atteſtantis, non admittitur probatio in oppoſitum. Talis etiam præſumptio juris, & de jure, eſt contra Tutorem, quòd res in inventario ab eodem deſcriptæ verè fuerint in bonis defuncti, *L. ult. c. Arbitrium tutelæ*. Omittuntur alia hujuſmodi exempla, quæ Gloſſa *fin. cit. c. Is qui fidem. V. Contra præſumptionem, de Sponſalib.* adducit.

27 Cæterùm, qua ratione Præſumptio juris differat à Fictione juris, quidque ſit Fictio juris, fuſiùs atque ex profeſſo dictum fuit *Lib. 1 Tit. 2. De Conſtitutionibus. §. 8. nu. 176. & 181. et ſeqq.*

28 Reſp. III. Præſumptio hominis eſt triplex: videlicet violenta, probabilis, & levis ſeu temeraria. Ita communis. Ratio eſt: quia præſumptio eſt collecta ex indiciis, uti liquet ex ejus definitione *num. 3.* allata: atqui hujuſmodi indicia quandoque ſunt gravia, vel etiam violenta; quandoque levia, vel etiam nullius momenti; ergo. Itaque

29 *Præſumptio violenta*, ſeu vehemens ſic dicitur, quia in applicando animum violentat, ſeu vehementer trahit mentem Judicis ad credendum: & ideò hæc quandoque ſufficit ad condemnationem; ut *c. Afferte. 2. b. t.*

*Præſumptio probabilis* eſt, quæ ex aliquibus veriſimilibus indiciis oritur: & hæc quandoque purgationem canonicam inducit, ut *c. Si quis de gradu. de Purgat. canon.* cum concordantiis: quandoque alios habet effectus, de quibus *n. 34. & 36. & ſeqq.* Tandem *Præſumptio temeraria* cenſetur ea, quæ vel ex cauſis levibus, ac proinde inſufficientibus, vel ex factis æquè in bonam & malam partem referibilibus concipitur: & hæc eſt rejicienda, *can. Oves. 6. q. 1.* atque illicò ampliùs dicetur.

## §. II.

## De effectu Præſumptionum, ſeu qualiter probent.

*S U M M A R I U M.*

30 *Præſumptio hominis, quam vim probandi habeat? Et num. ſeqq.*

*Levis ſeu temeraria nihil probat, ſed eſt repellenda. Ibid.*

32 *Pro-*



32 *Probabilis, ſeu rationabilis, relinquitur arbitrio Judicis; ac tantum probat, quantum ei videbitur.*

*Præſumptio facit gradum probationis, juxta quod indicia ſtringunt. Ibid.*

33 *Idque declaratur inductione.*

34 *Præſumptio hominis, cæteroquin probabilis, ſe ſola probat tantùm ſemiplenè.*

35 *Si verò adjuvetur publica fama, vel aliis adminiculis, poteſt etiam facere plenam probationem. Et n. præced.*

36 *Præſumptio hominis poteſt illum, qui contrarium aſſerit, gravare onere probationis, ſi Judici videatur.*

37 *Violenta præſumptio hominis transfert onus probandi in adverſarium.*

38 *Contra præſumptionem violentam admittitur probatio in contrarium.*

39 *Ea ſufficit ad ſententiam, ſaltem in cauſis civilibus non nimium arduis. Et n. 37.*

40 *Præſumptio naturæ transfert onus probandi in adverſarium. Et n. 42.*

*Prima facie præſumitur quis idoneus, niſi aliud in contrarium oſtendatur. Ibid.*

41 *Et quomodo iſtud ſit intelligendum?*

*Idoneitas, ſeu qualitas, alia eſt homini intrinſeca, alia extrinſeca.*

*Et de qua procedat præſumptio naturæ? Ibid.*

42 *Nemo præſumitur malus, niſi probetur malus. Et num. 83.*

43 *Præſumptio naturæ non transfert onus probandi in adverſarium, quando id, quod naturaliter ineſt, conſtat poſteà eſſe mutatum.*

44 *Idem dicendum, quando agitur de præjudicio tertii, niſi aliter probetur Actoris intentio.*

45 *Præſumptio juris, quos operetur effectus in materia probationum. Et num. ſeqq*

*Ubi hæc ſtat pro aliquo, tunc ipſe relevatur ab onere probandi. Ibid.*

*Qui habet præſumptionem juris pro ſe, dicitur habere intentionem ſuam fundatam. Ibid.*

46 *Præſumptio juris habetur pro veritate, donec contrarium probetur.*

47 *Præſumptio juxta quoſdam non eſt probatio: benè tamen probationis relevatio.*

48 *Præſumptio juris eſt liquidiſſima probatio, niſi contraria probatione elidatur. Et n. 46.*

49 *Ubi requiruntur probationes liquidiſſimæ, ſufficiunt præſumptiones juris contraria probatione non eliſæ.*

50 *Idem dicendum, ubi Lex requirit probationem per inſtrumenta.*

*Præſumptio juris æquiparatur inſtrumento. Ibid.*

51 *Contra Præſumptionē hominis, & contra præſumptionē juris tantum, admittitur probatio in contrarium.*

52 *Hæc tamen contra præſumptionem juris & de jure regulariter non admittitur.*

53 *Fallit hoc in pluribus caſibus. Et n. ſeqq.*

54 *Contra præſumptionem juris, & de jure, admittitur propria confeſſio.*

55 *Probatio per confeſſionem partis, admittitur etiam contra ſententiam.*

56 *Contra præſumptionem juris & de jure, admittitur probatio indirectè.*

57 *Ac probatio per evidentiam facti, ſeu per notorium*

*Probatio per evidentiam facti nunquam cenſetur excluſa. Ibid.*

58 *Si contra præſumptionem juris & de jure admittatur probatio parte non opponente, ceſſat præſumptio.*

59 *Adverſus eam admittitur probatio per teſtimonium quinque teſtium.*

*Idem dicendum de tribus teſtibus multùm legalibus. Ibid.*

31 QUæritur I. Quam vim probandi habeat Præſumptio hominis? Reſp. I. Præſumptio levis, ſeu temeraria, nihil omninò probat; quin potiùs eſt penitùs repellenda. Ita Gl. marginalis *can. Oves. 6. q. 1.* Vallenſis *b. t. §. 4. n. 1.* & communis. Et meritò: quia præſumptio levis, utpote ex inſufficientibus cauſis temerè concepta, importat ſuſpicionem temerariam: atqui *omnis ſuſpicio potiùs repellenda eſt, quam approbanda, vel recipienda*, ut loquitur textus *c. can Oves. 6 q. 1.* In nullo enim poteſt ea prudenter movere animum Judicis: unde & *c. Primò ſemper. 2. q. 1.* Judicibus præcipitur: *Nullum ſuſpicionis arbitrio judicetis.* Et *c. Inquiſitioni. 43. §. fi. de Sent. exc.* dicitur, conſcientiam levis & temerariæ credulitatis eſſe explodendam.

32 Reſp. II. præſumptio hominis, quæ videlicet Jure expreſſa non habetur, & cæteroquin probabilis ſeu rationabilis exiſtit, prudenti Judicis arbitrio relinquitur; ac tantum probat, quantum ſecundùm ſubjectam materiam, & ſpectata indiciorum gravitate, Judici videbitur. Ita Abbas *c. Is qui fidem. 30. n. 6. de Sponſal.* ubi inter alia dicit, quòd de his non poſſit dari certa regula, ſed juxta quod indicia ſtringunt, præſumptio faciat gradum probationis: atque ampliùs tradit idem Abbas *c. Quantò, n. 3. b. t.* Bartolus *l. De ætate. n. 8. v. ad cujus evidentiam. ff. de Minorib.* Menochius *lib. 2. de arbitrar. Iudic. caſ. 117. nu. 2.* Maſcardus *de Probat. Concl. 1227. n. 1.* & alii. Ratio eſt: quia ubi Judex non poteſt perduci ad veram ſcientiam facti per aliquem ſenſum corporeum, debet is animi ſui motum informare ex argumentis & teſtimoniis, quæ rei aptiora, & vero proximiora eſſe compererit, *L. 3. ff. de Teſtib. & can. Si teſtes. 4. q. 3. §. 1. & c. Cauſam quæ. 14. de Sent. & re judic.* junctis concordantiis à Gloſſa *hic. V. Speciem*, allegatis. Atqui hoc ipſum non eſt aliud, quàm relinquere arbitrio Judicis, quantum in caſibus ſpecificis probent ſingula argumenta, ſeu conjecturæ; ſicque quantum gradum probationis præſumptio inde reſultans efficiat. Accedit, quòd generatim, quænam probatio hic & nunc ſit plena & concludens, necne, Judicis arbitrio relinquatur, juxta dicta *Tit. 19. de Probat. §. 2 n. 60.* Atque, ut ibidem *n. 62. & ſeqq.* ſubjungitur, plures dantur caſus, in quibus non requiritur plena probatio, ſed ſufficit ſemiplena, vel alia ex conjecturis deprompta. Unde conſequens eſt, quòd Judex, ut arbitrium ſuum ſit regulatum, teneatur attendere ad ſubjectam materiam, de qua controvertitur, & gravitatem indiciorum.

33 Hoc ipſum declaratur inductione. Nam tacendo nunc præſumptionem temerariam, qualis foret, ſi quis ex eo duntaxat, quòd viderit v. g. Titium cum muliere loquentem, vellet præſumere adulterium, eſtque penitus rejicienda, juxta proximè dicta. Quandoque dantur conjecturæ aliqualiter urgentes, quæ ſufficiunt ad cauſandam ſuſpicionem, & præſumptionem probabilem: ut ſi Titius ille cum quapiam puella ſæpiùs fuit viſus in ſecreto loqui, & confabulari, *arg. can. Clericus ſolus, diſt. 81.* Aliquando poſſunt eſſe conjecturæ, atque indicia magis urgentia, quæ proinde cauſant præſumptionem magis vehementem: aliquando etiam poſſunt ipſa eſſe urgentiſſima, ita ut generent præſumptionem violentam: Atqui nequit certa regula generalis dari, quænam indicia in ſingulis caſibus ſpecificis ſufficiant ad generandam hanc, vel illam præſumptionem; ergo non niſi prudenti Judicis arbitrio oportet iſtud relinquere determinandum. Verùm ponendo regulas quaſdam generaliores, ad regulandum, ſeu ritè informandum arbitrium Judicis accommodas.

34 Reſp. III. Præſumptio hominis, quæ cæteroquin eſt rationabilis ſeu probabilis, ſe ſola probat tantùm ſemiplenè: ſi verò adjuvetur publica fama, vel aliis adminiculis, poteſt etiam facere plenam probationem. Ita Gloſſa *fin. in c. Inſinuatum, de Simonia.* Abbas *cit. c. Quanto, n. 3. b. t.* Baldus *ad Rubric. b. t. n. 2.* aſſerens, quòd præſumptio juris faciat plenam probationem, cui ſtandum eſt, niſi contrarium probetur; præſumptio hominis autem ſolùm ſemiplenè probet, niſi coadiuvetur, aliis videlicet adminiculis. Menochius *lib. 1. de Præſumptionib. q. 94. num. 3. & 4* aſſerens, ſententiam ferri non debere contra aliquem ex præſumptione hominis probabili; ſecùs, ex violenta. Vallenſis *b. t. §. 4. n. 1. & 2.* Sannig. *eod. cap. 2. n. 4.* & alii. Prior pars deſumitur ex *c. Inquiſitioni. 44. §. fin. de Sentent. excomm. & c. Tertio loco. 13. b. t.* ubi habita tali præſumptione probabilis, defertur partibus juramentum ſuppletorium: illud enim deferri non potuiſſet, ſi præſumptio illa ſemiplene non probaſſet, *arg. l. In bonæ fidei. C. de Rebus credit.* neque potuiſſet exigi, ſi dicta præſumptio plenè probaſſet, *cap. 2. de Probation.* Accedit ratio: quia indicia, quibus innititur præſumptio hominis, atque ex variis hominum moribus, & opinionibus oriuntur, ſunt quidem veriſimilia; unde

& ſuſ-

& ſufficiunt ad torturam, juxta Bartolum *L. 1. in princip. ff. de Quæſt.* & alios: quia tamen adhuc ſunt debilia, & fallere poſſunt, ſicque non urgent ad indubitatè credendum, & concludendam veritatem facti; hinc præſumptio inde concepta cenſetur duntaxat probabilis & veriſimilis, ac proinde nequit plenè probare, ſed ſemiplenè tantum, juxta prudens Judicis arbitrium.

35 Altera pars colligitur ex *c. Tertio loco* 13 juncta Gloſſa, & DD. *ibid. h. t.* ubi præſumptio, aliàs probabilis tantùm, de commiſſa copula carnali ſponſi cum nepte ſponſæ concepta ex eo, quòd fuerint à teſtibus inſimul viſi per plana & nemora, vias & invia pluries circumvagari, plenè probavit accedente fama viciniæ, & propria partium confeſſione jurata: haud obſtante, quód contra valorem matrimonii, atque ad obtinendam ſententiam divortii depoſuerint, quam etiam obtinuerunt. Concordat textus *in c. Illud quoque.* 11 *h. t.* juncto Summario, ubi dicitur, per cohabitationem diutinam, & famam de matrimonio, aliaque adminicula, probari matrimonium. Accedit, quòd plura indicia de ſe inſufficientia, conjungantur ad eundem effectum probationis; ſimulque duæ probationes ſemiplenæ faciant unam probationem plenam, juxta uberiùs dicta ſuprà *Tit. 18. De Confeſſis §. 6. n. 142. & Tit. 19. De Probationibus. §. 4. n. 198. & ſeqq.*

36 Reſp. IV. Inſuper præſumptio hominis, ſi Judici videatur, poteſt illum, qui aſſerit contrarium, gravare onere probationis. Ita Bartolus *in l. De ætate. num. 8 ff. de Minor.* & Maſchardus *cit. Concl. 1227. n. 3.* allegans alios; idque exemplificans in Actore, qui pro fundamento ſuæ intentionis allegat ætatem majorem: nam ſi Judex ex aſpectu corporis arbitrabitur, quòd reverà Actor habeat ætatem majorem, poterit abſque alia Actoris probatione gravare Reum ut probet contrarium, ſicque onus probandi in ipſum transferre. Siquidem ætas hominis, quæ cæteroquin eſt difficilis probationis, inter alia poteſt probari ex aſpectu: qualis tamen probatio multùm relinquitur arbitrio Judicis. Menochius *lib. 2. de Arbitrar. Judic. caſ. 117. n. 1.* & alii.

37 Reſp. V. Violenta præſumptio hominis pro aliquo, transfert onus probandi contrarium in adverſarium: & iſto per adverſarium non probato, facit plenam probationem; adeò, ut ad condemnationem ſufficiat, ſaltem in cauſis civilibus non nimium arduis. Primam partem probat textus in *c. Veniens*, & Abbas *ibid. n. 3. de preſbyt. non baptizat. & c. Ut noſtrum §. porrò. Ut eccleſiaſtica beneficia &c.* ubi ob hujuſmodi violentam præſumptionem refunditur onus probandi in adverſarium.

38 Ex quo conſequens eſt, quòd contra præſumptionem violentam admittatur probatio in contrarium. Gloſſa *fin. cit. c. Veniens*, & Abbas *cit. n. 3. de presbyt. non baptizat.* Qui tamen addit, quòd probatio talis debeat eſſe evidentiſſima: ſiquidem, ut loquitur textus *ibid.* violenta præſumptio *pro certitudine eſt habenda, donec evidentiſſimis forſitan argumentis contrarium probetur.* Nec immeritò: quia efficacior probatio requiritur ab eo qui probare vult illud, quod non eſt veriſimile, *cap. Quia veriſimile.* 10. *h. t.*

39 Altera pars traditur ab Abbate *in c. Quantò.* 3. *h. t.* ubi ait, quòd violenta præſumptio dicatur illa, quæ ſufficit ad ſententiam: quia quaſi violenter trahit Judicem ad credendum. Sic *in c. Afferte. h. t.* refertur, quòd Salomon, Regum ſapientiſſimus, ex violenta quadam præſumptione tulerit ſententiam inter duas fœminas, de filio vivente coram eo litigantes. Ubi proinde Summarium. Jo. Andreas, Felinus, aliique Doctores paſſim, ſic loquuntur: *Ex violenta præſumptione fertur diffinitiva.* Quænam autem in ſpecie ſit cenſenda præſumptio violenta, non niſi Judicis arbitrio determinari poteſt, juxta dicta *n. 32.* Additur etiam in Concluſione: *adeò ut ad condemnationem ſufficiat, ſaltem in cauſis civilibus nō nimium arduis*, ob dicenda inferiùs *n. 61. & 62. & ſeqq.*

40 Reſp. VI. Præſumptio naturæ, ſeu reſultans ex iis, quæ nobis naturaliter inſunt, tantam obtinet vim in materia probationum, ut transferat onus probandi in adverſarium; hoc eſt, in eum, qui aſſerit aliquid contrarium præſumptioni naturali. Ita Gloſſa *fin. cap. ult. h. t.* juncto textu *ibid.* aſſerente, quòd quis *prima facie præſumitur idoneus, niſi aliud in contrarium oſtendatur.*

41 Hoc tamen intelligēdum eſt de idoneitate intrinſeca, cum qua homo naſcitur, non de extrinſeca; prout notat Abbas *ibid. n. 7.* eſtque uberiùs dictum ſuprà *Lib. 1. Tit. 12. De Scrutinio in ordine faciēdo, n. 10.* Nam, ut inquit Gloſſa *c. Si fortè. ℣. Scientiæ, de Electione. in 6.* & communis Doctorum, quædam qualitas eſt hominis intrinſeca, cum qua videlicet homo naſcitur; nempe quòd aliquis ſit caſtus, pacificus, ſobrius &c. Et hanc quis præſumitur habere, donec contrarium probetur, *cit. cap. ult. h. t. & cap. un. de Scrutinio in ord. faciend.* cum ſimilibus: unde conſequens eſt, quòd loquendo de hac qualitate, ſeu idoneitate intrinſeca, præſumptio naturæ transferat onus probandi in adverſarium, qui eam ineſſe negat. Quædam verò qualitas eſt homini extrinſeca; ut litteratura, ſeu quòd aliquis ſit vir doctus, bonus, muſicus &c. Et talis debet probari, neque de hac procedit præſumptio naturæ.

42 Eandem Concluſionem, ſeu quod præſumptio naturæ transferat onus probandi in adverſarium, tradit Maſcardus *concl. 1226. de probat. n. 6. & ſeqq.* allegans alios: quæ præter jam dicta, probatur etiam ex *l. Omni modo*, juncta Gloſſa *℣. Non licebit. C. de Inofficioſ. teſtament. & L. 2.* ubi Gloſſa *℣. Probationibus. C. Qui teſtamenta facere &c. & cap. un. de Scrutinio in ordin. faciend.* ubi dicitur, quod quis *illum, quem indignum eſſe non novit, dignum debeat æſtimare.* Unde illud vulgatum: *Nemo præſumitur malus, niſi probetur malus*; prout deſumitur ex *cap. Mandata. 6. h. t. & can. Is cunctis: 11 qu. 3.* cum ſimilibus. Quia enim contra præſumptionem naturæ eſt, aliquem dicere malum, iſtud aſſerenti incumbit onus probandi.

43 Limitatur tamen data Concluſio, & præſumptio naturæ non transfert onus probandi in adverſarium, quando id, quod naturaliter ineſt, conſtat poſteà eſſe mutatum: Quia, ſi eſt ſuperinducta nova qualitas, quàm naturalis, ea ſemper præſumitur ineſſe, donec doceatur ſublata, *cap. Semel malus. 8 de Reg. Iur. in 6.* Felinus *cap. ult. num. 15. h. t.* Maſcardus *cit. Concl. 1226. num. 16* & alii.

44 Limitatur etiam, quando agitur de præjudicio tertii. Quia præſumptio naturæ non valet ad jus tertii perimendum, niſi aliter probetur Actoris intentio. D. Thomas *2. 2. q. 70. art. 3. ad 2.* aſſerens, de quolibet præſumendum eſſe bonum, niſi appareat contrarium; dummodò non vergat in periculum alterius: quia tunc eſt adhibenda cautela, ut non de facili unicuique credatur, ſecundùm illud. 1. Joan. 4. *Nolite credere omni ſpiritui.* Gloſſa *in can. Si quis præpropera, diſt. 50. ℣. Videri*, dicens, cuipiam imputari, quòd nimis eſt credulus. Maſcardus *cit. Conſil. 1226. n. 20 & 21.* cum aliis. Unde, ſi talis præſumptio vergat in præjudicium tertii, non transfert onus probandi in adverſarium: cùm Lex ex parte Actoris ultra talem præſumptionem, aliud probationis genus requirat. Sic quippè Jura decreverunt, ut unius, etiam Judicis, verbo non credatur in præjudicium alterius, niſi aliorum teſtium adminiculo fulciatur, *c. Cùm à nobis, 28. de Teſtib.* cum ſimilibus: haud obſtante, quòd ſit præſumptio naturalis, quempiam eſſe veracem, nec mentiri, donec probetur oppoſitum. Gloſſa *fin. in c. Sicut nobis, 39. de Sentent. excommun.*

45 Quæritur II. Præſumptio juris quos operetur effectus in materia probationum? Reſp. I. Præſumptio juris, ubi ſtat pro aliquo, tunc ipſe relevatur ab onere probandi atque iſtud transfertur in adverſarium ejus. Ita Speculator *tit. de Præſumptionibus §. Species, n. 3. & 4* Sperellus *Deciſ. 27. Fori Eccleſiaſt. n. 68.* Bartolus *l. In illa, in fin. ff. de Verbor. obligat.* Maſcardus *de Probat. quæſt. 10. procem. n. 37. & Concl. 1228. n. 2.* citans plurimos alios. Ratio eſt: quia, qui habet præſumptionem juris pro ſe, dicitur habere intentionem ſuam fundatam, *l. Generaliter. §. Si pretium. ff. de Fideicommiſſar. libertat.* Lex etenim parificat hos caſus, quod quis probet; vel, quòd habeat pro ſe Juris præſumptionem. Sperellus *Deciſ. 174. Fori Eccleſiaſtic. n. 52.* poſt Alciatum *de Præſumption. p. 3. n. 4.* & alios.

46 Reſp. II. Inſuper præſumptio juris habetur pro veritate, eique ſtatur, donec contrarium probetur. Textus eſt *in cap. ult. de Reſtitut. ſpoliat. in 6. & c. Qui veriſimile, h. t. l. Cùm de indebito, ff. de probat.* cum ſimilibus.



Sperellus *Dec. 174. Fori Eccleſiaſt. n. 57.* Menochius *de præſumpt. lib. 1. q. 36. n. 3.* Jaſon *l. Licèt Imperator. n. 13. ff. de Legat 1.* Maſcard. *c. Concl. 1228. n. 38.* aſſerens, quod præſumptionis juris effectus ſit, ut ex eo alter, contra quem ſtat talis præſumptio juris, condemnetur, niſi ab ipſo probetur contrarium per quandam legitimam ſpeciem probationis. Siquidem præſumptio juris, eſt probatio liquidiſſima in cauſa cæteroquin obſcura, ſeu donec contrarium probetur, *l. Licèt Imperator. ff. de Legat. 1.*

47 Nec obſtat, quòd præſumptio juris propriè non dicatur probatio, *arg. l. Lucius Titius*, ubi Bartolus, & Dynus *ff. de Condition. & demonſtrat.* ac notat Zoeſius *h. t. n. 4.* addita ratione: Quia (inquit) probatio vera percipitur ſenſu corporeo, v. g. quòd teſtes viderint hominem occidi, audierint, interfuerint &c. hoc enim præſumptioni non convenit. Non obſtat, inquam: quia licèt præſumptio juxta quoſdam Doctores propriè non ſit probatio, eſt tamen probationis relevatio, dum transfert onus probandi in alium. Maſcardus *q. 10. procem. n. 37.* Zoeſius, & alii.

48 Quinimò iſtiuſmodi præſumptio juris dicitur liquidiſſima probatio; niſi contraria probatione elidatur. Gloſſa *fin. l. Si tutor petitus. ff. de Pericul. tutor.* Jaſon *l. Licèt Imperat. n. 8. ff. de Legat. 1.* Sperellus *cit. Dec. 174. num 52.* Maſcardus *d. q. 10. n. 40. & Concl. 1228 n. 37.* Menochius *lib. 1. de Præſumpt. q. 81. n. 4.* Valenſis *h. t. § 4. n. 4.* Sannig. *eod. c. 2. n. 8.* & alii. Siquidem legum præſumptiones procedunt ex certis, ac legitimis indiciis: neque aptantur, niſi ſuper veriſimilibus, quæ plerumque fieri ſolent; ſicque fieri præſumuntur, niſi de contrario doceatur.

49 Et hinc, ubi ad victoriam conſequendam requiruntur probationes liquidiſſimæ (ut putà, ſi Statutum aliquod hujuſmodi probationes requirat) ſufficit probare per præſumptiones à Jure inductas, & contraria probatione non eliſas; eò quòd hæ ſint probationes liquidiſſimæ. Felinus *ad Rubric. de probat. num. 1.* poſt Baldum *in dict. l. Si tutor petitus.* Maſcardus *ead. quæſt. 10. num. 41.*

50 Quin etiam hujuſmodi præſumptio juris, quando contraria probatione non eliditur, ſufficit ad probandum, ubi Lex requirit probationem per Inſtrumentum: ut *l. Quicunque.* juncta *L. 1. C. de Apochis publicis, lib. 10.* Ex quo loco infert Alexander *Conſil. 126. n. 7. lib. 6.* quòd præſumptio juris æquiparetur ſcripturæ. Maſcardus *loc. cit. n. 42.* allegans inſuper Baldum *L. 1. C. de Fideicommiſſ.* pluresque alios.

51 Quæritur III. An contra præſumptionem, præſertim quæ eſt juris & de jure, admittatur probatio in contrarium? Reſp. I. Certum eſt, quòd contra Præſumptionem hominis, & etiam contra Præſumptionem juris tantùm, admittatur probatio in contrarium. Ita Gloſſa *fin. c. Is qui quidem. 30 de Sponſalib.* & communis. Idque patet tum ex *cap. 1. ac ſeqq. de purgat. can. & L. ult. ff. De eo quod metus cauſa &c.* ubi contra præſumptionem hominis probatio recipitur. Tum ex *c. propoſuiſti. 4. de probat. & cap. ult. de Reſtit. ſpoliat. in 6. & l. Si chirographum. ff. de probat.* & alibi: ubi contra præſumptionem juris tantum admittitur probatio in contrarium. Et de hoc non eſt difficultas, benè tamen de præſumptione juris & de jure: unde

52 Reſp. II. Contra Præſumptionem juris & de jure, regulariter non admittitur probatio in contrarium. Ita textus expreſſus *c. c. Is qui fidem. 30. de Sponſal.* ibi: *Contra præſumptionem hujuſmodi non eſt probatio admittenda.* Siquidem ſuper eam Lex firmum ſancivit jus, eamque pro veritate habet; uti loquitur Maſcard. *c. q. 10. procem. n. 48.* Et idem operatur iſta præſumptio in caſu præſumpto, quod veritas in caſu vero. Abbas *in d. c. Is qui fidem. n. 2. & 4.* & Fagnanus *ibid. n. 3. & 5. de Sponſalib.* Qui tamen benè ſubjungunt, hoc eſſe intelligendum in Foro contentioſo, & judiciali duntaxat; non autem quoad Deum, & in Foro animæ: in hoc quippe non habet locum præſumptio, ſed ipſa veritas; eſtque ampliùs dictum *Lib. 1. Tit. 2. De Conſtitutionibus. §. 7. n. 168. & ſeqq.*

53 Reſp. III. Nihilominùs allata regula fallit in nonnullis caſibus. Ita Felinus *c. Quantò n. 3. & 4. h. t.* Maſcardus *loc. cit. num 51. & ſeqq.* Vallenſis *h. t. §. 4.* Pirhing *h. t. num. 9. & ſeqq.* aliique communiter complures tales caſus referentes.

54 Sic imprimis contra Præſumptionem juris & de jure admittitur propria confeſſio ejus, pro quo ſtat talis præſumptio, ſive in cujus favorem Jus præſumit. Abbas *c. Cùm contingat. n. 10. de Offic. Deleg.* Jaſon *l. Cùm te tranſegiſſe. n. 7. C. de Tranſact.* Felinus *l. c. n. 3.* Maſcard. *c. n. 51.* & alii. Ratio eſt: quia is, in cujus favorem Jus præſumit, confitendo contrarium tollit præſumptionem juris, quatenus erat in ſui favorem: ſiquidem præſumptio cedit veritati. *l. Imperatores. ff. de prob.* Atqui confeſſio propria detegit veritatem; cùm nemo cenſeatur contra ſe temerè confiteri, ſimulque propria confeſſio ſit optima probatio, ergo.

55 Et hac de cauſa probatio per confeſſionem partis, admittitur etiam contra ſententiam, quæ tranſivit in rem judicatam, licèt habeat pro ſe præſumptionem juris & de jure: adeò, ut ſententia illa, utpote ex propria confeſſione partis injuſta, ſit reſcindenda. Felinus *c. quoniam contra. n. 25. & 26. de Probat.* Jaſon *in Repetit. l. Admonendi nu. 46. ff. de Jurejurand.* atque ex communi docet Maſcardus *cit. q. 10. n. 53.* id tamen intelligens de confeſſione in judicio facta: nam extrajudicialis plenè non probat, juxta dicta *Tit. 18 De Confeſſis. §. 2 n. 54. & ſeqq.*

56 Deinde contra Præſumptionem juris & de jure, admittitur probatio indirectè: quia cùm Lex ad hanc præſumptionem requirat certas qualitates & circumſtantias, ſemper admittitur probatio, quòd non ſimus in tali caſu, vel quòd deficiat aliqua ex qualitatibus requiſitis. Sic cōtra matrimonium, quod *in c. c. Is qui fidem. de Sponſ.* præſumitur celebratum, admittitur indirectè probatio, per quam oſtenditur priùs fuiſſe renunciatum ſponſalibus; vel interceſſiſſe impedimentum dirimens, ratione cujus nequivit ſequi matrimonium. Gloſſa *in Clem. 1. ℣. Feciſſe. de probat.* Felinus *cit. c. Quantò n. 4. h. t.* Valenſis *h. t. §. 4. n. 9.* Menochius *lib. 1. de præſumpt. q. 71. nu. 1.* citans plurimos alios.

57 Tertiò, contrà Præſumptionem juris & de jure, admittitur probatio per evidentiam facti, ſeu per notorium. Quia probatio, quæ eſt per evidentiam facti, nunquam cenſetur excluſa: quando enim conſtat certò & evidenter de veritate, ceſſat dubium, circa quod verſatur præſumptio; unde neceſſe eſt, ut præſumptio cedat veritati, *c. l. Imperatores. ff. de probat.* Vallenſis *l. c. n. 10.* Felinus, *ubi ſuprà. n. 4. fall. 5.* Pirhing. *h. t. n. 11.* Menoch. *d. lib. de præſump. q. 67. n. 1.* & alii.

58 Quarto, ſi contra Præſumptionem juris & de jure admiſſa fuerit probatio parte non opponente, ceſſat; atque tollitur ipſa præſumptio: quia adverſarius, qui nihil oppoſuit, videtur tacitè conſenſiſſe, ſuoque juri renunciaſſe, loquendo de caſu, in quo renunciare potuit. Abbas *c. Cùm contingat n. 10. de Offic. Delegat.* Jaſon *in Repetit. l. Admonendi. n. 45. ff. de Jurejurand.* Felinus *c. c. Quantò. n. 4. fall. 3. h. t.* allegans plures alios.

59 Huc accedit, quod tradit Menochius *cit. lib. 1. de præſump. quæſt. 63. n. 1.* videlicet, adverſus præſumptionem juris & de jure admitti probationem in contrarium per teſtimonium quinque teſtium, *arg. l. Teſtium. C. de Teſtib.* ubi quinque teſtes ſufficiunt loco ſcripturæ; per ſcripturam verò admittitur probatio contra præſumptionem juris & de jure; *l. Generaliter. c. De non numerat. pecun.* Imò Menochius *eod. lib. 1. de præſumption. q. 64. n. 1. & 2.* allegans alios, cenſent, hoc ipſum procedere de duobus, vel tribus teſtibus ſummæ fidei, ſive multùm legalibus & probis. Conſentit Vallenſis *h. t. §. 4. num. 8.* & Pirhing. *n. 11. eod.*

## §. III.

## De ſufficientia Præſumptionum ad ferendam ſententiam.

### SUMMARIUM.

60 *Certum eſt, poſſe ferri ſententiam conformiter præſumptioni juris, niſi contraria probatione elidatur.*

61 *Et ſi præſumptiones hominis regulariter plenam fidem non faciant, poſſunt tamen adeò vehementes exiſtere ut*

*re ut ſufficiant ad ferendam ſententiam.*
62 *Saltem in cauſis civilibus non nimium arduis. & num. præced.*
63 *Secùs in criminalibus criminaliter motis.*
64 *Et hujus ratio.*
65 66 67 *Solvuntur contraria. Et n. ſeqq.*
68 *Confeſſio conjugum, qui fatentur, quòd affinitas præceſſerit matrimonium, non ſufficit ad eorum ſeparationem; & quando?*
69 *Cauſa illa, in qua agitur de peccato carnis ad obtinendum divortium, non eſt criminalis, ſed quaſi mixta inter civilem & criminalem.*
70 *Reus ob ſolas vehementes præſumptiones in cauſis criminalibus non eſt condemnandus, ſed torquendus, vel Canonica purgatio ei indicenda.*
71 *An tali Reo pœna extraordinaria poſſit infligi? Et n. ſeq.*
72 *Dicere, quòd quis majore vel minore pœna ſit afficiendus, eò quòd delictum magis vel minùs fuerit probatum, eſt inconveniens.*
73 *Poteſt tamen propter ipſa indicia, quæ de ſe mala ſunt, pœna extraordinaria imponi.*
74 *Quæ ſit obligatio Legum in præſumptione fundatarum? Remiſſivè.*

60 QUæritur I. Utrùm tam ex præſumptione juris, quàm hominis, poſſit ferri ſententia? Reſp. I. Certum eſt, poſſe conformiter præſumptioni juris ferri ſententiam, niſi contraria probatione elidatur. Ita Menochius *de Præſumpt. lib. 1. q. 94. n. 1. & 2.* aſſerentes hoc eſſe certum & clarum. Idque patet ex *c. Nullus. 4. & c. Quoſdam. 7. & ſeqq. h. t. & c. ult. de Reſtit. ſpoliat. in 6.* cum ſimilibus. Nam quod per præſumptionem juris conſtat, ſatis patere dicitur, inquit Abbas *c. Ad noſtram, nu. 6. de Emption. & vendit.* iſtud probans ex *l. Licèt Imperator. ff. de Legat. I.* & Sperellus *Dec. 27. Fori Eccleſ. n. 63.* & alii. Quinimò præſumptio juris habetur pro veritate, eſtque probatio liquidiſſima, niſi contrarium probari valeat, juxta dicta *n. 46.*

61 Reſp. II. Etſi præſumptiones hominis regulariter plenam fidem non faciant, ſicque juxta eas ſententia ferri nequeat, niſi aliis adminiculis adjuvetur, uti dictum eſt ſuprà *n. 34. & ſeqq.* poſſunt nihilominus præſumptiones hominis adeò vehementes, ſeu violentæ exiſtere, ut ſufficiant ad ferendam ſententiam diffinitivam, ſaltem in cauſis civilibus non nimiùm arduis. Ita Menoch. *lib. 1. de Præſumpt. q. 94. n. 3. & 4.* Maſcard. *de Prob. Concl. 1227. n. 6. & ſeqq.* cum communi Doctorum. Idque patet ex *c. Afferte. 2. h. t.* ubi Salomon ex hujuſmodi violenta præſumptione legitur tuliſſe ſententiam inter duas Meretrices, de filio vivente coram eo litigantes. Unde citatum Capitulum ſic ſummatur: *Ex violenta præſumptione fertur diffinitiva; & eſt caſus notabilis.* Similiter *c. Litteris. 12. & c. Tertiò loco. 13. h. t.* per violentam præſumptionem probatur copula carnalis, quando videlicet ſolus cum ſola, nudus cum nuda in eodem lecto jacens, repertus fuit: adeò, ut ex tam violenta præſumptione poſſit ſententia divortii promulgari, ut ibidem ſubjungitur: Inſuper *l. Quæro §. fi. ff. de Ædilitio edicto*, ſi alia indicia non deficiant, decernitur, ferendam eſſe ſententiam ob confeſſionem ſervi fugitivi. Concordant dicta ſuperiùs. *§. præc. n. 32. & ſeqq.*

62 Additur notanter in Concluſione, *ſaltem cauſis civilibus non nimium arduis.* Utrùm enim ea procedat etiam in cauſis criminalibus (quibus æquiparantur cauſæ civiles arduæ, magnique momenti, juxta dicta ſuperiùs *Tit. 20. De Teſtibus. §. 3. n. 81.*) multum variant Doctores. Et alii quidem affirmant, alii negant: nonnulli verò media via incedentes volunt, condemnari quidem poſſe Reum ex præſumptionibus violentis, ſed ad pœnam mitiorem duntaxat, ſeu extraordinariam: uti videre eſt apud Fach. *li. 1. Contr. Jur. c. 29.* Menoch. *c. li. 1. de Præſump. q. 97. n. 19. & ſeqq.* Engel *h. t. n. 3.* & alios. Pro cujus reſolutione

63 Quæritur II. Utrùm etiam in cauſis criminalibus, poſſit ex præſumptionibus ferri ſententia? Reſp. I. Ex ſolis præſumptionibus, etiam vehementibus, nemo in cauſa criminali criminaliter mota condemnandus eſt. Ita Fachineus *cit. lib. 1. Controv. Jur. c. 29.* Maſcardus *de Probat. Concl. 1128. n. 73. & ſeqq.* cum aliis docens, quòd nemo poſſit ex quibuſcunque urgentiſſimis præſumptionibus, & conjecturis, condemnari de maleficio pœna aliqua corporali: quia, ut quis condemnetur, & puniatur de maleficio criminaliter; debent præſumptiones eſſe violentæ, & ſic à Lege approbatæ, vel inductæ; non autem veriſimiles, & probabiles, prout ſunt hominis præſumptiones, quæ non adeò indubitatæ ſunt, quin quandoque ſollicitam dubitationem ſemper recipiant. Ita Maſcardus citans plures alios. Eandem Concluſionem noviſſimè tenet Engel *h. t. n. 4.* & Pirhing. *eod. nu. 49.* id tamen limitans, niſi conjecturæ, ſeu præſumptiones ſint valdè violentæ, & urgentiſſimæ: ſive, ut loquitur Engel *n. 5.* niſi indicia ſint indubitata, & luce clariora, ſeu talia, quæ evidentiam rei inducunt; prout fit, ſi marito per annum abſente uxor gravida reperiatur.

64 Ratio Concluſionis taliter declaratæ eſt. Quia in cauſis criminalibus criminaliter motis, ut poſſit Reus condemnari, requiruntur probationes luce clariores, *L. ult. C. de Probat.* ibi: *Inſtructa apertiſſimis documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis, & luce clarioribus expedita.* Alioquin enim præſtat nocentem dimittere; quàm innocentem damnare, *l. Abſentem. ff. de Pœnis.* Deinde idipſum clarè deſumitur ex *c. Litteras veſtras. 14. h. t.* ubi Pontifex *propter ſolam ſuſpicionem, quamvis vehementem, noluit aliquem de tam gravi crimine* (Hæreſis, videlicet) *condemnari*, de quo tamen fuerat præſumptio vehemens, juxta Summarium, & Doctores *ibid.*

65 Objicies contra hanc Concluſionem, afferendo fundamentum oppoſitæ ſententiæ. In relata *L. ult. C. de probat.* expreſsè dicitur etiam indicia ſufficere poſſe ad condemnationem in cauſa criminali; ergo. Reſp. Textum allegatum loqui ſolummodò *de indiciis indubitatis, & luce clarioribus*: quale foret, ſi meritò per annum abſente uxor gravida reperiatur; talia enim indicia indubitata, luceque clariora, in data Concluſione expreſsè excipiuntur: ſecùs dicendum de ſolis præſumptionibus, quantumvis vehementibus.

66 Inſtabis. *In c. Afferte. 2. & c. Litteris. 12. & c. Tertio loco. 13. h. t.* habentur ſolæ præſumptiones, & tamen ex illis lata eſt ſententia; ergo nulla ſolutio. Reſp. neg. conſequent. Quia *c. Afferte* loquitur de cauſis civilibus, in quibus poſſe ferri ſententiam ex præſumptione violenta, ultrò conceditur: ſecùs dicendum in cauſis criminalibus criminaliter motis, præſertim ubi agitur ad pœnam ſanguinis. Intellige, niſi forſan præſumptiones forent urgentiſſimæ, ſeu ortæ ex indiciis indubitatis, & luce clarioribus; prout jam exemplificatum eſt in adulterio, dum uxor reperitur gravida abſente viro per annum, aut hujuſmodi: tunc enim poteſt infligi pœna ordinaria quantumcunque maxima, *cit. L. ult. C. de Probat.* ac notat Abbas *c. Afferte, n. 6. h. t.*

67 Ad *c. Litteris, & c. Tertio loco, h. t.* ubi per violentam præſumptionem probatur delictum carnis, adeò ut in priori loco fuerit lata ſententia divortii quoad thorum inter conjuges, in ſecundo autem declarata fuerit nullitas matrimonii, ſeu ſponſalium de præſenti contractorum: Reſpondet Enhel *h. t. n. 5* ibi interveniſſe indicia indubitata peccati carnis: talia enim, quæ ibidem recenſentur, ſufficientem conſtituunt probationem, maximè in delictis carnalibus, non niſi in ſecreto conſummari ſolitis, ac proinde difficulter probandis. Quinimò indicia *in cit. c. Tertio loco, h. t.* relata, ſaltem conjunctim accepta, evidentiam facti induxerunt; eò quòd acceſſerit jurata, & judicialis confeſſio utriuſque partis de peccato carnis ante matrimonium cum nepte ſponſæ perpetrato: ſimulque illud *non diceretur occultum, ſed quaſi prædicaretur à pluribus manifeſtum*, prout ſubjungit textus. Unde non mirum, quòd ſecuta fuerit ſententia ſuper nullitate matrimonii contracti.

68 Nec obſtat, quòd alioquin confeſſio conjugum, qui fatentur, quòd affinitas præceſſerit matrimonium, non ſufficit ad eorum ſeparationem, ne forſan colludant contra matrimonium, *c. Super eo. 5. De eo, qui cognovit conſanguin.* Reſp. enim, quòd hæc præſumptio colluſionis ceſſaverit *in cit. Tertio loco. h. t.* cùm ibi *juvenis nollet ab ea, quam deſponſaverat, ſeparari*; ut loquitur textus, & ampliùs declarat Gloſſa V. *Nollet ab ea*, & Abbas *ib. n. 1. & 4.* Hinc enim patet, quòd non pravo animo colludendi contra matrimonium, ſed ob religionem juramenti dictam confeſſionem fecerint.

Ac-



69 Accedit, quod in citatis Capitulis non ſit ſermo de cauſis propriè criminalibus, ſeu criminaliter motis, de quibus loquitur noſtra Concluſio. Siquidem ibi non agebatur de peccato carnis ad pœnam publicam, ſeu legitimam inferendam: ſed in ordine ad obtinendum divortium quoad thorum, vel diſſolutionem matrimonii nulliter contracti, uti liquet ex textu. Atqui hujuſmodi cauſa non eſt propriè criminalis, haud obſtante, quod in ea quis accuſetur de crimine carnali; ſed eſt quaſi mixta inter civilem & criminalem; prout habetur *c. Tuæ fraternitati 5. de Procuratorib.* ubi de tali caſu ſic legitur: *Quoniam hujuſmodi accuſatio* (de adulterio) *etſi de crimine fiat, non eſt tamen criminalis, ſed quaſi mixta inter civilem & criminalem.*

70 Remanet proinde, quod ſi ſolæ vehementes conjecturæ, ſeu præſumptiones urgeant, in cauſis criminalibus criminaliter motis Reus non ſit condemnandus: ſed vel is ad extorquendam confeſſionem ſubjiciatur torturæ, ſpectato præſertim Jure Civili: vel ipſi indicetur purgatio canonica, juxta Sacros Canones, *tot. tit. de Purgat. Canon.*

71 An autem tali Reo pœna extraordinaria poſſit injungi, ſpectandæ erunt aliæ circumſtantiæ, *arg. c. Litteras veſtras 14. h. t.* ubi cuipiam de hæreſi graviter ſuſpecto pœna extraordinaria fuit injuncta: non quidem propter ipſummet crimen hæreſis, quia de tam gravi crimine non fuit convictus, neque condemnatus: ſed propter indicia hæreſis, quæ fuerunt de ſe mala, & ſcandaloſa; ſicque ex ſe jam promeruerant aliquam pœnam, ſaltem arbitrariam.

72 Dicere autem, quod quis majore vel minore pœna ſit afficiendus, eò quòd delictum magis vel minus fuerit probatum, nimis eſt inconveniens; prout obſervat Franciſcus Sarmientius *Select. Interpretat. lib. 1. cap. 1.* quem ſequitur Engel *h. t. n. 6* Quia major, vel minor probatio non auget, neque minuit malitiam delinquentis: & ſi ob gravia indicia Reus fuerit torturæ ſubjectus, negaverit tamen ſe deliquiſſe, jam cenſentur purgatæ præſumptiones, & indicia; ſicque Reus erit abſolvendus.

73 Quod ſi forſan ejuſmodi indicia de ſe forent mala, & digna cujuſdam pœnæ extraordinariæ: tunc locum habere poterit ſententia Innocentii *in c. Quia veriſimile n. 5.* Felini *c. Afferte nu. 6. & ſeqq. eod.* Menochii *lib. 1. de Præſumptionibus quæſt. 97. nu. 23. & 25. ac ſeqq.* & aliorum, volentium, quod ſi ſententia diffinitiva feratur, & aliquis condemnatur ex præſumptionibus violentis, Judex multùm debeat temperare ſententiam, ita ut non condemnet, niſi raro, & ad modicam pœnam. Talis quippe pœna poteſt infligi propter indicia gravia, & ritè probata, ubi hæc de ſe mala ſunt, & digna alicujus pœnæ extraordinariæ.

74 Quæritur III. Quæ ſit obligatio Legum in præſumptione fundatarum? Reſp. De hoc ex profeſſo, ac fuſiùs, dictum eſſe ſuperiùs *Lib. 1. Tit. 2. De Conſtitutionibus § 7. nu. 162. uſque ad nu. 175.* quo proinde Benevolus Lector remittitur.

## §. IV.

## De conjunctione, ac prævalentia Præſumptionum, ubi & de nonnullis harum in ſpecie.

### SUMMARIUM.

75 *In cauſis civilibus plures præſumptiones poſſunt conjungi ad faciendam plenam probationem.*
76 *Dummodò ſeorſim inducant ſemiplenam probationem: alias ſecùs.*
*Si plura indicia in ſimul conſtituant ſemiplenam probationem, poteſt deferri juramentum ſuppletorium. Ib.*
77 *In cauſis tamen criminalibus non ſufficiunt plures præſumptiones ad faciendam probationem.*
78 *Præſumptio una an, & quando prævaleat alteri? Et nu. ſeqq.*
*Præſumptio fortior, juxta arbitrium Judicis, tollit aliam minùs fortem. Ibid.*
79 *Declaratur iſtud exemplis.*



80 *Præſumptiones in genere, tolluntur per præſumptiones in ſpecie.*
81 *Præſumptio naturæ prævalet contrariis præſumptionibus.*
82 *Præſumptio honeſtior eſt recipienda, habita potiſſimum ratione perſonæ & dignitatis.*
*Magis credendum eſt teſtibus deponentibus de bonitate, quam aliter aſſerentibus. Ibid.*
83 *Ex pluribus præſumptionibus amplectenda eſt ea, quæ eſt excluſiva delicti.*
84 *Solvitur inſtantia* ex cap. 1. h. t.
85 *Præſumptio benignior, & partui favorabilior, eſt præferenda aliis.*
*Filius præſumitur legitimus, etiamſi probetur, uxorem tempore conceptionis filii fuiſſe adulteram. Ibid.*
86 *Præſumitur pro Viris litteratis, providis & honeſtis, quod in ſuis negotiis ritè proceſſerint, donec contrarium probetur.*
87 *Sicut & pro publico Notario.*
88 *Ac Judice judicialiter procedente &c.*
89 *Præſumptio veriſimilior vincit minùs veriſimilem.*
90 *Præſumptiones pro validitate actus, præferuntur contrariis præſumptionibus.*
91 *Præſumptio illa, quæ facit valere actum, eſt regina aliarum præſumptionum.*
92 *Præſumptio juris prævalet præſumptioni hominis.*
93 *Præſumptiones vel maxime tolluntur per probationem in contrarium.*
94 *Præſumptiones hinc inde militantes, ac penitus æquales, invicem ſe collidunt.*
95 *Omne maleficium præſumitur factum malo animo, niſi probetur contrarium. Et n. ſeq. ac n. 84.*
96 *Præſumptio contraria poteſt tollere præſumptionem fraudis.*
97 *Ex præteritis præſumitur circa futura. Et n. ſeqq.*
*Ex bona converſatione in adoleſcentia, præſumitur puer bonus futurus in ætate virili; & quomodo? Ibid.*
*Nihil incertius, quam vita adoleſcentium. Ibid.*
98 *Non præſumitur incontinens in ſenectute, qui in juventute vixit continens &c.*
99 *Ex præteritis præſumitur in futurum, etiam in malam partem.*
100 Semel malus, ſemper præſumitur eſſe malus: *& quomodo?*
*Emendatio criminoſi præſumitur, ſi is per triennium ab improbè factis abſtinuit. Ibid.*
101 *Ex præteritis præſumitur tripliciter; nempe circa præteritum, circa præſens, & circa futurum.*
102 *Eodem modo ex præſenti poteſt elici præſumptio tripliciter.*
103 *Præſumitur contra eum, qui ſubterfugit judicium: & præſumitur pro illo, qui ſe offert judicio.*
104 *Fuga poſt patratum ſcelus, facit præſumptionem contra fugientem.*
105 *Niſi appareat alia rationabilis cauſa diſcedendi.*
106 *Qui ex duobus illatis, ſeu ſibi objectis, unum duntaxat negat, alterum affirmare præſumitur. & quando?*
107 Qui tacet, conſentire videtur: *& quando?*
108 *Vicinus præſumitur ſcire ea, quæ ſunt geſta in vicinia: & qualiter iſtud ſit intelligendum.*
109 *Factum præſumitur notum in vicino loco, quod eſt notum in remoto.*
110 *Præſumptiones Juris Civilis plures. Remiſſivè.*

75 QUæritur I. Utrùm plures Præſumptiones conjungantur ad faciendam unam plenam? Reſp. I. In cauſis civilibus plures præſumptiones poſſunt conjungi; duæque earum faciunt plenam probationem, dummodo ſeorſim inducant ſaltem ſemiplenam probationem. Ita Gloſſa *in c. cùm cauſam verſ. Teſtes, & verſ. Adminicula, de Probation.* & alia Gloſſa *in c. Illud quoque V. Fama loci*, juncto textu *ib. h. t. & l. Inſtrumenta C. de Probat.* Abbas *c. A nobis n. 2. Qui matrimonium accuſ. poſſ.* ubi ait, quod variæ præſumptiones conjungi poſſint ad ſententiam proferendam Bartolus *l. Excuſantur §. Viſo quid ff. de Excuſation. tutor.* Jaſon *in Repet. l. Admonendi n. 253. & ſeqq. ff. de Jurejurand.* Maſcardus *de Probat. concl. 1230. num. 1. & 18. ac ſeqq. & concl. 1228. num. 85* dicens, quod in civilibus plura indicia & præſumptiones plenam inducant probationem, non tamen in criminalibus: atque ad-

X dit,

dit, hanc eſſe communem Doctorum ſententiam, quorum plurimos citat. Idque præter Canones proxime citatos, probatur ex *l. Quæro §. fin. ff. de Ædilitio Edicto*, & *l. Excuſantur §. Ætas ff. de Excuſation. tutor.* ubi tales probationes in civilibus recipiuntur. Concordant dicta ſuperiùs *Tit. 19. de Probationibus §. 4. num. 98. & ſeqq.* ibi quippe fuſius oſtenſum fuit, quod ex duabus probationibus ſemiplenis conſtituatur una plena. Unde illud vulgatum: *Quæ non proſunt ſingula, multa juvant.*

76 Additur tamen, *dummodò ſeorſim inducant ſaltem ſemiplenam probationem*. Si enim duæ tales præſumptiones ſingillatim minùs probarent, quam ſemiplene, hoc ipſo non poſſent efficere plenam probationem etiam conjunctim, & ſimul ſumptæ. Maſcardus *cit. Concl. 1230. n. 18.* cum aliis. Quamquam per hoc non negetur, quod unum indicium etiam à remotis juvet aliud, & una præſumptio corroboret alia. Jo: Andreas *in Addit. ad Speculatorem tit. de Præſumption. §. Species verſ. De tertia præſumptione*, & alii. Unde ſi plura indicia in ſimul conſtituant ſemiplenam probationem, poteſt deferri etiam juramentum ſuppletorium: ſecùs, ſi minùs probent, quam ſemiplene. Abbas *cap. ult. §. Sane num. 8. de Jurejurand.*

77 Reſp. II. Loquendo tamen de cauſis criminalibus, ubi agitur de pœna capitali, *non ſufficiunt plures præſumptiones ad faciendam unam plenam probationem*. Ita Bartolus *cit. l. Excuſantur, ff. de excuſation. tutor.* Speculator *tit. de Præſumptionib. §. Species numer. 7.* Maſcardus *quæſt. 10. proœm. nu. 78. & cit. concl. 1228. nu. 85.* allegans communem. Ratio eſt: quia in iſtis requiruntur probationes indubitatæ, ac luce meridiana clariores, *l. ult. C. de Probation. & can. Sciant 2. qu. 8.* cum ſimilibus: atqui tales indubitatæ probationes non ſunt illæ, quæ deſumuntur ex conjecturis etiam pluribus, utpote quæ ſemper ſollicitam quandam dubitationem recipiunt, ergo.

78 Quæritur II. An, & quando una Præſumptio prævaleat alteri, hancque tollat? Reſp. I. Præſumptio illa, quæ eſt fortior altera juxta prudens arbitrium Judicis, prævalet, ac tollit aliam minùs fortem: Ita Gloſſa *fin. in c. Accedens*, & Abbas *ibid. num. 4. de Crimine falſi.* Alexander *Conſil. 114. nu. 11. lib. 6.* Everardus *Loco 11. à Veriſimili num. 13. & 14.* Menochius *Conſil. 409. nu. 67. lib. 5.* Card. Tuſchus *Litt. P. Concl. 613. n. 1. & ſeqq.* Sperellus *deciſ. 5. Fori Eccleſiaſt. nu. 96.* Maſcardus *de Probat. Concl. 1231. nu. 1. & ſeqq.* citans alios. Idque deſumitur ex *cit. c. Accedens, de Crimin. falſi, & c. cùm inter R. 16.* juncta Gloſſa *verſ. Epiſcopus munus, de Electo, & l. cùm de indebito, ff. de Probat. & l. Divus ff. de Reſtitut. in integ.* ubi reperitur, quod præſumptio una fuerit ſublata per aliam. Concordant dicta ſuperiùs *Tit. 19. de Probationibus, §. 4. n. 76.* ubi generaliter notatur, & probatur, quod ex probationibus fortior prævaleat, & plenior abſorbeat minùs plenam: idem ergo dicendum de præſumptionibus, veluti ſpecie quadam probationum ut ſic.

79 Declaratur etiam præſens Concluſio inductione. Sic ignorantia facti alieni præſumitur, ubi ſcientia non probatur, juxta *Reg. 47. Jur. in 6.* & DD. communiter: tamen hæc ipſa præſumptio ibi eliditur ex alia præſumptione, quæ oritur ratione vicinitatis, cohabitationis, ac hujuſmodi, *c. Quanto 8. h. t.* Similiter furti præſumptio adverſus nautas, caupones, & hujuſmodi, penes quos aliquid eſt deperditum, tollitur ab alia præſumptione, quæ provenit ex bona fama ipſorum. Maſcardus *cit. Concl. 1231. nu. 3.* poſt Soccinum *Conſil. 65. nu. 20. volum. 1.* Decium *Conſil. 96.* Cravettam *Conſil. 40.* & alios. Ulteriùs præſumptio de his, quæ tardè eveniunt, tollitur per præſumptionem aliam de illis, quæ ut plurimùm contingunt, *arg. l. Non ad ea ff. de Legib.* & notat Maſcardus *loc. cit. num 42.* allegans alios. Quamquam hæc omnia prudenti Judicis arbitrio quoad caſus particulares ſint diſcutienda, & ſpectatis omnibus circumſtantiis regulanda. Quod ut clarius pateat, ponuntur quædam Regulæ generales: unde

80 Reſp. II. Præſumptiones in genere, tolluntur per præſumptiones in ſpecie: nam *generi per ſpeciem derogatur*, juxta Reg. 34. Jur. in 6. cum concordantiis. Sic quamvis nemo præſumatur ſuum jactare, *l. Cùm de indebito ff. de Probat.* ſi tamen creditor reddat debitori chirographum, præſumitur id factum animo remittendi debitum, *l. Labeo ait ff. de Pactis*: idemque dicendum, ſi chirographum reperiatur cancellatum, niſi probetur contrarium, *l. Si chirographum ff. de Probat.* Prior etenim præſumptio, ſeu quod nemo præſumatur jactare ſuum, eſt generalis, poſterior autem ſpecialis: atqui præſumptiones ſpeciales vincunt alias generales, Bartolus *d. l. cùm de indebito ff. de probat.* Alexander *Conſil. 150. num. 17. vol. 5.* poſt Baldum *in l. Sive poſſidetis. C. de probation.* Sperellus *Deciſ. 136. Fori Eccleſiaſt. nu. 43.* Card. Tuſchus *Litt. P. Concl. 613. nu. 10.* Maſcardus *cit. Concl. 1231. nu. 6. & 8.* allegans alios:

Reſp. III. Præſumptio naturæ, ſeu quæ eſt ſecundùm 81
ordinem naturæ, fortior eſt contrariis præſumptionibus, iſtiſque prævalet. Maſcardus *cit. Concl. 1231. nu. 17.* & alii. Siquidem naturalia ſunt nobiliora, & priora his, quæ arte fiunt; ſimulque præſumptio naturæ transfert onus probandi in adverſarium, juxta dicta paulò ſuperiùs *n. 40. 42. & ſeqq.* Unde etiam teſtibus, pro præſumptione naturæ deponentibus; magis eſt credendum, quàm contrarium aſſerentibus. Baldus *c. In noſtra n. 1. de Teſtib.* iſtud exemplificans in caſu, quo duo teſtes dicunt, quod pater occiderit filium dolo malo, alii duo econtrà aſſerunt, quòd ex improviſo: iſti duo credibiliùs dicunt, idooque probant, quia rerum natura eſt cum ipſis. Ita Baldus. Concordat Ancharanus *Conſil. 253. n. 3.* & Maſcardus *Concl. 1226. n. 7.* allegans alios.

Infertur proinde, quod præſumptio honeſtior, reci- 82
pienda ſit veluti fortior, habita potiſſimum ratione perſonæ, & dignitatis. Bellamera *conſil. 31. n. 10.* Sicut etiam in dubio magis credendum eſt teſtibus deponentibus de bonitate, quam aliter aſſerentibus. Felinus *cap. ult. n. 11. h. t.* quia videlicet teſtes deponentes de bonitate, dicuntur deponere ea, quæ magis amica, & conſentanea ſunt naturæ. Maſcardus *loc. cit. n. 9.* poſt Cravettam *conſil. 6. n. 63.*

Infertur ulteriùs, quod concurrentibus pluribus præ- 83
ſumptionibus cæteroquin paribus; amplectenda ſit ea, quæ eſt excluſiva delicti; atque hæc, veluti honeſtior, magiſque conſentanea naturæ rationali, præponatur aliis præſumptionibus incluſivis delicti, ut pœna evitetur. Abbas *Conſil. 68 num. 3. vol. 1.* Sperellus *deciſ. 108. Fori Eccleſ. num. 53.* id probans ex *l. Marito ff. pro ſocio* Farinacius *lib. 3. Praxis criminal. quæſt. 85. num. 19.* Menochius *de præſumptionib. lib. 5. præſumpt. 2. n. 22.* Maſcardus *concl. 1231. n. 30. & ſeqq.* citans alios. Accedit ratio: quia dubia in meliorem partem ſunt interpretanda, *cap. 2. de Reg. Jur.* Simulque nemo præſumitur malus, niſi probetur malus, *can. In cunctis 11. q. 3. & cap. ult. de Scrutinio in ordin. faciend.* cum concordantiis: atqui non cenſetur delictum eſſe probatum, quando præſumptiones hinc inde militant; ergo.

Nec obſtat *cap. 1. h. t.* ubi non creditur illi, qui *frau- 84
dulenter nocet amico ſuo, & cùm fuerit deprehenſus, dicit: Ludens feci.* Reſp. enim, hinc ſolum ſequi; quod omne maleficium præſumatur factum malo animo, niſi probetur contrarium; prout infrà *nu. 95.* ampliùs dicetur. Talis autem ſufficiens probatio nequit eſſe ſola aſſertio illius, qui fraudulenter amico ſuo grave nocumentum intulit, ſi deprehenſus in facto velit ſe excuſare, & dicere: *Ludens feci.* Quis enim eſt teſtis idoneus in propria cauſa, præſertim, ubi patens eſt malitia facti ſui? Aut quis ludos appellet, ex quibus gravia proximo damna oriuntur? Quinimò *Ludus quoque noxius in culpa eſt*, uti habetur *l. Nam ludus ff. Ad Leg. Aquil.* Hinc tamen non ſequitur, quin in dubio, & quando non conſtat de delicto, ſeu illato alteri maleficio, prævalere debeant præſumptiones excluſivæ delicti aliis, quæ includunt delictum.

Rurſus infertur, quod præſumptio benignior, & par- 85
tui ſeu proli favorabilior ſit capienda, atque aliis præferenda, *arg. c. Eſtote de Reg. Jur.* Sperellus *Deciſ. 174. Fori Eccleſiaſt. n. 7.* Maſcardus *de Probat. conſil. 1231. n. 27.* aſſerens, præſumptiones, quæ proſunt filiis (utpote, ſtantes pro eorum legitimitate) præ omnibus eſſe recipiendas. Adeò, ut etiamſi probetur, uxorem tempore conceptionis filii fuiſſe adulteram, nihilominùs filius præ-



præſumatur eſſe mariti ſui, adeoque legitimus; per textum *in l. Miles §. Defuncto ff. Ad Leg. Jul. de Adulter.* ac notat Abbas *c. per tuas n. 1. de probat.* Menochius *de Arbitr. Judic. caſ. 89. n. 20. & de præſumpt. lib. 6. præſ. 53. n. 2.* Maſcardus *de probat. Conc. 789. n. 6.* allegans plures alios. Nec immeritò: nam eſt honorabilius, naturæque conformius, quod filius præſumatur ex legitimo matrimonio natus, quam quod dicatur vulgo conceptus.

86 Atque ob hanc ipſam rationem præſumitur pro Viris litteratis, providis & honeſtis, quod in ſuis negotiis ritè proceſſerint, donec oppoſitum probetur, *c. In noſtra*, & Abbas *ibid. n. 3. de Procurat. & c. cùm in juventute 15. h. t. & c. cùm dilectus 9. de Fide inſtrument.*

87 Inſuper ſtat præſumptio pro publico Notario, quod fideliter officium ſuum exercuerit, donec contrarium concludenter probetur, *c. Ad audientiam 13. de Præſcrip.* Ubi Gloſſa *verſ. Juratus*, & DD. Sperellus *deciſ. 27. nu. 11.* & alii.

88 Idemque dicendum de Judice procedente judicialiter, aut etiam extrajudicialiter in iis, quæ extrajudicialiter ex officio præſtare poteſt: quia præſumitur, quod juſte proceſſerit. Secùs, ſi proceſſerit extrajudicialiter in actu, qui ſolet judicialiter exerceri: quia tunc non præſumitur pro Judice, veluti procedente non ſervato juris ordine; ut *c. conquerente 7. de Reſtitut. ſpoliat.* ubi Gloſſa *fin.* Abbas *n. 2. & 13.* & alii.

89 Reſp. IV. Præſumptio veriſimilior vincit minùs veriſimilem, *arg. c. per tuas 10. de Probat.* Alexander *Conſil. 132. n. 29. lib. 5.* Maſcardus *cit. concl. 1231. n. 14. & 15.* allegans alios. Nam quod alienum à veriſimili, eſt quadam falſitatis imago. Baldus *L. 1. C. de Servis fugit.* Everardus *Loco 11. à Veriſimili num. 11.* Sperellus *Deciſ. 28. Fori Eccleſiaſt. num. 65.* citans Rotam *in Gerunden. Anniverſar. 9. Julii 1586. coram Gipſio.* Unde quod fieri non conſuevit, non præſumitur factum, *arg. l. In obſcuris ff. de Reg. jur.* Sperellus *loc. cit. n. 66.* Quin etiam efficacior probatio requiritur ab eo, qui probare vult illud, quod non eſt veriſimile, *c. Quia veriſimile 10. h. t.* juncto Summario, DD. *ibid.*

90 Reſp. V. Præſumptiones pro validitate actus, præferuntur contrariis præſumptionibus. Ita Decius *c. Quoniam Abbas n. 16. de Offic. Deleg.* quem citat, & ſequitur Alexander Stiaticus *in Repetit, Extravag. Ambitioſæ de Rebus Eccleſ. non alien.* Maſcardus *d. concl. 1231* poſt Cephalos *Conſil. 10. n. 14. lib. 1* ubi inquit, quod ex duabus contrariis Præſumptionibus illa prævalet, quæ facit valere actum; prout in ſimili, ubi ambigua eſt oratio, verba ita intelligenda ſunt, ut res, de qua agitur, valere poſſit potiùs, quam perire, *c. Abbate 25. de Verb. ſignif. & l. quoties ff. de rebus dubiis*, cum concordantiis. Unde præſumptio illa, qua dicimus, actum ita fuiſſe geſtum, ut omninò valeat, non autem ut pereat, eſt admodùm potens, *L. 3. ff. de Teſtament. milit.* & fortè cæteris validior, prout loquitur Menochius *de Præſumptionib. lib. 6. præſump. 4. n. 1.*

91 Quinimò præſumptio illa, quæ facit valere actum, eſt regina aliarum præſumptionum. Maſcardus *loc. cit. n. 25.* allegans alios. Ac proinde præſumitur pro validitate actus, donec probetur invalidus, *l. Si poſt diviſionem*, juncta Gloſſa *℣. Non poſſe c. de Juris & facti ignorant.* Sperellus *deciſ. 38. Fori Eccleſiaſt. num. 61.* Menochius *d. præſumpt. 4. n. 2. & ſeqq.* citans alios, & fuſiùs iſtud exemplificans, additis poſtea nonnullis limitationibus.

92 Reſp. VI. Præſumptio juris prævalet præſumptioni hominis, hancque tollit, niſi contrarium illius probetur. Ita Baldus *ad Rubric. de Præſumpt. num. 2.* aſſerens, quod præſumptio legis faciat plenam probationem, cui eſt ſtandum, niſi contrarium probetur: præſumptio hominis econtrà ſemiplenam probationem faciat, cui non eſt ſtandum, niſi coadjuvetur. Maſcardus *cit. concl. 1231. n. 39. & 40.* & concordant dicta ſuperiùs *§. præced. n. 48.* ubi dictum, quod præſumptio juris ſit probatio liquidiſſima, donec contrarium probetur.

93 Reſp. VII. Præſumptiones vel maximè tolluntur per probationem in contrarium. Ita Abbas *c. Ex parte num. 21. de Confeſſis*, & alii. Idque patet ex *cap. Propoſuiſti 4. de probation.* ubi præſumptio ex juramento viri deprompta, eliditur per teſtimonium ſeptem mulierum de oppoſito deponentium. Accedit textus in *L. 1. C.*



*Ad Leg. Cornel. de Sicariis, & l. Si non convitii. C. de Injuriis*, ubi contra præſumptionem, quæ contra aliquem oritur, quod malo animo quemplam occiderit, vel verba injurioſa animo injuriandi protulerit, expreſſe admittitur probatio in contrarium; & conſequenter per hanc tollitur ejuſmodi præſumptio.

Reſp. VIII. Præſumptiones hinc inde militantes, ac 94
penitus æquales, ſeu quarum una penſatis omnibus non præponderat alteri, invicem ſe collidunt. Ita Abbas *cap. Mulieri n. 3. & c. Accedens n. 3. de Crimine falſi.* Everardus *Loco 11 à Simili nu. 13.* Maſcardus *cit. concl. 1231. n. 9. & 10.* allegans alios, atque inde concludens, quod data paritate præſumptionum Reus obtinere debeat. Concordant dicta ſuperiùs *Tit. 19. de Probationibus §. 4. num. 80. 82. 83. ac ſeqq.* ubi hoc ipſum de Probationibus omninò æqualibus generatim declaratum fuit; excipiendo tamen hinc cauſas favorabiles, utpote in quibus ſtante æqualitate probationum ſecùs eſt dicendum, prout ibidem fuſiùs oſtenditur.

Quæritur III. Quid cenſendum de nonnullis Præſum- 95
ptionibus in ſpecie, hoc Titulo relatis? Reſp I. Omne maleficium præſumitur factum animo malo, niſi probetur contrarium. Ita textus *in cap. 1.* juncta Gloſſa *fin. h. t.* ubi non creditur illi, qui *fraudulenter nocet amico ſuo, & cùm fuerit deprehenſus, dicit, Ludens feci.* Unde Innocentius, Hoſtienſis, & Abbas *cit. cap. 1. n. 3. h. t.* notandum inquiunt, quod malum, ſeu damnum, ſemper præſumatur factum malo animo, niſi contrarium probetur, vel prævaleat contraria præſumptio. Concordat textus *in L. 1. C. Ad Leg. Cornel. de Sicariis*, ubi qui occidit hominem, tenetur probare, ſe non animo occidendi id feciſſe, ſed v. g. caſualiter; alias non evadit pœnas homicidarum. Et *l. Si non convitii. C. de Injuriis*, ubi verba de ſui natura injurioſa, præſumuntur animo injuriandi prolata, niſi contrarium probetur: nam *humanæ aures verba noſtra talia judicant, qualia foris ſonant*, ut dicitur *can. Humanæ aures 22. q. 5.* His accedunt dicta ſuperiùs *n. 84.*

Additur notanter, *niſi probetur contrarium*. Quia, ubi 96
conſtat de maleficio, ſeu damno alteri illato; hoc ipſo, quod prima facie iſtud præſumatur malo animo factum, onus probandi contrarium incumbit illi, qui aſſerit, ſe non malo animo id feciſſe, ut puta, probando, quod dederit operam rei licitæ, & caſualiter inde damnum proximo evenerit: vel allegando præſumptiones fortiores, quæ prævaleant prædictæ præſumptioni de malo animo. Nam, quod contraria præſumptio poſſit tollere præſumptionem fraudis, patet ex *l. Item ſi obſtetrix §. fin. & l. item Mela §. 1. ff. Ad Leg. Aquiliam*; & notat Innocentius, & Abbas, *ubi ſupra.* Concordant dicta paulò ſuperiùs *n. 82. & 83.*

Reſp. II. Ex præteritis præſumitur circa futura. Tex- 97
tus eſt *in c. Mandata 6 & c. Scribam eis 9. h. t.* ubi Summarium, Gloſſa, & DD. communiter. Hinc ex bona converſatione in adoleſcentia, præſumitur puer bonus futurus in ætate virili, ac ſenectute, *c. Ex ſtudiis 3. h. t.* ubi in hunc finem allegatur illud Parab. cap. 20. *Ex ſtudiis ſuis intelligitur puer.* Quamquam hæc ſit mera præſumptio, dum ex bona converſatione adoleſcentis, veluti ex idoneis argumentis, bonam de ipſo concipimus opinionem in futurum, quouſque aliquid appareat in contrarium, juxta illud Proverb. cap. 22. *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Nam pro certo iſtud non poſſumus ſcire, juxta illud Salomonis *Proverb. cap.* 30. ubi poſt tria ſibi difficilia (nempe poſt viam aquilæ in cœlo, viam colubri ſuper petram, & viam navis in mari) quartum penitùs ſe ignorare profitetur, videlicet *viam viri in adoleſcentia ſua.* Gloſſa *fin. cit. c. Ex ſtudiis h. t.* Unde *can. Omnis ætas 12. q. 1.* legitur. *Nihil incertius, quam vita adoleſcentium.*

Deinde ex eo, quod ex præteritis præſumatur circa 98
futura, non præſumitur incontinens in ſenectute, qui in juventute vixit continens, donec probetur contrarium. Textus eſt *in c. cùm in juventute 15. h. t.* ubi Gloſſa, & Doctores communiter. Similiter ex vita hactenus pie, & in exacta obſervantia Cœleſtium mandatorum tranſacta, præſumere licet de ſubſequenti bona converſatione alicujus, *cit. c. Mandata 6. h. t.* Quod intellige conformiter proxime dictis de præſumptione rationabili, donec probetur contrarium, non de certitudine.

99 Inſuper, atque in malam partem, ex præteritis præſumitur in futurum, juxta *cap. Scribam eis* 9. *h. t.* ubi illud S. Hieronymi *ſuper Oſee cap* 8. refertur: *Ex prius datis, & neglectis apparet, quod has negligant.* Hinc Abbas *ibid. circa princip.* iſtud exemplificando inquit, eſſe notandum, quod diu negligens in præterito, præſumitur, quod erit negligens in futuro: & qui negligenter ſtuduit in Jure Canonico, præſumitur, quod negligenter ſtudebit in Jure Civili. Atque ideò Prælatus non tenetur aſſidue monere perverſum, ſeu negligentem, ex quo vehementer præſumere poteſt, ſe nihil profecturum: unde expedit quandoque tacere, ne mittat margaritas ante porcos, *can. Quando ergo* 11. *q.* 3.

100 Concordat Reg. 8. Jur. in 6. *Semel malus, ſemper præſumitur eſſe malus*: intellige, *in eodem genere delicti*, ut explicat Gloſſa *ibid. in Caſu*: & niſi de emendatione appareat, *can. Ferrum diſt.* 50. Atque hæc emendatio inter alia comprobatur, ſeu præſumitur ex eo, ſi criminoſus per lapſum triennii ab improbe factis abſtinuit, & in bonis honeſtiſque actibus ſe exercuit, *Auth. de Monachis §. Sancimus ergo. Collat.* 1. eſtque jam dictum ſupra *Tit.* 20. *De Teſtibus* §. 2. *n.* 56. & 57.

101 His adde, quod ex præteritis non ſolùm præſumatur circa futura, ſed etiam aliis modis, ac generatim tripliciter; ut notat Gloſſa *in cit. c. Scribam eis* ℣. *Ex prius datis*, & Abbas *ibid. n.* 1. *h. t.* Quandoque enim ex præteritis præſumitur circa præteritum: ut eſt exemplum *can. Quia ſunt culpæ diſt.* 28. ubi ex eo, quod mulier quædam non fuerit virgo, atque poſt ordinationem Titii in Diaconum non aſſumpſerit habitum religioſum, colligitur, quod non fuerit uxor illius Titii. Quandoque verò ex præteris præſumitur circa præſens: uti fit, quando quæritur de fama alicujus; quia tunc præſumitur quis bonus, vel malus pro præſenti, ſecundùm vitam ſuam de præterito, niſi probetur mutatus, *arg. can. Quicunque*, & *can. Monachus verò diſt.* 77 Quandoque ex præteritis præſumitur circa futura: ut *cit. c. Scribam eis*, & *c. Ex ſtudiis*, & *c. Mandata h. t.* cum ſimilibus.

102 Quin etiam ex præſenti poteſt elici præſumptio, & quidem tripliciter. Quandoque enim ex præſenti præſumitur circa præſens: ut *can. Qui crimen* 6. *q.* 1. ubi criminoſus de præſenti, ſi accuſet alterum, præſumitur non bono zelo accuſare, atque idcirco repellitur. Quandoque ex præſenti præſumitur in futurum: aut *can. Si quis Diaconus diſt.* 50 cum ſimilibus. Quandoque etiam ex præſenti præſumitur in præteritum: ut *can. cum per bellicam* 34. *qu.* 2. Gloſſa, & Abbas *cit. c. Scribam eis h. t.* & alii.

103 Reſp. III. præſumitur contra eum, qui ſubterfugit judicium; & præſumitur pro illo, qui ſe offert judicio. Textus eſt *in c. Nullus* 4. *h. t.* ubi Doctores communiter. Accedit ratio: quia in judicio debet unicuique reddi, quod ſuum eſt, *l. Juſtitia ff. de Juſtit. & jur.* Ideoque *nullus dubitat* (ut loquitur Pontifex in citato textu) *quod ita judicium nocens ſubterfugiat* (diffidendo videlicet de juſtitia ſuæ cauſæ, ſeu ne condemnetur) *quemadmodum ut abſolvatur, qui eſt innocens, quærit*; quia nimirum confidit de juſtitia ſuæ cauſæ, ſicque ſe abſolvendum ſperat, ac deſiderat. Concordat *can Decernimus* 3. *q.* 9. ubi dicitur: *Manifeſtum eſt* (præſumptive, ut explicat Gloſſa) *conſiteri eum de crimine, qui indulto, & toties delegato judicio, purgandi ſe occaſione non utitur.*

104 Hinc fit, quod fuga cujuſpiam poſt patratum ſcelus, ferme ſemper contra fugientem faciat magnam ſuſpicionem, ſeu præſumptionem; ut *l. Raptores § Sin autem poſt commiſſum ff. de Epiſcop. & Cleric.* & *l. Impuberibus §. Præterea ff. de Suſpect. tutor.* ubi Gloſſa ℣. *Sententia ſua.* Bartolus *l. Quis ſit fugitivus §. Siculi ff. de Ædilitio Edicto.* Jaſon *in Repetit. l. Admonendi num.* 167. *ff. de jurejurand.* Farinacius *lib.* 1. *Praxis Criminal. quæſt.* 48. *num.* 1. & *ſeqq.* Maſcardus *de probat Concl.* 820. *num.* 1. & *ſeqq.* allegans plurimos alios: quamvis *numer.* 10. cum communi aliorum notet, quod licet fuga magnam ſuſpicionem, ſeu præſumptionem cauſet, non tamen faciat ſemiplenam probationem.

Additur tamen, *ferme ſemper contra fugientem faciat præſumptionem &c.* Fallit enim hoc, & fuga nullam facit præſumptionem contra fugientem, quando apparet alia cauſa rationabilis diſcedendi: quia in dubio, quod benignius eſt, præferri debet; ſicque fuga, ſeu diſceſſio illa, in meliorem partem accipi; *cap. Odia* 15. *de Reg. jur. in* 6. & *l. Merito ff. Pro Socio*, cum ſimilibus Jaſon, *ubi ſupra, num.* 169. pluribus modis iſtud exemplificans. Maſcardus *cit. Concl.* 820. *nu.* 11. Farinacius *d. quæſt.* 48. *n.* 44. & 56. Pirhing *h. t. n.* 31. & alii, apud quos plura circa materiam de Fuga. 105

Reſp. IV. Qui ex duobus illatis, ſeu ſibi objectis unum duntaxat negat, alterum affirmare, ſeu tacitè confiteri præſumitur. Ita Textus, Summarium, & Doctores *in c. Nonne bene* 5. *h. t.* ubi S. Gregorius *Homil.* 18. *in Joan.* aſſerit, quod Chriſtus Dominus *Joan. cap.* 8. cui duo illata fuerunt, *unum negavit, alterum tacendo conſenſit.* 106

Accedit ratio: quia, *qui tacet, conſentire videtur*, 107 juxta Reg. 43 Jur. in 6. quæ Regula procedit præcipue in facto concupiſcibili, & honorabili, ſecundùm Gloſſam *in c. Is qui tacet. eod. in* 6 quale factum honorabile, juxta verum ſenſum fuerat, quod Chriſtus ſit *Samaritanus*, quod interpretatur *Cuſtos*, ut explicat D. Gregorius *loc. cit.* Alias verò diligenter conſiderandæ ſunt circumſtantiæ, quæ tales eſſe poſſunt, ut iſthæc præſumptio locum non habeat: nam, ut alia taceantur, ſi per meam prohibitionem prohibere non poſſum illud, quod fit, tunc taciturnitas mihi non obeſt; nec cenſeor conſentire, *l. Sæpe ff. de Re judicat.* ac notat Gloſſa *cit. c. Nonne bene verſ. Tacendo h. t.*

Reſp. V. Vicinus præſumitur ſcire ea, quæ ſunt geſta in vicinia. Ita Textus, Summarium, Gloſſa, & Doctores *in c. Quoſdam* 7 *h. t.* Quamquam hoc eſſe intelligendum de factis illis, quæ ſunt communiter nota in loco illo; adeò, ut tunc non facile ſit admittendus, volens, probare ignorantiam per proprium juramentum; rectè notet Abbas *cit. c. Quoſdam num.* 3. *h. t.* & Menochius *de Præſumpt. lib.* 6. *præſumpt.* 24. *nu.* 10. allegans alios. Secùs, quando factum vicini non eſt communiter notum eo in loco: quia tunc creditur ipſi ſuam ignorantiam allegante, juxta Reg. 47. Jur. in 6. *Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur.* Dummodò quis ex officio ſuo non tenebatur inveſtigare: quia in iſto præſumeretur ſcientia, *arg. c. Innotuit* 20 *de Electión.* ac notat Abbas *cit. nu.* 3. 108

Huc accedit alia Præſumptio, de qua fit mentio *cap. quanto* 8. *h. t.* videlicet, quod præſumitur factum notum in vicino loco, quod eſt notum in remoto. Quia tamen concurrentibus certis circumſtantiis hæc ipſa præſumptio poteſt fallere, hinc contra eam admittitur probatio in contrarium: licet enim ſit præſumptio juris, non tamen eſt præſumptio iuris & de jure. Gloſſa *cit. cap. quanto* ℣. *Non potuit*, & Abbas *ibid. n.* 1. *h. t.* & alii. 109

Poſſent hoc loco etiam adduci quædam Præſumptiones Juris Civilis, quarum plures refert Guido Papæ *Tractatum tom* 4. *tract. de Præſumptionibus*; ac præſertim Andreas Alciatus *eod. Tom.* 4. *tract. de Præſumptionibus*, ubi univerſim ſub tribus diſtinctis Regulis centum triginta quatuor eiuſmodi præſumptiones allegat, ſuſeque explicat. Verùm ne videamur falcem mittere in meſſem alienam, harum explicatio convenientiùs relinquitur Juris Civilis Interpretibus: poterit etiam, ſi placuerit, videri Jacobus Menochius in ſuo præclariſſimo *Tomo De præſumptionibus*, ubi de his per integros ſex libros eruditiſſimè diſcurrit. 110

TI-



# TITULUS XXIV.

## De Jurejurando.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*

1 QUia in defectum aliarum probationum ſæpè ſæpiùs recurritur ad juramentum; non immeritò nunc agitur de Jurejurando: nam maximum remedium expediendarum litium eſt juramentum, *L.* 1. *ff. de jurejurand.* & ampliùs patebit ex dicendis. Agitur autem in præſenti Titulo non tantùm de Juramento judiciali, quod eſt ſpecies quædam probationis, ſed etiam de aliis juramentum concernentibus: quorum tamen plura, præſertim Forum conſcientiæ reſpicientia, commodiùs ad Theologiam Moralem remittuntur.

### §. I.

### De natura, & diviſione Juramenti; & qualiter ſit licitum?

*S U M M A R I U M.*

2 *Jurare, quid?*
Juramenti *nomine, quid intelligatur? Ibid.*
*Appellatur etiam* Juſjurandum, & Sacramentum: *Et cur? Ibid.*
3 *Juramentum, quid?*
*Ejus finis immediatus, eſt confirmatio rei dubiæ.*
4 *Dividitur variè; ac præcipue in aſſertorium, & promiſſorium.*
5 *Juramentum aſſertorium, & promiſſorium, quid?*
6 *Ad Juramentum promiſſorium duplex requiritur veritas*
7 *Utrumque variè ſubdividitur. Et n. ſeqq.*
8 *Juramentum ſimplex, & ſolemne.*
9 *Juramentum per execrationem, & per ſimplicem Dei conteſtationem.*
10 *Juramentum extrajudiciale, & judiciale, quid?*
11 *Juramentum judiciale variè dividitur. Et n. ſeqq.*
12 *Juramentum calumniæ.*
13 *Juramentum malitiæ, &*
14 *Juramentum de veritate dicenda; quid?*
15 *Juramentum deciſorium litis, quid, & quotuplex?*
16 *Juramentum in litem, quid?*
*Juramentum iſtud eſt æſtimatorium. Ibid.*
17 *Eſtque triplex: nempe,*
*Juramentum in litem de veritate. Ibid.*
18 *Juramentum in litem de affectione; &*
19 *Juramentum in litem de intereſſe; & quid?*
20 *Juramentum in litem defertur ſolum ratione doli, non ratione culpæ.*
*Culpa, & Dolus, apud Juriſperitos, quid? Ibid.*
*Culpa lata æquiparatur dolo. Ibid.*
21 *Juramentum judiciale aliud eſt Teſtium, aliud Iudicis, Advocatorum, Tutoris &c.*
22 *Juramentum an ſit licitum, præſertim Sacerdotibus, ac Religioſis? Et n. ſeqq.*
*Juramentum debite factum eſt licitum, & actus Religionis. Ibid.*
23 *Non tamen eſt de genere eorum, quæ per ſe bona ſunt, & frequentanda.*
*Conſuetudo incaute jurandi, eſt periculoſa. Ibid.*
24 *Ad juramentum, ut ſit licitum, tres requiruntur comites, nempe Veritas, Iudicium, & Iuſtitia: idque declaratur.*
25 *His concurrentibus licite juratur, etiam per Sacerdotes ac Religioſos.*
26 *Sine juſta cauſa jurare etiam verum, ad minus eſt peccatum veniale.*
27 *Sacerdotes in levi cauſa non ſunt compellendi ad jurandum. Poſſunt tamen jurare in caſu neceſſitatis, ſicut & Religioſi. Ibid.*
28 *Chriſtus* Matth. cap. 5. *prohibuit jurare per creaturas. Si tamen juretur per creaturas, ſervandum eſt juramentum. Ibid.*
29 *Explicatur dictum Salvatoris.* Matth. cap. 5. *Et nu. præced. ac ſeq.*
30 *Iuramentum eſt à malo: & quomodo?*
31 Jacob. cap. 5. *non prohibetur juramentum ſimpliciter, ſed voluntas jurandi incaute, ſine cauſa.*

QUæritur I. Quid, & quotuplex ſit Juramentum? 2 Reſp. I. *Iurare*, eſt aliquid teſte Deo dicere. *Iuramentum* verò eſt vox jurantis, ſeu actus ille, quo juratur teſte Deo. Ita Gloſſa, *in Summa, cauſ.* 22. *q.* 1. Abbas *ad Rubric. h. t. n.* 1. & alii. Igitur *juramenti* nomine in propoſito intelligitur actus Religionis quo quis Deum in teſtem adhibet ad confirmationem eorum, quæ affirmat, vel promittit: eaque ratione profitetur, Divinam veritatem eſſe indefectibilem. Atque iſtud in Rubrica præſentis Tituli appellatur *jusjurandum*, id eſt, jus, quod eſt *jurandum*: quia videlicet juramentum eſt jure faciendum, concurrentibus tribus ejus comitibus, veritate, judicio, & juſtitia; prout requiritur *Ierem. cap.* 4. ac infrà *n.* 24. ampliùs declarabitur. Dicitur etiam in Jure non rarò *Sacramentum*, quaſi per *ſacra aſtringamentum*, uti explicat Abbas *loc. cit.* eò quòd Juramentum fiat per res ſacras, nempe invocando Deum in teſtem, vel etiam tangendo ſanctum Evangelium, aut alias res ſacras: vel appellatur *Sacramentum* largè, quaſi *rei ſacræ ſignum*, prout notat idem Abbas *cap.* 2. *not.* 2. *de Probat.*

Reſp. II. Juramentum rectè definitur, dicendo: *Iuramentum* eſt invocatio Divini Numinis in teſtimonium alicujus rei. Ita D. Auguſtinus *de Serm. Dom. in Monte, cap.* 17. Quæ definitio in re non differt ab ea, quam tradit Hoſtienſis *in Summa h. t. §.* 1. *n.* 1. & Abbas *ad Rubric. h. t. n.* 1. dicendo: *Iuramentum* eſt aſſertio, vel negatio de aliquo honeſto, licito, & poſſibili, ſacræ rei atteſtatione firmata. Ratio eſt: quia finis immediatus uſus juramenti, eſt confirmatio rei dubiæ, ſeu controverſæ per obteſtationem alicujus majoris, nempe Dei, juxta Hebr. cap. 6. *Homines enim per majorem ſui jurant: & omnis controverſiæ eorum finis, ad confirmationem, eſt juramentum.* 3

Reſp. III. Juramentum variè dividitur; prout notat Gloſſa *ad Rubric. ff. de Iurejurand.* Inter alias tamen ejus diviſiones præcipua eſt illa, qua Juramentum dividitur in aſſertorium, & promiſſorium. Ita Scotus *in* 3. *diſt.* 39. *quæſt. un.* Hoſtienſis *in Summa, h. t. num.* 3. Pirhing *eod. num.* 12. & alii. Ratio eſt: quia aut juramentum fit ad fidem veritatis narratæ aſtruendam illi, qui audit: aut fit ad promiſſionem firmandam, qua alteri vel ſponte, vel ejus impulſu quidpiam promittimus. Atqui prius juramentum eſt aſſertorium, poſterius promiſſorium; ergo. Itaque 4

*Iuramentum aſſertorium* eſt, quo ſimpliciter ſine aliqua promiſſione per obteſtationem Dei aliquid affirmamus, vel negamus. *Iuramentum promiſſorium* verò dicitur, quod ad confirmationem promiſſionis, ſeu contractus, aut pacti alicujus corroborationem adjicitur. 5

Atque ad hoc juramentum promiſſorium duplex requiritur veritas: una intentionis, ſeu veritas dicti, qua jurans verum exiſtimat eſſe id, de quo jurat. Et altera executionis, ſeu veritas facti, qua quis in animo habet ſervare illud, quod promittit, ſuoque tempore ſervat. D. Thomas 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. Sanchez *l.* 3. *in Decalog. c.* 4. *n.* 2. Engel *h. t. n.* 6. atque egometipſe jam dixi *in Theolog. Moral. Tract.* 6. *diſt.* 2. *n.* 4. & 17. *ac ſeqq.* plura de obligatione Juramenti promiſſorii ſubjungendo. 6

Reſp IV. Juramentum tum aſſertorium, tum promiſſorium, ulteriùs dividitur in ſimplex, & ſolemne: item in Juramentum per ſimplicem Dei conteſtationem, & per execrationem: & in Juramentum extrajudiciale, & judiciale. Ita communis; ac probatur inductione, ſeu declarando terminos. Siquidem 7

*Iuramentum ſimplex* dicitur omne illud, quod ſolemne non eſt. *Iuramentum ſolemne* verò, quod per certam verborum formulam, vel corporalem alicujus rei, v. g. 8





Sancti

Sancti Evangelii attactum, perficitur coram legitimo Superiore, ut majorem authoritatem æſtimationemque habeat: quale potiſſimum ſolet fieri in Judiciis, in Profeſſione Fidei, in Homagiis, ac Juramento fidelitatis, & hujuſmodi.

9 *Juramentum per execrationem* (quod ſpeciali nomine *Juramentum execratorium* appellatur) eſt illud, quo jurans ſibi ipſi, vel alicui alteri ſibi charo, mali quidpiam à Deo falſitatis vindice imprecatur, niſi verum ſit, quod aſſerit aut promittit. *Juramentum per ſimplicem Dei conteſtationem* econtrà cenſetur omne illud, quod fit abſque tali execratione.

10 *Juramentum extrajudiciale* dicitur, quod fit extra judicium. *Juramentum judiciale* verò, quod præſtatur in judicio. Atque illud rurſus variè ſubdividitur, prout illicò ampliùs dicetur; quamvis quodlibet horum commode reduci valeat ad Juramentum aſſertorium, vel promiſſorium, veluti præcipuam diviſionem Juramenti ut ſic. Proinde

11 Quæritur II. Qua ratione dividatur Juramentum judiciale? Reſp. I. Juramentum judiciale, prout reſpicit partes litigantes, dividitur in juramentum calumniæ, juramentum malitiæ, & juramentum de veritate dicenda. Ita in re communis; & patet ex dictis ſupra *Tit. 7. De Juramento calumniæ §. 1. n. 2. 6. & 9.* ubi de iſto triplici Juramento ex profeſſo agitur. Siquidem

12 *Juramentum calumniæ* dicitur, quod præſtatur tam ab Actore, quam Reo, ab initio poſt litem conteſtatam ſuper tota cauſa: quo videlicet jurans, ſe bona fide, & ſine animo calumniandi agere, & reſpondere velle; id eſt, quo jurant ſe credere, quod bonam ac juſtam cauſam litigandi habeant, quodque interrogati velint, veritatem dicere, nolintque ullam dilationem non neceſſariam petere, & hujuſmodi, de quibus Gloſſa *cap. 1. de Jurament. calum. V. Calumniæ juramentum.*

13 *Juramentum malitiæ*, de quo fit ſermo *cap. 2. de Juram. calumn. in 6.* vocatur illud, quod non ſuper tota cauſa, ſed ſuper ſingularibus quibuſdam articulis, ſive ante, ſive poſt litem conteſtatam præſtandum venit, quoties articulis ille videtur Judici de malitia ſuſpectus: ſive, quoties præſumptio eſt contra aliquem, quod quid malitioſe proponat. Unde patet hujus Juramenti differentia à Juramento calumniæ: nam, ut taceantur aliæ differentiæ, de quibus jam dictum *ſupra cit. Tit. 7. num. 8.* Juramentum calumniæ (niſi tacite remittatur) eſt præſtandum circa initium poſt litem conteſtatam, ſimulque ſuper tota cauſa: ſecùs eſt in Juramento malitiæ; quamvis tam hoc, quam illud, ſoleat eſſe juramentum de credulitate.

14 *Juramentum de veritate dicenda* illud appellatur, quod fit ſuper ſcientia, ſeu veritate, quam quis ſcit, dicenda. Unde Juramentum hoc, ſtricte loquendo, cadit ſuper ſcientiam, & non merè ſuper credulitatem noſtram; prout *cit. Tit. 7. n. 9. & ſeqq.* uberiùs declaratur.

15 Reſp. II. Juramentum judiciale, prout reſpicit deciſionem cauſarum, dividitur in Juramentum deciſorium litis, & in Juramentum in litem: quorum utrumque rurſus ſubdividitur. Ita communis; & patet inductione. Siquidem *Juramentum deciſorium litis* dicitur illud, per quod deciditur lis principalis. Atque illud ſubdividitur in voluntarium, judiciale (intellige, de juramento judiciali ſpecifice ſumpto) & neceſſarium, prout ampliùs declarabitur *infra §. 5. n. 132. & ſeqq.*

16 *Juramentum in litem* econtrà dicitur, per quod deciditur æſtimatio rei. Unde Juramentum illud eſt æſtimatorium, prout notat Jaſon *ad Rubric. tit. ff. de in litem jurando nu. 1.* ubi de hoc juramento habetur integer Titulus, *De in litem jurando*, inſcriptus. Tale Juramentum in litem eſt illud, quod probata violentia ſibi illata, ſolet damnum paſſis Judex deferre ſuper rebus amiſſis, earumque valore; prout habetur *cap. ult. De iis quæ vi metuſve cauſa &c. & l. Si quando C. Unde vi.* Quo utroque in loco ſtatuitur, ut ſi quis legitimè probaverit, violentiam ſibi factam, nec tamen ſingula ablata liquido probare valeat, eò quòd difficile ſit probare, ſingula utenſilia, & alia minuta ab hoc ſibi ablata fuiſſe; tunc Judex inſpecta perſonarum, & negotii qualitate, debeat damnum illatum taxare, & poſtea damnum paſſo juramentum ſuper rebus amiſſis, earumque valore deferre, quod videlicet tantum & non minus ſibi ablatum fuerit; ſtabiturque ejus juramento uſque ad quantitatem taxatam: prout etiam *Lib. 1. Tit. 40. De iis quæ vi metuſve cauſa &c. nu. 13. ac ſeqq.* jam dictum fuit. Et hujuſmodi juramentum appellatur *Juramentum in litem.*

Porrò Juramentum in litem eſt triplex, prout obſervat Jaſon *loc. cit. n. 2.* & Pirhing *h. t. nu. 19.* Primum dicitur *Juramentum in litem de veritate*: ſeu, quod defertur ſpoliato, aut damnum paſſo ſuper vera æſtimatione, ſeu valore rei per vim, aut dolum alterius amiſſæ; ut *cit. l. Si quando C. Unde vi, & cap. ult. De iis quæ vi metuſve cauſa &c.* eſtque proxime dictum. 17

Secundum appellatur *Juramentum in litem de affectione*: ſeu, ubi damnum paſſus vi, aut dolo alterius, permittitur jurare non tantùm de vero pretio rei ſibi dolo ablatæ, vel deſtructæ; ſed etiam, quantum res illa valebat juxta ſuam affectionem. Exemplum ſit: Tu mihi dolo abſtuliſti, aut deſtruxiſti librum valentem 10. ſed quia ille mihi percharus fuit ob annotationes magno labore meo in ipſo factas, ipſum non dediſſem pro 20. tunc Judex in odium doloſi, aut contumaciter reſtituere recuſantis, prævia ſua taxatione, ut ſupra (ne alias in immenſum jurare liceat) poteſt mihi injuſte ſpoliato deferre juramentum, quo juxta privatam etiam meam affectionem, atque utilitatem, poſſim librum illum æſtimare, & jurare, quod ipſum non dediſſem pro 20. *l. Videamus §. Deferre*, juncta *Gl. V. Ex magna cauſa ff. de in litem jurando.* 18

Tertium dicitur *Juramentum in litem de intereſſe*: ſeu, quod præſtatur ratione intereſſe ſingularis extra rem. Exemplum ſit: Depoſui penes te pecuniam, quam poſt lapſum temporis, aut ſententiam Judicis debuiſſes mihi reſtituere; ſed quia ipſam doloſè non reſtituiſti, paſſus ſum grave damnum, v. gr. perdidi pignora mea ſub uſuris, aut creſcente interim pretio frumenti gravem læſionem incurri: iſto caſu debet Judex propter dolum, ſeu contumaciam non ſolventis, deferre mihi juramentum in litem; non quidem de veritate, quia conſtat de quantitate pecuniæ apud te depoſitæ; neque de affectione, quia in nummis non cadit ſingularis affectio, *l. Nummis ff. De in litem jurand.* ſed de meo intereſſe ſingulari extra rem; hoc eſt, ut ego jurem in litem ſecundùm æſtimationem damni, quod paſſus ſum per hoc, quod pecuniam debito tempore doloſe non reſtituiſti, *cit. l. Nummis §. Niſi forte* & Jaſon, *ubi ſuprà n. 4.* 19

Additur tamen, *doloſe &c.* Quia Juramentum in litem, quo creditur Actori quantum in litem juraverit, defertur ſolùm ratione doli (puta, quia Reus vi abſtulit, aut contumax eſt in reſtituendo, vel hujuſmodi) non item ratione culpæ, *L. 2. & l. In actionibus ff. De in rem jurand.* Nam *Culpa* apud Juriſperitos idem eſt, ac omiſſio alicujus diligentiæ, unde ſequitur quodpiam damnum proximo: & hæc poſtea ſubdividitur in latam, levem, & leviſſimam. *Dolus* autem dicitur omnis calliditas, fallacia & machinatio, ad circumveniendum, fallendum, & decipiendum alterum adhibita, *L. 1. ff. de Dolo malo.* Quamquam Culpa lata, ſeu quæ eſt omiſſio ejus diligentiæ & circumſpectionis, quam paſſim homines ejuſdem conditionis adhibere ſolent, in Jure dolo æquiparetur, *L. 1. ff. Si menſor falſum &c.* etſi proprie dolus non ſit. 20

Reſp. III. Juramentum judiciale ſub diverſis aliis reſpectibus adhuc variè dividitur. Ita Gloſſa *ad Rubric. ff. de Jurejurand* & patet inductione. Nam aliud eſt Juramentum teſtium; & hoc eſt de veritate dicenda, *l. Jurejurando C. de Teſtib.* & alibi. Aliud eſt Juramentum Judicis, & Advocatorum, de rite præſtando officio ſuo, *l. Rem novam C. de Judiciis.* Aliud eſt Juramentum Tutoris, qui eſt creditor, vel debitor Pupilli, *Auth. Uti, qui obligatas &c. Collat. 6.* Aliud purgationis Canonicæ, *cap. Quoties, de Purgation. Canon.* Tacentur alia hujuſmodi juramenta, utpote quæ ſuperfluum foret hoc loco recenſere. 21

Quæritur III. An Juramentum ſit licitum, præſertim Sacerdotibus, ac Religioſis. Reſp. I. Juramentum debite factum, ex ſe malum non eſt, ſed potiùs actus virtutis Religionis. Ita D. Thomas *2. 2. quæſt. 89. art. 4.* aſſerens, juramentum eſſe actum Religionis, ſive Latriæ; & communis tum Theologorum, tum Canoniſtarum. Idque patet ex illo *Deuteron. cap. 6.* ubi præcipitur: *Dominum* 22



*minum Deum tuum timebis, ac per nomen ejus jurabis.* Et Pſalm. 62. *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo*, cum ſimilibus. Accedit ratio: quia hoc ipſo, quod homo per Deum jurat, profitetur Deum eſſe potiorem, utpote cujus veritas eſt indefectibilis; ſicque Deo ut veraciſſimo exhibet quamdam reverentiam: atqui exhibere Deo reverentiam, eſt actus Religionis, ſeu Latriæ, ergo.

23 Additur notanter, *juramentum debite factum.* Quia juramentum non eſt de genere eorum, quæ per ſe bona ſunt, & frequentanda; uti eſt Oratio, Eleemoſyna, & hujuſmodi, ſed quæ bona ſunt duntaxat ſuppoſita vera neceſſitate, ſeu cauſa rationabili; prout explicat D. Auguſtinus *Lib. 2. de Verbis Domini in Monte.* Unde conſuetudo incaute jurandi multùm eſt periculoſa, & graviter perſtringitur in Sacra Scriptura: ut Eccleſiaſtici cap. 23. *Jurationi non aſſueſcat os tuum, multi caſus in illa.* Et iterùm ibidem: *Vir multùm jurans, implebitur iniquitate*, cum ſimilibus. Itaque

24 Reſp. II. Ad juramentum, ut ſit licitum, & opus bonum, actuſque Religionis, tres requiruntur conditiones, tanquam comites ipſius, nempe Veritas, Judicium, & Juſtitia, juxta illud Jerem. cap. 4. *Jurabis, Vivit Dominus, in veritate, judicio, & juſtitia.* Et quidem *Veritas* in eo conſiſtit, ut veraciſſimi Numinis teſtimonium non adducatur in atteſtationem falſi, ſeu mendacii: alioquin foret perjurium, & graviſſimum peccatum mortale. *Juſtitia* conſiſtit in hoc, quod æquiſſimi Numinis teſtimonium non adducatur in confirmationem rei iniquæ, & peccato obnoxiæ. *Judicium* verò, ſeu judicii diſcretio conſiſtit in eo, ut cum prudenti intellectus conſideratione, ac pia & reverenti voluntatis affectione, non ſine neceſſitate, aut magna utilitate juretur: prout jam dixi *in Theol. Moral. cit. Tract. 6. Diſt. 3. quæſt. 2. n. 12. ac ſeqq.* ubi plura huc attinentia videri poſſunt.

25 Reſp. III. Ex cauſa neceſſitatis, ſeu concurrentibus hiſce tribus juramenti comitibus, licite etiam per Sacerdotes, & Religioſos juratur. Ita communis omnium; atque habetur expreſſe deciſum *c. Etſi Chriſtus 26. h. t.* ubi etiam Pontifex ſolvit contraria, ob quæ nonnulli Religioſi, veluti vitæ perfectioris æmulatores, timuerunt deponere juramentum judiciale in cauſis ſuæ Eccleſiæ. Accedit ratio: quia, ut proxime dictum eſt, juramentum debite factum, ſeu quod habet tres comites ſuos nempe veritatem, judicium, & juſtitiam, eſt licitum, & actus Religionis, atque in Sacra Scriptura commendatur; ergo non eſt ratio, cur Clericis, atque Religioſis cenſeatur eſſe illicitum. Quinimò non eſſe credendum teſti, etiam Religioſo, qui ſine juramento deponit, habetur *c. Nuper nobis 61. de Teſtib.* Similiter, Clerici in cauſa Eccleſiæ ſuæ, imò & in propriis ſuis cauſis præſtant juramentum calumniæ; ut *cap. 1. & cap. Cæterùm de Jurament. calumn.* Sicut & Epiſcopus, ſi per ſeipſum eligit litigare, idem juramentum præſtare debet, ſed propoſitis tantùm, non verò tactis Evangeliis, *cap. ult. § 1. eod.*

26 Additur notanter in Concluſione, *ex cauſa neceſſitatis &c.* Nam hac ceſſante, ſeu ſine juſta cauſa jurare etiam verum, ad minus eſt peccatum veniale: quia non caret irreverentia quadam, Deum imprudenter adducere in teſtimonium rei, licet cæteroquin veræ, pugnaturque iſtud contra alteram conditionem ad juramentum requiſitam quæ eſt *judicium.*

27 Unde & Sacerdotes in levi cauſa non ſunt ad jurandum compellendi per Judicem; ſed *vice juramenti, per ſanctam conſecrationem interrogentur: quia Sacerdotes* (idemque dicendum de Regularibus, utpote ſpecialiùs ad perfectionem Evangelicam aſpirantibus) *ex levi cauſa jurare non debent*; prout loquitur texeus *in can. Si quis Presbyter. 2. qu. 5.* allegato illo Salvatoris Matth. 5. *Nolite omnino jurare: ſit autem ſermo veſter, Eſt, eſt: Non, non.* Veruntamen in caſu neceſſitatis, ſeu magnæ utilitatis (utputa, ad ſui purgationem, vel probandam alterius innocentiam, aut tuenda ſua, vel Eccleſiæ ſuæ jura, quæ alioquin ex defectu probationum graviter lædi poſſent, ac hujuſmodi) bene poſſunt jurare etiam Sacerdotes, ac Religioſi.

28 Dices Chriſtus Dominus Matth. cap. 5. dixit nobis, *Non jurare omninò, neque per cælum, quia thronus Dei eſt, neque per terram &c. Sit autem ſermo veſter, Eſt; eſt: Non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt*: ergo nunquam licitum eſt jurare. Reſp. negand. conſequent. Quia, ut optime declarat Pontifex *cit. c. Etſi Chriſtus h. t.* prædictis verbis Chriſtus Dominus non prohibuit juramentum per Creatorem (nam & Angelus legitur juraſſe per viventem in ſæcula ſæculorum, *Apocal. capit. 10.* & Apoſtolus quoque jurabat per Deum, cùm *Rom. cap. 1.* diceret: *Teſtis eſt mihi Deus*) ſed quia juramentum eſt actus Religionis, & Latriæ, ut dictum *numer. 22.* prohibuit jurare per creaturas, puta, per cælum, per terram, ac hujuſmodi: *Ne per hujuſmodi juramentum transferretur ad creaturam honorificentia Creatoris*: prout loquitur textus, & ampliùs probat Gloſſa *ibid. verſ. Creaturam.* Quamvis autem (ſubdit Pontifex) non ſit jurandum per creaturam, ſi tamen juretur per creaturam, ſervandum eſt juramentum, dummodò ſit licitum, quod juratur: quia teſte Veritate, qui jurat in Cælo, jurat in Throno Dei, & in eo, qui ſedet ſuper illud.

Nec obſtat illud, quod Salvator, *ubi ſupra*, ſubjunxit: *Sit autem ſermo veſter: Eſt, eſt: Non, non &c.* Nam contrà eſt: quia ipſemet Chriſtus Dominus legitur in Evangelio plus dixiſſe, quam iſta verba, dum *Lucæ c. 4* poſt illa verba, *Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus eſt in patria ſua*, illico ſubjunxit: *In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Heliæ in Iſrael &c.* Unde patet illis verbis non prohiberi juramentum abſolute, ac veluti per ſe malum, cùm ſit confirmatio veritatis; & ſi debite fiat, videlicet in veritate, judicio, atque juſtitia, à Deo ſit commendatum, *Jerem. cap. 4.* & alibi. Quamvis prohibeatur frequens, & incauta juratio, utpote ex qua ſæpe contingit perjurium, una cum aliis delictis, juxta illud *Eccleſiaſtici cap. 23.* jam allegatum: *Vir multùm jurans, replebitur iniquitate.* 29

Neque ulteriùs urgent illa verba Salvatoris immediate ſubjuncta: *Quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Nam Salvator non dixit, *malum*, ſed dixit, *à malo.* Quia, quod amplius eſt, id quidem à malo eſt, videlicet ab incredulitate audientium (nam ſi iſti crederent, opus non foret pluribus verbis, multò minùs juramento, non tamen eſt malum, ſi debite fiat. Quinimò, licet juramentum ſit à malo, juxta allegata verba Salvatoris, nihilominùs eſt à malo, non tam culpæ, quam pœnæ, nec exhibentium, ſed exigentium juramentum: nam horum incredulitas magis eſt pœna, quam culpa, ut inquit Pontifex *in cit. c. Etſi Chriſtus h. t.* Siquidem in ſtatu Naturæ lapſæ, & excreſcente hominum malitia, ſimplici aſſertioni, vel negationi, vix creditur: imò locum habet illud Eccleſiaſtici, cap. 19. *Qui citò credit, levis eſt corde.* 30

Urgebis. In Epiſtola Canonica S. Jacobi Apoſtoli, *cap. 5.* dicitur: *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare &c.* ergo nunquam licitum eſt juramentum, ponderando ly, *ante omnia nolite.* Reſp. negand. conſequent. Quia, uti declarat ly, *Nolite*, atque interpretatur Pontifex *in cit. c. Etſi Chriſtus § Jacobus h. t.* hiſce verbis non ſimpliciter prohibetur juramentum, ſed voluntas jurandi, videlicet incaute, & ſine legitima cauſa. Siquidem ad juramentum non debet quemquam ſpontanea voluntas inducere, ſed neceſſitas trahere importuna: & tunc poteſt quis ſine culpa jurare id, quod cæteroquin eſt juſtum, ac verum. 31

## §. II.

## De interpretatione Juramenti, & conditionibus eidem tacitè inexiſtentibus.

*S U M M A R I U M.*

32 *Juramentum eſt ſtricti juris, ſtrictèque interpretandum.*
33 *In Foro animæ juramentum interpretatur ſecundùm intentionem jurantis.*
*Et ſi de hac non conſtet, interpretatur ſtrictè. Ibid.*
34 *Solvitur inſtantia.*
*Favor juramenti, & reverentia ipſi debita, in quo conſiſtat? Ibid. & n. 55.*

35 Juramentum præſtitum circa materiam juris, interpretatur ſecundùm diſpoſitionem Juris communis.
Idque variè exemplificatur. Ibid. & n. ſeqq.
Non obſtante juramento de rebus Eccleſiæ non alienandis, poteſt Epiſcopus novam Eccleſiam ædificare, ſi populus ea indigeat. Ibid.
36 Jurans in omni cauſa ſervare ordinem judiciarium, non tenetur hunc ſervare in notoriis.
Juramentum generale debet ita intelligi, ſi fieri poteſt ut non obviet Juri ibid.
37 Qui juratò promiſit judicio ſiſti, poteſt ex conceſſa cauſa illud deſerere.
38 Clericus, qui juravit perpetuam reſidentiam, poteſt in caſibus à Jure permiſſis abeſſe.
39 Qui juravit parere Juri, vel mandatis Eccleſiæ, poteſt ob injuſtum gravamen licitè appellare.
40 Et qui juravit conſilium, vel ſecretum alterius nulli revelare, tenetur ſolummodò celare conſilium ipſius honeſtum; non verò malum, & Reipublicæ pernicioſum.
41 Juramentum de ſervando ſecreto, v.g. Capituli, Concil. &c. qualiter ſit intelligendum, atque obliget?
42 Juramentum promiſſorium in materia levi violatum, continet duntaxat peccatum veniale.
43 Juramentum Epiſcoporum, Canonicorum, & aliorum ad Dignitates, vel Officia promotorum; Item juramentum Capitulorum, Collegiorum, Univerſitatum &c. jurantium ſervare propria Statuta, qualiter interpretandum?
Statuta hæc, ſicut & juramenta ipſis appoſita, interpretantur ſecundùm Jus commune; atque obligant juxta ſubjectam materiam mortaliter, vel venialiter. Ibid.
44 Juramentum an ſit interpretandum ſecundum intentionem jurantis, vel illud recipientis? Et numer. ſeqq.
Bona fide generaliter præſtitum interpretatur ſecundùm intentionem jurantis, nec extenditur ad incogitata. Ibid.
45 Juramentum generaliter prolatum debet civili modo intelligi.
46 & 47 Idque exemplificatur.
48 Si jurans fuit in dolo, tunc juramentum ejus interpretatur, atque obligat juxta intentionem recipientis. Et nu. ſeq.
49 Fraus, & dolus, alicui patrocinari non debent.
50 In Juramento aſſertorio nulla conditio ſubintelligitur.
51 In juramento tamen promiſſorio, quamvis abſolute facto, quædam tacitæ ſubintelliguntur conditiones. Et nu. ſeqq.
52 Nempe I. Si potero: vel, ſi Deo placuerit.
Ad impoſſibile nemo tenetur: & hoc qualiter intelligendum? Ibid.
53 II. Salvo jure, & authoritate Superioris.
54 III. Si non is ſponte remiſerit, in cujus favorem juratum eſt.
Invito beneficium non tribuitur. Ibid.
55 Juramentum in favorem hominis factum Deus non acceptat, niſi in ordine ad hominem.
56 Juramentum dandi certam eleemoſynam pauperibus in genere, an poſſit à paupere aliquo remitti?
57 IV. Si res in eodem ſtatu permanſerit.
58 V Si & altera pars fidem ſervaverit.
59 Conditiones illæ, quæ tacite, ſeu de jure inſunt, non faciunt actum conditionatum: bene tamen conditiones extrinſecæ.
60 Juramentum ſervandi Statuta edita, non extenditur ad Statuta impoſterum edenda.
61 Etiamſi quis promittat, ut juramenti antea præſtiti eadem ſervare.
62 Iuramentum etiam abſolute præſtitum ſervandi Statuta, non extenditur ad futura, niſi exprimatur.
63 Et ratio hujus.
64 Limitatur iſtud, quando poſterius Statutum venit ad declarationem prioris duntaxat.
65 Solvuntur contraria. Et n. ſeqq.
Hypotheca rerum ſuarum, etiam ad futuras res producitur. Ibid.
66 Indefinita locutio æquipollet univerſali; & quando? Et nu. præced.
67 Diſparitas inter hypothecam, & juramentum.
68 Juramentum à Iudice delatum Reo, & juramentum teſtium, qualiter ſit interpretandum? Remiſſive.

38 QUæritur I. Quomodo Juramentum ſit interpretandum? Reſp. I Juramentum eſt ſtricti juris; ſtrictèque interpretandum propter periculum animarum; atque ad evitandum perjurium. Ita Abbas cap. Clericus n. 2. h. t. Suarez lib. 2. de Iuram. cap. 32. n. 7. Pirhing h. t. nu. 102. cum communi. Idque deſumitur ex c. cùm Clerici 19. de Verb. ſignif. ubi juramentum à quopiam editum, ſtricte per Papam interpretatur. Accedit ratio: quia ubi de inducenda obligatione agitur, ſtricta debet fieri interpretatio, juxta c. Odia reſtringi 15. de reg. jur. in 6. cum ſimilibus. Unde ſi quædam reperiatur obſcuritas, juramentum interpretatur pro favore jurantis; atque illud quod palam verbis expreſſum non eſt, cenſetur omiſſum, l. quidquid aſtringendæ ff. de Verb. obligat. ibid. Quidquid aſtringendæ obligationis cauſa dictum eſt, id niſi palam verbis exprimatur, omiſſum eſſe intelligendum eſt: aut certe ſecundùm promiſſorem interpretandum.

39 Atque illud vel maxime procedit pro Foro externo: nam in Foro animæ juramentum interpretatur ſecundùm intentionem jurantis, juxta illud 1. Regum, cap. 16. Homo videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor. Unde D. Gregorius, relatus can. Humanæ aures 22. qu. 5. ſic loquitur. Humanæ aures verba noſtra talia judicant, qualia foris ſonat: Divina verò judicia, talia ea audiant, qualia ex intimis proferuntur. Quod ſi tamen de ipſa jurantis intentione non conſtet, tunc etiam in Foro animæ, ac pœnitentiali, juramentum ſtricte eſt interpretandum, ob dicta nu. præced.

40 Neque obſtat favor juramenti, atque reverentia eidem debita. Siquidem favor juramenti, ac reverentia ipſi debita, principaliter conſiſtit in eo, quod ſit verum, juſtum atque rationabile; ſicque habet tres comites ſuos, veritatem nimirum, judicium, atque juſtitiam, juxta Ierem cap. 4 Non autem, ut ad plura extendatur, atque in dubio amplietur: quinimò, quo benignior fuerit interpretatio juramenti, eò faciliùs obſervabitur, magiſque evitabitur ipſius violatio, ſeu perjurium

41 Reſp. II. Quando juramentum eſt præſtitum circa materiam juris (hoc eſt, circa illa, de quibus Jus ipſum quid diſponit) tunc illud eſt interpretandum ſecundùm diſpoſitionem Juris Communis, neque ultrà extendendum. Ita Gloſſa in cap. 1. verſ. Declaramus h. t. in 6. Innocentius cap Per tuas litteras circa med. de Arbitris, Abbas c. Tua nos n 4. de Eccleſ. ædificand. Layman. lib. 4. Theolog. Moral. tract. 3. cap. 9. num. 2. Pirhing h. t. num. 107. & alii. Idque deſumitur ex cit. c. Tua nos 6. de Eccleſ. ædificand. ubi non obſtante juramento de rebus Eccleſiæ non alienandis, poteſt Epiſcopus novam Eccleſiam ædificare, ſi populus ea indigeat: quia hoc ipſum eſt de Jure Communi, cap. Ad audientiam 3. eod. ſicque juramentum illud Epiſcopi eſt interpretandum juxta Jus Commune, ac proinde caſus iſte in Juramento illo cenſetur tacite exceptus.

42 Concordat c. Ad noſtram 21. h. t. ubi jurans, quod in omni cauſa debeat obſervare ordinem judiciarium, non tenetur vi juramenti ipſum ſervare in manifeſtis, ac notoriis; ſiquidem ſpectato Jure communi manifeſta accuſatione non indigent, can. Manifeſta 2. q. 1. & cap. Evidentia de Accuſation. ac proinde etiam illud juramentum, utpote interpretandum ſecundùm Jus Commune, caſum hunc de manifeſtis non comprehendit. Accedit ratio ibidem allata: quia ſi jurans non habebat in mente, ut propterea veniret contra Canonicas Sanctiones; Alloquin non juramentum, ſed perjurium potius extitiſſet: neceſſet aliqua ratione ſervandum. Hæc Pontifex pro interpretatione dicti juramenti Ubi proinde Summarium ex Abbate deſumptum, ſic loquitur: Iuramentum generale debet ita intelligi, ſi fieri poteſt, ut non obviet Iuri; alias tanquam temerarium non obligat contra Iuris obſervantiam.

43 Huc etiam facit textus in L. ult. ff. Qui ſatiſdare cogentur, ibi: Qui jurato promiſit judicio ſiſti, non videtur pejeraſſe, ſi ex conceſſa cauſa hoc deſeruerit. Atque ratio horum generalis eſt: quia in quolibet juramento pro-



miſſorio tacitè ſubintelligitur, atque ipſo jure, ineſt conditio illa, Salvo jure, & authoritate Superioris (putà, ſupremi Legiſlatoris) c Venientes 19. h. t. atque ampliùs n. 53. dicetur. Unde conſequens eſt, quod juramentum conformiter menti Legiſlatoris per Jus Commune manifeſtatæ, interpretari debeat, ne alias veluti temerarium rejici debeat.

38 Eadem concluſio amplius declaratur exemplis, atque caſibus ſpecialibus. Sic imprimis Clericus, qui juravit perpetuam reſidentiam, poteſt in caſibus à Jure permiſſis abeſſe, v. g. pro ſervitio ſuæ Eccleſiæ, c ex part. 13. de Cleric. non reſident. Vel ex cauſa infirmitatis, ſeu juſtæ & rationabilis corporalis neceſſitatis, cap. un. eod. in 6. cum ſimilibus.

39 Deinde, qui juravit parere Juri, vel mandatis Eccleſiæ, poteſt hoc juramento non obſtante, ſi ſe injuſtè gravatum viderit, licitè appellare, ſicuti Jure Communi conceſſum eſt. Gloſſa communiter recepta in cap. prout V. Cautionem, de Dolo & contumac. & Abbas ibidem num. 11. iſtud extendens ad caſum, quo quis juravit coram Iudice reſpondere: adhuc enim (inquit) ex ſupervenienti cauſa poterit ipſum recuſare; ut c. Inſinuante 25. de offic. Deleg.

40 Ulterius, qui juravit conſilium, ſive ſecretum alterius, nulli revelare, vi hujus juramenti ſolummodò tenetur celare conſilium ipſius honeſtum: ſecùs dicendum de conſilio malo, ac Reipublicæ pernicioſo. Gloſ. in c. Ego N. 4. verſ. Nulli pandam, & Abbas ib. nu. 7. h. t. Qui tamen notanter addit, quod tunc ejuſmodi conſilium, ſeu ſecretum malum, non poſſit revelari omnibus (foret enim manifeſta detractio, occultum crimen alterius ſine legitima cauſa manifeſtare) ſed illis duntaxat, quibus poteſt prodeſſe, & non obeſſe: putà, quia poſſunt ſibi, aut Reipublicæ præcavere à gravioribus malis.

41 Inſuper juramentum de ſervando Secreto (hoc eſt, de non revelandis illis, quæ in Capitulo, Concilio &c. tractantur) eſt intelligendum juxta materiam ſubjectam, ſeu quatenùs materia ſubjecta ſecretum poſtulat: Ita nimirum, ut ſi res magni momenti exiſtat, & valdè interſit eam non evulgari, ipſius evulgatio perjurium, atque peccatum mortale inducat propter violatum juramentum: ſi autem fuerit res levis, ſolùm veniale peccatum inducat. Sanchez lib. 3. in Decalog. c. 14. nu. 5. Layman lib. 4. Teol. Moral. c. 9. n. 2. citans alios.

42 Nec immeritò: nam quod juramentum promiſſorium in materia levi violatum, contineat peccatum duntaxat veniale, ſicut & violatio voti in materia levi, tenet Navarrus c. 12 Manual. n. 11. Angelus verſ. Juramentum 5. n. 41. Suarez tom. 2. de Relig. l. 3 de Jurament. cap. 16. num. 9. & ſeqq. Sanchez lib. 3. in Decalog cap. 4. num. 23 citans alios; atque ego ipſe jam dixi in Theol. Moral. Tract. 6. diſt. 2. num. 32. ea addita ratione. Tum quia inter alias conditiones, quæ juramento promiſſorio tacitè inſunt, una eſt: Niſi is, in cujus gratiam juratur, id remittat, juxta dicenda n. 54. atqui nullus cenſetur rationabiliter velle obligare alterum ſub gravi culpa ad præſtandam rem levem, quam ſibi promiſit ſub juramento. Tum quia levitas materiæ etiam à mortali culpa excuſat in voto, & aliis huiuſmodi materiis.

43 Et conformiter præmiſſis debet intelligi, atque interpretari iuramentum Epiſcoporum, c. Ego num. 4. h. t. relatum, item iuramentum Canonicorum, & aliorum in ſua promotione ad certas dignitates, vel Officia, ſpeciale iuramentum deponentium: ſicut & Iuramentum Capitulorum, Collegiorum, Univerſitatum, aliarumque Communitatum, iurantium ſervare propria Statuta. Hæc enim, ſicut & iuramenta ipſis appoſita, ſunt interpretanda ſecundum Jus Commune; ac proinde ſunt intelligenda, ut obligent iuxta ſubiectam materiam, vel mortaliter, vel venialiter, vel etiam ad ſubeundam ſolam pœnam. Prout in ſimili habetur Clem. 2. §. Item quia de Verbor. ſignif. ubi Pontifex expoſiturus ea, quæ in regula Fratrum Minorum ſunt æquipollentia præceptis, iſtud deſumendum cenſuit ex vi verbi, vel ſaltem ratione materiæ, de qua agitur, ſeu ex utroque. Concordat c. exiit qui ſeminat §. In primis quia, verſ. Et dato, de verb. ſignif. ubi dicitur, quod abſolutè promittentes Sanctum Evangelium obſervare, teneantur ab obſervantiam Evangelii ſic, ſicut tradita reperitur à Chriſto; videlicet, quod præcepta ut præcepta, & conſilia ut conſilia à promittentibus obſerventur. Idem ergo dicendum de Statutis.

44 Quæritur II. An Juramentum ſit interpretandum ſecundum intentionem iurantis, vel illud recipientis? Reſp. I. Juramentum bona fide generaliter præſtitum, eſt interpretandum ſecundum intentionem iurantis, non verò extendendum ad incognita, ſeu ad talia, de quibus Jurans in ſpecie non cogitavit, & ſi in mentem veniſſent, veriſimiliter excepiſſet Ita Gloſſa cap. veniens 16. verſ. Præſciviſſet, & Abbas ib. num 4. Jo: Andreas nu. 9. Barboſa in collectan. num. 4. cum aliis h. t. D. Thomas 2. 2. quæſt. 98. art. 2. ad 3. iſtud exemplificans in eo, qui iuravit facere voluntatem alterius: quia (inquit) in tali iuramento intelligenda eſt debita conditio: Scilicet id, quod ei mandatur, licitum ſit & honeſtum & portabile ſive moderatum. Layman cit. lib. 4 Theol. moral. tract. 3. cap. 9. n. 3. Pirhing. h. t. n. 109. & alii.

45 Ratio eſt: quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus. iuxta Reg. 81. Juris in 6. Ergo idem dicendum de promiſſione, etiam iurata: nam iuramentum generaliter probatum debet civili modo intelligi, l. Si cui ſimpliciter ff. de Servitutibus ſicque non eſt extendendum ad caſus non cogitatos, nimiumque graves, ſeu improbabiles, l. Quamquam, iuncta Gloſſa verſ. cogitaſſet ff. de Ritu nuptiar. Gloſſa, & Abbas cit. cap. Veniens h. tit. Idem probatur exemplis.

46 Sic in c. veniens, 16. h. t. cum Atticus poſt offenſam alteri illatam crederet, ſe non commiſiſſe tale quid, propter quod ei aliquod grave deberet imponi; ſicque ad ſuggeſtionem aliorum bona fide iuraſſet, quod in ſatisfactionem iniuriarum vellet obedire mandatis: Mævius autem illi ſub iuramenti debito præcepiſſet, ut nunquam intraret Curiam Ducis, cuius tamen idem Atticus fuerat Conſiliarius, eiuſque ſervitiis iuramento adſtrictus. Re ad Papam delata declaratur, juramentum Attici non eſſe ſervandum, eo quod repugnet alteri juramento priùs per Atticum Duci facto; & quia Atticus nequaquam taliter juraſſet, ſi mandatum illud ſibi contrarium præſciviſſet; prout loquitur ibidem textus in narratione Facti.

47 Similiter, qui juravit ſtare mandatis alterius, ſi alter ipſi præcipiat, ut in pænam illatæ offenſæ filios & filias exhæredet, & à ſe propriam removeat uxorem: non tenetur ſervare tale juramentum, utpotè ad incogitata ſe extendens, ſimulque præcipiens aliquid illicitum, c. quintavallis, 23. h. t junctâ Gl. & DD. ib. Accedit ratio, quia in quolibet juramento promiſſorio tacitè, atque ipſo jure continentur quædam conditiones; videlicèt, Si potero, Salvo jure Superioris. Si res in eodem ſtatu permanſerint &c. Si igitur una harum conditionum deficiat; prout fit in caſibus proximè relatis, aliiſque ſimilibus, ubi juramentum generale extenditur ad incogitata, ſeu nimis gravia, & de jure vel facto impoſſibilia obſervatu, tunc hoc ipſo ceſſat obligatio juramenti promiſſorii in caſu ejuſmodi.

48 Reſp. II. Quod ſi verò jurans fuit in dolo, præſtando v. g. juramentum ſub verbis callidis, ſeu amphibologicis ad decipiendum eum, cui jurat, tunc juramentum eſt interpretandum, atque obligat iuxta intentionem recipientis: hoc eſt, juxta ſanum intellectum illius, cui juramentum præſtatur. Ita D. Thomas 2. 2. q. 89. art. 7. ad 4. Navarrus cap. 12 Manual. nu. 13 Angelus V. Iuramentum, 4 num. 1. Covarruvias in c. quamvis, de pactis, in 6. par. 1. § 5. n. 1. & 2. Sanchez lib. 3. in Decalog. c. 10 nu 4. & num. 12. 13 & 14. citans alios. Concluſio hæc deſumitur ex can. quacunque 22. qu 5. ubi ex S. Iſidoro ſic refertur Quacunque arte verborum quiſque juret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit. Quem textum procedere de juramento doloſo, notat Archidiaconus ib. num. 1. Iſtud probans ex ly, arte id eſt, fraude, calliditate ſeu verſutia: ac D. Thomas, & alii, ubi ſuprà, iſtud confirmantes ex eo, quod ibidem ſubditur: Dupliciter autem reus fit; quia & Dei nomen in vanum aſſumit, & proximum dolo capit. ſicque patet, ibidem ſermonem eſſe de juramento doloſo, ſeu ad alterum dolo capiendum præſtito.

49 Accedit ratio. Tum quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent, uti dicitur cap. Sedes 15. & c. Ex tenore. 16. de

*16. de reſcript.* Tum quia non *debet alteri per alterum iniqua conditione inferri*, prout habetur *l. Non debet ff. de Reg. Iur.* prout fieret, ſi juramentum doloſum interpretaretur juxta mentem proferentis: & non juxta intentionem ſanumque intellectum recipientis, cui juratur. Quinimò, ſi ſecùs contingeret, tunc doloſè jurans, teneretur ex virtute Juſtitiæ pro foro conſcientiæ, etiam ante aliam ſententiam Judicis, ad refundendum omne damnum alteri, quem ſuo doloſo juramento decepit, atque damnificavit. Concordant dicenda inferiùs *§. ſeqq. numer. 70.*

50 Quæritur III. Quænam conditiones tacitè ineſſe cenſeantur Juramento promiſſorio? Et additur notanter, *promiſſorio*: ſiquidem Iuramento aſſertorio, utpote in quo præciſè aliquid aſſeritur, vel negatur eſſe verum, nulla conditio ſubintelligitur; cum fiat de re præſenti, vel præterita, adeòque ſit de ſimplici veritate, quæ conſiſtit in hoc, quod iurans bona fide arbitretur eſſe verum id, quod ſub iureiurando affirmat. At verò in iuramento promiſſorio, utpote quo aliquid promittimus, duplex debet intervenire veritas: una Intentionis, ſeu veritas dicti; & altera executionis, ſeu veritas facti: ut videlicet illud, quod ſub iuramento promittimus, non ſolum ab initio intendamus adimplere; ſed poſtmodum etiam, ceſſante iuſta cauſa excuſante, opere compleamus, ne periurium incurramus, ut iam dictum ſuprà *num.* 6 Hoc prænotato

51 Reſp. I. In omni Iuramento promiſſorio, quamvis abſolutè facto, quædam tacitè ſubintelliguntur conditiones. Ita deſumitur ex *cap. Quemadmodum 25. §. 1. h. t.* ibi: *Non obſtante hujuſmodi juramento, quoniam in eo talis erat ſubintelligenda conditio*: ac notat Gloſſa *V. Conditio.* & Abbas *ibid. §. Illud autem num. 8.* Layman *lib. 4. Theol. moral. tract. 3. cap. 9. num. 4.* Sylveſter *V. Iuramentum 3. q. 1.* Pirhing *h. t. nu. 119.* & alii. Idque ampliùs patebit ex dicendis: unde

52 Reſp. II. Inter eiuſmodi conditiones, quæ videlicet Iuramento promiſſorio tacitè, ac ipſo iure inſunt, Prima eſt, *Si potero*. Quia ad impoſſibile nemo tenetur, juxta *Reg. 6. Iuris in 6.* Atque iſtud procedit de quolibet impoſſibili, ſive ſit impoſſibile *de jure*, (quia nimirum honeſtè; & ſecundum bonos mores fieri non poteſt) ſive ſit impoſſibile *de facto*, quia videlicet naturaliter fieri non poteſt, vel ſaltem non niſi difficillimè; prout hanc *impotentiam facti* explicat Layman *c. Sciſcitatus nu. 1. de Reſcript.* & Gobat *tract. 11. Theolog. Experiment. n. 496.* poſt PecKlum *in reg. 6. Iuris in 6.* Huc referri poteſt illa conditio: *Si Deo placuerit*: *Si potero licitè*: quia iuramentum non eſt vinculum iniquitatis: *cap. quantò 18. h. t. & cap. 1. eod. in 6.* cum ſimilibus: nam quæ ſunt illicita, ſive diſplicent Domino Deo, cenſentur de iure impoſſibilia.

53 Secunda eſt, *Salvo jure, & authoritate Superioris*. Atque hæc conditio deſumitur ex *c. Venientes 19. h. t.* ibi: *Cùm prædictum juramentum vos excuſare non poſſit, in quo debet intelligi jus Superioris exceptum.* Concordat *c. Ex te. 22. h. t.* ubi illicitum, nec ſervandum cenſetur iuramentum, quod ſalvo Apoſtolicæ Sedis honore ſervari nequit. Unde in ſimili *cap. Non eſt 5. de Voto*, dicitur: *non eſt voti dicendus tranſgreſſor, qui quod vovit, authoritate Sedis Apoſtolicæ diſtulit adimplere*: quia nimirum, ſi iuſta cauſa ſubſit, poteſt in votis Papa diſpenſare; prout notat Gl. *ib. V. Auth.*

54 Tertia, & in Iuramento promiſſorio tacitè ſubintellecta conditio eſt: *Si non is ſponte remiſerit, in cujus favorem juratum eſt.* Tum quia *Invito beneficium non tribuitur*, juxta textum in *l. Invito ff. de reg. Iur.* Requiritur enim eius acceptatio, *l. Abſenti ff. de Donation.* Tum quia quilibet ſuo iuri renunciare poteſt, *c. Si diligenti de foro comp.* ac proinde poteſt rem, vi iuramenti ſibi debitam alteri remittere, & condonare.

55 Nec obſtat religio iuramenti, atque reverentia per eius obſervantiam Deo exhibenda. Reſp. enim, iſtud neutiquam obſtare præmiſſæ conditioni: ſiquidem iuramentum in favorem hominis factum Deus non aliter acceptat, niſi in ordine ad hominem, in cuius utilitatem cedit; alioquin enim iuramentum homini factum, poſſet ipſi ob varios reſpectus, ſeu circumſtantias, quandoque præiudicare: unde ſi homini eſt ſatisfactum, etiam, Deo ac debitæ ipſius reverentiæ ſatisfactum eſſe cenſetur. Navarrus *c. 25. Manualis, num. 25.* loquens in caſu, quo quis iuravit matrimonium inire cum aliqua paupere ob amorem Dei. Sanchez *lib. 3. in Decal. c. 20. num. 7. & lib. 1. de Matrim. diſp. 52. n. 8. & 9.* Pirhing. *h. t. n. 123.* Layman *cit. lib. 4. tr. 3. c. 9. num. 5.* aſſerens, hoc eſſe certum, quando perſona illa, cui iuratum eſt beneficium, v. g. matrimonium, iſtud poſitivè reſpuit tanquam ſibi non acceptum: quod ſi verò beneficium non reſpuat, ſed duntaxat nolit iurantem ad id obligari, tunc cum pluribus aliis cenſet, iuramentum non relaxari; quamvis etiam nonnulli probabiliter teneant oppoſitum, ob rationem proximè dictam.

Excipe hinc caſum, quo quis iuravit dare, v. g. certam eleemoſynam pauperibus in genere, nulli autem eorum in ſpecie: tunc enim nullus pauper poſſet eiuſmodi iuramentum remittere, utpote non ſibi directè ac principaliter factum, ſed Deo, & pauperibus in genere, atque vagè. Sanchez *c. c. 20. n. 8.* Quod ſi tamen tali voto adſtrictus, eleemoſynam illam ſine pacto reddendi cuipiam pauperi largiretur, qui mox ſponte ſua, vel etiam rogatus, eam largienti redderet, ſatisfactum eſſet iuramento: Quia cum eleemoſyna ſemel abſolutè data ſit pauperi, iuramentum fuit expletum; pauper verò, utpote eius dominus effectus, liberè poterat eam reddere largienti. Sanchez *l. cit. n. 8.* Layman *cit. n. 5.* & alii. 56

Quarta conditio in Iuramento promiſſorio imbibita, ſeu eidem tacitè inexiſtens, eſt: *Si res in eodem ſtatu permanſerint*; hoc eſt, non fuerint notabiliter mutatæ. Et hæc conditio deſumitur ex *c. Brevi 17. & c. Quemadmodum 25. h. t.* juncta Gloſſa hic *V. Conditio*, & DD. paſſim Concordat textus in *l. Cum quis. §. 1. de Solution.* ibi: *Tacitè enim hæc conventio ineſſe ſtipulationi videtur, ſi in eadem cauſa maneat.* Accedit ratio: quia veriſimile non eſt, quod iurantis intentio fuerit, ſeſe obligare ad rem admodum difficilem, vel etiam indecentem; qualis contingere ſolet, ubi notabilis mutatio ſupervenit: ergo iuramentum eius ita eſt interpretandum, ut ad caſum adeò improviſum, & incogitatum ſe non extendat, conformiter Iuribus nunc allegatis, & dictis ſuprà *numer. 44. & ſeqq.* 57

Quinta conditio, ſed Pacto vel Contractui reciproco etiam iurato ſpecialis, ac ſuapte natura inexiſtens, hæc eſt: *Si & altera pars fidem ſervaverit*: id eſt, pacto, ſeu promiſſis ſuis ſteterit. Textus eſt *in c. Pervenit 3. h. t.* ibi: *Nec tu ei, etiamſi promiſſum tuum juramento firmaſſes, aliquatenus teneris, ſi conſtet eum conditioni minimè paruiſſe.* Concordat *c. Sicut, 29. §. fin. h. t.* Atque illud vulgatum axioma: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.* Nam, ut habet Reg. 75. Iuris in 6 *Fruſtrà ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat*, cum ſimilibus. 58

Objicies contra præmiſſa. Si prædictæ conditiones in quolibet iuramento promiſſorio ſubintelliguntur, ergo omne tale iuramentum erit conditionale. Reſp. negand. conſeq. Quia, ut notat Gl. *c. Quemadmodum V. conditio h. t.* & DD communiter, quamvis conditio extrinſeca, qua, v. g. quidpiam ſub iuramento promittitur, ſi navis ex India advenerit, vel huiuſmodi, reddat contractum, vel iuramentum conditionale: ſecùs tamen eſt dicendum de illis conditionibus, quæ ſuapte natura, ſive ex neceſſitate Legis inſunt. Nam generaliter conditiones illæ, quæ tacitè, ſeu de iure inſunt, non faciunt actum conditionatum; ut *l. Conditiones ff. de Condition. & demonſtr.* ibi: *Conditiones, quæ tacitè ineſſe videntur, non faciunt legata conditionalia.* Quinimò, licet eiuſmodi conditio expreſſè apponatur, adhuc non reddit actum conditionatum, *L. 3. ff. de Legat. I.* ubi Summarium habet: *Expreſſio conditionis per modum, per quem ex neceſſitate ineſt, nihil operatur*: ſive, ut loquitur textus, *non facit legatum conditionale.* 59

Quæritur IV. Utrum iuramentum ſervandi Statuta, extendatur ad Statuta impoſterum edenda? Reſp. I. Iuramentum ſervandi Statuta edita alicuius Eccleſiæ, Capituli vel Communitatis, non extenditur ad Statuta impoſterum edenda. Ita textus *in c. Clericus 35. ſeu c. penult. h. t.* ubi Gloſſa *V. quod promiſit.* Abbas *in Summario.* Barboſa *in Collectan. num. 1.* & DD. communiter. Ratio eſt: tum quia iuramentum eſt ſtrictè interpretandum: 60



dum: unde qui juravit ſervare Statuta jam edita, vi hujus juramenti nequit intelligi, quod voluerit ſe obligare ad ſervanda ea, quæ impoſterum erunt edenda.

61 Atque iſtud ampliatur, etiamſi quis promittat ſe velle vi juramenti anteà præſtiti ſervare illa Statuta poſtmodùm edita. Quia niſi de novo juraverit, promiſſio illa retinet vim ſimplicis promiſſionis: ac proinde, licèt quis tranſgredi non debeat quod promiſit; non tamen ad illud obligatur ex debito præſtiti juramenti, adeò ut perjurus cenſeri poſſit, ſi promiſſum non exequatur. Textus eſt *in c. c. penult. h. t.* qui ſic ſonat: *Clericus, qui juravit ſe ſtatuta in Eccleſia ſua edita ſervaturum promittens per idem juramentum* (non tamen jurando de novo, ut explicat Gloſſa *ibid. V. per idem*, & Abbas in Summario) *ſtatutum, quod poſtmodum ſubſecutum eſt, fideliter obſervare*: *Licèt tranſgredi non debeat, quod promiſit* (quia omne promiſſum cadit in debitum) *non tenetur ad illius obſervantiam ex debito præſtiti juramenti.* Accedit ratio: quia obligatio prioris juramenti non poteſt ultra fines ſui objecti extendi per ſimplicem promiſſionem, & niſi de novo quis juraverit: atqui objectum prioris juramenti fuerunt ſtatuta jam tunc edita, quæ Clericus ille ſervare juraverat; ergo.

62 Reſp. II. Juramentum etiam abſolutè præſtitum ſervandi Statuta alicujus Eccleſiæ, ſeu Communitatis, non extenditur ad futura, niſi expreſſè in aliqua parte juramenti fiat mentio de futuris. Ita Baldus *c. cap. Clericus*, ſeu *penult. n. 2.* & Barboſa *ib. num. 7 h. t.* Angelus *V. Juramentum 5. num 35.* Sanchez *lib. 3. in Decalog. cap. 14. num 1.* Pirhing *h. t. num. 105.* pluresque alii ab his citati; contra Jo: Andream *in d. cap. Clericus, num. 1. & 2.* & Abbatem *ib. num. 2.* & quoſdam alios, qui volunt, juramentum ſimpliciter præſtitum de ſervandis ſtatutis, extendi etiam ad ſervanda impoſterùm edenda; ſaltem, ſi non multum ſunt præjudicialia, prout limitat Abbas *loc. citat.*

63 Ratio Concluſionis eſt, quæ ſuprà: quia videlicèt juramentum eſt ſtrictæ interpretationis; ac proinde cenſetur præſtitum ſuper obſervandis Statutis tempore ipſius juramenti exiſtentibus, non autem primùm futuris, niſi expreſſè ſecus exprimatur. Accedit, quod futura ſint incerta, varioſque & difficiles quandoque exitus habere ſoleant: unde fatuum foret, illicò talia Statuta primùm ſienda, & adhuc ignota, ſe ſervaturum jurare. Ac proinde non eſt veriſimile, quod intentio ſimpliciter jurantis obſervantiam Statutorum talis Eccleſiæ, vel Communitatis, ad futura, & poſteà primùm edenda ſeſe extenderit; niſi forſan id exprimatur, prout ſolet exprimi juramento Fidelitatis.

64 Intellige tamen datam Concluſionem cum Baldo, Sanchez, & aliis, ubi ſuprà, dummodo poſterius illud Statutum non veniat ad veteris declarationem duntaxat. Quia tunc re ipſa non foret novum Statutum, ſed idem cum veteri; eò quòd declaratio legis retrotrahatur ad tempus conditæ legis, atque à principio jam inſuerit ipſi legi, *auth. De raptis mulieribus §. fin. Collat. 9.* & notat Gloſſa *cap. Sicut nobis V. Reſpondemus, de verb. ſignif. in 6.*

65 Objicies contra ſecundam Concluſionem. Juramentum ſimpliciter, ac indeterminatè factum ſervandi Statuta, vi verborum extendit ſe etiam ad edenda, ſeu impoſterùm facienda; ergo. Antecedens probatur. Tum quia locutio indefinita æquipollet univerſali, Gloſſa *in Proœm Decretal. V. in Judiciis*. Tum quia *L. ult. C. quæ res pignor. oblig. poſſ.* ſi debitor *res ſuas* hypothecæ ſupponat, *non adjecto, tam præſentes, quàm futuras*; nihilominùs hypotheca *etiam ad futuras res producitur*, ut loquitur textus; idem ergo dicendum de iuramento ſimpliciter facto ſervandi ſtatuta. Tum tandem: quia *in c. c. Clericus*, ſeu *penult. h. t.* expreſſè fit mentio de Clerico, qui juravit ſervare *Statuta in Eccleſia ſua edita*; ergo ſecùs videretur dicendum, ſi juraſſet ſimpliciter ſervare Statuta ſuæ Eccleſiæ. Hæc ſunt præcipua fundamenta Doctorum contrariam ſententiam tenentium. Reſp. tamen neg anteced.

66 Ad primam ejus probationem dicitur, quod indefinita locutio æquipolleat univerſali, quando ſubeſt eadem ratio omnium ſub indefinita comprehenſorum: alias ſecùs; prout latiùs fuit declaratum ſuprà *Lib. 1. tit. 2. De Conſtitutionibus §. 16. n. 400. & ſeqq.* Quod autem non ſit eadem ratio Statutorum iam editorum, & poſteà edendorum, patet ex dictis in probatione Concluſionis.

Ad alteram probationem negatur conſequentia, & paritas inter iuramentum & hypothecam. Illud enim, quod dicitur de hypotheca ſeu pignore, eſt favorabile (pignus enim datur & gratia Creditoris, ut ei fiat aſſecuratio rei creditæ, & gratia Debitoris, ut ei ſub aſſecuratione pignoris faciliùs quidpiam mutuò concedatur) unde non mirum, quod extendatur ad futura. Secùs dicendum de iuramento, utpote quod eſt ſtrictè interpretandum; atque, ut impræſentiarum extendatur, foret odioſum, & periculoſum, ut dictum. Ad tertium reſpondetur, Concluſionem noſtram non tam fundari *in c. c. Clericus h. t.* (reverà enim iſtud parùm probaret, ob rationem allegatam, quidquid nonnulli inde inferri velint) quàm in aliis rationibus, de quibus in Concluſione. 67

Poſſet hoc loco etiam quæri de ſenſu, atque interpretatione Iuramenti, quod à Judice defertur Reo ad aperiendam veritatem: præſertim, ubi is interrogat de occultis criminibus, aut ex præſumptione falſa. Verùm de hoc ſatis patet ex dictis *Tit. 18. de Confeſſis §. 7.* per totum. De Iuramento etiam teſtium abundè dictum fuit *Tit. 20. de Teſtib. & atteſtationibus §. 14.* per totum: unde hoc loco eadem repetere, ſupervacaneum foret. 68

## §. III.

## De obligatione Juramenti promiſſorii.

*S U M M A R I U M.*

69 *Omne juramentum promiſſorium debitè factum, parit obligationem obſervandi illud ex virtute Religionis.*

70 *Si deſit intentio jurandi, peccat quis dupliciter; atque obligatur ad ſervandum illud tum ratione ſcandali vitandi, tum ex Juſtitia.*

71 *In Foro externo cogitur quis illud obſervare etiam ex virtute Religionis: alias reputaretur perjurus.*
*Eccleſia non judicat de occultis. Ib.*

72 *Allegans propriam turpitudinem, non auditur; & quomodo?*

73 *Juramentum de re inhoneſta, ſeu illicita, non obligat.*
*Juramentum non eſt vinculum iniquitatis. Ib.*

74 *Juramentum de re inhoneſta, ſeu illicita cenſetur illud, quod ſervari non poteſt abſque peccato mortali, vel veniali.*

75 *Etiam juramentum temerarium, ſeu quod obſervatum vergeret in partem, obſervari non debet.*
*Idque declaratur exemplo David Regis. Ib.*

76 *Juramentum ſoli Deo factum de opere minùs perfecto, aut prorſus indifferente, non obligat.*

77 *Nihilominùs ut juramentum homini factum obliget, ſufficit, quod poſſit ſervari abſque diſpendio ſalutis æternæ. Differentia inter juramentum Deo, & homini factum. Ibid.*

78 *Debitores, qui juraverunt ſolvere uſuras, tenentur ad earum ſolutionem; quamvis ſolutas repetere poſſint.*

79 *Pactum Legis commiſſoriæ in pignoribus, ſi acceſſerit juramentum, debet à debitore ſervari.*

80 *Juramentum factum homini, non poteſt eo non conſentiente commutari in opus melius: benè tamen juramentum factum Deo.*

81 *Juramentum generale ſervandi Statuta, Capitulationes, vel conſuetudines alicujus Eccleſiæ, ſeu Communitatis, obligat ſolum ad ſervanda licita &c.*

82 *Juramentum contra utilitatem Eccleſiaſticam, ab Epiſcopo ante ſuam electionem præſtitum, non tenet.*

83 *Neque obligat juramentum Regis in præjudicium Regni ſui.*

84 *Juramentum ſervandi Statuta, Capitulationes &c. quando in ipſis continentur quædam illicita, damnoſa vel Libertati Eccleſiaſticæ obviantia, eſt illicitum, ac nullatenus ſervandum.*

85 *Conſtitutio nova Innocentii XII. de Capitulationibus, quas occurrente vacatione Eccleſiarum, vel Monaſteriorum, fieri contingit.*

86 *Ju-*

86 *Jurans ſcienter ſervare Statuta, Capitulationes, vel pacta illicita, cenſetur largo modo perjurus.*

87 *Et quid, ſi quis generaliter juraſſet talia ſervare, ignorans ea continere quid illicitum?*

88 *Juramentum factum contra Leges Civiles, quæ obligant ad culpam, non tenet.*

89 *Quando Lex Civilis cenſeatur obligare ad culpam, etiam pro Foro conſcientiæ?*

90 *Si Lex Civilis principaliter fundetur ſuper bono publico, tunc juramentum de præſtando actu per eam prohibito non obligat.*

91 *Regula eſt, quod juramentum vergens in præjudicium tertii, non obliget.*

92 *Dummodò tendat directè ac principaliter in detrimentum tertii: aliàs ſecùs.*

*Idque exemplificatur. Ib.*

93 *Quando Lex Civilis principaliter fundatur ſuper favore privati, tunc juramentum in contrarium præſtitum valet, & obligat jurantem. Et n. ſeqq.*

94 *Sic valet alienatio rerum dotalium juramento firmata, quæ alioquin ſecundum Leges eſt invalida: & cur?*

95 *Item juramentum, ut filia dote contenta patris, non ſuccedat ab inteſtato.*

96 *Pactum non revocandi teſtamentum, Jure Civili eſt irritum: ſi tamen acceſſerit juramentum, obligat.*

97 *Mulier, ſi pro altero fidejubeat, non obligatur efficaciter; ſecus, ſi acceſſerit juramentum.*

98 *Solvuntur objectiones contra præmiſſa. Et n. ſeq.*

*Pactum, vel juramentum, per quod tollitur ius privati ſibi publica authoritate conceſſum, valet: ſecùs, ſi tollatur in commune. Ib.*

99 Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis; *quomodo intelligendum?*

100 *Iuramentum vi, aut metu gravi extortum, an obliget? Et num. ſeq.*

101 *Coacta voluntas eſt voluntas.*

102 *Iuramentum promiſſorium in utilitatem hominis factum poteſt conſiderari, velut per ſe ſtat: velut ab altero eſt acceptatum, ſicque involvit rationem pacti.*

103 *Obligatio propria juramenti, ſeu procedens ex virtute Religionis, eſt omnino perſonalis. Et n. ſeqq.*

104 *Et quid, ſi aliquis pro ſe, & ſuis Succeſſoribus, juravit quidpiam præſtare.*

105 *Rex, Epiſcopus, Canonicus, & hæres Vaſſalli, cur à principio ſoleant præſtare perſonale juramentum?*

106 *Si juramentum eſt confirmatorium promiſſionis ab altero acceptatæ, tunc obligatio inde ſuborta vi pacti tranſit ad hæredes, &c. Et n. 103.*

*Parìtque actionem in utroque Foro. Ib.*

107 *Si defunctus promiſſionem homini factam, & ab eo acceptatam, juramento firmaverit; tunc obligatio propria juramenti extinguitur, ſed obligatione pacti tranſit ad hæredem.*

108 *Iuramentum reale Deo factum, tenetur hæres defuncti adimplere; poteſtque ad hoc compelli.*

*Idem dicendum de voto reali. Ib.*

109 *Secùs dicendum de juramento debitoris defuncti, qui miſit ſolvere uſuras.*

110 *Iuramentum ex parte ejus, cui juratur, non eſt perſonale, ſed tranſit ad hæredes.*

111 *Pactum tibi factum, extenditur ad hæredem tuum.*

69 QUæritur I. Quæ generatim ſit obligatio Iuramenti promiſſorii? Reſp. I. Certum eſt, quod omne iuramentum promiſſorium debitè factum circa materiam honeſtam, & cedentem ad honorem Dei, vel bonum tertii, pariat obligationem obſervandi illud ex virtute Religionis. Ita communis, & patet ex *c. Si vero h. t.* ubi Pontifex reſpondet, *quod non eſt tutum, quemlibet contra juramentum ſuum venire, niſi ſit tale, quod ſervatum vergat in interitum ſalutis æternæ*. Concordat *cap. Cum contingat, 28. eod. & c. Quamvis pactum 2. de pactis in 6.* cum ſimilibus: ex quibus dicitur illa generalis regula: *Omne juramentum eſt ſervandum, ſi ſine ſalutis diſpendio ſervari poteſt*; de quo plura inferius *concl. ſeq. n. 74. & 75.* Accedit ratio: quia iuramenta debitè facta, ſimulque honeſta, involvunt reverentiam Divini Numinis, cuius ſummam atque indefectibilem veritatem iurans profitetur, atque in teſtem vocat; ergo hoc ipſo ex motivo Religionis obligant ad ſui obſervantiam, ne Dei veraciſſimi teſtimonium in confirmationem falſitatis, & mendacii adducatur, contra illud *Exod. cap. 20.* & lumine naturali notum: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.*

Additur notanter, *juramentum promiſſorium debitè factum &c.* Nam, ut nunc taceantur alia, de quibus in progreſſu, ſi deſit intentio iurandi, conveniunt Doctores, iuramentum in foro conſcientiæ non obligare ex virtute Religionis, ac vi ipſius Iuramenti, (revera enim tale non fuit, ex defectu intentionis) quamvis non ſolum talis graviter, imò dupliciter peccet, dum & Dei nomen aſſumit in vanum, & proximum decipit ita ei dolosè iurando, *can. quacunque arte 22. q. 5.* Sed etiam obligetur ad ſervandum iuramentum illud; tum ratione ſcandali exterioris vitandi, quod alias ex tranſgreſſione illius ſubſequeretur; tum ex Iuſtitia, ne ex ſuo doloſo iuramento grave damnum, atque iniuſtitia proximo inferatur: alioquin vero tenebitur ipſi ad reſarciendum omne damnum, ſuo doloſo iuramento cauſatum. Atque in hoc ſenſu procedit illud, quod *cit. can. quacunque arte 22. q. 5.* ex D. Iſidoro refertur, illis verbis: *Quacunque arte verborum quiſque juret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit.* Quia nimirum dolosè jurans proximo, tenetur juxta intentionem recipientis ſervare ſuum juramentum tum ratione ſcandali præcavendi, tum ex virtute Juſtitiæ, ne grave damnum proximo inferat; licet non ex virtute Religionis, ſaltem ſpectato Foro conſcientiæ. Sanchez *lib. 3. in Decal. cap. 10. n. 4. & 13. & 14.* cum aliis; & concordant dicta ſuperiùs *n. 48. & 49.* 70

Notanter tamen hinc dicitur, *ſaltem ſpectato Foro conſcientiæ*. Siquidem in Foro externo cogeretur talis ſervare juramentum juxta verum ſenſum verborum, atque intentionem accipientis: & ſi dolosè jurans illud non ſervaret, cenſeretur agere non ſolùm contra Iuſtitiam ratione damni iniuſtè dati, ſed etiam contra virtutem Religionis, ſicque reputaretur periurus. Nam Eccleſia non judicat de occultis, *can. Erubeſcant, diſt. 32.* juncta Gloſſa ℣. *Secretorum*; ac proinde cenſeret, juramentum fuiſſe veraciter, & debita cum intentione prolatum: ſiquidem *humanæ aures verba noſtra talia judicant, qualia foris ſonant: Divina verò judicia talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur*, ut loquitur S. Gregorius, relatus *can. Humanæ aures 22. q. 5.* 71

Neque enim prodeſſet, ſi fictè jurans poſteà ultrò confiteretur defectum ſuæ internæ intentionis, quem tempore præſtiti exterius juramenti interius habuit. Nam allegans propriam turpitudinem, non auditur: ſaltem non ad ſuum commodum, benè tamen ad ſuum præiudicium, *l. Tranſactione*, iuncta Gloſſa, & Bartolo *ib. C. de Tranſactionib.* 72

Reſp. II. Iuramentum de re inhoneſta, turpi, ſeu illicita præſtitum, nullam inducit obligationem. Ita communis omnium tum Theologorum, Canoniſtarum, atque Iuriſtarum. Siquidem *in malis promiſſis fidem non expedit obſervari*, iuxta *Reg. 69. Jur. in 6.* juncto *c. ult. de Pactis*: Simulque iuramentum non fuit inſtitutum, ut eſſet vinculum iniquitatis, *c. quanto, 18. h. t. & can. Inter cætera 22. q. 4.* cum ſimilibus. Unde *Reg. 58. juris in 6.* indiſtinctè loquitur: *non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum.* Hinc *can. Unuſquiſque, 22. qu. 4.* graviſſime cum S. Ambroſio *lib. 3. de Officiis, cap. 12.* perſtringitur factum Herodis Regis, qui ſaltatrici præmium turpiter promiſit, crudeliter ſolvit. Turpe, quod regnum pro ſaltatione promittitur: crudele, quod mors Prophetæ pro iuriſiurandi religione donatur. Quanto tolerabilius tali fuiſſet periurium iuramento, ſi tamen periurium poſſit dici, quod ebrius inter vina iuraverat: quod eiuratus inter ſaltantium choros promiſerat. Infertur diſco Prophetæ caput, & hoc æſtimatum eſt fidei eſſe, quod amentiæ fuit. Hæc ibi. Quibus plura ſimilia habentur *can. Si publicis, & can. Eſt etiam, ac ſeqq. ead. cauſ. 22. q. 4.* 73

Porrò iuramentum de re inhoneſta, turpi, ſeu illicita, non ſolùm cenſetur illud, quod abſque peccato mortali ſervari non poteſt; ſicque veriſſimè vergit *in interitum ſalutis æternæ*, ut loquitur textus *c. Si verò, 8. h. t.* Sed etiam, quod ſervari nequit abſque peccato veniali: quia etiam illud, utpote continens offenſam Boni infiniti, *vergit in diſpendium ſalutis æternæ*; imò & ſucceſſivè diſponit ad lapſum in graviora, iuxta illud Eccleſiaſtici *cap. 19. Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Proinde Iuramentum de faciendo peccato veniali, veluti *vergens in æternæ ſalutis diſpendium*, non obligat, *c. cum contingat, 28. h. t. & c. Quamvis pactum, de pactis in 6.* ac notat Gloſ. *in can. Si aliquid, 22. q. 4.* ℣. *pejorem*: ea addita ratione; quia iurans ſe peccaturum venialiter, ſi tale iuramentum adimpleret, adjiceret peccatum peccato. Io. Andreas *c. quamvis n. 3. de pactis in 6.* Sanchez *lib. 3. in Decalog. c. 4. n. 29.* Fachineus *lib. 3. Controv. Iur. cap. 72.* ℣. *reſpondeo*, & alii. 74



75 Ampliatur hæc Concluſio ad iuramentum temerarium, ſeu incautius factum, quod videlicet obſervatum vergeret in peiorem partem, ſicque ad ſui obſervantiam non obligat: ut *can. Si aliquid 22. q. 4.* ubi iſtud declaratur exemplo David Regis, qui cum per Dominum iuraſſet, occidere Nabal virum ſtultum & impium, atque omnia ad ipſum pertinentia demoliri, ob iniuriam ſibi, ſerviſque ſuis illatam *1. Reg. 25.* nihilominus ad primam interceſſionem Abigail fœminæ prudentis remiſit minas, revocavit enſem in vaginam, neque aliquid culpæ ſe tali periurio contraxiſſe doluit, *cit. can. Si aliquid.* Unde S. Auguſtinus, relatus *can. Iuravit ead. cauſ. 22. q. 4.* inquit: *Iuravit David temere, ſed non implevit jurationem majori pietate.* Atque conformiter dictis poſſunt innumeri caſus, tam pro foro conſcientiæ, quam externo reſolvi.

76 Quæritur II. Quando obliget iuramentum Deo, vel homini factum? Reſp. I. Iuramentum ſoli Deo factum de opere minùs perfecto, & cuius oppoſitum eſt melius, ſicut & iuramentum Deo factum de re prorſus indifferente; non obligat. Ita D. Thomas *2. 2. q. 89. art. 7.* Sanchez *cit. lib. 3. in Decalog. cap. 9. num. 11.* Layman *lib. 4. Theolog. Moral. tract. 3. c. 6. num. 5.* & alii communiter. Idque deſumitur ex *c. Pervenit. 3. h. t.* ubi dicitur: *Non enim propoſitum, aut promiſſum infringit, qui in melius illud commutat.* Ubi Abbas *num. 2.* per ly *promiſſum*, intelligit promiſſum iuratum; ut ſenſus ſit, *quod non dicitur tranſgredi iuramentum, qui in melius illud commutat*: aliàs enim textus ille non faceret ad hunc Titulum. Accedit ratio quia iuramentum ſoli Deo factum, induit naturam voti: atqui votum de re impeditiva maioris boni, non obligat, ſed licitè eligitur illud maius bonum, *c. Scripturæ, 4. de Voto*; ergo. Idemque dicendum, ſi iuretur res prorſus indifferens, ita ut hic & hunc, penſatis omnibus circumſtantiis, talis remaneat: quia Deus iuramentum de præſtando aliquo vano & otioſo, ut eſt res indifferens, non acceptat; neque ad illud obligare intendit, cum nihil honoris inde ſibi accreſcat.

77 Reſp. II. Nihilominùs ad hoc, ut iuramentum promiſſorium homini factum obliget, ſufficit, quod res promiſſa poſſit ſervari abſque diſpendio ſalutis æternæ; hoc eſt, ſine peccato mortali, & veniali. Ita Abbas *c. Cum contingat nu. 6. & 7. h. t.* Sanchez *loc. cit. nu. 19.* Layman *nu. 6.* Angelus *verſ. juramentum, n. 5.* & alii: idque deſumitur ex *c. cum contingat, 28.* Iuncta Gl. *ver. Debent* & DD. *ib. h. t. & cap. quamvis pactum 2. de pactis in 6.* ubi tanquam regula generalis ſtatuitur, quod iuramentum homini præſtitum neceſſariò ſit ſervandum, quando poteſt ſervari abſque diſpendio ſalutis æternæ (hoc eſt, ſine peccato mortali, vel veniali) ſimulque non redundat in alterius detrimentum. Accedit ratio: quia iuramentum promiſſorium de re non illicita eatenus obligat ad ſui impletionem, quatenus is, cui eſt præſtitum, illud acceptat, vultque impleri. Atqui Deus iuramentum non acceptat; quando eſt impeditivum maioris boni, vel factum de re penitus indifferenti, bene tamen illud acceptare ſolet homo, dummodò cedat in ſuam utilitatem, ſimulque abſque peccato fieri poſſit; nam in iuramento homini facto ſpectatur, quid illi ſit gratius; in iuramento autem facto Deo, quid melius; ergo. Atque per hoc patet diſparitas inter hanc, & priorem Concluſionem, atque inter iuramentum Deo, & homini factum.

78 Hinc, licet debitores, qui ſe obligaverunt ad ſolvendas uſuras, cogi non debeant ad earum ſolutionem; eo quod nulla fuerit ipſarum obligatio, tum de Iure Divino, tum Canonico, *Clement. un. de Uſuris*, cum ſimilibus. Si tamen de ipſarum uſurarum ſolutione iuraverint, cogendi ſunt Domino reddere iuramentum, dictaſque uſuras ſolvere; quamvis ſolutas judicialiter repetere poſſint. Textus eſt *in cap. Debitores 6. h. t.* ubi Gloſſa, & DD. communiter. Ratio eſt: quia ſolvere uſuras, peccatum non eſt, ſed licitè poteſt quis alteri dare ſuum; ergo cum tale juramentum poſſit ſervari abſque diſpendio ſalutis æternæ, ſervandum eſt, haud obſtante; quod alter recipiendo uſuras peccet: nam ſua culpa id accidit, cum poſſet, ac deberet gratis mutuare, juxta illud Dominicum, Lucæ cap. 6. *Benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes.*

Similiter, quamvis pactum Legis commiſſoriæ in pignoribus non valeat, & veluti uſurarium omnimodis reprobetur, *L. ult. C. de Pactis pign.* & alibi: ſi tamen acceſſerit iuramentum, quo debitor creditori juravit, ut ſi intra certum tempus debitum non ſolverit, neque pignus redemerit, ipſum ſuper pignore nolit ampliùs moleſtare, tenetur debitor ſtare ſuo iuramento; *arg. c. Significante*, juncta Gloſſa ℣. *Si eſt ita*; *& DD. de Pignor.* Ratio eſt: quia tale iuramentum de non amplius moleſtando creditorem, poteſt licitè, & abſque diſpendio ſalutis æternæ per debitorem obſervari; quamvis creditor non poſſit licitè retinere exceſſum pignoris, veluti uſurarium. Huc etiam faciunt alii caſus, de quibus infrà *num. 94. & ſeqq.* 79

Et conformiter datæ Concluſionis infertur, quod iuramentum factum homini ita obliget, ut in aliud melius opus commutari non poſſit, niſi is, cui iuratum eſt, conſentiat, ſeu iuramentum illud remittat: ut putà: Juraſti Caio dare viginti florenos, ſi poſteà velis Deo offerre Calicem valentem quinquaginta, aut tantumdem dare pauperibus, non poteſt Caio negare ſuos viginti florenos, hoſque applicare pro conficiendo Calice, aut dare pauperibus, quamvis iſtud de ſe foret melius, Deoque gratius. Econtrà, ſi iuraſſes in Dei cultum expendere 20. florenos, propria authoritate poſſes iſtos applicare pro conficiendo ſacro Calice valente 50. aut tantundem in pauperes expendere: nam iſtud de ſe eſt melius, Deoque acceptius. Diſparitas eſt: quia in promiſſione facta homini, ut iuramento in eius favorem præſtito ſpectatur, quid illi gratius ſit: in promiſſione autem facta Deo, quid melius. Layman *c. c. 6. n. 6.* & alii, atque iam dixi *in Theol. moral. tr. 6. diſſ. 2. n. 26.* 80

Quæritur III. Utrùm, & qualiter obliget iuramentum ſervandi Statuta, Capitulationes, aut conſuetudines alicuius Eccleſiæ, vel Communitatis, quando in eis aliqua continentur, quæ ſunt illicita, vel vergunt in præiudicium Eccleſiæ ſuæ Dignitatis, ad quam iurans aſſumitur? Reſp. I. Juramentum generale ſervandi Statuta, Capitulationes, vel conſuetudines alicuius Eccleſiæ, ſeu Communitatis, obligat ſolùm ad ſervanda licita, poſſibilia, & Libertati Eccleſiaſticæ non præiudicialia. Ita communis; eſtque expreſſè deciſum *cap. 1. hoc tit. in 6.* declarando, quod iuramenta illa, quæ à Poteſtatibus, Rectoribus, & Officialibus laicis, in principio officii ſui præſtari ſolent, & nonnunquam quædam illicita, atque immunitati Eccleſiaſticæ præiudicialia continent, quoad ſola licita obſervari debeant: cùm quoad alia ſine Divinæ Maieſtatis offenſa ſervari nequeant, & iuramentum non ſit vinculum iniquitatis. Quia verò *utile non debet per inutile vitiari*, iuxta *Reg. 37. Jur. in 6.* hinc iuramenta eiuſmodi obligant ſaltem quoad puncta licita. 81

Concordat *c. Sicut noſtris, 27 h. t.* ubi juramentum contra utilitatem Eccleſiaſticam, ab Epiſcopo ante ſuam electionem præſtitum, non tenet. Nam cum Canonici vacante Eccleſia Tudertina ſub iuramento ſtatuiſſent, ut quicunque ex ipſis fieret Epiſcopus, ſervaret quædam *in damnum iuris Epiſcopalis cedentia*; & poſtmodum Epiſcopus electus, qui & ipſe capitula illa adhuc Canonicus iuraverat, Papam conſuluiſſet, num tali iuramento conſtringeretur: Reſpondit Papa, eiuſmodi juramentum non tenere, & omnia in ſtatum debitum reducenda eſſe: *Quia* (inquit) *non juramenta, ſed perjuria potius dicenda ſunt, quæ contra utilitatem Eccleſiaſticam attentantur.* 82

Simile quid habetur deciſum *in c. Intellecto, 33. h. t.* de Rege, qui iuraverat non revocare quaſdam alienationes, quas fecerat in præjudicium Regni ſui. Nam hoc intellecto reſpondet Pontifex, quod, cum Rex *tenetur, & in* 83

*in ſua coronatione juraverit, jura Regni ſui, & honorem Coronæ illibata ſervare, illicitum fuerit de non revocandis alienationibus hujuſmodi juramentum; & propterea penitus non ſervandum.* Atque idem à pari dicendum eſt de ſimilibus.

84 Reſp. II. Juramentum ſervandi Statuta, Capitulationes, vel conſuetudines locorum, quando in ipſis continentur quædam illicita, impoſſibilia, damnoſa, vel libertati Eccleſiaſticæ obviantia, eſt illicitum, ac nullatenùs præſtandum. Textus eſt *in cit. cap. 1. h. t. in* 6 continenti Conſtitutionem Innocentii III. quæ poſteà fuit confirmata per Gregorium XIII. in ſua Conſtitutione 93. *Inter Apoſtolicas*, (& loquendo de illicitis Capitulationibus, quas occurrente vacatione Eccleſiarum, ſeu Monaſteriorum, interdum fieri contingit) per Pium V. in ſua Conſtitutione 64. *Durum nimis*; quæ una cùm priori refertur *Tom. 2. Bullarii Romani*: ubi non ſolum juramenta hujuſmodi penitus reprobantur, non obſtante quacunque conſuetudine, quæ potius corruptela eſt cenſenda; ſed inſuper exigentes illa cenſuris Eccleſiaſticis, atque excommunicationi Summo Pontifici reſervatæ ſubiiciuntur, prout latius in eiſdem Conſtitutionibus Apoſtolicis continetur.

85 Quinimò noviſſimis temporibus Innocentius Papa XII. in ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Eccleſiæ Catholicæ*, die 22. Septembris, 1695 emanata, ad tollendum abuſum illicitarum Capitulationum, quas occurrente vacatione Eccleſiarum ſeu Monaſteriorum, ab iis, ad quos electio perſonarum illis præficiendarum ſpectat, interdum fieri contingit: non ſolum innovavit memoratas Conſtitutiones Nicolai III Pii V. & Gregorii XIII. tum additione pœnarum, & reprobatione dictarum illicitarum Capitulationum ſub eiſdem pœnis, ac cenſuris etiam ipſo facto incurrendis, & Summo Pontifici reſervatis; ſed etiam præcepit, (Capitulationes quaſcunque, & ſtatuta, quæ electione, ſeu poſtulatione huiuſmodi ſecuta quomodolibet iniri, condi, ſeu fieri contigerit, ad Nos, ſeu eundem Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, quamprimum deferri, atque ita noſtro, & Sedis Apoſtolicæ iudicio ſubiici præcipimus; ſuſpenſa interim eorum omnium, & ſingulorum executione, donec & quouſque ab eadem Sede, ſine cuius authoritate nihil omninò in ſimilibus paciſci fas eſt, Apoſtolicæ confirmationis robur in totum, vel in partem receperit.) Hactenus Pontifex, ſubiungens poſteà ampliſſimas clauſulas derogatorias quorumcunque contrariorum, atque decernens, Litteras huiuſmodi Romæ, ut moris eſt, publicatas, & affixas, omnes & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent &c. prout loquitur eadem Conſtitutio.

86 Reſp III. Inſuper, qui ſcienter iurat Statuta, Capitulationes, conſuetudines, vel alia pacta illicita ſervare, cenſetur largo modo periurus. Ita Gloſſa *c. 1. V. Declaramus*, & ibi Francus *n. 4. & 7 h. t. in* 6. Abbas *c. ſicut noſtris n. 1. h. t.* ubi ex verbis illius Capituli aſſerentis, quod *non juramenta, ſed perjuria potiùs ſunt dicenda, quæ contra utilitatem Eccleſiaſticam attentantur*, notandum inquit, quod illicitum iuramentum largo modo poteſt dici *periurium*; id eſt, indiſcretum illicitum iuramentum: non enim capitur hic periurium pro tranſgreſſione iuramenti liciti. Pirhing. *h. t. n.* 104. & alii. Idque deſumitur ex *c. c. Sicut noſtris 27. h. t.* ubi iuramenta illicita dicuntur *periuria potiùs*: ſicque ea præſtans, *quaſi periurus*. Concordat *can. Animadvertendum*, 22. *q.* 2. ubi iuſiurandum, quod non habet tres comites, veritatem, iudicium, atque iuſtitiam, *nequaquam juramentum, ſed perjurium* appellatur. Quod intellige largo modo: nam *Periurium* propriè dicitur iuramentum, cui deeſt veritas: ſive, ut inquit Div. Thomas 2. 2. *q.* 98. *art.* 1. Periurium eſt mendacium iuramento firmatum. Atque idcirco propriè ille dicitur periurus, qui aliud iurat, quam habet in mente; vel qui non adimplet id, quod ſub iuramento promiſit, cum etiam hic deficiat veritas, nempe veritas facti.

87 Additur tamen in data Concluſione, *qui ſcienter &c.* Nam ſi quis generaliter iuraſſet ſervare Statuta, & conſuetudines alicuius Communitatis, atque ita in mente habuiſſet, ignorans ea eſſe illicita, vel quid illicitum continere, tunc non peccavit iurando, ratione ſuæ bonæ fidei; ſicque non cenſetur quaſi periurus: nihilominùs cognita rei veritate prohibetur ſervare Statuta illicita, non obſtante ſuo iuramento generaliter, ac bona fide facto, etſi obligetur ad ſervanda licita. Textus, & Gloſſa *in cit. c. 1. h. t. in 6.* ubi iſtud exemplificatur in Statutis locorum, quæ alicubi clauſa porrigi conſueverant promovendis ad Poteſtarias, Rectorias, & Officia, ut prius ſe ea ſervaturos iurarent. Concordant dicta paulò ſuperiùs *n.* 81

88 Quæritur IV. An juramentum contra Leges Civiles, earumque prohibitionem factum obliget? Reſp. I. Quoties Lex Civilis obligat ad culpam, tunc juramentum de præſtando actu per ipſam prohibitio non obligat; eſtque nullius roboris. Ita communis; & patet ex dictis *n. 73. & 74.* Siquidem juramentum non eſt vinculum iniquitatis: unde nec eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum, juxta *Reg. 58. juris in* 6. cum concordantiis.

89 Cœterum, quandonam Lex Civilis obliget ad culpam, etiam pro Foro conſcientiæ (poſſe enim ſic obligare, fatentur omnes Doctores, conformiter quarto Præcepto Decalogi) nequit una regula generali determinari; cùm dentur Leges etiam merè pœnales, aliquæ autem duntaxat favorem contineant, quo nemo cogitur frui invitus. Unde quando obligent ſub culpa, tum ex verbis legis, tum ex ſubiecta materia, aliiſque circumſtantiis, ac præſertim ex recepta & antiqua conſuetudine, utpote quæ eſt optima legum interpres, prudenti iudicio erit determinandum, de quo plura ſuperiùs *Lib. 1 Tit. 2. de Conſtitutionibus §. 7 nu. 152 ac ſeqq. & num.* 204. *& ſeqq.* Quinimò plurimæ Leges Civiles ſub certis pœnis taxatis præcipiunt, aut prohibent ea, quæ iam Jure naturali, aut Divino præcepta, vel prohibita fuerunt: ut, veram Fidem Catholicam profiteri, Deum colere, proximum non lædere, alienum reſtituere, à furto, latrociniis, adulteriis, aliiſque criminibus abſtinere, & huiuſmodi. Et talium legum violationem inducere culpam extra controverſiam eſt: unde nec valet juramentum de præſtando actum in contrarium.

90 Reſp. II. Si Lex Civilis principaliter fundetur ſuper bono publico, tunc juramentum de præſtando actu per illam prohibito non obligat. Ita Abbas *c. cum contingat*, 28. *n.* 5. Baldus *ib. num. 5. h. t.* Card. Tuſchus *L. 1. concl.* 500. *num.* 20. poſt Calderinum *conſ. 185. aliàs 9. de Jurejuran.* Sanchez *lib. 3. in Decalog. cap. 9. num.* 34 citans alios. Ratio eſt: quia pactis, & juramentis privatorum, Iuri publico renunciari non poteſt, *c. Si diligenti* 12. *de Foro compet. & c. Contingit interdum*, 36. *de Sentent. excommun. & l. Ius publicum ff. de pactis*. Si quidem nemo renunciare poteſt ei, quod pro ſe non eſt introductum, prout dictat ipſum lumen naturale. Quinimò juramentum, quod principaliter militat contra bonum commune, ſi ſervetur, vergit in diſpendium ſalutis æternæ, hoc ipſo, quod ſit contra Ius alterius, ſive Communitatis: etenim

91 Regula generalis eſt, quod iuramentum vergens in præjudicium tertii, non obliget, *c. Quamvis pactum*, 2. *de Pactis in* 6. ibi: *Nec redundet in alterius detrimentum*. Concordat textus *in c. Cum contingat*, 28. *§. fin. h. t.* ubi ſimilia habentur. Et ratio eſt: quia iuramentum, quod redundat in detrimentum tertii, ſaltem principaliter includit iniuſtitiam; ideòque non obligat, ne ſit vinculum iniquitatis. Gloſſ. *fin. c. c. Quamvis pactum de Pactis in* 6. Layman *lib. 4 Theolog. Moral. tr. 3. c. 6. n.* 9. Sanchez *d. c.* 9. *n.* 38. allegans alios.

92 Additur tamen, *ſaltem principaliter*. Quia regula hæc debet intelligi, quando juramentum tendit directè ac principaliter in detrimentum tertii: ut ſi mater ſub iuramento velit alienare, vel pignori obligare bona, quæ ex alicujus diſpoſitione pertinent ad filiam, debentque huic illæſa relinqui. Secùs ſi iuramentum illud indirectè duntaxat, ac ſecundario poſſit nocere tertio, atque in ejus redundare detrimentum: ſic enim valet pactum juramento firmatum à filia, dum nuptui tradebatur, ut dote contenta, nullum habeat ad bona paterna regreſſum; haud obſtante, quod illud ſecundario, & in conſequentiam præjudicet prolibus ex filia illa naſcituris, *d. cap. quamvis pactum*, juncta Gloſſa *fin. & margin. 1. de pactis in* 6. Sanchez *cit. cap. 9. nu.* 39. & alii.

94. Reſp.



93 Reſp. III. Quando Lex Civilis principaliter fundatur ſuper favore privati, licèt ſecundariò & in conſequentiam reſpiciat etiam publicam utilitatem, tunc juramentum in contrarium præſtitum valet, atque obligat iurantem. Ita Gloſſa *fi. c. quamvis pactum*, & Francus *ib. num. 12. de pactis in* 6. Abbas *c. cap. cum contingat, n.* 5. & Barboſa *ib. num.* 4. & alii, *h. t.* Sanchez *d. c. 9. num.* 35. allegans plurimos alios. Ratio eſt: quia hujuſmodi Lex Civilis poteſt quidem ob utilitatem privatorum ſibi ſubjectorum, impedire obligationem quærendam homini, v. g. ſtatuendo, ut non valeat pactum filiæ, quod dote contenta nullum velit habere regreſſum ad bona paterna: quia tamen Lex eſt ſubjecta Deo, *can. Si dominus*, *& can. qui reſiſtit. 11. qu.* 3. hinc non poteſt impedire obligationem quærendam Deo vi juramenti, quando iſtud cæteroquin non involvit turpitudinem; nec præjudicat tertio ſive bono publico, ſed duntaxat favori privato, cui quilibet renunciare poteſt. Unde cum juramentum principaliter dirigatur in Deum, ſubintrat illud Jure naturali notum, Matth. cap. 5. *Non pejerabis: reddes autem Domino juramenta tua.* Sive ut loquuntur SS. Canones: *Omne iuramentum nec vi, nec dolo præſtitum ſervari debet, ſi non vergit in æternæ ſalutis diſpendium, nec redundat in alterius detrimentum*, prout dicitur ſæpè *cit. c. Quamvis pactum, de pactis in 6. & c. cum contingat*, 28. *h. t.* cum ſimilibus.

94 Eadem Concluſio declaratur inductione. Sic imprimis alienatio rerum dotalium, ſecundum Leges prohibita eſt, ac invalida, *l. Iulianus, ff. de Fundo dotal. & Auth. Sive à me, C. Ad S. C. Vellejan.* Si tamen eam mulier, ſine vi & dolo, juramento ſuo confirmet, iſtud erit obſervandum, ne via periuriis aperiatur, *c. c. Cum contingat.* 28. *h. t.* ubi Gloſſa V. *Debent* Joan. Andreas *n. 1. & 2.* Abbas *in Summario*, Barboſa *in Collect. in num.* 2. cum aliis communiter. Nam finis primarius, ſeu principaliter intentus illarum Legum Civilium, eſt bonum particulare mulierum, utpotè quibus expedit ſalvas habere dotes ſuas, ut poſt mortem mariti inveniant alium, cui nubere poſſint: quamvis ſecundario inde ſequatur bonum Reipublicæ, quæ conſervatur per propagationem generis humani, *L. 1. ff. Soluto matrimonio*. Atqui illicitum non eſt, quod mediante juramento mulieres renuncient ſuo particulari favori, ſicque alienent res ſuas dotales; cùm liberè poſſint penitus à ſecundis nuptiis abſtinere, vel ſaltem ad has alia ratione pervenire.

95 Deinde, licèt ſecundùm Leges Civiles pactum, quod filia dote contenta patri ab inteſtato non ſuccedat, non valeat; & ideò ipſa ſuccedere patri non prohibeatur, dummodo dotem fratribus conferat, *l. Pactum dotale inſtrumentum C. de Collation.* Si tamen acceſſerit juramentum, omnino ſervari debet, ſæpè *c. cap. quamvis pactum de Pactis in* 6. ubi iſtud expreſſè habetur deciſum; ac notat Gloſſa *ib. V. Quamvis*, & Barboſa *in Collect. num.* 1. *& 2.* allegans plurimos alios. Covarruvias *d. cap. quamvis pactum part. 3. §. 2. & 3.* Fachineus *lib. 3. Controverſ. Jur. cap. 22. 23. & 24.* qui hoc ipſum variè ampliant. Ratio eſt quæ ſuprà *n.* 93.

96 Tertiò, pactum, ſive promiſſionem revocandi teſtamentum, Jure Civili irritum eſt: quia liberam de bonis ſuis uſque ad mortem diſponendi libertatem aufert, *L. ult. C. de pactis.* Si tamen iuramentum acceſſerit, obligat, nec poteſt revocari abſque periurii reatu, niſi ejus relaxatio impetretur. Covarruvias *de Teſtament. part. 2. Rubr. num.* 52. Jo. Andreas *c. quod ſemel, nu. 11. de Reg. Iur. in* 6. Alexander *Conſil. 16. num. 3 vol.* 3. Layman *cit. Lib. 4. tr. 3 c. 6. num.* 7. & communis aliorum, contra Fachineum *lib. 8. controv. Iuris c.* 72.

97 Quartò ſi mulier pro altero fidejubeat, non obligatur efficaciter, ſed poteſt ſe juvare auxilio Senatus conſulti Velleiani; *Leg. 1. & 2. ff. ad S. C. Vellejan.* Secus, ſi acceſſerit juramentum: nam quia iſtud ſervari poteſt abſque periculo animæ, & diſpendio ſalutis æternæ, eſt obſervandum, *arg. cap. Ex reſcripto*, 9. *h. t.* ubi Gloſſa V. *Et uxorem*, Abbas *nu.* 9 Covarruvias *c. quamvis pactum, part. 2. §. 3. n. 8. de pactis in* 6. cum aliis. Tacentur plures conſimiles caſus, de quibus inter alios Layman *cit. cap. 6. num.* 7.

98 Objicies generaliter contra præmiſſa: Juramentum contra bonos mores eſt invalidum, ac nullius obligationis, *c. Non eſt obligatorium*, 58. *de Reg. Iur. in* 6. Atqui juramentum, quod eſt contra Leges Civiles, eſt contra bonos mores; nam Leges illæ ſunt iuſtæ, ac honeſtæ, *can. Erit autem lex, diſt.* 4. ſicque earum violatio injuſta, & peccaminoſa. Reſpond. conceſſa majori, diſtinguendo minorem. Atqui juramentum, quod eſt contra Leges Civiles, quæ obligant ſub peccato, eſt contra bonos mores, conced. Quæ non obligant ſub peccato, ut ſunt illæ, quæ principaliter reſpiciunt bonum & favorem privatorum, cui ſi volunt renunciare, non prohibentur, neg. minor. & conſeq. ſub eadem diſtinctione. Quia enim pactum, per quod tollitur jus privati ſibi publica authoritate conceſſum, valet, ſecùs, ſi tollatur jus commune, *c. Si diligenti*, 12. *de Foro competent. & l. Iuris compet. §. Si paciſcar*, juncto Summario, *ff. de Pactis*: à potiori iſtud erit concedendum de juramento, quo privatæ perſonæ renunciant favori ſibi publica authoritate Legis conceſſo; uti fit in allatis exemplis. Neque enim cogitur quis ſub peccato ad fruendum favore pro ſe introducto: Sicut & *invito beneficium non datur*, ut habetur *l. Invito, ff. de reg. Iur.*

99 Urgebis. *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis*, juxta *Reg. 46. Iur. in* 6. ergo ſi non tenet principale, putà, pactum filiæ, quod dote contenta nullum velit habere regreſſum ad bona paterna &c. neque tenebit juramentum eidem appoſitum, veluti acceſſorium ipſius. Reſp. neg. conſ. Nam regula illa, *Acceſſorium &c.* inter alias limitationes procedit, quando in acceſſorio reperitur ſpecialis ratio, quæ non reperitur in principali; & propter quam illud, corruente principali, meretur ſuſtineri: prout in iuramento eſt reverentia Divini Numinis, ne videlicet teſtimonium Æternæ Veritatis in falſum adducatur. Abbas, *c. Debitores, n. 2. h. t.* & conformiter præmiſſis, ſicut & dictis ſuprà *n. 77. & ſeqq.*

100 Quæritur V. Utrùm obliget iuramentum vi, aut metu gravi extortum? Reſp. I. Juramentum promiſſorium etiam gravi, atque injuſtè incuſſo extortum obligat, dummodò poſſit ſervari abſque diſpendio ſalutis æternæ; niſi à legitimo Superiore relaxetur. Ita D. Thomas 2. 2. *q. 89. art. 7. ad* 3. Gloſſa *in cap. 2. V. Poſſe conſtringi*, & Abbas *ib. num. 2. h. t.* Sanchez *lib. 3. in Decal. cap. 11. n.* 14. aſſerens hoc eſſe certiſſimum. Pirhing. *h. t. num.* 69. Sannig. *eod. cap 4 nu* 4. & alii; contra quoſdam antiquiores, quorum meminit Gloſſa *loc. cit.* Concluſio hæc expreſſè habetur deciſa *c. Si vero*, 8. *h. t.* loquendo de quopiam, qui graviſſimo metu coactus, ſub religione iuramenti ius ſuum refutavit, Papa conſultus reſpondit: *Quod non eſt tutum, quemlibet contra juramentum ſuum venire, niſi ſit tale, quod ſervatum vergat in interitum ſalutis æternæ: nec Nos* (inquit) *materiam alicui dare volumus veniendi contra juramentum proprium; ne authores periurii videamur.* Hæc ibi; eo tamen addito, quod ad coercendam iniquitatem perverſorum, Romana Eccleſia conſueverit à tali juramento abſolvere. Concordat *c. Verùm*, 15. *eod. & c. Ad audientiam*, 4. *De iis, quæ vi metuſve &c.*

101 Accedit ratio: quia *coacta voluntas eſt voluntas*; ut habet vulgatum Canoniſtarum, atque deſumitur ex *can. Meritò*, 15. *q* 1. juncta Gloſſa *ib. V. Vult.* Et quia per juramentum ſimul oritur obligatio, qua quis obligatur Deo, ut implicat, quod per Nomen ejus, atque ſub atteſtatione ſui Divini teſtimonii promiſit: potius is deberet damnum temporale ſuſtinere, quam iuramentum violare, donec ab hujus obſervantia per Superiorem legitimè fuerit abſolutus. Plura de Juramento, per metum injuſtum extorto, patent ex iis, quæ *Lib. 1. Tit. 40. de iis, quæ vi metuſve cauſa fiunt*, per totum copioſiùs dicta fuerunt: ubi etiam *n. 57. 58. & 59.* ponitur differentia inter Votum metu emiſſum, quod non obligat; & Juramentum metu extortum, quod obligat.

102 Quæritur VI. Utrùm obligatio Juramenti promiſſorii ſit perſonalis, vel potius realis, ita ut ad hæredes tranſeat? Ubi prænotandum, quod juramentum promiſſorium, in hominis utilitatem factum, dupliciter conſiderari poſſit. Primò, ut per ſe ſtat, atque præſcindit à ratione pacti, ſeu promiſſionis ab altero acceptatæ, ſimul quandoque concurrentis: uti eſt iuramentum Deo factum dandi eleemoſynam pauperibus, ædificandi Eccleſiam pro certis Religioſis: vel aliud quid præſtandi ad utilitatem hominum. Antequam enim promiſſio illa

fuerit

fuerit ab altero accepta, ceſſat ratio pacti, quod includit duorum, vel plurium in idem conſenſum; ac remanet ſola ratio, atque obligatio propria juramenti, obligantis duntaxat erga Deum ex virtute Religionis. Secundò, ut juramentum promiſſorium homini factum intelligitur ab altero acceptatum, ſicque ſimul involvit rationem pacti; hoc eſt, promiſſionis alteri factæ, ab eoque acceptatæ. Atque in hoc caſu juramentum promiſſorium duplicem inducit obligationem: unam erga Deum ex virtute Religionis, ne teſtimonium ejus in falſum aſſumatur: alteram ergo hominem ex virtute Juſtitiæ, vi cuius tenetur quis ſervare pactum, ſeu ſuam promiſſionem alteri factam, ab eoque acceptatam. Hoc prænotato

103 Reſp. I. Obligatio propria juramenti, ſeu procedens ex virtute Religionis, eſt omnino perſonalis, ſolumque juramentum afficit: ſi tamen juramentum ſit confirmatorium promiſſionis ab altero acceptatæ, tunc obligatio inde ſuborta vi pacti, ſeu ex virtute Juſtitiæ, tranſit ad hæredes, paritque actionem in Foro externo tam Civili, quam Canonico. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 98. *ar.* 2. *ad* 4. Abbas *c. Veritatis*, *num.* 3. *h. t.* Covarruvias *cap. quamvis pactum*, *part.* 1. §. 2. *à num.* 5. *uſque ad* 10. Layman *lib.* 4. *Theolog. Moral. tract.* 3. *cap.* 20. *num.* 2. 3. & 5. Sanchez *lib.* 3. *in Decalogo cap.* 13. *num.* 1. & *ſeqq.* Pirhing. *h. t. num.* 145. & *ſeqq.* cum aliis. Prima pars ex eo patet: quia juſiurandum eſt obligatio voluntariè aſſumpta ex virtute religionis: juramentum enim, ſicut & votum, non poteſt eſſe ſine intentione jurandi ſeu vovendi; ergo eſt vinculum perſonæ annexum, ſicque ex vi juramenti nequit ejus obligatio ad aliam tranſferri perſonam.

104 Atque iſtud quoque procedit, etiamſi aliquis pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus juraverit, quidpiam præſtare. Quamvis enim tunc Succeſſores poſſint obligari vi pacti, ſeu promiſſionis ab alio acceptatæ, ut habet altera pars Concluſionis: non tamen hi tenebuntur ex vi juramenti adeò ut ſi juramentum ſui Anteceſſoris non ſervaverint fiant perjuri: quia religio juramenti eſt perſonalis, ſicque nequit ea quis per alterum obligari. Abbas, Sanchez, Layman, *ubi ſuprà*, & alii.

105 Et hinc eſt, quod Rex, Epiſcopus, Canonicus &c. à principio ſui Regni, Epiſcopatus, Canonicatus &c. ſoleant præſtare proprium, ac perſonale juramentum: quia cæteroquin ſub reatu perjurii non obligarentur ad ſervanda juramenta, quæ Anteceſſores ipſorum ediderunt. Similiter hæres Vaſſalli, cum inveſtitur, novum fidelitatis juramentum præſtare cogitur; quia non obligaretur ex homagio ſui Anteceſſoris. Sylveſter V. *Juramentum*, 4. *q.* 3. Layman *loc. cit. n.* 3. allegans communem.

106 Altera pars Concluſionis probatur ex eo. Quia promiſſio jurata, & ab altero acceptata, non eſt merum juramentum, ſed eſt verum pactum: atqui obligatio pacti præſertim juramento firmati, tranſit ad hæredem, etiamſi non fuerit expreſſum, dummodò contrarium non ſit cautum, *Leg. Veteris C. de contrahend. ſtipulat.* & *leg. ſi pactum*, *ff. de probation.* Paritque actionem in utroque Foro, *cap.* 1. *de pactis*, & *leg. Ut iurciurandi*, *ff. de operis libertor.* cum ſimilibus; eſtque uberiùs dictum *Lib.* 1. *Tit.* 35. *de pactis* §. 1. *num.* 31. & *ſeqq.* ergo. Hinc *cap. ult. de Foro competent.* habetur, quod Laicus ratione juramenti, ſeu ut illud ſervare compellatur coram Judice Eccleſiaſtico conveniri valeat.

107 Infertur proinde, quod ſi defunctus promiſſionem homini factam, & ab eodem acceptatam, v. g. de danda certæ pauperi puellæ dote, juramento firmaverit, ſicque duplicem contraxerit obligationem; unam Religionis, vi præſtiti juramenti; alteram Juſtitiæ, ratione pacti, ſeu promiſſionis ab altero acceptatæ, tunc quidem per mortem ipſius extinguatur prior obligatio quæ eſt propria juramenti, atque ex virtute Religionis oritur, cùm ſit merè perſonalis; poſterior tamen tranſeat ad hæredem. Et ratio eſt: quia hæres hoc ipſo, quod adeat hæreditatem, cenſetur contractum inire ad ſolvenda omnia defuncti debita, & onera realia; ſicque etiam tenetur implere dictam promiſſionem, dando videlicet pauperi puellæ dotem, non quidem ex motivo Religionis, ſed ex virtute Juſtitiæ. Layman *c. cap.* 10. *num.* 4.

Atque hoc ipſum eſt dicendum de juramento reali ſoli Deo facto, dandi v. g. certam pecuniam pauperibus in honorem Dei: quia, licèt tale juramentum à nullo hominum ſit acceptatum, nihilominus hæres defuncti tenetur illud adimplere, poteſtque ad ejus adimpletionem compelli à Judice Eccleſiaſtico. Prout in ſimili dicitur de voto reali, *c. Ex parte*, 16. *de Cenſib.* & *c. Si hæredes*, 6. *de Teſtament.* & *L.* 2. *ff. de pollicitat.* ubi ſic habetur: *Voti enim obligationem ad hæredem tranſire conſtat.* Quod de voto reali, ſeu conſiſtente in dando, non autem de voto perſonali, eundi v. g. ad S. Iacobum Compoſtellam, eſſe intelligendum, notat Gloſſa *fin. ib.* Accedit ratio: quia licèt hæres defuncti, juramentum reale Deo facientis, non obligetur ad iſtud perſolvendum ex vi ipſius juramenti, ſeu ex virtute Religionis (nam obligatio juramenti fuit perſonalis, ac ceſſavit cum perſona defuncti) tenetur nihilominùs hæres defuncti tale juramentum reale perſolvere ex obligatione juſtitiæ, ac vi memorati contractus per aditionem hæreditatis cum defuncto initi ad ſolvenda onera realia ipſius. Pirhing. *h. t. nu.* 147. Caſtropalao *part.* 3. *diſp.* 2. *de juramen. punct.* 11. *nu.* 1. citans alios. 108

Secùs dicendum de Juramento debitoris defuncti, qui promiſit ſolvere uſuras, juxta *c. Debitores*, 6. *h. t.* Nam quia obligatio juramenti fuit perſonalis, ſicque extincta in morte debitoris defuncti; nulla verò remanſerat obligatio Juſtitiæ, eo quod exactio uſurarum contineat turpitudinem, atque injuſtitiam ex parte recipientis: hinc hæres non tenetur ad iſtud juramentum perſolvendum. Covarruvias *d. cap. quamvis pactum*, *de pactis in* 6. *part.* 1. §. 2. *n.* 8. Pirhing. *cit. n.* 147. Layman *d. c.* 10 *n.* 4. Sanchez *lib.* 3. *in Decal. c.* 13. *n.* 5. citans alios. 109

Reſp. II. Nihilominus juramentum ex parte eius, cui juratur, non eſt perſonale, ſed tranſit ad hæredes ipſius. Ita Innocentius *c. Veritatis*, *h. t.* dicens, quod juramentum, licet ſit perſonale ex parte jurantis, tamen ſit reale ex parte eius, cui juratur. Sigiſm. Scaccia *lib.* 2. *de Judiciis*, *cap.* 2. *n.* 103. aſſerens, Doctores communiter ſequi Innocentium, Covarruvias *cit. p.* 1. §. 5. *num.* 7. Angelus V. *Juramentum*, 5. *n.* 40. Sanchez *d. c.* 13. *nu.* 6. & alii paſſim. Idque deſumitur ex *c. Veritatis* 14. juncta Gloſſ. *ſi* & *DD. ib. h. t.* ubi Vaſallus, qui juravit Prælato fidelitatem atque reverentiam, eandem etiam tenetur exhibere Succeſſoribus ipſius, neque iſtis amplius compellitur jurare, niſi velit; prout notat Gloſſa *ibid.* V. *Compellantur*. 110

Concordat textus *in l. Si pactum ff. de prob.* ubi pactum ibi factum, extenditur etiam ad hæredem tuum: *Quia plerumque tam hæredibus noſtris, quam nobiſmetipſis cavemus.* Idem ergo dicendum de juramento, utpote quod ſuſcipit naturam & conditiones promiſſionis, cui adjicitur. Hinc jurans, v. g. ſolvere Petro centum florenos, eo defuncto ante factam ſolutionem, tenetur iſtos ſolvere heredibus Petri, & quidem ex vi juramenti hinc præſtiti; prout exemplificat Sanchez *cit. n.* 6. Pirhing *h. t. n.* 149. allegans alios cum communi. 111

## §. IV.

## De Juramento ut confirmante pacta, vel contractus de jure invalidos.

### SUMMARIUM.

112 *Contractus per juramentum confirmatus plurimum differt ab eo, qui non confirmatur, ſed ſolum juramentum ſervari debet. Et n. ſeqq.*

113 114 115 & 116 *Enumerantur hujuſmodi differentiæ.*

117 *Contractus de jure invalidi, an confirmentur juramento? Et n. ſeqq.*

*Qui ſunt juri naturali aut Divino contrarii, non poſſunt juramento confirmari. Ib.*

118 *Contractus jure duntaxat humano invalidi, aliquando confirmantur juramento.*

119 & 120 *Idque probatur.*

121 *Aliquando verò non confirmatur juramento.*

*Ut, ſi juramentum per vim, aut metum fuit extortum. Ibid.*



122 *Aut ſi juramentum eſt in præjudicium tertii, vel boni publici.*

123 *Et quando obſervantia juramenti vergit in præjudicium ſalutis æternæ.*

124 *Vel ſaltem ex parte exigentis, ſive recipientis turpitudinem continet.*

125 *Quando pactum, ſive contractus de jure irritus, cenſeatur confirmari juramento? Et n. ſeqq.*

*Si Lex irritans contractum fundetur ſuper bonis moribus, vel bono publico; tunc contractus in contrarium geſtus non confirmatur juramento. Ibid.*

126 *Benè tamen, quando Lex irritans contractum principaliter reſpicit favorem privati.*

127 *Referuntur hujus exempla.*

128 *Afferuntur objectiones.*

129 *Et reſolvuntur. Ac num. ſeqq.*

130 Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi, *quomodo intelligendum.*

112 QUæritur I. Utrùm, & qualiter differat contractus per juramentum confirmatus, ab eo, qui non confirmatur, ſed ipſum ſolum juramentum ſervari debet? Reſp. Plurimùm differre; prout fuſiùs oſtendit Jaſon *Auth. Sacramenta puberum*, *n.* 38 & *ſeqq. C. Si adverſus vendition.* Sanchez *lib.* 3. *in Decalog. c.* 12. *n.* 58. & *ſeq.* Engel *h. t. n.* 12. & alii. Idque probatur inductione, oſtendendo plures ejuſmodi differentias, atque peculiares effectus, quos habet contractus juramento confirmatus, qui non competunt alteri non confirmato, ſeu ubi ſolum juramentum habet vim obligandi.

113 Primo enim, quando juramentum non ſolum obligat, contractus verò cæteroquin de jure nullus per illud non confirmatur, obligatio ejus non tranſit ad hæredes: ſecùs dicendum, ſi per illud etiam confirmetur contractus. Ita Jaſon *cit. l. Sacramenta puberum*, *nu.* 38. & Engel *h. t. n.* 12. Ratio eſt: quia juramentum non poteſt eſſe ſine propria intentione; ac proinde obligatio ejus eſt merè perſonalis, atque voluntariè aſſumpta ex virtute religionis, & conſequenter non tranſit ad hæredes: quamvis hi teneantur ſtare pactis, & contractibus defuncti, ut paulò ſuperiùs *n.* 103. & *ſeqq.* jam dictum.

114 Secundò, quando juramentum non confirmat contractum cæteroquin invalidum, poteſt peti relaxatio juramenti, eaque impetrata veniri contra contractum; utpote qui dimitteretur in ſua natura, ſicque invalidus remaneret. Secùs, ſi contractus ipſe per juramentum confirmaretur: nam tunc ſublato per diſpenſationem vinculo juramenti, adhuc remaneret obligatio & vinculum contractus, eò quòd per juramentum fuiſſet confirmatus, roburque accepiſſet.

115 Tertiò, quando juramentum non confirmat pactum vel contractum, ſed ipſum duntaxat obligat, impletur obligatio ejus momentanea ſolutione, & ſtatim poteſt ſolvens, implorato Judicis auxilio repetere rem ſolutam; ut accidit *c. Debitores*, 6. *h. t.* Secùs, ſi ipſum pactum ſeu contractus confirmetur.

116 Quartò, quando juramentum non confirmat contractum, violans illud ſolùm agit, & peccat contra virtutem Religionis: ſi verò confirmetur contractus, ageret etiam contra virtutem Juſtitiæ. Tacentur aliæ differentiæ, de quibus Jaſon, & Sanchez, *ubi ſuprà*, & Pirhing *h. t. n.* 142. cum aliis. Suppoſito proinde tam multiplici effectu contractus per juramentum confirmati

117 Quæritur II. Utrùm contractus de jure invalidi, confirmentur juramento? Reſp. I. Contractus Juri naturali aut Divino contrarii, vel verſantes circa materiam illicitam, non poſſunt juramento confirmari; adeò, quòd tunc neque ipſum juramentum obliget. Ita certa, & communis omnium: ſiquidem *non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum*, ut loquitur *Reg.* 58. *Juris in* 6. Similique *juramentum non ut eſſet iniquitatis vinculum, fuit inſtitutum*, prout loquitur Pontifex *in c. Quanto*, 18. *h. t.* eſtque jam dictum ſuprà *n.* 73 & 74. Quæſtio itaque duntaxat remanet de pactis, ſeu contractibus, ſolo Jure humano, ſive Civili, ſive Canonico irritis; & de his loquendo

118 Reſp. II. Contractus Jure duntaxat humano invalidi aliquando confirmantur per juramentum, aliquando non. Ita Abbas *c. Cùm contingat*: *num.* 8. *h. t.* allegans Bartolum. Covarruvias *Quamvis pactum*, *de Pactis*, *in* 6. *part.* 2. §. 1. *n.* 17. Sanchez *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 12. *num.* 5. Pirhing. *h. t. n.* 132. allegans alios; eſtque communior Doctorum, paucis exceptis, qui volunt, contractum de jure irritum nunquam confirmari juramento, ſed tunc ſolùm juramentum eſſe ſervandum, relicto contractu in ſua invaliditate. Et hujus ſententiæ rationes ponentur infrà *nu.* 128. loco objectionum; ipſamque tenet Jaſon *cit. l. Sacramenta puberum*, *n.* 37. *C. Si adverſus vendit.* cum nonnullis aliis, quos pro hac ſententia allegat Covarruvias, *ubi ſuprà*, *n.* 17.

119 Prima pars, videlicet contractus aliquos Jure humano cæteroquin irritos confirmari juramento, probatur ex textu ſatis claro *c. Quamvis pactum*, *de Pactis in* 6. ubi dicitur: *Quamvis pactum patri factum à filia, dum nuptui tradebatur, ut dote contenta nullum ad bona paterna regreſſum haberet, improbet Lex Civilis: ſi tamen juramento non vi, nec dolo præſtito, firmatum fuerit ab eadem, omninò ſervari debebit: cùm non vergat in æternæ ſalutis diſpendium, nec redundet in alterius detrimentum.* Hæc ibi. Ubi patet, non juramentum duntaxat decerni ſervandum, ſed etiam ipſummet pactum, utpote, de quo loquitur textus, quodque expreſsè dicitur *juramento præſtito firmatum*; ac proinde ſubditur, quòd *omninò ſervari debebit*.

120 Huc etiam communiter allegatur textus *c. Cùm contingat*, 28. *h. t.* & *c. Licèt*, *eod. in* 6 ubi etiam Judices ſæculares per locorum Ordinarios cenſura Eccleſiaſtica jubentur compelli ad ſervandum quoad hoc Jus Canonicum. Concordat *Auth. Sacramenta puberum*, *C. Si adverſus venditionem* &c. juncta Gloſſa, & Summario ibidem, expreſsè hanc ſententiam tenente, dum inquit: *Contractus puberum juramento firmati, nequeunt infirmari: niſi vis, vel juſtus metus intervenerit* &c. Quamvis cæteroquin textus iſti poſſent facilè de juramento explicari, non autem de pacto ſive contractu ipſo.

121 Altera verò pars, quòd nimirùm aliquando contractus non confirmentur juramento, patet tum ex *c. Cùm contingat*, 28. *h. t.* tum ex relato *c. Quamvis pactum*, *de Pactis in* 6. Nam imprimis juramentum, ad quod quis præſtandum per vim, ſive metum gravem, aut dolum inductus fuit, non confirmat contractum, promiſſionem vel pactum; prout ex citatis Canonibus, argumento à ſenſu contrario deſumpto, colligitur; juncta *Auth. Sacramenta puberum*, *C. Si adverſus venditionem*, ibi: *Sacramenta puberum per vim, vel per juſtum metum extorta, nullius eſſe momenti jubemus*, cum concordantiis: haud obſtante, quòd ipſum juramentum metu extortum obliget, donec illud legitima authoritate fuerit relaxatum, ſive diſpenſatum, juxta dicta *n.* 100. & 101.

122 Deinde, ſi juramentum eſt in præjudicium tertii, non confirmat contractum: imò ſi principaliter ac directè redundet in alterius præjudicium, etiam ipſum juramentum non obligat, neque obſervandum eſt, *c. Cùm contingat*, 28. *h. t.* & *c. Quamvis pactum*, *eod. in* 6. Siquidem tale juramentum foret illicitum utpote tendens in injuſtum præjudicium alterius. Et hoc à fortiori procedit in juramento, quod tendit in præjudicium boni publici; putà, quia actus, ſive contractus, principaliter fuit prohibitus ob favorem publicum: nam *Jus publicum, privatorum pactis mutari non poteſt* ut habetur *l. Jus publicum*, *ff. de Pactis*, & *c. Si diligenti*, 12. *de Foro competent.* eſtque ampliùs dictum ſuprà *n.* 90. & *ſeqq.*

123 Ulteriùs juramentum, cujus obſervantia vergit in diſpendium ſalutis æternæ, non confirmat pactum, vel contractum de jure invalidum. Siquidem hujuſmodi juramentum nullius eſt obligationis, & roboris: per textus *n.* 73. & 75. allegatos.

124 Et hoc intelligendum eſt non ſolùm de juramento, quod ſine peccato nequit obſervari (hoc enim nullatenus eſt obligatorium) ſed etiam de eo, quod quidem ex una parte obſervari poteſt ſine peccato, ſolvendo v. g. ſponte rem alteri ſub juramento promiſſam, adhuc tamen ex parte exigentis, ſive acceptantis turpitudinem continet; quatenus is accipit injuſtè, ac reſtituere tenetur, prout cum aliis communiter notat Sanchez *loc. cit. cap.* 12. *n.* 51. & *ſeqq.* Exemplum clarum habetur *c. Debitores*, *h. t.* ubi ſub juramento promittens ſe ſoluturum uſuras, cogitur quidem eas ſolvere ob religionem juris-



122. Aut

jurandi, ſed ſolutas repetere poteſt, etiam authoritate Judicis implorata: ac proinde pactum illud, juramento non fuit confirmatum. Idem contingit in caſu *c. ſignificante, de Pignor.* ſuperiùs *n. 79.* jam declarato, & nonnullis aliis.

125 Quæritur III. Quando pactum, ſive contractus de jure irritus, cenſeatur confirmari juramento? Reſp. I. Si Lex irritans contractum fundetur ſuper bonis moribus naturalibus (hoc eſt, quibus homo efficitur bonus, & quibus contravenire eſt peccatum) aut fundatur ſuper bono publico principaliter, tunc contractus in contrarium geſtus juramento non confirmatur, per Jura, & rationes ſuprà §. *præc. n. 88. 90. & ſeqq.* allatas.

126 Reſp. II. Quando verò Lex neque ſuper bonis moribus naturalibus, neque ſuper publico bono fundatur, ſed principaliter reſpicit favorem privati, licèt ſecundariò & in conſequentiam reſpiciat favorem atque utilitatem publicam; tunc juramentum adeò confirmat contractum, ut non tantùm ipſum juramentum ſit ſervandum, ſed etiam contractus, licèt cæteroquin invalidus. Ita Abbas *c. Cùm contingat, n. 5. & 8. h. t.* Covarruvias *cit. cap. Quamvis pactum, p. 2. § 1. n. 17.* Sanchez *lib. 3. in Decal. c. 12. n. 43. 44. & ſeqq.* citans plures alios, & concordant dicta ſuperiùs. *§ præc n. 93. ac ſeqq.*

127 Exempla hujus ſunt, quæ adducit Layman. *lib. 4. Theolog. Mor. tr. 3. c. 8. n. 1.* & Pirhing *h. t. n. 178.* Sic enim valet, atque juramento confirmatur renunciatio filiæ de non ſuccedendo paternæ hæreditati, *c. Quamvis, de Pactis in 6.* Item alienatio rerum dotalium, ac donationum propter nuptias, *c. Cùm contingat, 28. h. t. & c. Licèt 2. eod. in 6.* Item contractus Minoris ſub juramento celebratus abſque Tutoris authoritate, *Auth. juramenta puberum, C. Si adverſus venditionem.* Item donatio excedens quingentos ſolidos ſine inſinuatione Judicis: mutatio filiiſamilias, qui juratus renunciavit beneficio Senatuſconſulti Macedoniani: fidejuſſio mulieris ſub juramento renunciantis privilegio Senatuſconſulti Vellejani, & alia nonnulla hujuſmodi.

128 Objicies contra hoc. Nam *Jus publicum, privatorum pactis mutari non poteſt*; prout habetur *l. Jus publicum ff. de Pactis.* Item, *quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*, juxta *Reg. 64. Juris in 6.* cum ſimilibus. Inſuper, ſi principale non tenet, neque acceſſorium, juxta *Reg. 42. Juris in 6.* Ergo nunquam confirmatur contractus de jure invalidus per juramentum. Reſp. neg. conſequent. conformiter dictis ſuprà *n. 98 & 99.*

129 Ad primum dicitur, textum allegatum procedere, quando Jus illud principaliter ſtatutum fuit ob favorem publicum: ſecùs, ſi principaliter ob favorem privatorum. Siquidem quilibet juri ſuo renunciare poteſt, *c. Si diligenti, de Foro compet. & l. Juris gentium, §. Si paciſcar. ff. de Pactis*, & alibi.

130 Ad alterum plures ſunt reſponſiones: cæteris tamen dimiſſis, dicitur, Regulam illam, *Quæ contra jus fiunt &c.* procedere, quando Lex manet in terminis prohibitionis; videlicet tam ab initio, quàm ex poſtfacto prohibendo, atque annullando actum contrarium: ſecùs, ſi tantùm ab initio prohibeat, ſed ex poſtfacto ulteriùs procedat diſponendo, quòd actus, ſive contractus valeat; uti fit in propoſito, juxta *c. Quamvis pactum, de Pactis in 6. & c. Cùm contingat, 28. h. t.* cum ſimilibus. Aut dando alia remedia ad actum, ſive contractum illum reſcindendum; uti fit in contractibus ex gravi, & injuſtè incuſſo metu celebratis; ac hujuſmodi: prout latiùs dicta Regula explicatur ſuprà *Lib. 1. tit. 2. de Conſtitut. § 11. nu. 246. 247. & 249.* Ad ultimum patet ex dictis ſuprà *n. 99.* Nam Regula illa, *Acceſſorium &c.* ſolùm procedit, quando in principali & acceſſorio reperitur eadem ratio: ſecùs, quando diverſa eſt ratio in acceſſorio, ut ſuſtineri mereatur, quæ non reperitur in principali, prout in præſentiarum eſt reverentia Divini Numinis.

§. V.

## De Juramento litis deciſorio, ejuſque diviſione, effectu, ac requiſitis.

*S U M M A R I U M.*

131 *Juramentum litis deciſorium, quid, & quando deferendum?*
132 *Eſt triplex, nempe voluntarium, judiciale, & neceſſarium.*
133 *Voluntarium, quid?*
*Appellatur alio nomine* Juramentum conventionale.
134 *An ſerviat ad lites in judicio decidendas?*
*Et producatur actio ex eo? Ibid.*
135 *Juramentum litis deciſorium judiciale, ſeu juramentum judiciale ſpecificè ſumptum, quid?*
*Iſto delato tenetur pars jurare, aut illud referre. Ibid.*
136 *Dummodo hinc excipiatur actio famoſa, & cur?*
137 Deferre juramentum, & Referre juramentum, *quid?*
138 *Juramentum neceſſarium, quid, & cur ſic dicatur?*
*Appellatur etiam* Juramentum ſuppletorium; *& cur?*
139 *Differentia inter triplex memoratum juramentum deciſorium litis.*
140 *Effectus juramenti litis deciſorii primarius eſt, ut ſi præſtetur, ei ſit ſtandum.*
141 *Saltem, quandiu de falſitate juramenti aliunde non conſtat.*
*Dupliciter poteſt intelligi juramentum falsò præſtitum, ſcienter videlicet, & ignoranter. Ibid.*
142 *Juramento ſibi delato ſcienter falſum jurans, præter peccatum mortale, tenetur in Foro conſcientiæ reſtituere, quidquid inde fuit conſecutus.*
143 *Non obſtante ſententia judiciali pro ipſo lata; & cur?*
*Præſumptio cedit veritati. Ibid.*
144 *Juramentum ſcienter falsò depoſitum, ſi de hoc conſtat, etiam in Foro externo retrahendum eſt.*
*Et Judex eidem inhærens, peccaret. Ibid.*
145 *Solvitur inſtantia ex* L. 1. C. de Rebus credit.
*Perjurus à ſolo Deo punitur; & quando? Ibid.*
146 *Juramentum neceſſarium, etiam bona fide præſtitum, poteſt retractari, ſi per inſtrumenta de novo reperta probetur falſum, ſecus dicendum de juramento voluntario, & judiciali. Et n. ſeqq.*
147 *Et ratio diſparitatis. Ac n. 152.*
148 *An juramentum neceſſarium retractetur propter teſtes de novo repertos, ſicut propter inſtrumenta?*
149 *Sententia lata retractari non poteſt propter inſtrumenta de novo reperta.*
150 *Et quando ſecùs. Et n. præc. & ſeqq.*
151 *Probatio privilegiata, quæ?*
*Sententia lata per probationes privilegiatas, nunquam tranſit in rem judicatam &c.*
152 *Lex magis ſubvenit illi, qui facit actum ex neceſſitate, quàm ex voluntate.*
153 *Dantur aliqui caſus, in quibus juramentum etiam voluntarium, ac judiciale, cognita rei veritate retractatur. Et nu. ſeqq.*
*Juramentum voluntarium, ac judiciale, procedit duntaxat quoad jurantem, & juramentum deferentem; non quoad extraneos. Ibid.*
154 *Nec procedit in cauſa ultimæ voluntatis.*
155 *Neque in cauſis matrimonialibus.*
156 *Nec etiam, ubi per confeſſionem partis conſtat de injuſtitia ſententiæ.*
157 *Alia limitatio.*
158 *Ad juramentum litis deciſorium requiritur, quòd lis ſit dubia.*
159 *Nec eſt deferendum, ubi de veritate negotii aliunde conſtat.*
*Nec valet conſuetudo contra; & cur? Ibid.*
160 *Ad juramentum voluntarium, ſeu conventionale requiruntur, ac ſufficiunt ea, quæ ad tranſactionem.*





161 *Ad juramentum litis deciſorium judiciale requiritur ulteriùs approbatio Judicis.*
162 *Ad juramentum neceſſarium plura requiruntur; & quæ?*
163 *Juramentum litis deciſorium, an poſſit deferri etiam per execrationem?*
*Sic delatum nequit præſtari per Procuratorem. Ibid.*

131 QUæritur I. Quid, & quotuplex ſit Juramentum litis deciſorium? Reſp. I. *Juramentum litis deciſorium* vi nominis eſt illud, per quod lis principalis deciditur: ſive, quod in defectu aliarum probationum defertur alterutri partium litigantium, ad definiendas, ſeu decidendas lites. Et notanter additur, *in defectu aliarum probationum*: quia juramentum litis deciſorium tunc demum eſt deferendum, cùm aliæ legitimæ probationes deficiunt, *text. clar. c. 2 de Probat.* junctis concordantiis à Gloſſa *ibid. V. Cùm aliæ*, relatis. Additur ulteriùs, *alterutri partium*: quia juramentum litis deciſorium non præſtatur ab utraque parte, prout præſtari debet juramentum calumniæ, & malitiæ; ſed illud defertur duntaxat uni parti, ſub ea conditione, ſeu pacto, ut ſi confiſa de juſtitia ſuæ cauſæ juraverit, cauſam obtineat; prout ampliùs patebit ex dicendis.

132 Reſp. II. Juramentum litis deciſorium eſt triplex; nempe voluntarium, judiciale, & neceſſarium. Ita Gloſſa *cap. ult. V. A te. h. t.* & alia Gloſſa *in L. 1. V. Niſi ſpecialiter. C. de Rebus credit.* Bartolus *in Summario l. Admonendi. ff. h. t.* juncto textu, & Gloſſa *fin. ib.* Abbas *c. ult. n. 1. h. t.* Zoeſius *eod. n. 33.* Pirhing. *n. 20.* Engel *num. 20.* & alii communiter. Ratio eſt: quia juramentum litis deciſorium vel defertur in judicio, vel extra judicium. Si extra judicium, dicitur *voluntarium*, ſive (ut alii loquuntur) *conventionale*. In judicio autem poteſt illud dupliciter deferri: nam quandoque defertur à Judice; & appellatur *neceſſarium*; quandoque verò defertur à parte parti; & iſtud ſtat in nomine ſui generis, diciturque *judiciale*, ut notat Abbas *l. c.* quamvis nonnulli majoris claritatis gratia, iſtud appellent *Juramentum judiciale ſpecificè ſumptum*, id eſt, *Juramentum litis deciſorium judiciale*. Itaque

133 *Juramentum voluntarium*; dicitur illud, quod voluntariè, ſeu ex mera conventione partium, extra judicium defertur ſub ea conditione, ut ſi una pars litigans, cui illud ab altera parte defertur, confiſa de juſtitia cauſæ ſuæ, jurare auſa fuerit, abſque alio proceſſu cauſam obtineat. Atque iſtud alio nomine appellatur *Juramentum conventionale*, utpote ex mera partium conventione deſcendens; conformiter textui *in l. Jusjurandum quod. 17. ff. h. t.* ibi: *Jusjurandum, quod ex conventione extra judicium defertur &c.*

134 Arbitratur quidem Pirhing. *c. n. 20.* poſt Weſſembecium *in Parat ff. Jurejur. n. 7.* quòd prædictum juramentum conventionale ad lites in judicio decidendas non ſerviat ideoque huc non pertineat. Verùm Ludov. Engel. *h. t. n. 20.* tenet oppoſitum, dummodò conſtet, quòd ſub ea conditione & lege præſtitum fuerit juramentum, ſub qua delatum fuit. Idque ſatis liquere poteſt ex *l. Non erit. ff. h. t.* ubi indiſtinctè dicitur: *Dato jurejurando non aliud quæritur, quàm an juratum ſit, remiſſa quæſtione, an debeatur: quaſi ſatis probatum ſit jurejurando.* Hæc ibi: Unde Abbas *c. ult. n. 1. & 2. h. t.* poſt factam de præfato triplici juramento mentionem, indiſtinctè cenſet, quòd ex quolibet juramento licito, de Jure Canonico producatur actio, dummodò materia ſit ad hoc apta: Quia (inquit) Jus Divinum, & Canonicum, mandat juramentum ſervari, *c. Etſi Chriſtus. & c. Cùm contingat & c. Debitores. h. t.* cum ſimilibus; ergo competit jus agendi, *l. Statuas. ff. de Acquir. rer. domin. & L. un ff. de Condict. ex leg.* Adde dicta ſuperiùs *Lib. 1. Tit. 35. de Pactis §. 1. n. 31. & ſeq.* ubi fuſiùs oſtenſum eſt, ex quolibet pacto, præſertim ſi ſit veſtitum juramento, dari actionem in Foro externo.

135 *Juramentum litis deciſorium judiciale*, ſeu *juramentum judiciale ſpecificè ſumptum*, dicitur illud, quod à parte parti defertur in judicio, Judice approbante. Porrò, quando tale juramentum in judicio, atque interveniente Judicis authoritate à parte defertur parti, tenetur hæc vel jurare, vel parti deferenti juramentum referre; alioquin cauſa cadet, ſive ſolvere tenebitur, *cap. ult. §. 1. h. t. & l. Jusjurandum & ad pecunias ff. eod.* eſtque communis. Si quidem *manifeſtæ turpitudinis eſt, & confeſſionis, nolle nec jurare, nec jusjurandum referre*, ut dicitur *l. Manifeſtæ ff. h. t.*

136 Dummodò hinc excipiatur Actio famoſa; ut eſt actio furti, & hujuſmodi: nam in hujuſmodi actione famoſa non licet referre juramentum ſibi à parte altera delatum; prout habetur expreſſum *c. c. ult. h. t.* illis verbis: *Nec liceat convento famoſa actione referre hujuſmodi juramentum.* Rationem hujus dat Abbas *ib. n. 12.* & Vivianus *in Rationali Juris, eod. c. ul. §. 3.* Quia conventus actione famoſa, putà quòd equum furto abſtulerit, meliùs præſumitur ſcire veritatem, quàm Actor equum ejuſmodi repetens; unde meritò taliter conventus, non permittitur juramentum ſibi ab Actore delatum eidem referre; cùm ipſe certò ſciat, an talem equum alteri abſtulerit, quod Actor tam certò ſcire non poteſt (dantur enim equi multum ſibi ſimiles) ſicque non poſſet adeò tuta conſcientia jurare.

137 Ubi pro intelligentia terminorum ſciendum eſt, quòd ille dicatur *Deferre juramentum*, qui primò alteri parti offert, ut juret, ſi confidat de veritate, ſeu juſtitia cauſæ ſuæ. *Referre juramentum* econtrà dicitur pars illa, quæ poſt delatum ſibi juramentum jurare non vult, ſed juramentum ejuſmodi offert viciſſim adverſario ſuo, qui priùs ſibi detulerat. Layman *lib. 4. Theol. Mor. tr. 3. c. 5. n. 2. v. Si quæres.*

138 *Juramentum neceſſarium* tandem dicitur illud, quòd per Judicem alterutri parti, ob defectum plenæ probationis, ſive in ejus ſupplementum defertur. Et ideò alio nomine etiam *Juramentum ſuppletorium* appellatur: quia videlicet tunc demum eſt deferendum, quando aliæ legitimæ probationes deficiunt, *c. Sicut. 2. de Probation.* ubi Gloſſa *V. Cùm aliæ.* Fagnanus *n. 5.* & Barboſa *in Collect. ibid. num. 4.* allegans alios. Dicitur autem *Juramentum neceſſarium*: tum quia Judex quandoque neceſſe habet illud deferre alterutri parti litigantium, ſive ad earum petitionem, ſive etiam ex officio ad inveſtigandam veritatem: tum quia juramentum iſtud parti delatum, niſi juſta de cauſa, recuſari non poteſt, nec etiam alteri parti referri, *c. ult. §. 1. h. t.* atque ampliùs infra *§. 7. nu. 228. & ſeqq.* dicetur.

139 Atque ex his patet differentia inter triplex memoratum juramentum deciſorium litis. Siquidem juramentum voluntarium ſeu conventionale, defertur à ſolis partibus, & quidem extra judicium, poteſtque liberè recuſari adeò, ut nec opus ſit illud alteri parti referre, *l. Juramentum quod*, juncta Gloſſa *V. Non poteſt. ff. h. t.* Juramentum litis deciſorium judiciale, ſeu judiciale ſpecificè ſumptum, pariter quidem ab una parte defertur alteri, ſed non niſi in judicio; ſimulque opus eſt, ut priùs ſit approbatum à Judice, *l. Generaliter. §. De juramento. C. de Rebus creditis*: & ſi deferatur; vel eſt præſtandum, vel referendum, niſi juſta cauſa recuſandi ſubſit. Juramentum neceſſarium verò à ſolo Judice defertur, & delatum, niſi juſta de cauſa, recuſari nequit, neque etiam alteri parti referri poteſt, *c. ult. h. t.* cum concordantiis, atque infrà *§ 7. n. 221. & ſeqq.* dicetur.

140 Quæritur II. Quis ſit effectus Juramenti litis deciſorii, & an retractari valeat, ſi poſtmodùm appareat falſitas ejus? Reſp. I. Effectus juramenti litis deciſorii, ſive ſit neceſſarium, atque à Judice alteri parti delatum, ſive voluntarium, & ab una parte alteri delatum vel etiam relatum, primarius & principalis eſt iſte, ut ſi præſtetur, ei omninò ſit ſtandum, remiſſa ulteriori quæſtione, an revera quidpiam debeatur, nec ne. Ita communis, & patet ex *l. Non erit, & l. Jusjurandum & ad pecunias. §. fin. h. t.* juncta *l Generaliter: §. 2. C. de Rebus cred.* Quibus in locis expreſsè dicitur, quod juramento præſtito ſtandum ſit præcedente legitima delatione, *quaſi ſatis probatum ſit jurejurando.* Atque ideo *L. 1. ff. de Jurejurand.* meritò dicitur, quod *Maximum remedium expediendarum litium in uſum venit jurisjurandi religio, qua vel ex pactione ipſorum litigantium, vel ex authoritate Judicis deciduntur controverſiæ.* Hæc ibi, junctis concordantiis in progreſſu adducendis.

141 Et hoc eſt certum, quandiu de falſitate præſtiti juramenti aliunde non conſtat: quia tunc adeſt præſumptio juris pro jurante, quòd verum juraverit ob reverentiam Divini Numinis. Major difficultas eſt de juramento

litis deciſorio, quod vel à parte, vel à Judice delatum fuit & ab altera parte præſtitum, an tantæ ſit efficaciæ atque virtutis, ut ampliùs retractari non poſſit, etiamſi poſtmodùm certò conſtet, putà, per inſtrumenta de novo reperta, juramentum illud fuiſſe falſum. Quia verò dupliciter poteſt intelligi, juramentum fuiſſe falſum, ſeu potiùs falsò præſtitum, ſcienter videlicet, aut ignoranter; hoc eſt, bona fide credendo, rem ita ſe habere, prout quis juravit, etiamſi poſtmodùm per legitima inſtrumenta contrarium manifeſtè appareat: hinc loquendo imprimis de juramento ſcienter falsè depoſito

142 Reſp. II. Si quis juramento ſibi delato ſcienter falſum juraverit, non ſolùm eſt reus graviſſimi peccati mortalis, ſeu perjurii; verùm etiam tenetur in Foro conſcientiæ reſtituere, quidquid inde fuerit conſecutus, refuſis inſuper omnibus damnis atque expenſis, ex ſuo malitioſo atque injuſto juramento parti adverſæ obvenientibus. Ita Abbas *c. Quia plerique, n. 21.* poſt Innocentium *ibid. de Immunit. Eccl.* eſtque communis tum Theologorum, tum Canoniſtarum. Ratio eſt clara: quia talis falsò jurans non ſolùm circumvenit Judicem, ſed etiam damnificat proximum, atque injuſtè acquirit rem alienam; ergo in Foro animæ, atque ante aliam ſententiam Judicis tenetur ad reſtitutionem, juxta *Reg. 4. Iuris in 6. peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum*, cum concordantiis.

143 Nec obſtat, quòd talis conſecutus fuerit ſententiam judicialem pro ipſo latam. Non obſtat, inquam: quia ſententia Judicis fundatur in præſumptione veritatis, ſeu quòd quis verum juraverit: Unde, quia præſumptio cedit veritati, *l. Imperatores, ff. de Probat.* & falsò jurans certò novit, talem præſumptionem hic & nunc non ſubſiſtere, nequit in Foro animæ retinere, quod per ſententiam Judicis acquiſivit; eò quòd, hanc, utpote in falſa præſumptione fundatam, manifeſtè ſciat eſſe injuſtam; ſicque tenetur totum reſtituere. Hoc ſiquidem exigit naturalis obligatio virtutis Juſtitiæ, reddens cuilibet, quod ſuum eſt. & quòd *fraus & dolus alicui patrocinari non debeat*, patet ex *c. Sedes, 15. de Reſcriptis*, cum Concordantiis.

144 Et hæc ratio tam fortiter urget, ut ſi in Foro etiam externo conſtaret, v.g. per propriam ejus confeſſionem, quòd quis ſcienter depoſuiſſet falſum juramentum ejuſmodi, unà cum omnibus inde ſubſecutis, etiam in foro externo retractandum foret. Nam *Iure naturæ æquum eſt, neminem cum alterius detrimento & iniuria fieri locupletiorem*, prout dicitur, *l. Iure naturæ, ff. de Reg. Iur. & c. Locupletari, 46. eod. in 6.* Simulque pactum turpe, vel rei turpis, nullam inducit obligationem, *c. ult. de Pactis*. Quinimò Judex inhærens tali juramento, de cujus falſitate ſcienter commiſſa conſtat, hoc ipſo peccaret conſentiendo, & cooperando ad injuſtam rei alienæ occupationem, ſeu detentionem, juxta illud *can. Negligere, 2. q. 7.* ubi dicitur: *Negligere cùm poſſis deturbare perverſos, nihil aliud eſt, quàm fovere.*

145 Nec obſtat textus *in L. 1. C. de Rebus creditis*, ubi dicitur: *Cauſa iureiurando ex conſenſu utriuſque partis, vel adverſario inferente delato & præſtito, vel remiſſo deciſa, nec periurii prætextu retractari poteſt, niſi ſpecialiter hoc Lege excipiatur.* Reſp. enim, concordando jura juribus, Legem allegata procedere in juramento bona fide præſtito; quale in Foro externo præſumitur omne juramentum litis deciſorium, niſi conſtet de contrario, v.g. per propriam confeſſionem: adeò, ut perjurus à ſolo Deo puniri dicatur, *L. 2. C. eod.* Secùs, ubi quis ſcienter depoſuit falſum juramentum, & de hoc conſtat in Foro externo, putà, per propriam ejus confeſſionem: nam quia tunc ſuum juramentum pravum alteri nocet, meritò retractatur; ſicque non habet ſolum Deum ultorem. Gloſſa *cit. L. 2. ℣. ultorem. C. de rebus credit.* concordant dicenda inferius *n. 157.* Et de hoc non eſt controverſia, ſed ſolùm de juramento bona fide præſtito, quod tamen poſteà apparet, v.g. per inſtrumenta de novo reperta, fuiſſe falſum: unde

146 Reſp. III. Juramentum neceſſarium, ſeu delatum à Judice in ſupplementum, ac etiam bona fide præſtitum poteſt retractari, ſi contra jurantem per inſtrumenta noviter reperta probetur falſum: ſecùs tamen eſt dicendum de juramento voluntario ſeu conventionali, & judiciali ſpecificè ſumpto. Ita textus ſatis apertus *in leg. Admonendi ff. hoc tit.* qui ſic loquitur: *Admonendi ſumus, interdum etiam poſt iusiurandum exactum permitti Conſtitutionibus Principum ex integro cauſam agere, quis nova inſtrumenta ſe inveniſſe dicat, quibus nunc ſolùm uſurus ſit. Sed hæ Conſtitutiones tunc videntur locum habere cùm à judice aliquis abſolutus fuerit. Solent enim ſæpè judices in dubiis cauſis exacto Jurejurando ſecundùm eum judicare, qui juravit. Quòd ſi alliàs inter ipſos iureiurando tranſactum ſit negotium, non conceditur eandem cauſam retractare.* Ubi Gloſſa *in caſu, & ℣. Abſolutus, & ℣. Quod ſi alliàs*, Bartolus, Salycetus, Jaſon *in Repetit. cit. l. Admonendi, n. 4.* & alii communiter, priorem partem intelligunt de juramento neceſſario, quod defertur à ſolo Judice ſine partis conſenſu: poſteriorem verò ab illis verbis, *Quod ſi alliàs*, intelligunt de juramento voluntario, vel judiciali, quod defertur à parte parti, ſive extra judicium, ſive in judicio. Eandem Concluſionem tradit Engel *h. t. n. 32.* & Maſcardus *de prob. Concl. 956. n. 9. & 18.* allegans alios: quæ quoad alteram partem etiam habetur *cit. L. 1. C. de Rebus creditis*.

Ratio diſparitatis inter utramque partem Concluſionis ea ſolet reddi: quia dum defertur, atque præſtatur juramentum voluntarium, aut judiciale, res videtur potiùs deciſa partium tranſactione, quàm ſententia: nam *jusiurandum ſpeciem continet tranſactionis*, ut dicitur *L. 2. h. t.* juncto textu jam allegato ex *cit. l. Admonendi*, ibi: *Quod ſi alliàs inter ipſos jurejurando tranſactum ſit negotium, non conceditur eandem cauſam retractare.* Unde cùm juramentum voluntarium, atque judiciale, contineat ſpeciem tranſactionis, tranſactio autem propter inſtrumenta de novo reperta regulariter non reſcindatur, *l. Sub prætextu inſtrumenti, C. de tranſact.* ſibi imputare debet is, qui hujuſmodi juramentum parti adverſæ deferendo, eandem in propria cauſa & teſtem, & judicem, contra ſe conſtituit. Secùs fit in juramento neceſſario, utpote quod non ex conſenſu partium, ſed à Judice defertur, atque delatum neque recuſari, neque deferri poteſt. 147

Utrum autem juramentum neceſſarium retractetur non ſolùm propter inſtrumenta de novo reperta (nam de his textus allegatus expreſsè loquitur) ſed etiam propter teſtes noviter repertos, quæri poteſt? Hanc quæſtionem proponit Bartolus *in c. l. Admonendi, in fine ff. h. t.* & Abbas *c. ul. n. 10. eod.* ac reſpondet uterque ſub diſtinctione. Nam quædam ſunt cauſæ, in quibus non admittitur reprobatio per teſtes; ut *l. Generaliter. C. De non numer. pecun.* & in his certum eſt, quòd non. Quædam verò ſunt cauſæ, in quibus admittitur reprobatio per teſtes: & tunc vel in prima cauſa fuerunt examinati, & publicati teſtes; & non poterunt ampliùs produci, prohibente publicatione atteſtationum, & timore ſubornationis, juxta dicta *Tit. 19. De Prob. §. 6. n. 149. & 152. & ſeqq.* Si verò teſtes non fuiſſent anteà publicati, tunc poſſunt de novo produci, ſicque retractari ſententia, eadem ratione, qua hæc retractatur per inſtrumenta de novo reperta: quia appellatione inſtrumentorum veniunt etiam teſtes; ut *c. pervenit ad audientiam. de Teſtib. cogend. & L. 1. ff. de Fide inſtrum.* 148

Objicies autem contra priorem partem Concluſionis: Sententia lata retractari non poteſt etiam propter inſtrumenta de novo reperta, *l. Sub ſpecie. C. de Re judicat.* & alibi; ergo neque ſententia lata prætextu falſi juramenti neceſſarii, contra *cit. l. Admonendi*. Reſp. cum gloſſa hìc *℣. Nova inſtrumenta*, Antecedens regulariter procedere, quando fertur ſola ſententia: ſecùs, ſi & ſententia lata, & juramentum falſum præſtitum fuit: nam tunc poteſt retractari, eſtque hoc ſpeciale, idque in odium pejerantis. 149

Verùm hanc Gloſſæ ſolutionem reprobat Jaſon *in Repetit. cit. l. Admonendi. n. 37.* poſt Ludov. Romanum, & Alexandrum *ibid.* Tum quia dicta ratio non eſt generalis, ſed reſtringit textum ad ſolum juramentum doloſum; cùm tamen textus allegatus indiſtinctè concedat, juramentum neceſſarium poſſe retractari ob inſtrumenta de novo reperta, ſive quis juraverit dolosè, ſive non dolosè. Tum quia ob eandem rationem, ſeu in odium pejerantis, etiam deberet poſſe retractari juramentum voluntarium, atque judiciale, propter inſtrumenta de novo reperta; quod tamen eſt contra *§. fin. cit. Leg.* 150



151 Melius itaque reſpondetur cum Doctoribus proximè citatis; & Maſcardo *d. Concl. 958. nu. 9.* allegante alios negando conſequentiam. Nam, ubi ſententia eſt lata prætextu juramenti neceſſarii, tunc ea dicitur lata ex Probatione privilegiata; hoc eſt, ex proprio juramento partis, & ſic in defectu aliarum probationum ex proprio teſtimonio in cauſa propria, contra illam regulam: *Nullus idoneus teſtis in re ſua intelligitur*, atque habetur *l. Nullus, ff. de Teſtib. & l. Omnibus. C. eod. & can. Si teſtes, 4. q. 3.* qualis proinde meritò cenſetur eſſe *Probatio privilegiata.* Atqui ſententia lata per Probationes privilegiatas nunquam tranſit in rem judicatam; ſed poteſt ſemper, & quandocunque uſque ad mille annos, & ultrà retractari, ſupervenientibus veris & propriis probationibus, Innocentius *c. Tua nos, in Gloſſa marg. de Cohabitat. Cleric.* Maſcardus *loc. cit. num. 10.* Jaſon, *ubi ſuprà, num. 38. & 41.* allegans alios, atque aſſerens, hanc eſſe communem opinionem. Secùs fit *in l. Sub ſpecie. C. de re judicat.* utpote quæ procedit quoad *res judicatas*; ſeu tales, in quibus ſententia tranſit in rem judicatam.

152 Urgebis. Stante hac ratione etiam juramentum voluntarium, ac judiciale, poterit retractari per inſtrumenta de novo reperta: nam etiam tale juramentum eſt probatio privilegiata. Conſequens eſt contra Concluſionem, & contra *l. Admonendi, §. fin. ff. h. t.* & contra *L. 1. C. de Reb. credit.* ergo. Reſp. cum Jaſon. *loc. cit. n. 41.* neg. ſequen. majoris cum ſua probatione. Siquidem in juramento neceſſario illa probatio privilegiata procedit parte altera invita: ſecùs eſt in juramento voluntario, ac judiciali; quia iſtud defertur ex mera voluntate partium: unde pars iſtud deferens ſibi debet imputare, quòd adverſarium ſuum in propria cauſa contra ſe teſtem conſtituerit, ſicque ſententiam adversùs ſe latam reportarit, quæ retractari ampliùs non poſſit: Nam Lex magis ſubvenit illi, qui facit actum ex neceſſitate, quàm illi, qui facit ex voluntate, *l. Si Fidejuſſor. §. Si neceſſaria, ff. Qui ſatis dare cogantur, & c. Ab arbitris*, juncta Gloſſa *Verſ. Appellandum De offic. Delegat. in 6.*

153 Reſp. IV. Dantur nihilominùs aliqui caſus, in quibus juramentum etiam voluntarium, ac judiciale non procedit, ſed cognita rei veritate poteſt retractari. Ita Jaſon *l. Ait Prætor. §. Jurari, nu. 6. ff. h. t.* Maſcardus *d. Concl. 956. nu. 20. & ſeqq.* allegans alios, pluresque tales caſus referens. Idque probatur inductione. Sic imprimis juramentum litis deciſorium voluntarium, & judiciale, procedit duntaxat quoad jurantem, & juramentum ejuſmodi deferentem; non verò quoad alios, ſive extraneos. Jaſon *cit. num. 6.* & Maſcardus *nu. 20.* poſt Romanum *in l. Nam poſteaquam. §. Sed & ſi quis, ff. h. t.* qui iſtud probat ex citata Lege, ubi dicitur, quòd contra iuramentum præſtitum in fraudem creditorum, ſuccurritur creditoribus replicando, & excipiendo. Concordat textus expreſſus *in L. 3. §. fin. ff. eod.* illis verbis: *Quia jusjurandum alterius alteri neque prodeſt, neque nocet.*

154 Deinde loquendo etiam de Jurante, ac juramentum deferente, data Regula limitatur in cauſa ultimæ voluntatis: In hac enim poſſe retractari ſententiam latam ex juramento, etiam voluntario ac judiciali, ſi poſteà contrarium ſit factum manifeſtum, conſtat ex *L. ult. C. de Rebus creditis*: ubi refertur talis caſus, ac proinde Summarium breviter ſic loquitur: *Cauſa ultimæ voluntatis falſo juramẽto deciſa, retractatur veritate reperta.* Atque Legem illam habere locum in omni juramento, etiam voluntario, ac judiciali, notant omnes, ut inquit Maſcardus *loc. cit. num. 21.* Et ratio eſt: quia in his, quæ ex teſtamento proficiſcuntur, tranſigi non poteſt non inſpectis verbis teſtamenti, *L. 1. ff. Quemadmodùm teſtament. aperiant. & l. De his controverſiis, ff. de Tranſactionib.* ergo nec jurari; cùm jusjurandum voluntarium, ac judiciale, ſit ſpecies tranſactionis, *L. 2. ff. h. t.*

155 Tertiò limitatur Regula præmiſſa in cauſis matrimonialibus: nam in his poſt præſtitum iuramentum contra valorem matrimonii, adhuc poteſt quæri de veritate. Gloſſa *in L. 3. ℣. Agatur, ff. h. t.* id probans ex *c. Lator. 7. de Senten. & re judicat.* ubi deciſum habetur, quòd ſententia lata contra matrimonium, nunquam tranſeat in rem judicatam; ac proin quandoque revocetur, cùm conſtat de errore. Jaſon *cit. num. 6.* allegans Hoſtienſem *in c. Mulieri h. t.* Idemque ob paritatem rationis procedit in aliis caſibus, in quibus ſententia non tranſit in rem judicatam, de quibus ſuo loco.

Quartò limitatur quoad probationem per confeſſionem partis: ſi enim in Foro contentioſo conſtaret de iniuſtitia ſententiæ per confeſſionem illius, qui obtinuit ſententiam vi iuramenti à ſe præſtiti, tunc caſſaretur ſententia illa etiam in Foro judiciali. Abbas *c. Quia plerique, n. 22.* poſt Innocentium *ibid. de Immunit. Eccleſ.* Maſcardus *d. Concl. 956. n. 22.* citans Caſtrenſem *in l. Qui iuraſſe, §. 1. ff. de jurejurand.* Boerium *qu. 306. n. 3. & 4.* & alios. Ratio eſt: quia ſententia ob juramentum partis prolata, ſuſtinetur ex ſola præſumptione juſtitiæ: atqui contra quamcunque præſumptionem, etiam iuris & de iure: admittitur probatio in contrarium per confeſſionem illius, in cujus utilitatem Jus induxit præſumptionem illam, ut dictum *Tit. præced. §. 2. nu. 54.* ergo. 156

Addit Engel. *h. t. nu. 32.* quòd probabilius, ac æquius ſibi videatur, ſi quis per probationes incontinenti paratas, nec altiorem indaginem, vel longiorem dilationem requirentes, demonſtrare poſſet falſitatem iuramenti voluntarii, aut judicialis, ab altera parte præſtiti, ipſum audiendum eſſe. Rationem dat: quia *in L. ult. C. de Rebus cred.* generaliter Imperator ſtatuit, neminem poſſe ex periurio, etiam in iuramento iudiciali, commiſſo lucrum captare: *Ne cui* (inquit) *ex delicto impium lucrum afferre noſtris legibus patiatur.* Et quamvis iuramentum voluntarium, & iudiciale, contineat ſpeciem tranſactionis, *cit. L. 2. ff. h. t.* qualis propter inſtrumenta de novo reperta non reſcinditur, *l. Sub prætextu inſtrumenti. C. de Tranſaction.* hoc tamen ſolùm procedit, ubi læſio non eſt valdè gravis: nam quòd propter immodicam læſionem etiam poſſit reſcindi tranſactio, tenet Fachineus *lib. 2. Controverſ. Jur. cap. 26.* cum pluribus aliis, eſtque ex profeſſo iam dictum ſuprà *lib. 1. Tit. 36. de Tranſactionibus, §. 4. n. 52. 56. & ſeqq.* 157

Quæritur III. Quænam requirantur ad iuramentum litis deciſorium, ejuſque delationem? Reſp. I. Ad iuramentum litis deciſorium requiritur imprimis, quòd lis exiſtat dubia, nec aliud conſtet de veritate. Ita communis; & patet ex *c. Sicut, 2. de Probation.* ubi reprobata conſuetudine in contrarium, Pontifex declarat, quòd *tunc demum ad hujuſmodi* (iuramenti ſ.) *ſuffragium recurrendum, cùm aliæ legitimæ probationes deeſſe noſcuntur*: junctis concordantiis à Gloſſa *ibid. ℣. Cùm aliæ*, relatis. Accedit ratio: tum quia insjurandum eſt inductum ad lites dirimendas, *L. 1. ff. h. t.* ſicque fruſtrà adhiberetur, ubi aliunde conſtat de veritate. Tum quia *iusiurandum ſpeciem continet tranſactionis*, juxta textum expreſſum *in L. 2. ff. h. t.* Atqui tranſactio locum non habet, niſi de re dubia: nam *qui tranſigit, quaſi de re dubia & lite incerta tranſigit*, prout habetur *L. 1. ff. de Tranſaction.* 158

Infertur proinde, quòd ſi de veritate negotii aliunde conſtat, putà, per teſtes legitimos, vel authentica inſtrumenta, non ampliùs cuipiam ſit deferendum juramentum: adeò, ut conſuetudo contraria non valeat, atque expreſsè reprobetur *cit. c. Sicut, 2. de Probation.* Et ratio eſt: tum quia talis conſuetudo eſt contra naturalem rationem, quæ non admittit ſuperflua: Deus enim & natura, nihil faciunt fruſtra. Imò *per quàm iniquum eſt ſupervacua cautione onerari* quempiam; prout ex lumine naturali cognovit Juriſconſultus *in l. Hæc ſtipulatio, ff. Ut legatorum nomin. caveat.* Tum quia talis conſuetudo eſt etiam contra Jus Divinum, ſecundùm quòd non iuratur, niſi ex cauſa rationabili. Abbas *cit. c. Sicut, n. 1 & 2. de Probat.* addens nonnullas alias hujus rationes. 159

Reſp. II. Ad juramentum litis deciſorium voluntarium, ſeu conventionale requiruntur, & ſufficiunt ea, quæ requiruntur ad pactum, ſeu tranſactionem ut ſic: nempe, ut ſit capacitas ex parte deferentis, ac præſtantis juramentum: ſimulque, ut jure non ſit prohibitum ſuper tali re tranſigere, ſeu præſtare ejuſmodi juramentum. Ratio eſt clara: quia juramentum iſtud ſpeciem continet tranſactionis, *L. 2. ff. h. t.* & conſequenter ad iſtud ſufficiunt ea, quæ ad tranſactionem. 160

Reſp. III. Ad juramentum litis deciſorium judiciale, ſeu quod pars parti defert in judicio, requiritur ulteriùs approbatio Judicis, ſeu quòd illud cauſa cognita ſit à Judice approbatum. Ita habetur *l. In bonæ fidei*, juncta Gloſ- 161

*ſa* ℣. *Per judicem. C. de Rebus creditis*, & *l. Generaliter. §. Sed juramentum. C. eod.* ubi dicitur: *Sed juramento illato, cùm hoc à partibus factum fuerit, & à Judice approbatum.* Et ſic (addit Gloſſa *ibid.* ℣. *Approbatum*) eſt judiciale: & ideò dicit, *approbatum*, quia quandoque non approbat; ut ſi ille, cui defertur, dicat ſe neſcire veritatem, ut *l. Jusjurandum & ad pecunias, ff. h. t.*

162 Reſp. IV. Ad juramentum neceſſarium, ſeu ut iſtud à Judice deferatur parti in ſupplementum probationis, plura requiruntur copulativè: nempe, ut cauſa ſit dubia; hoc eſt, quòd non ſit probatum plenè, ſed ſemiplenè. Item legalitas perſonæ, ut videlicet deferatur duntaxat perſonæ honeſtæ, atque integræ fidei: haud obſtante, quòd in juramento voluntario, ac judiciali, de hoc non multùm quæratur; quia ibi ſufficit, perſonam, cui defertur juramentum, ab altera parte fuiſſe approbatam. Requiritur inſuper ad juramentum neceſſarium, ut deferatur duntaxat perſonæ habenti veram ſcientiam cauſæ per proprium ſenſum corporeum. Item parvitatis cauſæ: quia non eſt deferendum juramentum neceſſarium in cauſis arduis, magnique præjudicii; neque in cauſis criminalibus criminaliter motis, nec in cauſis ſpiritualibus. Item, ut ſit petitum à parte; niſi forſan ex officio, cauſa cognita, Judex illud deferendum eſſe exiſtimet. Verùm de his plura Paragrapho ſequenti.

163 Utrùm autem juramentum litis deciſorium deferri poſſit, aut debeat, per ſimplicem duntaxat Dei conteſtationem, vel etiam per execrationem (quod *Juramentum execratorium* appellant) conſulantur particulares ſingulorum Tribunalium formulæ jurandi: nam quodlibet horum juramentorum adducit Deum in teſtem veritatis; & ſi hęc deficeret, inducit graviſſimum peccatum perjurii, irrogat infamiam juris, conſtituitque pejerantem reum ęternę pœnę infernalis, niſi debitam egerit pœnitentiam. Quòd autem deponens juramentum execratorium, ſibi ipſi, vel alteri ſibi charo, expreſſè mali quidpiam à Deo falſitatis vindice imprecetur, auget quidem malitiam perjurii: ſed ſi fiat in juſtitia, judicio & veritate, nullo jure prohibitum eſt; ſed eſt actus virtutis Religionis, atque proteſtatio quædam Divinę Veracitatis, & Juſtitiæ. Imò quandoque, præſertim pro rudioribus, conſultum eſt, ſub tali formula execratoria exigere juramentum litis deciſorium: quia, ſi illud debitè fiat non ſolùm caret omni nœvo peccati, ſed etiam magnam vim habet deterrendi homines à perjuriis. Unde notant Doctores, quòd ubi per Decretum, ſeu Statutum municipale, præſcribitur forma juramenti cum imprecationibus, tale juramentum requirat perſonalitatem jurare debentis: & hinc ejuſmodi juramentum non poteſt præſtari per Procuratorem cum ſpeciali mandato, ſed debet Principalis jurare. Ita Obſervationes Forenſes Sacr. Senatus Pedemontani *Obſerv. 62. n. 5.* poſt Gratianum *Conſil. 28. n. 11. lib. 2.* Hieron. de Laurent. *Dec. Aven. 7. n. 3.* Carocium *in tr. de Juram. dec. q. 9. q. 13 princ. n. 11.* & Vivianum *Commun. Opin. lib. 1. opin. 429. n. 10.*

## §. VI.

## De Juramento neceſſario, ſeu à Judice in ſupplementum probationis delato, ejuſque requiſitis.

### SUMMARIUM.

164 *Regula eſt, quòd juramentum in probationis ſupplementum deferri poſſit.*

165 *Poteſt iſtud Judex deferre non tantùm ad petitionem partis, ſed etiam ex officio.*

166 *Idque probatur.*

*Judex uſque ad prolationem ſententiæ debet cuncta rimari &c. Ibid.*

167 *Solvitur inſtantia. Et n. 165.*

168 *Poteſt pars litigans petere delarationem juramenti neceſſarii, dummodo petitio illa concipiatur imperſonaliter.*

169 *Et fiat ante concluſionem in cauſa.*

*Judex tamen poteſt juramentum neceſſarium deferre uſque ad prolationem ſententiæ; quando ita expedire judicaverit. Ibid.*

170 *Sed parte adverſa præſente, ſeu citata, & cauſa cognita.*

171 & 172 *Ad delationem juramenti neceſſarii requiritur, quòd deficiant aliæ legitimæ probationes.*

173 *An præceſſerit ſemiplena probatio. Et num. 171.*

174 *Ob ſolam præſumptionem levem, non poteſt illud actori deferri.*

175 *Secùs, quando ipſa facit ſemiplenam probationem.*

176 *Præſumptio quando faciat ſemiplenam probationem, Judicis arbitrio relinquitur.*

177 *Probatio per unum teſtem omni exceptione majorem, poteſt ſuppleri præſtatione juramenti neceſſarii: ſecùs, quando is non eſt major omni exceptione.*

178 *Non defertur juramentum neceſſarium, quando contra ſemiplenam probationem urget probatio contraria, per quam debilitatur.*

179 *Secùs, ſi non debilitetur.*

*Hinc defertur illud ex depoſitione teſtis reddentis rationem dicti ſui, etiamſi habeat contra ſe alium teſtem non reddentem rationem. Ibid.*

180 *Ut juramentum neceſſarium cuipiam deferatur, requiritur legalitas perſonæ.*

181 *Unde non defertur infami, uſurario, perjuro &c.*

182 *Benè tamen mulieri.*

183 *Et conſanguineis, amicis &c.*

184 *Ut juramentum ſuppletorium cuipiam deferatur, neceſſe etiam eſt, ut ſciat veritatem rei per ſenſum corporeum.*

185 *Hinc illud non defertur Hæredi ſuper facto Defuncti.*

*Niſi veriſimiliter præſumatur ſcire factum Defuncti per proprium ſenſum: ut Filius. Ibid.*

186 *Ad delationem juramenti neceſſarii etiam requiritur parvitas materiæ. Et n. ſeqq.*

*Iſtud non eſt deferendum in cauſis arduis, magnique præjudicii, ſed duntaxat in modicis; & cur? Ibid.*

187 *Quæ cauſæ cenſeantur modicæ, & quæ magnæ ſeu arduæ?*

188 *Limitatur illud, quando fuit plùs quàm ſemiplenè probatum: quia tunc juramentum in ſupplementum defertur etiam in cauſis arduis.*

189 *Et quid in cauſis criminalibus?*

190 *Limitatur etiam, quando non agitur ad totam intentionem Actoris fundandam, ſed ſolùm ad declarandam obſcuritatem &c.*

191 *Cuinam parti Judex deferre debeat juramentum neceſſarium? Et nu. ſeqq.*

*Ceteris paribus illud Reo potiùs eſt deferendum. Ibid.*

192 *Idque probatur.*

193 *Solvuntur contraria. Et n. ſeqq.*

194 *Juramentum tunc non defertur Reo ad complendam ſuam probationem, ſed ad purgandam præſumptionem contra ipſum.*

195 *Si Actor ſemiplenè probaverit, Reus autem nihil præſtiterit, ſintque ambo æquè Legales, tunc juramentum eſt actori deferendum.*

196 *Delationi juramenti neceſſarii quando ſit locus?*

297 *Si non omnia ſunt paria ex parte Actoris & Rei, Judicis arbitrio relinquitur, cuinam parti juramentum differre debeat.*

198 *In præeligendo, cui parti Judex deferat juramentum, quatuor ſunt conſideranda; videlicet.*

199 *Conditio perſonarum.*

200 *Natura cauſarum.*

201 *Quantitas rerum, &*

202 *Qualitas factorum: & quomodo?*

203 *Ut juramentum in ſupplementum poſſit Actori deferri, decem copulativè requiruntur; & quæ?*

Quæritur I. An, & quando deferri, ac peti poſſit juramentum neceſſarium, ſeu ſuppletorium? Reſp. I. Regula eſt, quòd juramentum in probationis ſupplementum à Judice deferri poſſit. Ita Socinus *in Fallentiis, Reg. 204.* ſubjungens poſtmodùm octoginta fallentias dictæ Regulæ, quæ ex dicendis meliùs patebunt, ne ſimul prolatæ Lectoris confundant memoriam. 164

Reſp. II. Juramentum neceſſarium, ſive ſuppletorium, poteſt Judex deferre non tantùm ad petitionem partis; ſed etiam ex officio ſuo, ſive neutra parte petente, quandocunque ita expedire judicaverit. Ita Abbas *c. ult. § Sanè, n. 15 h. t.* Maſcard. *de Prob. Concl. 958. n. 47.* Alexander *Conſ. 53. n. 5. lib. 1.* Fachin *lib. 1. Contr. Iur. c. 16.* Gailus *lib. 1. pract. obſerv. 108. n. 4.* Pirhing *h. t. n. 98* & alii; quamvis Bartolus *in l. Admonendi, n. 60.* & Baldus *ib. vol. ult.* & Jaſon *in Repetit. n. 316. ff. de Iureiurand.* concludant, quòd Judex ex officio ſuo non poſſit deferre hoc juramentum, ſed illud de neceſſitate debeat peti: quia (inquiunt) Judex regulariter officium ſuum non debet impertiri, præſertim ad privatam partium utilitatem, niſi fuerit imploratum, *L. 4 §. Hoc autem judicium, ff. de Damno infecto*: unde imputet ſibi pars, quòd in proceſſu cauſæ poſt didicita teſtificata ſibi juramentum deferri non poſtulaverit; nam jura vigilantibus, non dormientibus ſcripta ſunt, *l. pupillus, ff. Quæ in fraudem credit.* verùm his non obſtantibus

166 Probatur Concluſio ex *c. ult. §. ſi h. t.* ubi Judicis arbitrio relinquitur, inſpectis perſonarum, & cauſæ circumſtantiis, juramentum iſtud Reo, vel potius Actori deferre; ergo, ſi ita expedire viderit, poterit illud etiam ex officio, ac nemine petente deferre. Accedit, quòd Judex uſque ad ſententiæ prolationem debeat univerſa rimari, *can. Iudicantem, 30. q. 5.* & *c. Cùm Ioannes, 10. §. Ad hoc autem, de Fide inſtrum.* Ac rei veritatem plena inquiſitione diſcutere, *l. Iudices oportet, C. de Iudiciis.* Et quandocunque æquitas poſtulaverit, durante judicio partes interrogare, *l. Ubicunque, ff. de Interrogation. in jure faciend.* Ergo etiam deferre juramentum parti, ut veritate meliùs probata juſtè judicet.

167 Nec obſtat ratio oppoſitæ ſententiæ, ſeu quòd Judex non imploratus non teneatur impendere officium ſuum. Tum quia ſatis eſt, quòd pars ab initio, vel in proceſſu imploraverit officium Judicis pro adminiſtratione juſtitiæ, inſerta Libello clauſula illa ſalutari, quæ communiter adiici conſuevit: *Peto mihi jus & juſtitiam adminiſtrari.* prout reſpondet Abbas *c. n. 15* & And. Gailus *li. 1. Pract. Obſerv. 108. n. 6. & 7.* referens, ita fuiſſe practicatum in Camera. Tum quia ex officio incumbit Judici, ut ſi quod dubium circa deducta in judicium ſuperſit, illud per interrogationes, & alios modos ſuppleri, & tolli procuret; ut jam dictum, ac notat Pirhing *h. t. n. 98.*

168 Per hoc tamen non negatur, quin etiam pars litigans poſſit petere delationem juramenti; dummodò petitio illa concipiatur imperſonaliter, non autem concludendo, ut ſibi deferatur. Et hujus limitationis ratio eſt: tum quia ad arbitrium Judicis pertinet inſpicere, utrùm Reo, vel Actori potiùs illud ſit deferendum, *c. ult. §. Sanè, h. t.* Tum quia, ſi quis perſonaliter peteret ſibi deferri juramentum, hoc ipſo redderet ſe ſuſpectum; prout etiam teſtis ſponte ſe ingerens, ſeſe ſuſpectum reddit, *l. Quæ omnia, §. Sed & ſi, ff. de Procur.* Abbas *l. c. n. 15.* & nonnulli alii apud Maſcardum *d. Concl. 958. n. 57.* Quamvis hoc ultimum neget Fachineus *cit. lib. 1. Contr. Iur. c. 16. in fine,* & Pirhing *h. t. nu. 99.* eò quòd Lege permittente poſſit quis petere delationem juramenti ſibi fieri pro cauſæ dubiæ deciſione. Verùm prudentiùs agi, ſi juramentum petatur imperſonaliter, ſeu conditionaliter, in quantum expediat, cenſet cum aliis Maſcard. *ubi ſuprà, n. 58. & 59.*

169 Reſp. III. Etſi pars litigans, ſi petere voluerit delationem juramenti, eam petere poſſit uſque ad concluſionem in cauſa, & non ampliùs poſteà: nihilominus Judex ex officio poteſt juramentum neceſſarium deferre, quando ita expedire judicaverit, etiam poſtquàm à partibus concluſum fuit in cauſa, & uſque ad prolationem ſententiæ. Ita Jaſon *in Repetit. l. Admonendi, n. 318 ff. de Iurejurand.* Gailus *lib. 1. Pract. Obſerv. 108. n. 1 & 4.* Maſcardus *cit. Concl. 958, n. 50. & 55.* Pirhing *h. t. nu. 99.* cum communi. Ratio prioris partis eſt: quia per concluſionem in cauſa renunciatur ulterioribus probationibus, & partibus os clauditur; ergo poſt dictam concluſionem nequit ampliùs pars petere delationem juramenti, cum hæc ſit ſpecies quædam probationis: niſi forſan hujuſmodi juramentum ſuppletorium jam anteà fuiſſet petitum. Altera verò pars ex eo liquet: quia quoad Judicem nunquam cenſetur concluſum in cauſa, quin poſſit ex officio novas probationes admittere, vel eas partibus injungere, *c. Cùm Ioannes, 10. §. Ad hoc autem de Fide inſtrument.* eſtque uberiùs dictum *Tit. 19. De Probationibus, §. 6. num. 159. 161. & ſeqq. & 170.* ubi ex profeſſo agitur de Concluſione in cauſa, & novis probationibus poſt eam regulariter non admittendis.

Solùm his addendum eſt, quòd inter alia requiſita delationis juramenti neceſſarii in ſupplementum, etiam unum ſit, ut illud à Judice deferatur parte adverſa præſente, vel ſaltem citata, & intereſſe nolente, ſimulque cauſa cognita. Alexander *Conſil. 122. n. 13. lib. 2.* Marantа *p. 6. Speculi Aurei, Actu 9. n. 11.* Maſcardus *cit. Concl. 958. n. 60.* allegans plures alios; & concordant dicta ſuperiùs *Tit 20. De Teſtibus, §. 13 n. 418 & ſeq.* ubi hoc ipſum de productione, ac receptione teſtium dictum fuit. Accedit textum *in l. In bonæ fidei, C. de Rebus credit.* ibi: *Inopia probationum, per judicem jurejurando cauſa cognita res decidi oportet*: junctis dictis ſuprà *n. 162.* 170

Quæritur II. Utrùm, & qualiter ad delationem juramenti neceſſarii requiratur, quòd præceſſerit ſemiplena probatio? Reſp. I. Ad hoc, ut juramento neceſſario, ejuſque delationi in ſupplementum locus ſit, requiritur cum primis, quòd deficiant aliæ legitimæ probationes, ſimulque negotium ſaltem ſemiplenè ſit probatum. Ita Gl. *c. ex inſinuatione,* ℣. *Clerici de Procur.* Jo. Andreas *in c. Sicut, n. 2. & 3.* & Hoſtienſis *ib n. 2.* & Fagnanus *nu. 5. de Prob.* Socinus *l. c. Fallent. 55. & ſeqq.* Jaſon *l. Admonendi, n. 75 & in Repetit. ibid. n. 24 ff. de Iurejur.* Menochius *lib. 2. de Arbitrar. Iudic. caſ. 190. n. 2.* Barboſa *in Collect. ad d. c. Sicut, n. 4. & ſeqq. de Probat.* Maſcard. *de Prob. Concl. 958. n. 3. & ſeqq.* cum communi. 171

Prior pars patet ex *cap. Sicut, 2. hoc. tit.* ubi deciſum reperitur, quòd *tunc demum ad hujuſmodi* (juramenti) *ſit ſuffragium recurrendum, cùm aliæ legitimæ probationes deeſſe noſcuntur*: eſtque proximè dictum *numer. 159. & 160.* Accedit ratio: quia probatio illa, quæ habetur ex juramento, eſt probatio privilegiata; hoc eſt, in defectu aliarum probationum facta ex teſtimonio ſuo in propria cauſa, contra Regulas communes, *Ne quis in propria cauſa &c.* juncta Gloſſa *numer. 151.* ergo hoc ipſo, quandiu poſſunt haberi aliæ legitimæ probationes, locus non eſt huic juramento; utpotè deferendo duntaxat in ſupplementum, ſeu defectum aliarum probationum. Concordat textus *in l. In bonæ fidei, C. de Rebus creditis*: ubi dicitur, quòd *Inopia probationum* (emergente, ut explicat Gloſſa) *per judicem jurando cauſa cognita res decidi oportet.* 172

Altera verò pars, requirens ad delationem juramenti ſuppletorii, quòd negotium ſaltem ſemiplenè ſit probatum, communiter poſt Gl. *cit. l. In bonæ fidei,* ℣. *Decidi, C. de Rebus credit* ſuadetur ex eo: Quia, ſi Actor nihil probavit, abſolvendus eſt Reus, etiamſi is nihil præſtiterit, *l. Qui accuſare, Cod. de Edendo, & cap. Cùm Eccleſia, §. fin. de Cauſa poſſeſſ.* unde nec opus eſt, quòd tunc Reus juret. Si autem Actor plenè probavit, Reus eſt condemnandus, *c. c. Sicut, 2. & c. In præſentia, 8. de Probation.* ac proinde etiam in hoc caſu non eſt locus juramento ſuppletorio. Remanet proinde, quòd tunc demum poſſit deferri juramentum neceſſarium, ſive in ſupplementum, quando præceſſit ſemiplena probatio, v. g. per unum teſtem omni exceptione majorem; ſimulque aliæ legitimæ probationes haberi non poſſint. Prout eſt caſus *in c. Ex Inſinuatione. 3. de Procurat.* ubi Archidiacono, qui duobus Clericis præſentibus Procuratorem ſuum ſe ſe revocaſſe dixerat, iſtud tamen cùm alter de prædictis Clericis jam obiiſſet, plenè probare non poterat, defertur juramentum in ſupplementum; adeò, ut Pontifex mandaverit, ſtandum eſſe juramento ipſius Archidiaconi, & ſuperſtitis Clerici. Idem ergo dicendum in aliis hujuſmodi caſibus. 173

Reſp. II. Ob ſolam præſumptionem levem, ſeu quæ prudenti arbitrio Judicis eſt minor ſemiplena probatione, nunquam poteſt Actori deferri juramentum iſtud in ſupplementum. Ita Gloſſa *in L. 3.* ℣. *Si levior. ff. de Minorib.* Abbas *c. ult. §. Sanè. nu. 8. h. t.* quamvis addat conformiter illi textui, quòd tunc, ſi videbitur Judici, poſſit Reo deferri juramentum ad purgandam illam præſumptionem. Socinus *de Fallentiis, Reg. 204. Fallent. 73.* Jaſon *in Repetit. l. Admonendi. n. 75. ff. h. t.* & alii. Ratio eſt: quia iſtud juramentum ſupplet, & facit perfectam ſeu plenam probationem; ergo oportet, quòd præceſſerit ſemiplena. 174

Nec obſtat Gloſſa *c. Tam litteris.* ℣. *Probata, de Teſtib.* 175

Bartolus in l. Admonendi. §. 5. Poſt dubitationem autem. ff. de Jureiurand. Alexander Conſil. 53. nu. 6. vol. 1. Baldus poſt Jo. Aretin. in l. Si fundum, ad fin. C. de Rei vendicat. qui volunt, quòd ſi actor habeat pro ſe præſumptiones, vel conjecturas, juramentum iſtud ſit deferendum in ſupplementum. Reſp. enim, Gloſſam præallegatam loqui in caſu, quo Actor habet bonam præſumptionem pro ſe (hoc eſt, non levem duntaxat, ſed talem, quæ faciat ſemiplenam probationem, ex variis indiciis arbitrio Judicis deſumptam) habito reſpectu ad qualitatem perſonæ, & cauſæ, cap. ult. de Jurejurand. Bartolus etiam loc. cit. §. Videnda ſunt ergo exempla &c. clarè ſe declarat, quòd anteà locutus fuerit de coniecturis ſemiplenam probationem facientibus, quarum poſteà adducit exempla. Atque eodem modo intelligendi ſunt cæteri Authores, vel certè relinquendi, retenta communi aliorum ſententia, quòd propter levem præſumptionem nunquam à Judice ſit deferendum iuramentum in ſupplementum probationis: poſſit tamen iſtud in cauſis civilibus deferri propter bonam, ſeu vehementem præſumptionem; hoc eſt, propter tales conjecturas atque indicia, quæ faciunt ſemiplenam probationem.

176 Veruntamen quando indicia, ſeu coniecturæ, atque ipſa præſumptio ſit tam vehemens, ut ſemiplenam probationem faciat, Judicis arbitrio relinquendum erit. Jaſon cit. num. 75. Menochius d. lib. 2. caſ. 190. n. 3. & concordant dicta ſuperiùs Tit. præced. §. 1. num. 17. & alibi, prout ibidem notatur.

177 Reſp. III. Quamvis probatio facta per unum teſtem de viſu deponentem, atque omni exceptione maiorem, poſſit ſuppleri per præſtationem iuramenti neceſſarii, ſeu in defectum aliarum probationum à Judice delati; ſecùs tamen dicendum, quando teſtis ille non eſt maior omni exceptione; ut putà, quia eſt conſanguineus, aut multum amicus parti, vel malæ converſationis, infamis, aut alias ſuſpectus. Ita Abbas cap. ult. §. Sanè, numero 12. h. t. Bartolus l. Admonendi, circa fin ff. h. t. Socinus cit. Reg. 204. fallent. 54. Maſcardus Concl. 958. n. 9. & 10. cum aliis. Et quidem prima pars patet ex capit. Ex inſinuatione. 3. de Procuratorib. & aliis hactenus dictis. Altera verò pars ſuadetur ex eo; quia teſtis ille conſanguineus parti, vel infamis, aut huiuſmodi, non eſt teſtis omni exceptione Maior, ſicque hoc ipſo non facit ſemiplenam probationem; ergo nec defertur iuramentum in ſupplementum ratione ſui teſtimonii, cùm exinde non poſſit conſurgere plena probatio; ſicque iuramentum illud non niſi fruſtrà deferretur.

178 Reſp. IV. Inſuper non defertur iuramentum ſuppletorium, ubi contra ſemiplenam probationem urget econverſò aliqua probatio, vel præſumptio contraria; quia tunc probatio illa cæteroquin ſemiplena extenuaretur atque enervaretur, ſicque non remaneret talis; ac proinde foret inſufficiens pro delatione hujus iuramenti. Ita Gloſſa in L. 1. ℣. Non ſit. C. Qui & adverſus quos &c. Jaſon in Repetit. l. Admonendi. n. 24. ff. h. t. Socinus cit. Reg. 204. fallent. 61. Maſcardus, ubi ſupra, n. 23. Poſt Rotam Deciſ. 19. de Dolo & contumac. in nov. & plurimos alios.

179 Secùs dicendum, ubi ſemiplena illa probatio non debilitaretur. Hinc defertur juramentum in ſupplementum ex depoſitione unius teſtis omni exceptione majoris, ac reddentis rationem dicti ſui, etiamſi habeat contra ſe alium teſtem non reddentem rationem: quia talis teſtis nihil probat, ſicque per eum non debilitatur depoſitio alterius teſtis cum ratione. Farinacius de Teſtibus, quæſt. 70. n. 20. Felinus c. Cùm cauſam. n. 4. verſ. Fallit quartò, de Teſtib poſt Baldum l. De quibus. ff. de Legib.

180 Quæritur III. Quid ſentiendum ſit de Legalitate perſonæ, ad delationem juramenti neceſſarii requiſita? Reſp. I. Ad hoc, ut cuipiam deferatur à Judice juramentum neceſſarium, ſive in ſupplementum probationum, requiritur etiam Legalitas perſonæ: hoc eſt, quod perſona illa, cui deferendum eſt iuramentum, ſit honeſta, & fide digna; non autem ſit vilis, infamis, ſeu talis, quæ ſecundùm Leges à ferendo teſtimonium repellitur. Ita Abbas cap. ult. §. Sanè, n. 9. h. t. Bartolus in l. Admonendi. n. 58 & Jaſon ibid. n. 113. ff. de Jurejurand. Socinus cit. Reg. 204 fallent. 43. & ſeqq. Maranta part. 6. Speculi Aurei, Actu 9 ſeu de Juramento. n. 5. & 6. Fagnanus c. Sicut. n. 6. de Probat Menochius lib. 2. de Arbitrar Iudic. caſ. 190. n. 12. Maſcardus de Probat. Concl. 958. n. 66. & ſeqq. allegans alios. Ratio eſt: quia juramentum neceſſarium, ſeu delatum à Judice in ſupplementum, ſuccedit loco teſtis, ut loquitur Jaſon cit. n. 113. poſt Cynum l. In bonæ fidei, in quæſt. 7. C. de Rebus creditis, Bartolum, Baldum, & alios; ergo, qui ſecundum Leges repelluntur à ferendo teſtimonio in judicio, multò fortiùs repelluntur ab iſto juramento, utpote quo tota lis decidenda foret.

181 Unde juramentum in ſupplementum non defertur infami infamia juris. vel facti, uſurario, Judæo, nec ei qui ſemel pejeravit, nec inimico gravi inimicitia, nec concubinario, nec pauperi ſuſpecto de perjurio, nec adultero, qui ratione maculæ, ſeu vitii, aut defectus repellitur à teſtificando: de quibus fusè dictum eſt ſuprà Tit. 20. de Teſtibus § 2 & 3. & ſeqq. ac notant Doctores proximè relati, & alii.

182 Secùs dicendum de illis, qui repelluntur à teſtimonio ratione ſexus: ut mulieres, quæ licèt non admittantur ad teſtimonium in teſtamentis, cauſiſque feudalibus, juxta dicta cit. Tit. 20. nu. 88 89. & 90. poteſt nihilominus etiam mulieribus hoc juramentum deferri, ut notat Maſcardus cit. Concl. 958. n 60. & n 34. allegans Rotam apud Puteum Deciſ 430. lib. 2. & Jaſon in Repetit. l. Admonendi. n 298. & 299. ff. h. t.

183 Idem dicendum de illis, qui repelluntur à teſtimonio in judiciis ratione ſolius reverentiæ, ſeu conſanguinitatis, affectionis, aut commodi: quia enim probatio, quæ per juramentum ſuppletorium quandoque conceditur, eſt irregularis, & privilegiata; eò quòd ſingulari quodam Jure admittatur contra Regulas communes, Ne quis ſit teſtis in propria cauſa &c. dum vi hujus iuramenti poteſt reddi teſtimonium in cauſa propria: non eſt quærendum de conſanguinitate, amicitia, vel commodo ejus, qui illud iuramentum eſt præſtiturus, dummodò cæteroquin ſit perſona honeſta fideque digna, neque aliud quid obſtet. Maſcardus loc. cit. n. 70. poſt Joan. Bapt. Caccialupum in l. Admonendi. n. 52. ff. h. t.

184 Reſp. II. Ut iuramentum ſuppletorium cuipiam per Judicem deferatur, neceſſe etiam eſt, ut is veriſimiliter exiſtimetur noſſe veritatem rei per veram ſcientiam, ſeu proprium ſenſum corporeum. Ita Gloſſa l. In bonæ fidei. ℣. Decidi. ff. de Rebus credit. iſtud probans ex l. Iusjurandum & ad pecunias. ff. de Iurejurand. & l. Marcellus. §. Qui rerum. ff. de Action. rerum amotar. Bartolus in l. Admonendi. n 57. & Jaſon in Repetit. ibid. n. 312. ff. h. t. Maſcardus d. Concl. 958. n 61. & ſeq. Maranta cit. part. 6 Speculi Aurei, Actu. 9. nu. 5. & alii. Ratio eſt: quia hoc ipſum exigit legalitas perſonæ in jurante requiſita; nam apertum foret periculum periurii, ſi quis cogeretur juramentum de veritate, quale eſt juramentum ſuppletorium, deponere quoad illam rem, cujus veram notitiam per ſenſum corporeum non habet. Accedit, quòd juramentum iſtud æquiparetur teſti, utpote cum quo conſtituit plenam probationem, ſeu ſufficientem ad deciſionem cauſarum: atqui teſtis non probat, niſi deponat de veritate per proprium ſenſum corporeum, can. Teſtes. 3. q. 9. & l. Teſtium C. de Teſtib. ergo nec jurans, niſi deponat de proprio ſenſu.

185 Et hinc fit, quòd juramentum in ſupplementum non deferatur Hæredi ſuper facto Defuncti: quia videlicet iſtud veriſimiliter ignorare præſumitur, ſicque ſubintrat periculum periurii. Patet hoc ex cit. l. Marcellus. §. Qui rerum. ff. de Action rer. amotat. ubi ſic habetur: Pater autem amoventis jurare non cogitur: cum iniquum ſit de alieno facto alium jurare. Is ergo cogitur jurare, qui amoviſſe dicitur: & idcircò nec heres ejus, qui quæve amoviſſe dicitur, jurare cogitur. Hæc ibi. Adeò, ut non ſufficiat; habere notitiam aliunde, putà per famam, vel confeſſionem extrajudicialem adverſarii: quia, ut cuipiam iſtud juramentum deferatur, neceſſe eſt, quòd præſens interfuerit facto, ſciatque veritatem per proprium ſenſum, arg. l. Generaliter. §. 1. juncta Gloſſa ℣. A principali, & Baldo ib. C. de Rebus creditis, ac notat Alexander Conſil. 73. n 13. lib. 3. Jaſon cit. n. 312 Maſcardus d Concl. 958. n. 63. & 64. ubi iſtud procedere inquit in Hærede extraneo: ſecùs in Filio, vel alio coniuncto hærede, qui veriſimiliter præſumitur ſcire factum Defuncti per proprium ſenſum ſicque ipſi poſſet deferri juramentum in ſupplementum.

Quæ-



186 Quæritur IV. An ad delationem iuramenti neceſſarii etiam requiratur parvitas cauſæ? Reſp I. Juramentum iſtud non eſt deferendum parti à Judice in cauſis arduis, magnique præjudicii, ſed duntaxat in parvis, ſive modicis. Ita Gloſſa in cap. ult. ℣. In probatione. & Canoniſtæ ibid. h. t. & alia Gloſſa in l. Admonendi. ℣. Exacto, & Bartolus ibid. §. Viſo ergo quando, & Jaſon num. 271. ff. de Jureiurand. Alexander Conſil. 180. n. 7. lib. 6. Maranta cit. Act. 9. nu. 7. Menochius lib. 2. de Arbitra. Judic. caſ. 190. n. 18. Maſcardus cit. Concl. 958. n. 30. Barboſa c. Sicut. n. 44. & ſeqq. de Probat. & alii. Ratio eſt: quia in modicis non eſt præſumptio, quòd pro tanto quis velit delinquere, aut peieràre, cap. Et ſi quæſtiones. 18 §. fin. de Simonia, iuncta Gloſſa ibid. ℣ Modici pretii, & alia Gloſſa in c. Statutum. §. Inſuper. ℣. Conſumi, de Election. in 6. ſicque tunc defertur iuramentum illud. Secùs dicendum in cauſis arduis, magnique momenti; utpote in quibus ob avaritiam hominum malus urget periculum periurii, graviſque præiudicii proximo iniuſte inferendi. Accedit, quòd in cauſis criminalibus criminaliter motis (quibus æquiparantur cauſæ civiles arduæ, magnique præiudicii, iuxta dicta Tit. 20. de Teſtibus. §. 3. nu. 81.) ad Reum condemnandum requirantur probationes apertiſſimæ, ac luce meridiana clariores, l. Sciant cuncti. C. de Probat. cum ſimilibus: atqui talis probatio luce meridiana clarior, non eſt iuramentum ſuppletorium; cùm non reddat rem penitùs indubitatam, imò nec ſit legitima aliqua probatio, juxta dicenda n. 211.

187 Cæterùm cauſa ardua, magnique præiudicii, meritò cenſetur ea, quæ eſt unius hæreditatis, vel omnium bonorum, aut maioris partis horum, arg. l. Propter litem. § 1 ff. de Excuſat. tutor. eſtque iam dictum ſuprà Tit. 20. de Teſtibus. §. 3. nu. 81. Alioquin verò, quænam cauſa cenſeatur modica, & quæ magna, id inſpecta qualitate cauſæ, atque perſonarum, Judicis arbitrio relinquitur decidendum: nam v. g. cauſa ducentorum florenorum inter duos Reges cenſeretur modica, & parva, ſed inter duos cives reputaretur magna, Bartolus in l. Admonendi § Sed eſt advertendum, & Jaſon in Repetit. ibid. n. 272. ff. h. t Menochius cit. caſ 170. n. 17 Maſcardus d. Concl 958. n. 31. Pirhing. h. t. n. 96. & alii. Inſuper inter cauſas arduas recenſentur cauſæ criminales, & cauſæ ſpirituales, putà, matrimoniales, beneficiales, & nonnullæ aliæ, de quibus infrà n. 216. 217. & ſeqq.

188 Reſp. II. Patitur nihilominùs data Concluſio limitationem, quando fuit plus, quàm ſemiplenè probatum: quia tunc iuramentum in ſupplementum defertur etiam in cauſis arduis, magnæque quantitatis dummodò perſona ſit honeſta, arg. L. ult. ff. De eo quod metus cauſa &c. Ita Gloſſa fin. c. Viduas, de Regularibus. Maſcardus d. Concl. 958. n 33. Jaſon in Repetit l Admonendi. n. 281. ff. de Iurejurand. iſtud intelligens, quando ultra ſemiplenam probationem aliquid eſſet adductum, vel adeſſet aliqua alia præſumptio, aut produxiſſet quis duos teſtes, quorum unus non eſſet integer: quo caſu ſaltem haberetur plus quàm ſemiplena probatio; ac proinde, ſi perſona cæteroquin ſit honeſta, poteſt ei Judex etiam in cauſa ardua, ſeu gravi, deficientibus aliis probationibus deferre iuramentum neceſſarium, per textum cap ult. §. Sanè. h. t. Idipſum tradunt Jo. Guttierez tract. de Matrimonio, c. 38. n. 4. Alexander Conſil. 76 n. 6. lib. 6. Barboſa cit. c. Sicut. n. 45. de Probat. Pirhing. h. t. n 96. Gailus lib. 1. practic. Obſervat. 108. n. 11. Franciſcus Herculanus Tom. 4. Tractatuum, tract. de Negativa probanda. n. 235. pluresque alii ab his allegati.

189 Addit idem Herculanus cit. num. 235 & Maſcardus, ubi ſuprà n. 34. etiam in cauſis criminalibus deferri hoc iuramentum, quando eſt plus, quam ſemiplenè probatum. Quamvis iſtud in praxi non facilè ſe admiſſurum, ſi agatur de pœna corporali etiam levi imponenda, ſed ſolùm ubi Reo deberet imponi pœna pecuniaria, fateatur Jul. Clarus in Pract. crimin. §. fin. quæſt. 63. n. 2. & 3. Concordant dicenda inferiùs num. 212. & ſeq. ubi plura de hoc.

190 Limitatur ulteriùs dicta Concluſio, quando non agitur ad totam intentionem Actoris fundandam, ſed ſolùm ad declarandam obſcuritatem fundamēti adiuvantis dictam intentionem: quia tunc iuramentum in ſupplementum defertur etiam in cauſa magna. Card. Tuſchus Lit. I. Concl. 540. n. 82. citans Baldum Conſil. 297. n. 3. lib. 3. & Barboſa, ubi ſuprà, n. 45.

Quæritur V. Cuinam parti Judex deferre debeat iuramentum neceſſarium, num Actori in ſupplementum ſuæ probationis, vel potiùs Reo ad purgationem ſui, ſeu ad oſtendendam ſuam innocentiam? Reſp. I. Cæteris paribus, Reo potius deferendum eſt iſtud iuramentum, non Actori. Ita Gloſſa in l. Admonendi. ℣. Exacto iureiurando. ff. h. t. enumerans plures caſus, in quibus Actori defertur iuramentum; & ſubiungens, quòd ubi Reus ita eſt honeſtus ut Actor, & ſumma non eſt modica, deferatur Reo iuramentum. Speculator tit. de iuramenti delatione num 9. referens nonnullas alias Doctorum ſententias, ſed hanc appellans veriorem. Abbas cap. ult. §. Sanè nu. 9. h. t. & Barboſa in Collectan. ib. n. 6. aliique Canoniſtæ paſſim. Maſcardus de Probat. qu. proœm. 9. n 53. Menochius de Arbitrar. Judic. l. 2 caſ. 190. n. 19. aſſerens, iſtud levem habere dubitationem. 191

Concluſio hæc clarè deſumitur ex cit. cap. ult. § Sanè. h. t. ubi dicitur: Sanè ſi actor omnino in probatione defecerit, reus debet, etſi nihil præſtiterit, obtinere. Præſumptione verò faciente pro illo (videlicet pro Actore, ut explicat Gloſſa) Reo deferri poteſt ad oſtendendam ſuam innocētiam juramentum, niſi Iudex (inſpectis perſonarum, & cauſæ circumſtantiis) illud Actori videat deferendum. Hiſce enim verbis Regula ſtatuitur pro Reo, quæ tamen limitatur, quando Judici inſpectis perſonarum, & cauſæ circumſtantiis, aliud videtur faciendum. Atqui talis limitatio nequit ſubſiſtere, ubi cætera ſupponuntur eſſe paria: putà, quia Actor ſemiplenè probavit ſuam intentionem, & Reus ſuam defenſionem, eſtque æqualis conditio, atque legalitas utriuſque; ergo. Accedit ratio: quia, ut habet Reg. 11. Juris in 6: cùm ſunt partium iura obſcura, reo favendum eſt potiùs quàm actori: ac proinde illi deferendum eſt iuramentum ſuppletorium, ad oſtendendam ſuam innocentiam. Nam favorabiliores Rei potiùs, quàm Actores habentur, ut dicitur l. Favorabiliores. ff. de Reg. Iur. 192

Dices. In relato cap. ult. §. Sanè. h. t. ſolùm dicitur: Reo deferri poteſt ad oſtendendam ſuam innocentiam iuramentum &c. ergo ſi tantùm poteſt, non neceſſariò debet iſtud regulariter deferri Reo. Confirmatur hoc ipſum ex cap. ult. de Teſtib. in 6. nam ibi loquendo de delatione iuramenti neceſſarii, ſolius Actoris fit mentio, illis verbis: Neque indiſtinctè ipſi appellanti deferatur iuramentum; ſed tunc, cum inſpectis perſonarum, & ipſius cauſæ circumſtantiis id fuerit faciendum. Reſp. neg. conſequent. Quia in priori textu, ut notat Abbas ibid. num. 3. ideò ponitur ly Poteſt, eò quòd Judex non ſemper teneatur de neceſſitate deferre iuramentum, etiam præſumptione faciente pro Actore; ſed ipſe habeat iſtud arbitrari, conſideratis perſonarum & cauſæ circumſtantiis. Ad cap. ult. de teſtib in 6. dicitur, ibidem ſolùm corrigi Judicem, qui indiſtinctè juramentum detulit appellanti, ſeu Actori: & ſic in effectu providetur ibi, prout habetur cap. ult. h. t videlicet, juramentum neceſſarium non eſſe deferendum Actori, niſi ſpectatis perſonarum, & cauſæ circumſtantiis, ita Judici videatur expedire. Abbas loc. cit. n. 9. circa fin. 193

Urgebis. Si Actore duntaxat ſemiplenè probante, Reus habet econtrà ſemiplenam probationem pro ſua defenſione atque innocentia; tunc per hanc eliditur ſemiplena probatio Actoris; ergo fruſtrà Reo defertur juramentum in ſupplementum; cùm cæteroquin Actore non probante Reus ſit abſolvendus. Reſp. neg. conſequent. Quia, ut notat Abbas cit. cap. ult. §. Sanè, nu. 9. h. t. tale juramentum tunc non defertur Reo ad complendam ſuam probationem, ſed ad purgandam præſumptionem illam, quæ ex contraria Actoris probatione contra ipſum cōſurgebat: ſive ad oſtendendam ſuam innocentiam, ut loquitur textus ibid. Accedit, quòd quidem Actori non poſſit deferri juramentum iſtud, niſi habeat pro ſe ad minùs ſemiplenam probationem, juxta dicta n. 171. & 173. benè tamen Reo: quia, ut illud Reo deferatur, ſufficit qualiſcunque urgens probatio; putà; habita per unum bonum teſtem, licèt non ſit omni exceptione major, ſicque non faciat ſemiplenam probationem. Siquidem, ut proximè dictum, juramentum ejuſmodi non defertur Reo ad complendam ſuam probationem, ſed ne remaneat ſuſpicio contra eum, inquit Abbas loc. cit. 194

Quòd

195 Quòd ſi verò Actor & Reus ſint æquè legales, atque vitæ honeſtæ, Actor verò ſemiplenè probaverit ſuam intentionem, v. g. per unum teſtem omni exceptione majorem, Reus autem nihil præſtiterit, ſed ſolùm negaverit, tunc crebrior, veriorque eſt Doctorum ſententia; quod penſatis omnibus circumſtantiis cauſæ, & perſonarum, atque repertis, ut ſuprà, juxta prudens arbitrium Judicis, Actori deferendum ſit juramentum memoratum; prout relatis, atque rejectis aliorum ſententiis, tenet Jaſon *cit. Repetit. l. Admonendi, n. 314. ff. h. t.* Menochius *d. lib. 2. de Arbitrar. Judic. caſ.* 190 *n.* 19. *&* 20. Pirhing *h. t. n.* 90. Fachineus *lib. 1. controverſ. jur. c.* 18. aſſerens, ita ſemper ſe ſervaſſe, atque ab aliis ſervatum vidiſſe. Idipſum ſuadetur ratione: quia ex ſemiplena probatione Actori facilè Judex inducitur ad opinandum, meliorem eſſe cauſam ipſius, quam Rei, quem videt nihil prorſus præſtitiſſe ſed duntaxat Actoris intentionem negaſſe; unde cùm Reum abſolvere non poſſit, nec debeat, cum ſit penè convictus; neque ipſum ſimpliciter condemnare valeat, quia Actoris intentio plenè probata non eſt, meritò quidem ex probationis inopia cauſam jurejurando decidet, *l. In bonæ fidei C. de Rebus credit.* Reo tamen juramentum non deferet, cùm jam ſuſpicetur ipſemet Judex, ac penè certus ſit, eum mentiri, ac ex parte ipſius periculum ſubeſſe perjurii, Actorem econtrà verum dicere. Accedit, quòd tunc nulla ſubſit ratio, ut potiùs Reo juranti in propria cauſa credatur quam Actori, qui jam de ſuo jure aliqua ex parte docuit; ergo æquitas naturalis ſuadet, ut deferatur juramentum Actori, pro quo ſtat major præſumptio. Atque ad hunc caſum inter alios excludendum notanter in data *n.* 191. Concluſione additum fuit ly, *Cæteris paribus.*

196 Inſtabis contra eandem Concluſionem. Non videtur quòd unquàm poſſit eſſe locus delationi juramenti neceſſarii; ergo adhuc data Concluſio non ſubſiſtit. Antecedens probatur. Vel enim Actor plenè probat, & Reus debet condemnari, *c. Sicut de Probat.* cum concordantiis: vel non plenè probat, & Reus debet abſolvi, etiamſi nihil præſtiterit, *cap. ult. h. t.* ergo nunquam erit locus huic juramento. Reſp. negando antecedens, cum conſequentia ſuæ probationis: hæc enim fit à partibus non ſufficienter enumeratis, & debet addi tertium membrum; ſcilicet, *Aut Actor aliquid probat, ita ut fiat præſumptio pro eo.* Atque in hoc ultimo caſu eſt locus delationi juramenti: quod quidem ordinariè, & cæteris paribus, dicitur eſſe deferendum Reo ad oſtendendam ſuam innocentiam; niſi aliud penſatis perſonarum, vel cauſæ circumſtantiis Judici videatur. Abbas *ibid. n.* 5. *&* 9. Quod ut meliùs intelligatur

197 Reſp. II. Quando non omnia ſunt paria ex parte Actoris & Rei, tunc Judex prudenter ſpectatis circumſtantiis arbitrari debebit, cuinam parti juramentum deferre debeat. Textus eſt *in cap. ult. §. Sanè, h. t.* cujus verba *n.* 192. jam ſunt relata: ubi Gloſſa *V. In probatione.* Abbas *n.* 9. Jo. Andreas *n.* 6. aliique paſſim.

198 Porrò in præeligendo, cui parti Judex deferat juramentum quatuor ſunt conſideranda; videlicet, conditio perſonæ, natura cauſarum, quantitas rerum, & qualitas factorum. Abbas *cit. cap. ult. §. Sanè, n.* 9. *h. t.* juncto textu *ibid.* dum inquit: *Niſi judex inſpectis perſonarum, & cauſæ circumſtantiis, illud Actori videat deferendum.* Nam ad circumſtantias perſonarum & cauſarum, enumerata quatuor capita commodè reducuntur: idque declaratur inductione. Et quidem

199 Imprimis *conditio perſonarum* attenditur penes earum legalitatem: ut videlicet juramentum neceſſarium non deferatur perſonæ infami, vili, aut alias ſuſpectæ de perjurio; ſed duntaxat perſonæ legali, ſeu honeſtæ, ac fide dignæ. Unde quando Reus eſt perſona vilis, infamis, ſeu alias de perjurio ſuſpecta. Actor verò eſt multùm legalis ac honeſtus, potiùs huic, ſemiplenè probanti, deferendum eſt juramentum in ſupplementum quam Reo. Gloſſa *in l. Admonendi V. Exacto juramentum,* & Bartolus *ibid. circa fin. §. Hoc præmiſſo h. t.* Abbas *cap. ult. § Sanè, n.* 9. *eod.* & alii. Ratio eſt: quia juramentum iſtud defertur in defectum probationis ad eam ſupplendam, ubi dicitur, *l. In bonæ fidei C. de Rebus creditis*; & conſequenter, ubi per juramentum non poteſt compleri probatio, illud fruſtrà deferretur: atqui ſi Actor ſemiplenè probavit, eſtque perſona legalis, non verò Reus, juramentum poteſt complere probationem duntaxat ex parte Actoris, non verò ex parte Rei; ergo tunc eſt deferendum Actori. Minor probatur: quia, ut ſupponitur, Reus non eſt perſona legalis: Atqui talis perſona non poteſt complere probationem, cùm non probet, uti patet in teſte extraneo talis conditionis, cujus teſtimonium non facit ſemiplenam probationem. Secùs foret dicendum, quando Reus eſt perſona legalis, non verò Actor: quia tunc ob eandem rationem juramentum defertur Reo potiùs, quam Actori.

Deinde *natura cauſarum* attenditur penes hoc, an cauſa ſit civilis, vel criminalis exigens probationes apertiſſimas, & luce clariores. In his quippè non defertur Actori juramentum in ſupplementum, licèt ſemiplenè probaverit: quamvis interdum poſſit juramentum deferri Reo ad oſtendendam ſuam innocentiam, & purgandam ſiniſtram ſuſpicionem, quæ contra ipſum ex ſemiplena Actoris probatione conſurgebat, juxta dicenda inferiùs *§. ſeq. n.* 25. 200

Tertiò *quantitas rerum* prudenti Judicis arbitrio venit conſideranda in cauſis civilibus. Nam ubi agitur cauſa magna atque ardua, ſeu res quæ petitur in judicio eſt magni valoris, graviſque præjudicii, pariter requiruntur probationes clariores, & apertæ: ſicque non poteſt Actori ſemiplene probanti juramentum deferri in ſupplementum, conformiter dictis ſuprà *num.* 187. ſed Reus eſt abſolvendus, niſi Judex expedire judicaverit huic deferre juramentum ad oſtendendam ſuam innocentiam, ſive quòd Actori nihil debeat, *cap. ult. §. Sanè, h. t.* Secùs dicendum in cauſis modicis, præſertim ſi Actor, qui ſemiplenè probavit, ac præſens negotio interfuit, ſit honeſtus, & multùm legalis, *arg. l. Legitimos §. 1. ff. de Legitim. tutor.* ac notat Gloſſa *in l. Admonendi V. Exacto ff. h. t.* juncto *c. Ex inſinuatione 3. de Procuratorib.* 201

Tandem *qualitas factorum* debet attendi penes hoc, ut magis ſcienti, ſeu veritatem rei per proprium ſenſum cognoſcenti, deferatur ejuſmodi juramentum, non verò ignoranti. Gloſſa marginalis *c. Tam litteris V. Probata, de Teſtib.* junctis dictis ſuprà *§. præced. n.* 184. *&* 185. Unde ſi Actor cuipiam facto præſens interfuit, ipſi potiùs ſemiplenè probanti juramentum ſuppletorium eſt deferendum; non verò Reo, qui eſt hæres alicujus defuncti, & ſolùm negat: præſumitur enim ignorare factum alienum, *l. Marcellus, ff. Rerum amotarum, & l. Quamquam, ff. Ad S. C. Vellejan.* cum ſimilibus. 202

Reſp. III. Ut juramentum in ſupplementum poſſit deferri Actori, decem copulativè requiruntur. Ita Jaſon *in l. Admonendi, n.* 24. poſt Paulum de Caſtro *ibid. ff. h. t.* & concordant cum hactenus dicta, tum proximè dicenda: atque illa ſunt ſequentia. I. Quòd cauſa ſit civilis, non criminalis, vel ſpiritualis. II. Quod cauſa non ſit famoſa, conformiter dicendis *§. ſeq. n.* 212. *&* 217. III. Quòd ſumma ſit parva. IV. Quòd Actor benè ſciat rerum veritatem, & per ſenſum corporeum. V. Quod ſit legalis, & fide dignus. VI. Quod ſemiplenè probaverit intentionem ſuam. VII. Quòd illa ſemiplena probatio non ſit eliſa per aliquam præſumptionem, vel ſuſpicionem contrariam. VIII. Quòd non ſit concluſum in cauſa. IX. Quod petatur à parte, niſi Judex ex officio cenſuerit illud eſſe deferendum. X. Quòd deferatur cauſa cognita, ſimulque alia parte præſente, vel ad hoc legitimè citata. Atque de hiſce poſtremis requiſitis jam hactenus dictum eſt à *n.* 165. & deinceps. 203

## §. VII.

## Reſolvuntur alia dubia Juramentum litis deciſorium concernentia.

*S U M M A R I U M.*

204 *In quibus cauſis poſſit, vel non poſſit deferri juramentum litis deciſorium? Et n. ſeqq.*
*Juramentum voluntarium, atque judiciale poteſt deferri, quacunque actione quis conveniatur, ac præſtitum proficit juranti. Ibid.*
205 *Dummodò ab adverſario ſibi fuerit delatum: alias ſecùs. Spontè ad jurandum ſeſe offerens, reddit ſe ſuſpectum. Ibid.*
206 *Juramento præſtito ſtandum eſt quoad litigantes, non quoad extraneos.*
*Juſjurandum alterius alteri neque prodeſt, neque obeſt. Ibid.*
207 *Juramentum neceſſarium poteſt regulariter deferri in omnibus cauſis: adeò, ut parte petente, & Judice nolente illud deferre, poſſit appellari.*
208 *Solvuntur contraria quoad alteram partem. Et n. ſeq.*
209 *Judicis arbitrio qualiter relinquatur, deferre juramentum neceſſarium?*
210 *Dantur tamen plures cauſæ, in quibus nequit deferri juramentum neceſſarium. Et n. ſeqq.*
211 *Si non poteſt deferri; ubi Lex, vel Statutum requirunt probationem evidentiſſimam, vel plenam, aut legitimam Probatio per juramentum ſuppletorium non eſt legitima probatio, ſed duntaxat privilegiata. Ibid.*
212 *Juramentum ſuppletorium nequit Actori deferri in cauſis criminalibus criminaliter intentatis.*
213 *Secùs, ubi de crimine agitur civiliter.*
214 *Vel quando pro eo debet imponi ſolùm pœna pecuniaria.*
215 *Poteſt in cauſis criminalibus aliquando deferri Reo juramentum in ſui purgationem.*
216 *In cauſis criminalibus qualis ordo hodie ſervetur?*
217 *In cauſa civili & famoſa, non defertur juramentum in ſupplementum.*
*Cauſa famoſa, quæ dicatur? Ibid.*
218 *Etiam in cauſa civili non famoſa, ſed tamen ardua, non defertur juramentum ſuppletorium.*
*Nec in cauſa Feudali, aut Fiſcali &c. Ibid.*
219. *Neque illud defertur in cauſis ſpiritualibus, v. g. matrimoniali, Monachatus, Beneficiali.*
220 *Utrùm id deferendum ſit in cauſis Sponſalium?*
*Cauſa ſponſalitia cenſetur gravis; & cur? Ibid.*
221 *Juramentum litis deciſorium, ſi deferatur, an poſſit recuſari? Et n. ſeqq.*
*Juramentum voluntarium liberè poteſt recuſari; adeò, ut non ſit opus illud referre. Ibid.*
222 *Niſi fortè inter partes jam fuerit conventum, quòd una earum juret.*
223 *Juramentum judiciale poteſt liberè recuſari, donec à Judice fuerit approbatum.*
224 *Et ratio hujus.*
225 *Sed ubi Judex illud approbavit tenetur pars aut jurare, aut referre, aut ſolvere. Et n.* 23.
226 *Conventus actione famoſa, non poteſt juramentum referre.*
227 *A ſententia lata virtute juramenti judicialis non præſtiti, an poſſit appellari?*
228 *Juramentum neceſſarium non poteſt ſine juſta cauſa recuſari.*
229 *Cauſæ juſtæ recuſandi juramentum neceſſarium, vel judiciale à Judice approbatum, ſunt plures. Et num. ſeqq.*
230 *Poteſt enim illud recuſari ratione probationis factæ, vel non factæ.*
231 *Ratione ignorantiæ.*
232 *Ratione cauſæ, ſeu ob naturam actionis.*
233 *Ex perſona deferentis.*
234 *Ex perſona ejus, cui defertur.*
236 & 236 *Practica ferendi ſententiam ex juramento, quæ ſit?*
237 *A ſententia vigore juramenti neceſſarii lata poteſt appellari.*
238 *Etiamſi quis iſtud præſtare recuſaverit, ſicque condemnatus fuerit, allegando, quòd habuerit juſtam cauſam recuſandi.*
239 & 240 *An a ſententia virtute juramenti judicialis lata poſſit appellari, eſt diſtinguendum: & qualiter?*
241 *Solvitur inſtantia.*
*Plus ſubvenitur illi, qui neceſſariò agit, quàm qui voluntariè, Ibid.*



204 QUæritur I. In quibus cauſis poſſit, vel non poſſit deferri juramentum litis deciſorium? Reſp I. Loquendo de juramento voluntario, atque judiciali, poteſt illud deferri, quacumque actione quis conveniatur: & ſi aliquis delato ſibi ab adverſario juramento juraverit, *proficiet ei juſjurandum, ſive in perſonam, ſive in rem, ſive in factum, ſive pœnali actione, vel qua vis alia agatur, ſive de interdicto.* Ita textus expreſſus *in l. Ait Prætor. 3. §. 1. de Jurejurand.* Et ratio eſt: quia *juſjurandum* tum voluntarium, ſeu conventionale, tum judiciale, ſive à parte parti delatum in judicio, *ſpeciem continet tranſactionis: majoremque habet authoritatem, quàm res judicata,* prout habetur *L. 2. ff. eod* Unde meritò ſtandum eſt tali juramento, illudque Judex tuetur.

Additur notanter in dicta Concluſione, *delato ſibi ab adverſario juramento.* Nam, ſi Reus juraverit nemine ei juſjurandum deferente, tale juramentum Judex non tuebitur: alioquin facillimè quiſque ad juſjurandum decurrens, nemine illud ſibi deferente, oneribus actionum ſe liberaret, prout dicitur *in cit. l. Ait Prætor, §. 1. ff. h. t.* Quinimò ſponte ad jurandum ſeſe offerens, reddit ſe ſuſpectum, *l. Ait Prætor, 3. §. 1. ff. h. t. & l. Si legatarius, ff. de Dolo malo.*

Dum verò ſubjungitur, *proficiet ei juſjurandum,* id eſt intelligendum quoad litigantes, ſecùs quoad extraneos: prout explicat Bartolus *ibid. in Summario.* Etenim tali juramento ſtandum eſt quidem quoad ipſos litigantes, ſicque iſtud proficiet juranti, non verò quoad extraneos: *quia juſjurandum alterius alteri neque prodeſt, neque nocet;* prout ſubdit textus *in cit. l. Ait Prætor, §. 1. ff. h. t.* eſtque jam dictum ſuprà *§. 5. n.* 14. 206

Reſp. II. Loquendo nunc de juramento neceſſario, poteſt etiam iſtud in ſupplementum probationis regulariter à Judice deferri in omnibus cauſis: adeò, ut parte petente, & Judice nolente illud deferre, poſſit appellari. Ita Bartolus *in l. Admonendi, circa fin.* & Jaſon *in Repet. ibid. n.* 315 *ff. de Jurejur.* Maſcard. *de Prob. concl.* 958. *n.* 1. *&* 2. aliique Doctores Juris Civilis: quorum ſententiam magis ſibi placere, fatetur Abbas *c. ul. §. Sanè, nu.* 2. *h. t.* quamvis Hoſtienſis, & Jo Andreas *ibid.* & nonnulli alii Canoniſtæ, quoad ſecundam partem oppoſitum teneant. Concluſio hæc quoad utramque partem deſumitur ex *l. In bonæ fidei, 3. C. de rebus creditis*; ubi ſic habetur: *In bonæ fidei contractibus, nec non & in cæteris cauſis, inopia probationum, per Judicem jurejurando cauſa cognita res decidi oportet.* Ubi ponderandum ly, *Oportet*: nam verbum illud importat neceſſitatem, *c. Oportet, 8. q. 1.* cum ſimilibus. Ac proinde, ſi ſtante legitima cauſa, ſimulque petente, nollet illud Judex deferre, poterit appellari; non minus, ac poteſt appellari, quando Judex illud deferret parti habenti juſtam cauſam non jurandi, *l. Generaliter. § Ipſe autem. C. de Rebus creditis.* 207

Dices, In *c. ul. §. Sanè, h. t.* nulla imponitur Judici neceſſitas deferendi hoc juramentum, ſed iſtud relinquitur ejus poteſtati; ibi: *Præſumptione verò faciente pro illo, Reo deferri poteſt ad oſtendendam innocentiam juramentum &c.* Atqui non omne, quod Judex poteſt, neceſſe habet facere, *l. Non quidquid, ff. de Judiciis,* ergo. Accedit, quòd Jo Andreas *cit. c. ul. n.* 3. aſſerat, in textu *c. l. In bonæ fidei. C. de Rebus creditis,* ubi alii habent litteram *Oportet,* ſeſe ibi habere litteram, *Poteſt,* quæ concordat cum *c. ul. h. t.* unde nulla exinde videtur deſumpta neceſſitas. Reſpondet Abbas *cit. §. Sanè, nu.* 3. ſeſe in aliquibus Libris vidiſſe, quòd textus *in c. l. In bonæ fidei,* habeat ly, *Oportet*: & quia huic Lecturę de facto correſpondent Exemplaria impreſſa, parum urget Codex Jo. Andreæ, veluti mendoſus. 208

Ad *c. c. ul. §. Sanè, h. t.* dicitur, ibi relinqui arbitrio Judicis, ut diſcernat, utrùm hic & nunc ſit deferendum juramentum neceſſarium (in multis enim caſibus iſtud locum non habet, ut illicò dicetur) ac præſertim, ut *inſpectis perſonarum & cauſæ circumſtantiis* cognoſcat, an dictum juramentum Reo potiùs, quàm Actori, ſit deferendum: non autem, quòd liberam habeat poteſtatem deferendi, vel non deferendi juramentum ſuppletorium, haud obſtante legitima cauſa, & petitione partium. Hoc enim manifeſtum inferret gravamen partibus litigantibus, contra *L. 1. ff. h. t.* ubi dicitur, *maximum remedium expediendarum litium eſſe jurisjurandi religionem:* unde meritò à tali gravamine, ſeu ſubtractione remedii tam opportuni ad litem finiendam, appellari poſſet. Atque hæc reſponſio confirmatur ex illis verbis, *Cauſa cognita,* quæ continentur *in l. In bonæ fidei, C. de Reb. cred.* paulò ſuperiùs relata. 209

Reſp.

210 Reſp. III. Dantur nihilominùs plures caſus, atque cauſæ, in quibus juramentum neceſſarium, ſeu in ſupplementum probationis, à Judice deferri nequit. Ita Socinus *in Fallentiis Reg.* 204. enumerans quadraginta duos tales caſus. Barboſa *c. Sicut* 2. *n.* 17. *& ſeqq. de Probat.* referens triginta tres. Jaſon *in Repetit. l. Admonendi*, *n.* 271. *& ſeqq. ff. h. t.* fuſe declarans plures tales caſus, atque cauſas, in quibus, licèt quis ſemiplenè probaverit, non defertur hoc juramentum. Proſper Farinacius *part.* 2. *Fragmentor. Criminal. Litt. I. V. Juramentum in ſupplementum*, *n.* 1235. *& ſeqq.* Maſcardus *de Probat. Concl.* 958. *n.* 38. *& ſeqq.* & alii. Idque oſtenditur inductione, referendo principaliores tales caſus, ſive cauſas.

211 Imprimis quidem juramentum in ſupplementum probationis non defertur, ubi Lex, Statutum, vel alia diſpoſitio requirunt probationem evidentiſſimam, vel plenam & indubitatam, aut luce clariorem, ſive legitimam. Socinus *loc. cit. fallent.* 1. Jaſon *n.* 282. Maſcardus *n.* 44. & alii. Siquidem probatio per juramentum ſuppletorium non eſt evidentiſſima, vel indubitata, aut luce clarior. Quinimo probatio per juramentum nec eſt legitima probatio; prout deſumitur ex *c. Inter quatuor*, 2. *& c. Tuæ* 3. *de Clericis peregrin.* ac notat Gloſſa §. *Sed furti. V. Duplicantur*, *Inſtit. de Actionib.* & alia Gloſſa in *l. Contra negantem V. Probetur*, *C. de Lege Aquil.* Jaſon *in Repetit. l. Admonendi*, *n.* 282. *ff. de Iurejurand.* Maſcardus *Concl* 955. *n.* 4. *& quæſt proœmial* 9. *n* 1. citans alios, eſtque jam dictum ſuprà *Tit.* 19. *De Probationib* §. 1. *n.* 14. Accedit, quòd hæc ſit duntaxat probatio privilegiata, juxta dicta *n.* 151. ac proinde meritò locum non habet in illis caſibus, in quibus Lege, vel Statuto requiritur probatio evidens, plena ſeu indubitata.

212 Deinde, atque deſcendendo ad caſus ſpeciales, juramentum ſuppletorium nequit à Judice deferri Actori, ſeu Accuſatori in cauſis criminalibus criminaliter intentatis: quia in his requiruntur probationes indubitatæ, & luce meridiana clariores *L. ult. C. de Probat. & can. Sciant cuncti* 2. *q.* 8. ſicque urgent dicta *n. præced.* Barboſa *cit. c. Sicut n.* 41. *de Probat.* Maſcardus *de Probation. Concl.* 958. *n.* 38. Jaſon, *ubi ſuprà*, *n.* 275. Pirhing *h. t. n.* 95. Farinacius *p.* 2. *Fragment. Litt. I. n.* 1222. *& ſeqq.* allegans communem.

213 Additur tamen, *in cauſis criminalibus criminaliter motis*; hoc eſt, in illis, in quibus agitur ad vindictam publicam. Secùs enim dicendum eſt, quando de crimine agitur civiliter tantùm ad privatam utilitatem, ſimulque actio non eſt famoſa: tunc enim poſſe deferri juramentum ſuppletorium, tenet Abbas *cap. ult. n* 13. *verſ. Mihi placet*, *h. t.* Jaſon *loc. cit. n.* 276. Iulius Clarus *in Practic. Crimin.* §. *fin quæſt.* 63. *n.* 1. citans alios.

214 Atque iſtud ultimum extenditur ad cauſam criminalem: pro qua imponi debet ſolum pœna pecuniaria: quia etiam tunc poteſt deferri hoc juramentum; ut eſſe communem opinionem, dicit Alexander *Conſil.* 66. *n.* 1. *lib* 1. & Jaſon *n.* 275. ac ſequitur Jul. Clarus *loc. cit. n.* 3. Quod tamen Farinacius *d. p.* 2. *Fragment. Litt. F. n.* 1222. ſolùm procedere inquit, quando non agitur de pœna pecuniaria magna, ſed parva duntaxat: alias ſecùs, eò quòd in cauſis etiam civilibus, magnis tamen, non deferatur iſtud juramentum in ſupplementum.

215 Additur ulteriùs, *nequit deferri Actori, ſeu Accuſatori*. Quia in cauſis criminalibus etiam criminaliter motis poteſt aliquando Judex, ſi ita expedire iudicaverit, deferre juramentum Reo in ſui purgationem, ſeu ad oſtendendam ſuam innocentiam, dum Actor crimen plenè non probavit; prout deſumitur ex *cap. ult.* §. *Sanè*, *h t.* ac eſſe communem Doctorum, teſtatur Jul. Clarus *cit. q.* 63. *n.* 4. & Farinacius *d. Litt. I. n.* 1230. allegans plurimos alios. Veruntamen non deferri juramentum purgationis ipſi Reo, quando agitur de pœna corporali infligenda, & adſunt indicia ſufficientia ad torturam, notat Barboſa *d. c. Sicut n.* 43. *de Probat.* & Farinacius *loc. cit. n.* 1231. allegans communem: tunc enim oportebit Reum ſubjicere torturæ ad eruendam veritatem.

216 Unde breviter notandum, quòd hodie in cauſis criminalibus hic ordo ſervetur. Primò, ſi Reus eſt convictus, & confeſſus, condemnatur, *l. Qui ſententiam C. de Pœnis*, cum ſimilibus. Secundò, ſi Reus non eſt confeſſus, neque convictus, multis tamen argumentis, ſeu indiciis ad torturam ſufficientibus oppreſſus; tunc ipſe ſubiicitur torturæ ad eruendam veritatem, *L.* 1. §. 1. *ff. de Quæſtion.* Quòd ſi torqueri non poſſit, tunc vel pœna extraordinaria afficitur, ſi argumenta & indicia ſint magna ſeu ſcandaloſa, atque de ſe digna aliqua pœna extraordinaria. Engel *tit. de Præſumption. n.* 7. id colligens ex *c. Litteras* 14. *eod.* Fachineus *lib.* 1. *Controverſ. iur. c.* 15. eſtque jam dictum ſuprà *Tit. præced.* §. 3. *n.* 73. Vel abſolvitur, *L.* 4. *C. de Edendo*, *& l. Abſentem ff. de Pœnis*, cum ſimilibus. Verùm in hoc caſu poſſe Reo juramentum purgationis aliquando deferri, juxta *cit. cap. ult.* §. *Sanè h. t.* patet ex dictis §. *præced. n.* 194. atque inter alios notat Julius Clarus *d.* §. *fin. quæſt.* 63. *n.* 4. aſſerens, tale juramentum purgationis locum habere, quando contra ipſum Reum non adſunt indicia, quæ ſufficiant ad torturam; atque hodie, præſertim in cauſa Hæreſis, ſervari etiam cum Laicis. Fachineus *cit. cap* 15. *in fin.* Gailus *lib.* 2. *de Pace publica*, *cap.* 7. Pirhing *h. t. n.* 95.

Tertiò, in cauſa civili & famoſa non defertur juramentum in ſupplementum. Speculator *tit. de Iuramenti delatione*, *n.* 6. iſtud probans ex *cap. ult. h. t. & L.* 1. *ff. De his, qui notantur infam.* cum ſimilibus, Barboſa *cit. c. Sicut*, *n.* 48. *de probat.* Pirhing *h. t. n.* 69. Farinacius *d. Litt. I. n.* 1210. allegans alios. Ubi dictus Farinacius poſt Cephalum *Conſil.* 127. *n.* 2. & 3. addit, quòd *Cauſa famoſa* non dicatur ea, quæ duntaxat irrogat infamiam facti, ſeu lædit alicujus opinionem apud bonos & graves viros: ſed illa tantùm, quæ juris infamiam irrogat. Et hoc (inquit) contingit tripliciter, vel ipſo jure, vel per ſententiam, vel ex genere pœnæ. In his enim caſibus requiritur plena probatio, cùm agatur de præſtantiſſimo bono famæ: nam *melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ*, Proverb cap. 22 cum concordantiis. 217

Quartò, etiam in cauſa civili non famoſa, ſed tamen ardua ſive magna, non defertur juramentum ſuppletorium. Speculator *cit. n.* 6. iſtud probans ex *l. Legitimus ff. de Legitim tutorib.* Barboſa *ubi ſuprà n.* 44 Menochius *lib* 2. *de Arbitrar. iudic. caſ.* 464. *n.* 4. & alii; eſtque jam dictum ſuprà *n.* 386. *& ſeqq.* ubi tamen nonnullæ hujus limitationes ſubjunguntur. Ulterius in cauſa feudali, ubi eſt quæſtio de feudo, non defertur juramentum, niſi poſſeſſori. Socinus *de Fallentiis*, *Reg.* 204. poſt Baldum *in L.* 1. §. *Si vaſalli, de Conſuetud. recti feudi.* Neque illud defertur in cauſa Fiſcali. Barboſa *loc. cit. n* 21. Neque in cauſa uſurarum: neque in exceptione excommunicationis, & aliis hujuſmodi caſibus, de quibus Barboſa, Socinus, Maſcardus, Farinacius, *ubi ſuprà*, aliique plures. 218

Quinto, non defertur juramentum ſuppletorium in cauſis ſpiritualibus; utputa, in cauſa matrimoniali. Gloſſa *c. Mulieri* 34 *V. Abſoluto*, & Abbas *ibid n.* 6. & 8. *h. t.* Joan. Gutierez *tract. de Matrimonio cap.* 37. *n.* 3. Gailus *lib.* 2. *practic. Obſervat.* 94. *n.* 1. *& ſeqq.* Maſcard. *de Probat. Concl.* 958. *n.* 43. allegans communem: cùm enim hic agatur quaſi de ſtatu hominis, meritò cenſetur cauſa gravis & ardua, ſicque juramentum non deferendum. Quamquam Barboſa *cit. c. Sicut* 2. *n.* 17. *de Probat.* allegans plures alios, iſtud intelligendum cenſeat, quando agitur de matrimonio diſſolvendo: ſecùs, quando jurandum eſt pro matrimonio; utpote cujus cauſa eſt favorabilis, *cap. ult. de Sentent. & re judicat.* Item non defertur juramentum ejuſmodi in cauſa matrimonii ſpiritualis, ſeu Monachatus. Abbas, Gailus, Maſcardus, *ubi ſuprà*. Barboſa *cit. cap.* 2. *n.* 18. cum aliis. Neque etiam in cauſis Beneficialibus. Farinacius *d. part.* 2. *Fragment. Litt. I. n.* 1237. Barboſa *n.* 19. cum plurimis aliis: qui tamen addunt, iſtud non procedere, quando agitur de fructibus Beneficii, quia tunc defertur juramentum. 219

Utrùm verò illud, quod de cauſa matrimoniali proximè dictum eſt, procedat etiam in cauſis Sponſalium de futuro, adeò ut in his non ſit deferendum juramentum in ſupplementum, non ita clarè explicant Authores præcitati. Solùm enim dicunt, in cauſis matrimonialibus non deferri iſtud juramentum: atqui negari non poteſt, majorem gravitatem reperiri in cauſis illis, in quibus agitur de matrimonio de præſenti, utpote Jure Divino indiſſolubili; quam in aliis, in quibus agitur de ſolis ſponſalibus de futuro, quæ pluribus ex cauſis adhuc diſſolvi poſſunt. Verùm allatam doctrinam procedere quoque in Sponſalibus de futuro, tradit Antonius Gabrielius 220



*in Communibus Concluſionibus*, *l.* 2. *de Probation. concl.* 1. *n.* 41. inter alia aſſerens poſt Marianum Junior. *Conſil.* 88. *n.* 9. *vol.* 2. etiam agi de cauſa gravi, quando agitur de matrimonio contrahendo tantùm. Ad idem favet Gutierez *d. tract. de Matrimonio, c.* 38. *n.* 1. & 2. ſicut & cauſam ſponſalitiam cenſeri gravem, tradit Gobat *tract.* 10. *Theolog. Experiment. n.* 76. Nec immeritò: quia etiam hic agitur quaſi de ſtatu hominis; cùm neceſſe quis habeat ſtare ſponſalibus validè contractis, & matrimonium cum altera parte (niſi hæc ſponte ſuo jure cedere velit &c.) poſteà celebrare; per quod in ipſo conſtituitur ſervitus quædam, cùm non ampliùs habeat poteſtatem corporis ſui, ſed mulier, juxta Apoſtolum 1. *Corinth.* 7. Accedit, quòd ſub *cauſis matrimonialibus* abſolutè prolatis, etiam comprehendantur cauſæ ſponſalitiæ; ut *c. Accedentibus* 12. *de Exceſſib. prælat.* juncto Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *can.* 12. atqui cauſas matrimoniales reputari graves & arduas, communiter & indiſtinctè tenent Doctores. Nihilominus, cùm in cauſis quoque arduis locum habeat juramentum ſuppletorium, ubi plus quam ſemiplenè probatum eſt, juxta dicta ſuperiùs *n.* 188. quod etiam in cauſis matrimonialibus locum habere, tenet Maſcardus *de Probat. Concl.* 1035. *n.* 5. Barboſa, *ubi ſuprà*, *n.* 17. & Gutierez *cit. cap.* 38. *n.* 4. allegans alios: hinc iſtud à fortiori procedit in cauſis ſponſalium de futuro, utpote non tam ſtrictè matrimonialibus. Gobat *d. tract.* 10. *num.* 76. Siquidem juramentum ſuppletorium deferendum eſt inſpectis circumſtantiis cauſæ, & perſonarum, Gloſſa *cit. c. Mulieri V. Abſoluto h. t.*

221 Quæritur II. An, quibuſque de cauſis juramentum litis deciſorium, ſi deferatur, poſſit recuſari? Reſp. I. Juramentum voluntarium, ſeu extrajudicialiter parti delatum, liberè poteſt recuſari, adeò, ut non ſit opus illud alteri parti referre. Ita Gloſſa *in l. Jusjurandum quod ex conventione*, *V. Non poteſt*, & Jaſon *ibid. n.* 1. *ff. de Iurejurand.* Abbas *cap. ult. n.* 1. *h. t.* Vallenſis *h. t.* §. 5. *n.* 1. & alii. Ratio eſt: quia juramentum iſtud appellatur voluntarium, ſeu conventionale, quia non niſi voluntariè, ſeu ex conventione partium ſuſcipitur; ergo hoc ipſo non poteſt deferri, neque referri in invitum, *arg. L.* 1. 2. & 3. *ff. h. t.* ſed poteſt liberè recuſari, ac pars illud recuſans dicere alteri: *Frater, non teneor hic & nunc tibi jurare, ſed ſi quid habeas contra me, id probetur*: prout in ſimili loquitur Speculator *tit. de Iuramenti delatione*, *n.* 4. Concordat textus *in l. Jusjurandum quod ex conventione*, *ff. h. t.* illis verbis: *Jusjurandum quod ex conventione extra iudicium defertur, referri non poteſt*: nempe, ut cogatur juramentum ſubire is, cui defertur, vel ſuccumbere, prout explicat Gloſſa *loc. cit.*

222 Excipe, niſi fortè inter partes jam fuerit conventum, quòd una earum determinatè juret: tunc enim ab ea præſtandum eſt juramentum, alias ſuccumbet; adeò, ut ſi illa nolit poſteà jurare, ſed velit juramentum alteri parti deferre, iſtud referre non poſſit, juxta alium intellectum *cit. l. Iusiurandum quod ex conventione ff. h. t* quem intellectum magis approbat Jaſon *ibid. n.* 1. Accedit ratio: quia, licèt juramentum extrajudiciale à principio ſit voluntarium, tamen ex prævia conventione, ſeu ſuſceptione redditur neceſſarium, juxta illud vulgatum: *Quod a principio eſt voluntatis, ex poſt facto fit neceſſitatis*: atque patet ex *l. Sicut, C. de Action. & obligat. & l. In commodato*, §. *Sicut*, *ff. Commodati*, Jaſon *cit. n.* 1. Vallenſis *h. t.* §. 5. *n.* 6. & alii.

223 Reſp. II. Juramentum judiciale, quod à parte parti defertur, poteſt liberè recuſari, etiam illud non referendo, donec à Judice fuerit approbatum: ſed ubi Judex cauſa cognita illud approbavit, tunc debet is, cui delatum eſt, aut jurare, aut juramentum referre, aut ſolvere. Ita Abbas *cap. ult. n.* 4. *h. t.* Bartolus *l. Manifeſtè*, §. *An autem poſſit*, *ff. h. t.* Joannes de Selva *Tom.* 4. *Tractatuum*, *tract. de Jurejurando*, *p.* 3. *q.* 2. *n* 7. Menochius *lib.* 2. *de Arbitrar. Iudic. caſ.* 189. *n.* 1. & alii.

224 Prior pars deſumitur ex *l. Generaliter* §. *Sed juramento*, *C. de Rebus credit.* ubi tunc primùm jubetur juramentum judiciale præſtari, vel referri, *cum hoc à partibus factum fuerit, & à Iudice approbatum*: quia, ut loquitur Gloſſa *ibid. V. Approbatum*, illud quandoque Judex non approbat; putà, quia is, cui defertur, dicit ſe neſcire veritatem. Accedit Ratio: quia pars non poteſt neceſſitate partem ad jurandum, vel ad referendum juramentum, *cit. cap. ult.* juncta Gloſſa *V. A te*, & Abbate *ib. n.* 7. *h. t.* Quinimò habet licentiam iſtud recuſandi, *cit. l. Generaliter*, §. *Sin autem C. de Rebus credit.* cùm etiam quis non teneatur reſpondere adverſario, niſi ad mandatum Judicis, Abbas *c. prout n.* 9 *de Dolo & contumac.*

Altera pars patet ex *l. Iusjurandum & ad pecunias*, §. *Prætor ait ff. h. t.* ibi dicitur: *Ait Prætor Eum à quo jusjurandum petetur, ſolvere, aut iurare cogam. Alterum itaque eligat reus, aut ſolvat, aut iuret. - Datur autem & alia facultas reo, ut ſi malit, referat iusiurandum.* Concordat textus *in cap. ult.* juncta Gloſſa, & DD. *ibid. h. t. & l. Generaliter*: §. *Sin autem C. de Rebus credit. & l. Delata, C. eod.* cum ſimilibus. Accedit ratio: quia *manifeſtæ turpitudinis eſt & confeſſionis, nolle nec iurare, nec iuramentum referre*, prout habetur *l. Manifeſtè ff. h. t.* 225

Excipe tamen Actionem famoſam; ut eſt actio furti, ac hujuſmodi. Nam conventus actione famoſa, non poteſt hujuſmodi juramentum referre; prout eſt deciſum *cit. cap. ult. h. t. & l. Marcellus*, §. *fin. ff. de Action. rer. amotar & l. Ideo Labeo*, *ff. eod.* Cujus ratio eſt: quia conventus actione famoſa, ſive ſuper crimine infamiam irrogante, meliùs præſumitur ſcire veritatem, videlicet an commiſerit illud crimen, nec ne, quàm Actor ſeu accuſator ipſius; prout jam ſuprà dictum fuit *n.* 136. 226

Objicies contra Concluſionem. A ſententia lata virtute juramenti judicialis non præſtiti, poteſt appellari, *l. Generaliter* §. *Sed iuramento C. de Rebus credit.* ergo illud non præſtans, nec alteri parti referens, non neceſſariò cogitur ſolvere. Reſp. Antecedens duntaxat eſſe verum, quando is, cui primo delatum fuit juramentum, habet juſtam cauſam iſtud recuſandi, conformiter dicendis *n.* 229. *& ſeqq.* alias ſecùs. Abbas *cit. cap. ult. n.* 11. *h. t.* Atque hinc debet Judex non illicò juramentum à parte parti delatum approbare, ſed duntaxat *cauſa cognita*; ut loquitur textus *in l. In bonæ fidei*, juncta Gloſſa *V. per iudicem*, *C. eod.* Verùm de appellatione à ſententia vi juramenti lata, plura inferiùs. *Quæſt. ſeqq. n.* 237. *& ſeq.* 227

Reſp. III. Juramentum litis deciſorium neceſſarium, ſeu à Judice parti delatum, ſine juſta cauſa recuſari non poteſt, nec etiam alteri parti referri: & ſi ſecùs fiat, tunc illud recuſans habetur pro convicto. Textus eſt *in cap. ult. h. t. & l. Generaliter* §. *Sin autem*, *C. de Rebus creditis*, eſtque communis omnium. 228

Porrò cauſæ iſtæ recuſandi juramentum neceſſarium, vel etiam judiciale à Judice approbatum, ſunt plures: adeò, ut Bartolus *in l. Manifeſtæ*, *n.* 6. & 7. ſex alias ſuperaddit. Earum præcipuæ partim conſtant ex hactenus dictis, partim breviter nunc referuntur. Et quidem 229

I. Ratione probationis factæ, vel non factæ, poteſt recuſari juramentum. Si enim Actor plenè probavit, poteſt is recuſare juramentum ſibi ulteriùs oblatum, ſive à parte, ſive à Judice; adeo, ut non poſſit ampliùs compelli jurare, *c. Sicut* 2. *de Probation.* Et econtrà contingit, ſi Actor nihil probavit, ne quidem ſemiplenè: quia tunc non poteſt Reus cogi ad jurandum, etiamſi Actor ſe obtulerit ad ſtandum juramento ipſius. Abbas *cap.* 2. *n.* 1. *de Probat. & cap. ult. n.* 6. *h. t.* Maſcardus *de Probat. Concl.* 36. *n.* 40. citans alios, junctis dictis ſuprà §. 6. *n.* 171. *& ſeqq. Nam, ſi Actor omnino in probatione defecerit, Reus debet, etſi nihil præſtiterit, obtinere*, prout habetur expreſſum *cap. ult.* §. *Sanè*, *h. t.* cum concordantiis. 230

II. Ratione ignorantiæ. Sic enim poteſt juramentum recuſari, ſi ille, cui defertur, vel refertur ejuſmodi juramentum, rei geſtæ eſt ignarus, vel probabilem ejus oblivionem, aut ignorantiam allegat *l. Iureiurandum & Ad pecunias*, §. 1. *h. t.* ubi idcircò is, cui in re communi defertur juramentum, poteſt petere tempus ad deliberandum. Gloſſa *cap. ult. V. Niſi iuſta de cauſa*, *h. t.* Bartolus, *ubi ſuprà*, & alii, junctis dictis ſuprà *n.* 184. & 185. 231

III. Ratione cauſæ, ſeu ob naturam actionis. Nam quòd plures ſint cauſæ, in quibus juramentum ſuppletorium nequit deferri, conſtat ex dictis *n.* 171. 180. *& ſeqq.* unde juramentum in illis cuipiam delatum, meritò poteſt recuſari. Huc accedunt actiones iſtæ, quæ coram tali Judice non poſſunt tractari: nam non cogitur quis ibi jurare, ubi non poteſt conveniri, *l. Tutor* §. *fin. ff. h. t.* juncto Summario, Gloſſa, & DD. *ibid.* 232

IV. Ex perſona deferentis. Plures enim dantur perſonæ, quæ non poſſunt alteri deferre juramentum: ut 233

Procu-

Procurator, niſi habeat generale cum libera, vel ſpeciale mandatum, vel ſit procurator in rem ſuam, *l. Jusjurandum quod ex conventione. §. fin. ff. h. t.* Item Prodigus, & Furioſus, cum ſimilibus, *l. Tutor. §. Prodigus. ff. eod.* Ac proinde juramẽtum à talibus delatum, meritò poteſt recuſari.

234 V. Ex perſona ejus, cui defertur juramentum, quandoque juſtè recuſatur juramentum: ut ſi deferatur Pupillo, vel Procuratori, aut Defenſori rerum alienarum: hi enim jurare nõ coguntur, *l. jusjurandum & ad pecunias. §. Pupillo. ff. h. t.* Tacentur cæteri caſus, prioribus non abſimiles, ac præſertim tunc procedentes, quando actio, vel exceptio locum non habet, de quibus Doctores proximè citati, & alii.

235 Quæritur III. Quæ ſit practica ferendi ſententiam ex juramento; & an ab ea poſſit appellari? Reſp. I. Quando Actor plenè probavit intentionem ſuam, tunc condemnandus eſt Reus: & econtrà, ſi Actor nihil probavit, Reus eſt abſolvendus, etiam ſine alio præſtito juramento. Ita Gloſſa communiter recepta, *l. In bonæ fidei. ℣. Decidi oportet. C. de Rebus credit. & l. Admonendi. ℣. Exacto juramento, ff. h. t.* eſtque proximè dictum *n.* 230.

236 Reſp. II. Quòd ſi præceſſerit ſemiplena probatio, atque deficientibus aliis probationibus juramentum exactum; tunc, niſi ſubſit juſta cauſa recuſandi tale juramentum, obſervanda erit Practica, quæ continetur *in l. Jusiurandum & ad pecunias, §. fin. h. t.* illis verbis: *Cùm res in jusiurandum demiſſa eſt, Judex iurantem abſolvet, & referentem audiet: & ſi actori iuret, condemnet reum: nolentem autem iurare reum. ſi ſolvat, abſolvet: non iurantem condemnet: vel ex relatione non jurante actore, abſolvet reum.* Hæc ibi. Concordant iura hactenus allegata, præſertim ea, quæ *n.* 225. citantur.

237 Reſp. III. Utrùm à ſententia vigore juramenti litis deciſorii lata poſſit appellari, diſtinguendi ſunt plures caſus, qui habentur *in l. Generaliter. §. Sed iuramento. C. de Rebus credit.* juncta Gloſſa, & Bartolo *ibid.* ac ſequitur Abbas *cap. ult. n.* 11. *h. t.* Et quidem, ſi lis fuit deciſa vigore juramenti neceſſarii, ſeu à Judice delati, poteſt appellari; quia poteſt hujuſmodi ſententia retractari propter inſtrumenta de novo reperta, *l. Admonendi, ff. h. t.*

238 Atque iſtud ampliatur ad eum caſum, quo quis juramentum à Judice delatum præſtare recuſavit, ſicque ab ipſo fuit condemnatus. Adhuc enim à tali ſententia poterit appellare, allegando, quod habuerit juſtam cauſam recuſandi juramentum ejuſmodi: & ſi quidem Judex appellationis, benè quidem delatum jusjurandum, malè autem recuſatum pronunciaverit, rata manebit prior ſententia: ſin autem non ritè delatum, rectè autem recuſatum juramentum pronunciet, tunc is priorem ſententiam, quæ quaſi ex recuſato juramento proceſſit, emendare ſeu caſſare valet. Textus eſt *in cit. l. Generaliter. §. Ipſe autem. C. de Rebus credit.* ubi Bartolus addit, iſtud etiam procedere, licèt quis cauſas, quare noluerit jurare, non allegaverit coram primo Judice: adhuc enim poteſt eas allegare coram Judice appellationis.

Quòd ſi virtute juramenti judicialis, hoc eſt, à parte 239
delati, & per Judicem approbati, ſententia lata fuit, tunc iterùm eſt ſubdiſtinguendum. Aut enim alter iuravit; & tunc is, qui detulit iuramentum, appellare non poteſt: quia videtur ſuo conſenſu tranſactum. Aut alter non iuravit, ſed retulit iuramentum deferenti, qui etiam non vult jurare; & fertur ſententia contra iſtud, nec poteſt iſte appellare: quia ex quo à principio deferendo, elegit deciſionem cauſæ per iuramentum, non poteſt illud ſibi relatum recuſare, neque à ſententia exinde contra ſe lata appellare. *Quis enim ferendus eſt ad appellationis veniens auxilium in iis, quæ ipſe facienda procuravit?* inquit Imperator *cit. l. Generaliter. §. Sed iuramento. C. de Rebus credit.* Quamquàm hoc ultimum limitet Abbas, *ubi ſuprà*, niſi aliquis ex juſta cauſa recuſaret juramentum; putà, quia non haberet veram notitiam rei, de qua iuramentum ſibi relatum fuit.

Si verò is, cui juramentum refertur, iurat, tunc eſſe 240
dubium, an referens poſſit appellare à ſententia contra ipſum lata, inquit Abbas *cit. cap. ult. n.* 11. *h. t.* adducens diverſas Doctorum ſententias: quamvis ſimiliter adhæreat ſententiæ affirmativæ, videlicet, talem poſſe appellare.

Nec obſtat, quòd omnis relator juramenti ſit etiam 241
delator hujus: atqui delator iuramenti non poteſt appellare, ut dictum *n.* 239. ergo nec relator. Reſp. enim negando paritatem inter delatorem, & relatorem iuramenti: nam delator, ſeu qui primò defert, omninò ſponte detulit iuramentum; non ſic relator hujus: iſte enim tenetur ad alterum duorum, videlicet aut iurare, aut iuramentum ſibi delatum referre. Conſtat autem plus ſubveniri illi, qui neceſſariò agit, quàm qui omnino voluntariè, *c. Ab arbitris*, juncta Gloſſa ℣. *Appellandum, de Offic. Delegat. in 6. & l. Si fideiuſſor. §. Si neceſſariæ, ff. Qui ſatiſdare cogantur*: ac proinde non mirum, quòd quidem delator iuramenti altero jurante non poſſit appellare, benè tamen relator. Abbas *loc. cit.* aſſerens poſt Jo. Andream, iſtud communiter approbari.

# TITULUS XXV.

## De Exceptionibus.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*
*Exceptio facilius conceditur, quàm actio. Ibid.*

1 POſtquàm hactenus viſum eſt de jure Actorum, tractando de Probationibus in genere ac ſpecie, quibus muniuntur ut lanceis & gladiis; meritò Compilator Juris Canonici ſubjicit de jure Reorum, quo muniuntur ut clypeis & loricis, agendo de Exceptionibus: ſicut enim probationes arma Actorum, ita exceptiones ſunt arma Reorum, juxta Gloſſam *in Rubric. h. t.* Quamquam adhuc ſit nonnulla differentia; nam exceptio, utpote ſpectans ad naturalem defenſionem, nulli denegandam, faciliùs conceditur, quàm actio iuxta Reg. 71. Jur. in 6. *Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multò magis admittendus.* Concordat textus *in l. Invitus, ff. de Reg. Jur.* ibi: *Cui damus actionem, eidem & exceptionem competere multò magis quis dixerit*; cum ſimilibus. Hinc licèt ſpectato rigore Juris Civilis ex pacto nudo non oriatur actio, benè tamen exceptio, qua quis contra petitionem adverſarii ſe defendere poteſt, *l. Juris gentium. §. Sed cùm nulla, ff. de Pactis.*

### §. I.

### De natura, & varia diviſione Exceptionum.

*SUMMARIUM.*

2 *Exceptionis variæ acceptiones referuntur.*
3 *Exceptio ut ſic dupliciter accipitur, largè & propriè.*
*Exceptio facti, & exceptio juris, quæ? Ibid.*
4 *Exceptio ut ſic, quid?*
5 *Exceptiones dilatoriæ, an ſint actionis excluſio?*
6 *Exceptioni contraria eſt Replicatio, & huic Duplicatio Triplicatio &c.*
7 *Exceptiones dividuntur juxta quatuor cauſarum genera. Et num. ſeqq.*
*Earum diviſio à cauſa finali deſumpta, eſt præcipua; & quæ? Ibid.*
8 *Exceptiones peremptoriæ, ſeu perpetuæ, &*
9 *Exceptiones dilatoriæ, ſeu temporales, quæ?*
10 *Exceptiones dilatoriæ ſũt in triplici differẽtia. Et n. ſeq.*
11 *Harum aliæ reſpiciunt perſonam Judicis, quæ & Declinatoriæ Fori dicuntur.*

12 *At-*



12 *Atque iſtæ ante omnes alias exceptiones opponi debent, & cur?*
13 *Aliæ reſpiciunt perſonam Actoris.*
14 *Et aliæ deſumuntur à qualitate cauſæ.*
15 *Exceptiones à cauſa materiali, qualiter dividantur?*
16 *Exceptiones perſonales, quæ?*
*Exceptio competentiæ eſt perſonalis; & cur? Ibid.*
17 *Exceptiones reales, quæ?*
*Hæres ſuccedit in univerſum ius defuncti. Ibid.*
18 *Exceptiones mixtæ, quales?*
19 *Exceptiones à cauſa efficiente dividuntur in Civiles, & Prætorias; & quæ ſint iſtæ?*
20 *A cauſa formali dividitur exceptio in iuſtam, ſeu legitimam; & iniuſtam, ſive fruſtratoriam, frivolam, ſeu infirmam: & quid ſint?*
*Quæ exceptio hic & nunc ſit legitima, Judicis arbitrio relinquitur. Ibid.*
21 *Exceptiones anomalæ, quæ?*
22 *Harum nonnullæ recenſentur.*

2 QUæritur I. Quid ſit Exceptio, & Replicatio? Ubi prænotandum, quòd impræſentiarum Exceptio non ſumatur pro exemptione aliqua, ſeu immunitate à communibus oneribus: neque pro limitatione quadam, ſeu fallentia Regulæ cuiuſpiam; in quo poſteriori ſenſu procedit illud vulgatum: *Nulla regula ſine exceptione.* Itaque Exceptio in propoſito dicitur ea, quæ à Reo opponitur adverſus petitionem Actoris. Nam, ut Ulpianus *L. 2. ff. h. t.* loquitur: *Exceptio dicta eſt quaſi quædam excluſio, quæ interponi actioni cuiuſque rei ſolet ad excludendum id, quod in intentionem, condemnationemve deductum eſt.*

3 Et meritò hoc utrumque ſimul iungitur: nam exceptio ut ſic poteſt dupliciter accipi, largè & propriè. Priori modo, ſeu largè, ſumitur exceptio pro omni defenſione, quæ Reo competit, etiamſi nulla actio competat Actori: & hæc vocatur *Exceptio facti.* Cæterum exceptio propriè ſumpta aliud non eſt, quàm actionis excluſio. Et hæc alio nomine, dicitur *Exceptio juris*: atque ſupponit, quòd Actori de jure competat actio, quam tamen exceptio propriè dicta excludit. Quo prænotato

4 Reſp. I. *Exceptio ut ſic* eſt actionis, vel intentionis excluſio. Ita Abbas *ad Rubric. h. t.* Vallenſis *eod. n.* 2. & iure communis. Et notanter ſub diſiunctione dicitur, *actionis; vel intentionis excluſio*: quia hæc definitio (ut dictum) competit Exceptioni ut ſic; ſeu quatenus ſub ſe comprehendit utramque præmiſſam exceptionem, videlicèt tam largè, quàm propriè acceptam. Siquidem exceptio facti, ſeu largè accepta excludit intentionem tantùm Actoris: ut ſi quis à Titio ſibi petat ſolvi centum florenos, antea eidem mutuò datos; Titius verò excipiat, negando, illos ſibi mutuo datos fuiſſe, excluditur ſola intentio Actoris: nam ſi vera eſt negatio Titii, nulla Actori competebat actio, ac proinde hæc excludi non potuit, ſed ſola ejus intentio. At verò exceptio propriè dicta, ſeu exceptio juris, excludit etiam actionem, quæ in veritate, ac de jure Actori competebat: ut ſi metu coactus, quidpiam ſtipulatus ſum, valet ſtipulatio, ſicque competit adverſario actio ex ſtipulatu contra me; eam tamen per exceptionem *Quod metus cauſa* excludere poſſum, atque hæc eſt Exceptio propriè dicta; eſtque *actionis excluſio*, ut proximè declaratum.

5 Dices. Dantur exceptiones propriè dictæ, quæ appellantur dilatoriæ, atque ante litis conteſtationem proponi debent: atqui tales non ſunt actionis excluſio; quia ante litem conteſtatam non dicitur quis agere, ſed velle agere, *l. Ampliùs. ff. Rem ratam haberi*; ergò non omnes exceptiones propriè dictæ, ſunt actionis excluſio. Reſp. neg. min. cum conſequentia ſuæ probationis. Quia etiam exceptiones dilatoriæ, ſunt actionis excluſio; non quidem actu jam cœptæ, ſed incipiendæ: eò quòd actionem temporaliter differant, prout ampliùs patebit ex dicendis.

6 Reſp. II. Exceptioni contraria eſt Replicatio, utpote per quam Actor excludit exceptionem Rei. Textus eſt *in L. 2. §. Exceptiones ff. h. t.* ubi dicitur *Replicationes nihil aliud ſunt, quam exceptiones; & à parte Actoris veniunt &c.* Nam ſicut *Exceptio* eſt actionis excluſio, ita *Replicatio* eſt excluſio exceptionis. Exceptio ſiquidem datur Reo; Replicatio verò datur Actori, quæ idcircò objicitur, ut exceptionem Rei oppugnet. Verùm contra replicationem ſolet dari Duplicatio, & contra duplicationem Triplicatio, & contra triplicationem rurſus Quadruplicatio, & ſic deinceps multiplicando nomina, dum aut Reus, aut Actor excipit, prout habetur *cit. L. 2. §. Illud tenendum ff. h. t.*

Quæritur II. Quomodo Exceptiones dividantur? 7
Reſp. I. Exceptiones variè dividuntur, & quidem juxta omnia quatuor cauſarum genera; prout notat Zoeſius *tit. de Exceptionib. ff. nu* 4. Præcipua tamen earum diviſio eſt illa, quæ à cauſa finali, ſeu ab effectu deſumitur; & juxta quam exceptiones aliæ dicuntur peremptoriæ & perpetuæ, aliæ dilatoriæ ac temporales. Atque hæc diviſio habetur expreſſa *in L. 2. ff. h. t.* eſtque recepta ab omnibus. Et quidem

*Exceptiones peremptoriæ* dicuntur illæ, quæ jus Acto- 8
ris periment, atque in totum elidunt petitionem ipſius: ut ſunt Exceptio doli mali, Exceptio rei judicatæ, pacti de non petendo in perpetuum, tranſactionis, ſolutionis, præſcriptionis; aut ſi contractus invalidus, vel quidpiam contra leges eſſe factum dicatur, & hujuſmodi. Et meritò tales dicuntur Exceptiones peremptoriæ, ac perpetuæ. *Peremptoriæ* quidem: quia, ſi verificentur, atque probentur, tollunt omninò jus agentis, & totaliter periment actionem. *Perpetuæ* verò: quia actionem excludunt in perpetuum, & non pro determinato duntaxat tempore; prout accidit in exceptionibus dilatoriis.

*Exceptiones dilatoriæ ac temporales* econtrà ſunt, quæ 9
principalem cauſam & actionem non periment, ſed tantùm eam ſuſpendunt, ſive differunt in aliud tempus: ideoque rectè appellantur dilatoriæ, ac temporales. Sic exceptio incompetentiæ judicis negotium principale non perimit, ſed ſolùm facit, ne coram tali incompetenti, aut ſuſpecto Judice tractari valeat: ſive, ut dicitur *L. 2. §. fin. ff. h. t.* opponens hujuſmodi exceptionem *non prorſus litem inficiatur, ſed perſonam evitat.* Similiter exceptio dilatoria ſolutionis, puta, exceptio de non petendo ante certum tempus, v. g. quinquennium, quòd promiſſum eſt, non tollit actionem de petendo, ſed ſolùm, ne fiat petitio debiti ante tale tempus; poſteà enim benè peti poteſt: ac idem dicendum de aliis ſimilibus.

Unde notandum cum Maranta *part. 6. Speculi aurei.* 10
*Membro 9. n.* 1. Sigiſmund. Scaccia *lib. 1. de Judiciis, cap.* 101. *n* 6 & aliis, quòd Exceptiones dilatoriæ in triplici ſunt differentia: nam quædam earum reſpiciunt perſonam Judicis, quædam perſonam Litigantis, quædam verò reſpiciunt cauſam ipſam. Et quidem

Exceptiones reſpicientes perſonam Judicis, quæ & 11
*Declinatoriæ Fori* dicuntur, ex variis cauſis oriri poſſunt: putà, quia contra Judicem excipitur tanquam incompetentem, aut impetratum mediante Reſcripto ſubreptitiè obtento, vel tanquam ſuſpectum propter cognationem, affinitatem ſive familiaritatem, quam habet cum Actore; aut propter inimicitias, quas gerit erga Reum, vel quia excipitur contra ipſum ex eo, quòd ſit imperitus Iuris, aut impar magnitudini cauſæ, ſive quòd in eadem cauſa advocatum egerit, aut ejuſdem fermè generis litem habeat, vel ex alia juſta cauſa Reus contra ipſum excipiat: prout deſumitur ex *c. Poſtremo.* 36. juncta Gloſſa *ibid.* ℣. *Conſanguineus. de Appellation.*

Porrò ejuſmodi exceptio, ſeu recuſatio Judicis, debet 12
eſſe prima, atque opponi ante omnes alias exceptiones, *L. ult. C. de Exceptionib.* atque notat Gloſſa *in cap. Exceptionem.* 12. ℣. *In dilatoriis*, & Abbas *ibid. num.* 10. *h. t.* Maranta *loc. cit. n.* 2. Barboſa *in c. paſtoralis n.* 22. *h. t.* citans plures alios. Ratio eſt: quia, ſi alia exceptio coram tali Judice priùs proponeretur, cenſeretur opponens eundem interpellare, ut ſuper propoſita exceptione pronunciet; ſicque tacitè, atque ipſo facto in talem judicem conſentiret, ſeu ejus juriſdictionem in ſe prorogaret: unde non poſſet ipſum ulteriùs declinare, ſive recuſare. Concordat textus, *in c. Inter Monaſterium* 20. juncta Gloſſa ℣. *Renunciaſſe de Sentent. & re judicat.* eſtque ampliùs dictum *Tit. 2. de Foro competent. §. 1. n. 7 & 8.*

Exceptiones dilatoriæ, quæ reſpiciunt perſonam Liti- 13
gantis, ſeu Actoris; ſunt illæ, quæ proponuntur ad repellendam perſonam ab agendo, ut ſi excipiatur contra

Acto-

Actorem, quòd ſit excomunicatus, proſcriptus, pupillus, vel minor viginti quinque annis, qui ſine Tutore, vel Curatore, non poſſunt comparere in judicio ad agendum, & hujuſmodi. Aut ſi fiat exceptio contra Procuratorem, quòd ſit miles, fœmina, accuſatus de crimine, vel quòd careat mandato, ſeu non ſit legitimè conſtitutus &c. Huc etiam pertinent exceptiones illæ; quæ competunt Reo, ſi is conqueratur, ſe ab Actore fuiſſe ſpoliatum; ſicque excipiat contra eum, quòd non teneatur reſpondere, niſi priùs reſtitutus ſit, *cap. 1. de Reſtitut ſpoliat. in 6.* Aut ſi Reus ex legitima cauſa Actorem revocet domum. *L. 2. §. Legatis. ff. de Judiciis.* Omnes enim hujuſmodi exceptiones reſpiciunt quodammodo perſonam Litigantis, ſuntque dilatoriæ: quia non excludunt actionem in totum, ſed duntaxat ſuſpendunt ſeu differunt, donec impedimentum illud, in quo fundat ſe exceptio, ſublatum fuerit.

14 Tandem Exceptiones dilatoriæ, quæ reſpiciunt cauſam ipſam, ſunt eæ, quæ deſumuntur ex qualitate cauſæ vel actionis, ex loco vel tempore, aut aliis hujuſmodi circumſtantiis ipſius: ut ſi Reus excipiat, quòd Libellus Actoris ſit ineptus, vel obſcurus; quòd citatio tempore Feriarum, vel ad locum non tutum facta fuerit; quòd cauſæ continentia non ſit dividenda; quòd pactum de non ſolvendo uſque ad certum tempus intervenerit, quale tempus necdum eſt completum, ac hujuſmodi. Patet enim hujuſmodi exceptiones concernere cauſam ipſam, ſimulque eſſe duntaxat dilatorias & temporales, dum aliqua earum oppoſita non tollitur actio in totum, ſed ſolùm in aliud tempus differtur, donec v. g. Libellus emendetur, ſeu declaretur, aut nova citatio ad tempus debitum, locumque tutum fiat, & hujuſmodi.

15 Reſp. II. A cauſa materiali rectè dividuntur Exceptiones in reales, & perſonales, quibus addi poſſunt exceptiones mixtæ. Ita textus apertus *in l. Exceptiones quæ. 7 ff. h. t.* ac notant Doctores communiter. Et his

16 *Exceptiones perſonales* dicuntur, quæ perſonæ cujuſque cohærent, & non tranſeunt ad alios. Talis eſt *Exceptio competentiæ* (ut vocant) quam habent Pater adverſus filium, Patronus adverſus libertum, Socius adverſus ſocium &c. ut ſi conveniatur ab eo, in id tantummodò condemnari valeat, quòd honeſtè facere poteſt, ne ipſemet egeat. Quia enim hujuſmodi exceptio datur intuitu harum perſonarum, atque ob ſpecialem reverentiam eiſdem debitam (unde & *Exceptio competentiæ* appellatur) meritò cenſetur eſſe perſonalis: & idcircò non tranſit ad earumdem hæredes, vel Fidejuſſores, neque ab iſtis opponi poteſt, juxta textum *in cit. l. Exceptiones quæ. ff. h. t.* Zoeſius *tit. de Exceptionib. ff. n. 6.* Pirhing. *eod. n. 2.* & alii. Talis exceptio perſonalis etiam eſt illa, quæ de Jure Civili competit illis, qui bonis cedunt, ut poſtmodùm non valeant conveniri, niſi in quantum facere poſſunt; & ſic habita ratione, ne egeant, *§. Exceptiones. Inſtit. de Replication.* juncto *§. ult. Inſtit. de Actionib. & l. Ex contractu. C. de Bonis authoritat. judic.* ac notat Gloſſa *in l. 1. V. In eo tantum. C. Qui bonis cedere poſſunt.* Tacentur nonnullæ aliæ exceptiones perſonales, de quibus Interpretes Juris Civilis.

17 *Exceptiones reales* econtrà ſunt, quæ cohærent rei, ipſamque ſequuntur: ut eſt Exceptio rei judicatæ, Exceptio doli mali, jurisjurandi, quòd metus cauſa &c. aliæque conſimiles. Et tales tranſeunt ad Fidejuſſores, *l. Exceptionem quæ. 7 ff. h. t.* atque ad Hæredem, utpote qui in univerſum jus defuncti ſuccedit, *l. Sicut rem. 6. ff. eod.*

18 Huc addi poſſunt *Exceptiones mixtæ*, quæ videlicet certo perſonarum generi dantur, ſed ratione rei ſive materiæ: adeoque competunt etiam Fidejuſſori, ſi ſuper tali re conveniatur. Et hujuſmodi exceptiones mixtæ enumerantur quatuor *in cit. l. Exceptiones quæ ff. h. t.* videlicet, Exceptio Senatuſconſulti Velleiani competens mulieribus, ſi fidejubendo graviter læſæ fuerint, *l. Si mulier contra. § 1. ff. ad S. C. Vellejan.* Item Exceptio, quòd libertatis onerandæ cauſa petitur: hanc enim Libertus Patrono ſuo objicere poteſt, ut non teneatur præſtare eas operas, quas ei Patronus in ſua manumiſſione impoſuerat, *L. 1. § Quæ onerandæ. ff. Quarum rerum actio non datur.* Item Exceptio, quæ competit Filiofamilias ſine conſenſu Patris mutuum accipienti, ex Senatuſconſulto Macedoniano: talis enim etiam competit illi, qui pro Filiofamilias contra dictum Senatuſconſultum fidejuſſerat, *cit. l. Exceptiones quæ. ff. h. t. & l. Sed & ſi pater. §. Non ſolùm ff. Ad S. C. Macedon.* Item Exceptio competens minori viginti quinque annis, quando dolo adverſarii graviter læſus eſt: ſi enim ex eo conveniatur in judicio, tam ipſe, quàm ejus Fidejuſſor poteſt opponere memoratam exceptionem. Additur tamen *dolo adverſarii*: nam ſi Minorennis alia ratione læſus eſt, v. g. ſua facilitate, non competit ei hæc exceptio, ſed ſola reſtitutio in integrum.

Reſp. IV. A cauſa efficiente dividuntur Exceptiones in Civiles & Prætorias. Ita textus *§. Hæc exempli Inſtit. h. t.* Zoeſius *tit. de Exceptionib. ff. n. 4.* Pirhing. *h. t. n. 2.* & alii. Porrò *Exceptiones Civiles* appellantur, quæ à Jure Civili ſunt inductæ: ut eſt exceptio declinatoria fori, *l. ult. C. h. t.* Exceptio rei judicatæ, *§. Item ſi judicio Inſtit. h. t.* & hujuſmodi. *Exceptiones Prætoriæ* econtrà dicuntur, quæ ex ipſius Prætoris juriſdictione ſubſtantiam capiunt, ſeu ob naturalem æquitatem inductæ fuerunt; ut eſt Exceptio doli mali, & Exceptio quod metus cauſa, & hujuſmodi. Gloſſa *cit. §. Hæc exempli. V. Prætoris. Inſtit. h. t.* 19

Reſp. V. A cauſa formali Exceptio dividitur in juſtam, ſeu legitimam, & in injuſtam, ſive fruſtratoriam. Ita Zoeſius *loc. cit. n. 4.* & communis. *Exceptio legitima* (ſeu *juſta*, atque *relevans*) cenſetur ea, quæ à Legibus approbatur ſive, quæ provenit à cauſa ad juſtam appellationem ſufficiente. Card. Tuſchus *Litt. E Concl. 378. n. 1.* poſt Oltradum *Conſil. 323 circa init.* Econtrà *Exceptio injuſta*, ſeu *fruſtratoria dicitur*, quæ ad procraſtinandam duntaxat litem malitioſè opponitur Gloſſa *in Clem. Sæpe contingit. V. Dilatorias. de Verb. ſignif.* quamquàm in caſibus particularibus, quænam exceptio hinc & nunc ſit legitima, & quænam fruſtratoria, prudenti Judicis arbitrio eſſe relinquendum. notet Card. Tuſchus *cit. Concl. 378. n. 4.* & Menochius *lib. 2. de Arbit. Judic. caſ. 197 n. 6. & 7.* hoc ipſum docens de exceptionibus frivolis, ſeu infirmis & fragilibus. Atque, ut aliæ taceantur diviſiones Exceptionum, de quibus fuſè agit Speculator *tit. de Exceptionibus. §. 1. n. 5 & ſeq* ac Hoſtienſis *in Summa. tit. eod. num. 2.* ſufficiat breviter mentionem facere de Exceptionibus anomalis. Et quidem 20

Per *Exceptiones anomalas* intelligunt exceptiones irregulares, ſeu quæ non ſequuntur normam aliarum exceptionum: quia videlicet poſſunt proponi tum ante litis conteſtationem, tum poſt eam; ut inquit Speculator *cit. §. 1. n. 7.* & Nebriſſenſis *in Vocabulario Juris. V. Exceptio anomala.* Nec diſcordat Abbas *in c. Exceptionem. n. 7. h. t.* dicens, quòd quædam Exceptiones *ſunt anomalæ reſpectu naturæ earum, quia ex toto non ſequuntur naturam dilatoriarum, vel peremptoriarum.* Atque hujuſmodi Exceptiones, quæ etiam dicuntur, ſeu videntur *mixtæ*, ut inquit Sigiſmund. Scaccia *lib. 1. de Judiciis, cap. 101. n. 4.* (non quidem in ſenſu *n. 18.* explicato, ſed quia participant aliquid de dilatoriis & peremptoriis) alio nomine vocantur *anomalæ*: quamquàm de nomine non ſit curandum, ſed ſufficiat ſcire, quòd omnes hæ voces ſignificent exceptionem ſine regula, & inæqualem, quæ proptereà poteſt opponi tam ante, quàm poſt litem conteſtatam. 21

Talis Exceptio anomala, juxta Abbatem *loc. cit. n. 19.* Speculatorem, & Nebriſſenſem, *ubi ſuprà*, eſt Exceptio excommunicationis, quæ licèt *in Clem. un. h. t.* connumeretur inter exceptiones dilatorias, meritò tamen dicitur *anomala*, cùm poſſit opponi in qualibet parte judicii, poſſitque etiam eſſe peremptoria; ut notat Gloſſa *ibid. V. Dilatoriæ*, & ampliùs dicetur infrà §. 4. n. 85. & 92. Talis etiam eſt exceptio non numeratæ pecuniæ, atque exceptio non numeratæ dotis: hæ enim, licèt ſint temporales, quia non niſi intra biennium opponi poſſunt, ſi tamen tunc opponantur, & manuteneantur, evadunt peremptoriæ, atque elidunt petitionem Actoris in totum *l. In contractibus. §. 1. & §. fin. C. De non numerata pecunia*, & alibi. Idemque dicendum de nonnullis aliis exceptionibus, de quibus dubitatur, an ſint perpetuæ, vel temporales, atque notat Speculator, *ubi ſuprà.* 22

§. II.



## §. II.

## De tempore opponendi Exceptiones.

S U M M A R I U M.

23 *Exceptiones dilatoriæ regulariter ſunt opponendæ, atque probandæ ante litis conteſtationem.*
24 *Reus tenetur probare ſuam exceptionem.*
*Atque excipiendo fit actor. Ib.*
25 *Debetque eam probare intra terminum à Judice præfigendum. Et nu. 23.*
26 *Solvitur inſtantia declarando textum* in l. Exceptionem C. de probat.
27 *Exceptio dilatoria non propoſita ante litem conteſtatam, & intra terminum præfixum, nequit amplius proponi in cauſa appellationis.*
28 *Solvuntur inſtantiæ. Et n. ſeq.*
*Per appellationem reſcinditur judicatum, & reponuntur omnia ad priorem ſtatum; & qualiter? Et n. 74.*
29 *Non allegatum, vel non probatum in cauſa principali, poteſt allegari & probari in cauſa appellationis; & quomodo?*
30 *Dantur aliqui caſus, in quibus poſt terminum à Judice præfixum poſſunt opponi exceptiones dilatoriæ. Et num. ſeqq.*
31 *I. Quando quis anteà eas fuit proteſtatus.*
32 *Quæ proteſtatio debet eſſe ſpecialis, nec ſufficit generalis.*
33 *II. Quando aliqua exceptio poſteà primum ſupervenit.*
34 *III. Quando Reus allegat & probat, ſe poſteà primùm in notitiam illius exceptionis perveniſſe.*
*Intelligendo iſtud de exceptione facti, non juris. Ib.*
35 *Ignorantia exceptionis ſufficienter probatur per juramentum: & cur?*
36 & 37 *Prædictæ limitationes, ac præſertim tertia, an etiam locum habeant poſt litem conteſtatam?*
38 *Dantur alii adhuc caſus, in quibus poſt terminum præfixum admittuntur exceptiones dilatoriæ: nempe.*
39 *IV. Si poſteà primum ſupervenit facultas aliquam ipſarum probandi.*
40 *V. Aut ſi poſtmodùm opponitur nova exceptio priori contraria.*
41 *VI. Vel ſupponitur exceptio de incompetentia judicis, in quem pars litigans non potuit conſentire.*
42 *VII. Poſt lapſum termini poteſt pars exceptionem prius propoſitam declarare.*
43 *Alii tales caſus referuntur. Remiſſivè.*
44 *Exceptiones peremptoriæ regulariter opponendæ ſunt poſt litem conteſtatam, & poſſunt opponi uſque ad ſententiam Et n. ſeq.*
45 *Ante litem conteſtatam ea opponi non poſſunt: & cur?*
46 *Fallit iſtud in exceptionibus peremptoriis litis finitæ.*
47 *Et cur?*
48 *Fallit etiam, quando exceptio peremptoria eſt notoria.*
49 *Et quando reus incontinenti poteſt probare exceptionem peremptoriam.*
50 *Et ubicunque exceptio concludit, Actori jus non competere*
51 *Regula eſt, quod poſt ſententiam diffinitivam nullæ exceptiones, etiam peremptoriæ, opponi poſſint.*
*Poſt diffinitivam vel eſt confugiendum remedium appellationis, vel ad beneficium reſtitutionis in integrum, ſi competit. Ib.*
52 *Fallit data regula in exceptionibus, quæ principaliter reſpiciunt executionem ſententiæ: tales enim poſt ſententiam opponi poſſunt.*
53 *Ut eſt exceptio Senatuſconſulti Macedoniani.*
54 *Et exceptio Senatuſconſulti Vellejani.*
55 *Item exceptio Militis condemnati, ſi quam ante ſententiam non oppoſuit.*
56 *Atque exceptio competentiæ: & quibus hæc competat?*
57 *Item exceptio compenſationis.*
58 *Et exceptio juris retinendi.*
59 *An exceptio rei non traditæ, vel non numeratæ pecuniæ, aut ſolutionis jam factæ; vel quod res petita aliunde pervenerit ad uxorem.*



60 *Item exceptio tranſactionis, vel pacti de non petendo &c.*
61 *Atque exceptio evictionis imminentis ſuper re empta.*
62 *Et exceptio non implementi.*
*Hæc retardat executionem Cameralis obligationis. Ibid.*
63 *Exceptio attentatorum impedit executionem ſententiæ.*
64 *Poſt ſententiam poteſt opponi exceptio contra ejus executionem, quando executor modum excedit in exequendo.*
65 *Ac exceptio contra executionem, ob defectum juriſdictionis.*
66 *Exceptiones peremptoriæ, etiam negotium principale concernentes, poſſunt opponi poſt ſententiam, quoties dicitur, propter eas nullum fuiſſe judicium.*
67 *Nullitas ſententiæ, atque inde conſurgens exceptio ipſius, poteſt oriri multipliciter.*
68 *Exceptio falſitatis inſtrumenti poteſt objici poſt ſententiam.*
69 *Sicut & exceptio falſi procuratoris.*
70 *Exceptio nullitatis ſententiæ, regulariter non impedit executionem ipſius.*
71 *Et hujus ratio.*
*A diverſis non valet illatio. Ib.*
72 *Fallit illud, quando nullitas ſententiæ eſt evidens, ſeu notoria.*
*Vel poteſt incontinenti probari. Ib.*
73 *Aut quando executio ſententiæ foret irretractabilis: quia tunc exceptio nullitatis, impedit executionem ſententiæ.*
74 *Exceptiones peremptoriæ poſſunt opponi in cauſa appellationis, ſicut poterant anteà poſt litem conteſtatam.*
75 *Dummodò quis non ſcienter, & malitioſè eas omiſerit in cauſa principali, ut ſic fatigaret adverſarium. Et nu. ſeqq.*
*Malitiis hominum non eſt indulgendum. Ib.*
76 *Et quid, ſi exceptio excommunicationis ita malitioſè fuit dilata?*
77 *Judex non illicò debet repellere exceptionem peremptoriam propter quamlibet malitiæ ſuſpicionem. Qui dolum allegat, dolum probare debet. Ib.*
78 *Dolus, ſive malitia differentis opponere exceptionem, quomodo probari poſſit.*

Quæritur I. Quando opponendæ, atque probandæ ſint exceptiones dilatoriæ? Reſp. I. Exceptiones dilatoriæ regulariter ſunt opponendæ, ac probandæ ante litis conteſtationem; & quidem intra terminum à Judice præfigendum. Ita textus expreſſus *in c. Inter Monaſterium 20. de ſent. & re judic.* ubi de hujuſmodi exceptionibus dicitur: *Quas etiam tanquam dilatorias ante litis ingreſſum opponere debuiſſent.* Concordat textus *in c. paſtoralis 4. h. t.* ubi ne per dilatorias exceptiones malitioſè cauſarum terminatio prorogetur, Pontifex decrevit, *ut infra certum tempus à judice aſſignandum, omnes dilatoriæ proponantur: Ita quod ſi partes ex tunc aliquas voluerint opponere, quas non fuerint proteſtatæ, nullatenus audiantur: niſi fortè aliqua de novo ſibi competens exorta fuerit: vel is, qui voluerit eam opponere, fidem faciat juramento, ſe poſtmodum ad illius notitiam perveniſſe.* Hæc ibi. Idipſum habetur expreſſum in Jure Civili; ut *l. exceptionem*, juncta Gl. 1. *ib. C. de prob. & L penult. & L. ult. C. h. t.* ac tradit Abbas *c. exceptionem, n 10. h. t.* Barboſa *c paſtoralis, nu. 4. eod.* Zoeſius *h. t n. 5.* & communis aliorum. 23

Additur primò, *ac probanda &c.* Siquidem non ſufficit tantum opponere exceptionem, ſed ea ab excipiente eſt etiam probanda. Nam ſicut actor tenetur probare ſuam intentionem, ita reus probare debet ſuam exceptionem; quia hic excipiendo quodammodo fit actor, *L. 1. ff. h. t* ibi: *Agere etiam is videtur, qui exceptione utitur: nam reus in excipiendo actor eſt.* 24

Additur ulterius in data Concluſione, *& quidem intra terminum à Judice præfigendum.* Quia enim antiquitus malitioſè nonnunquam cauſarum terminatio prorogabatur, dum lite diutius non conteſtata tempus inutiliter conſumebatur in proponendis, ac probandis novis, & novis exceptionibus: hinc Pontifex *cit. cap. paſtoralis, 4. h. t.* providè decrevit, ut Judex partibus terminum, ſive certum tempus aſſignare debeat; intra quod ſuas exceptiones opponere debeant: Adeò, ut poſt lapſum illius 25

Z termi-

termini, ſuo arbitrio penſatis qualitate cauſæ, & perſonarum, aliiſque circumſtantiis præfigendi, excipientem ampliùs non audiat; niſi in tribus caſibus ibidem expreſſis, & infrà *n.* 30 *& ſeqq.* referendis. Atque ob hos ipſos caſus, , & nonnullas alias fallentias, merito in eadem Concluſione additum fuit ly, *Regulariter*.

26 Dices. Præmiſſis videtur obſtare textus *in l. Exceptionem. C. de probat.* ubi dicitur: *Exceptionem dilatoriam opponi quidem initio; probari verò, poſt quam actor monſtraverit quod aſſeverat, oportet;* ergo. Reſpondet Bartolus *ib.* iſtam Legem eſſe intelligendam de exceptione dilatoria ſolutionis, quæ debet opponi ab initio (hoc eſt) ante litem conteſtatam, vel in ipſa litis conteſtatione) probari verò poſt intentionem actoris fundatam; ut *l. Si quidem C. h. t.* Secùs de dilatione declinatoria Fori, & aliis hujuſmodi, quæ proponi, ac probari debent ante litis ingreſſum. Vel dic cum Gl. *un. ib.* Legem allegatam procedere in exceptione dilatoria ſolutionis, & quidem ſub conditione propoſita ab initio; putà, dicendo: *Prætor non confiteor, quod dicis: ſed ſi probaretur, dico pactum mihi factum eſſe de non petendo ante tempus*, vel hujuſmodi. Tunc enim neceſſe foret, ut Actor prius monſtraret ſuam intentionem, antequam reus cogeretur probare ſuam exceptionem dilatoriam, juxta textum *cit. l. exceptionem. C. de prob.* Atque iſtum excipiendi modum valdè commendat Gloſſa *c. cum venerabilis V. Confeſſus*, & Abbas *ib. nu.* 26. *&* 27. *h. t.*

27 Reſp. II. Exceptio dilatoria adeò debet proponi ante litem conteſtatam, & intra terminum à Judice præfixum, ut ſi tunc fuerit omiſſa, non poſſit ampliùs opponi etiam in cauſa appellationis. Ita textus *in l. Ita demum C. de procurat.* ubi proinde Summarium, ex Alexandro deſumptum, ſic loquitur: *Exceptio dilatoria, ſi non fuit oppoſita in cauſa principali, non poterit in cauſa appellationis opponi.* Idem docet Bartolus *ib. §. Secundò nota.* Abbas *c. exceptionem n.* 17. *h. t.* illud probans ex *cit. l. Ita demum. C. de procurat.* addita ea ratione: quia in cauſa appellationis durat effectus litis conteſtationis factæ à principio, *c. per tuas* 58. *de appellat.* Idem tradit Sigiſm. Scaccia *tract. de Appellation. qu.* 11. *num.* 36. *&* 46. cum aliis, quos citat Mathæus Nerutius *in repet. rubr. de appellation. num.* 19. & Cardin. Tuſchus *Lit. E. Concl.* 390. *num.* 21. allegans communem.

28 Nec obſtat, quod per appellationem reſcindatur judicatum, & reponatur in antiquo ſtatu. Reſp. enim cum Bartolo, & Nerutio, *ubi ſuprà*, quod per appellationem reſcindatur quidem judicatum, ac reponantur omnia ad priorem ſtatum, in quo anteà fuerant poſt litem conteſtatam: non verò ad eum ſtatum, qui fuerat ante litem conteſtatam; prout convincit textus *in cit. l. Ita demum c. de procurat.*

29 Neque ulterius obſtat textus *in l. Eos qui §. Si quid autem C. de appellat. & l. per hanc C. de Temporib. & reparat. appellat.* ubi pro regula traditur, quod *Non allegatum, vel non probatum in cauſa principali, poteſt allegari & probari in cauſa appellationis.* Reſp enim, concordando jura juribus, regulam hanc procedere in exceptionibus peremptoriis, earumque probationibus: ſecùs in dilatoriis. Ita Nerutius *cit. num.* 19. poſt Angel. & Paul. & Franc. *in d. l. demum*, & alios. Abbas *d. cap. exceptionem. num.* 17. *hoc tit.* hinc tamen excipiens illos caſus, in quibus exceptiones dilatoriæ poſſunt proponi in cauſa principali poſt litis conteſtationem, atque illicò referentur Unde

30 Reſp. III. Dantur nihilominus aliqui caſus, in quibus poſt terminum à Judice præfixum poſſunt opponi exceptiones dilatoriæ. Ita communis; atque habetur expreſſum *in d. c. paſtoralis* 4. *h. t.* ubi tres tales caſus referuntur verbis ſupra *n.* 23. jam relatis.

31 Primus caſus, in quo poſt terminum à Judice præfixum (imo & poſt litem conteſtatam, juxta dicenda *nu.* 36. *&* 37.) admittuntur exceptiones dilatoriæ, eſt ille. videlicet, ſi quas anteà partes *fuerint proteſtatæ*. Sic enim habetur *cit. c. paſtoralis* 4. *h. t.* illis verbis: *Decernimus, ut infra certum tempus a Judice aſſignandum, omnes dilatoriæ proponantur; ita quod ſi partes ex tunc aliquas voluerint opponere, quas non fuerint proteſtatæ, nullatenus audiantur.* Ac proinde, cum exceptio firmet regulam in oppoſitum, ſi alterutra pars anteà quandam exceptionem fuerit proteſtata, etiam poſt lapſum illius termini erit audienda: prout in ſimili, ſi quis antea publicationem atteſtationum fuerit proteſtatus, ſe velle quidpiam objicere in perſonas teſtium, ſive contra hos excipere, poſteà eſt audiendus, *c. præſentium* 31. *de Teſt.*

32 Cæterùm proteſtatio exceptionis, ad hoc, ut poſt præfixum terminum admittatur, debet eſſe ſpecialis, nec ſufficit generalis; alioquin enim inutilis foret proviſio *c. c. paſtoralis h. t.* & notat ibi Gl. *V. proteſtatæ:* quam approbat Abbas *ib. n.* 18. & Speculator *eod. cit. §. nunc videndum n.* 6 Pirhing *h. t. n.* 27. Proinde proteſtatio exceptionis debet fieri in ſpecie, ac expreſſè eam nominando; putà, poſt unius exceptionis dilatoriæ exceptionem ſubjungendo ly *Salvis aliis dilatoriis, quæ tales & tales ſunt, ſuo tempore probandis.* Et tunc etiam poſt lapſum termini poteſt quis ſuper tali exceptione, ejuſque probatione audiri, *c. c. paſtoralis h. t.* Et meritò quia nullus pluribus uti defenſionibus prohibetur, juxta *Reg.* 20. *Juris in* 6. cum concordantiis.

33 Secundus caſus eſt, ſi quando aliqua exceptio poſt lapſum termini præfixi (imò & poſt litem conteſtatam) primum ex nova cauſa ſupervenerit. Tùm enim illa ex poſt factò ritè poteſt proponi, juxta textum expreſſum *c. c. paſtoralis h. t.* ubi caſus iſte reperitur exceptus; illis verbis: *Niſi ſi forte aliqua* (exceptio) *de novo ſibi competens exorta fuerit.* Nec immeritò: quia quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio; ut loquitur Gl. *ib. V. de novo*, illud probans ex *l. de ætate §. ex cauſa ff. de interrog. act.* cum ſimilibus. Unde & Judex delegatus, etiam poſt litem coram eo conteſtatam poteſt recuſari, ſi nova cauſa, v. g. familiaritatis cum adverſa parte, ſupervenerit, *c. inſinuante* 25. *de offic. deleg.*

34 Tertius caſus eſt, quando reus exceptionem oppoſiturus allegat, atque juramento interpoſito probat, ſe poſteà primum in notitiam illius exceptionis perveniſſe. Tunc enim etiam poſt lapſum termini à Judice præfixi audiri meretur, juxta *cit. cap. paſtoralis h. t.* ubi caſus iſte excipitur ſequentibus verbis: *Vel is, qui voluerit tam opponere, fidem faciat juramento, ſe poſtmodum ad illius notitiam perveniſſe.* Quamquam Gloſſa finalis, & marginalis, & Abbas *ib. num* 22 & Jo: Andreas *num* 12. *&* 13. *h. t.* & Speculator *eod. tit. §. Nunc videndum num.* 4. rectè iſtud intelligant de exceptione facti, non juris: putà, quia Reus oppoſiturus exceptionem, ignoravit factum, v. g. quod Judex ſit conſanguineus actoris. Secùs, ſi reus ſciebat Iudicem eſſe actoris conſanguineum, ſed ignorabat, eum per hoc repelli poſſe: quia tunc ipſi imputatur; nam *ignorantia facti, non juris excuſat*, ut loquitur *Reg.* 13. *Juris in* 6.

35 Cæterum in allegato caſu ſufficit, ignorantiam exceptionis probare per juramentum: alioquin enim difficile foret probare, quod quis anteà habuiſſet ignorantiam talis exceptionis. Unde ſi in ſimili caſu ſufficit probatio per juramentum *in c. præſentium* 31. juncta Gl. *V. didicerit de Teſtib.* Accedit: quia in facto alieno *præſumitur ignorantia ubi ſcientia non probatur;* prout loquitur *reg.* 47. *Juris in* 6. Unde non mirum, quod ſtante jam tali præſumptione, ſufficienter probetur ignorantia per proprium juramentum: quia *negantis factum* (putà, negantis, quod præſciverit exceptionem) *per rerum naturam nulla eſt directa probatio*, prout habetur *c. bonæ memoriæ* 23. *§. contra de elect.* & alibi.

36 Dicitur notanter *num.* 30. *& ſeqq. poſt terminum à Judice præfixum.* Nam de hoc *in c. c. paſtoralis h. t.* ſolummodo fit mentio; ac proinde, utrum dicta limitatio in caſu præſertim tertio (de duobus enim prioribus caſibus minor eſt difficultas) etiam locum habeat poſt litem conteſtatam; adeò, ut ſi quis lite jam conteſtata velit jurare, ſe poſtmodum ad notiam exceptionis cujuſpiam, quæ anteà præexiſtebat, primum perveniſſe; variant DD. Et quidem Gl. *fin. c. c. paſtoralis h. t.* negativè reſpondet ea ratione: quia ab initio debet quis inquirere de hujuſmodi dilatoriis, v. gr. an Iudex ſit conſanguineus actoris: etenim jura vigilantibus, & non negligentibus ſubveniunt, *l. Non enim ff. ex quibus cauſis majores &c.* & alii.

37 Affirmativam econtrà ſententiam, videlicet etiam poſt litis conteſtationem poſſe opponi exceptionem dilatoriam, ſi poſteà primum ad rei notitiam ipſa pervenerit,



nerit, idque juramento firmetur; tenet Archidiaconus *can. Si quis Epiſcoporum*, 3. *q.* 6. *nu.* 4. allegans Goffredum *in Summa h. t. §. hoc dicendum eſt*, & alios, qui ſecundum Hoſtienſem ſubtilius intelligunt. Et huic ſententiæ etiam favet Abbas *c. c. paſtoralis, num.* 23. *h. t.* ipſam intelligens, quando nihil poteſt parti imputari, quare non oppoſuerit debito tempore: ſecus, ſi poſſit imputari, ac negligentia pars notari, *arg. c. Innotuit*, 20. *de elect. & c. nulli* 8. *eod. in* 6. Atque hoc ſolum convincit ratio Gloſſæ *num. præced.* allata.

38 Reſp. IV. Præter tres præfatos caſus dantur nonnulli alii, in quibus poſt terminum præfixum, ipſamque litis conteſtationem, admittuntur exceptiones dilatoriæ: Ita Abbas *d. c. paſtoralis, n.* 4. *& n.* 16. *h. t.* tres alios caſus proximè recenſendos ſuperaddens. Pirhing. *eod. tit. nu.* 28. & alii. Quamquam caſus illi vel commode reducantur ad unum ex tribus *in c. c. paſtoralis, h. t.* enumeratis; vel ſaltem non ſint adeò generales, prout contingit in tribus præmiſſis.

39 Sic ulteriùs, & quando poſt lapſum termini peremptorii, à Judice ad proponendas exceptiones præfixi, poteſt aliqua harum opponi, quando tunc primum ſupervenit, facultas ipſam probandi. Paria enim ſunt iſta, videlicet Non competere exceptionem; &, Exceptionem probari non poſſe, aut hanc ignorari, *arg. c. ut circa*, 4. *de elect. in* 6. ibi: *Vel ſuper antiquis ſupervenerit probandi facultas:* juncta Gl. *ib.* ac notat Abbas *cit. n.* 4. allegans inſuper Paulum de Leandris *in Clem. Conſtitutionem de elect.* & Pirhing. *ubi ſuprà.*

40 Deinde, & quinto, poteſt poſt elapſum terminum proponi nova exceptio priori contraria. Gloſſa *in can. Ad hæc* 13. *qu.* 2. *V. ut aſſeritis*, ex profeſſo hanc quæſtionem tractans; atque reſolvens, quod ſi alicui competerent plures exceptiones, quæ non ſunt contrariæ, vel intra præfixum terminum non proponeret omnes, tunc ſuccumbens in una, non audiatur in altera, *arg. §. Qui autem, Inſtit. de Excuſation. tutor. & c. c. paſtoralis, h. t.* Si autem ſint contrariæ, tunc licèt ſuccubuerit in una nihilominùs poſt tempus præfixum poſſit proponere aliam; ut *Leg. contra majores, ff. de Inofficioſ. teſtament.* Idem tradit Gloſſa *fin. in cap. cum Dilectus*, 8. *de Relig. domib.* ac ſequitur Abbas, *ubi ſuprà, nu.* 4. Accedit ratio *n. præc.* allata: quia videlicet duæ exceptiones contrariæ ſimul proponi, ac probari non poterant; ſed poſt rejectam unam, primùm ſupervenit facultas probandi alteram contrariam.

41 Rurſus, ac ſextò, exceptio de incompetentia Judicis, ſi talis ſit Judex, in quem pars litigans conſentire non potuit, putà Clericus in Laicum, poteſt proponi poſt terminum à Iudice præfixum; imò etiam poſt ſententiam latam. Abbas *cit. cap. paſtoralis, num.* 16. *h. t.* Pirhing. *d. num.* 28. & alii. Accedit ratio: quia taciturnitas non excipientis contra talem Judicem nihil officit, ex quo non potuit illum facere judicem. Unde ſicut lite jam conteſtata poteſt opponi talis exceptio incompetentiæ judicis, ob defectum iuriſdictionis, ex quo defectu inducitur nullitas proceſſus, ipſiuſque ſententiæ, *cap. at ſi Clerici*, 4. *de Judiciis*, cum ſimilibus: ita etiam eadem exceptio poteſt opponi poſt lapſum termini à Judice pro opponendis exceptionibus præfixi: cum hæc ipſa præfixio, veluti facta à Iudice incompetente, nullius ſit valoris ac momenti.

42 Septimò, licèt poſt lapſum termini præfixi pars non poſſit amplius excipere, poterit tamen exceptionem prius propoſitam declarare: nam qui declarat, nihil agit de novo, *l Hæredes palàm, §. Si quid, ff. de Teſtament.* & favet textus *in cap. cum dilecti*, 18. *de Accuſation.* Archidiaconus 13. *q.* 2. *in Summa, nu.* 2. Abbas *d. c. paſtoralis, n.* 31. *h. t.* & alii.

43 Tacetur nunc exceptio excommunicationis majoris, utpote quæ ſemper objici poteſt contra Actorem, *c. Exceptionem* 12. *h. t.* commodiùs tamen declarabitur infrà *n.* 85. *& ſeqq.* Tacentur pariter aliæ exceptiones anomalæ, ſeu mixtæ: nam & hæ, cum ſint irregulares, ac normam aliarum exceptionum non ſequantur, poſſunt proponi tam ante, quam poſt litem conteſtatam; uti jam dictum eſt ſuprà *§. præc. n.* 21.

44 Quæritur II. Quo tempore poſſint, ac debeant opponi exceptiones peremptoriæ? Reſpond. I. exceptiones peremptoriæ regulariter opponendæ ſunt poſt litem conteſtatam; poſſuntque proponi uſque ad ſententiam, ſeu concluſionem in cauſa. Ita Gloſſa *cap. exceptionem V. In dilatoriis*, & Abbas *ib. num.* 15. *h. t.* Speculator *tit. de exception. §. dicto de dilatoriis, n.* 1. *& ſeq.* Socinus *in Fallentiis, Reg.* 127. Federicus de Senis *Conſ.* 160. referens talem caſum, in quo *procurator* cujuſpiam (ut inquit) *ineptè propoſuit quaſdam exceptiones peremptorias, quæ veniebant probandæ lite conteſtata:* iudex tamen eas non admiſit, ſed reſervavit poſt litem conteſtatam. Pirhing. *tit. de Litis conteſtat. num.* 23 *&* 24. Zoeſius *h. t. nu.* 6. Sannig *eod. cap.* 2. *num.* 7 & alii; licèt Vallenſis *h. t. nu.* 12. & Engel *eod. nu.* 4. exceptiones peremptorias regulariter tam ante, quam poſt litem conteſtatam, opponi poſſe cenſeant uſque ad ſententiam. Concluſio hæc deſumitur ex *leg. præſcriptionem C. h. t & l. peremptorias, Cod. Sententiam reſcindi &c.* Quo utroque in loco habetur, exceptiones peremptorias poſſe opponi uſque ad ſententiam diffinitivam, non poſteà: niſi forſan quis mereatur reſtitutionem in integrum.

45 Quod autem exceptiones peremptoriæ regulariter ante litem conteſtatam objici non poſſint, deſumitur ex *c.* 1. *de Litis conteſt. in* 6. Ubi exceptio peremptoria antea objecta (demptis caſibus ibidem expreſſis) litis conteſtationem non impedit, nec retardat: unde non niſi inutiliter tunc proponeretur, cum adhuc lis conteſtari, & cauſa proſequi deberet. Accedit alia ratio: tum quia reus non debet proponere, neque probare exceptionem ſuam peremptoriam, antequam actor fundaverit intentionem ſuam; debet enim prius conſtare de iure actoris: alioquin confunderetur ordo iudicii, & fruſtrà reus ſe gravaret onere probandi, cum actore non probante reus ſit abſolvendus, *l. qui accuſare, C de edendo, & c. cum Eccleſia, §. fin. de Cauſ. poſ.* Tum quia exceptiones peremptoriæ concernunt iudicium iam cœptum, *l Si quidem, C. h. t.* ac notat Zoeſius *eod. n.* 6. & Sannig. *h. t. c.* 2. *n.* 7. Tum tandem, quia licèt peremptoria ante litis conteſtationem probaretur, nihil exinde utilitatis probanti accreſceret; cum lite needum conteſtata non abſolveretur, *cap.* 1. *& ſeqq. ut lite non conteſtata &c. & l. prolatam, C. de Sentent. & Interlocut. omn. judic.* iuncto *cit. cap.* 1. *de Litis conteſtation. in* 6.

46 Reſp. II. Fallit nihilominùs data Concluſio quoad utramque partem in nonnullis caſibus. Et quidem poſſe quaſdam exceptiones opponi poſt ſententiam latam, patebit ex dicendis *nu.* 51. 52. *& ſeqq.* Quod autem aliquæ etiam ante litis conteſtationem opponi valeant, oſtenditur inductione. Imprimis enim Exceptiones peremptoriæ litis finitæ, videlicet exceptiones de re iudicata, tranſacta, vel aliàs finita, utiliter proponuntur, atque probantur ante litis conteſtationem. Textus eſt in *cit. c.* 1. *de Litis conteſt. in* 6. iuncta Gloſſa *ibid. V. Finita* Io: Andrea *n.* 3. Ancharano *n.* 2. & aliis: qui tamen cum Io. Monacho intelligunt hanc exceptionem *de re judicata efficaciter;* ſive ab eo, qui ius iudicandi habuit: ſecùs, ſi ſententia lata fuiſſet à Iudice incompetente, v. g. Laico in cauſa ſpirituali. Item exceptionem *de re tranſacta firmiter*, ſive ubi tranſactio bona fide facta fuit, ac tenuit; ut *l. tres fratres ff. de pactis:* alias ſecùs. Gl *loc. cit.* iuncta Gl. marginali *ib.* Item exceptionem *de re finita irretractabiliter*, ſive per amicabilem compoſitionem in ſpiritualibus, ubi non cadit tranſactio; ſive per conſenſum, aut iuramentum delatum à parte parti: quia tale iuramentum maiorem habet authoritatem, quam res iudicata, *L* 2. *ff. de Jurejurand.* Gloſſa, & Io: Andreas, *ubi ſuprà.*

47 Et meritò memoratæ tres exceptiones poſſunt opponi ante litis conteſtationem, hancque impediunt. Tum quia hæ exceptiones concernunt inſtantiam, eamque finiunt, aliæ verò concernunt rem ipſam, ſecundùm Io: Monachum. Tum quia actio, ſive obligatio ſemel extincta, non reviviſcit amplius: *l. qui res §. Aream ff. de Solut.* atqui per memoratas exceptiones intelligitur actio, ſive obligatio extincta. Tum tandem, quia Iura ita ſtatuerunt, ut ſit finis litium, nec poſt unam litem iam finitam (etiam mediante tranſactione extra iudicium facta) teneatur pars iterum ſubire novam litem, novumque iudicium, ne alioquin detur proceſſus in infinitum. Ancharanus *c. n.* 2. Abbas *c. exceptionem n.* 15. *h. t.*

48 Deinde eadem Concluſio limitatur, fallitque, quando exceptio peremptoria exiſtit notoria, ſeu manifeſta. Siquidem in notoriis non debet Judex pati, ut cauſa in judicium deducatur, juxta textum notabilem *in cap. Quoniam 10. de Filiis presbyter.* Abbas *cit. cap. Exceptionem num.* 16. & Felinus *ib. num.* 24. *h. t.* Jo: Andreas *in Addit. ad Speculatorem tit. de Exception. §. Dicto V. Adde quod ſi reus.* Pirhing. *tit. de Litis conteſt. num.* 25. allegans alios.

49 Hoc ipſum extenditur ad eum caſum, quo reus incontinenti probare poteſt exceptionem peremptoriam, putà per inſtrumentum, contra quod actor nihil excipere poteſt: quia talis poteſt illico proponi, etiam ante litis conteſtationem, ad impediendum litis ingreſſum, atque ut citò finis imponatur litibus. Felinus, Pirhing, *ubi ſuprà*, & alii. Secùs dicendum, quando hujuſmodi exceptionis probatio indigeret majori indagine, longiorique diſcuſſione: tunc enim protellari quidem poſſet ante litis conteſtationem, non tamen deberet audiri ejus probatio, ob rationes *n.* 45. allatas; & quia omnia ſuis debent temporibus convenire, *can. Si Eccleſia 23. quæſt. 4.* Speculator *cit. §. Dicto n.* 3.

50 Tertiò limitatur data Concluſio, ubicunque exceptio concludit, actori jus non competere: talem enim exceptionem peremptoriam poteſt reus proponere ante litem conteſtatam, ac hujus conteſtationem impedire. Ratio eſt: quia ſi nullum jus competit actori, ergo nec agere poteſt: atqui ſine actione nemo poteſt experiri in judicio, ſeu convenire alium, *l. Si pupilli §. Videamus ff. de Neg. geſt.* Abbas *cit. num.* 16. Jo: Andreas *ubi ſuprà*, allegans inſuper Bartolum *in l. cum quærebatur ff. Judicatum ſolvi*; & ibi Alexandrum *in Apoſtill.* Pirhing. *tit. de Litis conteſt. n.* 25.

51 Quæritur III. Utrum poſt latam ſententiam opponi poſſint quædam Exceptiones? Reſp. I. Regula eſt, quod poſt ſententiam diffinitivam nullæ exceptiones, etiam peremptoriæ, opponi poſſint. Ita Jura, & DD. *n.* 44. allegati, cum communi. Siquidem poſt latam diffinitivam ſententiam vel ad remedium appellationis eſt confugiendum; vel ſaltem ad beneficium reſtitutionis in integrum, ſi competit, *text. clar. cit. l. peremptorias. C. ſententiam reſcindi non poſſe.*

52 Reſp. II. Fallit nihilominus data regula in exceptionibus, quæ principaliter reſpiciunt executionem ſententiæ: tales enim poſt latam ſententiam opponi poſſunt, ſive ad impediendam hujus executionem, ſive ad iſtam retardandam. Ita Soccinus *in Fallentiis, reg.* 122. *fallent.* 1. *& ſeqq.* Speculator *de exceptionib. §. dicto num.* 14 *& ſeqq. & tit. de Executione ſententiæ §. poſtremò num.* 3. *& ſeqq.* plures tales caſus enumerans. Abbas *c. exceptionem num.* 18. *h. t.* generaliter aſſerens, quod exceptiones peremptoriæ, concernentes executionem ſententiæ, poſſint opponi, atque probari poſt ſententiam. Engel *h. t. num.* 5. Sannig. *eod. cap.* 2. *num.* 9. *&* 10. & alii. Atque iſtud probatur per *l. Ex diverſo §. fin. ff. Soluto matrim.* ubi Bartolus, & Alexander, *in Summario* inquiunt: *Exceptio, quæ non impugnat ſententiam, poteſt opponi poſt ſententiam.* Idipſum oſtenditur inductione, afferendo tales caſus.

53 Sic imprimis exceptio Senatus conſulti Macedoniani, competens filiisfamilias mutuam pecuniam à fœneratore accipientibus, poteſt etiam poſt ſententiam contra filios familias latam opponi, ſi illam anteà, ut ſolvere non tenerentur, non oppoſuiſſent, *l. Tamen ſi ff. Ad S. C. Macedon.* juncta Gl. 1. & DD. *ib.*

54 Secundò, hoc ipſum procedit in exceptione peremptoria Senatuſconſulti Vellejani, mulieribus competente, ne incautè fidejubentes pro aliis, ſolvere compellantur: unde ſi mulier incautè pro alio fidejuſſiſſet; ac non appoſita dicta exceptione condemnata fuiſſet, ut ſolveret pro altero; non obſtante tali ſententia, poterit hujuſmodi exceptionem opponere ad impediendam illius ſententiæ executionem. Textus & Gl. *cit. l. tamen ſi* Speculator. & alii, *qui ſuprà.* Hæc enim ambæ exceptiones, licèt ſint peremptoriæ, non tam ſententiam impugnant, quàm ejus executionem. Zoeſius *h. t. n.* 7.

55 Tertiò, idem procedit in exceptione Militis condemnati, *L. 1. C. de Juris & facti ignorant.* juncto Summario, & DD. *ibid.* Ubi permittitur Militi, qui exceptionem peremptoriam per juris ignorantiam ante ſententiam non obiecit, ut eam poſt ſententiam poſſit opponere; ſicque impedire executionem ejus, ſi facta nondum eſt.

56 Quartò, exceptio competentiæ, quæ datur Donatorio contra Donatarium; *l. Neſennius §. fin. de re judic.* Socio contra Socium, *l. Verum eſt, §. 1. ff. pro ſocio.* Marito dotis nomine, vel conſtante matrimonio adverſus uxorem, *l. Non tantum ff. de re jud.* Clerico contra ſuum creditorem, *cap. Odoardus 3. de Solutionib.* & nonnullis aliis, ne in plus condemnentur, niſi in quantum facere poſſunt, ita ut non egeant. Hæc inquam, exceptio competentiæ etiam poſt latam ſententiam opponi poteſt, per Iura proximè relata, ac præſertim juxta *cit. l. Neſennius. §. fin. ff. de re jud.* ubi Summarium generaliter ſic habet: *Exceptio, quæ non impugnat ſententiam, poteſt opponi in executione ejus.*

57 Quintò, poſt latam ſententiam poteſt contra hujus executionem opponi exceptio compenſationis; ſeu, quia victor in cauſa, tantundem aliunde victo debeat: quia magis intereſt non ſolvere, quam ſolutum repetere. Accedit textus *in l. quod in diem. §. Si rationem ff. de compenſ. & l. Si autem is § Si quocunque modo ff. de negotiis geſtis*: ubi Gl. V. *A Judice*, iſtud intelligit, quando anteà vel Judex noluit habere rationem compenſationis, vel hæc non fuit petita. Alioquin enim, ſi poſt examinationem compenſatio à Judice rejecta eſſet, nec à tali ſententia appellaretur, hæc tranſiret in rem judicatam: ſicque compenſationi illi obſtaret exceptio rei judicatæ, juxta textum *cit. §. Si quocunque modo.*

58 Sextò, accedit huc exceptio juris retinendi. Nam quando creditum, victori in cauſa olim factum, liquidum eſt, ſicque conſtat, victorem victo viciſſim quidpiam debere; competit huic adverſus victorem exceptio retentionis etiam poſt ſententiam, donec ſibi ſolvatur. Surdus *conſ* 248. *n.* 15. & poſt ipſum Jo: Bapt. Ciarlinius *controv. Forenſ. c.* 162. *n.* 41. Adeo, ut nec proſit victori, offerre fidejuſſorem de ſolvendo ſuo debito. Ciarlinius *cit. n.* 41. & 43 poſt Molignatum *tr. de Retentione, part.* 2. *qu.* 417. ea addita ratione: quia retentio eſt favorabilior, quam ipſa petitio. Verum caſus iſte propemodùm convenit cum priori.

59 Septimò, executionem latæ ſententiæ impedit, vel ſaltem retardat exceptio rei non traditæ. Manglius *de Evictton. quæſt.* 98. Item exceptio non numeratæ pecuniæ, ſi adhuc intra biennium opponatur. Fachineus *lib. 2. Contr. Juris cap.* 84. *& ſeqq.* Item exceptio ſolutionis jam factæ: ſicut & exceptio, quod res petita aliunde jam pervenerit ad Actorem; ut *L. 1. C. de Re judicat. & L. 1. & 2. ff. de Conditione ſine cauſ.* Speculator *tit. de Executione ſententiæ §. Poſtremò num.* 6. Siquidem æquitati naturali repugnat, ut alicui ſolvatur, quod nunquam traditum eſt; aut idipſum bis ei ſolvi debeat.

60 Idem dicendum de exceptione tranſactionis, vel pacti de non petendo, aut hujuſmodi. Nam pacta fideliter ſunt cuſtodienda, *c. 1. ac ſeqq. de pactis*: ac proinde etiam poſt ſententiam poteſt fieri ipſorum exceptio ad impediendam, ſeu retardandam illius executionem. Gratianus *diſcept. forenſ. c.* 411.

61 Octavo, exceptio evictionis imminentis ſuper re empta, retardat executionem ſententiæ de ſolvendo pretio rei emptæ; donec emptori idoneè per fidejuſſores caveatur, *l. ſi poſt perfectam. C. de eviction.* Sperellus *Deciſ.* 117 *Fori Eccleſiaſt. num.* 3. poſt Rotam *deciſ.* 281. *nu.* 1. & 6. & 32 *part.* 2 *diverſ.* Romanum *conſ.* 8. *num.* 3. pluresque alios.

62 Nono, exceptio non implementi (ſeu, quod ab altera parte non fuerit obſervatum, quod ſibi ſervari debuerat) repellit agentem, etiamſi defectus ſit in minimo. Baldus *l. Juris gentium §. Adeò notab.* 2. *ff. de Pactis.* Menochius *lib. 1. Conſ.* 1 *num.* 368. Sperellus *cit. dec.* 117. *num.* 68. *& ſeqq.* allegans alios. Quod adeò verum eſt, ut exceptio non adimplementi, retardet etiam executionem Cameralis obligationis. Sperellus *loc. cit. n.* 70. cum aliis. Licitum enim eſt, fidem frangenti frangere eandem, etiamſi juramentum interveniſſet, *l. Julianus. §. Auferri ff. de Action. empti*, & *l. cum proponas. Inter cæt. C. de pactis.* Nam quælibet promiſſio, imò & juramentum eidem appoſitum, tacitam habet conditionem, ſi etiam ab altera parte fides ſervetur, *cap. pervenit 3. de Jurejurand.*



63 Decimo, exceptio attentatorum impedit executionem ſententiæ. Mareſcottus *lib. 2. var. reſ. c.* 121. ubi Rota. Etiam ratione fructuum non liquidorum; niſi notoriè conſtet de non jure petentis revocari attentata. Caſſadorus *dec. 3. de reſt. ſpolia.*

64 Undecimò, poſt latam ſententiam poteſt opponi exceptio contra ejus executionem, quando executor modum excedit in exequendo, vel ſententiam male interpretando. Textus eſt *in c. quod ad conſultationem, in fin. 15. de ſent. & re judic.* ubi dicitur, quod ab executione ſententiæ poſt lapſum decendii non appellatur, *niſi fortè adverſus eum* (appellantem, ſeu excipientem) *modus executionis canonicus excedatur*; quæ poſteriora verba firmant regulam in oppoſitum. Concordat *cap. ſuper quæſtionem 27. § Nos autem*, juncta Gloſſa *V. Modum excedat, de Offic. deleg. & l. Ab executione. Cod. Quorum appellat. non recip.* cum ſimilibus. Atque iſtud intelligit Speculator *tit. de exceptione ſententiæ §. Poſtremo num.* 6. de omni exceptione, quæ poteſt objici contra executionem: unde ulterius, &

65 Duodecimò, poteſt poſt ſententiam objici exceptio contra executionem, ob defectum juriſdictionis, ſeu poteſtatis ex parte exequentis: uti ſi Judex velit exequi ſententiam in rebus extra ſuum territorium exiſtentibus, *l. cum unus. §. Is qui poſſidere ff. de Bonis authorit. judic. poſſid. & c. Romana §. Contrahentes, de Foro compet. in* 6. cum ſimilibus. Speculator *cit. §. Poſtremò num.* 3. *& ſeqq.* apud quem nonulli alii hujuſmodi caſus reperiri poſſunt.

66 Reſp. III. Loquendo nunc de exceptionibus peremptoriis principale negotium concernentibus, ipſamque ſententiam impugnantibus, poſſunt eædem poſt ſententiam proponi, quotieſcunque dicitur, propter eas nullum fuiſſe judicium. Ita Gloſſa 1. *in leg. Tamen ſi. ad S. C. Macedonian.* Speculator *Tit. de Exceptionibus. §. Dicto, num.* 14. Socinus *de Fallentiis, reg.* 121. hinc excipiens duntaxat exceptionem nullitatis contra tres ſententias conformes latas, juxta *Clem. Ut calumniis de Sent. & re judic.* niſi talis nullitas cauſaretur ex defectu iuriſdictionis, aut de ipſa conſtaret ex Actis productis coram Judice &c. & alii. Nec immeritò: nam ſententia contra Leges, Canoneſve prolata, non tenet ipſo jure, nec ab ea opus eſt appellare, *c. 1. de ſent. & re jud.* unde non mirum, quod exceptio nullitatis ejus poſſit impoſterum opponi.

67 Cæterùm nullitas ſententiæ, atque inde conſurgens exceptio ipſius, poteſt oriri multipliciter. Videlicet, vel ratione Iudicis; putà, quia erat incompetens, excommunicatus, aut hujuſmodi, *L. 1. Cod. Si à non competente judice &c. & l. Cum Magiſtratus, & l. certa ratione. C. Quando provocare non eſt neceſſe. & cap. Ad probandum. 24. de Sent. & re jud.* cum ſimilibus. Vel ratione partis, quæ habet privilegium, v. g. immunitatis, ne vocetur ad munera perſonalia: nam vocatio, atque ſententia in contrarium lata, ipſo jure eſt invalida, adeò, ut non ſit opus appellatione, *l. Si pater, & l. Veteranis. Cod. quando provocare &c.* Vel ratione rei, de qua fertur ſententia: ut ſi contra ſententiam, quæ jam tranſivit in rem judicatam, de novo pronuncietur, *l. 1. C. eod.* Vel quando alia conſimili de cauſa ſententia lata non tranſit in rem judicatam, juxta dicenda inferiùs *tit. 27. de ſent. & re jud. §. 4. nu.* 114. *& ſeqq.*

68 Hinc *non ſolum ante ſententiam, verùm etiam poſt eam, objici poteſt exceptio falſitatis: cum falſorum inſtrumentorum prætextu lata ſententia uſque ad viginti annorum ſpatium valeat retractari veritate comperta.* Ita loquitur Pontifex *in cap. Cum venerabilis 6. §. Licèt autem. hoc tit.* & concordat Textus *in l. Querela falſi. C. Ad Legem Cornel. de Falſis, & L. 1. ac ſeqq. C. Si ex falſis inſtrumentis &c.*

69 Similiter exceptio falſi Procuratoris non ſolùm ante ſententiam, ſed etiam poſteà objici poteſt; utpote qua probata judicium reputatur nullum, *cap. In noſtra. 4. §. fin. de procuratorib. & leg. Licet. Cod. eod.* Taceantur alii tales caſus, utpotè *cit. Tit. 27. §. 4.* commodius referendi.

70 Reſp. IV. Quamvis exceptio nullitatis poſſit opponi poſt ſententiam diffinitivam, ut dictum: nihilominùs per exceptionem nullitatis eius regulariter non impeditur executio ſententiæ. Textus eſt in *can. Sicut ſine 2. qu. 1. & Clem. Ut calumniis, de Sentent. & re judicat.* ac notat Gloſſa *cap. cum in jure V. Sententiæ*, & Innocentius *ib. circa princip. de offic. deleg.* Socinus *de Fallentiis, reg.* 122. Bartolus *L. 4. §. Condemnatam, num. 2. & 3. ff. de re judic.* Scaccia *de Appellation. qu. 19. remed. 1. concl. 5. num. 1. & ſeqq.* citans alios, nonnullis tamen exceptis, quos pariter allegat.

71 Accedit ratio. Quia oppoſitio nullitatis ſententiæ, & impeditio executionis ejus, ſunt valdè diverſa, uti liquet ex terminis: atqui à diverſis non valet illatio, *l. Papinianus ff. de Minorib.* & notat Abbas *Conſil. 10. in princ. cit. lib.* 1. Card. Tuſchus *Litt. A. concl.* 510. *n.* 2. Barboſa *in tr. Loca communia arg. jur. Loco* 37. cum aliis. Unde in ſimili poſt latam trinam conformem ſententiam, ſicque poſt excluſum remedium appellationis, poteſt quidem fieri ſupplicatio Principi, nihilominus ipſa pendente mandatur ſententia executioni: præſtita tamen cautione, ut ſi retractetur ſententia, omnia reſtituantur, *Auth. una ſupplicatio. Cod. de Precib. Imperat. offerend.*

72 Additur tamen in data Concluſione, *regulariter non impeditur executio ſententiæ &c.* Fallit enim iſtud, atque per exceptionem nullitatis ſententiæ impeditur iſtius executio, quando talis nullitas eſt evidens, ſeu notoria. Socinus *cit. reg.* 122. *fallent.* 9. poſt Baldum *in Leg. ult. C. Si ex falſis inſtrum.* Sigiſ. Scaccia *d. q. 19. remed. 1. concl. 5. n. 23. & ſeqq.* allegans Rotam *dec. 3. alias 280. de except. in nov.* & communem aliorum. Vel quando dicta nullitas ſententiæ poteſt incontinenti probari: quia etiam tunc exceptio ipſius impedit executionem. Bartolus *cit. §. condemnatum n. 2. & 3.* Socinus, *ubi ſuprà, fall.* 1. Scaccia *cit. n.* 23. & alii. Idque meritò: ne alioquin per executionem ſententiæ manifeſtè iniuſtæ; manifeſta committeretur, ſeu toleraretur iniuſtitia.

73 Fallit inſuper, quando executio ſententiæ foret irretractabilis. Quia etiam tunc exceptio nullitatis ſententiæ, impedit hujus executionem; & quidem tam in cauſis criminalibus, v. g. in amputatione manus, quam in civilibus, donec de nullitate ſententiæ anteà cognoſcatur idque ob periculum inferendi damnum iniuſtum amplius irreparabile. Socinus *c. reg. 122. fall.* 2. ſubiungens plures alias huiuſmodi fallentias: Scaccia *d. remed. 1. concl. 4. num. 74. 75. & 76.* citans alios; atque iſtud intelligens, etiamſi exceptio illa requireret altiorem indaginem, aut opponeretur contra tres ſententias conformes.

74 Quæritur IV. Utrùm exceptiones peremptoriæ poſt latam ſententiam opponi poſſint in cauſa appellationis? Reſp. Affirmativè: adeout exceptiones huiuſmodi poſſint tunc opponi regulariter in omnibus illis caſibus, in quibus poterant opponi in cauſa principali poſt litem conteſtatam. Ita Gloſſa *fin. c. Inter Monaſterium, de ſent. & re jud.* Abbas *c. exceptionem, num. 17. & 18. hoc tit.* & alii. Siquidem per appellationem reſcinditur, ſive ſuſpenditur judicatum, & reponitur in antiquo ſtatu, ut poſſit quis facere ea omnia, quæ poterat poſt litem conteſtatam: ad illum enim ſtatum reducitur, licèt non ad eum, qui erat ante litis conteſtationem. Bartolus *in l. Ita Demum, C. de procurat.* Abbas *loc. cit.* & alii, junctis dictis ſuprà *n.* 28.

75 Additur tamen ly, *regulariter in omnibus illis caſibus &c.* Fallit enim hoc, quando quis ſciens in fraudem, ac malitiosè, prætermiſit opponere exceptionem peremptoriam in cauſa principali, ut ſic fatigaret adverſarium ſuum. Quia tunc dolosè prætermittens opponere exceptionem peremptoriam (dempta exceptione excommunicationis) non eſt audiendus in ſecunda inſtantia, ſeu in judicio appellationis. Gloſſ. *fin. c. Inter Monaſterium*, & Jo: Andreas *ib. n.* 17. & Abbas *nu. 15. de ſent. & re judic.* poſt Hoſtienſem *ibid.* Idemque Abbas *in c. 1. num. 9. h. t.* iſtud intelligens de quacunque exceptione, quæ malitiosè tempore determinato non fuit oppoſita, ut poſt illud tempus non admittatur. Accedit ratio; quia malitiis hominum non eſt indulgendum, *l. In fundo. ff. de rei vendicat.*

76 Idipſum, & magis ad propoſitum, deſumitur *ex cap. Exceptionem 12. h. t.* argumento à ſpeciali deſumpto: ibi quippe in exceptione excommunicationis (majoris videlicet) iſtud habetur ſpeciale, ut in quacunque litis parte poſſit opponi; ita tamen, ut ſi malitioſè dilata fuerit, reus actori in legitimis expenſis condemnandus ſit. Atque iſtud eſſe ſpeciale in exceptione excommunicationis, probat textus *in c.cap. exceptionem hoc tit.* ſic ſonans: *Exceptionem excommunicationis in dilatoriis proponendis reus ſcienter omittens, in qualibet parte litis opponere minime prohibetur; quod eſt in hac exceptione ſpecialiter obſervandum: ne quiſquam in periculum animæ excommunicato communicare cogatur*, &c. Ergo cum iſtud ſit ſpeciale in exceptione excommunicationis ſcienter omiſſa, & quidem ob rationem allegatam, idipſum in aliis exceptionibus ſcienter, & malitioſè omiſſis, locum non habet; eo præſertim, quia in iſtis allegata ratio non procedit. Jo; Andreas *cit. n. 17.*

77 In praxi tamen non illico Judex exceptionem peremptoriam repellere debet propter quamlibet fraudis, ſeu malitiæ ſuſpicionem. Tum quia nemo præſumitur malus, niſi probetur malus, *cap. ult. de præſumpt.* cum ſimilibus. Et qui dolum allegat, dolum probare debet, *l. quoties, §. qui dolo, ff. de probation.* Tum quia dolus non niſi ex indiciis perſpicuis probatur, *l. Dolum Cod. de Dolo malo.* Unde & Pontifex *in cap. Suſcitata, 6. de in integrum reſtitut.* poſt ſententiam à ſe latam, admiſit exceptionem præſcriptionis à reo propoſitam (haud obſtante, quod *ex præſumptionibus pluribus videbatur per malitiam excogitata*) idque ſub certis tamen cautelis, cenſuit faciendum *æquitate penſata*, ſeu ne cuiplam parti præjudicium generaretur. Abbas *c. c. Suſcitata, num. 3. De in integrum reſt.*

78 Et ſi petas, quomodò ejuſmodi dolus, ſive malitia differentis opponere exceptionem ad fatigandum adverſarium ſuum, probari valeat? Reſpondet Abbas *cit. cap. Inter Monaſterium, num. 14. in fin. de Sent. & re jud.* ejuſmodi dolum probari poſſe vel ex confeſſione adverſarii; putà, quia ipſemet extra judicium id dixerat: vel ex conjecturis, ſive ex indiciis perſpicuis, juxta *cit. l. Dolum, C. de Dolo malo.*

## §. III.

## Solvuntur alia Dubia oppoſitionem Exceptionum concernentia.

*SUMMARIUM.*

79 *Exceptiones, à quibus poſſint opponi? Et numer. ſeqq.*
*Eæ opponuntur à reis, horumque hæredibus*, Ib.
80 *Replicatio poteſt ab Actore fieri contra exceptionem rei, & contra illam Duplicatio, Triplicatio &c.*
81 *Exceptiones reo competentes (niſi fuerint perſonales) poſſunt etiam à Fidejuſſore ipſius opponi.*
82 *Et ſi exceptio legitimè oppoſita, per Judicem non admittatur, poteſt appellari:*
*Exceptiones ſunt arma, clypei & loricæ reorum.* Ib.
83 *Exceptio reprobatur non ſolum verbis, ſeu per ſententiam interlocutoriam, ſed etiam facto, ſive ultrà procedendo.*
84 *Exceptiones modici præjudicii poteſt Judex repellere ex levi præſumptione fraudis.*
85 *Judex poteſt revocare malam ſententiam Interlocutoriam de non admittenda exceptione; & poſteà procedere in cauſa principali, etiam nolente parte appellante.*
86 *Judex non debet erubeſcere revocare id, quod malè egit.*
*Praxis revocandi gravamen verbis curialibus.* Ib.
87 *Si exceptione non admiſſa appelletur, tunc Judex appellationis ſuper ſola veritate exceptionis cognoſcit, non vero de cauſa principali.*
88 *Solvitur inſtantia* ex cap. ex parte, de Appellat. *deſumpta.*
89 *Quando reus purè excipit, non per hoc confitetur intentionem adverſarii.*
90 *Qui excipiendo fatetur permutationem Eccleſiæ eſſe factam &c. non idcircò fatetur, Eccleſiam illam anteà fuiſſe alterius; & cur?* Ib.
91 *Si Reus non purè excipiat, ſed ſimul adjungat confeſſionem, & quidem ſeparatam ab exceptione, tunc ipſe ſibi præjudicat, &c.*
92 *Excipiens confitetur factum in exceptione contentum.*
93 *An ſi reus opponat exceptionem peremptoriam, & in ejus probatione deficiat, condemnetur tanquam confeſſus?*
94 *Si Reus eſt certus, quod Actor non poſſit probare ſuam intentionem, debet negare, non excipere; & cur?*
95 *Quod ſi dubitet, num Actor valeat probare intentionem ſuam, poteſt negationem & exceptionem cumulare, & quomodo.*
96 *Poteſt quis uti pluribus exceptionibus, etiam contrariis.*
97 *Tum ſucceſſivè.*
98 *Tum etiam ſimul, ſaltem disjunctivè.*
99 *Actor non poteſt ſimul plures actiones inſtituere ſuper eadem re, benè tamen reus pluribus exceptionibus uti; & cur?*
*Reus excipiendo fit actor neceſſarius.* Ib.

QUæritur I. A quibus poſſint Exceptiones proponi, & ſi non admittantur, appellari? Reſ. I. Exceptiones opponuntur à reis, horumque Hæredibus, & Fidejuſſoribus; niſi fuerint exceptiones perſonales. Ita Hoſtienſis *in Summa, h. t. n. 4.* & alii. Ratio eſt, quia exceptio eſt actionis excluſio; ergo hoc ipſo poterit ipſa opponi à reo, contra quem actio eſt inſtituta, ejuſve Hærede, utpote qui in univerſum jus ejus ſuccedit, *l. eum hæres, ff. de divers. & temp. præſcr.* 79

Poteſt tamen ab actore deinde fieri replicatio contra exceptionem rei, & à reo publicatio contra replicam actoris, & rurſus ab actore triplicatio contra illius duplicam; ac ſic deinceps multiplicando nomina, quamdiu naturalis æquitas, ac ſpeciales locorum conſtitutiones, ſive conſuetudines progreſſum admiſerint, *l. 2. § Illud, ff. h. t. & §. 1. Inſt. de replic.* fuitque practicatum *in c. Ex p. 17. de Foro comp.* 80

Cæterùm, quod exceptiones reo competentes (dummodò non fuerint perſonales, juxta dicta *n. 16.*) proſint etiam Fidejuſſori ipſius, ab eoque poſſint opponi; textus eſt in *§ Exceptiones autem Inſt. de replicat.* addita ea ratione: *Quia quod à fidejuſſoribus petitur, id ab ipſo debitore, ſive reo, peti videtur: quia mandati judicio redditurus eſt eis, quod ii pro eo ſolverint.* Et hoc adeo verum eſt, ut omnes exceptiones reales, quæ reo competunt, Fidejuſſori quoque, etiam invito reo, competant, *text. clar. l. Omnes ff. h. t.* Ubi Gloſſa ly, *etiam invito reo*, ſic intelligit, quod ejuſmodi exceptionem Fidejuſſor, etiam invito reo, opponere valeat; reo tamen manente in integro ſtatu, ut *l. defenſiones, C. eod.* Concordant dicta ſuperius *n. 17.* 81

Reſp. II. Si exceptio legitimè oppoſita per Judicem non admittatur, poteſt appellari. Ita Abbas *c. ult. num. 4. de Libelli oblation.* Speculator *Tit. de exception. §. Viſo quando, num. 27. & ſeq.* Bartolus *in l. A procedente C. de dilation.* & alii. Siquidem rationabiles exceptiones debet Judex admittere, *text. clar. c. Ex parte tua, 13. de Off. Delegat.* Unde eas non admittendo, injuſtè gravat partem, ſive reum excipientem contra actorem; eo quod eum privet ſua legitima defenſione, Jure naturali ſibi conceſſa & debita; cum exceptiones ſint arma, clypei & loricæ reorum, juxta Gloſſam *ad rubr. h. t.* & dicta ſuperiùs *num. 1.* Ac proinde meritò appellare poterit reus excipiens, & non auditus, à tali gravamine contra Jus naturale ſibi illato. 82

Notandum tamen, quod exceptio non ſolum cenſeatur reprobari verbis, ſeu quando Judex per ſententiam interlocutoriam rejicit ipſam; ſed etiam facto ipſo, ſive quando Judex, poſt quam de veritate exceptionis cognovit, non obſtante exceptione ultrà procedit: nam procedendo ultrà, tacitè pronunciat ipſam non obſtare; ac proinde; ſi tacitè pronunciando, ſeu ultrà procedendo gravavit partem, quia fortè exceptio legitimè obſtabat, poteſt appellari. Deſumitur iſtud ex *c. Ex parte M. 67. de Appellat.* ibi: *Judices hac exceptione neglecta, &c.* ac notat Abbas *ib. n. 2.* Bartolus *cit. l. A præcedente, C. de Dilat.* cum aliis. 83

84 Iterum fatendum eſt cum Innocentio *ca. poſt electionem circa fin. de Conceſſ. præbend.* & Abbate *c. Interpoſita, §. 1. n. 3. de Appel.* quod exceptiones modici præjudicii poſſit Judex repellere ex levi præſumptione fraudis, ſeu quod tantum opponantur ad morandam litem: niſi forſan incontinenti velit quis ſuam exceptionem probare, ſicque præſumptio fraudis ceſſaret. Quod ſi vero exceptio ſit magni præjudicii, ut putà, exceptio de non petendo, vel præſcriptionis, non debet ea repelli ſine vehementi præſumptione, *arg. c. conſtitutus 45 de appell. & c. Suſcitata, 6. de in integrum reſt.* cum ſimilibus.

85 Notandum ulterius, ſi Judex viderit, ſe malè interlocutum fuiſſe, aut malè proceſſiſſe non admittendo interpoſitam exceptionem, quod is non obſtante appellatione partis poſſit ſuam ſententiam interlocutoriam, vel factum illegitimum proceſſum revocare; & facta ſui erroris revocatione poterit in principali cauſa procedere, etiam nolente parte appellante. Textus eſt *in c. cum ceſſante, 60. de appell.* & ampliùs declarat Gl. *fin. ib.* Abbas *nu. 3. & ſeqq.* Barboſa *n. 1. & ſeqq.* allegans alios Speculator *tit. de exception. §. Viſo quando, n. 37.* addens, talem revocationem debere fieri utraque parte præſente, vel ſaltem eam ad notitiam appellantis pervenire debere, ne alioquin ſuperfluis expenſis oneretur.

86 Nec debet Judex erubeſcere revocare id, quod malè egit. Tum quia etiam Papa ſuam ſententiam injuſtè latam corrigit, atque in melius mutat, *can. Veniam, & can. Sententiam: 35. q. 9. & c. Tum ex litteris, 5. De in integrum reſt.* Et Imperator non erubeſcit ſi quid melius etiam horum, quæ prius dixerat, advenerit, id ſancire, *Auth. de Nuptiis, §. 1. Collat. 4. Auth. ut fratrum filii, &c. §. 1. Collat. 9.* Nam Sapientis eſt, in melius mutare conſilium; atque, ut *can. Magnæ, 22. qu. 4.* ex S. Auguſtino refertur, *Magnæ ſapientiæ eſt, revocare hominem, quod malè locutus eſt.* Tum quia, ſi Judex non eſt certus de gravamine à ſe illato, poteſt gravamen revocare verbis curialibus, v. g. dicendo: *Non credo, quod te gravaverim, ſed ſi te gravavi, revoco &c. Aut paratus ſum revocare, ſi de gravamine docueris &c.* Gloſſa *fin. cit. capit. Cum ceſſante de appell.* Speculator *loc. cit. n. 40* iſtum modum probans ex *c. ad Apoſtolicam* juncta Gl. *℣ parata Eccleſia de ſent. & re jud. in 6.*

87 Reſp. III. Quod ſi exceptio declinatoria Fori, vel alia dilatoria oppoſita non admittatur, ideoque appellatum fuerit, tunc Judex appellationis ſuper ſola veritate exceptionis coram eo probandæ cognoſcit: qua probata, Judex appellationis pronunciabit quidem, appellationem fuiſſe legitimam de cauſa tamen principali non poteſt cognoſcere, ſed debet ea ſuperſedere. Ita deſumitur ex *c. Olim, 7. h. t.* ac notat Abbas *ib. in Summario*, Barboſa *in Collectan. num. 1.* Pirhing. *h. t. num. 41. & 42.* cum communi. Ratio eſt, quia Judex appellationis, ſeu ad quem appellatum fuit, de eo tantum cognoſcere poteſt, ſuper quo extitit appellatum; atqui in tali caſu fuit appellatum duntaxat ſuper exceptione, non vero ſuper cauſa principali; ergo

88 Nec obſtat *cap. ex part. M. 57. de Appellat.* ubi Judex appellationis non ſolum cognoſcere jubetur ſuper exceptione, propter quam antea oppoſitam, ſed à Judice non admiſſam, appellatum fuit; ſed etiam ſuper cauſa principali. Reſp. enim, ibi ſermonem eſſe de Judice delegato à Papa, cui Pontifex, ad quem appellabatur, non ſolùm cognitionem exceptionis, ſed ea probata etiam cognitionem cauſæ principalis expreſſè commiſerat; uti liquet ex textu, & notat Pirhing. *h. t. n. 42.* Aliàs ſecus.

89 Quæritur II. Utrum excipiens de intentione adverſarii confiteri cenſeatur; ita ut ſi in probatione exceptionis deficiat, condemnandus ſit tanquam confeſſus? Reſp. I. Quando reus purè excipit, non per hoc confitetur intentionem adverſarii. Ita communis; atque habetur ex *Reg 63. Juris in 6.* ibi: *Exceptionem objiciens, non videtur de intentione adverſarii confiteri.* Concordat textus *in l. Non utique, ff. h. t.* ibi: *Non utique exiſtimatur confiteri de intentione adverſarii; cum quo agitur, qui exceptione utitur.* Unde *in cap. Cum venerabilis, 6. h. t.* rejicitur illatio cujuſdam Epiſcopi, qui ex exceptione Procuratoris partis adverſæ, quod Eccleſiam aliquam ex cauſa permutationis obtineret, inferre voluit tanquam à Procuratore confeſſum, olim dictam Eccleſiam ad jus pertinuiſſe Epiſcopi, ſed hanc illationem Papa rejecit: *Quia* (inquit) *exceptionem objiciens, de intentione partis adverſæ non intelligitur fuiſſe confeſſus.* Accedit ratio; quia exceptio, eſt actionis excluſio; ergo hoc ipſo opponens exceptionem, non confitetur intentionem Actoris: alioquin enim exceptio haberet duos contrarios effectus, affirmando nempe intentionem Actoris, & eandem negando, ſeu excludendo.





Dices. Qui excipiendo fatetur, permutationem Eccleſiæ eſſe factam, hoc ipſo fatetur, Eccleſiam illam antea fuiſſe alterius. Et ſimiliter, qui excipiendo aſſerit, ſe volviſſe, quod actor petit, hoc ipſo fatetur ſe anteà fuiſſe debitorem: nam qui fatetur unum, per conſequens confitetur id, quod ſequitur ex illo, *c. Cum ſuper, 23. de Offic. deleg.* ergo. Reſp. Negando antecedens quoad utramque partem, una cum ſuæ probationis conſequentia. Quia, ut notat Gloſſa *in c. c. cum venerabilis, ℣. confeſſus, h. t.* & Abbas *ib. num. 25 & 26.* benè poteſt eſſe permutatio, vel etiam ſolutio de facto, & non de jure: datur enim ſolutio indebiti, aut permutatio rei alienæ. Ac proinde, qui illam excipiendo opponit, non idcircò fatetur intentionem adverſarii (hoc eſt, quod Eccleſia illa re vera pertinuerit anteà ad Actorem, vel quod excipiens fuerit ipſius debitor) quia utrumque potuit fieri abſque eo, quod adverſarius habuerit jus ad recipiendam rem permutatam, vel ſolutam. Oportet proinde, quod adverſarius, ſive Actor, de hoc Jure ſuo aliunde doceat, illudque probet. 90

Reſp. II. Quod ſi vero reus non purè excipiat, ſed ſimul adjungat confeſſionem, & quidem ſeparatam ab exceptione; tunc ipſe ſibi præjudicat, atque per ejus confeſſionem fundatur intentio Actoris: ut putà, reus dicit: *Fateor pecuniam à te mihi mutuò datam, ſed ego jam ſolvi;* vel, *ſed tu pactus es mihi de ea non repetenda.* Tunc enim per talem confeſſionem Rei de recepta mutuò pecunia, fundata eſt intentio Actoris; adeout Actor relevetur ab onere probandi debitum, & reus afficiatur onere probandi exceptionem, ac niſi hanc probaverit, condemnandus ſit: quia in tali caſu confeſſio eſt ſeparata ab exceptione. Ita Abbas *c. Exceptionem, nu. 26 verſ. Quartam opinionem. h. t.* iſtud probans ex *l. Siquidem, C. h. t.* ubi dicitur *Si vero de hac* (intentione Actoris) *confitendo, exceptione te munitum aſſeveras, de hac tantum agi convenit.* Concordant dicta ſuperius *t. 18. de Confeſſis, §. 5 nu. 117. & ſeq.* agendo de confeſſione qualificata. 91

Reſp. III. Inſuper certum eſt, quod excipiens confiteatur factum in exceptione contentum; putà, quod juxta caſum *c. c. cum venerabilis, 6. h. t.* facta fuerit quædam permutatio Eccleſiarum. Ita Abbas *c. c. cum venerabilis, n. 26. h. t.* & alii. Hinc *in c. ex p. Decani, 23 de reſcr.* cum reus nobilis excipiendo propoſuerat, Procuratorem V. à ſe fuiſſe revocatum ante impetrationem certarum Litterarum Apoſtolicarum (de quibus ibidem ſermo eſt) Actor in hac ipſa revocatione Procuratoris V. veluti confeſſata, poſtmodum ſe fundavit; & quaſdam alias Litteras Apoſtolicas, ab eodem revocato Procuratore V. impetratas, invaliditatis redarguit, quæ etiam fuerunt caſſatæ: ſicque patet, quod excipiens confiteatur factum in exceptione allegatum. 92

Et conformiter dictis patet ſolutio ad illam quæſtionem, an ſi reus exceptionem peremptoriam opponat, v. g. ſolutionis, vel præſcriptionis; & poſteà in ejus probatione deficiat, condemnetur tanquam confeſſus? Reſ. enim cum Engel *h. t. n. 6.* allegante Abbatem *c. c. cum venerabilis, n. 26 eod.* ſub diſtinctione. Quia reus deficiens in probatione ſuæ exceptionis, vel poſteà negat intentionem actoris quoad jus, puta dicendo: *Fecimus quidem contractum; ſed nego ipſum eſſe validum:* erit audiendus; cum nemo prohibeatur uti pluribus exceptionibus, etiam diverſis, *l. Nemo prohibetur, ff. de Reg. Jur.* atque amplius dicetur *n. 81. & ſeqq.* reus vult negare intentionem actoris quoad factum jam per ſuam exceptionem confeſſatum; & non auditur amplius, niſi de errore docuerit, conformiter dictis ſuprà *Tit. 18. De Confeſſis. §. 3. num. 77. 78. & 80.* 93

94 Cæterùm in praxi notandæ ſunt ex l. ſiquidem, C. h. t. ſequentes cautelæ. Prima eſt: ſi reus eſt certus, vel confidit, quod Actor non poſſit probare ſuam intentionem, debet negare (intellige, ubi conſcientia, & veritas non eſt in contrarium) non autem excipere. Quia excipiendo, onus probandi in ſe ſuſcipit, nam reus in exceptione eſt actor, l. 1. ff. h. t. Si autem negat, Actore non probante reus abſolvitur, l. qui accuſare, C. de edendo, & c. cum Eccleſia, §. fin. de Cauſæ poſſeſ. cum ſimilibus.

95 Secunda cautela ibidem expreſſa eſt: Quod ſi verò reus dubitet, num actor valeat ſufficienter intentionem ſuam probare, poteſt negationem, & exceptionem cumulare, dicendo v. g. Nego, vel non confiteor, me accepiſſe mutuum à te; ſed ſi eſſet, aut probaretur, dico me tibi ſolviſſe: & idem dicendum de aliis exceptionibus. Atque hunc excipiendi modum, tanquàm ſecuriſſimum, commendat Gl. c. c. cum Venerabilis ℣. Confeſſus, h. t. & Abbas ib. 26. & 27. & Dynus in reg. except. n. 5. de reg. jur. in 6. Nam quia circa propoſitum extant diverſæ DD. ſententiæ, uti videre eſt apud Abbatem loc. cit. ut evitetur quævis controverſia, oportet reum eſſe cautum, quod taliter excipiat, ut nullo modo videatur fateri.

96 Quæritur III. An poſſit quis uti pluribus exceptionibus etiam contrariis? Reſp. affirmativè, text. clar. l. Nemo prohibetur, ff. h. t. ibi: Nemo prohibetur pluribus exceptionibus uti, quamvis diverſæ ſint. Concordat Reg. 20. Iuris in 6. ibi: Nullus pluribus uti defenſionibus prohibetur. Et ratio eſt: quia defenſio eſt de Iure naturali, ſicque nulli deneganda, l. Vim vi, ff. de juſt. & jur. & Clem. Paſtoralis, §. Cæterum, de ſent. & re jud. Atqui exceptio, eſt aliqua defenſio; ergo non debet cuipiam denegari, etiamſi ſit multiplex.

97 Hinc ſi quis conventus à principio negavit debitum, ſicque propoſuit exceptionem facti, poteſt nihilominùs poſtmodum alias exceptiones proponere; prout habetur expreſſum l. Nemo ex iis, ff. de reg. jur. ibi: Nemo ex iis, qui negant ſe debere, prohibetur etiam alia defenſione uti, niſi Lex impediat: cuius prohibitionis exempla nonnulla refert Gl. ib. ℣. Nemo. Item ſi quis à principio propoſuit exceptionem minus utilem, v. g. iuriſiurandi, vel pacti, quæ ſibi non competebat; poteſt deinde proponere aliam magis utilem, v. g. rei iudicatæ, præſcriptionis, aut huiuſmodi, l. Li. qui ff. h. t. & alibi.

98 Quinimo non ſolùm ſucceſſivè, ſed etiam ſimul, poſſunt proponi exceptiones contrariæ, arg. c. auditis, 15. de Præſcript. ubi Abbas de Heveſca contra Epiſcopum Vigorienſ. oppoſuit contrarias defenſiones, ſeu exceptiones, videlicet privilegium, & præſcriptionem: nam quod meum eſt (puta, virtute privilegii) ex alia cauſa meum fieri non poteſt (putà, iure præſcriptionis) niſi deſierit eſſe meum prout loquitur textus in c. Inter dilectos, §. cæterum, de Fide inſtr. iunctis concordantiis à Gl. ib. ℣. quod meum eſt, relatis. Quamquam in eo caſu, quo quis exceptiones contrarias ſimul oppoſuit, intelligatur illas oppoſuiſſe disjunctivè, ut ſi unam non potuerit probare, alteram probet, arg. c. c. auditis, ac notat Abbas ib n. 24. & Innocentius circa medium de præſcr. Concordat textus iam allegatus ex c. l. Nemo prohibetur, ff. h. t. iuncta Gl. un. ib. cum ſimilibus.

99 Dices. Actor non poteſt ſimul plures inſtituere actiones ſuper eadem re, cit. l. Nemo ex iis, §. fin. ff. de reg. jur. ibi: Quoties concurrunt plures actiones ejuſdem rei nomine, una tantum experiri debet: iuncta l. quod in hærede, ff. de Tribut. action. Atqui reus excipiendo fit actor, l. 1. ff. h. t. ergo. Reſp. Maiorem procedere de actore voluntario, ſeu de eo, qui prima vice actionem contra alterum intentat; ſicque in eius poteſtate eſt, an, quando, & quomodo velit provocare ad Iudicem; ac proin tenetur venire paratus, & eligere, qua velit actione experiri. Secùs autem dicendum eſt de reo, qui excipiendo fit Actor neceſſarius, atque permittente ſic Iure naturali poteſt ſe defendere modo quo poteſt meliori, ſicque pluribus exceptionibus uti. Accedit, quod Leges plus ſubveniant illi, qui neceſſario agit, quam qui omnino libere, c. ab arbitris, de offic. deleg. in 6. iunctis concordantiis à Gl. fin. ib. relatis.

## §. IV.

## De Exceptionibus in Judicio ſummario, aut ſummariſſimo proponendis.

### S U M M A R I U M.


100 Utrum exceptiones in Judicio ſummario ſint admittendæ? Et ratio dubitandi.

101 In hoc non prohibentur fieri exceptiones legitimæ; quamvis repelli debeant fruſtratoriæ. Et n. ſeqq.

102 Solvitur ratio dubitandi.

103 Et probatur, in judicio ſummario admittendas eſſe exceptiones legitimas.

104 Præſertim, ſi non requirant altiorem indaginem.

105 Exceptiones fruſtratoriæ in eo ſunt repellendæ; & quidem fortiùs, ac in aliis caſibus. Et n. 101.

106 An exceptiones dilatoriæ in Judicio ſummario repelli debeant, diſtinguendum eſt n. ſeqq.

In hoc repelluntur fruſtratoriæ; non verò legitimæ exceptiones dilatoriæ, ſi hæ non requirant altiorem indaginem.

107 Exceptio altiorem indaginem requirens, quæ ſit, Judicis arbitrio relinquitur.

108 Exceptiones dilatoriæ legitimæ, etiam altiorem indaginem requirentes, ſunt admittendæ in Judicio ſummario, quando abſque earum examinatione in cauſa procedi nequit ſine magno ipſius cauſæ præjudicio.

109 Secùs, quando in cauſa procedi poteſt abſque eiuſdem præjudicio.

110 Atque iſtud probatur.

111 Judicium ſummariſſimum, quod? Et n. ſeqq.

112 Solet declarari per poſſeſſorium retinendæ.

Appellatur, Judicium interim, ſive Summariſſimum poſſeſſorium. Ib.

113 Judicium retinendæ poſſeſſionis, duplex: ordinarium, ſeu plenarium; &

114 Poſſeſſorium ſummarium, ſeu potius ſummariſſimum: idque declaratur.

115 Sententia in ſummariſſimo judicio lata, eſt ſolùm interlocutoria, non diffinitiva.

Nec affert perpetuum, ſed modicum duntaxat præjudicium. Ib.

Secùs dicendum de ſententia lata in poſſeſſorio ordinario Num. 113.

116 In Judicio ſummariſſimo non admittuntur exceptiones tangentes proprietatem rei.

117 Nec turbidæ, ſeu requirentes altiorem indaginem.

118 Atque iſtud variè exemplificatur.


Quæritur I. Utrum exceptiones, præſertim re- 100
quirentes altiorem indaginem, admittendæ ſint in Iudicio ſummario? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi, deſumitur ex Clem. Sæpe contingit §. non autem de Verb. ſignif. ubi Pontifex loquens de Iudicio ſummario, in quo ſimpliciter ac de plano proceditur inter alia Iudici mandat, ut amputet dilationum materiam; litem quantum poterit, faciat breviorem, exceptiones, appellationes dilatorias & fruſtratorias repellendo. Verùm his non obſtantibus

Reſp. I. In Iudicio ſummario non prohibentur fieri 101
exceptiones legitimæ; quamvis repelli debeant fruſtratoriæ, & quidem fortiùs in eo, quam in aliis iudiciis: ita Gl. in cit. Clem. Sæpè contingit ℣. Amputet. & ſeqq. & Abbas ib. n. 36. aſſerens, per dictam Clementinam, quantum ad hoc, nihil poni ſpeciale, niſi quod in Iudiciis ſummariis magis, quàm aliis, debeat Iudex laborare ad litem abbreviandam. Hoc ipſum tradit Ancharanus in ead. Clem. n. 19. & Imola ib. §. Gloſſa dilationes, & alii. Idque deſumitur ex verbis dictæ Clementinæ, utpote in qua non abſolutè dicitur, repellendas eſſe exceptiones; ſed cum addito: Exceptiones, appellationes dilatorias & fruſtratorias repellendo.

Et per hoc patet ſolutio rationis dubitandi, ex cit. Clem. 102
Sæpè contingit. proximè adductæ. Procedit enim duntaxat in exceptionibus fruſtratoriis, utpote de quibus loquitur dicta Clementina: ſecùs in legitimis.

Acce-



103 Accedit ratio prioris partis Concluſionis: quia rationabiles, ſeu legitimæ exceptiones, ſunt arma, clypei & loricæ Reorum, juxta Gloſſam ad Rubric. h. t. ergo nullo modo, ne quidem in Judicio ſummario, ſunt denegandæ Reis; cùm pertineant ad juſtam horum defenſionem, jure naturali omnibus injuſte moleſtatis conceſſam; ut l. Vim vi §. cum, ff. de Vi & vi armat. junctis dictis ſuprà nu. 82. Confirmatur hoc ipſum per textum expreſſum in c. Ex parte tua 13. de Offic. Delegat. ubi non obſtante forma Litterarum Apoſtolicarum, Delegatus Papæ debet rationabiles exceptiones admittere. Unde quamvis hæc clauſula, Sine aliqua exceptione, omnem videatur excludere exceptionem, arg. l. Thais ancilla §. Stichus ſervus ff. de Fideicommiſſar. libertat. ea tamen non tollit exceptiones rationabiles, ſeu legitimas. Gloſſa cit. c. Ex parte tua ℣. Nullæ de Offic. Delegat. illud, præter textum i. ulteriùs firmans ex c. Audita 4. de Reſtit. ſpoliat. & l. Obligatione ff. de Pignorib. cum ſimilibus. Barboſa tract. de Clauſulis clauſ. 156. n. 2. poſt Rebuſſum in Compend. altenat. num. 49.

104 Atque iſtud vel maximè procedit, quando exceptio cæteroquin rationabilis non requirit altiorem indaginem: quia tunc omnino admitti, atque anteà diſcuti debet exceptio, etiam in Judicio ſummario. Abbas c. cùm dilecta n. 22. de Confirmat. utili vel inut. id probans per textum ibid. dum Pontifex à principio facile admittit exceptionem præſcriptionis propoſitam contra innovationem privilegiorum, dum arbitrabatur, eam per Delegatos ſuos brevi expediendam: ſed cognito, quod dicta exceptio longiorem tractum temporis requirat, ea non obſtante procedendum duxit ad innovationem memoratorum privilegiorum.

105 Altera pars Concluſionis, ſeu quod in Judicio ſummario repellendæ ſint exceptiones fruſtratoriæ, atque frivolæ (hoc eſt, fragiles duntaxat, ac nullius ſolidi fundamenti, ſicque deſervientes ſolummodò ad malitioſe procraſtinandam litem) patet ex textu jam allegato d. Clem. Sæpe contingit de Verb. ſignif. juncta Gloſſa ℣. dilatorias, & DD. ibid. Qui addunt, quamvis Judex in omnibus cauſis laborare debeat, ut litem quantùm fieri poteſt, breviorem reddat, exceptiones, dilationes, & appellationes fruſtratorias repellendo, ac nimiam teſtium multitudinem refrænando; ut L. 1 C. de Dilation. & l. Properandum §. 1. C. de Judiciis, & c. Finem litibus 5. de Dolo & contum. cum ſimilibus: iſtud tamen fortiùs fieri poſſit, & debeat in Judicio ſummario, utpote in quo procedendum eſt ſimpliciter, ac de plano, & ſine ſtrepitu; ſicque contentioſis, aut indiſcretis vocibus, vel (quod deterius eſt) obſtinatis diſceptationibus obſtrepere non licet, can. In loco 5. qu. 4.

106 Reſp. II Utrum in Judicio ſummario repelli debeant exceptiones dilatoriæ, diſtinguendum eſt. Et quidem exceptiones dilatorias, quæ ſunt frivolæ, ſeu merè fruſtratoriæ, non eſſe admittendas, patet ex proximè dictis. Econtrà verò plures reperiri legitimas exceptiones dilatorias, quæ in Judicio etiam ſummario admitti debent, neque ſine injuria partis rejici poſſunt, præſertim ſi non requirant altiorem indaginem, in confeſſo eſt. Sic enim exceptio pacti de non petendo ante tempus, procul dubio admitti debet; ut cap. un. De plus petition. Idemque dicendum de exceptione ſpolii, cap. 1. & ſeqq. de Reſtitut. ſpoliat. & aliis hujuſmodi, quæ non requirunt altiorem indaginem.

107 Porrò, quænam in caſibus particularibus cenſeatur Exceptio altiorem indaginem requirens, nec ne, prudentis Judicis arbitrio eſt relinquendum, qui penſatis qualitate cauſæ, & perſonarum, aliiſque circumſtantiis id dijudicabit. Menochius lib. 2. de Arbitrar. Judic. caſ 20. n. 3. citans Romanum in Rubric. de Arbitris nu. 30. Cravettam Conſil. 156. num. 17. Socinum ſen. Conſil. 59 & alios. Concordant in ſimili dicta ſuperiùs Tit. 19. De Probationib. §. 3. n. 60. & alibi.

108 Reſp. III. Loquendo de exceptionibus dilatoriis cæteroquin legitimis, ſed altiorem indaginem requirentibus, ruſus oportet diſtinguere, utrùm harum aliqua rejecta, vel ad finem cauſæ reſervata, poſſit in ejuſmodi cauſa procedi abſque magno talis cauſæ præjudicio, nec ne. Et ſi quidem abſque examinatione oppoſitæ exceptionis in cauſa procedi nequeat ſine magno ipſius cauſæ præjudicio (puta, quia ſententia lata tribueret jus finale, quod ampliùs reparari non poſſet, niſi per appellationem, vel reſtitutionem in integrum &c.) tunc exceptio, etiam altiorem indaginem requirens, non poteſt repelli, neque ad finem cauſæ reſervari in Judicio ſummario, ſed debet anteà examinari. Ita deſumitur ex L. 3. §. Ibid ff. Ad exhibendum, ubi iſtud exemplificatur de exceptione pacti conventi, doli mali, jurisjurandi, & rei judicatæ: nam ſi talis exceptio anteà non admitteretur, neque cognoſceretur, auferretur parti excipienti jus ſuum, & tolleretur cognitio veritatis; quod eſt illicitum. Menochius de Arbitr. Judic. lib. 1 quæſt. 53. n. 2. Bartolus in Extravag. Ad reprimendum n. 4. ℣. Et aliud eſt dicere, iſtud ulteriùs probans ex l. Judices C. de Judiciis Abbas c. cùm dilecta nu. 22 & 24 de Confirmat utili Ancharanus in Clem. Sæpe contingit. n. 19. de Verb. ſignif.

Quod ſi verò rejecta, vel ad finem cauſæ dilata exce- 109
ptione altiorem indaginem requirente, poſſit procedi in cauſa ſummaria, adeò ut ſententia lata non pariat magnum præjudicium; vel pariat duntaxat tale, quod per alium judicium poteſt reparari abſque appellatione, vel reſtitutione in integrum, aut alio conſimili remedio: tunc exceptio illa poterit repelli, vel ſaltem ad finem cauſæ differri, ac interim procedi in Judicio ſummario. Ita Gloſſa in Extravag. ſeu Auth. Ad reprimendum verſ. Summarie, & Bartolus ibid. nu. 4. Abbas d. c. cùm dilecta n. 22. de Confirmat. util. Barboſa in Collectan. ad Clem. Sæpe contingit. num. 4 de Verb. ſignif. & tract. de Clauſulis, clauſ. 176. n. 16. Card. Tuſchus Litt. C. Concl. 366. n. 3. poſt Oldradum conſ. 115. ℣. Fruſtratoria. Fagnan. c. Lator. n. 70. & 81. Qui filii ſint legit. ubi in ſimili cum aliis aſſerit, quod exceptio turbida, & altiorem requirens indaginem, non admittatur in Judicio poſſeſſorio, v. g. legitimitatis, ſed ad petitorium ſit rejicienda.

Idipſum probatur tum ex textu Clement. Sæpe contin- 110
git, de Verb. ſignif. jam relato num. 100. Tum ex cap. Cùm dilecta 4. de Confirmat. util. ubi Pontifex exceptionem illam, quam à principio veluti celeriter per ſuos Delegatos expediendam admiſerat, intelligens indigere longiori indagine, poſtea non ampliùs attendit, ſed innovationem privilegiorum, quæ petebatur, faciendam curavit; uti notat Abbas, ubi ſupra, per hoc datam Concluſionem probans. Accedit textus in L. 3. §. Ibidem ff. Ad exhibendum, ſtatuens, quod ſi exceptio ſit obſcurior, vel quæ habeat altiorem quæſtionem, [illegible] (ſive ordinatum) judicium, [illegible]. Ubi proinde Bartol. in ſummario, inquit: Exceptiones, quæ requirunt altiorem indaginem, in cauſis ſummariis non admittuntur, ſed in cauſis principalibus reſervantur. Hoc ipſum probatur ex l. Ille à quo §. Si de teſtamento ff. ad S. C. Trebellian. juncto Alexandro ibid. in ſummario.

Quæritur II. Quid dicendum ſit de Judicio ſumma- 111
riſſimo, & an in eo locum habeant exceptiones? Reſp. I. Judicium ſummariſſimum dicitur illud, in quo ob periculum in mora proceditur breviſſimè. Nam, ut inquit Gloſſa in Auth. Ad reprimendum, verſ. Summarie, verbum illud ſummarie idem eſt, ac breviter, ſive ſummatim. Unde ſummariſſimum judicium idem ſonat, ac breviſſimum, in quo videlicet Judex procedit ſola facti veritate inſpecta; ac ſublatis omnibus ſolemnitatibus Juris poſitivi, manu regia, & ſecundùm propriam conſcientiam judicare poteſt. Barboſa cit. Clauſ. 176. n. 3. & 6. & 7. ita cum aliis declarans clauſulam ſummarie.

Atque hujuſmodi Judicium ſummariſſimum paſſim 112
Doctores declarare ſolent per Poſſeſſorium retinendæ, quando uterque litigantium contendit ſe poſſidere: ita quidem, ut neuter eorum libellum offerre, ſeu partes actoris ſuſtinere velit, ac proinde periculum ſubſit, ne partes illæ veniant ad arma. In tali quippe caſu Judex ex officio inſtituit Judicium ſummariſſimum (quod alii appellant Judicium interim, ſive ſummariſſimum poſſeſſorium) in quo vocatis ambabus partibus, earumque fundamentis auditis ſummatim cognoſcit, uter ex litigatoribus tempore moræ litis poſſideat, ſicque ſciatur, quis debeat ſuſtinere partes actoris in poſſeſſorio ordinario, vel petitorio judicio. Facchineus lib. 8. Controverſ. Jur. cap. 15. citat init Ledovic. ab Eccleſia, Obſervationes Forenſes Se[illegible] Pedemontani Obſervat. 189 num. 1. Covarruvias P[illegible] Quæſt. cap. 17. num. 1. & ſeqq. Menochius

de

*de Retinend. poſſeſſ. Remed. ult. num.* 1. *& ſeqq.* aliique ab his relati. Ubi

113 Sciendum eſt, quod communis Doctorum duplex ſtatuat *Judicium retinendæ poſſeſſionis*, ſive (ut alii loquuntur) duplex *Poſſeſſorium retinendæ*. Unum dicitur *ordinarium*, ſeu *plenarium*, in quo videlicet juris ordine ſervato proceditur, ac principaliter & abſolute de poſſeſſione partium diſceptatur: unde & plena cauſæ cognitio adhibetur, num Actor rem, de qua controvertitur, verè poſſideat, & quidem non vi, nec clam, nec precariò, *arg. L.* 1. *ff. Uti poſſidetis*. Fachineus *cit. lib.* 8. *cap.* 15. Gailus *lib.* 1. *Practic. Obſervat.* 7. *nu.* 2. *&* 4. Ubi cum aliis notat, quod ſententia in hoc judicio lata non ſit modici præjudicii, quia eſt diffinitiva: neque aliam poſt ſe ſuper poſſeſſorio expectat ſententiam, niſi fuerit appellatum; ideoque magni momenti eſt, juxta textum *in §. Retinendæ Inſtit. de Interdict.* & hoc ſit propter multiplicia commoda poſſeſſionis, ſuperiùs *Tit.* 12. *De cauſa poſſeſſionis & proprietatis*, §. 2. *n.* 39. *& ſeqq.* ex profeſſo jam declarata.

114 Alterum vocatur *Poſſeſſorium ſummarium*, ſeu potiùs *ſummariſſimum*, in quo Judex ſummatim cognoſcit, quiſnam ex litigatoribus tempore motæ litis poſſideat, ſicque in ſua poſſeſſione manutenendus ſit, ſalvis cæteroquin juribus partium tam in poſſeſſione, quam in proprietate, donec de his in poſſeſſorio ordinario, vel petitorio judicio, plenariè cognoſcatur. Atque hujuſmodi Judicium ſummariſſimum præcipuè inſtituitur ad eum finem, ne lite diutiùs pendente partes ad arma veniant. Declarat iſtud Menochius, *cit. Remed. ult. de Retinend. poſſeſſ. n.* 1. *& ſeqq.* in caſu, quo duo de eadem poſſeſſione litigant, & ambo contendunt ſe poſſidere, atque controverſiam hanc non Judicio, ſed armis diffinire geſtiunt, dum videlicet uterque ſua authoritate, atque manu, in poſſeſſione ſeſe tueri conatur; uterque armis bene munitus, & ſociorum auxilio ſtipatus adverſarium terrere, atque ne ad poſſeſſionem accedat, repellere ſtudet. Tunc enim, quia judicis officium expoſtulat, publicam pacem, & Reipublicæ quietem illæſam ſervare, is utrique parti jubere, atque ſub pœna indicta præcipere ſolet, ne ad eam poſſeſſionem accedere audeant, ſed ipſam ſub ſequeſtro apud ſe relinquant. Quo facto diligens Judex utriuſque partis ſummarias informationes, ſeu documenta juris ſui ſuper poſſeſſione, ex officio ſumit; & deinde pronunciat illum, qui tempore litis motæ in poſſeſſione, ſeu veriùs detentione fuerat, interim poſſidere debere, donec cauſa illa in poſſeſſorio ordinario, vel petitorio judicio, plenariè finiatur. Ita Judicium ſummariſſimum (ſive, ut alii loquuntur, *Judicium interim* vel *Poſſeſſorium ſummariſſimum*) deſcribit Menochius *loc. cit.* allegans alios, & pro ſe adducens textum notabilem *in l. Liberis §. fin. ff. de Liberali cauſa*.

115 Porrò ſententia in hoc Judicio ſummariſſimo lata, eſt ſolùm interlocutoria, utpote lata inter principium & finem ipſius cauſæ poſſeſſorii; non verò diffinitiva, Menochius *cit. Remed ult. nu.* 46. Covaruvias *Pract. Quæſt. c.* 17. *nu.* 2. Gailus *d. lib.* 1. *Obſervat.* 7 *nu.* 6 & alii. Simulque ſententia in ipſo lata non affert perpetuum, ſed modicum duntaxat præjudicium; eò quòd feratur ad *interim* ſolùm, & ſalvo jure litigantium in poſſeſſione, & proprietate. Lud. Poſtius *de Manutenendo Obſervat.* 2. *nu.* 32. & alii. Ac proinde præjudicium illud eſt reparabile tam in poſſeſſorio ordinario, quam in petitorio; qua de cauſa etiam appellatur *Momentaneum poſſeſſorium*, Gailus *cit. Obſervat.* 7. *nu.* 5. *&* 6. Quamquam Judex dictam ſententiam interlocutoriam extra poſſeſſorium ordinarium, vel petitorium, ampliùs revocare non poſſit; eò quod ipſa ſecum trahat executionem, dum jubet unum ex contendentibus in poſſeſſione eſſe, alterum ab ea abſtinere: haud obſtante quod alioquin ſententia interlocutoria revocari poſſit, *l. quod juſſit, ff. de Re judicat.* Menochius *loc. cit. n.* 56. quidquid nonnulli apud ipſum in oppoſitum teneant.

116 Reſp. II. in Judicio ſummariſſimo, ſeu Judicio *interim*, nulla admittitur exceptio, quæ vel rei proprietatem tangit, vel alioquin eſt turbida, ſeu requirit altiorem indaginem. Ita Menochius *cit. Remed. ult. n.* 43. Ludovic. Poſtius *d. tract. de Manutenendo Obſervat.* 42. *n.* 67. 68. *& ſeqq.* allegans Rotam *in Romana, ſeu Terracinenſ. Affictus, coram R. P. D. Pirovano, poſt tract. Deciſ.* 215. *nu.* 16. Fontanell. *de Pact. nuptial. clauſ.* 7 *gloſſ.* 3. *par.* 10. *nu.* 75. *tom. poſter.* Gratian *Diſcept. Foren. c.* 526. *n.* 27. cum plurimis aliis. Ratio prioris partis Concluſionis eſt, quia judicium poſſeſſorium, nihil habet commune cum petitorio, ut *l. Naturaliter §.* 2. *ff. de Acquirend. poſſeſſ.* ibi *Nihil commune habet proprietas cum poſſeſſione*. Atqui judicium ſummariſſimum hactenus explicatum, eſt poſſeſſorium; ergo non mirum, quod in eo non admittuntur exceptiones, quæ tangunt proprietatem rei: hæ enim pertinent ad petitorium, non ad poſſeſſorium. Idem à ſimili confirmatur ex cauſa reſtitutionis ſpoliatorum, ubi probata rei cujuſpiam præhabita poſſeſſione, & facta ipſius ſpoliatione, non admittitur exceptio proprietatis rei, ſed ſpoliatus ante omnia eſt reſtituendus, *cap.* 1. *& ſeqq. de Reſtitut. ſpoliat.* eſtque ſuprà *eod. tit.* 13. §. 3. *nu.* 48. *& ſeq.* ex profeſſo jam dictum.

Altera verò pars Concluſionis ex eo probatur: quia 117
poſſeſſorium ſummariſſimum non tam veram & propriam poſſeſſionem reſpicit, quam ſtatum rei, qui erat tempore motæ litis, aut paulò ante; ut notat Covarruvias *Pract. quæſt. cap.* 17. *nu* 5. *verſ. Sic ſane*, Poſtius *cit. tract. de Manutenendo*; *Deciſ.* 332. *n.* 3. Menochius *d. Remed. ult. nu.* 18. allegans alios. Ergo probata ſemel per ſummarias informationes, ſive documenta, præhabita poſſeſſione, aut veriùs detentione alicujus rei, erit quis manutenendus in dicta detentione, donec contrarium probetur, *l. Si quis ante ff. de Acquirend. poſſeſſ. & l. Attilius Regulus, ff. de Donationib.* Ubi non ſolum habens veram poſſeſſionem, ſed etiam detentionem cujuſpiam rei tempore motæ litis, dicitur manutenendus in ea: ſicque meritò in Judicio ſummariſſimo repelluntur exceptiones turbidæ, atque altiorem indaginem requirentes, donec cauſa poſſeſſoria principalis, vel etiam petitoria inſtituatur, in eaque doceatur de jure Actoris, juxta dicta ſuperiùs *Tit.* 12. *De cauſa poſſeſſionis, & proprietatis §.* 7. *n.* 223. *&* 224. *ac ſeqq.*

Infertur proinde, quod in hujuſmodi Judicio ſumma- 118
riſſimo non poſſit Judici objici exceptio excommunicationis, altiorem indaginem requirens. Menochius *cit. remed. ult. n* 43. Neque in Beneficialibus defectus tituli. Menochius *eod. num* 43. Nec admittatur in hoc judicio teſtium repulſatio. Menochius *ibid. n* 41. & Covarruvias *cit cap.* 17. *nu.* 4 *verſ. Septimò eſt*. Neque exceptio invaliditatis proviſionis. Poſtius, *ubi ſupra Deciſ.* 42. *num.* 61. poſt Rotam *in Romana*, *Domus*, *coram R. P. D. Ghislerio*, & plures alias Deciſiones, quas allegat. Quinimò omnis ab hoc judicio aliena dicitur exceptio, quæ incontinenti (hoc eſt, intra terminum probatorium, ſeu inſtantiæ) non probatur. Poſtius *d. Obſervat* 42. *num* 73 citans Rotam *in Romana Fidei commiſſi de Epiſcopis, coram R. P. D. Veroſpio*. Ratio horum eſt, quæ ſuprà; quia videlicet in Poſſeſſorio ſummariſſimo non tam agitur de vera poſſeſſione, quam de ſtatu rei, qui erat tempore motæ litis, vel paulò antè: unde exceptiones hujuſmodi ſtatum rei non reſpicientes, meritò rejiciuntur; cùm huc ſint impertinentes, & potiùs ſpectent ad poſſeſſorium principale, vel judicium petitorium, ad quod proinde remittuntur, ſeu reſervantur examinandæ.

## §. V.

## De exceptione excommunicationis, & quibuſdam aliis Exceptionibus in ſpecie.

*S U M M A R I U M.*


119 Excommunicationis *nomine abſolute poſito, intelligitur excommunicatio major.*

*Exceptio excommunicationis poteſt à Reo contra Actorem proponi tam ante litis conteſtationem, quam in quolibet parte judicii &c. Ibid.*

120 *Exceptio excommunicationis repellit Actorem ab agendo, non Reum à defendendo.*

121 *Tamen ut repellat Actorem ab agendo, debent plures obſervari conditiones. Et nn. ſeqq.*

*Eam opponens debet ſpeciem excommunicationis, & nomen Excommunicatoris exprimere. Ibid.*

122 *Ipſamque apertiſſimis documentis probare infra octo dies.*

*Dummodò non obſtet legitimum impedimentum. Ibid.*

123 *Enumerantur aliæ ejuſmodi conditiones.*

124 *Si exceptio excommunicationis probetur primum poſt ſententiam latam, impeditur hujus executio, ſed ſententia valet.*

*Solvitur inſtantia ex* cap. 2. de Reſcript. in 6. *Ibid.*

125 *Actorem excommunicatum debet Judex ex officio repellere; & qualem?*

126 *Quando excommunicatio opponitur in vim peremptoriæ exceptionis, non compellitur opponens eam probare infra octo dies.*

127 *Reo excipiente de excommunicatione Actoris, non obſtat communionis replicatio.*

128 *Habens plura Beneficia, contra alium de pluralitate Beneficiorum non excipit.*

129 *Saltem nomine proprio: & an nomine Eccleſiæ ſic poſſit excipere?*

130 *Exceptio rei judicatæ non competit Reo abſoluto ex eo, quia tempore latæ ſententiæ non poſſidebat, ſi poſt eam poſſidere incipiat.*

131 *Idipſum probatur in ſimili.*

132 *Exceptio rei judicatæ per Judicem Eccleſiaſticum, debet etiam admitti in Foro ſæculari; & econtra.*

133 *Teſtis contra quem ſit exceptio de crimine, iſto probato repellitur à teſtimonio; de crimine tamen non punitur.*

134 *Dicta de Exceptionibus, ſervata proportione, locum habent in Replicationibus.*

*Replicatio, eſt quaſi exceptionis exceptio. Ibid.*




119 QUæritur I. Quo tempore, & qua ratione opponi poſſit, ac debeat exceptio excommunicationis? Reſp. I. Exceptio excommunicationis majoris (quæ ſub *Excommunicationis* nomine abſolute poſito ſemper intelligitur, *c. Si quem* 59 *de Sentent. excommunicat.*) poteſt à Reo contra Actorem opponi non ſolùm ante litis conteſtationem adinſtar exceptionum dilatoriarum *Clem. un. h. t.* ſed etiam poſt eam, ſive in qualibet parte judicii, termino peremptorio ad proponendas quaslibet exceptiones per Judicem aſſignato non obſtante. Ita textus *in c. Exceptionem* 12. *h. t.* ubi iſtud dicitur *in hac exceptione ſpecialiter obſervandum, ne quiſquam in periculum animæ excommunicato communicare cogatur*. Eo tamen addito, quod ſi Reus malitioſe diutiùs omiſerit exceptionem excommunicationis opponere, ut Actor laboribus & ſumptibus fatigetur, ipſe in expenſis legitimis huic ſit condemnandus; eſtque jam dictum ſuprà §. 3. *nu.* 60. 61. Concordant, atque ampliùs Concluſionem declarat textus *in cap* 1. *h. t. in* 6. *& Clem. un. eod.*

120 Additur notanter, *à Reo contra Actorem &c.* Siquidem exceptio excommunicationis majoris in quacunque parte litis oppoſita, repellit quidem Agentes, ſive Actorem ab agendo; non verò Defendentes, ſive Reum à defendendo. Gloſſa *cit. cap.* 1. *h. t. in* 6. *V. Agentes*, quæ iſtud probat ex *c. Intelleximus* 7 *de Judiciis*, *&c. cùm inter* 5. *h. t.* In quo proinde poſteriori loco dicitur, quod Reus excommunicatus poſſit excipere, appellare, & omnem defenſionem facere, quamvis Actorem convenire non poſſit: *Ne quod in defenſionis remedium ſuſtinetur, ad impugnationis materiam extendatur*, prout loquitur textus *ibid.* Concordant dicta ſuperiùs *Tit.* 1. *de Judiciis §.* 6 *nu.* 146. ac aliis locis ibidem allegatis, ubi plura de hoc.

121 Reſp. II. Nihilominùs, ut excommunicatio in vim dilatoriæ oppoſita contra Actorem, repellat iſtum ab agendo, debent obſervari conditiones illæ, quæ *cap.* 1. *h. t. in* 6. præſcribuntur; & ſunt ſequentes. Primo, excommunicationis ſpeciem, & nomen Excommunicatoris exprimere.

122 Secundò, Reus opponens tenetur dictam excommunicationem apertiſſimis documentis probare infra octo dies: alioquin Judex procedet in cauſa, & ipſum condemnabit in expenſis, quas Actor idcircò diebus illis ſe feciſſe probaverit. Intellige, dummodò propter opponentis infirmitatem, vel propter fraudem adverſarii, aut teſtium abſentiam, vel propter aliam juſtam cauſam non impediatur tempus octo dierum, quò minùs tunc fiat probatio oppoſitæ excommunicationis: quia ſtante tali legitimo impedimento non currit tempus illud, vel ſaltem à Judice prorogare poteſt, *Arg. L.* 2. *ff. de Re judicat.* ac notat Speculator *tit. de Dilationibus* §. 1. *n.* 13. Alias verò ſpatium octo dierum currit ipſo jure, licet eos Judex excipienti non præfigat: quia terminus iſte à Jure ſtatutus eſt. Speculator *loc. cit. n.* 14.

123 Tertiò *in cit. cap.* 1. *h. t. in* 6. ſtatuitur quod ſi excommunicatio iterùm objiciatur, atque eadem, vel alia excommunicatio probetur, tunc Actor in ſequentibus repellatur ab agendo, donec meruerit gratiam abſolutionis obtinere: valeant tamen ea, quæ priùs acta fuerunt. Quartò, quod ultra duas vices exceptio hujuſmodi non opponatur, niſi vel nova excommunicatio emerſerit, vel evidens & prompta probatio de antiqua ſupervenerit.

124 Quintò dicitur, ſive declaratur ibidem, quod ſi exceptio excommunicationis proponatur, atque probetur primùm poſt rem judicatam, ſeu latam ſententiam; tunc quidem impediatur hujus executio, nihilominùs ſententia, quæ præceſſit, valeat. Nec obſtat *cap.* 1. *de Reſcriptis in* 6. ubi ipſo jure Reſcriptum, vel Proceſſus per ipſum habitus non valet, ſi ab excommunicato ſuper alio, quam excommunicationis, vel appellationis articulo fuerit impetratum. Reſp. enim, ibi ſermonem eſſe de nullitate Proceſſus, ac ſententiæ latæ à Judice delegato, ſeu dato per Reſcriptum ab excommunicato nulliter impetratum: quia enim is anteà non habuit juriſdictionem aliquam reſpectu talis cauſæ; hancque per ejuſmodi Reſcriptum, utpote ipſo jure nullum, accipere non potuit, meritò totus Proceſſus una cum ſententia inde ſecuta invalidus, ipſoque jure irritus cenſetur. Secùs eſt in caſu *cap.* 1. *h. t. in* 6. ubi ſermo eſt de Judice ordinario, atque jam anteà juriſdictionem ſuam habente, & de ſententia per ipſum lata; prout uberiùs dictum eſt ſuprà *Lib.* 1. *tit.* 3. *de reſcriptis* §. 2. *n.* 47. *&* 48.

125 Sextò, *in cit. cap.* 1. *h. t. in* 6. dicitur, quod ſi Actor ſit publice excommunicatus, & hoc Judex noverit, quandocunque (licet Reus de hoc non excipiat) ipſum Judex ex officio repellere debeat. Atque iſtud ultimum anteà jam ſtatutum fuerat *in c. cap. Exceptionem* 12. *h. t.* Quod tamen de facto, ſeu poſt Concilium Conſtantienſe, ac Bullam Martini V. *Ad evitanda*, ſolùm procedit de excommunicato vitando; qualis eſt publice denunciatus, aut notorius percuſſor Clerici: quia excommunicatum non vitandum poteſt quidem Judex ab agendo repellere, ſed non tenetur repellere; cùm de facto non obligetur ipſum vitare. Suarez *diſp.* 16. *de Cenſuris ſect.* 3. *num.* 2. Pirhing *h. t. n.* 20. & alii.

126 Additur notanter *n.* 121. *Excommunicatio in vim dilatoriæ oppoſitæ &c.* De tali quippe exceptione *in ult. c.* 1. *h. t. in* 6. eſt ſermo; uti patet ex toto contextu, ac notat Gloſſa *ibid. V. Opponit.* Secùs dicendum, quando excommunicatio opponitur in vim peremptoriæ exceptionis: ut ſi Electo ad Beneficium Eccleſiaſticum, ſuamque electionem proſequenti, ex adverſo objiciatur, ſeu contra ipſum excipiatur, quòd fuerit electus in excommunicatione majori, vel quod fuerit electus ab excommunicatis. Nam quia talis exceptio excommunicationis eſt peremptoria, atque perimit totum jus Actoris, eò quòd electio excommunicati, vel ab excommunicatis celebrata, ipſo jure ſit irrita & nulla, *c. Poſtulaſtis* 7. *de Clerico excommunicato &c. & c. Conſtitutis* 23. juncta Gloſſa *verſ. Excommunicationis, de Appellat.* cum ſimilibus: hinc non compellitur opponens eam probare infra ſpatium octo dierum, ſed datur competens dilatio: neque alia hactenùs dicta reſpectu talis peremptoriæ exceptionis procedunt. Gloſſa *cit. cap.* 1. *verſ. Opponit. h. t. in* 6.

127 Quæritur II. Quæ aliæ exceptiones ſpecialiter hoc Titulo approbentur, vel reprobentur? Reſp. I. Reo excipiente de excommunicatione majori contra Actorem, non obſtat communionis replicatio: qua videlicet Actor replicat, etiam Reum eſſe excommunicatum: eò quòd ſcienter excommunicato vitando communicaverit in locutione, vel oratione, ſicque incurrerit excommunicationem minorem. Textus eſt *in cap.* 2. *h. t.* addita ea ratione diſparitatis: Quia Excommunicatus excommunicatione majori, puta Actor, eſt ſimpliciter *à communione Fidelium excluſus*: Excommunicatus verò excommunicatione minori, quæ incurritur ob communionem cum ex-

excommunicato vitando, puta Reus, *tantùm à Sacramentorum participatione eſt remotus*. Ita Pontifex.

128 Reſp. II. Habens plura Beneficia, contra alium de pluralitate Beneficiorum non excipit. Ita textus *in cap. cùm Eccleſiaſticæ 3. h. t.* juncto Summario, & DD. *ibid.* Accedit ratio, quia non poteſt quis reprehendere in alterius perſona, quod in ſua putat æquum, *can. Nihil iniquius, & ſeqq. 32. qu. 6. & can. Judices 3. q. 7.* cum ſimilibus. Unde S. Auguſtinus, relatus *can. Iniquum eſt 32. qu. 6.* meritò ait: *Iniquum eſt, ut quiſque de alio judicare velit, & judicari de ſe nolit.* Accedit, quod fruſtra invocet auxilium legis, qui committit in legem, *arg. cap. penult. de Adulter* cum ſimilibus. Atque illud notiſſimum: *Quod quiſque juris in alterum ſtatuit, ipſe debeat uti eo*; prout habetur *L. 1. ff. Quod quiſque juris, & cap. cùm omnes 6. de Conſtitut.*

129 Quamquam cæteroquin ſit fatendum, quod *cit. cap. cùm Eccleſiaſticæ h. t.* ſit difficile quoad intellectum, & adhuc reddatur difficilius propter diverſa dicta Doctorum; uti videre eſt apud Gloſſam *ibid. verſ. Opponere.* Abbatem *n. 1. & 4. ac ſeqq.* Innocentium, Jo: Andream, & alios, illud præſertim in dubium revocantes; An habens plura Beneficia nequeat contra pluralitatem Beneficiorum alterius excipere, non ſolùm nomine proprio (prout ultrò fatentur, ob rationes hactenus relatas) ſed nec etiam nomine Eccleſiæ, in cujus præjudicium tendit dicta pluralitas Beneficiorum. In quo quidem caſu probabilius eſt, iſtud poſterius fieri poſſe, quando Beneficia de Jure communi ſunt incompatibilia: ſecus, quando de Jure communi ſunt compatibilia, vel adeſt legitima diſpenſatio Pontificia, licet dicta pluralitas Beneficiorum repugnet ſpeciali Statuto cujuſpiam Eccleſiæ. Verùm de hoc plura citati Authores, & Pirhing *h. t. n. 33. & 34.*

130 Reſp. III. Exceptio rei judicatæ non competit Reo abſoluto ex eo, quia tempore latæ ſententiæ non poſſidebat, ſed jam anteà bona fide deſierat poſſidere, ſi poſt ſententiam denuò poſſidere incipiat. Textus eſt *in cap. Adverſario 13. h. t.* ubi Gloſſa, Abbas, aliique DD. communiter. Accedit ratio, quia exceptio rei judicatæ non competit, quando ceſſat ratio ſententiæ olim latæ: atqui ratio ſententiæ olim latæ, ſeu cur Reus fuerat abſolutus, eſt illa, quia tunc non poſſidebat, hæc autem ratio ceſſat, quando poſt ſententiam denuò incipit poſſidere; ergo.

131 Idipſum declaratur, & probatur à pari. Quia ſi Reus fuit abſolutus, eò quòd Actor ante ſtatutam diem, vel ante eventum conditionis, ſub qua quidpiam ſpondebatur, illud petiiſſet; non idcircò poteſt Reus prætendere exceptionem rei judicatæ adveniente illo die, vel eveniente conditione: ut *l. Grege 8. fin. ff. de Pignorib. & l. Bovem §. Si ſub conditione ff. de Ædilitio Edicto.* Nam ante diem illum, aut eventum conditionis, nihil adhuc debebatur: benè tamen poſtea. Idem ergo dicendum, ubi Reus fuit abſolutus ex eo, quia tunc non poſſidebat, ubi poſtea de novo poſſidet.

Reſp. IV. Exceptio rei judicatæ per Judicem Eccleſiaſticum, debet etiam admitti in Foro ſæculari; & econtrà. Ita textus expreſſus *in cap. 2. h. t. in 6.* ubi Judices ſæculares oppoſitum attentantes, per cenſuram eccleſiaſticam jubentur compelli ad admittendam exceptionem rei judicatæ per Judicem Eccleſiaſticum in caſu, quo ad eum de jure, vel conſuetudine pertinet cognitio: & econtrà Judices Eccleſiaſtici, non admittentes exceptionem rei judicatæ per Judicem ſæcularem in his, quæ animarum periculum non inducunt, per Superiores ſuos animadverſione debita caſtigandi cenſentur. Intellige, dummodò alioquin ejuſmodi exceptio rei judicatæ, de jure ſit admittenda; quod additur propter dicta *in Concl. præced.* & nonnullos ſimiles caſus, in quibus exceptio rei judicatæ non procedit, prout notat Gloſſa *in cit. cap. 2. verſ. Admitti h. t. in 6.* 132

Reſp. V. Quando ſit exceptio contra teſtem, atque is de crimine contra eum excepto convincitur, vel alias convictus apparet, tunc is repellitur à teſtimonio, de crimine tamen non punitur, ſi non tangat negotium principale. Ita textus *in cap. 1. h. t.* ubi Abbas *in Summario*, aliique DD communiter. Accedit ratio: quia, ſi crimen objiciatur teſti per modum exceptionis, regulariter ſolùm agitur ad repellendum ejus teſtimonium, non verò ad ſumendam publicam vindictam: ergo ſufficit, ut Judex ipſum convictum repellat à teſtimonio. Nam, ut contra eum Judex poſſet procedere puniendo, ſeu infligendo pœnam ordinariam, deberet præcedere accuſatio, ac cæteroquin Juris ordo ſervari; prout dicitur in textu *cit. cap. 1. h. t. & c. Inquiſitionis 21. §. 1. de Accuſationib.* Verùm de exceptionibus contra teſtes, plura ex profeſſo jam dicta fuerunt *Tit. 20. de Teſtib. §. 17. nu. 533. & ſeqq.* De aliis etiam exceptionibus, præſertim hoc Titulo contentis, vel hactenus jam dictum eſt, vel in propriis locis commodiùs dicetur. 133

Illud duntaxat præmiſſis eſt addendum, quod ea, quæ hactenus dicta fuerunt de Exceptionibus, ſervata proportione etiam locum habeant in Replicationibus. Siquidem effectus replicationis eſt, reſolvere, vel expugnare exceptionem: unde ſicut ſe habet exceptio ad actionem, ita ſe habet replicatio ad exceptionem, *L. 2. ff. h. t.* Et ſicut excipiens non confitetur, ita nec replicans. Gloſſa *in c. Exceptionem 63. in fin. de Reg. Iur. in 6. Abbas cap. cùm venerabilis n. 27. & c. Dilecti filii n. 9. h. t.* inde ulterius inferens, quod ut replicatio admittatur, ſuumque effectum operetur, requirantur ea omnia, quæ concurrere debent ad exceptionis admiſſionem: nam replicatio eſt *quaſi exception. exceptio*, ut dicitur *l. exceptio eſt 22. ff. h. t.* 134

# TITULUS XXVI.

## De Præſcriptionibus.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*

1 POſteaquam Titulo præcedenti viſum eſt de Exceptionibus in genere, ſequitur nunc de Præſcriptione, quæ eſt ſpecies quædam exceptionis peremptoriæ, atque non raro in Judiciis objici ſolet. Et quia notabiles circa eam occurrunt difficultates, meritò de ipſa tum in Jure Civili, tum Canonico, ſub ſpecialibus Titulis tractatur: unde de ea majoris claritatis gratia in dictis etiam Paragraphis agendum videtur; haud obſtante, quod de Præſcriptione, & Uſucapione, etiam in Theologia Morali *Tract. 7. diſſ. 6.* per totum ex profeſſo jam egerim.

### §. I.

### De natura, diviſione, effectu, atque conditionibus Uſucapionis, & Præſcriptionis.

*SUMMARIUM.*


2 *Præſcriptionis nomen ſumitur dupliciter; generatim*
3 *Et magis propriè; quomodo?*
4 *Præſcriptio adhuc dupliciter accipitur, nempe prout eſt in fieri; & prout eſt in facto eſſe.*
5 *Circa Præſcriptionem eſt obſervanda certa phraſis, & formula loquendi; & qualis?*
6 *Uſucapio, quid?*
7 *Solvitur inſtantia contra ejus definitionem.*


8 *Uſa-*




8 *Uſucapio & præſcriptio, an differant? Et n. ſeqq.*
9 *Uſucapio juxta quoſdam rebus tantùm corporalibus convenit: Præſcriptio generaliorem habet ſignificationem.*
10 *Præſcriptio triennalis ſolet dici uſucapio: Præſcriptio longi, vel longiſſimi temporis præſcriptio, non uſucapio.*
11 *Uſucapio poteſt in rebus mobilibus, Præſcriptio in immobilibus.*
*Hæ tamen differentiæ non ſemper attenduntur. Ib.*
12 *Præſcriptio, quid?*
13 *Alia præſcriptionis, atque uſucapionis definitio, per ſua eſſentialia data.*
14 *Præſcriptio eſt triplex, videlicet:*
15 *Præſcriptio odioſa.*
16 *Præſcriptio merè favorabilis, &*
17 *Præſcriptio mixta: quæ?*
18 *Præſcriptio primitus eſt introducta per Leges Civiles, poſtmodùm approbata per Canones.*
19 & 20 *Et cur fuerit introducta? Et n. 22.*
21 *Præſcriptio eſt juſta, & transfert rerum dominium nedum in Foro externo, ſed etiam in Foro conſcientiæ. Et nu. ſeq.*
22 *Alia hujus ratio affertur.*
23 Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura, *quomodo intelligendum?*
24 *Conditiones ad præſcriptionem requiſitæ, quæ?*
25 *Ad eam an etiam requiratur traditio rei?*


2 QUæritur I. Quot modis *Præſcriptionibus* nomen in Jure ſumatur? Reſp. I. Dupliciter. Primò generatim: prout idem eſt, ac exceptio, ſive oppoſitio ad excludendam actionem, ſeu intentionem alterius. Sic præſcriptio accipitur *in l. Sed & ſi §. ult. ff. de Judiciis*; atque in toto *Tit. ff. & C. de Exceptionib. & Præſcriptionibus*, & alibi frequenter.

3 Secundò, & magis propriè, ſumitur Præſcriptio ſpecialiter pro exceptione peremptoria, per quam bonæ fidei poſſeſſor, poſt decurſum temporis à legibus definiti, dominum rem ſuam priſtinam repetentem, vel antiquo ſuo jure uti volentem, repellere poteſt. Sic enim quis dicitur contra eum præſcribere, ſeu peremptorie excipere, opponendo continuatam ſufficientis temporis poſſeſſionem, per quam fecit rem ſuam. Et in hoc ſenſu procedit Rubrica præſentis Tituli:

4 Reſp. II. Præſcriptio taliter ſumpta, adhuc dupliciter accipi poteſt. Primò: prout eſt in fieri: qualiter aliud non eſt, quam actus acquirendi rem alterius per durantem etiamnum poſſeſſionem bona fide continuatam, & necdum tempore legibus definito abſolutam; & ſic præſcriptio dicitur non procedere, dormire, vel interrumpi, juxta ampliùs dicenda *§. 7. n. 191. 192. & ſeq.* Secundò prout eſt in facto eſſe: quando videlicet tempore legitimo completo per continuatam bona fide poſſeſſionem cuipiam jam eſt acquiſitum jus in re, vel extinctum jus alterius, eique præſcriptum. Dicitur notanter in Dativo, *eique præſcriptum*. Siquidem

5 Notandum eſt cum Ludov. Engel *h. t. num. 1.* & aliis, quod circa præſcriptionem ſit obſervanda certa phraſis, & formula loquendi. Quando enim per præſcriptionem jus alterius, quod habuit in re noſtra, puta, agro, domo &c. extinctum ſeu peremptum eſt, eo quod tempore à legibus definito jure ſui uti neglexerit, tunc Juriſtæ ſolent loqui in Dativo, ſcilicet: *Præſcripſi huic obligationi; Jam præſcriptum eſt tali juri, actioni.* Vel ſaltem ſolet addi præpoſitio, *Contra*, dicendo v. g. *Præſcripſit contra talem obligationem.* Quando autem de acquiſitione ſermo eſt, dum ſcilicet per viam præſcriptionis nobis jus, vel dominium rei alienæ acquiſitum ſuit; tunc utimur, vel Nominativo, vel Accuſativo caſu, taliter: *Præſcripta eſt à me res iſta*: ſive, *Præſcripſi hanc rem, juriſdictionem, ſervitutem, &c.*

6 Quæritur II. Quid ſit Uſucapio, & an differat à Præſcriptione? Reſp. I. *Uſucapio eſt acquiſitio, vel adjectio dominii per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti.* Ita textus *in l. 3. ff. de Uſucapion.* Quæ quidem definitio eſt intelligenda cauſaliter, ut notat Gloſſa *1. ibid.* Etenim Uſucapio eſt cauſa acquiſitionis dominii, non verò eſt ipſa acquiſitio: ſicut à pari traditio rei eſt cauſa poſſeſſionis, non verò ipſa poſſeſſio.

Dices. Data definitio non explicat quidditatem uſucapionis, ſed duntaxat effectum ejus, ut proximè dictum; ergo non eſt bona: nam cauſatum, ſive effectus, neceſſario differt à cauſa, veluti correlativum ipſius. Reſp. neg. conſequent. cum ſuæ probationis conſequentia. Quamvis enim definitio rei non rectè concipiatur per effectus ipſius, qui duntaxat ſunt remoti, ac pluribus communes, neque eidem inſeparabiliter adhærent: ſecùs tamen eſt, quando effectus illi ſunt proprii talis rei, eique neceſſario ac inſeparabiliter adhærent; prout ſit in propoſito. Sic enim à poſteriori rectiſſimè definiuntur rerum eſſentiæ, ſeu potiùs iſtæ circumſcribuntur per effectus ſibi proprios; uti patet tum in Phyſicis, tum in aliis paſſim. 7

Reſp. II. Etſi nonnullæ inter Uſucapionem, & Præſcriptionem, ſoleant à Doctoribus afferri differentiæ: nihilominùs de facto plerumque inter ſe confunduntur. Ita Abbas *ad Rubric. h. t. n. 3.* aſſerens, quod uſucapio, ac præſcriptio, propriè & ſtrictè inter ſe differant, ſed latè ſive largo modo unum comprehendat alterum. Pirhing *h. t. n. 3.* Engel *eod. n. 1.* Sannig *cap. 1. n. 3* aſſerens, quod quidem priſci Juriſconſulti varias poſuerint differentias inter Uſucapionem, & Præſcriptionem, ſed poſteriores Legiſtæ, & maximè Canoniſtæ, non niſi nominalem diſtinctionem agnoſcant, ipſaſque pro ſynonimis accipiant. 8

Concluſio hæc probatur aſſignando nonnullas differentias, quas antiquiores Doctores inter Uſucapionem & Præſcriptionem poſuerunt; ipſaſque breviter impugnando. Et primò quidem, atque attendendo ipſam vim nominis, & juxta pleroſque Antiquiores, Uſucapio rebus tantùm corporalibus convenit; utpote quæ ipſo uſu capi, ſeu apprehendi, ſicque acquiri ſolent, *arg. l. uſucapionem*, juncta Gloſſa *V. Maximè ff. de uſucapion.* Præſcriptio autem generaliorem habet ſignificationem, & rebus tum corporalibus, tum incorporalibus, imò & juris alieni peremptioni convenit: ut proinde latiùs patere videatur Præſcriptio, quam Uſucapio; & omnis quidem uſucapio ſit præſcriptio, non econtrà. Verùm quia etiam libertas, & ſervitutes uſucapi poſſe dicuntur, *l. Sequitur §. Libertatem ff. de uſucapion. & l. Si aliena res §. Hoc jure, ff. eod.* hinc patet, iſtam differentiam non ſemper in Jure obſervari. 9

Deinde; Præſcriptio triennalis (qualis datur inter res mobiles) frequentiori uſu, ac proprio nomine, ſolet in jure dici *uſucapio*; ut inquit Gloſſa *§. 1. V. uſucapiantur Inſtit. de uſucapion.* Præſcriptio verò longi, vel longiſſimi temporis, communiter appellatur *præſcriptio*, non uſucapio: prout patet ex Rubricis, *Cod. de uſucapione pro emptore, & ſeqq. De Præſcriptione longi temporis. De Præſcriptione 30. vel. 40. ann.* Verùm hoc ipſum non ſemper procedere, neque obſervari, patet ex Rubrica, totoque *Tit. Cod. de Quadriennii præſcriptione, & Auth. Quas actiones. C. de SS. Eccleſiis*, cum ſimilibus; ubi admittitur præſcriptio quatuor, vel pauciorum annorum. 10

Rurſus Gloſſa *L. 2. ff. de uſucapion.* & Abbas *ad Rubric. h. t* & Veteres paſſim voluerunt, quod Uſucapio propriè ſit in rebus mobilibus: Præſcriptio in rebus immobilibus, & juribus incorporalibus. Et hanc differentiam etiam Doctor Subtilis *in 4. diſt. 15. q. 2. §. De ſecundo*, ſupponere videtur, ibi: *Ex hoc dico; quod præſcriptio in immobilibus, & uſucapio in mobilibus &c.* Verùm, quia *§. 1. Inſtit. de uſucapion.* expreſſè nomen *uſucapionis* rebus tam mobilibus, quam immobilibus attribuitur, ibi: *Res quidem mobiles per triennium, immobiles verò per longi temporis poſſeſſionem uſucapiantur*: quod ipſum ſit *L. un. C. de uſucapion. transformand.* & alibi: hinc patet, hanc etiam differentiam non ſemper attendi. Covarruvias *c. Poſſeſſor. par. 1. nu. 3. de reg. Jur. in 6.* Engel *h. t. n. 1.* Pirhing *n. 3.* & alii paſſim. 11

Reſp. III. Uſucapionis definitio *n. 6.* aſſignata, etiam Præſcriptioni adaptari poteſt; præſertim, ſi per ly, *adjectio dominii*, etiam alieni juris eliſio comprehendatur, dicendo videlicet: *Præſcriptio* eſt adjectio dominii, vel alieni juris peremptio, per continuationem poſſeſſionis temporis à lege definiti. Ita Engel *h. t. n. 1.* & alii: non obſtante, quod nonnulli addendum putent ly, & *modo legibus definito*: nam hæc clauſula ſatis indicatur per ly, *tempore legibus definito*, prout obſervat Vallenſis *h. t.* 12

§. 1.

*§. 1. in fin.* Ratio Concluſionis taliter explicatæ eſt: quia, ut dictum, Uſucapio & Præſcriptio plerumque inter ſe confunduntur, idemque important; & conſequenter definitio competens uni, etiam alteri convenire debet. Additur tamen in hac definitione ly, *vel alieni juris peremptio*: quia hanc non importat Uſucapio vi nominis, bene tamen ipſam involvit Præſcriptio, juxta dicta *numer.* 9.

13 Quod ſi verò Præſcriptionem, atque Uſucapionem, per ſua eſſentialia definire placuerit, iſtud apte fiet dicendo: *Præſcriptio* (uſucapio) eſt exceptio ex tempore legibus definito ſubſtantiam capiens, quæ actioni perſonali, vel in rem opponitur. Ita Gloſſa *cauſ. 16. quæſt. 3. in Summa.* Covarruvias *cit. par. 1. in c. Poſſeſſ. n. 4.* qui tamen poſteriora verba, videlicet *quæ actioni &c.* omittenda cenſuit. Pirhing *h. t. nu. 2.* & alii. Dicitur primò, *Exceptio*: quæ particula ſtat loco generis; nam præſcriptio, eſt ſpecies quædam exceptionis, & quidem peremptoriæ. Et additur, *ex tempore legibus definito ſubſtantiam capiens*: quæ particula ſtat loco differentiæ; nulla enim alia exceptio habet ſuum valorem ex tempore legibus definito præter præſcriptionem ſeu uſucapionem. Ultima verò particula, *qui actioni &c.* majoris claritatis gratia additur per Gloſſam, *ubi ſupra*: quamvis etiam cum Covarruvia omitti valeat.

14 Quæritur III. Quotuplex ſit Præſcriptio, & quo jure introducta? Reſp. I. Præſcriptio eſt triplex: nam quædam eſt odioſa, quædam favorabilis, & quædam mixta. Ita Gloſſa *in l. Sicut in rem ℣. Per executorem*, & Bartolus *ibid. §. Quædam C. de Præſcript. 30. vel 40. ann.* Abbas *c. Illud autem n. 11. h. t.* Covarruvias *par. 2. c. Poſſeſſor. §. 12. nu. 4.* & alii. Idque oſtenditur declarando terminos: ſiquidem

15 *Præſcriptio odioſa* dicitur, quæ currit ſolùm ex negligentia non petentis, nullo attento favore præſcribentis. Nam quia hæc præſcriptio ſecundùm Leges Civiles fuerat introducta in merum odium negligentis, ſeu non repetentis rem ſuam intra tempus longiſſimum 30. vel 40. annorum, atque ſtatuta fuit in punitionem tantæ negligentiæ: hinc ipſa ſecundum Leges (non autem ſecundùm Canones) procedebat, ſive præſcribens fuiſſet bonæ fidei, ſive malæ fidei, ſaltem in modum exceptionis: interrumpebatur autem per ſolam Executoris miſſionem. Textus, Gloſſa, Bartolus, aliique Doctores *in cit. l. Sicut in rem C. de Præſcript. 30. vel 40. ann.* eſtque quoad alteram partem jam dictum ſuprà *Tit. 3. De Libelli oblatione n. 109.* & alibi.

16 *Præſcriptio merè favorabilis* dicitur ea, quæ currit favore poſſidentis propter titulum, & bonam fidem ipſius: ut eſt Præſcriptio triennalis, qualis locum habet in rebus mobilibus. Et iſta non interrumpitur per citationem, nec per litis conteſtationem, niſi in effectu; ut *l. Si poſt acceptum, ff. de rei vendicat.* Gloſſa, & Bartolus, *ubi ſupra*, & alii. Accedit ratio: quia litis conteſtatio non tollit favorem Rei.

17 *Præſcriptio mixta* tandem eſt, quæ currit tam favore poſſidentis (ob titulum & bonam fidem ipſius) quam odio negligentis: ut præſcriptio decem, vel viginti annorum. Et in hac eligitur quædam via media, ut non interrumpatur per ſolam executoris miſſionem, bene tamen per litis conteſtationem; ut *l. Motæ litis. C. de Rei vendicat.* & notat Gloſſa, & Bartolus *loc. cit.*

18 Reſp. II. Præſcriptio primitus fuit introducta per Leges Civiles, poſtmodùm verò per Sacros Canones approbata; dummodò concurrant debitæ conditiones, de quibus in progreſſu. Concluſio deſumitur ex *L. 1. & ſeqq. ff. de uſucapionib. & L. 1. ac ſeqq. C. de Præſcript. longi tempor.* cum ſimilibus: ubi plures tales Leges præſcriptionem introducentes reperiuntur, quæ poſtea per Jus Canonicum toto hoc Titulo fuerunt receptæ, & approbatæ. Idipſum confirmatur ex *c. Vigilanti 5. h. t.* ubi Pontifex fatetur, quod *Ephæſius Legislator propter vitandam miſerorum ſegnitiem, & longi temporis errorem & confuſionem, primus triceunali vel quadragennali præſcriptioni vigorem legis impoſuit*: quam etiam Papa ibidem, & alibi ſæpe, concurrentibus debitis conditionibus approbavit.

19 Porrò cauſa introducendi per Leges & Canones jus præſcriptionis, fuit bonum publicum, ne videlicet rerum dominia diu, & fere ſemper eſſent incerta, *L. 1. ff. de uſucapion.* Tum ut præſcindantur innumerabiles, ac perpetuæ lites, quæ cæteroquin oriri poſſent. Tum etiam, ut hac ratione tollatur, vel puniatur miſera quorundam ſegnities, rem ſuam repetere negligentium *cit. c. Vigilanti 5. h. t.* Nam ſibi imputet negligens, *l. Quod quis ff. de reg. Jur.* Simulque jura vigilantibus ſubveniunt, non dormientibus; ut habetur *l. Non enim ff. Ex quibus cauſ. majores &c. & l. Pupillus ff. De iis, quæ in fraudem creditor.*

22 Idipſum declaratur ex eo. Quia, ſi Lex ob diuturnam poſſeſſionem bona fide continuatam, ac juſto titulo acquiſitam, alicujus rei dominium expreſſe mihi non attribueret, nunquam de hoc forem ſecurus; quinimò ſemper timere poſſem, ne quis ſuperveniat illius rei dominium ſibi vendicans: ergo, ne fere ſemper incerta eſſent rerum dominia, meritò per Leges, & SS. Canones introducta eſt uſucapio, atque præſcriptio. Antecedens probatur. Quia non illicò ſequitur, *Rem iſtam emi, vel alter eam mihi donavit, legavit &c. ergo eſt mea.* Si enim ille, qui rem illam mihi donavit &c. dominus ejus non fuit, neque me dominum facere potuit, juxta *Reg. 79. Juris in 6. Nemo poteſt plus juris transferre in alium, quam ſibi competere dignoſcatur*, cum concordantiis.

21 Quæritur IV. Utrùm Præſcriptio procedat non ſolùm pro Foro externo, ſed etiam pro Foro conſcientiæ; & ſub quibus conditionibus? Reſp. I. Translatio dominii facta authoritate Legis per præſcriptionem, ſeu uſucapionem, juſta eſt; ſimulque per eam transfertur rerum dominium nedum in Foro externo, ſed etiam in Foro conſcientiæ: adeò quidem, ut ſi præſcriptio cujuſpiam rei legitime fuerit completa, poſtmodum poſſeſſor ipſius eam ampliùs non teneatur reſtituere, etiamſi certò ſciat, rem illam anteà fuiſſe alienam. Ita Gloſſa *c. Vigilanti ℣. Noverit*, & Abbas *ibid. n. 6. h. t.* Scotus *in 4. diſt. 15. q. 2. §. De ſecundo.* Fagnanus *c. Si quis n. 30 de regularib.* & alii communiter. Ratio eſt, quia, ut argumentatur Doctor Subtilis *loc. cit.* translatio dominii, facta authoritate Legis publicæ juſtæ, juſta eſt: atqui in præſcriptione legitime completa intervenit talis translatio dominii, per Jura hactenus allegata, & imposterum allegandà; ergo. Major probatur: quia Lex juſta potuit à principio juſte determinare prima rerum dominia; ergo etiam poſterior Lex juſta pro temporum varietate, atque exigentia boni publici, juſte de iiſdem poterit diſponere, *arg. can. 1. & ſeqq. diſt. 29.*

22 Confirmat hoc ipſum Doctor Subtilis *loc. cit.* ex eo. Quia juſte poteſt illud ſtatui à Legislatore, quod eſt neceſſarium ad pacificam converſationem ſubditorum: ſed dominium rei neglectæ (prout negligitur in præſcriptione) transferri in bona fide poſſidentem, eſt neceſſarium ad pacificam converſationem ſubditorum; ergo. Minor patet: quia, ſi non transferretur rerum dominium in bona fide poſſidentem tempore longo, vel etiam longiſſimo, orirentur lites immortales: nam poſt quantumcunque tempus ille, qui neglexit rem aliquam repetere, poſtmodùm vel ipſe, vel hæres ejus poſſet ipſam repetere; ex quo orirentur lites perpetuæ. Atque iſtud eſt, quod *in l. 1. ff. de Uſucapion.* habetur illis verbis: *Bono publico introducta eſt uſucapio, ne ſcilicet quarundam rerum diu, & fere ſemper incerta dominia eſſent: cum ſufficeret dominis ad inquirendas res ſuas ſtatuti temporis ſpatium.* Hæc ibi.

23 Nec obſtat Regula 48. Juris in 6. ſic loquens: *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura.* Reſp. enim, Regulam iſtam loqui de injuſta locupletatione; non autem de juſta, qualis eſt hæc, quæ fit authoritate Legis ex rationabili & publica cauſa, atque ob communem Reipublicæ quietem, & pacem ſubditorum conſtitutæ. Simile quid accidit in bello juſto, ubi multi locupletantur cum hoſtium jactura, etſi neutiquam injuſte. Concordant ea, quæ dixi in Theologia Morali, *Tract. 7. diſtinct. 6. q. 1. n. 5. & ſeqq.*

24 Reſp. II. Nihilominùs ut præſcriptio, ſive uſucapio ſit legitima, vimque transferendi rerum dominium habeat, plures requiruntur conditiones; videlicet ſequentes. I. Ut res ſit apta præſcribi. II. Bona fides. III. Juſtus titulus. IV. Poſſeſſio, & quidem legitimo tempore continuata: quæ omnes (ultima in duas diviſa) ſequentibus verſiculis apte comprehenduntur.

Non



*Non uſucapies, niſi ſint tibi talia quinque.*
*Sit res apta, fides bona, ſit titulus quoque juſtus.*
*Poſſideas juſte, completo tempora legis.*

25 Addunt nonnulli cum Gloſſa *cauſ. 16. q. 3. in Summa*, allatos verſiculos non nihil immutatos referente, traditionem rei. Verùm recte notat Engel *h. t. n. 5.* eam non eſſe per ſe neceſſariam, ſed ſolùm ex conſequentibus, quatenus vel juſta poſſeſſio, aut bona fides, vel juſtus titulus ſine ea deficit. Porrò ſi enumeratæ conditiones ritè intelligantur, ipſa natura præſcriptionis exactius percipietur, hinc de eiſdem ſingillatim reſtat dicendum in propriis paragraphis: proinde ſit

## §. II.

## De rebus, quæ præſcribi poſſunt, vel non poſſunt.

*S U M M A R I U M.*

26 *Omnes res poſſunt præſcribi, niſi ſpecialiter prohibeantur.*
27 *In Jure dicuntur quædam præſcribi non poſſe, dupliciter. Et nu. ſeqq.*
*Furtivæ res præſcribi non poſſunt & quomodo? Ibid.*
28 *Fiſci res uſucapi non poſſunt: & quando ſecùs?*
29 *Liber homo uſucapi non poteſt. Et nu. ſeq.*
30 *Poteſt tamen ſervus præſcribere libertatem contra Dominum.*
31 *Res publicis uſibus deputatæ, v. g. forum, platea, pons &c. nec in totum, nec in partem præſcribi poſſunt: & cur?*
32 *Res ſacræ, v. g. Eccleſiæ, jura ſpiritualia, Decimæ &c. nullo tempore à Laicis præſcribi poſſunt.*
33 *Dummodò excipiantur Decimæ, Laicis ante Concilium Lateranenſe in feudum conceſſæ.*
*Ac etiam Jus patronatus. Ibid.*
34 *Bene tamen, Res ſacræ poſſunt à Clericis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis præſcribi.*
35 *Num etiam Beneficium Eccleſiaſticum quoad titulum præſcribi valeat?*
36 *Res indiviſim communis pluribus, ab aliquo eorum præſcribi non poſſunt.*
37 *Sicut nec Precarium, Commodatum, Pignus, res emphyteutica &c.*
38 *Res meræ facultatis, ſeu gratuitæ voluntatis, nequeunt præſcribi.*
*Exemplificatur iſtud in pergente ad certum molendinum, furnum, aut praxatorium pro emenda cerevisia, vel pane &c. Ibid.*
39 *Quid, ſi Dominus ſuis ſubditis prohibuerit, ne ad alios furnos, praxatoria, vel molendina pergant, quam ſua?*
40 *Limites Provinciarum, Diœceſium, Parochiarum &c. præſcribi non poſſunt.*
*Etiam cum titulo, ac per tempus immemoriale. Ibid.*
41 *Secùs dicendum de limitibus Prædiorum, privata authoritate conſtitutis.*
42 *Imò & de limitibus Provinciarum, Diœceſium, Parochiarum &c. ſi de ipſorum certa ordinatione Eccleſiaſtica non conſtet.*
43 *Reſervata Principi in ſignum ſupremi dominii, præſcriptione non tolluntur.*
44 *Res pupillaris præſcribi non poteſt.*
*Contra ætatem pupillarem non currit præſcriptio. Ibid.*
45 *Nequit præſcribi fundus dotalis.*
46 *Ubi à Lege, aut Canone prohibetur alienatio alicujus rei, etiam intelligitur prohibita ipſius uſucapio, juxta Gloſſam.*
*Alienationis verbum etiam Uſucapionem continet. Ibid.*
47 *Regula illa Gloſſæ non procedit univerſaliter.*
48 *Et quando procedat, nec ne?*
49 *Subditi an poſſint præſcribere exemptionem ab obedientia Superioris, vel contra viſitationem, & procurationem hujus debitam? Et n. ſeqq.*
50 & 51 *Ponitur fundamentum ſententiæ negativæ.*
*Per Procurationem ratione viſitationis debitam, quid intelligatur? nu. 51.*
52 *Sententiam affirmativam videntur convincere aliqui textus juris.*
53 *Nemo poteſt præſcribere contra obedientiam, & viſitationem* extinctive, *bene tamen* translative; *idque declaratur.*
54 *Alia reſponſio, & jurium concordia refertur.*
55 *Subditus manens ſubditus nequit in totum præſcribere exemptionem à reverentia Epiſcopo debita, bene tamen ex parte.*
56 *Abbas exemptus poteſt præſcribere contra Epiſcopum certam Parochiam.*

26 Quæritur I. Quænam res generatim poſſit, vel non poſſint præſcribi? Reſp. I. Omnes res poſſunt præſcribi, ſeu uſucapi, niſi lege, vel ſpeciali ratione præſcribi prohibeantur. Ita communis; & patet ex *§. 1. & ſeq. Inſtit. de uſucapion. & l. Longi temporis. C. de Præſcription. long. temp.* cum ſimilibus; ubi rerum uſucapio, ſeu præſcriptio indiſtincte conceditur, certis duntaxat rebus poſtmodum exceptis.

27 Reſp. II. In Jure dicuntur quædam non poſſe præſcribi, quia ordinario tempore non uſucapiuntur: quædam verò, quia nullo modo præſcribi poſſunt. Ita Leſſius *lib. 2. de juſtit. & jur. c. 6. dubit. 15. n. 48.* & alii; idque probatur inductione. Siquidem imprimis *§. Furtivæ. Inſtit. de uſucap.* dicitur. Quod *furtivæ res, & quæ vi poſſeſſæ ſunt, non poſſunt uſucapi*: & tamen hæ à tertio bonæ fide poſſeſſore, puta, qui eas bona fide emit, præſcribuntur annis triginta, *l. Sicut in rem c. de Præſcript. 30. vel 40. ann. & L. 1. §. Ad hæc C. de Annal. except.* ac notat Gloſſa *cit. §. Furtivæ ℣. Prædicto longo temp. Inſtit. de uſucap.*

28 Similiter *in §. Res fiſci. Inſtit. eod.* ait Imperator, quod *res Fiſci noſtri uſucapi non poſſit*: & tamen bona Fiſco jam incorporata, præſcribuntur annis quadraginta, *l. Omnes C. de Præſcript. 30. vel 40. annor.* Si verò necdum fuerunt Fiſco incorporata, ei tamen debita, partim præſcribuntur quadriennio, quando videlicet non debentur ex delicto, ſed ob mortem decedentis ſine legitimo hærede, *L. 2. C. de Quadriennii præſcription.* Partim quinquennio ut quando debentur ex delicto, v. g. ob vectigal non ſolutum, juxta textum *in l. 2. C. de Vectigalib.* Ac per hæc patet ad priorem partem Concluſionis: altera vero pars liquet ex eo, quia dantur nonnullæ res, quæ nullo modo præſcribi poſſunt, prout illicò dicetur. Unde

29 Quæritur II. Quæ res in ſpecie præſcribi nequeant? Reſp. I. Liber homo nullo unquam tempore uſucapi, ſeu præſcribi poteſt. Textus eſt *in §. Sed aliquando, Inſtit. de uſucapion.* ibi: *Sed aliquando, etiam ſi maxime quis bona fide poſſideat rem, non tamen illi ullo tempore uſucapio procedit: veluti, ſi quis liberum hominem, vel rem ſacram, vel religioſam vel ſervum fugitivum poſſideat.* Ita textus expreſſus *in §. Sed aliquando, Inſtit. de Uſucap.* Concordat textus *in l. ult. C. de Longi tempor. præſcriptione, quæ pro libertate &c.* ubi dicitur, contra libertatem hominis non præſcribi etiam ſexaginta annis.

30 Nec obſtat, quod ſervus præſcribere poſſit libertatem ſuam contra dominium, ſi viginti annis, etiam ſine titulo, bona fide ſeſe geſſerit pro libero, *cit. l. 2. C. de Longi temporis preſcriptione, quę pro libertate &c.* juncta Gloſſa *fin. ibid.* Reſp. enim, eſſe maximam diſparitatem: nam libertas hominis connumeratur inter cauſas favorabiles, *c. ult. de Sentent. & re judicat.* ac proinde favor libertati debitus, & ſalubris, meritò induxit Legislatores, ut admitterent longi temporis præſcriptionem pro libertate, *cit. l. 2. C. de Longi tempor. preſcript.* Non verò adverſus libertatem hominis, etiam ſi præſcriptio iſta exceſſiſſet ſexaginta annorum curriculum, *L. 1. C. eod.*

31 Reſp. II. Res publicis uſibus deputatæ, ut Forum, via publica, plateæ, pons, & hujuſmodi, nec in totum, nec in partem præſcribi poſſunt. Ita Leſſius *lib. 2. de Juſtit. & jur. cap. 6. n. 48.* Pirhing *h. t. nu. 12.* & alii. Idque patet ex *l. uſucapionem, ff. de uſucapionib.* ubi expreſſe dicitur, quod in rebus *publicis, Populi Romani, & Civitatum*, non procedat uſucapio. Quamquam Gloſſa *ibid. ℣. Romani, & verſ. Civitatum*, iſtud intelligendum cenſeat de illis rebus, quæ ſunt in uſu ipſius Populi Romani, aut totius Univerſitatis; uti ſunt res in Concluſione enumeratæ: alias ſecùs: Accedit ratio: quia ejuſmodi res publicæ, utpote omnibus communes, à privatis non poſſidentur, ſed promiſcue uſurpantur, *l. 1. §. fin. ff. de Acquirend. poſſeſſion.* Atqui *ſine poſſeſſione preſcriptio non pro-*

ce-

*cedit*, juxta *reg. 3. Juris in 6.* cum ſimilibus. Concordat textus *l. 2. ff. de Via publica*, ubi dicitur: *Viam publicam populus non utendo amittere non poteſt*, etiamſi centum annis non ivit; prout ſubjungit Gloſſa *un. ibid.* aſſerens, illud contingere favore publicæ utilitatis.

32 Reſp. III. Res ſacræ, puta Eccleſiæ, atque Loca Religioſa, nec non jura ſpiritualia, v. gr. jus Decimarum, jus conferendi Beneficia Eccleſiaſtica, & hujuſmodi, nullo tempore à Laicis præſcribi poſſunt: utpote cùm nec talia à Laicis poſſideri valeant. Ita habetur *c. cùm cauſam 7. h. t.* cum ſimilibus; & concordat textus *in l. Uſucapionem, ff. de Uſucapion. & §. Sed aliquando, Inſtit. eod.* eſtque communis Doctorum

33 Fallit iſtud in Decimis ante Concilium Lateranenſe, ſub Alexandro III. anno 1179. celebratum. Laicis per Epiſcopos pro defenſione ſuarum Eccleſiarum in feudum perpetuò conceſſis: nam, quod Decimæ illæ, quæ anteà Laicis perpetuo in feudum conceſſæ fuerant, poſtmodùm penes Laicos Vaſallos remanſerint (ſublata tamen Epiſcopis in dicto Generali Concilio poteſtate, Decimas ita Laicis impoſterùm infeudandi) claré deſumitur ex *c. cùm Apoſtolica 7. §. fin. De his quæ fiunt à Prælatis &c. & c. Statuto, §. Sane, de Decimis in 6.* ac tenet Covarruvias *lib. 1. Variar. reſolut. cap. 17. num. 5.* Rota apud Merlinum *Deciſ. 694.* Rebuffus *de Decimis, quæſt. 13 n. 64.* Mareſchottus *lib. 1. Var. reſol. cap. 92.* allegans Rotam, cum aliis. Fallit idipſum etiam in Jure patronatus: nam hujus Laici non ſunt incapaces, *Quoniam 3 & ſeqq de Jure patronat.* ac proinde iſtud bene poteſt ab uno Laico præſcribi contra alium, ſed de his plura in propriis Titulis.

34 Additur quoque in data Concluſione ly, *A laicis*. Nam, quod Eccleſiæ quoad proprietatem ab uno Prælato Eccleſiaſtico contra alium, & alia jura ſpiritualia bene poſſint præſcribi à Clericis, aliiſque perſonis Eccleſiaſticis; patet ex *c. 1. h. t. & c. De quarta 4 & c. Ad aures 6. & c. Auditis 15. & c. cùm olim. 18. eod.* cum concordantiis.

35 Num autem Beneficium Eccleſiaſticum, ſeu Eccleſia quoad titulum, poſſit uſucapi per triennalem poſſeſſionem, pacifice ac bona fide continuatam, juxta Reg. 36. Cancellariæ *De Triennali poſſeſſore*, variant Doctores. Negat Gloſſa *c. Contingit verſ. Conſtituatur, circa med. de Dolo & contumac.* Zoeſius *h. t. n. 19* Covarruvias *part. 2. in c. Poſſeſſor. §. 10. n. 10. verſ. Sexta concluſio*, citans alios. Siquidem *Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licite ſine inſtitutione canonica obtineri*; prout loquitur *Reg. 1. Jur. in 6.* cum concordantiis. Affirmat Navarrus *Conſil. 30. de præbend* Leſſius *lib. 2. de Juſt. & jur. dubit. 10. nu. 35.* Emmanuel Sà ℣. *Beneficium n. 14.* Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 1. c. 8. n. 16.* allegans alios; atque aſſerens, Regulam in contrarium allegatam procedere jure ordinario, ac ſecluſo ordinario remedio uſucapionis: apud quem, ſicut & apud Covarruviam *loc. cit. n. 9. & 10.* plura de hoc.

36 Reſp. IV. Res indiviſim communes pluribus, ab aliquo ſociorum præſcribi non poſſunt, quo minùs cæteris ſuam portionem reddere debeat, etiam ſi tempore longiſſimo ipſas detinuerit. Ita Vallenſis *h. t. §. 8. n. 6.* Pirhing *eod. nu. 16.* Leſſius *cit. cap. 6. nu. 48.* & alii. Ratio eſt: quia rem indiviſam cenſetur quis non ſuo tantùm, ſed etiam aliorum ſociorum nomine poſſidere, ut *l. Si communem, ff. Quemadmodum ſervitutes amittantur*: ac proinde nunquam poterit eam ſuo nomine præſcribere; cum ſine poſſeſſione præſcriptio non procedat, juxta *reg. 3. jur. in 6.*

37 Et ob eandem rationem nequit præſcribi Precarium, Commodatum, Pignus, res emphyteutica, vel feudalis, Conductum aut Depoſitum ab eo, qui hæc ſub tali titulo poſſidet, aut ab ejus hærede. Quia nimirum talia nomine alieno poſſidentur, atqui alieno nomine Poſſidens, non præſcribit; nam is poſſidet, cujus nomine poſſidetur, *c. Si diligenti 17. h. t.* Unde, quod tenens ut emphyteuta, vel conductor, ſeu quolibet alio tali titulo non præſcribat, textus eſt *in l. cùm notiſſimis, §. In iis etiam*, juncto Baldo *in Summario ibid. C. de Præſcription. 30. vel 40. annor.* Idemque de pignore habetur expreſſum *l. Pignori. ff. de Uſucap.* ac tradit Gloſſa *fin. c. cùm non liceat*, & Abbas *ib. n. 11 h. t* Leſſius *cit. c. 6. dubit. 15 n. 48* Sanlig *h. t c. 6. n. 2.* & alii communiter. Quamquam per hoc non negetur, quin jus feudale, ſeu emphyteuticum, quoad proprietatem poſſit præſcribi contra Dominum directum: puta, ſi quis tempore debito, bonaque fide rem aliquam poſſedit ut feudum, ac ſervitutem Domino exhibuit licet ea de re nunquam fuerit inveſtitus, prout habetur *l. 2. Feud. tit. 26. Si de feudo defuncti &c. §. Si quis per triginta.*

38 Reſp. V. Res meræ facultatis, ſeu gratuitæ voluntatis, nequeunt præſcribi. Ita deſumitur ex *L. 2. ff. de Via publica*; ac notat Covarruvias *in c. Poſſeſſor. par. 2. §. 4. n. 6.* iſtud ulteriùs probans, ex *l. Qui jure familiaritatis ff. de Acquir. poſſeſſ. & l. Et habet §. Hoſpites, ff. de Precar. & l. Si mulier, ff. Quibus modis uſusfruct. amitt.* Gailus *lib. 2. pract. Obſervat. 18. n. 4 & 5.* Pirhing *h. t. n. 17.* & communis. Hinc, ſi centum annis, & ultrà, quidam iverint ad certum molendinum, vel ad furnum pro coquendo pane, aut praxatorium pro emenda cereviſia, non tamen vi præſcriptionis cogi poſſunt, ut deinceps illuc eant; quia per actus meræ facultatis, ſeu prorſus liberos, non inducitur conſuetudo, neque præſcriptio.

39 Fallit hoc, quando jus hujuſmodi quæſitum fuit Domino adverſus ſuos Vaſallos, ſive ſubditos, eò quòd ex rationabili cauſa, puta, ex conſuetudine in anteà vigente, vel privilegio ſaltem colorato, ſicque bona fide prohibuerit ſubditis ſuis, ne irent ad alios furnos, praxatoria, vel molendina, quam ad ſua, aut ſibi ſubjecta. Tunc enim, licet ſubditi illi antecedenter ex mera facultate iviſſent ad furnum, praxatorium, vel molendinum Domini ſui; tamen ſi poſtea dictæ prohibitioni à Domino ſuo territoriali bona fide (qualis requiritur ad omnem præſcriptionem) interpoſitæ, ne aliorſum pergerent, cum patientia acquieviſſent: reverà tunc probata tali patientia ſubditorum, Dominus in quaſi poſſeſſione talis juris conſtitueret; atque hac ratione procederet præſcriptio, incipiens à die factæ prohibitionis. Abbas *c. Significante n. 1. de Appellation.* Covarruvias *cit. par. 2. in c. Poſſeſſor. §. 4. n. 7.* allegans plurimos alios: & docet in ſimili Gloſſa *1. l. Qui luminibus ff. de Servitutib. urban. Prædior.*

40 Reſp IV. Limites, ſeu termini Provinciarum, Diœceſium, & Parochiarum, vel finibus cohærentia, de quibus, quod Eccleſiaſtica ordinatione olim ſic præfixi fuerint, legitime conſtat, præſcribi non poſſunt. Textus eſt *in c. Super eo 4. de Parochis*; ubi Gloſſa 1. Abbas, Barboſa *in Collectan.* & alii paſſim. Concordant *can. Quicunque, & can. Licet in regulis 16. qu. 3* ubi & hujus ratio redditur: *Ne Provinciarum termini confundantur.* Quod ipſum procedere in Epiſcopatibus, atque Parochiis, cùm ſit eadem ratio de his; prout textus *cit. c. Super eo*, juncta Gloſſa ℣. *Per canones, eod.* Adeò, ut iſtud procedat in omni præſcriptione, ſive cum titulo, ſive abſque titulo, imò & per tempus immemoriale, aut ultra centum annos continuata. Abbas *ibid. n. 2. & 7.* Pirhing *h. t. nu. 18.* & alii, qui iſtud etiam ad limites Regnorum, Ducatuum, & Comitatum ſæcularium extendunt.

41 Dicitur notanter, *Limites Provinciarum, Diœceſum &c.* Nam ſecùs eſt dicendum de limitibus Prædiorum, qui privata authoritate, atque conventione conſtituuntur. Hi enim ſpatio quadraginta annorum cum bona fide præſcribuntur, juxta textum expreſſum *c. Quia indicante 9. h. t.* cum ſimilibus.

42 At additur, *de quibus, quod Eccleſiaſtica ordinatione olim ſic præfixi fuerint, legitime conſtat.* Nam dotalibus finibus, ſeu limitibus Parochiarum &c. *in cit. c. Super eo, de Paroch.* fit expreſſa mentio. Unde ſecùs eſt dicendum, ſi de limitum certa ordinatione Eccleſiaſtica antiquitus facta non conſtat: tunc enim valet præſcriptio. Abbas *loc. cit. n. 2.* Engel *h. t. n. 8.* & alii, apud quos plura de hoc.

43 Reſp. VII. Reſervata Principi in ſignum ſupremi dominii, puta, præſtatio tributi, ac hujuſmodi, nullius temporis præſcriptione tolluntur. Textus eſt expreſſus *in l. Comperit. C. de Præſcription. 30. vel 40. annor.*

44 Inſuper res pupillaris præſcribi non poteſt, *l. Bonæ fidei* juncta Gloſſa ℣. *Pupilli, ff. de Acquirend. rerum domin.* Siquidem contra ætatem pupillarem non currit præſcriptio; *l. Sicut in rem. C. de Præſcription. 30. vel 40. annor.*

45 Item nequit præſcribi fundus dotalis: quia nec alienari poteſt, *l. Fundus, ff. de Fundo dotali.* Tacentur nonnullæ aliæ res, quæ præſcribi non poſſunt, vel ſaltem non præſcribuntur tempore ordinario; de quibus fuſe agit Gloſſa *fin. c. cùm non liceat 12. h. t.* Hoſtienſis *in Summa h. t. nu. 4. & 5.* & alii.

Ad-



46 Addit Gloſſa *in l. Ubi lex inhibet.* ℣. *Nihil prodeſt*, juncta Gloſſa *marginal. ibid. ff. de Uſucapion.* quod ubicunque à Lege communi, ſeu municipali, aut à Canone prohibetur alienatio alicujus rei, etiam intelligatur prohibita ipſius uſucapio. Et hanc Gloſſam approbat Bartolus ibidem, aſſerens eam tota die allegari. Concordat Gloſſa 1. *in l. Alienationis, ff. de Verb. ſignif.* Quia enim hic dicitur: *Alienationis verbum, etiam uſucapionem continet*; hinc prohibita alienatione, hoc ipſo ſaltem tacite cenſetur prohibita uſucapio *l. Fundus ff. de Fundo dotal. & l. Bonæ fidei, ff. de Acquirend. rerum domin.*

47 Verùm, ut notat Abbas *c. cùm non liceat nu. 7. & ſeqq. h. t.* Angelus ℣. *Præſcriptio n. 22.* Pirhing *h. t. n. 35. & ſeqq.* & alii, dicta Regula non procedit univerſaliter: nam multa prohibentur alienari, quæ tamen poſſunt præſcribi. Sic quippe res Eccleſiæ immobiles prohibentur alienari, *toto Tit. de Rebus Eccleſ. non alienand.* & tamen poſſunt præſcribi, *c. Illud autem 8. & c. quia indicante 9. h. t.* Similiter res dotalis prohibetur alienari, *cit. l. Si fundus, ff. de Fundo dotali*: poteſt tamen præſcribi, ſi jam anteà fuit inchoata præſcriptio, priuſquam eſſet res dotalis, *l. Si fundum, ff. eod.* cum ſimilibus.

48 Diſtinguendum proinde eſt cum Doctoribus proxime citatis. Quia aut Lex prohibet alienationem, eò quòd res illa non ſit in commercio hominum, nec ejus poſſeſſio haberi poſſit; ut res ſacræ, & publicæ, quæ à Laicis, vel privatis poſſideri non poſſunt: & ſic non valet præſcriptio ullo tempore; nam *ſine poſſeſſione non procedit*, juxta *Reg. 3. Jur. in 6.* Aut Lex prohibet ſimpliciter alienationem favore ipſius rei (prout contingit in fundo dotali, in fidei commiſſo, & ſimilibus) & ſic præſcriptio non poteſt inchoari: ſi verò jam anteà fuerat inchoata præſcriptio, priuſquam fundus, v. g. datus eſt in dotem, aut hujuſmodi; tunc non impeditur, neque interrumpitur præſcriptio, quò minùs tempore ordinario compleatur, *cit. l. Si fundum, ff. de Fundo dotal.* Aut Lex prohibet alienationem non ſimpliciter, ſed ne fiat ſine certa ſolemnitate; ut fit in rebus Eccleſiæ, ac nonnullis aliis: & tunc data bona fide, & excluſo errore juris, procedit præſcriptio, dummodò concurrant alia requiſita ad præſcriptionem. Abbas *cit. c. cùm non liceat n. 8. & 9.* Angelus, *ubi ſupra*, iſtud exemplificantis in caſu, quo quis bona fide emit rem à Minore, quem putabat eſſe Majorem; vel rem acquiſivit à Prælato Eccleſiæ, ſed putabat Capitulum legitimè conſenſiſſe, quod tamen non conſenſerat: tunc enim non interveniſſet error juris, ſed duntaxat error facti, qui poteſt excuſare, juxta *Reg 13. Juris in 6.* Secùs, ſi interveniſſet error juris; putà, credendo, quod Prælatus poſſet alienare ſine ſuo Capitulo, & Minor ſine Decreto. Gloſſa *c. 2.* ℣. *Non poſt multum. De his quæ fiunt à Præl.* Abbas, & Angelus, *ubi ſuprà*: & concordat textus *in c. 1. de Rebus Eccleſ. non alienand. in 6.* cum ſimilibus.

49 Quæritur III. Utrùm Subditi poſſint præſcribere exemptionem ab obedientia Superioris; aut præſcribere contra viſitationem, & procurationem ratione viſitationis debitam? Reſp. I. Celebris eſt hæc Quæſtio, & ſatis inter Doctores agitata, ob textus Juris prima fronte inter ſe pugnantes. Et quidem

50 Sententia negativa, videlicet, Subditum non poſſe præſcribere obedientiam contra Superiorem, videtur clare deciſa *in c. cùm non liceat 12. h. t.* Ubi proinde Summarium, Jo: Andreas, Abbas Panormitanus, Barboſa, & alii, communiter ſic habent: *Subditus non præſcribit obedientiam contra Prælatum.* Ratio hujus adducitur in textu *ibid.* illis ponderoſis verbis: *Cùm non liceat à capite membra recedere.*

51 Idipſum de viſitatione, & procuratione ratione viſitationis debita (per *procurationem* iſtam intelligendo moderatas impenſas, quæ pro decenti victu, atque ſuſtentatione, debentur Prælatis tempore viſitationis, cùm ſecundùm Apoſt. 1 Corinth. 9. *Nemo cogatur ſuis ſtipendiis militare*) videtur clare deciſum *c. cùm ex officii 16. h. t.* Accedit ratio: quia præſcribere contra viſitationem, eſt præſcribere contra obedientiam; ut notat Gloſſa *ibid.* ℣. *Viſitationem*: atqui contra obedientiam præſcribi nequit, *cit. c. cùm non liceat h. t.* Procuratio autem eſt acceſſoria ad viſitationem, eſtque omni jure debita Viſitatoribus, juxta D. Apoſtolum *loc. cit.* cum concordantiis: unde pariter contra procurationem nequit procedere præſcriptio.

52 Affirmativam econtrà ſententiam, videlicet contra talia procedere præſcriptionem, videntur convincere alii textus Juris: Imprimis enim, quod omnia jura Epiſcopalia poſſint præſcribi per inferiorem Epiſcopo, v. g. per Abbatem; textus clarus eſt *in c. Auditis 15. & c. cùm olim 18. h. t.* & alibi: atqui inter jura Epiſcopalia expreſſe connumeratur obedientia, viſitatio, & procuratio, *c. Conquerente 16. de Offic. Ordinar.* ergo & hæ præſcribi poterunt. Accedit, quod *in c. cùm olim §. Quia verò 14. de Privileg. & c. cùm perſonæ, eod. in 6.* expreſſe dicatur, poſſe libertatem, ſeu exemptionem à juriſdictione, & ſubjectione Epiſcopi, & conſequenter ab ejus obedientia, & viſitatione, præſcribi. Inſuper *in c. De quarta 4. h. t.* cum concordantiis, admittitur præſcriptio exemptionis à ſolvenda quarta Decimarum, ac Funeralium, & hujuſmodi. Igitur pro concordia horum Textuum

53 Reſp. II. Et ſi nemo præſcribere poſſit contra obedientiam, & viſitationem *extinctive*: ita videlicet, ut obtineat omnimodam & abſolutam exemptionem reſpectu omnium Superiorum Eccleſiaſticorum, atque à nullo eorum viſitari valeat: nihilominùs viſitatio, & obedientia Superioribus debita, poteſt præſcribi *tranſlative*: ita nimirum, ut alteri, quam Epiſcopo (puta, Prælato Regulari, aut alii Prælato, vel ſaltem immediate Summo Pontifici) debeatur obedientia, & competat viſitatio. Ita innuit Abbas *c. cùm non liceat n. 17. h. t* atque ex profeſſo tradit Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 128. n. 3. & 5. ac ſeqq. & allegat. 129. n. 8. & 9 ac ſeqq.* citans alios Pirhing *h. t. n. 22.* Engel *n. 7.* & alii. Prima pars convincitur per textus *n. 50. & 51.* allatos; ſimulque ex eo: quia ad minus talis Jure Divino manebit ſubjectus Summo Pontifici, utpote Capiti viſibili totius Eccleſiæ Chriſtique in terris Vicario. Accedit, quod monſtroſum ſit corpus acephalum; hoc eſt, ſine capite: tale autem daretur, ſi poſſet præſcribi obedientia extinctive, ſeu reſpectu omnium; ergo. Altera verò pars ſuadetur per textus *nu. præced.* citatos, qui hac ratione bene cum prioribus concordantur, dicendo, quod quidem contra obedientiam poſſit aliquis ſubditus præſcribere tranſlative, non verò extinctive.

54 Vel poterit dici, in tali caſu non ſubditum ipſum præſcribere contra obedientiam Prælati (*cùm non liceat à capite membra recedere*, juxta textum *in cit. c. cùm non liceat, h. t*) ſed potiùs alterum Superiorem, cui ſubditus ille ſeſe voluntarie ſubjecit, ejuſque viſitationem admiſit, præſcribere contra priorem Prælatum ipſius, per tempus ad præſcriptionem ſufficiens non reclamantem. Atque hanc poſteriorem reſponſionem, ſeu concordantiam textuum Juris ſupra allegatorum, approbat Gloſſa *cap. cùm olim 14.* ℣. *Præſcripſiſſet. de Privileg.* & Barboſa *cit. allegat. 128. n. 14. & 15.* allegans alios. Atque hæc poſterior reſponſio ſuadetur ex *c. cùm officii 16. h. t.* ubi dicitur: *cùm contra procurationem præſcribi nequiverit, nec contra viſitationem ipſam, etſi alius contra eum præſcribere poſſet utramque.* Quamquam ad hoc, ut quis dicatur per præſcriptionem immediate ſubjectus Eccleſiæ Romanæ, atque ab Epiſcopi juriſdictione exemptus, requiratur, quod ab Eccleſia Romana (idem ſervata proportione dicendum de alio Prælato) habitus fuerit, atque tractatus tanquam immediatus ſubditus, non autem ſolummodò ut ſubditus quoad ſubjectionem univerſalem, quam habent omnes Chriſti Fideles erga Sanctam Romanam Eccleſiam, veluti Matrem & Magiſtram omnium Eccleſiarum.

55 Reſp. III. Inſuper ſubditus manens ſubditus (id eſt, quamdiu ſe gerit, & recognoſcit pro ſubdito) nequit in totum præſcribere exemptionem à reverentia Epiſcopo debita: eam tamen poteſt præſcribere in parte; puta, Prælatus inferior in ſua Parochia præcedat Epiſcopum, prout exemplificat Barboſa *cit. allegat. 128. n. 7.* allegans alios. Et hac ratione admittitur quoque præſcriptio exemptionis de non ſolvendis Epiſcopo Funeralibus, aut quarta Decimarum, *c. De quarta 4. h. t.* & alibi: ſiquidem talis præſcriptio procedit ſolùm ex parte: non autem ſubtrahit Epiſcopo totum jus Epiſcopale, aut omnem reverentiam & ſubjectionem eidem debitam.

56 Ex dictis infertur cum Abbate *c. cùm non liceat nu. 17. h. t.* & Barboſa *cit. allegat. 128. n. 9.* & aliis, quod Abbas exemptus poſſit præſcribere contra Epiſcopum certam



Pa-

Parochiam: ita videlicet, ut non ampliùs iſta ſubſit Epiſcopo, ſed Abbati exempto, qui à tempore immemoriali per ſuos Monachos exercuit curam animarum reſpectu illius Parochiæ, & nunquam ab Epiſcopo curam recepit, neque viſitatus fuit. De quo plura citatus Abbas ſolvens contraria.

## §. III.

## De bona fide ad Præſcriptionem requiſita.

S U M M A R I U M.

57 *Bona fides in propoſito, quid?*
*Ea in Foro externo præſumitur, niſi probetur contrarium. Ibid. Et n. 83.*
58 *Ad legitimam præſcriptionem omninò requiritur bona fides.*
59 *Et quidem toto illo tempore, quo currit præſcriptio.*
60 *Secùs, ubi poſt præſcriptionem jam completam ſupervenit notitia rei alienæ.*
61 *Spectato Jure Civili olim ad præſcriptionem ſufficiebat bona fides ab initio &c.*
*Leges illæ fuerunt correctæ de Jure Canonico, ſeu per Concilium Generale; & cur? Ibid.*
62 *Solvitur inſtantia ex* cap. 1. h. t.
63 *Dubitans, num res ſit ſua, nec ne, an poſſit præſcribere? Et n. ſeqq.*
*Stante tali dubio nequit inchoari præſcriptio. Ibid.*
64 *Solvitur inſtantia.*
*Dubitans, num res ſit ſua, nec bonam, nec malam fidem habet. Ibid.*
65 *Quod ſi dubium poſt præſcriptionem bona fide captam ſuperveniat, non interrumpit præſcriptionem &c.*
66 *Solvitur inſtantia, afferendo diſparitatem inter hunc, & priorem caſum.*
67 *Error juris an impediat bonam fidem, atque præſcriptionem? Et n. ſeqq.*
68 *Ignorantia juris clari, etiam inculpata, impedit præſcriptionem.*
69 *Et hujus ratio.*
70 *Ad præſcriptionem requiritur bona fides tam Theologice, quam juridice.*
71 *Limitatur data Concluſio in certis caſibus. Et n. ſeqq.*
*Inculpata ignorantia juris ſufficit ad præſcribendos triennio fructus, ex re alterius taliter perceptos. Ibid.*
72 *Differentia inter præſcriptionem, & fructuum acquiſitionem interveniente juris errore, quæ?*
73 *Ignorantia juris tam Theologice, quam juridice inculpata, juxta quoſdam ſufficit ad præſcriptionem.*
74 *Hæc ſententia non caret difficultate.*
*Juris ignorantia non prodeſt acquirere volentibus; ſuum verò petentibus non nocet. Ibid.*
75 *Error juris bonam fidem inducit ſufficientem ad præſcriptionem, quando hæc titulum non requirit, ſimulque error contingit in Jure nec aſſiſtente, nec reſiſtente.*
76 *Invincibilis ignorantia juris, juxta quoſdam, non impedit pro Foro conſcientiæ præſcriptionem.*
77 *Error juris dubii non impedit bonæ fidei poſſeſſorem, quominùs præſcribere poſſit.*
78 *Sicut nec ignorantia facti.*
79 *Mala fides Prælati, an noceat Eccleſiæ, vel Capitulo, habenti bonam fidem? Et n. ſeqq.*
*Prælatus certò ſciens, rem eſſe alienam, tenetur purgare conſcientiam ſuam, remque ſuo domino reſtituere. Ibid.*
*Quidquid fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam. Ibid.*
80 *Quomodo tunc Prælatus poſſit reſtituere rem alienam.*
81 *Si Prælatus certò ſcit, rem eſſe alienam, probabilius non habet locum præſcriptio etiam ſtante bona fide Eccleſiæ, vel Capituli.*
82 *Bona vel mala fides Teſtatoris, aut Prædeceſſoris in Beneficio &c. an proſit, vel noceat Hæredi, aut Succeſſori, ut præſcribere valeat, vel non valeat? Remiſſive.*
83 *Bona, vel mala fides in materia præſcriptionum qualiter probetur? Et n. ſeqq.*
*Qui allegat malam fidem alterius, eam probare debet. Ibid.*
84 *Mala fides poſſidentis, ſeu præſcriptionem opponentis poteſt varie probari.*
85 *Ut per propriam confeſſionem poſſidentis.*
86 *Vel per denunciationem factam tempore contractus.*
87 *Aut per famam in vicinia.*
88 *Vel ſi res fuit acquiſita contra jus.*

57 QUæritur I. An, & quo tempore bona fides requiratur ad Præſcriptionem? Ubi prænotandum, quod *Bona fides* in propoſito aliud non ſit, quam proba exiſtimatio, ſive credulitas, qua quis prudenter ſibi perſuadet, rem quam poſſidet eſſe ſuam. Et additur, *prudenter*: quia ſi ex ignorantia craſſa vel affectata, ſeu ex inordinata cupiditate habendi perſuaſio illa procedat, non erit bona fides, juxta illud Pſalm 68. *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Hinc Gloſſa *c. Si diligenti verſ. Bona fides, h. t.* inquit: *Bona fides intelligitur, cum aliquis credit, tradentem eſſe dominum: vel habere jus diſtrahendi, licet erret in facto, l. Bonæ fidei emptor. ff. de Verbor. ſignif.* Et talis bona fides in Foro externo ſemper præſumitur, niſi probetur contrarium; prout ſubjungit Gloſſa *loc. cit.* illud probans ex *l. Verus, ff. de Probat.* juncta *Reg. 47. jur. in 6.* quæ ait: *præſumitur ignorantia* (facti alieni, puta injuſtæ poſſeſſionis alterius) *ubi ſcientia non probatur.* Quo prænotato

58 Reſp. I. Ad legitimam præſcriptionem omnino requiritur bona fides: adeò, ut nec in Foro Canonico, nec Civili, valeat præſcriptio cum mala fide. Ita Abbas *cap. ult. in Summario h. t.* ac Theologi, & Canoniſtæ communiter. Concluſio hæc clare habetur deciſa *c. Vigilanti 5. h. t. & cap. ult. eod.* Ubi in Concilio Generali (hoc eſt, Lateranenſi, celebrato ſub Innocentio III.) ſic deciſum refertur: *Quoniam omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, Synodi judicio diffinimus, ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio, tam Canonica, quam Civilis &c.* Hinc in *Reg. 2. jur. in 6.* abſolute dicitur: *Malæ fidei poſſeſſor ullo tempore præſcribit.* Unde conſequens eſt, nullam præſcriptionem cum mala fide procedere, quantocunque tempore puta, centum vel mille annis, poſſeſſio rei alienæ ſcienter continuata fuerit; quinimò tanto graviora ſunt peccata talis injuſtæ detentionis rei alienæ, quanto diutiùs infelicem animam detinet alligatam, *cap. ult. de Conſuetud.*

59 Reſp. II. Ad complendam præſcriptionem requiritur bona fides toto illo tempore, quo currit præſcriptio. Ita communis Theologorum, & Canoniſtarum; atque habetur deciſum in eodem Concilio Generali, relato *in cap. ult. h. t.* Ubi poſt verba proxime allegata, ſubjungitur: *Cùm generaliter ſit omni conſtitutioni, atque conſuetudini derogandum, quæ abſque mortali peccato non poteſt obſervari. Unde oportet, ut qui præſcribit, in nulla temporis parte rei habeat notitiam alienæ.* Hæc ibi.

60 Secùs eſt dicendum, ubi poſt completam bona fide præſcriptionem primùm ſupervenit notitia rei alienæ: quia cùm talis jure præſcriptionis jam legitime fuerit adeptus dominium rei alienæ, juxta dicta *n. 21. & ſeqq.* hoc ipſo non cenſetur eſſe malæ fidei poſſeſſor; neque rem illam ampliùs reſtituere tenetur. Gloſſa *fin. cit. cap. ult. h. t.* & alia Gloſſa *c. Vigilanti, ℣. Noverit, eod.* communiter recepta.

61 Fatendum quidem eſt, quod ſpectato Jure Civili, olim & ad præſcriptionem triennalem rerum mobilium, ſicut & ad præſcriptionem longi temporis rerum immobilium, ſufficiat bona fides ab initio habita, *l. un. C. de Uſucapion. transformand.* Atque idcircò diutina poſſeſſio bona fide per defunctum cœpta, proſit ejus hæredi, non obſtante, quod hæres ille ſciat rem eſſe alienam, *cit. L. un. & ſ. Diutina. Inſtit. de uſucapion.* Quod ipſum etiam procedit in præſcriptione longiſſimi temporis, triginta ſcilicet vel quadraginta annorum, *l. Si quis emptionis §. quod ſi quis C. de Præſcript. 30. vel 40. annor.* eo addito, ut ſi Præſcriptor malam fidem habuerit ab initio, præſcriptione longiſſimi temporis acquiratur ipſi ſola retinendi exceptio. Verùm hujuſmodi Leges Juris Civilis, cùm abſque peccato mortali obſervari nequiverint, ſimulque fuerint nutritivæ peccati; eò quòd homines præ deſiderio præſcribendi animaverint ad continuandam injuſtam rei alienæ poſſeſſionem; de facto ampliùs non procedunt, ſed ſunt per Concilium Generale, relatum *cap. ult. h. t.* correctæ; atque abrogatæ, eâ addita ratione: *Quoniam omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Quod ipſum jam anteà decreverat Alexander III. relatus *in c. Vigilanti 5. h. t.* Et quidem, cùm verſemur in materia concernente ſalutem animarum, iſthæc Juris Canonici diſpoſitio in utroque Foro, tam Civili videlicet, quam Eccleſiaſtico, eſt obſervanda, juxta ea quæ fuſius dicta fuerunt ſuperius in Prooœmio *Libri I. Decretalium §. 12. n. 217. 219. & ſeqq.*

62 Dices. *In cap. 1. h. t. & can. Placuit 16. q. 3.* habetur, quod Epiſcopus locum à ſe ad Fidem converſum per triennium præſcribat contra alium Epiſcopum, qui intereà eum non repetivit, ſed tacuit; ergo etiam de Jure Canonico procedit præſcriptio cum mala fide. Reſp. neg. conſequent. Quia Epiſcopus locum convertens ad Fidem Catholicam, bonum opus operatur, ac neutiquam peccat, ſicque non eſt in mala fide: quamvis lapſu triennii jus in dictum locum ſibi competat, non vi ſolius præſcriptionis (ad hanc enim non ſufficeret triennium, quinimò requirerentur quadraginta anni, *c. De quarta 4. & c. Ad aures 6. h. t.*) ſed ex ſpeciali conſtitutione, ſupremaque authoritate Sanctæ Matris Eccleſiæ, quæ ob favorem Fidei Catholicæ, atque ad excitandos Epiſcoporum animos pro converſione Infidelium, ſic ſtatuit.

63 Quæritur II. Utrùm dubitans, num res ſit ſua, nec ne, cenſeatur habere bonam fidem, poſſitque præſcribere? Reſp. I. Si tale dubium adfuit ab initio, non cenſetur quis habere bonam fidem; adeoque eo ſtante nequit inchoari præſcriptio. Ita Abbas *c. ult. nu. 39. h. t.* Bartolus *l. Naturaliter §. quæro utrùm ſupervenkente ff. de uſucapion.* Covarruvias *in Reg. Poſſeſſor. par. 2. §. 7. n. 3.* Leſſius *lib. 2. de Juſtit. & jur. c. 6. n. 10.* allegans communem; & dixi egometipſe *in Theolog. Moral. Tract. 7. Diſt. 6. n. 11.* Ratio eſt: quia dubitans, an res ſit ſua vel alterius, injuſte agit eam ſibi arrogando: cùm non ſit melior conditio quam alterius, qui eam rem priùs poſſederat, ſed econtrà melior fuerit hujus, utpote poſſeſſoris conditio: ergo jam non cenſetur habere bonam fidem, qualis requiritur ad præſcriptionem. Quod ſi verò res anteà fuit ſub nullius dominio, hoc ipſo fit primo occupantis; ſicque ceſſat ratio dubii.

64 Dices. Qui dubitat, hoc ipſo non ſcit rem eſſe alienam; ergo non habet malam fidem; & conſequenter habet bonam fidem, cum qua poteſt præſcriptio inchoari. Reſp. neg. conſequent. Quia, ut notat Gloſſa *in L. 1. ℣. Interveneri. C. de Acquirend. poſſeſſ.* & Gloſſa *fin. L. 2. ff. pro ſoluto*, & Covarruvias *cit. n. 3.* ignorans, ſeu dubitans, an res ſit ſua vel aliena, nec bonam, nec malam fidem habet; datur enim medium per abnegationem, ſeu ſuſpenſionem utriuſque, qualem habet verè dubitans, *arg. L. 1.* juncta Gloſſa *℣. Velle, ff. de Tributor. action.* Atqui ad inchoandam præſcriptionem Jura poſitive requirunt bonam fidem; ut *L. un. C. de Uſucapion. transformand.* ibi: *Hoc tantum obſervando, ut in his omnibus caſibus ab initio eam bona fide capiat*: cum ſimilibus. Unde vere dubitans, an res ſit ſua vel aliena, hoc ipſo nequit præſcriptionem incipere, ex defectu bonæ fidei.

65 Reſp. II. Quod ſi dubium poſt præſcriptionem bona fide jam cœptam primùm ſuperveniat, illud non vitiat bonam fidem, neque interrumpit præſcriptionem: quamvis teneatur interim poſſeſſor moralem diligentiam adhibere in inveſtiganda veritate. Ita Gloſſa *fin. c. ult. h. t.* Abbas, Bartolus, Covarruvias, *ubi ſupra*, aliique communiter, paucis exceptis, quos in contrarium citat Covarruvias *loc. cit. n. 4.* Ratio eſt: quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis, juxta *Reg. 65. jur. in 6.* Ergo ſi is, qui incipit dubitare, jam priùs bona fide poſſederit rem, melior eſt conditio ejus, quam alterius non poſſidentis; ſicque bona fide poterit continuare poſſeſſionem, & præſcriptionem, dummodo adhibeat moralem diligentiam de inveſtiganda veritate, an res ſit ſua, vel alterius, *arg. can. Occidit 23. q. 8.* Atque per hoc patet diſparitas inter hanc, & priorem Concluſionem. Ibi enim non ſuffragatur culpiam poſſeſſio, eò quòd cum dubio, num res ſit ſua, nec ne, primùm incipiat ipſam poſſidere; imò injuſte agat, ſtante tali dubio eam rem ſibi arrogando. Secùs dicendum in caſu, quando quis bona fide jam anteà cœpit poſſidere rem aliquam, & dubium poſtea primùm ſupervenit; nam tunc ſuffragatur ipſi poſſeſſio ſicque erit melior conditio ipſius, utpote poſſidentis.

66 Dices. *In cap. ult. h. t.* requiritur, *ut qui præſcribit, in nulla temporis parte rei habeat conſcientiam alienæ*: atqui dubitans, etiam dubio primùm ſuperveniente, habet conſcientiam rei alienæ; alioquin enim cum tali dubio pariter poſſet inchoari præſcriptio; ergo. Reſp. neg. min. cum ſua probatione. Quinimò talis poſt cœptam bona fide poſſeſſionem prudenter judicat, practice ſe reſolvendo, rem eſſe ſuam, quamdiu oppoſitum per diligentem inveſtigationem nequit cognoſcere; idque vi citatæ Regulæ: *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*: non obſtante, quod adhuc dubitet ſpeculative loquendo. Unde *can. Si virgo 34. q. 1* de talibus bona fide poſſeſſionem inchoantibus, dicitur: *Tamdiu quiſque bonæ fidei poſſeſſor recti ſſime dicitur, quamdiu ſe poſſidere ignorat alienam.* Secùs dicendum, quando quis inchoat poſſeſſionem alicujus rei, quam dubitat eſſe ſuam, vel alterius; & hoc tum ob diſparitatem jam allatam: tum quia ſecundùm Leges ad præſcriptionem ab initio requiritur bona fides, qualem verè dubitans non habet, ut dictum *n. 64.*

67 Quæritur III. An error juris impediat bonam fidem, ac proinde cum eo non procedat præſcriptio? Et ſenſus eſt, an quis poſſit uſucapere rem illam, quam contractu de jure nullo, puta uſurario, acquiſivit, ignorans eum eſſe de Jure nullum: adeò, ut poſtmodum contractu nulliter declarato, poſſit opponere præſcriptionem. Idem eſt, ſi quis à Pupillo ſine Tutoris authoritate emiſſet rem quampiam, putans, licere Pupillis res ſuas abſque interventu Tutoris alienare: aut ſi à Religioſo accepiſſet rem, puta equum, ſine Prælati licentia, vel agrum non ſervatis ſolemnitatibus juris. Quæritur, inquam, utrùm cum tali errore juris currat præſcriptio?

68 Reſp. I. Ignorantia juris clari atque indubitati, non ſufficit ad præſcriptionem; quinimò eam impedit in utroque Foro, licet ſit invincibilis, & prorſus inculpata. Ita Gloſſa *c. Apoſtolicæ verſ. Præſcriptionis, de Donation.* Abbas *c. De quarta n. 12. h. t.* Covarruvias *par. 2. c. Poſſeſſor. §. 7. n. 6. & ſeqq.* illud intelligens de errore juris reſiſtentis: ſecùs de errore juris nec aſſiſtentis, nec reſiſtentis, ac loquendo de præſcriptione, quæ titulum non requirit. Layman *lib. 3. Theolog. Moral. ſect. 5. tract. 1. cap. 8. n. 11.* Leſſius *cit. lib. 2. cap. 6. n. 14.* Pirhing *h. tit. n. 61.* & alii paſſim; contra Jo: Medinam *in tract. de Contractibus, quæſt. 17. prope fin.* qui arbitratur, ignorantiam inculpatam juris ſufficere ad præſcribendum pro Foro conſcientiæ: quam ſententiam Leſſius *ibid. nu. 17.* admittit tanquam probabilem, quando agitur de præſcriptione longiſſimi temporis, quæ non requirit titulum; ut præſcriptio triginta, vel quadraginta annorum.

69 Ratio Concluſionis eſt, quia præſcriptio, per quam dominium rei ab uno transfertur in alium, totam vim ſuam, atque originem habet ex Jure humano poſitivo; ergo non habet locum in caſu, ubi Jura expreſſe eam reprobant: atqui jura expreſſe dicunt, errorem juris non prodeſſe ad uſucapionem. Sic quippe *in l. Nunquam, ff. de Uſucapion.* dicitur: *Nunquam in uſucapionibus juris error poſſeſſoribus prodeſt.* Item *l. 2. §. Si à pupillo, ff. Pro emptore*, ſic habetur: *Si à pupillo emeris, & ſcias pupillum eſſe, putes tamen pupillo licere res ſuas ſine tutoris authoritate adminiſtrare, non capies uſu; quia juris error nulli prodeſt.* Similiter *L. 4. ff. de Juris & facti ignorantia*, generaliter dicitur: *Juris ignorantia in uſucapione negatur prodeſſe; facti verò ignorantiam prodeſſe conſtat.* Neque reperiuntur hæ Leges ullibi correctæ, aut per Sacros Canones aliud quid diſpoſitum. Accedit ratio: quia errans in Jure, præſumitur malam fidem habere: atqui cum mala fide non procedit præſcriptio; ergo. Major patet ex *l. Quemadmodum. C. de Agricol. & conſit. lib. 11.* ibi: *Malæ fidei namque poſſeſſorem eſſe nullus ambigit, qui aliquid contra legum interdicta mercatur.* Concordat *Reg. 82. Jur. in 6. Qui contra jura mercatur, bonam fidem non præſumitur habere.*

70 Nec obſtat, quod ignorantia inculpata juris excuſet à peccato; ſicque videatur poſſidentem conſtituere in bona fide, quæ ſufficit ad præſcriptionem. Reſp. enim, hic quidem induci bonam fidem Theologice, ſeu moraliter, quæ excludit peccatum; non autem bonam fidem civiliter, ſeu juridice; eò quòd expreſſe à Jure re-

probetur in ordine ad effectum præſcriptionis. Unde ad inducendam præſcriptionem requiritur quidem neceſſariò bona fides Theologice, *cap. ult. h. t.* ſola tamen non ſufficit, niſi concurrat ſimul bona fides civiliter, ſeu juridice, propter rationem jam allegatam; quia nimirum Leges, à quibus jus præſcriptionis totam vim, atque originem ſuam habet, expreſſe ſtatuerunt, quod error juris ad uſucapionem non proſit. Pirhing *h. t. n. 61.*

71 Reſp. II. Patitur nihilominùs data Concluſio quaſdam limitationes. Imprimis enim inculpata juris ignorantia ſufficit ad præſcribendos triennio fructus, ex re alterius taliter perceptos. Ita Gloſſa *l. Si fur. §. Erranti, ff. de Uſucapion.* Navarrus *Conſil. 9. num. 3. de Offic. Judic. ordin.* Dynus *in Reg. poſſeſſor. n. 39. de Reg. Jur. in 6.* Covarruvias *lib. 1. Variar. Reſol. cap. 3. nu. 8.* Leſſius *cit. cap. 6. nu. 15.* allegans communem. Idque deſumitur ex *l. Sed & ſi §. Scire, ff. de Petition. hæredit.* ubi dicitur: *Et non puto hunc eſſe prædonem, qui dolo caret, quamvis in jure erraverit.* Ex quibus verbis Gloſſa ibidem infert: *Si non eſt prædo, ergo fructus facit ſuos.* Quamquam iſtud intelligendum eſſe de fructibus jam conſumptis (utpote quos bonæ fidei poſſeſſor facit ſuos, *§. Si quis à non domino. Inſtit. de Rerum diviſ.*) non item de fructibus adhuc extantibus, cenſeat Layman *cit. cap. 8. n. 11.* & Pirhing *h. t. n. 63.* Nam quod fructus extantes poſt reſciſſionem contractus, ipſo jure non ſubſiſtentis, una cum re ipſa reſtituendi ſint, deſumitur ex *l. Jubemus 14. §. Sane. C. de Sacroſ. Eccleſ.* & concordant dicta ſuperiùs *Tit. 13. de Reſtitutione Spoliator. §. 6. n. 127. & 131. & ſeqq.*

72 Quod ſi petas, quæ ſit differentia inter præſcriptionem, & fructuum acquiſitionem interveniente juris errore? Reſpondet Bartolus *in d. l. Sed & ſi §. Scire, ff. de Petition. hæredit.* diſparitatem eſſe; quia ad uſucapionem requiritur verus titulus vel juſtus error; ut *l. Celſus, ff. de Uſucapion. & l. Juſto errore, ff. eod.* ſed error juris non eſt juſtus error, cùm reprobetur à Jure; ergo ad uſucapionem non ſufficit. Secùs dicendum quoad acquiſitionem fructuum: quia hic ſufficit, abeſſe malam fidem; qualis jam abeſt, ubi adeſt juris error. Veruntamen is, qui allegat juris errorem, debet hunc probare; alioquin enim præſumitur ſcientia, *l. Leges ſacratiſſimæ. C. de Legib.*

73 Deinde, quod ignorantia juris tam Theologice, quam juridice inculpata (qualis poteſt dari in Minorennibus, Militibus, Mulieribus, imò & in Ruſtico non habente copiam Conſultoris, utpote quibus jus ignorare permiſſum eſt, *l. Regula eſt, ff. de Juris & facti ignorant.*) ſufficiat ad præſcriptionem, videtur admittere Leſſius *cit. cap. 6. nu. 17. verſ. Quartò,* poſt Baldum *in l. Venditioni. C. de uſucapion. pro empt. & l. Poſſeſſiones. C. Si quis ignoraverit rem minor.* & ſequitur Layman *d. cap. 8. n. 11.* & Pirhing *h. t. n. 62.*

74 Verùm hæc ſententia non caret difficultate. Quia licet præmiſſis perſonis permiſſum ſit Jus commune ignorare: adeò ut ejus ignorantia non lædantur, nihilominùs dicta ignorantia ipſis non prodeſt in compendiis (hoc eſt, in acquirendo, ſeu lucro captando) ſed ſolùm in damnis vitandis, juxta textum *in l. Error, ff. de juris & facti ignorant.* ibi: *Juris autem error nec fœminis in compendiis prodeſt.* Concordat textus *in l. Juris, ff. eod.* ubi dicitur: *Juris ignorantia non prodeſt acquirere volentibus, ſuum verò petentibus non nocet.* Atqui in præſcriptione vult quis acquirere; ergo. Unde in hac limitatione non convenire Doctores, fatetur ipſemet Pirhing *loc. cit.*

75 Tertiò, error juris bonam fidem inducit ſufficientem ad præſcriptionem, quando hæc titulum non requirit, ſed ſola bona fide contenta eſt (ut præſcriptio longiſſimi temporis) ſimulque error contingit in Jure nec aſſiſtente, nec reſiſtente. Covarruvias *part. 2. cap. Poſſeſſor. §. 7. num. 6. & ſeqq.* fuſiſſime hanc limitationem deducens, atque plurimos pro ea allegans; qui proinde datam *num. 68.* Concluſionem cenſet eſſe intelligendam de errore Juris reſiſtentis, ſeu quidpiam fieri prohibentis; non de errore juris nec aſſiſtentis, nec reſiſtentis; dummodò error iſte contingat abſque ulla culpa: puta, quia quis adivit hæreditatem ex teſtamento minùs ſolemni, quia illi Jus non aſſiſtit; ſed neque reſiſtit, prohibendo talem aditionem; prout exemplificat Bartolus *cit. l. Sed & ſi §. Scire, ff. de Petition. hæredit.*

76 Tacetur ſententia Medinæ, & quorundam aliorum, quos citat Pirhing *h. t. n. 63.* docentium, vel ſaltem probabile cenſentium, quod invincibilis ignorantia juris non impediat pro Foro conſcientiæ præſcriptionem, ſeu bonam fidem requiſitam ad præſcribendum: nam de hoc jam dictum eſt *cit. n. 68. & 73.* Atque hactenus dicta procedunt de ignorantia juris clari; unde etiam in dicta Concluſione notanter additum fuit: *Ignorantia juris clari &c.* idque ob ſequentem Concluſionem; unde

77 Reſp. III. Ignorantia, ſeu error juris dubii, atque inter Doctores controverſi, non impedit bonæ fidei poſſeſſorem, quò minùs præſcribere poſſit. Ita Abbas *c. De 4. n. 12. h. t.* Covarruvias *cit. par. 2. c. Poſſeſſor. §. 7. n. 13.* Leſſius *cit. cap. 6. n. 16.* Layman, *ubi ſupra n. 11.* & alii. Ratio eſt; quia ubi jus eſt verè dubium, & ſecundùm diverſas probabiles Doctorum opiniones intelligibile, non eſt major ratio, cur quis unam potiùs, quam aliam opinionem ſequi teneatur; cùm ignoret, quænam earum reverà Juri ſit conformis. Quinimò talis ignorantia propriè non eſt ignorantia juris; cùm de ratione juris, ſeu legis ſit, eſſe manifeſtum, *can. Erit autem lex, diſt. 4.*

78 Porrò ignorantiam facti, ſi ſit invincibilis, non excludere bonam fidem ad præſcribendum neceſſariam fatentur omnes, juxta textum expreſſum *L. 4. ff. de Juris & facti ignorant.* ibi: *Juris ignorantia in uſucapione negatur prodeſſe; facti verò ignorantiam prodeſſe conſtat.* Accedit ratio: quia alioquin nunquam poſſet dari præſcriptio, utpote in qua neceſſariò intervenit error facti, dum præſcribens poſſidet rem alienam, bona fide putans eſſe ſuam: ſi enim non erraret hoc modo, nulla opus foret præſcriptione.

79 Quæritur IV. Utrùm mala fides Prælati noceat Eccleſiæ, vel Capitulo, habenti bonam fidem; adeò, ut iſtud præſcribere nequeat? Reſp. I. Quando Prælatus certò ſcit, rem eſſe alienam, nequit eam retinere; ſed tenetur purgare conſcientiam ſuam, atque vero domino rem illam reſtituere. Ita Gloſſa *fin. cap. ult. h. t.* & Abbas *ibid. n. 41.* & in re communis. Siquidem iſtud exigit virtus Juſtitiæ, volentis, ut cuique reddat ur ſuum. Accedit textus *in can. Generalis §. fin. diſt. 54* ubi Gelaſius Papa reſcripſiſſe legitur Epiſcopis per Lucaniam, in hæc verba: *Nihil perire credimus Eccleſiaſticis utilitatibus, ſi, quæ ſunt aliena, reddantur.* Atque in hoc ſenſu malam fidem Prælati nocere Eccleſiæ, eſt indubitatum, niſi enim Prælatus reſtitueret rem illam, quam certò ſcit eſſe alienam (ſecùs, ſi de hoc dubitaret) hoc ipſo ageret contra conſcientiam, ſicque peccaret; nam *quidquid fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam,* ut dicitur *can. Omnes 28. quæſt. 1. §. Ex his, & c. Litteras 13. de Reſtitut. ſpoliat.*

80 Dices. Prælatus ſolus nequit alienare rem Eccleſiæ abſque conſenſu ſui Capituli; ergo, ubi Eccleſia, ſeu Capitulum eſt in bona fide, nequit fieri talis reſtitutio, ſicque ejus mala fides non nocet Eccleſiæ. Reſp. Varias eſſe ſolutiones hujus inſtantiæ, uti videre eſt apud Abbatem *cit. cap. ult. n. 41. h. t.* & alios. Primò enim Gloſſa *fin. d. c. ult. h. t.* & alia Gloſſa *cit. can. Generalis, diſt. 54. ℣. Reddantur,* inquit, quod Prælatus debeat ſignificare illi, quem credit dominum, ut rem petat: nec in hoc (ait) videtur fraudem facere; ut *l. At qui natura §. cùm me abſente, ff. de Negot. geſt.* Secundò Archidiaconus *cit. can. Generales nu. 3.* poſt Hoſtienſem notat, iſtud eſſe intelligendum ſic, ut Prælatus communicato conſilio Capituli reſtituat: vel, ſi Capitulum non conſentiat, dicat: Mundæ ſunt manus meæ à ſanguine hujus cauſæ; vos defendatis, ſi vultis. Tertiò Abbas *cit. nu. 41.* & Pirhing *h. t. num. 77.* illud volunt eſſe intelligendum, quando notorie conſtat rem eſſe alienam; quia tunc ſolus Prælatus poteſt, & debet, rem alienam reſtituere. Secùs, ubi ſolus Prælatus ſcit, nec poteſt aliter rem probare; tunc enim debet tacere, quia ipſi ſoli non crederetur, quod res ſit aliena; niſi iſtud poſſet probari, juxta Gloſſam, *ubi ſuprà.*

81 Reſp. II. Quando Prælatus certò ſcit rem eſſe alienam, ac nihilominus immemor ſuæ ſalutis eam reſtituere non curat; tunc videtur probabilius, quod ſtante etiam bona fide Eccleſiæ, ſeu Capituli, locum non habeat præſcriptio.



Ita Pirhing *h. t. num. 78.* citans Layman *d. cap. ult. n. 7. h. t.* atque in ſimili tradit Fachineus *lib. 8. Controverſ. Jur. cap. 25.* allegans Corneum *Conſil. 22. nu. 12. lib. 1.* & Hippolytum Riminaldum *Conſil. 7. num. 102. lib. 1.* quamvis Bald. *Tom. 17. Tractatuum, tract. de Præſcriptionibus par. 3. princip. §. Decimo quinto n. 2.* allegans Imolam, & nonnulli alii teneant contrarium. Ratio Concluſionis eſt: quia Prælatus eſt caput Capituli, ſicque mala fides ejus inficit totum corpus: atqui ſine bona fide non currit præſcriptio. Accedit, quod præſcriptio ſit odioſa, ac proinde reſtringenda (eſt enim introducta præter Jus naturale, atque in odium negligentis) ergo eam impedit mala fides Prælati in re communiter, ac pro indiviſo una cum Capitulo poſſeſſa, non minùs, ac mala fides in aliqua temporis parte ſuperveniens: valet enim argumentum à tempore ad perſonas; ut *l. Nonnunquam autem, ff. de Judiciis* & notat Everardus *loco 89. à Tempore ad perſonas* inſcripto.

82 Poſſet hoc loco etiam quæri, an bona, vel mala fides Teſtatoris proſit, aut noceat hæredi, vel Prædeceſſori in Beneficio, aut officio, Succeſſoris ſui, ut præſcribere valeat, vel non valeat? Verùm de hac quæſtione commodiùs agetur infrà *§. 5. n. 231. 133 134. & ſeq.* agendo de Titulo *Pro hærede.*

83 Quæritur V. Qualiter probetur bona, vel mala fides in materia præſcriptionum? Reſp. I. Bona fides in dubio præſumitur, donec probetur contrarium. Ita Gloſſa *c. Sanctorum verſ. Sincere,* & Abbas *ibid. num. 3.* & Barboſa *num. 3. h. t.* Covarruvias *cit. par. 2. c. Poſſeſſor. §. 8. nu. 3.* allegans communem. Ratio eſt: Tum quia præſumitur ignorantia, niſi probetur ſcientia, *l. Verius, ff. de Probation. & l. Super ſervis. C. Qui militare non poſſ. l. 12.* Tum quia nullus præſumitur malus, niſi probetur malus, *cap. ult.* juncta Gloſſa *fin. de Præſumpt.* Unde qui allegat malam fidem alterius, eam probare debet; ut *l. Quoties §. Qui dolo, ff. de Probat.* ubi dicitur: *Qui dolo dicit factum aliquid, licet in exceptione, docere dolum admiſſum debet.* Generaliter enim ei, qui dicit, incumbit probatio, *l. 2. ff. eod.* cum ſimilibus.

84 Reſp. II. Mala fides poſſidentis, ſeu præſcriptionem opponentis, poteſt variis modis probari. Ita Abbas *d. c. Sanctorum num. 4. & c. Si diligenti num. 22. h. t.* Bartolus *in l. Celſus, §. Sed qualiter probabitur, ff. de Uſucapion.* Maſcardus *de Probation. concl. 1004. nu. 19. ac ſeqq.* fuſiſſime hanc materiam tractat. Idque probatur inductione, oſtendendo tales modos probandi malam fidem alterius.

85 Primò ſiquidem mala fides probatur per propriam confeſſionem poſſidentis; puta, ſi coram aliquibus ipſemet dixerit, ſe ſciviſſe rem eſſe alienam: quia præſumitur illud in mente habuiſſe, quod verbis expreſſit, *l. Labeo, ff. de Suppellect. legat.* Vel quando hoc ipſum in judicio confeſſus eſt; ut *cap. 2. de Confeſſis, & c. Si diligenti 17. h. t.* cum ſimilibus.

86 Deinde mala fides probatur per denunciationem factam tempore contractus, *l. Si fundum. C. de Rei vendic.* ubi Summarium ſic habet: *Denunciatio facta à domino, ne quis emat, conſtituit emptorem malæ fidei poſſeſſorem.* Atque iſtud ampliat Maſcardus *cit. Concl. 1004. n. 29. & 30. & ſeqq.* etiamſi talis denunciatio fieret à Procuratore, vel ab aliquo tertio, qui denunciat nomine Domini, ne quis talem rem emat, cùm ſit ſua: nam etiam ex tali relatione, ſeu denunciatione inducitur mala fides, juxta textum notabilem *in l. Item veniunt. §. Petitam, ff. de Petition. hæredit.* Menochius *de Arbitr. Judic. lib. 2. Caſ. 223. n. 14.* Maſcardus *loc. cit. n. 32.* allegans alios. Secùs dicendum, quando ex poſtfacto ſit denunciatio, non autem ab initio contractus: quia tunc per hoc ſolum non inducitur mala fides, niſi fiat in defectum coram Judice, juxta formam traditam *in l. ut perfectius, C. de Annali except. Italic.* Abbas *c. Si diligenti n. 22. h. t.*

87 Tertiò mala fides probatur per famam in vicinia, quod res ſit alterius, quam venditoris. Hanc enim emptor, atque poſſeſſor exinde factus, ignorare non præſumitur, *c. Quoſdam 7. & c. quanto 8. de Præſumpt.* ſicque arguitur mala fides ipſius. Abbas *cit. c. Sanctorum nu. 4. h. t.* Maſcardus *d. Concl. 1004. n. 34.* allegans plurimos alios.

88 Quartò probatur mala fides, ſi res fuit acquiſita contra jus: utputa, ſi quis emit rem ab Eccleſia non ſervata juris ſolemnitate, aut rem Pupilli ſine interventu Tutoris, juxta *Reg. 82. Jur. in 6. Qui contra jura mercatur, bonam fidem præſumitur non habere,* cum concordantiis. Tacentur nonnullæ aliæ malæ fidei probationes, de quibus copioſe Maſcardus *cit. Concl. 1004.*

## §. IV.

## De Servitutibus, Obligationibus, & Actionibus, atque bona fide ad præſcribendum ipſis requiſita.

*S U M M A R I U M.*

89 *Servitutis nomen dupliciter accipitur, pro ſubjectione nimirum, & pro jure.*
90 *Servitus ut ſic, quid?*
91 *Dividitur in perſonalem, realem, & mixtam.*
92 *Servitus perſonalis, &*
93 *Servitus realis, quid?*
94 *Servitus realis alia eſt ruſtica, alia urbana.*
95 *Prædium urbanum, & Prædium ruſticum, quid?*
*Prædium dominans, & Prædium ſerviens, quod? Ibid.*
96 *Servitus realis urbana duplex eſt, affirmativa & negativa.*
*Mœniana, & Subgrundina, quid? Ibid.*
97 *Servitutes urbanæ affirmativæ, quæ? Et n. præced.*
98 *Servitus urbanæ negativæ, quæ?*
99 *Servitus realis ruſtica etiam duplex eſt, nominata, & innominata.*
*Servitus ruſtica nominata, quid, & quotuplex?*
*Iter, Actus, Via, & Aquæ ductus, quid?*
100 *Servitus ruſtica innominata, quæ, & qualis.*
101 *Servitus realis alia continua, alia quaſi continua, & alia diſcontinua, quæ.*
102 *Servitus mixta eſt triplex: videlicet uſusfructus.*
103 *Uſus; & quomodo differat ab uſufructu?*
104 *Habitatio, & quid?*
105 *Utrùm ſervitutibus, aliiſque obligationibus præſcribi valeat, non obſtante mala fide, ſeu ſcientia juris alieni? Et nu. ſeqq.*
*Obligationes ſunt duplicis generis: aliæ ſuapte natura tendunt ad agendum, vel non agendum. Ibid.*
106 *Aliæ duntaxat referuntur ad patiendum, vel onus ſubeundum, ſi ab altero agatur, vel petatur.*
107 *Hæ poſteriores obligationes, eiſque correſpondentes actiones perſonales, præſcriptione tolluntur ob ſolum negligentiam Actoris.*
108 *Idque variè exemplificatur.*
109 *Atque etiam accidit in ſervitutibus ruſticis, quæ amittuntur per ſolum non uſum. Et nu. ſeq.*
110 *Et ſi ſecùs ſit in ſervitutibus urbanis, juxta notabilem differentiam inter ipſas.*
111 *Obligationes illæ, quæ tendunt ad aliquid, vel non, agendum, non poſſunt ullo tempore cum mala fide, ſeu ſcientia juris alieni, præſcriptione extingui. Et nu. ſeqq.*
112 *Debitum pecuniarum non extinguitur per hoc, quod creditor longo tempore illud non exigat.*
*Quid requiratur, ut quis præſcribat contra debitum pecuniarum? Ibid.*
113 *Servitutibus urbanis negativis præſcribi nequit, niſi per factum contrarium.*
114 *Utrùm actionibus perſonalibus, quæ correſpondent obligationibus ad aliquid agendum, vel non agendum, poſſit præſcribi cum mala fide, ſeu ſcientia juris alieni? Et nu. ſeq.*
115 *Declaratur ſenſus quæſtionis. Et nu. præced.*
116 *Sententia negativa ſtatuitur, atque probatur.*
117 *& 118 Solvantur inſtantiæ. Et nu. ſeq.*
119 *An detur actio ex pacto nudo?*

89 Quæritur I. Quid, & quotuplex ſit Servitus? Ubi prænotandum cum Leſſio *lib. 2. de Juſt. & jur. c. 3. n. 28.* nomen *Servitutis* dupliciter accipi à Juriſtis. Primò, pro ſubjectione ſeu obligatione, qua res ſeu perſona unius eſt obligata alteri, ut ipſi quodammodo ſerviat:

viat: & in hoc ſenſu Mancipia dicuntur ſervitute premi. Secundò, pro jure illo, quod ex parte alterius correſpondet dictæ obligationi. Sic quando Titius habet rem Caii ſibi obligatam aliquo modo ex infrà enumerandis, tunc ex parte Caii reperitur Servitus ſumpta pro obligatione; ex parte Titii verò datur Servitus ſumpta pro jure, id eſt, jus ſervitutis. Atque in hac poſteriori acceptione Juriſperiti frequentiùs accipiunt Servitutem, videlicet pro jure fruendi, vel utendi aliquo modo re aliena, vel aliquid circa eam impediendi. In quo proin poſteriori ſenſu potiſſimùm impræſentiarum ſermo erit de Servitutibus: quamquam ea, quæ dicentur de Servitute ſumpta pro jure, econversò (ſervata tamen proportione) applicari poſſint Servituti acceptæ pro obligatione. Quo prænotato

90 Reſp. I. *Servitus ut ſic* eſt jus, quo res aliena præter naturam alteri rei, vel perſonæ utilitatem debet, præſtatque. Ita deſumitur *ex l. quoties, ff. de Servitutib.* ubi dicitur, ſervitutem non poſſe conſtitui de eo, quod nihil vicinorum intereſt; ſed eam eſſe ſervitutum naturam, ut quis *patiatur, aut non faciat aliquid*, quod intereſt alterius. Sive, ut Spiegelius *in Lexico Jur. V. Servitus*, loquitur: *Servitus* eſt jus, quo adimitur aliquid libertati, quam dominus in re ſua habet, idque conceditur perſonæ, vel rei alienæ.

91 Reſp. II. Servitus ut ſic rectè dividitur in ſervitutem perſonalem, realem, & mixtam. Ita Gloſſa *§. Ruſticorum V. Jura. Inſtit. de Servit. ruſtic. prædior.* & Arbor Servitutum, quæ eſt præfixa *lib. 8. ff. tit. 2. de Servitut.* Sylveſter *V. Servitus n. 1.* Leſſius *lib. 6. de juſtit. & jur. c. 3. n. 19.* & alii paſſim; quamvis Spiegelius, *ubi ſuprà*, ſervitutem mixtam reducat ad perſonalem. Ratio Concluſionis eſt: quia ſervitus poteſt tribus modis contingere. Primò, cùm una perſona ſervit alteri perſonæ: & hæc vocatur *Servitus perſonalis*; ſeu (ut cum præfata Arbore Servitutum nonnulli loquuntur) *merè perſonalis*. Secundò, & ad imitationem perſonarum, conſtituitur ſervitus in rebus, idque adhuc dupliciter, juxta *l. 1. ff. de Servitutib.* Nam aut res immediate ſervit perſonæ; atque hæc appellatur *Servitus mixta*; ſive (ut Spiegelius cum nonnullis aliis loquitur) *perſonalis*, licet non merè perſonalis. Aut una res immediate ſervit alteri ei, eidem commodum aliquod afferendo: & dicitur *Servitus realis*; eò quòd ab una re debeatur alteri rei, & cum ipſa tranſeat ad quemcunque poſſeſſorem illius.

92 Porrò Servitus perſonalis, qua una perſona ſervit alter, definitur *in §. Servitus. Inſtit. de jure perſonar.* ſequentibus verbis: *Servitus eſt conſtitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubjicitur.* Dicitur, *conſtitutio gentium*; hoc eſt, jus inductum à conſtitutione gentium ponitur enim hic cauſa pro effectu, ſive conſtitutio pro jure proveniente ex tali conſtitutione, quæ eſt Juris gentium; atque hæc particula ſtat loco generis. Et additur, *qua quis dominio* alterius ſubjicitur: quia in tali jure, quo una perſona habet aliam ſibi ſubjectam, conſiſtit ratio & natura ſervitutis perſonalis: ſimulque hæc particula ſtat loco differentiæ. Porrò ly, *contra naturam*, ideò additur: quia, ut communiter tenent Doctores, ac etiam Scotus *4. diſt. 46. q. un.* quantùm eſt de Jure naturæ, omnes homines naſcerentur liberi Verùm de ſervitute perſonali plura ſuperiùs *lib. 1. Tit. 18. De Servis non ordinandis nu. 2. & ſeqq.* ubi triplex genus Servorum ex profeſſo declaratur.

93 Servitus realis contra rectè definitur à Bartolo *L. 1. ff. de Servitut.* & Arbore Servitutum, *ubi ſuprà*, & aliis, dicendo. *Servitus realis* eſt quoddam jus prædio inhærens, & ipſius utilitatem reſpiciens, & alterius prædii jus ſive libertatem diminuens. Quæ definitio convenit ſervituti reali ſumptæ in ratione juris, uti patet ex particula illa, *Jus quoddam*: ſimulque in ea nomine *prædii*, etiam agri, aliæque res ſervituti obnoxiæ veniunt intelligendæ. Et de hac impræſentiarum loquendo

94 Reſp. III Servitus realis alia eſt urbana, alia ruſtica: de qua toto *Tit. Inſtit. & ff. de Servitutibus ruſticorum prædiorum, & urbanorum.* Et quidem *Servitus urbana* dicitur illa, quæ debetur prædio urbano. Neque refert, ab urbano, an à ruſtico prædio debeatur, dummodò urbano ſerviat: nam in qualitate ſervitutis realis dijudicanda inſpiciendum eſt prædium, cui ea debetur, ut ejuſdem conditionis ſit & ſervitus. Mynſinger *in Rubric. Inſtitut. de Servitut. ruſticor. prædior. nu. 9.* At verò *ſervitus realis ruſtica* appellatur, quæ debetur prædio ruſtico: ut *l. 1. ff. de Servitut. ruſticor. prædior. & §. Ideò autem. Inſtit. de Servitut.*

95 Porrò *Prædium urbanum* in Jure appellatur omne ædificium habitandi gratia factum, ſive ruri, ſive in civitate exiſtat, una cum horto ipſi cauſa amœnitatis annexo, *l. Urbana ff. de Verb. ſignif.* Econtrà verò *Prædium ruſticum* dicitur, quod colligendorum, vel percipiendorum cauſa fructuum factum eſt: ut ſtabulum, horreum, ager, & hujuſmodi, quæ non habitandi gratia erecta ſunt, ſimulque ab ædificiis urbanorum prædiorum ſeparata, *l. Eo jure utimur, ff. In quibus cauſis pignus &c.* cum ſimilibus. *Servitutes* igitur *urbanæ* ſunt, quæ ab uno prædio, ſive ruſtico, ſive urbano, debentur alteri prædio urbano. *Prædium* autem, cui ſervitus debetur, vocatur *dominans*: alterum verò Prædium, quod patitur ſervitutem, *ſerviens* nominatur.

96 Reſp. IV. Servitus realis urbana duplex eſt, affirmativa videlicet, & negativa. Ita communis. Et quidem *Servitutes urbanæ affirmativæ* ſunt: quæ verbis affirmativis exprimuntur: atque harum plures ſunt, de quibus *§. Prædiorum. Inſtit. de Servitutib. & L. 1. ac ſeq. ff. de Servitut. urbanor. prædior.* atque per ordinem referuntur in Arbore Servitutum, *ubi ſuprà*. Talis eſt *Servitus ſtillicidium avertendi*; id eſt, jus derivandi ſtillicidium domus ſuæ in domum; vel aream vicini, nam iſtud nemo excipere tenetur, niſi per hujus ſervitutis conſtitutionem. Item *Servitus tignum immittendi*; eſtque jus, quo tignum ſuper parietem vicini mei poſſum immittere. *Tigni* autem nomen accipitur pro trabe: quæ immitti dicitur, cùm utrinque in meo, & in alieno pariete imponitur. Item *Servitus projiciendi*; eſtque jus, quo ex fundo meo urbano in ſolum vicini aquam, aut fimum, aut quiſquilias mihi licet projicere. Item *Servitus protegendi*; eſtque jus, quo licet ædes ſuas protendere in ſolum vicinum; & ſic in aream projicere, ac porrigere mœnianis, ſubgrundiis, vel penſilibus ambulatiis, ut tamen in vicino ſolo, vel pariete non inſideant, nec conquieſcant. Siquidem *protegere*, eſt tectum projicere: *Mœniana* verò, ſunt quædam exterius porrecta ædificia: & *Subgrundia*, pars tecti ultra ſtructuram ædium projecta, & prominens. Atque de hiſce ſervitutibus fit mentio *L. 1. ff. de Servitut. urbanor. prædior.* illis verbis: *urbanorum prędiorum jura talia ſunt--ſtillicidium avertendi in tectum, vel aream vicini: Item immittendi tigna in parietem vicini: & denique projiciendi, protegendive, cęteraque his ſimilia.*

97 Et additur notantur, *cęteraque his ſimilia*. Nam præter ſervitutes negativas, de quibus proxime, dantur plures aliæ adhuc ſervitutes affirmativæ urbanorum prædiorum: utputa, *Servitus proſpectus*; quæ eſt jus proſpiciendi ex inferiori parte, ſeu loco, aperta feneſtra rerum faciem oſtendente. Item *Servitus luminum*; eſtque jus videndi cœlum: nam ut dicitur *l. Luminum, ff. de Servitut. urbanor. prędior.* hoc intereſt inter lumen & proſpectum, quod ſervitus luminis ex cœlo debetur, ut ſcilicet poſſit cœlum videri, unde *l. Si arborem, ff. eod.* dicitur, quod arbor, quæ impedit videri cœlum, & conſequenter lumini adjacentis domus officit, habeatur contra ſervitutem luminum: econtrà verò proſpectus debetur mihi ex inferiori parte, ut nempe poſſim inferiora videre, v. g. ſylvas, campos &c. Item *Servitus altius tollendi*, quæ eſt jus quoddam ab uno prædio alteri debitum, quo quis tenetur ædificare, vel ſublimiùs ædes ſuperſtruere propter aliquam ex hoc utilitatem vicino depreſſiori provenientem; v. gr. propter proſpectus averſionem à domo depreſſiori ex via ſublimiori, vel propter ventos, aut hujuſmodi. Textus, Gloſſa, & Bartolus *in L. 1. ff. de Servitut. urbanor. prędior.*

98 *Servitutes urbanę negativę* econtra ſunt, quæ verbis negativis concipiuntur: & ſunt ſequentes juxta Arborem Servitutum, *ubi ſuprà*. Prima, eſt *Servitus altius non tollendi*, eſtque jus illud; quo alteri fas non eſt, ædificium ſuum invito vicino extollere, ſeu altiùs erigere, *l. Altius C. de Servit. & aqua*. Secunda, *Ne luminibus officiatur*; & hæc eſt jus, quod habeo, ne alter lumina mea ſive ædificando, ſive arbores plantando auferre, vel obſcuriora facere poſſit. Tertia eſt, *Ne proſpectui officiatur*; eſtque jus,



jus, quo liberum, & mihi gratiorem proſpectum, graviorem reddere non licet, *l. Inter ſervitutes, ff. de Servitut. urbanor. prædior.* ubi de hiſce poſterioribus duabus ſervitutibus fit mentio. Quarta tandem ſervitus urbana negativa, eſt *ſtillicidium non avertendi*; eſtque jus, quo vicino ſtillicidium ſuum alio derivare fas non eſt, ut ſupra ſolum vel aream meam cadat. *L. 1. ff. eod.*

99 Reſp. V. Servitus realis ruſtica, ſeu quæ ruſtico prædio debetur, etiam duplex eſt, nominata ſcilicet, & innominata. *Servitus ruſtica nominata* dicitur illa, quæ nomen habet à Jure impoſitum: & hujus ſunt quatuor ſpecies; videlicet Iter, Actus, Via, & Aquæductus *Iter* eſt jus eundi, ambulandi hominis, non etiam jumentum agendi, aut vehiculum. Hoc tamen intelligere de jumento ſeparato à ſe: nam qui habet jus itineris, poteſt etiam ſuper equum ſedens, vel lectica portatus incedere; uti habetur *l. Qui ſella, & l. Inter actum, ff. de Servitut. ruſticor. prædior.* Porrò *Actus* eſt jus eundi, ambulandi hominis, agendi jumentum vel vehiculum: itaque qui habet iter, actum non habet; ſed qui habet actum, iter habet, eoque uti poteſt etiam ſine jumento; ut dicitur *L. 1. ff. eod. & §. Ruſticorum. Inſtit. de Servitut. ruſticor. prædior.* Cæterùm *Via* eſt jus eundi, & agendi, & ambulandi: nam via continet in ſe & iter & actum, & inſuper jus trahendi tignum, ſeu trabem, aut ſaxum, & rectam haſtam ferendi, *cit. §. Ruſticorum*, juncta Gloſſa *ibid. V. Continet*. Dummodò civiliter gerat, & non devaſtet fructus: quod notandum eſſe pro Capitaneo, cui conceditur tranſitus per aliquod territorium, inquit Gloſſa marginalis ibidem. Tandem *Aquæductus* eſt jus ducendi aquam per fundum alienum, ſive priùs inventam, ſive poſtea inveniendam.

100 *Servitus ruſtica innominata* econtrà eſt, quæ ab actu, non à jure dominatur: & hæc etiam eſt multiplex. Prima dicitur *jus paſcendi*, eſtque jus, quo in alieno paſcuo licet paſcere pecus prædii proprii cauſa. Secunda, *pecoris appulſus*; eſtque jus appellendi ad aquam pecoris per fundum vicini. Tertia dicitur *Aquæ hauſtus*; eſtque jus hauriendæ aquæ de puteo vicini Quarta *jus calcis coquendæ*; eſtque illud, quo in fundo vicini ad utilitatem proprii prædii ruſtici coquere licet calcem Quinta, *arenæ fodiendæ*; eſtque jus, quo licet ex vicini fundo arenam effodere ad proprii ruſtici prædii utilitatem. Huc accedit *jus cretæ effodiendæ*, & *lapidis eximendi*, quatenus ad eum ipſum fundum opus eſt: cum ſimilibus: ut *L. 1. §. In prædiis, & L. 2. ac ſeqq. de Servitut. ruſticor. prædior.*

101 Reſp. VI. Servitus realis ulteriùs dividitur in continuam, quaſi continuam, & diſcontinuam. Ita communis. Et quidem *Servitus realis continua* illa eſt, cujus & cauſa & uſus perpetuò durat, vel actu, vel potentia, citra continuam hominis operam: ut ſervitus aquæductus, tigni immittendi, & hujuſmodi. *Servitus quaſi continua* dicitur, cujus uſus perpetuò durat, poteſtate quidem, ſed non actu: ut ſervitus ſtillicidii. *Servitus diſcontinua* tandem eſt, cujus uſus eſt in hominis actione, quæ cùm aſſidua nec ſit, nec eſſe poſſit, diſcontinua dicitur; ut iter, actus, aquæ hauſtus, & hujuſmodi. Atque inter has eſt notabile diſcrimen quoad tempus, quo poſſunt præſcribi, ut dicetur infrà, *§. 6. num. 259. & 160.*

102 Reſp. VII. Servitus mixta, ſeu quæ à re debetur perſonæ, eſt triplex; videlicet uſusfructus, uſus, & habitatio. Ita communis *Uſusfructus* eſt jus utendi, fruendi rebus alienis, ſalva earum ſubſtantia.

103 *Uſus* eſt jus utendi tantùm rebus alienis, ſalva earum ſubſtantia. Unde minus juris eſt in uſu, quam in uſufructu: & cui uſus alicujus rei legatus eſt, uti quidem poteſt, frui verò eadem non poteſt, *§. 1. Inſtitut de Uſu & habitat. & l. 2. ac ſeqq. ff. eod.* ubi iſtud varie exemplificatur. Sic enim, cui uſus duntaxat horti relictus eſt, poteſt quidem in ipſo deambulare, poma, olera, & reliqua, quæ ibi naſcuntur; ad ſuum ſuæque familiæ & hoſpitum victum, ſeu uſum quotidianum accipere; non tamen poteſt omnes fructus percipere, eoſque ſuo arbitratu vendere, ſeu alienare, ſicut poteſt is, cui uſusfructus horti relictus eſt. Similiter, cui uſus jumentorum legatus eſt, poteſt quidem bobus, vel ovibus uti ad ſtercorandum, arandum, & hujuſmodi, non tamen poteſt percipere pecorum fœtus, vel lanam, aut lac, niſi in modica quantitate, & quatenus ad victum quotidianum opus habet, *l. Plenum, ff. eod.* cum ſimilibus.

104 *Habitatio* tandem eſt jus alienas ædes inhabitandi, eaſque etiam commodandi, & locandi. Atque per hanc ultimam particulam differt habitatio ab uſu ædium: nam cui conceſſus, ſive legatus eſt uſus alicujus domus, is poterit quidem una cum ſuis domum illam inhabitare, imò & hoſpitem recipere; non tamen poterit eam aliis locare, ſeu commodare: quod utrumque tamen poterit is facere, cui competit habitatio, ſeu ſervitus habitationis. *§. Item is, & §. Sed ſi cui. Inſtit. de Uſu & habitat.* & alibi. Et hæc de Servitutibus, innumeras cæteroquin lites inter homines cauſantibus, pro meliori ſequentium intelligentia inſinuaſſe ſufficit: nam exactior earundem diſcluſio Juriſtis relinquitur.

105 Quæritur II. Utrùm ſervitutibus, aliiſque obligationibus præſcribi valeat, non obſtante mala fide ſeu ſcientia juris alieni? Pro reſolutione hujus celebris, ac multùm inter Doctores agitatæ controverſiæ, eſt prænotandum cum Layman *lib. 3 Theolog. Moral. tract. 1. cap. 8. n. 12.* Ludov. Engel *h. t. n. 18.* & aliis, quod obligationes, quæ ex ſervitutibus naſcuntur, aut per præſcriptionem extingui poſſunt, ſint duplicis generis. Quædam enim ſuapte natura tendunt ad agendum, vel non agendum: ſic qui rem alienam detinet, obligatur ad agendum; hoc eſt, ad reddendam rem illam domino ſuo, quamvis hic non petat, vel etiam non recordetur illius; quia res pro domino ſuo interpellat. At verò in ſervitutibus urbanis negativis obligatur quis ad non agendum; puta, ad ædificium altiùs non tollendum, ad feneſtram in alterius hortum non aperiendam, & hujuſmodi.

106 Aliæ verò obligationes ſunt, quæ ſuaptæ natura duntaxat referuntur ad patiendum, vel onus ſubeundum, ſi ab altero agatur, vel petatur. Sic fit in Legibus pœnalibus, quæ non obligant Reum ad ſolvendam pœnam ante ſententiam Judicis, & pœnæ exactionem: ſimiliter pœna Commiſſi ob non ſolutum vectigal non debetur, niſi petatur: inſuper obligatio ſervituti ruſticæ correſpondens, qua prædium ſerviens debet permittere tranſitum, ſeu viam, aut quid ſimile poſſeſſorii prædii dominantis, tunc ſolùm urget, quando tale quid exigitur. Quo prænotato

107 Reſp. I. Obligationes illæ, quæ referuntur duntaxat ad patiendum, ſive ſubeundum onus, ſi ab altero agatur, vel petatur, eiſque correſpondentes actiones perſonales, præſcriptione extinguuntur ob ſolam negligentiam Actoris, ſeu ceſſationem Exactoris, quamvis obligatus ſuæ interim obligationis probe conſcius ſit. Ita Gloſſa *in L. ult. verſ. Creditit, in fin. ff. Quemadmodum ſervit. amitt.* id probans ex eo: quia in tali caſu non exigitur, ut quis aliquid faciat, Abbas *c. Quoniam omne n. 21. h. t.* concludens, quod ubi nullum intervenit peccatum ex parte præſcribentis, valet præſcriptio, quantumcunque quis ſciverit ſe eſſe debitorem, Bartolus *l. Sequitur, §. Si viam, ff. de uſucapion.* Layman *cit. cap. 8. n. 12.* Pirhing *h. t. n. 52. & 54.* Engel *eod. n. 18.* & Doctores communiter. Ratio eſt: quia hic revera non intervenit mala fides ex parte præſcribentis, ſive per præſcriptionem extinguentis jus alterius: etſi enim is probe recordetur juris alieni, ſuæque obligationis; ſi ab altero agatur, vel quidpiam exigatur; ſimul tamen novit, ſe ad nihil eſſe obligatum, priuſquam ab alio agatur, vel exigatur; ſicque non peccat nihil præſtando, quamdiu non exigitur: ſed tamen alter ob ſuam negligentiam lapſu temporis à Jure definiti perdit jus ſuum, neque ampliùs auditur oppoſita per Reum exceptione præſcriptionis. Quinimò re penitùs inſpecta, in dictis caſibus potiùs unus perdit jus ſuum propter negligentiam, quam alter contra eum præſcribat; prout notat Abbas *d. c. Quoniam omne nu. 9. h. t.* Bartolus, *ubi ſupra*.

108 Sic accidit in Legibus pœnalibus, ut jam dictum. Similiter adverſus Fiſcum pœna Commiſſi ob non ſolutum vectigal, aut hujuſmodi, ipſo jure debita præſcribitur quinquennio; ut *L. 2. C. de Vectigal.* quia nemo tenetur eam ſolvere, niſi exigatur: & ſic, quamvis habeatur notitia debiti, propriè tamen non intervenit mala fides. Eadem ratione poſſunt plures actiones præſcriptione extingui, ſi Actor neglexerit eas proponere intra

tempus à Jure præfixum: prout tollitur Actio injuriarum lapſu unius anni, ſi injuriatus eam proponere neglexerit, *l. Si non convitii, C. de Injuriis.* Sicut & privilegium nundinarum perditur lapſu decennii, quando illud impetrans à Principe, eodem per tantum tempus uſus non fuit, *L. 1. ff. de Nundinis.*

109 Addunt Doctores, ac præſertim Gloſſa *in L. ult. verſ. Credidit, ff. Quemadmodum ſervit. amittant.* Abbas *c. Quoniam omne nu. 8. h. t.* Leſſius *cit. cap. 6. n. 12.* Pirhing *h. t. nu. 54.* Layman *cit. cap. 8. nu. 12. verſ. Servitutes ruſticæ,* & alii, hoc ipſum procedere in ſervitutibus ruſticis; adeò ut poſſim præſcribere contra eum, qui habet jus ſervitutis ruſticæ in medio prædio, quando is eodem per tempus à Jure præfixum uti neglexit, etiamſi ſciam, ipſi tale jus vere competere, *l. Hæc autem jura, ff. de Servitutib. urbanor. prædior.* Neque enim mala fide ego quidpiam facio, multò minùs alterum impedio in proſecutione ſui juris (alioquin quippe ſecùs foret dicendum) imò ex parte mea nullus requiritur actus ad præſcribendum contra ſervitutem ruſticam: ſufficit enim, quod alter non utatur jure ſuo per tempus à Lege definitum.

110 Unde Gloſſa *in Caſu cit. l. Hæc autem jura,* & Bartolus *ibid.* ponit notabilem differentiam inter ſervitutes urbanas, & ruſticas: quia ad amiſſionem ſervitutis ruſticæ ſufficit, me non uti: ad amiſſionem autem ſervitutis urbanæ requiritur, & me non uti, & te libertatem uſucapere per factum tuum; puta, domum altiùs elevando, vel foramen muri obſtruendo, aut hujuſmodi, per textum *cit. l. Hæc autem jura, ff. de Servitut. urban. præd.* Atque ideò hic ex parte mea requiritur bona fides; non ibi, cùm nullus actus ex parte mea requiratur, ſed ad amiſſionem ſervitutis ruſticæ ſufficiat ſola negligentia non utentis.

111 Reſp. II. Econtrà obligationes illæ, quæ ſuapte natura tendunt ad aliquid agendum, vel non agendum, non poſſunt ullo tempore cum mala fide, ſive ſcientia juris alieni præſcriptione extingui, neque eiſdem præſcribi poteſt. Ita Authores *num. 107.* citati cum aliis pluribus. Ratio eſt: quia tales obligationes nequeunt præſcribi, niſi vel omittendo actum debitum, vel exercendo actum prohibitum: atqui ſtante notitia juris alieni neutrum poteſt fieri abſque peccato, & cum bona fide; ergo pariter eæ nequeunt ullo tempore præſcribi, ut *cap. ult. h. t.* cum ſimilibus.

112 Idipſum probatur inductione: ſic quippe debitum pecuniarium, v. g. centum florenorum, vi mutui, emptionis &c. contractum non extinguitur per hoc, quod creditor illud longo tempore non exigat (ſæpe enim urbanitatis gratia id contingit) quamdiu debitor retinet notitiam hujus debiti. Tum quia pro creditoribus interpellat dies ſtatuta ſolutionis; ut *cap. ult. de Locato;* ibi: *Cùm in hoc caſu dies ſtatuta pro domino interpellat,* juncta *l. Magnam, C. de Contrah. ſtipulat.* Tum quia vel talis debitor ſtante ſcientia debiti habuit voluntatem ſolvendi, vel non: ſi primum, non fuit in quaſi poſſeſſione liberationis: ſi verò ſecundum, non fuit in bona fide, quin potius in continuo ſtatu peccati; ſicque in neutro caſu præſcribere potuit. Igitur ut quis præſcribat contra tale debitum pecuniarium, omnino requiritur, ut ipſe tempore à legibus definito, bona fide exiſtimet, ſe nihil debere; ſicque exiſtat in poſſeſſione ſuæ libertatis, v. g. putando debitum fuiſſe condonatum, vel ſolutum. Leſſius *cit. c. 6. n. 19.* Covarruvias *par. 2. c. Poſſeſſor. §. 11. n. 4. V. Sed ipſe.* Layman *cit. cap. 8. n. 11.* Pirhing *h. t. n. 51.* Engel *h. t. n. 18. V. Præterea,* & alii.

113 Idem patet in ſervitutibus urbanis negativis, ſeu obligationibus ad non agendum, v. g. non ædificandi altiùs, non aperiendi feneſtram in hortum vicini, non paſcendi in alieno prædio, non venandi vel piſcandi in tali loco &c. Siquidem talibus obligationibus præſcribi nequit, niſi per factum contrarium præſcribentis; prout de ſervitutibus urbanis expreſſe cavetur *cit. l. Hæc autem jura, ff. de Servitut. urban. præd.* decernendo, quod tales ſervitutes *non omnimodò pereant non utendo, ſed ita, ſi vicinus ſimul libertatem uſucapiat;* puta, domum altiùs ædificando, feneſtram aperiendo, aut hujuſmodi: Atqui ſtante ſcientia juris alieni, non poſſunt bona fide præſtare actum contrarium; ergo neque præſcribere talibus ſervitutibus, atque obligationibus, ſtante ſcientia juris alieni. Et hæc videntur certa: major verò difficultas eſt de actionibus perſonalibus reſpectu dictarum ſervitutum, ſeu obligationum: unde

114 Quæritur III. Utrùm ſaltem actionibus perſonalibus, quæ correſpondent dictis obligationibus ad aliquid agendum, vel non agendum, poſſit præſcribi cum mala fide, ſeu ſcientia juris alieni? Et notanter additur, *quæ correſpondet obligationibus ad aliquid agendum &c.* Nam quod actionibus perſonalibus, quæ correſpondent obligationibus ordinatis duntaxat ad aliquid patiendum, ſive ſubeundum onus, ſi ab altero exigatur, poſſit præſcribi non obſtante ſcientia juris alieni, jam dictum eſt ſuprà *n. 107. & ſeqq.*

115 Porrò ſenſus præſentis quæſtionis eſt, an ſtante ſcientia juris alieni, ſeu quod quis noverit ſeſe manere obligatum pro Foro conſcientiæ ad ſolvendum, vel aliquid aliud præſtandum proximo: nihilominùs contra hunc præſcribere poſſit in tantum, ut poſt lapſum temporis à lege definiti non poſſit ampliùs actio contra eum inſtitui, neque debitum in judicio repeti; etiamſi conſtet de mala fide debitoris, fortè per propriam ejus confeſſionem, aut alias legitimas probationes. Quod notanter additur: quia ſi non conſtaret de mala fide debitoris, ſive Rei, præſumeretur is in Foro externo habuiſſe bonam fidem (nam *præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur,* puta, notitia rei alienæ, ut inquit *Reg. 47. Jur. in 6.*) ſicque meritò, juxta diſpoſitionem Legum Civilium, actioni contra ipſum intentatæ aditus negaretur. Atque de hac difficultate loquendo

116 Reſp. I. Actionibus perſonalibus, quæ correſpondent obligationibus ad aliquid agendum, vel non agendum, non poteſt præſcribi cum mala fide. Ita Covarruvias *in c. Poſſeſſor. part. 2. §. 11. num. 4. & ſeqq.* Leſſius *lib. 2. de Juſtit. & jur. cap. 6. n. 19.* quamvis etiam contrariam opinionem non improbabilem cenſeat Pirhing *h. t. num. 51.* Engel *eod. n. 18. verſ. Ad alterum,* & communior Doctorum; contra Hoſtienſem *in Summa, tit. de Præſcription. rerum immobilium, §. Quæres nu. 4. verſ. Actiones perſonales.* Bartolum *in l. Sequitur, §. Si viam, ff. de Uſucapion.* & plures alios, quos in oppoſitum citat Covarruvias, *ubi ſuprà.* Ratio Concluſionis eſt: quia *cap. ult. h. t.* generaliter damnatur quælibet præſcriptio, quæ cum peccato & mala fide procedit; ergo etiam hujuſmodi præſcriptio actionis perſonalis cum mala fide: nam qui dicit omnia, nihil excludit, *c. Solitæ, de Majorit. & obed.* cum ſimilibus. Antecedens patet ex verbis *cap. ult. h. t.* ibi: *Quoniam omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, Synodali judicio diffinimus, ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio tam Canonica, quam Civilis, &c.* Accedit, quod præſcriptio actionum perſonalium cum mala fide, foret nutritiva peccati; eò quòd debitores, ſaltem pro Foro externo, non poſſent ampliùs compelli ad ſolvendum debitum, v. g. vi mutui contractum: imò admiſſa tali præſcriptione manutenerentur in continuanda iniqua detentione rei alienæ, ſeu debiti non ſolvendi; ergo hoc ipſo non eſt admittenda.

117 Objicies contra hæc. Jus Canonicum conſiderat malam fidem poſſidentis rem alienam contra conſcientiam; ergo non derogavit Legibus Civilibus denegantibus actionem perſonalem poſt lapſum certi temporis ob ſolam negligentiam non repetentis rem ſuam. Probatur conſequentia: quia hic nulla intervenit res, quæ poſſideatur, ſed ſolùm excluditur actio alterius. Reſp. neg. conſequent. loquendo de actionibus perſonalibus, quæ correſpondent obligationibus ad agendum, vel non agendum. Ad probationem negatur aſſumptum, quia in tali præſcriptione, ſi procederet, neceſſariò deberet intervenire poſſeſſio, vel potiùs quaſi poſſeſſio propriæ libertatis, ſeu immunitatis à tali obligatione: talis autem poſſeſſio non poteſt haberi ſine peccato, ex quo quis novit ſeſe eſſe obligatum ad tale quid agendum, vel non agendum, conformiter dictis *nu. 112. & 113.*

118 Objicies ulterius. Dantur complures aliæ actiones, quæ tolluntur, ſeu contra eas fit præſcriptio lapſu certi temporis, & quidem ob ſolam negligentiam Actoris, qui poſtmodùm perdit jus agendi, neque ampliùs auditur, quantumvis alter ſeſe noverit reum; ergo idem videtur dicendum in dictis actionibus perſonalibus. Antecedens patet: quia ſic tollitur Actio injuriarum lapſu unius anni, *l. Si non convitii. C. de Injuriis.* Actio redhibitoria lapſu ſex menſium, *l. Cum ſex. C. de Ædilit. Edict.* Actio quanti minoris lapſu unius anni, & aliæ hujuſmodi; ergo. Reſp. neg. conſeq. Quia, ut notat Covarruvias *cit. §. 11. num. 6.* aliud eſt, actionem negari à Lege humana poſt lapſum certi temporis, ſeu ob aliam cauſam, quæ ſolet contingere abſque ullo dolo, & peccato adverſarii; uti fit in actionibus allegatis: aliud verò, actionem tolli per factum cujuſpiam mala fide continuatum, ſicque fomentum à Lege exhiberi ad occupandas res alienas cum mala fide, & peccato. Illud quippe ob commune bonum Reipublicæ, atque refrænandam litium multitudinem, benè poteſt fieri: non verò iſtud poſterius. Hoc autem accideret admiſſa præſcriptione cum mala fide contra obligationes, atque actiones perſonales, quæ dantur ad aliquid agendum, v. g. ad ſolvendum creditori debitum; vel non agendum, v. g. ad non ædificandum altiùs &c. Nam talia faciens, ſeu continuans, interea ſemper peccaret injuſtè detinendo rem alienam, neque eam reſtituendo, cum poſſet, aut injuſtè per ſuum ædificium lædendo jus proximi animo complendæ præſcriptionis contra actionem perſonalem, forſan impoſterum contra ipſum inſtituendam.

119 Urgebis. Valet Lex, qua ad evitandam litium multitudinem in Foro externo denegatur actio ex pacto nudo, *l. Juris gentium §. Sed cum, ff. de pactis.* Item & alia Lex ſtatuens, quod venditori infra dimidium juſti pretii decepto, in Foro externo non ſubveniatur, ſed eidem actio negetur, *l. Rem minoris C. de reſcindend. vendit. & c. cum dilecti, 3. de emption.* Et tamen hic intervenit mala fides non ſervantis obligationem pacti nudi, vel non ſupplentis defectum juſti pretii, ac proinde ſubeſt periculum peccati; ergo data ſolutio non ſubſiſtit. Reſp. Leges hujuſmodi fuiſſe latas ad bonum commune Reipublicæ, publicamque quietem conſervandam, permittendo minus malum ad evitanda majora mala: quamquam de facto, atque ad præcavendum peccatis, quæ orirentur ex violatione pactorum nudorum, non ſolum de Jure Canonico, verum etiam ſecundum hodiernos mores in foro civili, detur actio ex pacto nudo; prout uberius dictum fuit ſupra *lib. 1. tit. 35. de pactis, §. 1. n. 31. & 37.* Unde hæc objectio poſſet retorqueri. Accedit ratio diſparitatis: quia præſcriptio cum mala fide expreſſè fuit revocata per Concilium Generale, relatum *c. ult. h. t.* eò quod ſpe lucri captandi, ſeu complendæ præſcriptionis, animaverit homines ad continuandam injuſtam poſſeſſionem rei alienæ; ſecùs accidit in Legibus proximè allegatis.



## §. V.

## De titulo ad Præſcriptionem requiſito.

### SUMMARIUM.

120 *Titulus juſtus requiritur ad præſcriptionem.*
121 *Et quidem duplici de cauſa. Et n. 125.*
*Primò, ad purgandum vitium malæ fidei, quando Jus commune reſiſtit præſcribenti, vel eſt præſumptio contra ipſum.*
122 *Tempus immemoriale, & præſcriptio immemorialis, quæ? Et n. ſeqq.*
123 *Præſcriptio tanti temporis, cujus initii memoria non extat, eſt minor præſcriptione centenaria.*
124 *Et quomodo ea probetur per teſtes?*
125 *Ad præſcriptionem requiritur titulus, ut ea breviori, ſeu ordinario tempore compleatur.*
126 *Ad præſcriptionem ſufficit titulus putativus, ſeu coloratus, nec requiritur verus.*
*Et in quo ſenſu ille dicatur* Juſtus titulus? *Ib.*
127 *Titulus ejuſmodi, quid*
128 *Et quotuplex ſit?*
129 *Titulus* pro ſoluto, & pro ſuo, *dicuntur generales, ubi ſpeciales.*
130 *Tituli generales regulariter non rectè allegantur ad præſcriptionem ſine ſpecialibus.*
131 *Titulus* pro hærede, *quando ſufficiat ad præſcriptionem Et num. ſeqq.*
*Si defunctus rem bona fide poſſedit, ut ſuam, ac necdum præſcriptionem complevit, poſſeſſio ejus continuatur in hærede.*
132 *Idque exemplificatur.*
*Atque ampliatur ad Succeſſorem in Beneficio, & Legatarium. Ib.*
133 *Hæres ſuccedit in omne jus defuncti.*
*Ac cenſetur eadem perſona cum defuncto. Ib.*
134 *Quando defunctus fuit poſſeſſor malæ fidei, hæres ejus immediatus nunquam præſcribit rem illius, licèt hanc bona fide habeat. Et n. ſeq.*
135 & 136 *Et hujus ratio.*
*Hæres repræſentat perſonam defuncti. Ib.*
137 *An hæres immediatus bona fide poſſit ſaltem longiſſimo tempore præſcribere rem à defuncto mala fide poſſeſſam.*
138 *Hanc hæres mediatus bona fide præſcribit tempore ordinario.*
139 *Idem dicendum de Donatario, vel Emptore.*
140 *Ac Succeſſore in dignitate, beneficio, vel officio.*
141 *Hæres poteſt rem à defuncto mala fide poſſeſſam benè præſcribere ex alio titulo, quam hæreditatis.*
142 *An ad omnem prorſus præſcriptionem requiratur titulus? Et num. ſeqq.*
143 *Titulus requiritur ad præſcriptionem in duobus duntaxat caſibus, nempe, ut compleantur breviori, ſeu ordinario tempore: & quando Jus commune reſiſtit præſcribenti, &c.*
144 *Niſi allegetur præſcriptio immemorialis.*
*Poſſeſſio temporis immemorialis eſt inſtar tituli, imò melior titulus de toto Mundo. Ib.*
145 *Non omnis præſcriptio eſt contra jus commune, licèt ſit contra jus privati.*
146 *In materia præſcriptionis, ac tituli ad eam requiſiti non eſt differentia inter Jus Civile, & Canonicum.*
147 *Textus* in c. 1. h. t. in 6 *procedit, quando Jus commune fortiter reſiſtit præſcribenti.*

120 Quæritur I. Utrum, & cur ad Præſcriptionem requiratur Titulus? Reſp. I. inter alias conditiones ad præſcriptionem requiſitas, etiam eſt juſtus Titulus. Ita liquet ex *c. Si diligenti, 17. h. t.* ubi dicitur: *cum in præſcriptione rerum eccleſiaſticarum bona fides, & juſtus titulus exigatur.* Concordat *c. dudum, 31. de decimis* ubi allegans præſcriptionem, jubetur per Papam, præſcriptionis titulum probare. Adde textum *in l. ult. C. de uſucap. pro hærede,* ibi: *uſucapio non præcedente vero titulo procedere non poteſt.* Et *l. nullo C. de rei vendic.* ibi: *Nullo juſto titulo præcedente poſſidentes ratio juris quærere dominium prohibet;* cum ſimilibus.

121 Reſp. II. Ejuſmodi titulus duplici præcipuè de cauſa requiritur ad præſcriptionem. Primò quidem ad purgandum vitium malæ fidei, quando vel Jus commune reſiſtit præſcribenti, vel alia præſumptio eſt contra ipſum. Textus eſt *in c. 1. 1. h. t. in 6* ibi: *Licèt ei, qui rem præſcribit Eccleſiaſticam, ſi ſibi non eſt contrarium Jus commune, vel contra eam præſumptio non habeatur, ſufficiat bona fides: ubi tamen eſt ei jus commune contrarium, vel habetur præſumptio contra ipſum, bona fides non ſufficit, ſed eſt neceſſarius titulus, qui poſſeſſori cauſam tribuat præſcribendi: Niſi tanti temporis allegetur præſcriptio, cujus contrarii memoria non exiſtat.* Hæc Pontifex: ac pluribus declarat Gl. *ib. V. Titulum,* & Jo: Andreas, & Barboſa *in Collect. ad c. c. 1. h. t. in 6.* & Vivianus *in Rational. ib.* atque Abbas *cap. Si diligenti, num. 20. h. t.* juncto textu *ibid.* cum communi.

122 Porro *Tempus immemoriale,* ſeu *præſcriptio immemorialis* dicitur, cujus initium excedit memoriam hominum: ſive, *cujus origo memoriam exceſſit,* ſcilicet hominum qui nunc vivunt, *l. Hæc jura §. ductus aquæ,* juncta Gloſ. *V. memoriam, ff. de aqua quotid. & c. ſuper quibuſdam, 26 de Verb. ſignif.* Quia vero cenſetur aliquid excedere memoriam hominum, ſi excedat centum annos, qui eſt finis vitæ longævæ hominis, *l. an uſus fructus, ff. de uſufructuar.* Hinc ad præſcriptionem tanti temporis, cujus initii memoria non extat, requiri lapſum centum annorum, nec ſufficere præſcriptionem brevioris temporis, non pauci voluerunt: ut Curtius Junior *conſil. 90. col. fin.* Cardinalis *c. Si diligenti, in fin. de præſcrip.* Felinus, *c. cum vobis, eod.* quos pro hac ſententia allegat Cra-

Cravetta proximè citandus; ac noviſſimè Pirhing *h.t.n.* 127. cum nonnullis aliis.

123 Oppoſitum tamen, ſeu quod præſcriptio temporis, cujus initii memoria non extat, non requirat tempus centum annorum, ſed minor dicatur præſcriptione centenaria: innuit Gl. *c. cum vobis* ℣. *centum annorum*, & Barboſa *ib. n. 5. h.t.* Idemque ex profeſſo, ac pluribus allegatis Doctoribus, & rationibus, probat Aymon Cravetta *tom. 17. Tractatuum, tr. de antiqu. temp. p. 4. §. 4. abſolutis differentiis, n. 2. & ſeqq.* Ratio eſt: Tum quia præſcriptio centenaria, & præſcriptio tanti temporis, cujus initii memoria non extat in contrarium, diverſis nominibus appellantur; ergo una debet importare idem, quod altera, *arg. l. Si idem C. de Codicillis.* Tum quia præſcriptio centenaria ſoli Romanæ Eccleſiæ competit, *c. cum vobis*, 14. & *c. Si diligenti*, 17. *h.t. Auth. quas actiones C. de Sacroſ. Eccl.* ergo præſcriptio illa, cujus initii memoria non extat, & contra Eccleſias inferiores procedit, hoc ipſo nequit importare tempus centum annorum; alioquin falſum foret, quod ſola Romana Eccleſia gaudeat privilegio præſcriptionis centum annorum. Tacentur aliæ rationes, apud Cravettam videndæ.

124 His accedit Engel *h. t. n.* 34. ubi inquit, quod practici advertant, præſcriptionem tanti temporis, cujus initii memoria non extat in contrarium, probari per teſtes, qui ſaltem per quadraginta annos teſtantur de viſu, vel ſenſu proprio, ac de cætero etiam à ſuis majoribus ſemper audierunt rei ſtatum ſic fuiſſe. Mynſinger *Centur. 1. obſerv. 30.* Concordant dicta ſuperiùs *li. 1. t. 4. de conſuetudine, §. 7. n. 180.* ubi agitur de probatione conſuetudinis immemorialis.

125 Secundò, requiritur titulus ad præſcriptionem, ut hæc breviore, ſeu ordinario tempore compleatur. Sic enim ad præſcribenda bona immobilia privatorum cum titulo, ſufficit tempus longum; quod eſt decem annorum inter præſentes, & viginti annorum inter abſentes, *§. 1. Inſt. de Uſucapion.* Econtrà vero ad præſcribendum bona ejuſmodi ſine titulo, requiritur poſſeſſio triginta annorum bona fide continuata, *l. ſicut in rem C. de præſcri. 30. vel 40. annor.* cum ſimilibus; atque ex profeſſo dicetur infrà *§. 6. nu. 155. & ſeqq.*

126 Dices. Si aliquando ad præſcriptionem requiritur juſtus titulus, ergo tunc non amplius erit opus præſcriptione. Probatur conſequentia: Quia juſtus titulus, v.g. emptionis, donationis &c. ſecuta rei traditione, ex ſe ipſo, transfert rei dominium, *l. traditionibus C. de pactis*: ergo ulterius non erit opus præſcriptione: *Nam quod meum eſt ex alia cauſa meum fieri non poteſt, niſi deſierit eſſe meum*; ut dicitur *c. Inter dilectos*, 6. *§. Cæterum de Fide Inſtr.* cum concordantiis ibidem à Gl. ℣. *quod meum eſt*, relatis. Reſp. neg. conſ. ejuſque probationem diſtinguendo. Juſtus titulus transfert rei dominium, ſi ſimul eſt verus, atque à parte rei ſubſiſtens, conced. Si eſt putativus tantum; qui ſcilicet juſto errore putatur legitimus, quamvis ex aliqua occulta cauſa talis non ſit, neg. aſſumptum. Siquidem, ut notat Gl. *in c. ſi diligenti verſ. Juſtus titulus, h.t.* & Abbas *ib. n.* 23. ad præſcriptionem non requiritur juſtus titulus, qui in veritate ſit talis, ſeu per quem transferatur rei dominium: ſed ſufficit putativus, ſive (ut alii loquuntur) coloratus, vel præſumptus. Et talis *Titulus* pro tanto dicitur *juſtus*: quia concurrente bona fide poſſidentis cauſam præſcribendi; licet in veritate non ſit juſtus, alioquin enim nulla opus foret præſcriptione. Unde

127 Quæritur II. Quid ſit, & quotuplex ſit titulus? Reſ. I. *Titulus*, quantum ad propoſitum, eſt cauſa ex ſe habilis ad transferendum dominium, vel uſucapiendi conditionem præbens. Ita Vallenſis *h.t. §. 5. n. 1.* Engel *eod. n. 22.* Sannig. *c. 4. n. 1.* & alii: nec in re diſcordat Gl. *in Summa cauſa 26. q. 3.* dicens: *Titulus eſt juſta cauſa poſſidendi, quod noſtrum non eſt.* Et hujuſmodi juſta cauſa poſſidendi ſeu ex ſe habilis ad transferendum dominium, vel ſaltem (ſi à parte rei non ſubſiſteret) uſucapiendi conditionem præbens, eſt donatio, emptio, tranſactio, & hujuſmodi: nam alii tituli, qui ex natura ſua non tendunt ad translationem dominii, ut commodatum, depoſitum, precarium &c. pariter nihil proſunt ad præſcriptionem, neque uſucapiendi conditionem præbet.

128 Reſp. II. Ejuſmodi tituli habiles ad transferendum rerum dominium, vel ſaltem præbentes uſucapiendi conditionem, ſunt ſequentes, quos ex *Libro 41. Digeſtorum* deſumpto, breviter allegat, & explicat Leſſius *lib. 2. c. 6. dubit. 7.* videlicet, dum quis bona fide poſſidet rem alienam *pro emptore*, *pro tranſacto*, *pro donato*, *pro hærede*, *pro legato*, *pro dote*, *pro judicato*, *pro derelicto*, *pro ſoluto*, *pro ſuo*. Qui enim titulo emptionis, tranſactionis, donationis &c. ſecuta traditione transferri ſolet rerum dominium, dummodo tradens fuerit dominus, ſimulque potuerit alienare: hinc fit, quod ſi bona fide emi rem ab aliquo, quem credebam dominum, & non erat; vel rem Eccleſiaſticam ab Abbate, aut Epiſcopo, credens requiſita juris in ejus alienatione fuiſſe obſervata per ipſum & non erant obſervata, aut hujuſmodi; ob talem latentem defectum non acquiram rei dominium, benè tamen uſucapiendi conditionem.

129 Reſp. III. Ex enumeratis titulis priores ſunt ſpeciales; duo autem poſteriores, nempe *pro ſoluto*, & *pro ſuo*, dicuntur generales, eo quod ſint incerti, & in aliis ſpecialibus etiam includantur. Quicunque enim rem poſſidet *pro emptore*, *donato*, *legato* (id eſt, titulo emptionis, donationis, legati ſibi in teſtamento relicti &c.) eam etiam poſſidet *pro ſoluto*, & *pro ſuo*.

130 Porrò iſti Tituli generales, cum ſint incerti, ſoli ordinariè non rectè allegantur ad præſcriptionem ſine ſuis ſpecialibus titulis, ex quibus ortum habent; ut notat Engel *h.t. nu. 23.* Dicitur, *ordinariè*: nam quandoque etiam omnibus aliis deficientibus ſufficere poſſunt, *arg. Leg. ult. ff. pro ſuo*, ubi admittitur uſucapio, quando quis in bonis ſuis invenit aliquid, quod bona fide exiſtimavit eſſe ſuum, etiamſi à parte rei fuerit falſa ejus exiſtimatio. Unde Succeſſor, v. g. Prælatus poteſt res, ac jura à ſuo Anteceſſore relicta, ex titulo *pro ſuo* præſcribere: quia, qui in locum alterius ſuccedit, juſtam habet ignorantiæ cauſam. Gl. *c. de quarta* ℣. *Se poſſe tueri, h.t.* Engel *n. 23.* adducens nonnulla alia exempla.

131 Quæritur III. Quando titulus *pro hærede* ſufficiat ad præſcriptionem? Reſp. I. Titulus *pro hærede* tunc juvat ad præſcriptionem, quando defunctus rem bona fide poſſedit, ut ſuam, ac necdum tempus præſcriptionis complevit; nam poſſeſſio defuncti continuatur in hærede. Textus eſt *in §. diutina. Inſt. de Uſucap.* ibi: *Diutina poſſeſſio, quæ prodeſſe cœperat defuncto, & hæredi bonorum poſſeſſori continuatur &c.* Concordat textus *in l. Dolia, §. Eum qui, ff. de contrahend. empt.* ubi Bartolus *in Summario* inquit, quod poſſeſſio actoris & ſucceſſoris junguntur ad præſcriptionem implendam: juncta *l. Pomponius C. cum quis, ff. de Acquirend. poſſeſ.*

132 Infertur proinde, quod ſi quis exiſtat hæres alterius bonæ fidei poſſeſſoris, qui rem immobilem alicujus privati quinquennio cum titulo, v. g. emptionis poſſedit, ejuſmodi hæres additis aliis quinque annis ſuæ poſſeſſionis, bona pariter fide continuatæ, poſſint præſcriptionem inter præſentes complere. Pirhing. *h.t.n. 65.* Layman *lib. 3. Theol. Moral. ſect. 5. tr. 1. c. 28. nu. 17.* ubi iſtud ampliat ad Succeſſorem in beneficio: nam hic etiam ad complendam præſcriptionem circa jura, & res ſui beneficii, poteſt connumerare annos, quibus bona fide Anteceſſor ſuus eaſdem poſſidebat, & quod etiam Legatario danda ſit acceſſio ejus temporis, quo res fuit apud Teſtatorem; textus eſt expreſſus *in l. Pomponius §. Sed & Legatario, ff. de acquirend. poſſeſ.*

133 Additur notanter, *quando defunctus rem bona fide poſſedit, ut ſuam &c.* Secus enim eſt dicendum, ſi defunctus rem detinuiſſet veluti ſibi commodatam, locatam, oppignoratam, vel apud ſe depoſitam: quia talem rem hæres ipſius nunquam præſcribere poterit, quantumvis bona fide, ac jure hæreditario, ipſam poſſidere videatur. Siquidem *hæres in omne jus defuncti ſuccedit*, ut dicitur, *l. cum hæres, ff. de diverſis & temporal. præſcr.* & proinde cenſetur rem tenere eo modo, ac jure, quo ipſam tenuit defunctus: videlicet per modum commodati, locati, pignoris, depoſiti &c. Accedit, quod hæres cenſeatur eadem perſona cum defuncto, *Auth. de Jurejur. §. Collat. 5.* ibi: *Cum utique noſtris videtur legibus unam quodammodo perſonam hæredis, & ejus, qui in eum tranſmittit hæreditatem*; junctis concordantiis à Gl. *ib.* ℣. *unam quodammodo*, relatis. Unde locum habet, quod *Reg. 46. Juris in 6.* dicitur: *Is, qui in jus ſuccedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit.* Quod procedere in Succeſſore univer-



ſali, qualis eſt hæres, utpote ſuccedens in univerſum jus defuncti, notat Dynus *in cit. reg. 46. jur. in 6. n. 2. & ſeq.*

134 Reſp. II. Quando defunctus fuit poſſeſſor malæ fidei, tunc hæres ejus immediatus ex titulo *pro hærede* non poteſt ullo tempore rem à defuncto mala fide poſſeſſam præſcribere, etiamſi eam bona fide habeat, velitque à ſeipſo initium præſcriptionis incohare. Ita Covarruvias *p. 2. in c. poſſeſ. §. 9. n. 1. & ſeqq.* Abbas *c. ſi diligenti, n. 29. & 30 h.t.* Leſſius *cit. lib. 2. c. 6. nu. 42.* Fachineus *lib. 8. controv. jur. c. 27.* Pirhing. *h.t.n. 68.* & communis aliorum; contra Gl. *c. cum quis in jus, de Reg. jur. in 6.* & quoſdam alios, quos in contrarium citat Covarruvias *ib. n. 5.*

135 Ratio communis ſententiæ eſt: quia hæres repræſentat perſonam defuncti, imò cenſetur eadem perſona cum defuncto, juxta *cit. Auth. de jurejurando à moriente præſtito Collat. 5.* Ergo ſicuti defunctus ipſe non potuiſſet præſcribere ullo tempore cum mala fide, ita nec hæres ejus, utpote qui ob repræſentationem defuncti, fictione juris cenſetur habere malam fidem: Idipſum habetur clarè deciſum *in l. ult. C. Communia, de Uſucapion.* ubi proinde Salycetus *in Summario* ſic inquit, *Vitium defuncti nocet ejus univerſali ſucceſſori, etiam bonam fidem habenti.* Concordat textus *in l. Cum hæres, ff. de Diverſis, & temporal. præſcript. & §. Diutina. Inſtit. de Uſucap.*

136 Dices. Hoc quidem procedere ſpectato Iure Civili: ſecus autem eſſe dicendum de Jure Canonico, utpote cum ſecundum hoc ad præſcriptionem ſufficiat bona fides poſſidentis; ut *c. Si diligenti*, juncta Gl. ℣. *bona fides*, & *c. ult. h.t.* cum ſimilibus. Reſp. neg. aſſumptum. Tum quia circa præſentem controverſiam nullum habemus textum contrarium in Jure Canonico; & conſequenter ſtabitur claræ deciſioni Juris Civilis, juxta dicta ſuperius *in procem. lib. 1. Decretalium, n. 225. & ſeqq.* Tum quia ſicut Jure Civili, ita & Pontificio, hæres repræſentat perſonam defuncti; atque idcircò ex hac repræſentatione cenſetur habere malam fidem: non quidem veram (uti ſupponitur) ſed fictam, ſeu fictione juris inductam, eò quòd hæres cenſeatur eadem perſona cum defuncto; uti notat Abbas, & Covarruvias, *ubi ſuprà.* Tum tandem, quia hæres tenetur ad exonerandam conſcientiam defuncti, *cap. ult. de Sepult.* atqui non aliter poterit exonerare conſcientiam defuncti, niſi reſtituendo rem, quam ipſe mala fide poſſederat; prout cum aliis argumentatur Abbas *cit. num. 30.* ergo

137 Urgebis. Ius Civile locis ſuprà *n. 61.* citatis, non impedit præſcriptionem longiſſimi temporis, videlicet 30. vel 40. annorum, etiam cum mala fide; ergo mala fides defuncti non obſtabit hæredi bona fide rem præſcribenti ſaltem annis triginta, dummodo, nolit uti acceſſione poſſeſſionis ipſius defuncti. Antecedens probatur ex *l. Sicut in rem, & l. Si quis emptionis. C. de præſcript. 30. vel 40. annor.* ergo. Nec dicas, hujuſmodi Leges fuiſſe correctas per Ius Canonicum, *c. ult. h. t.* Nam contra eſt: quia Ius Canonicum *loc. cit.* loquitur ſolummodo de vera mala fide, quæ peccatum involvit; non autem de ficta mala fide, utpote quæ nullum ex parte hæredis peccatum involvit. Reſp. neg. antecedens, cum conſequentia ſuæ probationis: idque ob reſponſionem inter arguendum relatam. Ad hujus impugnationem dicitur: quamvis ob ipſam Covarruvias *loc. cit. n. 5.* & Leſſius *nu. 42.* cum nonnullis aliis probabile cenſeant, quod mala fides defuncti non obſtet hæredi bona fide præſcribenti annis triginta ſimulque fatendum ſit, oppoſitum iſtius ſententiæ ex *cit. c. ult. h.t.* non evinci, ob rationem jam allatam; quia videlicet in eo duntaxat eſt ſermo de vera mala fide, ſeu peccatum involvente, non autem de ficta: nihilominus iſtud probatur aliunde. Et primò quidem ex eo: quia hæres ſuccedit in jus defuncti, imò omne jus ſuum cauſatur à defuncto; ſicque propter vitium defuncti tranſit res in ipſum cum ſuo onere; ergo defunctus malæ fidei, rem illam nullo tempore potuit præſcribere, ita nec hæres ejus. Abbas *c. c. ult. n. 30. h.t.* Fachineus *lib. 8. controver. jur. c. 27.* & alii. Deinde idipſum confirmatur ex eo: quia hæres etiam de jure Canonico repræſentat perſonam defuncti (quæ repræſentatio, ſimulque mala fides ficta, non extinguitur ſpatio triginta annorum) teneturque ad exonerandam conſcientiam defuncti; ergo hoc ipſo probabilius, Jurique conformius, dictam obligationem lapſu triginta annorum non extingui, neque eidem præſcribi poſſe. Leſſius *cit. n. 42.* Pirhing. *h.t.n. 72.* Sylveſter ℣. *præſcriptio I. n. 8.* Abbas, Fachineus, *ubi ſuprà*, & alii.

138 Dicitur notanter *n. 134. hæres immediatus.* Quia hæres mediatus, id eſt, hæres primi hæredis, poteſt rem tempore ordinario præſcribere, quam bona fide prior hæres poſſederat. Ratio eſt: quia hæres hæredis non amplius habet malam fidem fictam, utpote quam Jura induxerunt ex ſola vera mala fide defuncti ob repræſentationem ejus in hærede. Accedit, quod fictio non pariat fictionem, Covarruvias *loc. cit. num. 7.* Leſſius *nu. 43.* Pirhing. *h.t. nu. 70.* & alii, iſtud intelligentes, dummodo hæres mediatus, & bona fide poſſidens incipiat præſcriptionem, computando videlicet ſolum tempus, quo ipſe poſſedit, non autem connumerando tempus, quo poſſedit ſuus Anteceſſor.

139 Hoc ipſum multò magis procedit in Succeſſore ſingulari, putà in Donatario, vel Emptore, cui primus hæres rem hujuſmodi bona fide donavit, vel vendidit: quia ille perſonam defuncti non repræſentat, ſicque tempore ordinario præſcribere poterit. Hinc §. *Sed tamen, Inſt. de uſucapion.* dicitur: *Si hæres rem defuncto commodatam aut locatam, vel apud eum depoſitam, exiſtimans hæreditariam eſſe, bona fide accipienti vendiderit, aut donaverit, aut dotis nomine dederit, quin is, qui acceperit, uſucapere poſſit, dubium non eſt.*

140 Quinimò etiam Succeſſor in dignitate, beneficio vel Officio, qui perſonam defuncti, vel anteceſſoris ſui minimè repræſentat, poteſt cum bona fide præſcribere rem à defuncto, vel anteceſſore ſuo mala fide poſſeſſam; dummodo non computet tempus illud, quo alter mala fide poſſedit. Gl. *c. De quarta* ℣. *Se poſſe tueri*, & Abbas *ib. nu. 9.* Felinus *n. 23. h.t.* Covarruvias *cit. p. 2. in c. poſſeſ. §. 9. n. 7.* Pirhing. *h.t.n. 72.* & alii. Ratio eſt: quia talis non poſſidet Dignitatem, Beneficium, vel Officium, iure ſui anteceſſoris, ſed mediante legitimo Collatore; ergo non eſt, cur ipſi habenti bonam fidem, debeat nocere mala fides anteceſſoris ſui, quo minùs poſſit præſcribere rem à ſe bona fide poſſeſſam.

141 Dicitur etiam eod. *n. 134. ex titulo pro hærede.* Quia poteſt hæres rem à defuncto mala fide poſſeſſam benè præſcribere ſi ipſam acquiſivit alio titulo, quam titulo hæreditatis: putà, ſi defunctus ante mortem ſuo futuro hæredi vendidit, aut donavit rem alienam, quam iſte bona fide accepit, atque poſſedit: poteſt enim eam debito tempore præſcribere, juxta textum *l. An vitium ff. de diverſis & temporalib. præſcrip* ubi Gl. *in caſu.* Covarruvias *d. §. 9. num 6. verſ. Quartum.* Pirhing. *h.t.n. 69.* & alii.

142 Quæritur IV. An ad omnem prorſus præſcriptionem requiratur juſtus titulus? Reſp. Negativè, intelligendo iſtud de titulo aliquo ſpeciali, puta emptionis, donationis, vel hujuſmodi, non autem de titulo illo valdè generali *pro ſuo*: conſtat enim, quod hic ſemper debeat intervenire, cum alioquin quis non poſſideret rem nomine proprio vel ſaltem non cum bona fide. Ratio Concluſionis taliter explicatæ, deſumitur ex *c. 1. h.t. in 6.* ubi expreſſè dicitur, quod *ei, qui rem præſcribit Eccleſiaſticam, ſi ſibi non eſt contrarium Jus commune, vel contra eum præſumptio non habeatur, ſufficiat bona fides.* Concordat textus *c. de quarta 4. & c. ad aures 6 & c. ult. h.t.* ubi nulla prorſus fit mentio de titulo, & tamen interveniente bona fide, & poſſeſſione legitimo tempore continuata, admittitur præſcriptio. Et hinc in bonis privatorum procedere præſcriptionem triginta annorum ſine titulo, cum communi DD. dicetur infrà *n. 155.*

143 Igitur ad præſcriptionem requiritur titulus ſpecialis in duobus duntaxat caſibus. Primò, ut ſubſcriptio compleatur breviore, ſeu ordinario tempore, juxta dicta ſuperius *n. 125.* Secundò quando jus commune reſiſtit præſcribenti, vel alias habetur præſumptio contra ipſum. Ratio eſt, quia ad præſcriptionem requiritur bona fides: ſed quando præſcribenti eſt contrarium jus commune, vel habetur præſumptio contra ipſum, hoc ipſo cenſetur abeſſe bona fides, niſi allegando ſpecialem titulum poſſit talis præſumptio tolli, ſeu mala fides purgari: ergo ad eam tollendam, atque purgandam malam fidem, requiritur allegatio cujuſdam ſpecialis tituli. Atque hoc ipſum patet ex *c. Si diligenti 17. h.t. & c. 1 eod. in 6.* cujus verba *n. 121.* jam ſunt relata.

Fa-

144 Fatendum tamen, quod in hoc poſteriori loco iſtud limite, ut illis verbis: *Niſi tanti temporis allegetur præſcriptio cujus contrarii memoria non exiſtit*. Siquidem ipſa temporis immemorialis continuata poſſeſſio, eſt inſtar tituli, imò qua non poteſt allegari melior titulus de toto Mundo, ut loquitur Fagnanus *in c. cum Apoſtolicæ n. 6. de his quæ fiunt à Prælatis &c.* poſt Rotam *dec. 642. n. 2. p. 4. diverſ. & deciſ. 150. n. 4. p. 5. rec.* Dummodò ſit capacitas in poſſidente, ut benè limitat Fagnanus *loc. cit. n. 7. & c. cum contingat num. 8. & ſeqq. de Foro competent.* citans plures alios. Quid autem intelligatur per poſſeſſionem, ſeu præſcriptionem temporis immemorialis, patet ex dictis ſuprà *num.* 122. *& ſeqq.*

145 Dices. Si ad Præſcriptionem, cui Jus commune reſiſtit, requiritur titulus ſpecialis, ergo hoc ipſo ad omnem præſcriptionem requiritur titulus ſpecialis: atqui iſtud eſt contra datam Concluſionem; ergo. Probatur ſequela major. Quia omnis præſcriptio eſt contra Ius commune, quo decernitur, ut jus ſuum cuique tribuatur, ergo Reſp. neg. ſequel. major. cum antecedenti ſuæ probationis. Quia, licet omnis præſcriptio ſit contra jus hominis privati, negligentis tempore debito rem ſuam repetere: non tamen omnis eſt contra Ius commune. Quinimo Ius commune induxit legem de præſcriptione, tum ad puniendam quorundam deſidiam, res ſuas longo tempore repetere negligentium; tum etiam ad conſervandam publicam pacem Reipublicæ, ac ſopiendas infinitas propemodùm lites, quæ alioquin oriri poſſent. Unde etiam fit, quod completa ſemel bona fide per alterum præſcriptione, amittat prior dominus jus ſuum ad rem, quam tempore legibus definito non repetivit, ac repetere neglexit.

146 Urgebis, Citato *cap. 1. de Præſcription. in 6.* fit ſolum ſermo de præſcriptione rerum Eccleſiaſticarum, ibi: *Qui rem præſcribit Eccleſiaſticam*: ergo diſpoſitio illius Decretalis non eſt extendenda ad præſcriptionem rerum civilium, ſeu profanarum, quamvis Ius commune ſit contrarium præſcribenti. Reſp. neg. conſeq. Quia in materia præſcriptionis, ac tituli ad eam requiſiti, nulla eſt differentia inter Jus Civile, & Canonicum; eo quod in tali caſu de Jure Canonico exigatur titulus propter præſumptam malam fidem: adeoque, cum agatur de peccato excludendo, ſtandum erit Juri Canonico etiam in Foro Civili; prout rectè notat Abbas *c. Si diligenti nu. 35. h. t.* & Covarruvias *lib. 1. var. reſol. c. 17. num. 7* citans alios.

147 Inſtabis. Præſcribenti ſervitutem in alieno fundo, adverſatur præſumptio Iuris communis (nam quodlibet prædium præſumitur liberum, niſi probetur contrarium, *arg. l. altius. C. de Servitut.* cum concordantiis ibidem à Gloſſa adductis) & tamen ad præſcribendam ſervitutem in alieno fundo, non requiritur titulus, *text. cl. l. Si quis diuturno ff. Si ſervitus vendicetur*; ergo. Reſp. neg. anteced. Quia, ut notat Covarruvias *loc. cit. n. 7.* quod quis habeat jus ſervitutis in alieno prædio, non eſt contra Ius commune, ſed tantum contra quandam præſumptionem Iuris naturalis, juxta *cit. l. Altius*. Cæterum (ſubdit idem Author) textus *in c. 1. h. t. in 6.* procedit, quando Ius commune fortiter reſiſtit præſcribenti, attribuendo videlicet alteri talem rem: prout Decimæ, de quibus ibidem eſt ſermo, attribuuntur Parocho. Concordat Abbas *c. ſi diligenti. n. 20. h. t.* ubi ait, quod *c. c. 1. eod. in 6* procedat in præſumptione urgenti, non autem in qualibet præſumptione. Fatendum tamen, quod plures Doctores velint, illud eſſe ſpeciale in ſervitutibus præſcribendis, utpote in quibus præſumptio libertatis verſatur circa modicam læſionem.

## §. VI.

## De tempore ad complendam præſcriptionem rerum, ſervitutum, & actionum requiſito.

*SUMMARIUM.*

148 *Res mobiles privatorum cum titulo, & bona fide, præſcribuntur triennio: immobiles per longi temporis poſſeſſionem.*
*Longum tempus, quod cenſeatur in iure? Ib.*
149 *Res mobiles, & immobiles, quæ?*
150 *Nomine immobilium etiam veniunt Beneficia, cenſus, redditus, juſpatronatus &c. ac jura, & actiones ad immobilia.*
151 *Præſentes, & Abſentes, qui dicantur? Et n. ſeq.*
152 *Provinciæ nomine, quid intelligatur.*
153 *Quid, ſi quis quibuſdam annis fuit abſens, quibuſdam præſens?*
154 *Res vitioſæ, ſeu furtivæ, non poſſunt triennio uſucapi.*
*Uſucapio in rebus mobilibus non facilè procedit. Ib.*
155 *Bona tam mobilia, quam immobilia privatorum, ſine titulo, ſed cum bona fide, præſcribuntur triginta annis.*
156 *Servitus merè perſonalis nullo tempore præſcribitur, benè tamen libertas hominis.*
157 *Servitus mixta, &*
158 *Servitus realis, quo tempore præſcribatur cum titulo?*
159 *Et quo tempore præſcribatur ſine titulo ſervitus realis continua, vel quaſi continua.*
160 *Et quo diſcontinua.*
161 *Servitutes mixtæ ſicut & ſervitutes reales tum ruſticæ, tum urbanæ, quomodo, & quo tempore amittantur?*
162 & 163 *Ad præſcribendas res immobiles contra Eccleſias, Monaſteria, Hoſpitalia, &c. requiruntur anni 40.*
164 *Idque probatur.*
165 *Contra Eccleſiam Romanam currit ſola centenaria præſcriptio.*
166 *Monaſteria quædam, & Ordines ſunt privilegiati, ut majori, quam quadraginta annorum præſcriptione gaudeant.*
167 *Bona privata, & patrimonialia Clericorum, præſcribuntur tempore ordinario.*
168 *Utrum res mobiles Eccleſiarum, aliorumque piorum locorum, cum titulo, & bona fide, triennio uſucapiantur, variant Doctores.*
169 & 170 *Fundamentum negativæ ſententiæ affertur.*
171 *Affirmativa eſt communior, & verior.*
172 *Solvuntur contraria; & n. ſeq.*
173 *Eccleſia gaudet privilegiis Fiſci; & qualiter? Et numer. 169.*
174 *Actiones, quo tempore extinguantur, ſive præſcribatur contra eas? Et n. ſeq.*
*Actio hypothecaria contra debitorem, vel ejus hæredem non extinguitur, niſi annis quadraginta. Ib.*
175 *Secus contra alios.*
176 *Actiones temporales per conteſtationem litis fiunt perpetuæ.*
177 *Cæteræ actiones extinguuntur per præſcriptionem annis triginta &c. non tamen omnes tantum temporis requirunt. Et n. ſeqq.*
178 *Actio iniuriarum expirat lapſu unius anni.*
179 *Actio ad accuſandum adulterium, aliaque peccata carnis (quibuſdam exceptis) expirat quinquennio:*
180 *Quid dicendum de nefando crimine Sodomiæ?*
181 *Actiones criminales tolluntur regulariter viginti annis, nonnullis tamen exceptis.*
182 *Actio redhibitoria, quæ; & quo tempore eidem præſcribatur.*
183 *Actio* quanti minoris, *quæ, & quandiu duret?*

Quæritur I. Quantum temporis requiratur ad præſcriptionem rerum tum mobilium; tum immobilium, contra privatos? Reſp. I. Defactò res mobiles privatorum cum titulo, & bona fide, uſucapiuntur triennio: res immobiles autem per longi temporis poſſeſſionem, id eſt, decennio inter præſentes, & viginti annis inter abſentes. Ita nunc communis; atque ſeclu- 148





ſa omni locorum differentia, rejectaque annali exceptione priùs uſitata, habetur expreſſum, *l. un. C. de uſucap. transformand. & §. 1. Inſt. de uſucap.* In quo poſteriori loco cum primis fit mentio de bona fide, ac juſto titulo, illis verbis: *Jure Civili conſtitutum fuerat, ut qui bona fide ab eo, qui dominus non erat, cum crederet eum dominum eſſe, rem emerit, vel ex donatione, aliave quavis juſta cauſa acceperit &c.* Atque infrà loquendo de rebus taliter acquiſitis, atque poſſeſſis, ſubjungitur: *Cautum eſt, ut res quidem mobiles per triennium, immobiles verò per longi temporis poſſeſſionem (id eſt, inter præſentes decennio, inter abſentes viginti annis) uſucapiantur.* Hæc ibi. Pro cujus intelligentia.

149 Notandum eſt primò, quod *res mobiles* dicantur eæ, quæ loco moveri poſſunt; ut veſtis, animalia, naves, & ſimilia. *Res immobiles* econtra ſunt, quæ loco non moventur: ut Eccleſia, domus, agri, prædia, & hujuſmodi.

150 Porrò nomine *immobilium* etiam veniunt Beneficia cenſus, redditus, jus patronatus, uſufructus, & ſervitutes. Hæc enim omnia fixa manent, & inſtar immobilium afferunt fructum, & commoditatem ſuam; ut argumentatur Leſſius *lib. 2. c. 6. n. 25.* & concordat textus *in Clem. Exivi §. Proinde, de Verb. ſignif.* ibi: *Cumque annui redditus inter immobilia cenſeantur à jure.* Rurſus nomine immobilium comprehenduntur jura, & actiones ad immobilia. Dicitur notanter, *ad immobilia*, nam jura, & actiones ad mobilia, v. g. ad equum, veſtem, &c. dicuntur res mobiles, non minus, ac ipſemet equus, veſtis &c. Siquidem acceſſorium naturam ſequitur principalis, juxta *reg. 42. jur. in 6.*

151 Notandum ulteriùs, quod quantum ad propoſitum, *Præſentes* dicantur, qui in eadem Provincia commorantur, ſive res præſcribenda ſit pariter in illa Provincia, ſive in vicinia, ſive alibi, aut etiam transmare. Hoc enim nihil importat, cum dominium rei, & jus vendicationis incorporale ſit, ac proinde, ubicunque res poſita ſit, ejus dominium à domino repeti poſſit, *l. Cum in longi.* juncta Gl. *V. In eadem provincia C. de Præſcrip. longi temp.* Econtra verò *Abſentes* dicuntur illi, qui in diverſis Provinciis habitant.

152 Porrò nomine *Provinciæ* impræſentiarum intelligitur locus, qui olim ab eodem Præſide regebatur. Quia vero defacto plures ſunt Civitates, quæ habent ſua propria Regimina, ſive proprium Gubernatorem, qui ſoli Principi, vel Senatui ſubeſt; de ſingulis talibus Territoriis idem nunc eſt dicendum, quod ſuperius dictum eſt de Provinciis: videlicet, *præſentes* eſſe, qui in eodem tali Territorio; *Abſentes* autem, qui in diverſis Territoriis habitant. Gl. *cit. l. cum in longi. V. Id eſt in una provincia*, & Bartolus *ib.* ac ſequuntur alii paſſim.

153 Reſp. II. *Quod ſi quis quibuſdam annis præſens ſit, quibuſdam abſens, adjiciuntur ei ſuper decennium tot anni, quot annis ex decennio fuit abſens.* Ita loquitur *Auth. Quod ſi quis C. de præſcr. longi temp.* Quæ quidem communiter ſic intelligitur, quod unus annus præſentiæ æquivaleat duobus annis abſentiæ; & viciſſim duo anni abſentiæ, faciant unum annum præſentiæ: adeoque, ſi quis per octo annos præſens fuerit, & deinde per duos abſens, alii duo anni ſint ſuperaddendi; ita ut hæc præſcriptio ante annos duodecim non compleatur.

154 Cæterum ab uſucapione triennali excipiuntur res vitioſæ, id eſt, furtivæ, vel vi poſſeſſæ. Tales enim non poſſunt triennio uſucapi: non tantum à fure ipſomet, vel per vim poſſidente (nam his alia ratione uſucapio non competit, quia ſcilicet mala fide poſſident) ſed nec à quocunque alio tertio, quamvis eas bona fide à fure, vel ab aliis emerit, aut quocunque alio titulo acceperit, *text. clar. §. Furtivæ. Inſt. de uſucap.* Ubi proinde meritò ſubjungitur, quod uſucapio in rebus mobilibus non facilè procedat: quia plerumque, qui primus rem alienam vendidit, furtum commiſit; quinimo ſcienter rem alienam vendens, hoc ipſo committit furtum. Verum hoc intellige de uſucapione triennali: nam res hujuſmodi furtivas à bonæ fidei poſſeſſore poſſe præſcribi ſpatio triginta annorum, tenet communis Doctorum; eſtque jam dictum ſuprà *§. 2. n. 27. & ſeqq.* ubi nonnullæ aliæ limitationes declarantur.

155 Reſp. III. Ad præſcribenda bona tam mobilia, quam immobilia privatorum ſine titulo (ſuppoſita tamen bona fide ex parte præſcribentis) requiritur, & ſufficit tempus triginta annorum. Ita communis; & habetur *l. Sicut in rem. C. de præſcript. 30. vel 40. annor.* ubi generaliter dicitur. *Si qua res, vel jus aliquod poſtuletur, vel perſona qualicunque actione vel perſecutione pulſetur, nihilominus erit agenti triginta annorum præſcriptio metuenda.* Concordat textus *c. Sanctorum 3. h. t.* ubi Eccleſia, per quietam, & ſinceram, hoc eſt (ut explicat Gl. *ib.*) bona fide continuatam poſſeſſionem triginta annorum, præſcribit rem & poſſeſſiones privati. Neque in hoc caſu (ſive loquendo de præſcriptione longiſſimi temporis, nempe triginta vel quadraginta annorum) adhibetur diſtinctio inter abſentes, & præſentes; nam neque jus eam adhibet; ubi autem jus non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus, *l. de pretio ff. de Publiciana in rem action.* ubi Summarium, & DD paſſim.

156 Quæritur II. Quanto tempore præſcribantur jura ſervitutum, aut mediante alterius præſcriptione amittantur? Hæc quæſtio procedit ſolummodò de ſervitute reali, ac mixta; nam quod ſervitus merè perſonalis, qua tollitur libertas hominis, nullo unquam tempore præſcribatur, etſi ſervus poſſit præſcribere libertatem contra dominum; patet ex *L. 2. & 3. C. de longi temp. præſcr. quæ pro libertate &c.* eſtque iam dictum ſuprà *§. 2. nu. 29. &* 30. Hoc prænotato

157 Reſp. I. Servitus mixta, ſeu quæ re debetur homini, ut eſt uſufructus, uſus, & habitatio, præſcribitur cum titulo decem annis inter præſentes, & viginti annis inter abſentes: ſed ſine titulo annis triginta. Ita Leſſius *lib. 2 de Juſt. & jur. cap. 6. num. 27.* poſt Gomezium *tr. de ſervitutibus, tom. 2. c. 15.* & alii. Idque patet ex *L. ult. §. fin. C de præſcript. longi temp.* ubi ea, quæ priùs decidebantur obſervanda in præſcriptione rerum immobilium (de quibus *n.* 148. & 155. jam dictum eſt) etiam in ſervitutibus, præſertim mixtis, obſervanda declarantur, illis verbis: *Eodem obſervando, & ſi res non ſoli ſint, ſed incorporales, quæ in jure conſiſtunt, veluti uſusfructus, & cæteræ ſervitutes.* Hæc ibi.

158 Reſp. II. Servitus realis, ſeu quæ à re debetur rei, tam affirmativa, quàm negativa, tam ruſtica quam urbana, continua, vel quaſi continua, cum titulo, & bona fide præſcribitur contra præſentem decem annis, & viginti annis contra abſentem. Ita textus *cit. L. ult. C. de Præſcription. long. tempor.* ac tenet Abbas *c. de quarta, nu. 21. & ſeq. de præſcription.* Gomez *loc. cit num. 27.* Covarruvias *in c. poſſeſſor. p. 2. ab init. n 8.* Leſſius *loc. cit. num. 28.* Layman *lib. 3. Theolog. Moral. ſect. 5. tract. 1. cap. 9. num. 4.* Pirhing. *hoc tit. num* 119. atteſtantes de communi; pluresque alii apud Fachineum *lib. 8. Controv. Jur. cap. 22.* quamvis iſte poſtmodum aliam ſententiam ſequatur.

159 Reſp. III. Loquendo tamen de præſcriptione ſervitutis realis ſine titulo, & quanto tempore jus talis ſervitutis mediante præſcriptione acquiri valeat; eſt diſtinguendum inter ſervitutem continuam, ſeu quaſi continuam, & inter ſervitutem diſcontinuam. Et quidem ſervitus realis continua, vel quaſi continua cum bona fide licèt abſque titulo, interveniente ſcientia adverſarii, contra quem fit præſcriptio, præſcribitur decem annis inter præſentes, & viginti annis inter abſentes. Ita Leſſius *ubi ſuprà num.* 28. Layman *d. n.* 4. poſt Gomezium *cit. cap. 15. n. 27.* & communem aliorum; Idque patet ex *L. 1. & 2. C. de Servitutib. & aqua*, ubi expreſſè dicitur, ſervitutem, quæ habet cauſam continuam, ſciente adverſario, nec reclamante, acquiri longi temporis ſpatio: atqui per longum tempus intelligitur decennium inter præſentes, & viginti annis inter abſentes, *§. 1. Inſt de uſucapion.* Concordat textus *in l. Si quis diuturno, ff. Si ſervitus vendicetur.* Accedit: quia ſi dominus, ſeu is cuius intereſt, ſcit, & permittit tanto tempore rem ſuam alteri ſervire (ut putà, tollerando tignum alterius ſuo parieti immiſſum, vel aquæductum in ſuo fundo factum, aut hujuſmodi) cenſetur hoc jus ſponte alteri concedere: unde non eſt opus alio titulo ex parte præſcribentis, dummodò interveniat bona fides.

160 Quod ſi vero ſervitus ſit diſcontinua, ut iter, via: ſeu jus agendi jumentum, vel ducendi currum per fundum alterius: tunc ea abſque titulo non præſcribitur, niſi tempore immemoriali; prout deſumitur ex *l. Servi-*

tutes, *ff. de Servitutibus* ac notat Leſſius *cit. nu.* 28. & Layman *d. cap.* 9. *num.* 5. allegans communem. Ratio diſparitatis eſt: quia non facilè à domino poteſt adverti poſſeſſio iuris ſervitutis diſcontinuæ ab altero prætenſæ, ut eam poſſit impedire; prout accidit in ſervitute continua, cujus uſus, cum ſit continuus, facilè advertitur.

161 Reſp. IV. Servitutes mixtæ, puta uſus fructus, uſus & habitatio; ſicut & ſervitutes reales, quæ non uſu amitti ſolent, extinguuntur ſpatio decem annorum inter præſentes, & viginti annorum inter abſentes. Textus eſt *in l. ſicut uſusfructum, C. de ſervitutib. & aqua.* Ubi tamen ſciendum eſt conformiter dictis *num.* 109. & 110. quod ſervitutes ruſticæ amittantur per ſolum non uſum alterius: unde non eſt opus, quod dominus prædii aliquid faciat, quod bona fide facto incipiat uſucapere ſuam libertatem. At verò urbanæ ſervitutes non amittuntur ſolo non uſu, ſed opus eſt, ut poſſeſſor loci debentis ſervitutem, aliquid faciat bona fide, quo incipiat uſucapere ſuam libertatem, v.g. tignum eximendo, vel foramen obſtruendo, ac huiuſmodi, *l. Hæc autem jura, ff. de Servitut. urban. præd.* Et tunc tempus decennale, vel vicennale, eſt computandum à tali actu contrario, quo bona fide incipit libertas uſucapi: at vero reſpectu ſervitutum ruſticarum computatur totum tempus, quo ceſſavit uſus ipſarum.

162 Quæritur III. Quantum temporis requiratur ad præſcribendas res immobiles contra Eccleſias, Monaſteria, Hoſpitalia, aliaque Loca Religioſa, & contra donationes ad pias cauſas? Et notanter de his omnibus in ſimul quæſtio proponitur: nam, quantum ad materiam Præſcriptionis attinet, de omnibus pariter diſcurrendum eſt, juxta *Auth. Quas actiones, C. de Sacroſanct. Eccleſ.* juncta *Auth. de Eccleſiaſtic. Titulis, §. pro temporalibus Collat.* 9. Occaſione cuius etiam quæri poteſt de bonis privatis, ſeu patrimonialibus Clericorum.

163 Reſp. I Ad præſcribenda bona immobilia contra Eccleſiam, aliaque pia Loca, & cauſas, requiruntur anni quadraginta: excepta tamen Romana Eccleſia, contra quam & ejus jura currit ſola centenaria præſcriptio: exceptis etiam nonnullis Monaſteriis, atque Ordinibus Religioſis ſpeciali privilegio munitis, ut majori quàm quadraginta annorum præſcriptione gaudeant. Ita communis.

164 Et quidem prima pars habetur expreſſa in pluribus textibus Juris, hoc Titulo paſſim occurrentibus: ut *c. ad aures, 6. & c. Illud autem, 8. & c. Quia indicante, 9. h. t.* ubi clare habetur deciſum, quod contra Eccleſiam, jura Epiſcopalia, decimas, & huiuſmodi, quadraginta annorum ſpacio præſcribatur. Quamvis enim aliqui antiqui Canones (ut *can. per ſingulas, & can. Quicumque, & can. Placuit.*, 16. *q.* 3.) admiſerint præſcriptionem triennalem: illi tamen vel procedunt ex parte Eccleſiæ, quæ præſcribit rem privati per quietam, & bona fide continuatam poſſeſſionem triginta annorum; ut *c. Sanctorum, 3. h. t.* juncta Gl. *in caſu*, & DD. *ib.* vel eiſdem nunc eſt derogatum, *c. c. De quarta, 4. & c. Illud autem, 8. h. t.* ubi ſola quadragenaria præſcriptio adverſus inferiorem Eccleſiam admittitur.

165 Altera pars, ſeu quod ſola centenaria præſcriptio contra Romanam Eccleſiam procedat, clarè habetur *can. ult. cauſ. 16. q. 3. & c. Ad audientiam, 13 & c. cum vobis. h. t. & c. Si qui, eod. in 6.* Concordat prædictis *Auth. Quas actiones, C. de Sacroſanct. Eccl.* ibi: *Quas actiones alias decennalis, alias vicennalis, alias tricennalis præſcriptio excludit; eæ ſi loco religioſo competant, quadraginta annis excluduntur, uſucapione triennii; vel quadriennii præſcriptione in ſuo robore durantibus: ſola Romana Eccleſia gaudente centum annorum ſpatio, vel privilegio.* Hæc ibi.

166 Tertia pars, ſeu quod quædam Monaſteria, & Ordines ſpecialiter ſint privilegiati, uti majori quam quadraginta annorum præſcriptione gaudeant; traditur à Leſſio *lib. 2. de Juſt. & jur. cap. 6. nu. 25.* Engel *h. t. num.* 33. Molina, & aliis. Sic enim Eugenius IV. de plenitudine poteſtatis conceſſit Ordini S. Benedicti, ut res immobiles non niſi annis ſexaginta poſſint contra ipſum præſcribi: & hoc idem conceſſit Julius II. Congregationi S. Salvatoris. Addit Engel, *ubi ſuprà*, poſt Arnoldum Rath *tract. de uſucap. c. 5. aſſert.* 35. Ordinibus Mendicantium, & Ordini Ciſtercienſium primum in Hiſpania, & deinde per communicationem in Superiori Germania, centenariam præſcriptionem à diverſis Pontificibus eſſe conceſſam.

167 Reſp. II. Memorata præſcriptio quadragenaria neutiquam extenditur ad bona privata, & patrimonialia Clericorum; ſed hæc præſcribuntur tempore ordinario, ſicut bona Laicorum. Ita Gloſſa *can. poſſeſſiones, 16. q. 4. ℣. Epiſcoporum*, iſtud probans ex *c. Sanctorum, 3. h. t.* quod intelligit de bonis patrimonialibus Epiſcoporum, vel Clericorum. Covarruvias *lib. 1. var. reſol. cap. 4. num. 3. & 4.* iſtud amplians ad bona patrimonialia Clericorum, ad quorum titulum ſunt ordinati. Abbas *d. c. Sanctorum n.* 6. & Barboſa *ib. n.* 2. allegans communem. Pirhing. *h. t. n.* 95. & alii. Ratio eſt: quia privilegium quadragenariæ præſcriptionis eſt quidem conceſſum Eccleſiis, aliiſque Locis piis; non verò iſtud reperitur conceſſum Clericis, horumque bonis patrimonialibus: imò oppoſitum innuit textus *in c. c. Sanctorum h. t.* juxta intellectum Gloſſæ proximè citatæ.

168 Quæritur IV. Utrum res mobiles Eccleſiarum, aliorumque Locorum piorum, cum titulo & bona fide, triennii poſſeſſione uſucapiantur? Reſp. In huius quæſtionis reſolutione variant Doctores, qui in duas extremas abeunt ſententias, affirmativam videlicet, ac negativam; uti videre eſt apud Abbatem *cap. 1. n. 13. de in integrum reſt.* & alios; atque patebit afferendo utriuſque ſententiæ fundamenta. Et quidem

169 Fundamentum negativæ ſententiæ deſumitur ex *cap. Illud autem, 8. h. t.* Ubi abſque reſtrictione aliqua ad res immobiles generaliter dicitur, *quod adverſus Eccleſias minorem præſcriptionem, quam quadraginta annorum, Romana Eccleſia non admittit*: ergo cum Canon non diſtinguat inter res mobiles, & immobiles, neque nos diſtinguere debemus, ſed in utriuſque ſola quadragenaria præſcriptio admitti debebit. Confirmatur. Quia contra Fiſcum non procedit uſucapio triennalis, *§. Res Fiſci. Inſtit. de uſucap.* ergo à pari idem dicendum de Eccleſia, utpote quæ gaudet privilegio Fiſci, *arg. c. Auditis* juncta Gl. *℣. jure minoris. De in integrum reſt. & L. ult. C. de Sacroſanct. Eccl.* ubi iſta æquiparantur: & notat Menochius *Conſ. 39. num.* 4. & Barboſa *tr. Loca communia argum. juris loc. 49. num. 2. & p. 2. jur. Eccleſiaſt. univ. c. 13. num.* 2. citans Tiraquellum *de privileg. piæ cauſæ privileg.* 143. Martham *de juriſd. part 4. cent. 1. caſu 11. num. 48. & caſ. 20. n.* 22. pluresque alios.

170 Nec obſtat *Auth. Quas actiones. C. de ſacroſ. Eccleſ.* ubi videtur oppoſitum decidi: & quod dicta Authentica ſit inſerta Decreto Gratiani *can. penult. §. Quas actiones 16. qu.* 3. Tum quia Leges Civiles, dum quid diſponunt circa Eccleſias; reſque Eccleſiaſticas, nihil habent roboris, ſed ſunt inefficaces, niſi quatenus ſunt approbatæ ab Eccleſia; ut *c. Eccleſia Sanctæ Mariæ 10 & c. quæ in Eccleſiarum 7. de Conſtitut.* cum ſimilibus. Tum quia *can. penult. §. quas actiones 16. qu.* 3. non eſt alicuius Papæ, qui habet jus condendi leges, ſed ipſius duntaxat Gratiani, qui veluti Doctor privatus ex Jure Civili citatum Paragraphum illuc tranſtulit. Atque idcircò hanc ſententiam tenet Gloſſa *in Auth. de non alienandis &c. §. Sinimus ℣. Nec multum Collat.* 2. Hoſtienſis *in Summa tit. de in integrum reſtit. num.* 4. hancque opinionem Abbas *in c. 1. n. 13. De in integrum reſt.* appellat æquiorem; & quia in favorem Eccleſiæ tendit, eam optimè poſſe teneri aſſerit, eò vel maximè, quod non reperiatur aliquis Canon, qui in rebus Eccleſiæ approbet uſucapionem triennalem. Atque eandem ſententiam ſaltem circa mobilia pretioſa, utpote quæ æquiparantur immobilibus, & ad inſtar immobilium abſque ſolemnitate alienari prohibentur, *Extrav. un. de rebus Eccleſ. non alienand. inter communem* cenſet valdè probabilem Engel *h. t. n.* 28. nam etiam uſucapio eſt quædam alienationis ſpecies, *l. Alienationis ff. de Verb. ſignif.*

171 Affirmativa econtrà ſententia, ſeu quod res mobiles Eccleſiæ (demptis tamen pretioſis) triennali poſſeſſione uſucapiantur, eſt communior Doctorum, & verior de ſubtilitate juris: uti fatetur ipſemet Abbas *cit. nu.* 13. eamque tenet Innocentius *cap. 1. De in integrum reſtitut.* Dynus *in reg. poſſeſſor. num. 18. reg. jur. in 6.* ex profeſſo hanc quæſtionem examinans. Covarruvias *part. 2. in reg. poſſeſſor. §. 2. num.* 5. Leſſius *d. lib. 2. cap. 6. num.* 22. hinc

excl-



excipiens bona Romanæ Eccleſiæ Zoeſius *h. t. num.* 5. Vallenſis *eod. §. 6. num.* 3. Layman *lib. 3. tr. 1. cap. 8. num.* 13 Pirhing. *h. t. nu* 90. Sannig *eod. c. 5. nu* 1. pluresque alii. Fundamentum hujus communioris ſententiæ deſumitur ex *Auth. Quas actiones C. de Sacroſanct. Eccleſ.* ubi Locis Religioſis conceditur privilegium præſcriptionis quadragenariæ, ſed cum addita limitatione, illis verbis: *Uſucapione triennii, & quadriennii præſcriptione in ſuo robore permanſuris.* Eſtque hæc Authentica per Gratianum Juri Canonico inſerta, *can. penult. §. quas actiones 15. qu.* 3. atque ab Eccleſia recepta; uti volunt Layman, Pirhing. Vallenſis, aliique hujus ſententiæ Sectatores. Confirmatur. Quia ſi lex non eſſet, non poſſet Eccleſia uſucapere ſpatio triennii rem mobilem privati; ergo ſi vult accipere legem pro ſe, debet etiam eam admittere contra ſe, ex quo circa hoc non reperitur ſpecialiter privilegiata per Principem.

172 Nec obſtant rationes *num.* 169. in oppoſitum allatæ. Siquidem textus *cap. Illud autem 8. h. t.* commodè intelligitur de præſcriptione rerum immobilium, non vero mobilium: ut ſic jura juribus concordentur. Porro dictum illud, *ubi jus non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus*, non procedit, quando una Lex per aliam diſtinguitur; prout fit in propoſito per *cit. Auth. quas actiones*, cum ſimilibus.

173 Neque urget aſſumpta paritas de Fiſco: nam verum quidem eſt, quod Eccleſia gaudeat omnibus privilegiis Fiſci temporalis, ſed cum limitatione, nimirum (ut inquit Barboſa *cit. lib. 2. Juris Eccleſiaſt univerſ. ca. 13. num.* 2. cum aliis) dummodo ſubſiſtat identitatis ratio, & non reperiatur contrarium in Jure expreſſum; horum quippe ultimum deficit in propoſito, propter textum *cit. auth. quas actiones C. de Sacroſ. Eccl.*

174 Quæritur V. Quo tempore extinguantur actiones, ſive præſcribatur contra eas? Reſp I. Actio hypothecaria, qua creditores pignora, ſive hypothecas perſequuntur, ſeu repetunt à debitore, vel ejus hæredibus: non extinguitur contra creditorem, niſi annis quadraginta. Textus eſt clarus *in l. Cum notiſſimi. C. de præſcr. 30. vel 40. annor.*

175 Dicitur notanter, *à debitore, vel ejus hæredibus*. Nam ſi res pignori, vel hypothecæ ſuppoſita, poſſideatur cum titulo, & bona fide ab aliquo alio, qui nec debitor, nec debitoris hæres eſt (ut ſi fuit cuipiam vendita ignoranti, quod ſit hypothecata) tunc contra eam præſcribitur ſpatio longi temporis: id eſt, decennio inter præſentes, aut viginti annis inter abſentes: ſine titulo autem annis triginta, *cit. l. Cum notiſſimi*, juncta *L. 1. & 2. C Si adverſus creditorem &c.*

176 Reſp. II. Actiones temporales (hoc eſt, decem, viginti, aut plurium annorum) per conteſtationem litis fiunt perpetuæ; id eſt, extenduntur ad annos quadraginta à tempore ceſſationis à lite incohandos, ita ut anteà per præſcriptionem non extinguantur. Ita habetur *L. ult. Cod. de præſcription. 30. vel 40. annor.* Ratio autem, cur longius tempus concedatur poſt litis conteſtationem, quàm ſine ea, ibidem affertur: quia præſcriptiones longi temporis ſunt inſtitutæ partim in favorem poſſidentis, partim in odium negligentis rem ſuam repetere: atqui is, qui penitus ab initio tacuit, non eſt ſimilis alteri litem conteſtanti, atque in judicium venienti, & certamen ſubeunti, licet poſteà forſan impeditus ob quoſdam caſus, litem implere ceſſaverit. Quinimò longè minor eſt negligentia hujus, quam illius: ac proinde tempus præſcriptionis contra ipſum Jure conceditur majus, & perpetuatur, ſive ad quadraginta annos extenditur; haud obſtante, quod anteà ad decem, vel viginti duntaxat annos competiviſſet.

177 Reſp. III. Etſi cæteræ actiones (ſi excipias actiones contra Eccleſiam, aliaque Loca pia ſuper bonis immobilibus, & juribus correſpondentibus præſcribendis, de quibus diſcurrendum eſt conformiter dictis ſuprà *num. 163. & ſeqq.*). Etſi, inquam, cæteræ actiones extinguantur per præſcriptionem annis triginta; non tamen omnes tantum temporis requirunt. Ita communis. Et quidem prima pars habetur expreſſa *in l. Sicut in rem. C. de Præſcript. 30. vel 40. annor.* ubi Summarium breviter ſic habet: *Omnes actiones, quæ minori tempore non tolluntur, triginta annis tolluntur.* Concordat textus *in L. 1. Cod. de Annali exception.*

178 Altera verò pars Concluſionis probatur inductione. Nam imprimis Actio injuriarum expirat lapſu unius anni, *l. Si non convitii C. de Iniuriis*, ibi: *Cum iniuriarum actio annuo tempore præſcripta ſit.*

179 Deinde actio ad accuſandum adulterium, vel alia peccata carnis extinguitur lapſu quinquennii: adeo, ut quis poſteà de tali delicto inquiri, aut judicialiter accuſari, & puniri non poſſit, *l. Mariti ff. ad Leg. Iul. de adulteriis*, & *L. adulter. C. eod.* Excipitur tamen hinc Stuprum per vim illatum, *cit. l. Mariti §. fin. ff. ad Leg. Iul. de adult.* & Adulterium cum inceſtu, *l. Vim paſſa §. præſcriptione ff. eod.* atque Raptus, *l. qui cœtu ff. Ad Leg. Iulian. de vi publica.*

180 His nonnulli addunt crimen nefandum, Sodomiæ videlicet, quod nullo unquam tempore præſcribi, tradit Sebaſtianus Guazzinus *lib. 1. defenſione 2. Inquiſitorum &c. c. 2. num.* 79. Sed quia nullum allegat textum Iuris, neque talem hactenus reperire licuit, quod iſtud cæteroquin graviſſimum, atque in cœlum clamans delictum carnis, à quinquennali præſcriptione peccatorum carnis ſit exceptum, meritò de hac Guazzini ſententia dubitari poteſt: eò præſertim, quod textus, & Gl. *in cit. l. Adulter. ℣. Adulterium Cod. ad Leg. Iul. de adulteriis*, dictum quinquennii terminum ad omnia peccata carnis in Jure non excepta extendat: ſimulque *in pœnalibus cauſis benignius interpretandum ſit*, juxta *l. Factum cuique. ff. de reg. jur. & c. In pœnis eod. in 6.*

181 Porrò aliæ Actiones criminales tolluntur regulariter ſpatio viginti annorum, computando à die commiſſi criminis, *l. querela falſi C. ad Leg. Corn. de Falſis*, ibi: *querela falſi temporalibus præſcriptionibus non excluditur, niſi viginti annorum exceptione, ſicut cetera quoque ferè crimina*, juncta Gl. *ib. ℣. Sicut cetera.* Ubi tamen eadem Gl. ponit nonnullas exceptiones, aſſignando crimina, quæ vel minori tempore tolluntur; vel ſunt perpetua, adeò quod nullo unquam tempore præſcribantur: uti ſunt crimen ſuppoſiti partus, crimen parricidii, & concuſſionis; quibus adde crimen læſæ Majeſtatis, Falſæ monetæ, Hæreſis & nonnulla alia, de quibus alibi.

182 Ulteriùs *Actioni redhibitoriæ*, quæ datur emptori contra venditorem, ut animal morbidum, vel aliam rem vitioſam, quam quis cognito vitio non emiſſet, recipiat, pretiumque ejus reſtituat; tollitur, eidemque præſcribitur contra emptorem ſex menſibus, computandis à die, quo emptor vitium reſcivit, *l. Sciendum, & l. cum ſex ff. de Ædilitio Edicto.*

183 Inſuper *Actio quanti minoris*, quæ datur emptori, qui rem vitioſam, ſi præſciviſſet vitium ejus, emiſſet quidem, ſed minori pretio, ut quanti minoris emiſſet, repetere poſſit, *l. 1. ac ſeq ff. de Ædilitio Edicto*, durat duntaxat per annum. Tacentur aliæ actiones, utpote commodius in propriis locis explicandæ: nam magna eſt diſparitas de actionibus, ac tempore requiſito ad hoc, ut contra ipſas præſcribatur; ita videlicet, quod ampliùs in Foro externo proponi nequeant, ſi contra eas excipiatur, remanente interim obligatione in Foro conſcientiæ reſarciendi pro viribus injuſtam læſionem proximo illatam.

## §. VII

## De poſſeſſione ad Præſcriptionem requiſita, hujuſque dormitione, & interruptione, ac reſtitutione in integrum contra eam.

### *S U M M A R I U M.*

184 *Poſſeſſio legitimè continuata requiritur ad præſcriptionem.*
*Non plus præſcriptum, quam poſſeſſum. Ib.*
185 *Præſcribens decimas, non cenſetur præſcripſiſſe decimas Novalium.*
186 *Etiam in præſcriptione contra ſervitutes, actiones, &c. requiritur aliqua poſſeſſio; & qualis?*
187 *Dicta de poſſeſſione, procedunt etiam de quaſi poſſeſſione.*
188 *Ad præſcriptionem requiritur talis poſſeſſio, ut quis rem*

pro-

*proprio nomine poſſideat.*

189 *Ad eam inchoandam requiritur poſſeſſio naturalis, & civilis ſimul; ad continuandam ſufficit ſola civilis.*

190 *An etiam poſſeſſio civiliſſima ſufficiat ad inchoandam præſcriptionem?*

191 *Præſcriptio, quando dicatur non procedere?*

192 *Vel dormire?*

193 *Præſcriptio in pluribus caſibus dormit. Et n. ſeq.*

194 *Nimirum tempore hoſtilitatis, ſeu belli; & qualiter?*

195 *Tempore peſtis; & quomodo?*

196 *Præſcriptio adverſus Eccleſiam vacantem, ſeu deſtitutam Prælato, dormit.*

*Idemque dicendum, ſi Prælatus ſit lapſus in hæreſin, vel ſit excommunicatus, ſuſpenſus, vel captus ab hoſtibus. Ib.*

197 *Dormit præſcriptio contra Eccleſiam tempore Prælati dilapidantis.*

*Item dormit tempore Schiſmatis contra Romanam Eccleſiam. Ib.*

198 *Dormit præſcriptio contra pupillum durante pupillari ætate.*

199 *Dormit præſcriptio, cum quis de jure agere non poteſt: idque exemplificatur.*

200 *Contra non valentem agere, non currit præſcriptio.*

201 *Et quomodo hæc regula ſit intelligenda?*

202 *Præſcriptionem interrumpi, quid?*

203 *Interruptio præſcriptionis duplex, naturalis & civilis, quæ?*

204 & 205 *Differunt in effectu; & qualiter.*

206 *Quibus modis interrumpatur præſcriptio civiliter? Et num. ſeqq.*

*Præſcriptio alia merè favorabilis, alia odioſa, alia mixta. Ib.*

207 *Uſucapio triennalis non interrumpitur per litis conteſtationem.*

208 *In uſucapione dies ultima incœpta, habetur pro completa: ſecùs in aliis præſcriptionibus.*

209 *Si tamen dominus durante triennio litem conteſtatus, poſteà rem evicerit, debet iſta eidem reddi. Et numer. 207.*

210 *In quo ſenſu uſucapio non interrumpatur per litis conteſtationem. Et n. 209.*

211 *Præſcriptio mixta interrumpitur per litis conteſtationem, præſcriptio odioſa verò per ſolam citationem.*

212 *Et ratio diſparitatis.*

213 *Præſcriptio mixta an interrumpatur per quamcunque litis conteſtationem, vel ulterius requiratur animus proſequendi litem.*

*Refertur ſententia affirmans, requiri talem animum. Ibid.*

214 *Contraria ſententia in praxi haud immeritò tenetur.*

215 *Præſcriptio ulterius interrumpitur civiliter adeundo Judicem, eique libellum offerendo contra abſentem &c.*

216 *Item per ſacrum Oraculum.*

217 *An etiam interrumpatur per denunciationem extra judicium factam?*

218 *Præſcriptio ſemel interrupta poteſt denuò inchoari, non ſolùm interrupta naturaliter.*

219 *Sed etiam interrupta civiliter, & qua ratione?*

220 *Beneficium reſtitutionis in integrum competit Minoribus Eccleſiis &c. adverſus præſcriptionem contra eos completam.*

184 QUæritur I. An, & qualis poſſeſſio ad præſcriptionem requiratur, & ſufficiat? Reſp. I. Certum eſt, requiri poſſeſſionem, quæ ſit tempore à jure conſtituto legitimè continuata. Nam, ut habet *Reg. 3. jur. in 6. Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit*, cum concordantiis. Unde illud vulgatum Juriſtarum: *Non plus præſcriptum, quàm poſſeſſum.* Siquidem præſcriptio fundatur ſuper poſſeſſione: ubi autem fundamentum non eſt, ſuperædificari nequit.

185 Et hac de cauſa, qui præſcripſit Decimas intra fines alienæ Parochiæ, non poteſt vi talis præſcriptionis percipere decimas Novalium poſteà ibidem factorum: quia nempe decimas Novalium, utpoté hactenus non exiſtentium, nunquam poſſedit, *c. cum contingat. 29. de Decimis*, juncto Summario, Gloſſa, *V. Novalium* & DD. *ibid.*

186 Dices. Præſcriptio non ſolùm datur ad acquiſitionem alicujus rei, vel juris; ſed etiam in ordine ad extinguendum jus alterius, vel ad defenſionem contra jus alteri competens; ergo datur aliqua præſcriptio ſine poſſeſſione. Antecedens patet in præſcriptione ſervitutum ruſticarum, actionum, & hujuſmodi; in quibus datur præſcriptio ex ſolo non uſu adverſarii poſt elapſum certum tempus, nulla verò intervenit poſſeſſio. Reſp. neg. conſequ. cum ſua probatione: quia, ut notat Abbas *in cap. Cum non liceat, nu. 16. h. t.* prædicta regula propriè quidem procedit in priori caſu, ſeu ubi præſcriptio datur ad acquiſitionem alicujus rei, vel juris: nihilominus ea etiam in poſterioribus caſibus, putà, ſervitutibus ruſticis, &c. procedit: utpote in quibus præſcriptio habet effectum abnegativum, atque præſcribitur propriè libertas, in cujus poſſeſſione quis fuit.

187 Cæterum ea, quæ hic dicuntur de poſſeſſione, intelligenda etiam ſunt de quaſi poſſeſſione; nam incorporalia propriè non poſſidentur, ſed quaſi poſſideri dicuntur, *c. cum Eccleſia 3. de cauſa poſſeſ.* cum concordantiis à Gl. ib. *V. quaſi poſſeſſionem*, adductis.

188 Reſp. II. Ad præſcriptionem requiritur talis poſſeſſio, ut quis rem proprio nomine poſſideat, non autem alieno. Ita communis; & patet ex dictis ſuprà *num. 37.* Accedit ratio: quia is, qui alterius nomine poſſidet, reverà non eſt poſſeſſor, ſed alter qui per ipſum poſſidet: nam *is poſſidere dicitur, cujus nomine poſſidetur*, prout habetur *cap. cum veniſſent 9. §. fin. de reſt. ſpoliat. & c. Si diligenti. 17. h. t.* Unde Procurator, Conductor, Filiusfamilias &c. nullo unquam tempore contra Dominum directum rem quampiam præſcribunt: quia eam non ſuo, ſed alterius nomine poſſident.

189 Reſp. III. Ad inchoandam præſcriptionem requiritur poſſeſſio naturalis, & civilis ſimul; ad eam tamen continuandam, & complendam, ſufficit ſola civilis poſſeſſio, non autem ſola naturalis. Ita Gloſſa communiter recepta *in c. ſine poſſeſſione V. Sine, de reg. jur. in 6.* Idque deſumitur ex *l. licèt, C. de acquirend. poſſeſ.* ubi dicitur: *Licet poſſeſſio* (& conſequenter præſcriptio) *nudo animo acquiri non poſſit, tamen non ſolo animo retineri poteſt*: juncta Gl. ibidem amplius hoc declarante. Concordant dicta ſuperius *tit. 12. de cauſa poſſeſſionis, §. 1. n. 10. & ſeqq.* ubi etiam declaratur, quid ſit poſſeſſio naturalis, civilis, & naturalis, ac civilis ſimul.

190 Reſp. IV. Num autem poſſeſſio civiliſſima, ſive acquiſita miniſterio legis, ſeu conſuetudinis ſine actuali inſiſtentia rei (de qua jam dictum ſuprà *cit. tit. 12. §. 1. n. 17. & § 4. n. 140. & ſeqq.*) ſufficiat ad inchoandam præſcriptionem, variant DD. Et quidem negativam ſententiam tenet Romanus *Singul. 401.* Felinus *in c. Illud, col. ult. h. t.* & Baldus *tom. 17. Tractatuum tr. de præſcriptionibus, p. 3. principal. circa fin.* Verùm affirmativa ſententia eſt probabilior eamque tenet Gl. *fin. c. contingit. 9. de Dolo & contum.* ubi talis caſus poſſeſſionis civiliſſimæ, ſeu legis miniſterio acquiſitæ, habetur in Actore, cui propter Rei contumaciam adjudicata fuit poſſeſſio (cauſa rei ſervandæ) ſed quia in poſſeſſionem ſibi à Judice decretam, propter rei potentiam, vel dolum non admiſſus fuit, *verus conſtituitur elapſo anno poſſeſſor*; prout loquitur textus ibidem. Atque hanc ſententiam ſequitur Covarr. *cit. nu.* allegans communem Doctorum. Accedit ratio; quia hoc ipſo, quod talis poſſeſſio cenſeatur miniſterio legis vera poſſeſſio, quoad effectum nihil differt à vera naturali, *civilique* poſſeſſione. Nec obſtant dicta *in concl. præc.* Quamvis enim hic non interveniat poſſeſſio naturalis ſecundum veritatem: benè tamen ea intervenit ſecundum fictionem juris, ac miniſterio legis; prout uberiùs liquet ex dictis ſuprà *cit. tit. 12. De cauſa poſſeſſionis, à n. 111. & 112. uſque ad n. 142.* ubi plura de hoc.

191 Quæritur II. Quid ſit, præſcriptionem non procedere, vel dormire; & in quibus caſibus ea dormiat? Reſp. I. *Præſcriptio* tunc dicitur *non procedere*, ſeu non currere, quando ob defectum alicujus conditionis ad ipſam requiſitæ ipſa nec incipit, nec incipere poteſt: ut ſi deſit bona fides, vel poſſeſſio neceſſaria, aut hujuſmodi. Quo modo locum habet *reg. 3. jur. in 6. ſine poſſeſſione præſcriptio non procedit*. Et *reg. 2. eod. in 6. poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit.*

192 Reſp. II. *Dormire* dicitur *præſcriptio*, quando ipſa ſemel inchoata, aliquanto tempore ceſſat currere, atque interim manet ſuſpenſa propter ſuperveniens impedimentum; ita tamen, ut eo ſublato rurſum procedat, & continuetur tempus ſubſequens cum præcedenti ad complendam præſcriptionem, ſolo dormitionis tempore ſubducto. Ita liquet ex *capit. Cum vobis, 14. h. t. & cap. Ex tranſmiſſa, 10.* juncta Gloſſa *fin. eod.* cum communi.



193 Reſp. III. Plures ſunt caſus, in quibus dormit præſcriptio; quos enumerat Gloſſa *in can. Prima actione. 16. q. 3. V. Poſtliminio*, ac Innocentius, & Abbas *cit. c. Ex tranſmiſſa, num. 5. & ſeqq. h. t.* quorum præcipui ſunt ſequentes.

194 Et imprimis præſcriptio dicitur dormire tempore hoſtilitatis, ſeu belli, *c. Ex tranſmiſſa, 10 h. t.* ibi: *Præſcriptione hoſtilitatis tempore non currente.* Concordat textus *in can. prima actione, 16. q. 3.* cum ſimilibus. Quod intellige cum Baldo *tom. 17. Tractatuum, tract. de præſcript. p. 6. principal. p. 2. §. nunc venio n. 3.* Barboſa *c. ex tranſmiſſa, n. 5. h. t.* & alii; ſive una die duraverit hoſtilitas, ſive pluribus annis: ac necdum tempore durantis belli, ſed etiam poſt; quia contra populum hoſtilitate deſtructum non currit præſcriptio, prout etiam cuilibet alteri impedito ea non currit. Baldus *conſ. 358. vol. 1.* Baldus, Barboſa, *ubi ſuprà*, & alii ab hoc citati.

195 Secundo, dormit præſcriptio tempore graſſantis peſtis, ſi jus tunc non dicatur. Ita Bartolus *in l. Naturaliter, ff. de uſucapion.* & Abbas *cit. c. Ex tranſmiſſa, num. 7. h. t.* Baldus *loc. cit. §. nunc venio, num. 5.* Pirhing *h. t. n. 131.* & alii. Ratio eſt: quia bonum eſt argumentum de bello ad peſtem, quæ vocatur *Bellum Divinum*, ſecundum Bartolum, & Baldum, *ubi ſuprà*. Idque meritò dicitur ob paritatem rationis, quamvis hoc in Jure clarè expreſſum non habeatur; cum non omnes caſus ſint expreſſi, *l. non poſſunt, ff. de Legib.* Ac *de ſimilibus idem judicium ſit habendum*, per textum *in cap. 2. de Tranſlation. Epiſcop.* Additur verò, *ſi jus tunc non dicatur*. Quia ſi adhuc jus redditur in loco graſſantis peſtilentiæ, currit præſcriptio; quamvis Actor, qui fuerat abſens propter timorem ipſius poſſit reſtitui in integrum ex clauſula generali. Abbas *cit. num. 7.*

196 Tertiò dormit, ſeu ſuſpenſa manet præſcriptio adverſus Eccleſiam vacantem, ſeu deſtitutam Prælato, aut Rectore ſuo. Textus eſt *in cap. 1. & c. audītis, 15. & c. de quarta 4. h. t.* cum concordantiis; & tradit Barboſa *part. 3. de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat. 132. num. 1.* poſt Rotam *dec. 415. num. 3. part. 2. recent.* & alios paſſim. Idemque dicendum, ſi Prælatus ſit lapſus in hæreſin, aut ſi excommunicatus, vel ſuſpenſus, ſive captus ab hoſtibus: quia tunc Eccleſia cenſetur quaſi vacare, ut loquitur Gloſſa *cit. can. prima actione, 16. q. 3.* atque carere legitimo defenſore; cum talis Prælatus nequeat agere, & jura Eccleſiæ ſuæ defendere. Abbas *cit. cap. Ex tranſmiſſa num. 8 h. t.* Barboſa *d. allegation. 132. num. 3. & 4.* cum communi; atque deſumitur ex *cap. 1. h. t. & cap. Quia diverſitatem 5. de Conceſſ. præbend.* cum ſimilibus.

197 Quartò, dormit præſcriptio contra Eccleſiam tempore Prælati dilapidantis, ſeu bona alienantis, *can. Si Sacerdotes 16. q. 3.* ac notat Gloſſa, & Abbas, & Barboſa *num. 6. ubi ſuprà*. Quintò, adverſus Romanam Eccleſiam tempore Schiſmatis non currit præſcriptio, ſed dormit: ac proinde tempus illud eſt ſubducendum à centenaria præſcriptione, prout habetur *cap. Cum vobis, 14. h. t.*

198 Sextò, dormit præſcriptio contra Pupillum durante ætate pupillari, *l. Sicut in rem, C. de præſcription. 30. vel 40. annor.* ibi: *Sed pupillari ætate duntaxat, quamvis ſub tutoris defenſione conſiſtat, huic eximenda ſanctioni*, cum ſimilibus. Gloſſa *cit. can. Prima actione, 16. quæſt. 3. V. Poſtliminio*.

199 Septimò, dormit præſcriptio, cum quis de jure impeditur agere. Gloſſa *loc. cit.* Abbas *d. cap. tranſmiſſa, num. 9. h. t.* aſſerens, hunc caſum eſſe ſatis generalem. Exemplum hujus eſt in Filiofamilias, qui vivente patre non valet agere, ſicque contra eum non currit præſcriptio; ut *l. un. §. fin. de Annali exception.* Idem dicendum de muliere, vivente ſuo marito, reſpectu rerum dotalium, *l. In rebus, ff. de Jure dotium*; quia non præſcribitur contra mulierem in dote repetenda, niſi ſoluto matrimonio; ut ibidem dicitur, ac notat Gloſſa, *ubi ſuprà*.

200 Tandem generaliter contra non valentem agere, non currit præſcriptio, *arg. cap. 1 h. t.* juncta *L. 1. C. de Annali exception.* eò quòd nulla tunc ex parte ejus interveniat negligentia. *Quis enim incuſare eos poterit, ſi hoc non fecerint, quod etſi maluerint, minime adimplere Lege obviante, valebant*; prout dicitur *cit. L. 1. §. fin. C. de Annali exception.*

201 Cæterùm regulam hanc, *Non valenti agere, non currit præſcriptio*, intelligunt Doctores apud Barboſam *cap. Ex tranſmiſſa num. 4. & 5. h. t.* ac *part. 3. de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 132. num. 16.* quando quis impeditur agere ob impedimentum juris, vel ſaltem ob impedimentum facti alicujus communis, ſive generalis; ac notorii omnibus: prout fit in caſibus allegatis: Secùs, quando intervenit impedimentum facti non generale, nec notorium, prout accidit, ſi quis in exilio detineatur, vel infirmitate impediatur, aut hujuſmodi; tunc enim currit præſcriptio. Quandoque tamen taliter impedito datur reſtitutio in integrum ex clauſula generali, ut in caſibus proximè dictis, aut ſi quis abfuit cauſa Reipublicæ, *l. Senatus, ff. de Offic. Præſidis*. Pirhing *h. t. n. 132.* citans alios.

202 Quæritur III. Quid ſit, Præſcriptionem interrumpi, & quot modis ipſa interrumpatur? Reſp. I. *Præſcriptio* dicitur *interrumpi*, quando ipſa ſemel cœpta, ex aliqua cauſa adeò ceſſat, ut totum tempus præcedens ipſius conquaſſetur; ac proinde, ſi ſublato impedimento poſteà præſcriptio rurſum reviviſcat, tempus poſterius non continuetur cum priori, ſed de novo debeat inchoari. Ita Baldus *ubi ſuprà, §. Expedita ſecunda num. 1.* & communis. Unde eſt magna diſparitas inter dormitionem, & interruptionem præſcriptionis: nam ubi hæc ſolummodò dormit, ſubtrahitur quidem tempus dormitionis, ſed ceſſante poſtmodum dormitione, atque ſublato impedimento ipſius, prius ac poſterius tempus poſſeſſionis bona fide continuatæ conjungitur, atque computatur in unum: ſecùs accidit, ubi præſcriptio interrumpitur.

203 Reſp. II. Duplex eſt interruptio præſcriptionis; una naturalis, altera civilis. Ita Gloſſa communiter recepta *in c. Illud autem V. Interruptio*, & Abbas *ibid. n. 6. h. t.* & communis. Et quidem *Naturaliter interrumpitur præſcriptio*, quando incipit aliquid deficere ex his, quæ neceſſariò ad præſcriptionem requiruntur: ut ſi ſucceſſu temporis ſuperveniat mala fides, ſeu certa notitia rei alienæ; aut ſi quis amittat poſſeſſionem rei tam naturalem, quam civilem ſimul. *Civiliter* autem *interrumpitur præſcriptio*, quando manentibus naturalibus præſcriptionibus interpellatur poſſidens per actum aliquem juridicum, qui ex legum diſpoſitione talem interruptionem inducit: de quo ultimo plura in progreſſu.

204 Reſp. III. Interruptio naturalis, & civilis ipſius præſcriptionis, quantum ad effectum, differunt in duobus. Primò, quia naturalis interruptio ſe habet reſpectu omnium adverſariorum: adeò, ut abſolutè præſcriptionem interrumpat, prōſitque omnibus, & non ſoli interrumpenti. Textus, Summarium, & Doctores *in l. Naturaliter 5. ff. de Uſucapion.* Econtrà civilis interruptio præſcriptionis tantùm ſe habet reſpectu illius, qui litem movit. Gloſſa *can. Placuit §. Poteſt V. Interrupta 16. q. 3.* aſſerens, quod civilis interruptio præſcriptionis ei tantùm proſit, qui ipſam facit, & obſit illi tantùm, contra quem fit; ut *l. Inter quatuor ff. de Diverſ. & temporal. præſcription.* juncta Gloſſa *hic, V. Denunciatione*. Unde ſi Actor litem movens, atque alterius præſcriptionem interrumpens, non fuerit verus dominus rei; atque interim contra verum dominum illius rei tempus legitimum elapſum ſit, contra hunc erit præſcriptio completa; haud obſtante alterius lite. Engel *h. t. circa fin.* iſtud firmans ex *L. 2. C. Quibus res judicata non nocet* ubi res inter alios acta, aliis non patrocinatur, neque nocet.

205 Secundò differunt, quod præſcriptio naturaliter interrupta, ſeu poſſeſſio ad eam requiſita, ſemper debeat de novo inchoari: requiritur enim ad præſcriptionem continuatio poſſeſſionis temporis à lege definiti, *l. Uſucapio, & l. Nunquam in uſucapionibus §. 2. ff. de Uſucapion.*

At vero præſcriptio civiliter interrupta, tunc demum remanet interrupta, ſi ſententia condemnatoria contra poſſeſſorem ſequatur: quod ſi vero poſſeſſor vicerit vel per pactum, aut tranſactionem à lite receſſum fuerit, perinde tunc poſſeſſionis continuatio habetur, ac ſi lis nunquam mota fuiſſet. Covarruvias *p. 2. in c. poſſeſſor. §. 12. nu. 8. ℣. Illud verò* Engel, *ubi ſuprà*, poſt Felinum *c. Illud autem col. 8. h. t.* & alios, quos allegat. Quod ut meliùs intelligatur

206 Quæritur IV. Quibus modis Præſcriptio interrumpatur civiliter? Ubi repetendum ex dictis ſuprà §. 1. n. 15. quod *præſcriptio* alia ſit *merè favorabilis*, ſeu inducta in favorem poſſidentis tantùm: ut eſt præſcriptio triennalis rerum mobilium cum titulo, & bona fide, quam Doctores *Uſucapionem* appellant. Alia *odioſa*, ſeu merè inducta in odium negligentium, nullo attentato favore præſcribentis: ut eſt præſcriptio triginta, vel plurium annorum, procedens ob ſolam negligentiam non repetentium tanto tempore rem ſuam, non obſtante (ſecundum Leges) mala fide poſſeſſoris. Alia tandem dicitur *Præſcriptio mixta*, qualis eſt, quæ cum titulo, ac bona fide procedit contra privatum decem, vel viginti annis; vel ſine titulo, bona tamen fide, annis triginta. Gloſ. *in l. Sicut in rem ℣. per executorem*, & Bartolus *ib. §. quædam præſcrip. 30. vel 40. annor.* Covarruvias *d. p. 2. in c. poſſeſſor §. 12. num. 4.* & alii: Atque hæc diſtinctio impræſentiarum eſt benè notanda: cum enim in Iudicio plures ſoleant actus intervenire, ut putà, citatio, litis conteſtatio, ac huiuſmodi: ſufficit quidem unus talis actus ad interrumpendam unam præſcriptionem, non tamen ad aliam. Unde

207 Reſp. I. Uſucapio triennalis bona fide, & cum titulo inchoata, non interrumpitur per litis conteſtationem, imo procedit, ac perficitur etiam durante lite: ita tamen ut ſi dominus durante triennio litem conteſtatus, poſteà rem evicerit, ſeu probaverit eſſe ſuam, res illa domino reſtitui debeat, non obſtante uſucapione. Ita textus *in L. 2. §. fin. ff. pro Emptore* & Bartolus *ib.* aſſerens, quod uſucapio triennii non interrumpitur litis conteſtatione, niſi in effectu. Concordat textus *in l. Si poſt acceptum ff. de re vendicat.* ac notat Abbas *c. Illud autem num. 11. h. t.* Covarruvias *cit. num. 4. Concl. 1.* Pirhing *h. t. num. 134.* & alii. Accedit ratio: quia uſucapio eſt præſcriptio merè favorabilis, ſeu inducta in favorem poſſidentis tantùm: unde noluerunt Iura, interrumpi per litis conteſtationem, cum ſufficere poſſit domino rem ſuam repetenti, ſi pronuncietur rem eſſe ſuam.

208 Idem probatur à ſimili: quia in uſucapione, utpote inducta in favorem poſſidentis tantum, dies ultima cæpta habetur pro completa, ut *l. in uſucapione ff. de Divers. & temporal. præſcrip. & l. 6. ac 7 ff. de uſucap.* Quamvis ſecùs ſit dicendum in cæteris præſcriptionibus, ut *l. In omnibus ff. de actionib. & oblig.* nam cæteræ præſcriptiones non ſunt inductæ ob merum favorem poſſidentis.

209 Dices. Si lite durante adhuc procedit uſucapio: ergo uſucapione completa non debet amplius res evicta per ſententiam domino ſuo reſtitui: cum dominus eſſe deſierit, ac poſſeſſor eam uſuceperit. Hanc inſtantiam movet Gloſſa *leg. Si poſt acceptum. ℣. Tradere*, & Bartolus *ib. ff. de rei vendic.* & plures affert ſolutiones. Cæteris tamen dimiſſis, reſpondetur neg. ſequel. cum ſua probatione: quia licèt uſucapione poſt litis conteſtationem per bonæ fidei poſſeſſorem completa, dominus rei non amplius habeat actionem directam ad eam recuperandam: habet tamen actionem utilem, quæ eidem ex æquitate competit. Unde Summarium *in cit. l. ſi poſt acceptum*, notanter ſic inquit: *Si pendente judicio jus Actoris perimitur abſque facto ſuo, ex facto Rei, pervenitur ad condemnationem, ac ſi peremptum non eſſet.* Et hinc per litis conteſtationem uſucapio non interrumpitur ipſo jure ſed ex effectu benè. Bartolus *loc. cit. in fin.* Abbas *d. n. 11.* & alii.

210 Accedit, quod uſucapio per litis conteſtationem etiam in tantum non interrumpatur, ſed procedat poſt litem conteſtatam, ut ſi Actor quacunque de cauſa litem non proſequatur, uſucapio non debeat de novo inchoari; imo ad eam complendam etiam tempus litis poſſit computari. Secus enim foret dicendum, ſi reverà per litis conteſtationem uſucapio triennalis interrumperetur: uti patet in aliis præſcriptionibus, quæ ſi ſemel cæptæ interrumpantur, ſunt de novo inchoandæ.

Reſp. II. Præſcriptio mixta, id eſt, decem vel viginti annorum, cum titulo, & bona fide (aut triginta annorum cum bona fide, licèt ſine titulo) interrumpitur per litis conteſtationem, coram Judice tamen competenti factam; non verò per ſolam citationem, juxta textum *in l. Motæ litis C. de Rei vendicat.* juncta *leg. Si paternus. C. Ne de ſtatu defunctorum &c.* Præſcriptio autem merè odioſa, ſeu quæ mala fide olim procedebat ob ſegnitiem, ac negligentiam non repetentis rem ſuam tempore longiſſimo, interrumpitur etiam per ſolam citationem, *l. Cum notiſſimi C. de præſcript. 30. vel 40. annor.* Ita Gloſſa *l. Sicut in rem ℣. Per executorem*, & Bartolus *ibid. Cod. eod.* Abbas *cap. Illud autem, num. 11. h. t.* Covarruvias *cit. part. 2. §. 12. num 4.* Pirhing. *h. t. n. 134.* Gailus *lib. 1. practic. Obſerv. 84. n. 20. & ſeqq.* & alii. 211

Ratio poſterioris partis eſt: quia per citationem, ad petitionem Actoris anteà negligentis factam, jam ceſſat eius negligentia: unde meritò, per talem citationem cenſetur interrumpi ejuſmodi præſcriptio odioſa; prout jam dictum ſuprà *Tit. 3. de Libelli oblatione §. 3. num. 109.* Ratio verò prioris partis eſt: quia præſcriptio mixta currit tam favore poſſidentis, quam odio negligentis; hinc in ea Legiſlatores elegerunt mediam viam, ut non interrumpatur per ſolam executoris miſſionem, ſeu citationem authoritate Iudicis factam, ut præſcriptio odioſa: benè tamen per litis conteſtationem; licèt ſecùs ſit in uſucapione triennali, veluti præſcriptione merè favorabili, per Iura proximè allegata. 212

Num autem præſcriptio (mixta videlicet) interrumpatur per quamcunque litis conteſtationem, vel ulteriùs requiratur animus proſequendi litem, ſive cauſam decidendi ad finem: variant Doctores. Et quidem requiri talem animum proſequendi litem (de quo ex circunſtantiis, juxta prudens iudicis arbitrium, conſtare debet) adeò, ut ad interrumptionem præſcriptionis requiratur, quod quis eo animo litem conteſtetur, ut ducat cauſam ad finem, niſi impediatur propter fortuitos caſus: aliàs verò eiuſmodi conteſtatio litis non proſit ad interruptionem præſcriptionis: tenet Gl. *in can. Placuit §. poteſt ℣. Interrupta, 16. q. 3.* ubi Gl. *margin.* citat plures alios Authores pro hac ſententia Abbas *c. illud autem, n. 13. h. t.* Leſſius *lib. 2. de Iuſt. & jur. c. 6. n. 49.* Pirhing. *h. t. n. 134.* Eandemque ſententiam egometipſe ſecutus ſum *tract. 7. Theolog. Moral. Diſt. 6. num. 30.* quæ etiam probatur, argumento à ſenſu contrario deſumpto, ex *L. ult. C. de præſcript. 30. vel 40. annor.* ubi ejuſmodi interruptio præſcriptionis admittitur duntaxat in caſu, quando Actor *in judicium venit, & ſubivit certamen, litem autem implere per quoſdam caſus præpeditus eſt.* 213

Oppoſitam nihilominùs ſententiam tenet Gloſſa in *L. ult. ℣. Humanæ, C. eod.* aſſerens, quod prior ſententia fuerit Alderici, ſed *alii omnes Doctores contrarium dicerent.* Eandemque Gloſſam, poſt plura in favorem prioris ſententiæ dicta, commendat Iaſon *l. Ex hoc edicto, num. 11. ff. de eo, per quem factum erit.* Covarruvias *cit. p. 12. num. 4. Concluſ. 2. in fin.* aſſerens, hanc Gloſſam ſequi Doctores communiter, ipſamque apparere veriorem. Atque iſtud allegaſſe ſufficiat: nam textum Iuris, ſpecialiter iſtud determinantem, videre non licuit; licet in praxi, ob difficultatem probandi animum contrarium, atque periculum prologandi lites, haud immeritò hæc poſterior ſententia propter authoritatem tantorum Doctorum obſervari valeat. 214

Reſp. III. Præſcriptio ulteriùs interrumpitur civiliter, quando non valens litem conteſtari Iudicem adit, eique libellum offert contra abſentem, ſeu contra eum, qui aliqua de cauſa conveniri nequit (putà, quia eſt furioſus, aut impubes Tutorem non habens, vel in magna poteſtate conſtitutus) atque in memorato libello querimoniam de re ſua per alterum poſſeſſa, intra tempora à Iure ſtatuta deducit: hoc enim ſufficit ad pleniſſimam interruptionem præſcriptionis ab altero inchoatæ, Textus eſt *in laut perfectius, C. de Annali except. & l. nemo ambigit, C. de Acquirend. & amittend. poſſeſ.* 215

Reſp. IV. Rurſus interrumpitur civiliter præſcriptio per ſacrum Oraculum: hoc eſt, per petitorium, ſeu reſcriptum Principi porrectum, quando per executorem ſeu nuncium poſteà ſubſecuta eſt citatio *l. ſicut in rem, C. de præſc. 30. vel 40. an.* Gl. *fin. c. Illud autem*, & Abbas *ib. n. 13. h. t.* 216



217 Per ſolam vero denunciationem extra judicium factam regulariter non interrumpitur præſcriptio: nam denunciationes extrajudiciales non conſtituunt poſſeſſorem in mala fide poſt præſcriptionem iam inchoatam juxta textum *l. penult ff. pro emptore*, Abbas *c. nihil prodeſt, num. 9. h. t.* Bartolus *in l. Naturaliter, ff. de uſucap.* & alii. Secùs, ſi à principio facta fuiſſet denunciatio; putà, a domino denunciante, ne quis rem emat, cum non ſit diſtrahentis: quia talis denunciatio conſtituit emptorem malæ fidei poſſeſſorem, *l. Si fundum C. de rei vendic.* Abbas *cit. n. 9.* & alii. Idem dicendum de præſcriptione, quæ procedit cum mala fide; hoc eſt, à debitore conſcio, quod debeat alteri ſervitutem, vel quid aliud, ſi exigatur conformiter dictis *n. 107. & ſeqq.* Talis enim præſcriptio interrumpitur per ſolam citationem, vel denunciationem, utpote per quam virtualiter exigit dominus ſuum debitum: *L. Sicut in rem, & Leg. Cum notiſſimi, §. 1. & §. Imò & illud, C. de præſcription. 30. vel 40. annor.* Pirhing. *h. t. n. 134.*

218 Quæritur V. Utrum præſcriptio ſemel interrupta, poſſit denuò inchoari? Reſp. I. Certum eſt, quod præſcriptio naturaliter interrupta, puta, per amiſſionem poſſeſſionis rei præſcribendæ, poſſit ceſſante impedimento, v. g. recuperata poſſeſſione, à bonæ fidei poſſeſſore denuò inchoari; dummodo nova, ſeu à tempore ceſſantis interruptionis computanda præſcriptio inſtituatur. Ita Covarruvias *part. 2. in cap. poſſeſ. §. 12. num. 6.* aſſerens, hoc eſſe conſtitutiſſimum: quamvis de interruptione civili major ſit difficultas.

Reſp. II. Etiam præſcriptio civiliter interrupta, poteſt denuo cum bona fide, & concurrentibus cæteris requiſitis inchoari: quamvis, ſi lis fuerit conteſtata, requiratur tempus quadraginta annorum ad præſcribendam etiam actionem, utpote quæ per litis conteſtationem fuerat perpetuata; juxta *L. ult. C. de præſcription. 30. vel 40 annor.* eſtque jam dictum ſuprà *nu. 176* Ita Abbas *c. Illud autem, n. 18. h. t.* aſſerens, quod tempus novæ præſcriptionis ſit inchoandum non à die factæ conteſtationis litis; ſed à die, qua partes ceſſarunt litigare, putà, poſt peremptam inſtantiam. Covarruvias *cit. §. 12. n. 7.* Pirhing *h. t. n. 135.* citans alios; atque hinc inferens, quod ſi intra dictos quadraginta annos ipſemet Actor, vel hæredes ipſius actionem iterùm intentent, & in judicio vincant, res debeat eis reſtitui; haud obſtante, quod intereà temporis jam fuiſſet præſcripta. Siquidem actio per litis conteſtationem jam fuerat perpetuata. 219

Quæritur VI. An Minoribus, Eccleſiis, & hujuſmodi, competat beneficium reſtitutionis in integrum adverſus præſcriptionem contra eos jam completam? Reſp. Affirmativè; idque intra quadriennium continuum, poſtquam præſcriptio adverſus Eccleſiam, vel Minorem viginti quinque annis, fuit completa. Textus eſt in *L. un. C. Si adverſus uſucapionem*, juncta *L. ult. Cod. de Temporib. in integrum reſtit.* ac fusè tradit Covarruvias *p. 3. in c. poſſeſ. §. 3. num. 1. & ſeq.* Layman *lib. 3. Theolog. Moral. Tract. 1. cap. 8. num. 20.* Pirhing. *h. t. num. 138.* & alii. Videantur, hucque applicentur dicta ſuperiùs *Lib. 1. tit. 41. De in integrum reſt.* per totum. 220

---

# TITULUS XXVII.

## De Sententia, & re judicata.

*1 Ratio continuationis Rubricarum.*

1 QUia allegatis utrinque probationibus, quibus vel Actor ſuam intentionem fundare, vel reus eandem propulſare atque elidere conatur, per Iudicem ſuper negotio principali ferenda eſt ſententia diffinitiva: merito Compilator Iuris Canonici poſt expeditum tractatum Proceſſus judiciarii, pergit nunc ad ſententiam, utpote per quam finis litibus imponitur. Pro cuius meliori declaratione ſit

### §. I.

### De Sententia ut ſic, ejuſque diviſione in diffinitivam & interlocutoriam, harumque differentiis.

*S U M M A R I U M.*

2 *Cur Rubrica præſentis Tituli inſcribatur,* De Sententia & Re judicata?
*Sententia, & res judicata, ſunt valdè affinia. Ib.*
3 *Datur tamen inter eas aliqua differentia; & quæ? Et num. ſeqq.*
4 Sententia *eſt res judicans: materia vero, ſuper qua fertur, eſt* Res judicata.
*Et differunt ſicut decidens, & deciſum. Ib. n. ſeqq.*
5 *Sententia poteſt ſumi dupliciter: & in quo ſenſu dicatur tranſire in rem judicatam?*
*Sententia ante lapſum decendii dicitur res judicata largè ſolùm, & impropriè, poſteà verò propriè, ac irrevocabiliter. Ib. & n. 2.*
6 Sententia *dicitur* à ſentiendo; *ſicque plura ſignificat.*
7 *Sententia quantum ad propoſitum, dividitur in diffinitivam, & Interlocutoriam.*
*Interlocutoria tamen non eſt propriè ſententia; & cur? Ibid.*
8 *In dubio nomine* Sententiæ *intelligitur diffinitiva, non interlocutoria &c.*
9 *Sententia diffinitiva, quid? Et n. ſeqq.*
10 *Sententia Arbitri, non eſt propriè ſententia; neque in materia reſtringibili venit nomine ſententiæ.*
*Arbiter non habet juriſdictionem, ſed ſolam notionem. Ib.*
11 *Sententia diffinitiva differt à ſententia abſolutoria ab obſervatione judicii; & quomodo?*
12 *Sententia interlocutoria, quæ?*
13 *Quilibet juſſus Judicis, faciens ad cauſam, an ſit ſententia interlocutoria? Et n. ſeq.*
14 *Sententia interlocutoria dicitur ab* inter & loqui.
*Quod à Judice præcipitur ante principium, vel poſt finem cauſæ, dicitur* Sententia quaſi interlocutoria.
15 *Iſtud eſt notandum propter Statuta loquentia de ſententiis interlocutoriis.*
*In Statutis verba debent propriè, & ſtrictè intelligi. Ibid.*
16 *Sententia interlocutoria ſubdividitur in merè interlocutoriam; & in eam, quæ habet vim diffinitivæ.*
17 *Sententia interlocutoria habens vim diffinitivæ, quæ?*
*Appellatur etiam mixta; ſeu quaſi media. Ib.*
18 *Unde cognoſci poſſit, ſententiam interlocutoriam habere vim diffinitivæ? Et n. ſeqq.*
*Talis eſt ea, poſt quam non ſperatur alia ferenda ſententia in eadem inſtantia. Ib.*
19 *Item, per quam diffinitur unus articulus cauſæ principalis.*
20 *Aut, per quam expirat officium Judicis.*
21 *Vel, qua quis pronunciat ſe eſſe Judicem competentem.*
22 *Sive per quam admittitur, vel rejicitur exceptio peremptoria.*
23 *Et quæ continet aliquid dari, vel fieri à parte.*
24 & 25 *Sententia interlocutoria habens vim diffinitivæ, an debeat regulari ſecundum naturam diffinitivæ?*
26 *Differentiæ inter ſententiam diffinitivam, & interlocutoriam, ſunt plures; commodè tamen reducuntur ad tres principales.*
27 *Differunt enim reſpectu rei controverſæ; & quomodo?*

28 *Differunt quoad ordinem judiciarium multipliciter.*
29 & 30 *Idque declaratur inductione.*
31 *Differunt variè quoad effectus. Et nu. ſeqq.*
32 *Condemnatus de crimine per ſententiam diffinitivam efficitur infamis: ſecùs de interlocutoria.*
33 *Sententia diffinitiva ſemel validè prolata à Iudice revocari nequit: benè tamen interlocutoria.*
34 *Et quæ ratio diſparitatis?*
*Judex, poſteaquam ſemel dixit ſententiam diffinitivam judex eſſe deſinit. Ib.*
35 *Iſtud intelligendum eſt non ſolùm de Delegato, ſed etiam de Ordinario; & quomodo?*
36 *Judex ordinarius nequit revocare ſententiam, quæ extitit valida, licet forſan ſit iniqua: poteſt tamen revocare ſententiam ſuam, quæ ipſo jure eſt invalida.*
*Idem dicendum de Delegato ad univerſitatem cauſarum. Ibid.*
37 *Sed Delegatus ad cauſam particularem, nequit revocare ſententiam diffinitivam, etiam invalidam: & quæ ratio diſparitatis?*
38 *A ſententia diffinitiva poteſt regulariter appellari, non ab interlocutoria.*

1 QUæritur I. Cur Rubrica præſentis Tituli inſcribatur, *De Sententia & re judicata*; & an differant? Reſp I. Rubrica Tituli hujus meritò inſcribitur non ſolum *de Sententia*, ſed *de ſententia, & re judicata* ſimul, eò quod iſta duo ſint valdè affinia. Nam ſententia lata; ſi non appelletur ab ea, ſumit nomen *rei judicatæ*: ut notat Gl. *ad rubr. h.t.* & Jo: Andreas, & Abbas *n. 1. ib.* Concordat textus *in c. cum dilectus, 32. §. fin. de elect. & c. cum inter, 13. h.t.* ubi expreſſe dicitur, quod *ſententia in rem tranſeat judicatam, cum intra decendium non fuerit legitima provocatione* (ſeu appellatione) *ſuſpenſa*. Sive, quod *poſt decem dierum ſpatium, ſententia in authoritatem rei tranſeat judicatæ*; ut loquitur Pontifex *c. quod ad conſultationem, 15. h.t.*

3 Reſp. II. Datur nihilominus aliqua differentia inter ſententiam, & rem judicatam. Ita Abbas *ad Rubr. hoc t. n. 1.* Iaſon *in l. res judicata, num. 1. ff. de re judic.* & alii. Idque deſumitur tum ex copula *Et*, quæ habetur in Rubrica præſentis Tituli, & ponitur inter diverſa, Tum etiam ex eo, quia in Jure Civili extat diſtinctus Titulus *de re judicata* inſcriptus, & alius *de ſententiis &c.*

4 Accedit ratio: quia propriè & ſtrictè loquendo, *Sententia* eſt res judicans; materia verò ſeu quæſtio illa, ſuper qua fertur, ſeu quæ judicatur, eſt *res judicata*: ſive, quod idem eſt, *res judicata* dicitur illa, quæ accipit finem controverſiarum ex ſententia Judicis; ac proinde ſe habet per modum patientis: *Sententia* vero eſt ipſamet pronunciatio, ſive deciſio judicis cauſam terminans, & finem litibus imponens, ſicque ſeſe habet per modum agentis. Unde apparet, quod differant ſicut decidens, & deciſum, eo quod res judicata ſit ipſa lis ſeu cauſa deciſa, atque terminata; prout notat Jaſon *in l. res judicata, n. 1. ff. de re judic.* Vallenſis *h.t. §. 1. n. 2.* & alii.

5 Dices. Si ſententia eſt res judicans, ſeu ſe habens per modum agentis, ergo non poteſt tranſire in rem judicatam; utpote cui correlativè opponitur; veluti actio & paſſio. Reſp. cum Abbate *ad rubr. h.t nu. 1. & 2.* quod ſententia poſſit dupliciter ſumi. Primò, pro ipſa actione Judicis ſententiantis, ſeu ſententiam proferentis: quo modo ſententia non tranſit in rem judicatam, ob rationem allatam. Secundò, pro objecto ipſius, ſeu pro cauſa patiente. Et in hoc poſteriori ſenſu ſententia ante lapſum decendii dicitur *res judicata* largè duntaxat, & impropriè: poſt elapſum verò ſpatium decem dierum; ſi non fuerit appellatum, vocatur *res judicata* propriè, ac irrevocabiliter; ſicque dicitur *ſententia tranſire in authoritatem rei judicatæ*, juxta illatum textum *c. quod ad conſultationem, 15. h.t.* Atque in hoc ſenſu eſt intelligendum illud, quod *L. 1. ff. de re judic.*, habetur in hæc verba: *Res judicata dicitur, quæ finem controverſiarum pronunciatione judicis accepit; quod vel condemnatione, vel abſolutione contingit.* Concordant dicenda inferius *§. 4. n. 105. & ſeq.* ubi ex profeſſo agetur de re judicata.

6 Quæritur II. Quid, & quotuplex ſit Sententia? Reſp. I. Generatim loquendo, *ſententia* dicitur *à ſentiendo*. Atque in hac tam generali acceptione plura ſub ſe continet, variaſque habet acceptiones. Quandoque enim ſententia poteſt dici cujuslibet energicæ orationis ſignificatio; ut ibi: *Sententiæ Patrum*. Quandoque ponitur per opinione Magiſtratuum: qui in hoc ſenſu dicuntur *ſententiatores*: Quandoque appellatur ſententia, quidquid alicui de re quapiam placet, juxta illud vulgatum: *quot capita, tot ſententiæ*. Quandoque etiam excommunicatio, ſuſpenſio &c. dicuntur ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis &c. Verum in propoſito *ſententia* ſumitur pro oratione, per quam Iudex, quid ſuper cauſa controverſa ſentiat, legitimè pronunciat.

Reſp. II. Sententia taliter accepta, ſeu quantum ad 7
propoſitum, dividitur in ſententiam diffinitivam, & interlocutoriam. Ita communis. Quamquam Gloſſa *fin. & marginal. l. quod juſſit, ff. de re judic.* juncto textu *ibid.* Alexander *Conſ. 50. num. 2. lib. 2.* Jaſon *cit. l. quod juſſit, n. 16. ff. de re judic.* & alii notent, quod appellatione *ſententiæ* ſimpliciter facta, intelligatur diffinitiva: quia interlocutoria non eſt propriè ſententia; eò quod non definiat negotium principale, neque finem controverſiæ imponat per abſolutionem, vel condemnationem: haud obſtante, quod largè & impropriè appellatione ſententiæ etiam veniat interlocutoria.

Infertur proinde, quod in dubio Statutum, vel alia diſ- 8
poſitio, loquens de ſententia, intelligi debeat ſolummodò de ſententia diffinitiva, non de interlocutoria, ubi aliud non apparet. Abbas *c. ſuper eo, 12. num. 6. de appellat.* Maranta *p. 6. Speculi Aurei, t. de ſententia n. 5.* poſt Felinum *ad rubr. h.t. col. 5.* & alios; iſtud tamen limitans, niſi eſſemus in materia indifferenti, aut in tali, in qua ſumendo ſententiam etiam pro interlocutoria, non conſurgit aliqua abſurditas, *arg. c. cauſam 16. de offic. deleg.* Ubi dum ſimpliciter dicitur, quod *ſi cauſa duobus committitur ſententia unius non tenet*; id eſſe intelligendum de ſententia non ſolum diffinitiva, ſed etiam interlocutoria, tradit Abbas *ib. n. 3.* iſtud ulterius probans ex *Clem. 1.* juncta Gloſſa *V. Sententiar h.t.*

Reſp. III. *Sententia diffinitiva* eſt diffinitio judicialis, 9
controverſiæ finem imponens, ex pronunciatione Iudicis damnationem vel abſolutionem continens. Ita definitur ex *l. 1. ff. de re judic.* & tenet Gl. *in caſu Clem. un. de Dolo & contum.* Anton. Nebriſſenſis *in Vocabulario Juris V. Sententia*, eſtque in re communis: quamvis nonnulli addant ly, *indubitata*; alii vero poſt Gl. *in Clem. un. V. diffinitiva de ſequeſt. poſſeſ.* nonnulla verba omittant, dicendo, quod diffinitiva eſt, quæ principalem quæſtionem diffinit: ſive, ut Abbas *ad rubr. h.t. num. 4.* loquitur, *Sententia diffinitiva* eſt, quæ imponit finem toti cauſæ in judicium deductæ.

Dicitur primò; *Diffinitio*; hoc eſt, enunciatio, ſeu de- 10
ciſio: quæ particula ſtat loco generis, cæteræ verò tenent locum differentiæ. Et additur, *judicialis*; ad excludendam ſententiam Arbitri, vel Arbitratoris: quia ſententia Arbitri, ſeu Arbitratoris non eſt propriè, & per omnia ſententia, cum is non habeat juriſdictionem: ſed ſolùm notionem, *l. Ait prætor. ff. de re judic.* Unde quod ſententia Arbitri non ſit propriè ſententia, neque in materia reſtringibili veniat appellatione ſententiæ, pluribus oſtendit Iaſon *l. 1. n. 3. ff. eod.* ac notat Abbas *c. 1. n. 2. de Arbitris*. Quinimò ſententia Arbitri, proprio nomine appellatur *Laudum*: quamvis largè ac impropriè, non ſimpliciter, ſed cum quadam adjectione; poſſit dici *ſententia arbitri*; prout fit *c. 1. de Arbitris*, & *l. qualem autem ff. de receptis arbitris*, cum ſimilibus.

Dicitur ulterius, *controverſiæ finem imponens*. Per quod 11
ſententia diffinitiva differt à ſententia abſolutoria ab obſervatione iudicii: nam per eam controverſiæ finis imponitur; econtra vero per ſententiam abſolutoriam ab obſervatione iudicii non terminatur controverſia principalis, ſed reus liberatur tantum ab obſervatione judicii, ſeu factæ inſtantiæ. Quod quidem fieri ſolet vel propter libellum Actoris ineptum, ut *cap. examinata 15. de Judiciis*: vel propter defectum, ſive contumaciam Actoris, juxta dicta *Tit. 14. de dolo & contumacia §. 3. nu. 98. & 99.* aut ob aliam hujuſmodi cauſam. Inſuper per hanc particulam ſententia diffinitiva differt ab interlocutoria, de qua mox plura. Per alias vero particulas partim indicatur modus ferendi ſententiam diffinitivam, partim innuitur, quod ea ſubdividatur in abſolutoriam, & con-



demnatoriam, quarum prior fit abſolvendo, altera vero condemnando reum.

12 Reſp. IV. *Sententia interlocutoria* econtra dicitur illa, quæ fertur inter principium & finem cauſæ ſuper aliquo incidenti, vel emergenti. Ita Gloſſa *Clem. 1. V. Diffinitiva, de Sequeſtrat. poſſeſ.* quæ quotidie allegatur, ut inquit Jaſon *ad rubr. ff. de re judicat. numer. 3.* Abbas *ad rubr. h. t. num. 6. & 7.* Speculator *tit. de Sententia §. Species num. 1.* Maranta *part. 6. Speculi Aurei tit. de Sententia, num. 3.* & alii.

13 Fatendum tamen, quod nonnulli datam definitionem, veluti nimium reſtringentem, rejiciant ex eo: quia (inquiunt) quilibet juſſus Judicis, faciens ad cauſam, eſt interlocutoria ſententia: Felinus *ad rubr. h.t n. 2. V. Circa diffinitionem.* Franciſcus de Acceptantibus *to 5. Tractatuum tr. de Sentent. diffinit. & interl. n. 7. & 8 & 17.* iſtud inter alia probans ex *l. quod juſſit ff. de re judic* & quidam alii. Atque horum ſententiæ favet Gloſſa *can. & qui appellat. 11. q. 6. §. Et V. Diffinitiva*, aſſerens, quod diffinitiva ſententia ſit ea, quæ finem imponit negotio: alia omnis ſit interlocutoria. Favet etiam textus *in l. A divo Pio §. In venditione, ff. de re judic.* ubi etiam poſt ſententiam *Judices interloqui* dicuntur. Accedit, quod vix negari poſſit, quin præceptum, ſeu citatio à Judice emanata ante litem conteſtatam, ſit ſententia ejus interlocutoria; ergo

14 Verum reſpondet Jaſon *ad rubr. ff. de re judicata num. 3.* citans Geminianum *in cap. 1. de appellat. in 6.* Goffredum, & alios, iſta dici impropriè. Siquidem ſententia interlocutoria dicitur ab *inter*, & *loqui*: atque idem eſt, ac locutio Judicis inter principium cauſæ, quæ eſt citatio & finem, quæ eſt ſententia. Igitur omnis juſſus, & omne præceptum Judicis, quod fit, inter principium & finem cauſæ, eſt propriè ſententia interlocutoria; illud verò, quod fit ante principium, ut puta. citatio, ſeu præceptum Judicis de comparendo, ante inchoatum judicium facta: vel quod poſt finem cauſæ fit, non eſt *propriè ſententia interlocutoria*, ſed dicitur *quaſi interlocutoria*, prout loquitur Gloſſa *in Auth. de Hæredib. & Falcid. §. Si quis autem non implens verſ. decreto, Collat. 1.* Abbas *ad rubric. h.t. num. 6 & 7.* Jaſon *loc. cit.* & Vallenſis *h. t. §. 1. n. 6.* cum aliis.

15 Atque iſtud bene notandum eſt (ſubdit Jaſon *ib. n. 4.*) propter ſtatuta loquentia de ſententiis interlocutoriis: putà, quod à ſententiis interlocutoriis non poſſit appellari. Quia enim in Statutis verba debent propriè & ſtrictè intelligi, *L. 1. §. Si is qui navem, verſ. In re igitur dubia, ff. de Exercitator. action. & l. quod conſtitutum, ff de Militar. teſtament.* & late Bartolus *in l. Non dubium; C. de Legib.* hinc talia Statuta intelligenda ſunt de interlocutoriis veris & propriis, quæ feruntur inter principium & finem cauſæ ſecùs, ſi ante vel poſt.

16 Reſp V. Sententia interlocutoria ſubdividitur in merè interlocutoriam; & in eam, quæ habet vim ſententiæ diffinitivæ. Ita communis. Et quidem *ſententia merè interlocutoria* ſolet eſſe, quæ fertur ſuper dilationibus dandis, teſtibus producendis, examinandis, aut repellendis; vel quâ imponitur alterutri parti onus probandi, ſeu pronunciatur, Procuratorem alicuius rei non eſſe idoneum, aut qua deciduntur alia hujuſmodi incidentia, vel emergentia inter principium & finem cauſæ; ipſum verò negotium principale non terminatur, ſed expectatur alia ſententia toti cauſæ finem imponens.

17 *Sententia interlocutoria habens vim diffinitivæ* (quam & *mixtam*, ſeu quaſi mediam appellant) illa eſt, quæ quidem cauſam principalem non diffinit, eam tamen fermè perimit; ut dicitur *l. Poſt ſententiam C. de Sententiis & interlocution. omn. judic.* ibi: *Nec cauſam ullam interlocutiones plerumque periment.* Et dicitur *plerumque*: quia interlocutio aliquando rem fermè perimit, ut poſt Cujacium notat Wesſenbechius ad *cit. l. poſt ſententiam. C. eod.* qualis proinde dicitur habere vim ſententiæ diffinitivæ. Occaſione cujus

18 Quæritur III. Unde cognoſci poſſit, ſententiam interlocutoriam habere vim diffinitivæ; & an ipſa reguletur ſecundum naturam diffinitivæ? Reſp I. Signa ſententiæ interlocutoriæ, habentis vim diffinitivæ, ſunt ſequentia. Primò, quando poſt ipſam non ſperatur alia ferenda ſententia in eadem inſtantia, eo quod ipſi finem imponat; tunc manifeſtum ſignum eſt, ejuſmodi ſententiam interlocutoriam habere vim diffinitivæ. Talis eſt ſententia, qua Judex interloquendo pronunciat, aliquos non poſſe, vel non potuiſſe de jure appellare, putà, tertiò appellando: ut eſt caſus *in cap. Sua nobis 65. de appellationib.* ac notat Abbas *ib. num. 3.* Talis etiam eſt ſententia abſolutoria ab obſervatione judicii; vel qua Iudex pronunciat, appellationem eſſe deſertam: quia per talem quoque ſententiam finitur inſtantia. Abbas *in cap. pervenit 28. n. 9. de appellation.* Maranta *p. 6. Speculi Aurei tit. de Sententia num. 42.* Vallenſis *h. t. §. 1. num. 3.* & alii paſſim.

Secundò, omnis illa ſententia, per quam diffinitur 19
unus articulus cauſæ principalis, dicitur habere vim diffinitivæ. Atque iſtud probatur ex *l. Intra utile, §. 1. de Minorib.* ubi Minorennis, qui petiit reſtitutionem in integrum; Iudice pronunciante ſuper ætate, puta, ipſum non eſſe minorem viginti quinque annis, appellavit: nam per talem ſententiam interlocutoriam diffinitur aliquis articulus cauſæ principalis, imò Minorennis tacitè excluditur à beneficio reſtitutionis in integrum; ſicque ea meritò cenſetur habere vim diffinitivæ. Maranta *loc cit. n. 44.* allegans Alexandrum *in rubr. ff. de re judic.* & Baldum *in L. 1. C. quando provocare non eſt neceſſe*. Vallenſis *d. num. 9.*

Tertio, ſententia interlocutoria, per quam expirat 20
officium Judicis, dicitur habere vim diffinitivæ. Sic accidit, quando Iudex interloquendo pronunciat, ſe non eſſe competentem judicem (*Judicis enim eſt exiſtimare, an ſua ſit juriſdictio*, per textum *in l. Si quis 5. ff. de Judiciis*) quia ſic interloquendo, jam eſt functus officio ſuo, *cap. Significantibus 38. de Offic. Deleg.* Maranta *loc. cit. nu. 43.* poſt Bartolum *in l. quod juſſit ff. de re judic.* Iaſon *cit. l. Quod juſſit num. 25.* iſtud extendens etiam ad Iudicem Ordinarium.

Addit Abbas *in cap Ex parte Decani, num. 6. de reſcriptis*, & Iaſon *loc. cit.* quod etiam illa ſententia, qua quis 21
pronunciat affirmativè, ſe eſſe judicem competentem, licet ſit interlocutoria, habeat vim diffinitivæ: adeo, quod etiam de Iure Civili poſſit appellari; de quo eſt Gl. notabilis *in Auth. habita. verſ. Cadat. Cod. Ne filius pro patre, &c.*

Quarto, ſententia interlocutoria habens vim diffiniti- 22
væ eſt illa, per quam admittitur, vel rejicitur exceptio peremptoria, *arg. Clem. ult.* juncta Gl. *ib. verſ repulſione, de Appellat.* Maranta *ubi ſuprà, n. 44.* Vallenſis *cit. §. 1. n. 9. h.t.* & alii.

Quinto, omnis interlocutoria, quæ continet aliquid 23
dari, vel fieri à parte, habet vim diffinitivæ. Ita Bartolus *l. Nec quicquam, circa init. ff. de Offic. Proconſul.* iſtud probans ex *l. quod juſſit ff. de re judic.* & *l. Qualem, §. penult. ff. de receptis arbitris*. Maranta *loc cit. num. 42. & 45.* Vallenſis *n. 9.* & alii, qui hoc exemplificant in præcepto Iudicis de ſolvendo, ac in ſententia mulctam imponente, & hujuſmodi.

Reſp. II. Quod ſententia interlocutoria habens vim 24
diffinitivæ reguletur ſecundum naturam diffinitivæ, eique æquiparetur quoad effectum interponendæ appellationis, & alios juris effectus, tenent multi Doctores: ut Gloſſa *cap. ult. verſ. Inanes, de elect. in 6.* Alexander *Conſil. 182. num. 1. lib. 6.* Gailus *lib. 1. pract. obſerv. num. 4 & 6.* Pirhing. *h. t. num. 2.* & alii: quia (inquiunt) paria ſunt, ſententiam eſſe diffinitivam, & habere vim diffinitivæ. Nihilominus Abbas *in c. pervenit 28. num. 8 & 9. de appell.* non immerito docet, quod interlocutoria hominis neque ex toto reguletur ut diffinitiva, neque ex toto ut interlocutoria; ſed trahatur quandoque ad naturam interlocutoriæ, quandoque ad naturam diffinitivæ, ſecundum quod magis participat de pure diffinitiva, vel merè interlocutoria, cum ſit quoddam medium inter utramque.

Hinc ſi ſententia interlocutoria habens vim diffiniti- 25
væ, eſt talis, ut per ipſam finiatur officium Iudicis, tunc ab ea debet appellari tanquam à diffinitiva. Abbas *cit. num. 9* Debetque etiam ferri cum cauſæ cognitione præſentibus partibus, ac legitimè citatis, *L. de unoquoque ff. de re judic.* & notat Bartolus *l. Nec quicquam. §. Ubi decretum circa init. ff. de Offic. Proconſul* Quod ſi ſit talis ſententia, quæ non omnino finit officium Iudicis,

ſed poteſt adhuc ab eo juſtitia conſequi, tunc ea eſt regulanda tanquam interlocutoria; quia magis trahitur ad naturam interlocutoriæ. Exemplum ſit, ubi Iudex pronunciavit, non eſſe reſpondendum libello, tanquam inepto: nam ſi exprimatur cauſa rationabilis coram eo, poteſt ipſe mutare hanc ſententiam ſuam, *c. Cum ceſſante 60. de Appell.* Idemque dicendum in aliis ſimilibus: ita quod, ubi ſententia quaſi diffinitiva habet omnem effectum diffinitivæ, ſervetur in ea ſolemnitas ut in diffinitiva; aliàs ſecùs. Abbas *cit. n.* 9.

26 Quæritur IV. Quæ ſint differentiæ inter ſententiam diffinitivam, & merè interlocutoriam? Reſp. I. Plures quidem ſunt differentiæ inter ſententiam diffinitivam, & interlocutoriam, eædem tamen commodè reſtringuntur ad tres principales: quarum prima, eſt reſpectu rei controverſæ; ſecunda, reſpectu ordinis judiciarii; tertia verò reſpectu effectuum, qui ex illis ſententiis ſequuntur, vel non ſequuntur. Ita Sigiſmundus Scaccia *tr. de Sententia & re judicata, Gloſſa 14. quæſt. 4 num. 1. & ſeqq.* atque patebunt ſingula ex ſpecialibus Concluſionibus; quamvis Franciſcus de Acceptantibus *cit. tr. de Sententia diffinitiv. & interlocut. nu. 6. et ſeq.* omnes earum differentias conſiſtere aſſerat in duobus, nempe in modo producibili, & in effectu. Verum retinendo priorem diviſionem

27 Reſp. II. Reſpectu rei controverſæ differunt ambæ ſententiæ inter ſe: quia ſententia diffinitiva determinat controverſiam principalem; hoc eſt, per eam diffinitur negotium principale, videlicet illud, quod principaliter deductum fuit in judicium: uti liquet ex definitione ipſius *num.* 9. aſſignata. Unde debet continere abſolutionem, vel condemnationem; aliter non valet: ut *l. 1. ff. de re judic. et l. præſes. C. eod.* Speculator *Tit. de Sententia, §. Species, num. 3.* Maranta *part. 6. Speculi Aurei, tit. de Sententia, num. 3.* Scaccia *loc. cit. nu. 1.* & alii. Econtra ſententia interlocutoria non determinat, neque diffinit cauſam principalem; ſed determinat ſolùm quæſtiones emergentes & incidentes, quæ oriuntur inter principium & finem controverſiæ principalis, prout etiam conſtat ex ejuſdem definitione *n. 12* data, & tenet Abbas *ad rubr. h. t. n. 6.* Speculator *loc. cit. n. 1.* Maranta *d. n. 3.* & communis. Hinc etiam fit, quod appellatione ſententiæ ſimpliciter facta, intelligatur duntaxat diffinitiva, non interlocutoria; imo hæc non ſit propriè ſententia, ut jam dictum *n.* 7.

28 Reſp. III. Quoad ordinem judiciarium multipliciter differt ſententia diffinitiva ab interlocutoria. Siquidem diffinitiva non poteſt ferri, quin præceſſerit ordo, & tela judiciaria: qui ordo refertur à Gl. *un. in l. prolatam, C. de Sentent. et interl. omn. jud. et c. quoniam contra* juncta Gl. & Doctoribus *ib. de prob.* atque infrà *§. 2. n. 57. ac ſeqq. et §. 3. per totum*, quoad ſolemnitates neceſſarias declarabitur. Adeout ſi ſententia diffinitiva feratur non ſervato ſubſtantiali ordine judiciario, ſit nulla ipſo jure, nec authoritatem rei judicatæ inducat. Speculator *tit. de Sententia §. Nunc videndum n. 1.* Franciſcus de Acceptantibus, *ubi ſupra n. 7.* Scaccia *loc. cit. n.* 30. citans alios; atque hinc *n.* 34. excipiens cauſas, quæ ſummariter ac de plano poſſunt tractari, juxta *Clem. Sæpè contingit de Verb. ſignif.* Sententia verò interlocutoria poteſt ferri nullo ordine judiciario præcedente, qui ad illam ordinetur: dum enim ſervatur ordo judiciarius in ordine ad diffinitivam, ſæpius contingit, ut intra ipſam Proceſſus fabricationem, ſeu ordinem, Iudex interloquatur. Maranta *loc. cit. num.* 20. Scaccia, *num.* 31. Franciſcus de Acceptantibus *loc. cit. num.* 31.

29 Deinde, licet ſententia diffinitiva non valeat, niſi feratur in ſcriptis, & hæc ſcripto recitetur, ut *c. ult. h. t. in 6. L. ult. C. de ſent. ex breviculo recit.* Secus tamen eſt de interlocutoria, quia poteſt ferri ſine ſcriptura: quamvis poſteà debeat redigi in ſcriptis, ut appareat de ipſa ex Actis, Gl. *cap. quoniam contra. V. Interlocutiones, de probation.* & alia Gloſſa *in cap. ult. V. Diffinitiva, h. t. in 6* Abbas *cap. 1. num. 21. de poſtulat. Prælat.* Speculator *tit. de Sentent. §. Juxta, num* 14. Franciſcus de Acceptantib *loc. cit. num.* 8. Maranta, *ubi ſuprà, num.* 12. Pirhing. *h. t. num. 1.* & alii. Quamvis enim hæc ſententiæ interlocutoriæ redactio in ſcripturam, non ſit neceſſaria ad validitatem actus, ea tamen requiritur ad probationem: nam aliàs non creditur Iudici, niſi de ipſa pateat per ſcripta in Actis, *c. c. quoniam contra, 11. §. fin. de Probation.*

30 Inſuper ſententia diffinitiva non poteſt ferri, niſi Iudice pro Tribunali ſedente, *leg. cum ſententiam. C. de Sentent. & interloc. omn. judic.* Nec niſi partibus præſentibus, aut ſaltem legitimè citatis, & contumaciter abſentibus, *Leg. Ea quæ, & l. Conſentaneum, C. Quomodo, & quando judex &c.* cum concordantiis. Secùs eſt dicendum de ſententia interlocutoria; nam iſta poteſt proferri etiam parte abſente, ac per nuntium, vel epiſtolam, *Leg. Diem proferre, ff. de Receptis arbitris*, ubi Bartolus *in Summario.* Gloſſa *in Leg. Nec quicquam V. decretum, ff. de Offic. Proconſul.* & Gloſſa *fin. in leg. A praecedente.* juncto textu *ib. C. de Dilationib.* Franciſcus de Acceptantib. *cit. num. 8. & 10.* Maranta, *ubi ſupra nu. 11.* iſtud intelligens de interlocutoria, quæ eſt levis momenti. Tacentur aliæ conſimiles differentiæ ordinem judiciarium recipientes.

31 Reſp. IV. Sententia diffinitiva, & interlocutoria differunt variè quoad effectus, qui ab ipſis promanant. Ita Maranta, Scaccia, Franciſcus de Acceptantibus, *ubi ſuprà*, & alii; idque probatur inductione, declarando talem diverſitatem effectuum. Primò enim ſententia diffinitiva, à qua non eſt appellatum, terminat totam cauſam, eique finem imponit: non ſic ſententia interlocutoria; uti patet ex utriuſque definitione ſuperius jam allegata.

32 Secundò differunt: quia condemnatus de aliquo crimine per ſententiam diffinitivam, efficitur infamis, *l. 1. §. qui in judicio ff. de his, qui notantur infam.* Secus dicendum de interlocutoria, utpote per quam infamia non irrogatur. Textus eſt *in l quid ergo §. quantum nu. 4.* allegans alios.

33 Tertiò differunt: quia ſententia diffinitiva ſemel à Iudice prolata, dummodo valida fuerit, ab eodem revocari nequit, *l. ac lege. C. de Sententiis ex breviculo recitand. & l. Judex, ff. de Re judic. & can. quod benè 6. qu. 4. & c. in litteris 9. de Offic. Deleg.* Secus eſt de interlocutoria nam hæc ante ſubſecutam diffinitivam poteſt à Iudice revocari, per textum *in l quod juſſit ff. de re judic.* ubi Summarium ex Bartolo ſic ait: *Judex poteſt ſuam ſententiam interlocutoriam revocare, ſed non diffinitivam.* Idem tenet Speculator *c. t. de Sententia, §. qualiter n. 10.* Sigiſm. Scaccia, *de Sententia, Gloſſa 14 q. 4. n. 36.* Maranta, *ubi ſuprà n. 7. & 21.* & alii.

34 Ratio diſparitatis eſt: quia *Judex poſteaquam ſemel dixit ſententiam* (diffinitivam) *judex eſſe deſinit, ut amplius ſententiam ſuam corrigere non poſſit* (quamvis pluris, vel minoris condemnaverit) *ſemel enim ſive malè, ſive benè, officio functus eſt*: uti dicitur *cit. l Judex ff. de re judic.* Econtrà verò, ſi Iudex tantum dedit ſententiam interlocutoriam, is adhuc remanet judex in dicta cauſa, donec eam terminet per ſententiam diffinitivam.

35 Nec dicas, hanc diſparitatem ſolùm urgere reſpectu Iudicis delegati, non vero reſpectu Iudicis ordinarii, utpote qui adhuc poſt ſententiam à ſe latam remanet judex; cum ipſi firma remaneat ſua juriſdictio ordinaria. Reſp. enim negando aſſumptum cum ſuæ probationis conſequentia. Quia, ut in ſimili notat Iaſon *l. quod juſſit. num. 26. ff. de Re judic.* licèt tunc Iudici ordinario firma remaneat ſua juriſdictio quoad alias cauſas, non tamen quoad illam, in qua tulit ſententiam diffinitivam, ſaltem validè: ac proinde etiam reſpectu ordinarii, verificatur dictum illud: *Judex poſteaquam ſemel dixit ſententiam, judex eſſe deſinit, &c.*

36 Additur notanter, *ſaltem validè*, Nam prædicta procedunt, quando ſententia diffinitiva Iudicis exiſtit valida, ſeu non eſt contra ius conſtitutionis, licèt forſan ſit iniqua, ſive contra jus litigatoris, ſeu partis. Quod ſi vero ſententia eius ipſo iure ſit invalida, & nulla (de quo plura inferius *h. t. n. 70. & ſeqq.*) poteſt Iudex ordinarius eam revocare, cauſamque denuo cognoſcere, ut *l. 1. ff. de Sent. & interlocution. omn. jud. & l. Si accuſatoribus, ff. de Accuſation.* cum ſimilibus. Et hoc idem dicendum eſt de Delegato ad univerſitatem cauſarum, quia cenſetur quaſi ordinarius; prout uberiùs dictum eſt ſupra *Lib. 1. Tit. 29. de Offic. & Poteſtat. Judicis Delegati, §. 3. num. 62. & 63.*

Secus



37 Secus dicendum de Delegato ad cauſam particularem; nam talis, ſive bene, ſive male pronunciaverit, ſeu teneat, ſeu non teneat ſententia, non poteſt amplius pronunciare, dictamque ſententiam diffinitivam revocare. Siquidem illico *ejus authoritas, & juriſdictio ceſſat, quia ſemel eſt officio ſuo functus*; prout dicitur *cit. cap. In litteris 9. de officio Delegat.* Concordat textus *in leg. Sin propones, pars 4.* juncta Gl. *ib. V. Commiſit*, & Bartolo *in Summario. C. quomodo & quando iudex &c.* & docet Abbas *cap. Qualiter, & quando 17. n. 4. & 5. de Accuſ.* Ratio diverſitatis eſt, quam dat Gloſſa *marginal. in fin. cap. ult. h. tit.* quia nimirum juriſdictio ordinaria eſt naturalis & favorabilis; ac proinde magis eidem defertur, quàm delegatæ. Io: Andreas *cit. c. ult. n 9. h. t.* Pirhing. *de offic. delegat. n. 156. & 157.*

38 Quartò differunt quoad illum notabilem effectum, quod à ſententia diffinitiva regulariter poſſit appellari; non autem ab interlocutoria, niſi habeat vim diffinitivæ, aut contineat damnum irreparabile. Patet hoc ex *l. Ante ſententiam. C. quorum appellationes non recipiuntur*, juncta Gloſſa *V. Diſcuſſores*, nonnullas limitationes afferente. Concordat Concilium Trid. *Seſſ. 24 c. 20. de refor* ubi noviſſimè ſic ſtatuit: *Neque appellationes ab eiſdem* (Ordinariis locorum) *interpoſitæ per Superiores quoſcumque recipiantur, niſi à diffinitiva, vel à definitivæ vim habente, & cuius gravamen per appellationem à deffinitiva reparari nequeat.* Hoc ipſum, una cum pluribus aliis notabilibus, amplius declaravit Sacra Epiſcoporum Congregatio, die 16. Octobris 1600. edita, & Clemente VIII. approbata, quam per extenſum refert Aloyſ. Riccius *p. 1. praxis reſ. 414.* & Quaranta *in Summa Bullarii V. Archiepiſcopi authoritas, in addit.* atque infra *tit. ſeq. §. 9. n. 267.* refertur. Tacentur aliæ differentiæ inter ſententiam diffinitivam, & interlocutoriam aſſignabiles, de quibus Maranta, *ubi ſupra*, & alii: nam præmiſſæ ſunt cæteris notabiliores.

## §. II.

## Quando, & quo modo, ac loco, proferenda ſit ſententia? ubi & de Concluſione in cauſa.

*SUMMARIUM.*

39 *Sententia ferenda eſt intra tempus à Iure præſcriptum, & quale ſit iſtud?*
40 *Poſt lapſum biennii, vel triennii, an pereat inſtantia?*
41 *Iudex tenetur cauſas matura deliberatione examinare, & ſententiam non præcipitanter ferre.*
42 *Et ſententia lata à Iudice ignaro de meritis cauſæ, eſt ipſo jure nulla*
43 *Ad ſententiam diffinitivam debent præcedere termini ſubſtantiales.*
*Atque admitti probationes neceſſariæ. Ib.*
44 *Sententia non eſt ferenda, quando cauſa adhuc eſt dubia licèt tempus datum ad ſententiandum jam ſit in fine. Et quid tunc agendum? Ib.*
45 *Iudicem oportet uſque ad ſententiam cuncta rimari.*
*Et jurgantium controverſias celeri ſententia terminare. Ibid.*
46 *Ad diffinitivam ſententiam eſt deveniendum, quando ab utraque parte concluſum eſt in cauſa.*
47 *Intelligendo iſtud in judicio ordinario; ſecùs in ſummario.*
48 *Concluſio in cauſa non eſt de ſubſtantia Proceſſus judiciarii.*
*Quid circa eam obſervetur in Camera Imperiali? Ib.*
49 *Concluſio in cauſa, quomodo fiat? Et n. ſeqq.*
*Ea poteſt fieri tam oretenùs, quàm ſcripto; imo & tacitè. Ib.*
50 *Concluſio in cauſa paſſim confunditur cum renunciatione probationum.*
51 *Strictè tamen differunt; & in quo?*
52 *Vulgaris formula concludendi in cauſa, quæ?*
53 *Quid ſi una pars concludat in cauſa, & altera adhuc aliquid proponere velit? Et n. ſeqq.*
54 *Concluſio in cauſa ſolet nonnunquam fieri conditionatè; & cur.*
*Concluſio in cauſa partibus os obſtruit &c. Ib.*
55 *Niſi ex juſta cauſa, vel æquitate, videantur Iudici novæ probationes admittendæ.*
56 *Iudici nunquam concluditur in cauſa.*
*Poteſtque is Concluſionem in cauſa revocare. Ib.*
57 *Requiſita ſententiæ diffinitivæ alia reſpiciunt ſolemnitatem judicialem, alia ordinatam cauſæ cognitionem.*
*Quo modo, & loco, proferenda ſit ſententia diffinitiva. Ib. & n. ſeqq.*
58 *Ad eam requiritur cum primis citatio partium.*
*Sed legitimè citatus, & contumaciter abſens, habetur pro præſenti. Ib.*
59 *Ad ſententiam diffinitivam requiritur, ut ſit redacta in ſcripturam, atque à Iudice ex ſcriptis proferatur; & cur?*
60 *Epiſcopi, & Perſonæ Illuſtres, poſſunt ſententiam per alium recitare.*
61 *Sententia diffinitiva debet proferri à Iudice ſedente.*
62 *Et quidem ſedente pro Tribunali, ſive in loco conſueto, &c.*
63 *Epiſcopus poteſt in quolibet loco non exempto ſuæ Diœceſis ſedere pro Tribunali.*
*Quid in Delegato, aut ſi locus conſuetus non eſt tutus? Ibid.*
64 *Sententia eſt ferenda de die, & quidem non Feriato.*
*Et quid, ſi feratur de nocte? Ib.*
65 *Solemnitates hujuſmodi adeò requiruntur, ut ipſis non obſervatis ſententia diffinitiva regulariter ipſo jure ſit nulla.*
66 *Secus dicendum de ſententia interlocutoria.*
67 *Et de ſententia lata in Iudicio ſummario.*
68 *Atque in aliis certis caſibus, in quibus fallit data regula; & quales ſint illi?*
69 *Conſuetudo locorum, ſeu ſtylus ſingulorum Tribunalium, in propoſito attendi debet.*

39 QUæritur I. Quando à Judice proferenda ſit Sententia? Reſp. I. Sententia ferenda eſt cum primis intra tempus à Iure præſcriptum. Et quidem ſpectato rigore Juris Civilis, cauſæ civiles (exceptis cauſis Fiſcalibus, & publicarum Functionum) debent terminari intra triennium à tempore litis conteſtatæ numerandum, *l. properandum, C. de Iudiciis.* Cauſæ criminales verò intra duos annos, pariter à conteſtatione litis computandos, terminandæ ſunt, *Leg. ult. C. ut intra certum tempus &c.* Quin & noviſſimè Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. cap. 20. de ref.* voluit, ut omnes cauſæ ad Forum Eccleſiaſticum ſpectantes, in prima inſtantia ſaltem infra biennium à die motæ litis terminentur; alioquin verò liberum ſit partibus, competentes Iudices ſuperiores adire.

40 Cæterùm id, quod habetur *cit. l. properandum, §. 1. C. de Iud. & l. ult. C. ut intra certum tempus &c.* nempe quod poſt lapſum biennii, vel reſpectivè triennii, pereat inſtantia, non procedit de Jure Canonico, per textum *in c. Venerabilis 20. de Iudiciis.* Ubi Pontifex expreſſè mandat Iudici à ſe delegato, ut lapſu triennii non obſtante, procedat in cauſa ſibi commiſſa: ac notat Gl. *ib. V. non obſtante*, & Abbas *n. 5. & 6.* & Barboſa *in Collect. n. 2.* citans complures alios; eſtque jam dictum ſuprà *Tit. 1. de Iudiciis §. 1. n. 31. & 32.*

41 Reſp. II. Iudex tenetur cauſas matura deliberatione examinare, & ſententiam non nimia feſtinatione ac præcipitantia ferre. Ita communis. Atque iſtud ſuadet tum ratio naturalis, & æquitas ipſius judicii, quæ præcipiti prolatione ſententiæ facilè læderetur; tum textus *in can. Apoſtolicæ 1. 35. q. 9.* ubi de Apoſtolicæ Sedis ſententia dicitur, quod *tanta ſemper conſilii moderatione concipitur, tanta patientiæ maturitate decoquitur, tantaque deliberationis gravitate profertur, ut retractatione non egeat*; cum ſimilibus. Unde quod ſententia incautius, ſeu per Iudicem de meritis ipſius cauſæ nondum plenè inſtructum prolata reformari debeat; liquet ex *c. Tum ex litteris, 5. de in integrum reſtitut.* juncta *Clem. Paſtoralis, §. Verum h. t.* & alii.

42 Quinimò, ſi apparet, quod ſententia fuerit lata à Iudice.

dice ignaro de meritis cauſæ (ut putà, ſi tantum legit Acta unius partis, ex quibus ſufficienter de meritis cauſæ inſtrui non potuit; aut ſi de ſero recepit multa Acta intricata, & de mane ſtatim tulit ſententiam) tunc ſententia eſt ipſo jure nulla, utpote lata ſine cauſæ cognitione. Abbas *c. dudum, 22. num. 5. de Electìon. & citat. cap. Tum ex litteris, num. 6. de in integrum reſtitut.* poſt Bartolum *in l. Prolatam, C. de Sentent. & Interlocut. omn. judic.* illud probans ex *cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ, 10. §. fin. de Conſtitut.*

43 Reſp. III. Inſuper ad ſententiam diffinitivam debent ſaltem præcedere termini ſubſtantiales. Fagnanus *cap. Dilectus n. 38. de præſcript.* poſt Rotam *deciſ. 1278. p. 3. diverſ.* Neque debet Judex, etiam in judicio ſummario, ita litem abbreviare, quin probationes neceſſariæ, & legitimæ defenſiones admittantur, *Clem. Sæpè contingit, de Verb. ſignif.*

44 Quinimò ſententia non eſt ferenda, quando cauſa adhuc eſt dubia, licet tempus datum ad ſententiandum jam ſit in fine. Abbas *cap. ſuper eo, 12. nu. 17. de appellat.* Ubi proin ſubjungit, quod tunc aut fieri debeat de conſenſu partium prorogatio in aliud tempus, juxta *cap. de cauſis, 4. de Offic. deleg.* Vel ipſamet tota cauſa indeciſa remittatur ad Superiorem: alioquin enim grave eſſet, in re dubia certam ferre ſententiam, *can. grave 11. q. 3.*

45 Inſuper Judicem oportet uſque ad ſententiam cuncta rimari, *c. cum Joannes 10. de Fide inſtr.* (aliter enim ad veritatem perveniri non poſſet, *can. Occidit 23. q. ult.*) ac proinde non anteà ferenda eſt ſententia, quàm Judex de meritis cauſæ debitè poſſit eſſe inſtructus. Idque fieri cenſetur, poſtquam à partibus concluſum fuerit in cauſa, juxta proximè dicenda. Et in hoc ſenſu accipiendum eſt quod dicitur *c. 2. h. t.* ibi: *Jurgantium controverſias celeri ſententia terminare, & æquitati convenit & rigori*; prout notat Gloſſa *ult. ib.* Sive, quod Judicis ſit, conari, ut quam citiùs fieri poteſt, controverſiæ litigantium finiantur: ſervatis videlicet debitis requiſitis, ſive ſolemnitatibus juris; juxta dicta ſuperiùs *lib. 1. tit. 32. de Officio Judicis n. 65. & 66.*

46 Reſp. IV. Tum demum ad diffinitivam ſententiam, & celerem terminationem litis, deveniendum eſt, quando allegatis & probatis hinc inde ex parte Actoris, & rei omnibus, quæ ad ſuam cauſam & intentionem fundandam ſpectare judicaverint, ab utraque parte in cauſa concluſum fuit. Ita Vallenſis *h. t. §. 3. n. 1.* Engel *nu. 1.* & alii. Idque habetur clarè *can. Judicantem 30. qu. 5.* ibi: *Judicantem oportet cuncta rimari &c. Nec litigantibus Judex prius velit ſua ſententia obviare, niſi quando ipſi jam peractis omnibus nihil habeant in quæſtione, quod proponant.*

47 Intellige tamen hoc de Judicio ordinario, de quo ex profeſſo nunc ſermo eſt. Nam in Summario, ubi ſimpliciter & de plano proceditur, poteſt Judex ferre ſententiam etiam concluſione à partibus non facta, ſi ei ita videbitur expedire. *Clem. Sæpè contingit. §. Sententiam. de Verb. ſignif. in 6.* ibi: *Sententiam verò diffinitivam (citatis ad id, licèt non peremptoriè: partibus) ſtans, vel ſedens proferat: etiam (ſi ei videbitur) concluſione non facta, prout ex petitione, & probatione, & aliis actitatis in cauſa fuerit faciendum.* Hæc ibi, loquendo de Judicio ſummario.

48 Addit Gl. *ib. ℣. concluſione*, alicubi in Judiciis ſæcularibus non fieri concluſionem hujuſmodi. Unde quod Concluſio in cauſa non ſit de ſubſtantia Proceſſus judiciarii, ſed abſque vitio nullitatis omitti poſſit, poſt Gl. *loc. cit.* tenet Abbas *c. cum I & A. n. 12. h. t.* Joan: Andreas *in addit. ad Speculatorem, tit. de Renunc. & concl. à princ.* Maranta *p. 4. Speculi Aurei, diſt. 9. n. 23.* Gallus *lib. 1. pract. obſerv. 107. n. 1.* aſſerens, Concluſionem hujuſmodi, etiam in cauſis ordinariis, magis de conſuetudine, quam ſubſtantia proceſſus eſſe: quamvis addat, in Camera nullam ſententiam publicari, ne interlocutoriam quidem, niſi in cauſa legitimè concluſum ſit: ita tamen, ut parte alterutra concludere nolente, Judex ea invita uſque in contumaciam, ex officio cauſam pro concluſa acceptare, & in principali pronunciare poſſit; dummodò parti ad concludendum ſufficientes dilationes conceſſæ fuerint. Occaſione cujus

49 Quæritur II. Quomodo fiat Concluſio in cauſa?

Reſp. I. Concluſio in cauſa poteſt fieri tam oretenùs, quam ſcripto, cum nulla certa ſolemnitas à Jure ſit præſcripta: quinimò non ſolùm expreſſè, ſed etiam tacitè poteſt in cauſa concludi, quando nimirum partes nulla formali facta renunciatione ulteriorum probationum; ſimpliciter ab his deſiſtunt, atque à Judice ſententiam poſtulant.

Quamvis Concluſio in cauſa videatur differre à renunciatione ulteriorum probationum, *arg. c. paſtoralis 5. de cauſa poſſeſ. & propr.* ibi: *Antequam renunciatum ſit, aut concluſum in proprietatis judicio*; ubi dictio, *aut*, videtur denotare diverſitatem quandam. Nihilominus in praxi hodie paſſim confunditur renunciatio probationum cum Concluſione in cauſa, *arg. Clem. un. h. t.* ubi de ſola concluſione ſit mentio. 50

Fatendum tamen, quod ſi *Renunciatio* probationum ſtrictè accipiatur, tunc ea fiat, quando partes renunciant ulteriori productioni teſtium tantum: *Concluſio in cauſa* verò (quæ etiam *renunciatio* largè dici poteſt) quando partes, renunciatis quibuſcunque allegationibus, totam cauſam cognitioni, & deciſioni Judicis ſubmittunt. Abbas *c. Paſtoralis, n. 7. h. t.* Pirhing. *h. t. num. 40.* & Gl. *in c. cum dilectus ℣. concluſum, de Fide inſtr.* ubi ait: *Concluſum, id eſt renunciatum allegationibus, & omnibus aliis probationibus.* 51

Reſp. II. Vulgaris in cauſa concludendi formula eſt, quod partes in ultima ſua ſcriptura addere ſoleant, quod hîc in cauſa concludere, ſeque ad ſententiam ſubmittere velint. Solet etiam quandoque Judex interrogare litigantes, an habeant adhuc aliquid ad proponendum: & ſi quidem negativè reſpondeant, jubet eos utrinque ulterioribus probationibus renunciare, & in cauſa concludere; quæ proinde renunciatio, & concluſio, confeſtim Actis inſeri debet, *c. quoniam de prob.* 52

Quod ſi una parte probationibus renunciante, ſeu concludente in cauſa, pars altera ſeſe adhuc aliquid ad proponendum habere dicat, audienda erit: nihilominùs, ne lites nimium, & quandoque malitioſè protrahantur, ſtatuet Judex competentem terminum, intra quem illud allegari, & probari debebit. Ita deſumitur ex *Auth. Jubemus, C. de Judiciis*; ubi quoad hoc conceduntur tres ſucceſſivè dilationes, quarum ſingulæ continent triginta dies; quibus elapſis Judex non ampliùs expectare, ſed ſententiam legere, & conſuetudini conformem ferre debet; ut ibidem ſubjungitur. Vallenſis *h. t. §. 3. n. 1.* Engel *h. t. n. 1.* & alii. 53

Solet etiam Concluſio in cauſa nonnunquam fieri conditionatè: ut putà, proteſtando, quod non aliter velit quis concludere in cauſa, niſi & adverſarius concluſerit, nihilque novi in ultima ſcriptura poſuerit: aut concluſioni ſuæ expreſſè adjiciendo hanc conditionem, *Niſi novæ probationes, vel nova inſtrumenta reperiantur*: ut notat Engel *cit. num. 1.* Nec immeritò hujuſmodi cautela quandoque adhibetur: nam alioquin, poſtquam à partibus in cauſa concluſum fuit, ante ſententiam nulla admittitur nova exceptio, vel probatio; ut *cap. cum venisset, 25. & cap. De teſtibus, 29. de Teſtib.* juncto *cap. cum dilectus 9. de Fide inſtrum.* Hinc Maſcardus *de probation. quæſt. 17. proœm. num. 44.* ait quod *Concluſio in cauſa partibus os obſtruit, & claudit, ut probationibus nullus amplius relinquatur locus.* 54

Intellige, niſi ex juſta cauſa, vel æquitate ſic ſuadente, Judici videantur novæ probationes admittendæ, ut eſt textus *in c. paſtoralis, §. penult. & ult. de cauſa poſſeſ.* Sic quippe in cauſis capitalibus, ad probandam innocentiam rei poſſunt novæ probationes, teſtes, ac defenſiones, recipi etiam poſt concluſionem in cauſa, ne innocens condemnetur. Idem fit in cauſis Beneficialibus, & Matrimonialibus: idque propter animarum periculum, ne videlicet vel legitimi conjuges ſeparentur, vel quis per ſubreptionem ad Beneficium, aut Dignitatem Eccleſiaſticam aſcendat. Maſcardus *loc. cit. n. 45. & ſeqq.* 55

Quinimò quoad Judicem nunquam concluditur in cauſa: ac proinde Judex ex officio poſt Concluſionem in cauſa poteſt partes interrogare de facto, quoties aliqua occurrit dubitatio; cum uſque ad prolationem ſententiæ debeat univerſa rimari, *c. cum Joannes, 10. de Fide inſtrument.* Qua de cauſa Judex poteſt etiam Concluſionem in cauſa revocare, novaſque probationes admittere, 56



re, vel ulteriores injungere partibus. Gailus *lib. 1. Practic. Obſervat. 107. n. 5.* Jaſon *in Repet. l. Admonendi n. 61. & 62. ff. de Jurejurand.* cum aliis. Concordant dicta ſuperiùs *Tit. 19. De probationibus, §. 6. n. 170. & 177.*

57 Quæritur III. Quo modo, & loco, proferenda ſit Sententia? Ubi prænotandum cum Ludov. Engel *h. t. n. 6.* & aliis, quod requiſita ſententiæ diffinitivæ aliam reſpiciant ſolemnitatem judicialem, ſeu modum, quo ipſa ſolemniter eſt promulganda: utputa, quod proferatur partibus anteà citatis, Judice ſedente pro Tribunali &c. & de his impræſentiarum ſermo eſt. Alia verò concernunt ipſam ordinatam cauſæ cognitionem: puta, quod ſententia ſit conformis Juri, atque Libello; ſic certa, & non lata ſub conditione, ac hujuſmodi: atque de iſtis commodius agetur Paragrapho ſequenti. Quo prænotato

58 Reſp. I. facta à partibus Concluſione in cauſa, ut ſupra, Judex allegata, & probata omnia diligenter examinabit, iiſque maturè diſcuſſis ſeſe accinget ad cauſæ principalis deciſionem, prolaturus ſuper ea ſententiam diffinitivam: in quem proinde finem requiritur imprimis, ut Judex ſententiam laturus citari faciat pro certa die utramque partem litigantium ad audiendam ſententiam; idque vel trina citatione, vel ſaltem una peremptoria. Textus eſt *in l. Ea quæ — C. Quomodo & quando judex ſententiam proferre &c.* ubi ſententia lata contra abſentem non ſolemniter citatum, dicitur nulla, *& l. Conſentaneum. C. eod. & l. De unoquoque ff. de Re judicata*, cum ſimilibus. Quod ſi verò legitimè citatus, contumax fuerit, ac ceſſante juſto impedimento noluerit comparere, id non obſtat, *l. Contumacia, ff. de Re judicat. & cap. cum Bertoldus 18. h. t.* Nam legitimè citati, & contumaciter abſentes, habentur pro præſentibus, *l. Properandum §. Sin autem Reus* juncta Gloſſa *verſ. Dei præſentia. C. de Judiciis*: atque eorum contumacia litis damno coercetur, *cit. l. Contumacia.*

59 Requiritur ſecundò, quod ſententia diffinitiva redacta ſit in ſcripturam: & poſtquam ſcripta fuerit, à Judice, & non ab alio, de ſcripto recitatione proferatur: adeò ut alias nec nomen ſententiæ mereatur habere, nec ab ea ſit appellare neceſſe. Ita textus expreſſus *in cap. ult. h. t. in 6. & L. 2. C. de Sententiis ex breviculo recitandis.* Ubi & hujus ratio indicatur, atque notat Abbas *cap. Sicut nobis num. 4. h. t.* nempe, ut ſententia cum majori moderamine proferatur; ſeu, ne forſan alioquin judices proferant ſubitas ſententias, aut etiam in earum prolatione errent, vel alius ipſas recitando non nihil immutet: unde debent Judices, habita matura deliberatione, ſententias ponderatas ſibi anteà formare, & emendatas in libellum conferre, ſcriptaſque ex libello partibus legere: invocato tamen priùs Chriſti nomine; ut *c. Veritatis 8. §. fin.* & Abb. *ib. n. 11. de Dolo, & contumac. & c. In nomine Domini 2. de Teſtib.* ac ſolum Deum, ſeu cauſæ juſtitiam æquitatemque præ oculis habendo.

60 Excipiuntur tamen hinc Epiſcopi, atque Perſonæ Illuſtres: nam his ob Dignitatis prærogativam licitum eſt, ſententiam à ſe ferendam per alium recitare, ſeu partibus publicare. Textus eſt expreſſus *in cit. c. ult. h. t. in 6. & L. 2. C. de Sententiis ex brevicul. recitand.*

61 Requiritur tertiò, quod ſententia proferatur à Judice ſedente, & non ſtante, vel ambulante, *d. cap. ult. h. t. in 6.* Ubi additur, quod ſi ſententia diffinitiva à Judice litigatoribus non legatur, vel ſtando, non ſedendo proferatur, nullius penitus ſit momenti. Concordant dicta ſuperiùs *§. præced. n. 29. & 30.*

62 Requiritur quartò, ut ſententia proferatur à Judice, non quomodocunque ſedente, ſed ſedente pro Tribunali, ſive in loco publico, ubi Anteceſſores ſui jus reddere conſueverunt, *l. cùm ſententiam. C. de Sentent. & Interlocut. omn. judic. & L. penult. ff. de Juſtit. & jur.*

63 Veruntamen Epiſcopus in quolibet loco ſuæ Diœceſis non exempto, per ſe, vel per alium, poteſt pro Tribunali ſedere, *c. cùm Epiſcopus 7. de Offic. Ordinat. in 6.* Sicut & Judex Delegatus ad aliquam cauſam particularem, cum certam ſedem deputatam non habeat, poteſt locum juris dicendi cauſa, honeſtum tamen, ſibi eligere, *l. Si cùm dies §. Si arbiter. ff. de Receptis arbitris.* Poteſt etiam Judex ferre ſententiam in loco non conſueto, ſi locus conſuetus non ſit tutus; aut ſi Epiſcopus vi expulſus ſit extra ſuam Diœceſin. Vallenſis *h. t. §. 3. n. 4.*

Requiritur quintò, ut ſententia feratur de die, & non de nocte, *c. Conſuluit. 24. de Offic. Delegat.* quamvis Gloſſa *ibid. verſ. Tenebras*, & Jo: Andreas *n. 32.* & Abbas *n. 14. ibid.* arbitrentur, valere ſententiam de nocte prolatam, quando Judex adhibuit lumen, nec partes contradicunt: ſecùs, ſi alterutra pars peteret licentiam recedendi, eò quòd ſit tempus quieſcendi; nam ſi denegaretur petita licentia, poſſet licitè appellare, nec valeret, ſi quid poſtmodùm attentaretur. Inſuper requiritur, ut ſententia feratur die non Feriato, *c. ult. de Feriis*, cum ſimilibus. 64

Reſp. II. Hujuſmodi ſolemnitates adeò requiruntur, ut ipſis non obſervatis ſententia diffinitiva, lata in Judicio ordinario, regulariter loquendo reddatur ipſo jure nulla. Ita clarè habetur *c. ult. h. t. in 6.* & aliis Juribus hactenus citatis, ubi expreſſè dicitur ſententiam aliter latam *nullius penitus eſſe momenti*; vel *judicatæ rei firmitatem non obtinere &c.* 65

Additur primò in hac Concluſione, *ſententia diffinitiva*. De hac enim procedunt hactenus dicta: ſiquidem ſententia interlocutoria non neceſſariò requirit omnes enumeratas ſolemnitates: utputa, non neceſſariò recitatur ex ſcripto, ſed poteſt etiam proferri verbis; juxta Gloſſam *in cit. cap. ult. h. t. in 6. ℣. Diffinitiva*, junctis dictis ſupra *n. 29. & ſeqq.* ubi plures aliæ differentiæ inter ſententiam interlocutoriam, & diffinitivam referuntur. 66

Additur ſecundò, *lata in Judicio ordinario*. Nam in Judicio ſummario, ſeu cauſis illis, in quibus ſimpliciter, ac de plano, & ſine ſtrepitu judicii proceditur, non requiri omnes prædictas ſolemnitates ad ſententiam judicialem, ejuſque validitatem, habetur expreſſè deciſum *in Clem. Sæpe contingit de Verb. ſignif.* Eſtque hoc jam dictum ſuprà *Tit. de Judiciis §. 2. nu. 41. 43. & ſeqq.* ubi ſimul declaratur, quænam ſint cauſæ illæ, in quibus ſummariter, & de plano, ſeu ſine ſtrepitu judicii procedi poteſt. 67

Additur tertiò, *regulariter loquendo*. Nam hoc ipſum fallit in certis caſibus, quorum plures enumerat Gloſſa *cit. cap. ult. verſ. Illuſtrium h. t. in 6.* Ut, quando cauſæ ſunt leves, ac modici momenti, v. gr. duorum aureorum; item, quando lites ſunt breves, & maximè vilium perſonarum; quia tunc non eſt opus ſententiam ferri ex ſcriptis, *Auth. Niſi breves. C. de Sententiis ex breviculo recitandis.* Idemque dicendum de Papa, vel alio Principe ſupremo, qui per ſe pronunciat: nam is eſt legibus ſolutus, ac præſentia ejus ſupplet omnem ſolemnitatem. Item, ſi Epiſcopus de cauſa civili judicat inter Clericos, *can. Si quis cum Clerico 11. qu. 1. & cit. Auth. Niſi breves. C. de Sentent. ex brevicul. recit.* Aut, quando factum eſt notorium; adeò ut liquidò conſtet, nullam Reo competere defenſionem: valet enim ſententia tunc lata contra abſentem, etiam non citatum; ut *c. cùm olim 12. §. fin. h. t.* Rurſus ex conſenſu partium poteſt Judex ordinarius ſententiam ferre in alio, quam ordinario loco judicii; modò non egrediatur fines Territorii ſui. Vallenſis *h. t. §. 3. n. 4.* Pirhing *eod. n. 2.* & alii. 68

Tacetur ſpecialis conſuetudo locorum, utpote per quam nonnullæ ſolemnitates juris remitti valent, per textum *in cap. ult. de Conſuetud.* Unde notat Engel *h. t. n. 6.* quod licèt omiſſio cujuſcumque ſolemnitatis ſubſtantialis, ipſo jure ſententiam reddat nullam; *ut cap. ult. h. t. in 6.* nihilominùs hodie magis ad ſtylum ſingulorum Tribunalium, atque rationabiles conſuetudines locorum ſit attendendum. 69

## §. III.

## De requiſitis Sententiæ diffinitivæ ordinatam cauſæ deciſionem reſpicientibus.

### *SUMMARIUM.*

70 *Sententia judicialis debet eſſe Juri conformis; alioquin ipſo jure foret nulla.*

71 *Idque exemplificatur. Et nu. ſeq.*

72 *Sententia, in qua clarus error juris continetur, eſt ipſo jure nulla, licet error ille in ſententia non ſit expreſſus. Sententia dicitur nulla novem modis; & quibus? Ibid.*

73 Va-

73 *Valet ſententia, quæ præter errorem juris continet aliam rationem, qua juſtificari poteſt.*

74 *Sententia contra Jus obſcurum, ſive dubium, non eſt ipſo jure invalida.*

75 *Regula illa, quod ſententia debeat eſſe Juri conformis &c. intelligitur de jure conſtitutionis, non de jure litigatoris. Et nu. ſeq.*

76 *Sententia lata contra jus conſtitutionis; & ſententia lata contra jus litigatoris, quæ?*

*Illa eſt ipſo jure invalida, non hæc: & cur? Ibid.*

77 *Regula eſt, quod ſententia debeat eſſe conformis Libello. Et nu. ſeqq.*

78 Stultus *appellatur Judex, qui ultra petita in Libello judicat.*

79 *Sententia debet eſſe conformis Libello in tribus; & quibus?*

80 *Regula iſta patitur plures fallentias. Et nu. ſeqq.*

81 *Fallit enim in Papa, Imperatore, aliiſque ſupremis Principibus.*

*Hi non attendunt ordinem judiciorum, ſed meram veritatem. Ibid.*

82 *Fallit etiam in cauſis, in quibus proceditur ſola facti veritate inſpecta.*

*Clauſula illa, ut Judex procedat*, ſola facti veritate inſpecta, *plus operatur, quam clauſula* ſummarie ac de plano. *Ibid.*

83 *Fallit inſuper propter magnam conformitatem, ſeu connexionem, quam res petita in Libello habet cum alia re: idque exemplificatur.*

84 *Regula illa procedit ſolùm in cauſis civilibus: ſecùs in criminalibus.*

85 *Fallit quoque, ſi partes conſentiant.*

86 *Atque in cauſa matrimonii carnalis, vel ſpiritualis, & in aliis caſibus concernentibus periculum animæ.*

87 *Sententia judicialis debet eſſe certa.*

88 *Adeò, ut ſententia incerta ſit ipſo jure nulla.*

89 *Etiamſi petitio Libelli fuiſſet de quantitate incerta.*

90 *Regula hæc procedit potiſſimum in Judiciis particularibus: ſecùs in univerſalibus.*

91 *Fallit etiam in illis caſibus, in quibus Judex nequit ferre certam ſententiam: puta, in alternativis; vel quando dubium eſt, an res petita adhuc exiſtat.*

92 *Sententia judicialis non debet ferri ſub conditione.*

93 *Nec valet, ſi proferatur ſub conditione extrinſeca. Et num. ſeq.*

94 *An valeat ſententia lata ſub conditione intrinſeca? Et num. 93.*

95 *Quid dicendum de praxi Tribunalium, abſolventium Reum ſub conditione:* Niſi Actor meliùs ſuam intentionem probaverit &c.

96 *Conſuetudo ferendi ſententiam ſub tali conditione, videtur rationabilis.*

97 *Sententia diffinitiva debet continere abſolutionem, vel condemnationem.*

98 *Non tamen cauſam ipſius, regulariter loquendo. Et num. ſeq.*

*Imò fatuum eſt, in ſententia exprimere cauſam ejus; & cur? Ibid.*

99 *Solvitur inſtantia.*

100 *In certis caſibus debet in ſententia exprimi cauſa ipſius. Et nu. ſeqq.*

*Ut in cauſa appellationis; idque exemplificatur. Ibid.*

101 *Et in ſententia excommunicationis.*

102 *Item aliis quatuor caſibus; & quibus?*

103 *In memoratis caſibus debet cauſa in ſententia exprimi duntaxat propter certos effectus &c.*

104 *Idem poteſt contingere in nonnullis aliis caſibus.*

70 QUæritur I. Utrùm ſententia debeat eſſe Juri conformis, & quomodo? Reſp. I. Certum eſt, quod ſententia judicialis debeat eſſe Juri conformis; ideſt, non lata contra Jus clarum, & indubitatum; alioquin enim ipſo jure foret nulla, licet ab ea non fuiſſet appellatum. Ita communis, juxta textum expreſſum *in cap. 1. h. t.* ibi: *Sententia contra leges, canoneſque prolata, licet non ſit appellatione ſuſpenſa, non poteſt tamen ſubſiſtere ipſo jure.* Concordat textus *l. Si cùm inter te. C. Quando provocare non eſt neceſſe. & l. Si expreſſim, ff. de Appellation.* cum ſimilibus: ubi ſententia, quæ continet expreſſum juris errorem, cenſetur nulla; adeout appellatio ab ea non ſit neceſſaria. Nam, *quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*; prout loquitur *Reg. 64. Jur. in 6.* cum concordantiis.

71 Unde ſi Judex pronunciet, minorem quatuordecim annis, poſſe teſtamentum facere: hæc ſententia, utpote expreſſum juris errorem continens, nullas omnino vires habet: adeout nunquam tranſeat in rem judicatam, quamvis ab ea non fuerit appellatum, *text. clar. l. Si cùm inter te. C. quomodo provocare non eſt neceſſe.* Idem dicendum, quando Judex pronunciaret, electionem à ſuſpenſis celebratam eſſe validam, eò quòd ſuſpenſi poſſint eligere: nam etiam talis ſententia continet clarum juris errorem, *cap. cùm dilectus 8. de Conſuetud. & c. cùm inter R. 16. de Election.* & alibi; ſicque ipſo jure eſt invalida.

72 Addit Abbas *cap. 1. n. 5. & 6. h. t.* quod non ſolùm ſententia, in qua clarus error Juris habetur expreſſus, ipſo jure ſit nulla: ſed iſtud etiam procedat de quacunque ſententia contra Leges, Canoneſve prolata, licet error in ſententia non fuerit expreſſus. Utputa, ſi intervenit defectus juriſdictionis, eò quòd fuerit lata à non competente Judice, *cap. At ſi Clerici 4. de Judiciis*; vel à Judice publice excommunicato, *c. Ad probandum 24. h. t.* Vel ſi defectus intervenit contra clarum Jus ex parte litigatorum, v. g. quia contra Minorem, ſine authoritate Curatoris ſui in judicio exiſtentem, pronunciatum eſt, *l. 1. & 2. C. qui legitimam perſonam &c.* Aut ſi die Feriato lata fuit ſententia, *cap. ult. de Feriis*, cum aliis ſimilibus caſibus, quorum plures enumerantur, *can. Et qui appell. §. Diffinitiva 2. q. 6.* Siquidem, ut notat Jo: Andreas *cap. 1. n. 7. h. t.* ſententia dicitur nulla novem modis; ſcilicet ratione judicis, litigantis, loci, quantitatis, temporis, proceſſus, modi, manifeſtæ iniquitatis, & conditionis; de quibus partim jam dictum eſt *Tit. 25 de Exceptionib. n. 56 & 57. ac ſeqq.* enumerando plures tales caſus in ſpecie; partim in propriis locis commodius agi ſolet.

73 Limitatur tamen hæc Concluſio, quando ſententia continet quidem expreſſum errorem contra Jus, ſed præter eum ſimul habet annexam aliam rationem, quæ non eſt contra jus commune, quin potiùs ipſa ob hanc juſtificari poteſt. Tunc enim ſententia tenet ratione alterius cauſæ, quæ non eſt contra Jus, & ob quam poteſt ſuſtineri. Abbas *cap. 1. numer. 5.* & Barboſa *ibid. num. 2. h. t.* cum plurimis aliis, quos citant. Accedit ratio: tum quia in dubio (quale tunc intervenit ob concurrens aliud fundamentum) propter authoritatem judiciariam præſumi debet, omnia legitime proceſſiſſe, *cap. Sicut nobis 16. §. fin. h. t.* & conſequenter ſententiam eſſe validam. Tum quia *utile non debet per inutile vitiari*, juxta *Reg. 37. Jur. in 6.*

74 Reſp. II. Etſi ſententia lata contra Jus clarum ipſo jure ſit invalida, & nullius roboris, ut dictum: ſecùs tamen eſt dicendum de ſententia lata contra Jus obſcurum, ſive dubium; hoc eſt, de cujus vero intellectu variæ ſunt Doctorum ſententiæ; nam ſententia contra iſtud lata valet, ac tranſit in rem judicatam, niſi intra decem dies ab ea fuerit appellatum. Ita Abbas *cit. cap. 1. nu. 9. h. t.* iſtud exemplificans in Lege habente plures intellectus, & probans ex *l. cùm prolatis ff. de Re judicat. & c. cùm dilectus 13. de Conſuetud.* atque allegans communem; & concordant in ſimili dicta ſuperiùs *Tit. 26. de Præſcriptionibus, §. 3. n. 68. & 77.*

75 Reſp. III. Inſuper regula illa, quod ſententia debeat eſſe Juri conformis, ut ſit valida, intelligenda eſt de jure conſtitutionis, non de jure litigatoris. Ita Gloſſa *in c. 1. verſ. Contra leges*, & Abbas *ibid. num. 7. h. t.* Pirhing *eod. num. 4.* Engel *num. 15.* & alii. Atque hæc Concluſio clare deſumitur ex *L. 1. §. Item cùm contra, ff. Quæ ſententiæ ſine appellation. reſcind.* ubi dicitur: *Cùm contra ſacras Conſtitutiones judicatur, appellationis neceſſitas remittitur. Contra Conſtitutiones autem judicatur, cùm de jure conſtitutionis, non de jure litigatoris pronunciatur.* Hæc ibi.

76 Unde notandum, quod *Sententia lata contra jus conſtitutionis*, dicatur ea, quæ eſt lata contra Leges Civiles, vel ſacros Canones: ſive, ut *l. Si expreſſim ff. de Appellation.* dicitur, *Si ſpecialiter contra Leges, vel Senatus conſulta vel Conſtitutiones fuerit prolata.* Et talis alio nomine appellatur. *Sententia lata contra jus ſcriptum*; prout lo-



quitur Abbas *c. Illud n. 10. de Cleric. excommunicat.* eſtque ipſo jure invalida. Tum quia Judex habet neceſſitatem judicandi ſecundum Leges, non autem facultatem de iſtis arbitrandi, *can. In iſtis diſt. 4.* Simulque ea, *quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*, juxta *Reg. 64. Jur. in 6. & l. Non dubium. C. de Legib.* cum concordantiis. Tum quia talis ſententia nequit juſtificari ex conſenſu partium, eò quòd conſenſu, ſeu *pacto privatorum juri publico minime deregetur*, per textum expreſſum *in cap. Si diligenti 12. de Foro competent.* cum ſimilibus. At verò *Sententia lata contra jus litigatoris* (hoc eſt, alterius partis litigantis) cenſetur tunc intervenire, quando Judex male per ſententiam negat parti jus aliquod, ſeu iſtud ei abjudicat, quod reverà ipſi competit, & talis ſententia, licet ſit injuſta habito reſpectu ad merita cauſæ, nihilominùs eſt valida: tranſitque in rem judicatam, niſi per legitimam appellationem ſuſpendatur. Siquidem circa caſus particulares, cùm ſint infiniti, habet Judex vi ſui officii facultatem arbitrandi, atque dijudicandi, cujus partis jura ſint potiora: unde propter hanc auctoritatem judiciariam præſumuntur omnia legitime facta, ſicque præſumitur eſſe juſtum, quod Judex judicaverit, & quidem præſumptione juris & de jure, *c. Sicut nobis 16. h. t. & l. Res judicata ff. de Reg. jur.* ibi: *Res judicata pro veritate accipitur*: niſi interponatur legitima appellatio, contrariumque probetur. Quinimò pars condemnata, nec appellans, cenſetur ipſo facto ſententiam acceptare, in eamque conſentire; ſicque cedere jure ſuo, ſi quod habuiſſet.

77 Quæritur II. An, & qualiter ſententia debeat eſſe conformis Libello? Reſp. I. Regula eſt, quod ſententia debeat eſſe conformis Libello; ideſt ſcripturæ Actoris petitionem, ejuſque cauſam continenti. Textus eſt *in l. Ut fundas*, juncto Summario. *Ibid. ff. Communi dividund. & c. qualiter & quando 24. circa fin. de Accuſation. & Clem. Sæpe contingit. de Verb. ſignif.* ibi: *Verum quia juxta petitionis formam pronunciatio ſequi debet*: junctis concordantiis à Gloſſa *ibid. V. Formam*, allegatis.

78 Hinc *in L. ult. C. de Fidei commiſſar. libertat.* Judex ille appellatur *Stultus*, qui cùm in Libello certa res petatur, eaque præſtari poſſit, Reum non in præſtationem illius rei, ſed in ejus æſtimationem condemnat. Similiter, ubi agitur judicio poſſeſſorio, non debet Judex ferre ſententiam ſuper petitorio, ſed ſolùm ſuper poſſeſſorio, & econtra. Speculator *tit. de Sent. §. Qualiter nu. 15.* Sicut etiam, quando de petitorio, & poſſeſſorio ſimul actum eſt, ſuper utroque ſententia ſimul proferenda eſt, *cap. cùm dilectus 6. de Cauſa poſſeſſ. & propriet.* & ſic diſcurrendo de aliis.

79 Reſp. II. Sententia debet eſſe Libello conformis in tribus. I. In re; ita videlicet, ut Judex non pronunciet ſuper alia re, quam quæ in libello petita fuit, uti proxime dictum. II. In cauſa petendi; nempe, ut Judex attendat ad eam cauſam, quæ in libello expreſſa fuit, & non ad aliam, *arg. c. Abbate ſane, de Sentent. & re judicat. in 6.* III. In actione; nempe, ut ſecundùm eam actionem condemnet, vel abſolvat, quam Actor inſtituit. Pirhing *h. t. n. 31.* poſt Hiltropium *in Proceſſ. judiciar. par. 4. tit. 1. n. 5.* Quamquam de Jure Canonico non ſit neceſſarium, exprimere in libello nomen actionis, *c. Dilecti 6. de judiciis*, eſtque jam dictum ſuprà *Tit. 3. de Libelli oblatione §. 1. n. 18. & ſeqq.* ubi per totum plura de Libello.

80 Reſp. III. Patitur nihilominùs data Regula plures limitationes: uti videre eſt apud Jaſonem *l. Vinum n. 23. 24. & ſeqq. ff. Si certum petatur*, & Socinum *in Fallentiis, Reg. 355.* qui univerſim tredecim fallentias allegant; quarum aliquas etiam adducit Maranta *par. 5. Speculi Aurei tit. de Sententia n. 62. & ſeqq.* earumque præcipuæ ſunt ſequentes.

81 Primò dicta Regula fallit in Papa, Imperatore, aliiſque Principibus ſuperiorem non recognoſcentibus: hi enim poſſunt ferre ſententiam in alio, quam ſit petitum, cùm non teneantur ad obſervandum ordinem judiciarium; ut *cap. Ad petitionem 22. de Accuſation* ubi Papa quempiam privavit Abbatia ex iis, quæ contra eum probata fuerunt, haud obſtante, quod ordo judiciarius non fuiſſet obſervatus. Jo: Andreas *cap. Mandatum num. 43. de reſcrip.* Barboſa *tract. de Clauſulis uſu frequentior. clauſ. 173. n. 4. & 5.* Socinus *cit. Reg. 355. Fallent. 9.* Jaſon *cit. n. 24.* allegans plures alios. Accedit ratio: quia princeps non attendit ordinem judiciorum, cùm ſit ſolutus Legibus poſitivis, ſed meram veritatem. Unde quod ſententia Principis valeat, quantumcunque non conveniat regulis Juris poſitivi, tradit Abbas *cap. In noſtra n. 8. de Sepultur.* id probans ex *§. Sed & quod. Inſtit. de jure natural. gent. civil.* ubi id, quod Principi placet, dicitur *Legis habere vigorem.*

82 Secundo, ac loquendo de inferioribus Judicibus, data Regula fallit in cauſis, in quibus proceditur ſola facti veritate inſpecta: puta, quando alicui Judici committitur cauſa ſub clauſula, ut procedat *ſola facti veritate inſpecta.* Nam hæc clauſula plus operatur, quam clauſula *Summarie, ſimpliciter ac de plano, &c.* Barboſa *cit. tract. de Clauſulis clauſ. 173. n. 2.* poſt Hondedeum *Conſil. 93. n. 53. tom. 1.* Jaſon *l. Certi condictio §. Si nummos num. 32. & 33. ff. Si certum petatur*, aſſerens, quod, ubicunque committitur cauſa ſub clauſula, *Sola facti veritate inſpecta*, receditur à regula Juris poſitivi; & cenſetur commiſſum, ut Judex procedat manu Regia. Maranta *par. 4. Speculi Aurei diſt. 9 nu. 32.* allegans alios. Unde ſtante illa clauſula, poteſt Judex ferre ſententiam non conformem libello, ubi ſibi ex allegatis & probatis conſtat de veritate. Jaſon *cit. l. Vinum n. 24. ff. Si certum petatur.* Maranta *par. 6. Speculi Aurei tit. de Sententia n. 62.* & alii.

83 Tertiò fallit data Regula propter magnam conformitatem ſeu connexionem, quam res petita in Libello habet cum alia re; adeò, ut hæc alteri tacite ac virtualiter inſit, ſicque una cum ipſa ſaltem implicite petita cenſeatur: tunc enim Judex ſuper utraque re illa poteſt ferre ſententiam. Socinus *d. Reg. 355 fallent. 2.* iſtud exemplificans de intereſſe cum obligatione; nam ſi petatur res ſimpliciter, Judex poteſt condemnare etiam ad intereſſe. Pirhing *h. t. num. 31.* inter alia dicens, quod ſi in Libello fuerit petitus fundus, poſſit Judex Reum etiam condemnare ad reſtitutionem fructuum. Maranta *cit. tit. de Sententia num. 63.* ponens exemplum in eo, qui petiit debitum: nam hoc ſoluto poteſt Judex eum condemnare ad reſtitutionem pignoris, licet non fuerit petitum; quia dicta reſtitutio venit ex natura actionis intentatæ. Jaſon *cit. l. Vinum num. 30. & 32.* iſtud generaliter intelligens de illis, quæ quidem expreſſe non ſunt petita in libello, tamen vel ex natura, & aptitudine actionis ineſſe cenſentur; vel ſunt de natura petitorum in libello, aut his correlativa, vel correſpondentia; ſeu connexa, & procedunt ex eodem fonte: quia tunc ſufficeret, ac poſſet de illis ferri ſententia, quamvis aliter explicite non ſint petita.

84 Quartò Regula illa procedit ſolùm in cauſis civilibus: ſecùs in criminalibus. Jaſon *loc. cit. num. 24. & 25* Quinimò in criminalibus non requiritur, ut pars accuſans concludat, petendo certam pœnam Reo infligendam; ſed probato crimine, debet infligi pœna à Jure ſtatuta, vel, ſi pœna eſt arbitraria, à Judice determinanda, ut jam dictum ſuprà *Tit. 3. de Libelli Oblatione §. 1. n. 31.*

85 Quintò fallit eadem Regula, ſi partes conſentiant: nam hiſce conſentientibus, poteſt Judex ferre ſententiam etiam ſuper alio, quod non eſt expreſſum in libello, *arg. l. Si convenerit, ff. de re judicat.* ubi Summarium ſic loquitur: *Si partes concordant, qualiter ſententia feratur, judex debet ſequi earum voluntatem.* Socinus *cit. reg. 355. fallent. 5.* Jaſon *d. l. Vinum n. 26.* licet dubitative; eò, quòd partes non poſſint remittere ſubſtantialia ordinis judiciarii.

86 Sextò fallit in cauſa matrimonii carnalis, vel ſpiritualis, atque in aliis caſibus concernentibus periculum animæ: quia in iſtis fertur ſententia ſecundùm veritatem, licet non ſit conformis libello, ut evitetur peccatum. Jaſon *loc. cit. n. 31.* poſt Cardinalem Florent. *in Clem. Sæpe, §. 1. in 2 cp. de Verb. ſignif.* Tacentur nonnullæ aliæ fallentiæ, apud relatos Authores videndæ.

87 Quæritur III. Qualiter ſententia debeat eſſe certa? Reſp. I. Sententia judicialis debet eſſe certa; ita, ut per eam res debita quantum poſſibile fuerit, determinetur: quia alioquin lites non ſopirentur. Hinc *§. Curare. Inſtit. de Actionib.* dicitur: *Curare autem debet judex, ut omninò, quantùm poſſibile ei ſit, certæ pecuniæ vel rei ſententiam ferat, etiamſi de incerta quantitate apud eum actum eſt*; juncta Gloſſa *ibid. V. Poſſibile.*

Et

88 Et adeò requiritur, ſententiam eſſe certam, ut ſententia incerta, ſeu obſcura, ratione ſuæ incertitudinis ipſo jure non valeat, *L. 3. & 4. C. de Sententia, quæ ſine certa quantit. &c.* ac notat Abbas *c. cùm venerabilis n. 48. de Exceptionib.* Speculator *tit. de Sententia §. qualiter n. 7.* Alexander *Conſil. 109. n. 1. & ſeqq. lib. 5.* Sigiſm. Scaccia *tract. de Sentent. & re judic. gloſſ. 14. q. 15. n. 5.* allegans plures alios. Ratio eſt: quia ſententia ferenda eſt, ut poſſit habere executionem, mediante qua jus ſuum cuique tribuatur, atque inter litigantes inducatur pax, & concordia inter cives conſervetur: atqui ſententia incerta nequit habere hujuſmodi executionem; ergo

89 Infertur proinde, quando Libellus eſt certus, ſeu de re certa, ſive certa quantitate ipſius conceptus, pariter de re certa, certave quantitate ipſius, ferenda ſit ſententia condemnatoria, vel abſolutoria: debet enim ſententia eſſe conformis libello. Quinimò, licet Libellus, ejuſve petitio, foret incertus; utputa, ſi eſſet conceptus de quantitate incerta, v. g. damni dati, aut expenſarum, juxta textum *d. §. Curare. Inſtit. de Actionib.* ſi tamen in proceſſu certificaretur, oportet, ut Judex ferat ſententiam de certa re, ſeu quantitate ipſius. Jaſon *cit. §. Curare n. 7. & ſeqq. Inſtit. de Actionib.* Sigiſm. Scaccia, *ubi ſupra n. 5. & ſeqq.* allegans alios.

90 Reſp. II. Nihilominùs data Concluſio, ſeu Regula patitur quaſdam limitationes. Imprimis enim ea potiſſimum procedit in Judiciis particularibus, ſeu actionibus ſingularibus, utpote in quibus agitur ad res aliquas ſpeciales: ſecùs in Judiciis, ſeu actionibus univerſalibus, ac generalibus, ut eſt, Petitio hæreditatis, Familiæ herciſcundæ, Petitio Caſtri una cum juribus ſuis, Actio negotiorum geſtorum, tutelæ, ac hujuſmodi, juxta dicta ſuperiùs *Tit. 1. de Judiciis, §. 2. n. 53. 54. & ſeq.* Nam in hujuſmodi actionibus univerſalibus & generalibus, ac ſententiis deſuper latis, non eſt opus ſpecificare res ipſas; ſed ſufficit tum in libello, tum in ſententia proponere, ac pronunciare univerſaliter, v. g. Pronuncio te hæredem exiſtere ex aſſe, vel ex ſemiſſe, atque ideò tibi hæreditatem reſtituendam eſſe. Gloſſa *cit. §. Curatore, V. Poſſibile*, & Jaſon *ibid. n. 7. Inſtit. de Actionib.* Gloſſa *fin. L. 2.* & Bartolus *ibid. C. de Sententia, quæ ſine certa quantitate profertur.* Unde in talibus actionibus, & ſententiis ſatis eſt, quod ſingulæ res poſtmodum ſpecificentur in executione.

91 Deinde loquendo etiam de actionibus, & ſententiis particularibus, eadem Concluſio patitur ſuas limitationes: dantur enim plures caſus, in quibus Judex nequit ferre certam ſententiam; uti videre eſt apud Gloſſam *cit. L. 2* & Bartolum *ibid. C. de Sententia, quæ ſine certa quantit.* & Jaſonem, *ubi ſuprà*. Sic fit, quando proponitur actio ſingularis alternativa, ſimulque electio eſt debitoris, *l. Ubi autem, §. Qui illud & illud, ff. de Verbor. obligation.* Idemque accidit in aliis caſibus, ubicunque incertitudo provenit ex parte Rei, ſeu debitoris, qui debet aliquid in genere, puta equum, non facta declaratione, qualis debeatur ex pluribus, *l. quæ de tota, §. fin. ff. de Rei vendicat.* Item, quando dubium eſt, an res debita adhuc exiſtat in rerum natura; adeoque petatur vel res, ſi exiſtit, vel ejus æſtimatio, *l. Si ſervum, §. fin. ff. de Verb. obligat.* Jaſon, *ubi ſuprà n. 10. & ſeqq.* apud quem plures aliæ limitationes. In hujuſmodi enim caſibus, ſicut admittitur Libellus incertus, ita & ſententia incerta, Libello tamen proportionata.

92 Quæritur IV. Utrùm ſententia poſſit ferri ſub conditione, vel ſic lata teneat? Reſp. I. Ad ſententiam judicialem inter alia requiritur, ut non feratur ſub conditione. Textus eſt *in L. 1. §. Biduum, ff. Quando appellandum ſit*, quæ eſt canonizata *can. Biduum 2. q. 6.* ubi dicitur: *Sane quidem non eſt dicenda ſub conditione ſententia: ſed ſi fuerit dicta, quid fiet?* Accedit ratio: *quia ſententia definitiva, quæ condemnationem, vel abſolutionem non continet, pro juſta non habetur*, juxta textum expreſſum *in l. Præſes, C. de Sentent. & interlocut. omn. judic.* Atqui talis eſt ſententia lata ſub conditione de futuro: quia verbum *Condemno, Abſolvo*, debet eſſe præſentis temporis, non futuri; nam futurum non diſponit; ergo. Hoc ipſum confirmatur ex *l. Non dubium. C. de Legib. & Reg. 64. jur. in 6.* ubi dicitur: *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.*

93 Reſp. II. Etſi regulariter non valeat ſententia lata ſub conditione, ut dictum; iſtud tamen locum duntaxat habet, quando ſententia profertur ſub conditione extrinſeca; veluti, ſi navis ex India advenerit, aut hujuſmodi: ſecùs verò, ſi ea feratur ſub conditione intrinſeca, ſeu dependente à natura negotii in judicium deducti. Ita Gloſſa *fin. l. cùm judex*, & Bartolus *ibid. ff. de Sententiis & interloc. omn. judic.* & alia Gloſſa *l. A Divo V. Capiantur, ff. de Re judicat.* Abbas *c. Præterea 40. num. 10. de Appellat.* id exemplificans de ſententia lata ſub conditione: *Condemno te, ſi actor juraverit*: vel, *Excommunico te, niſi intra tale tempus ſatisfeceris*, juxta textum *ib.* Jaſon *l. Admonendi, n. 61. & ſeqq. ff. de Jurejurand.* & Pagnanus *in cap. G. Perpetuus numer. 24. de Fide inſtrument.* citans alios. Accedit ratio: quia à ſententia lata ſub conditione debet appellari infra decem dies, & quidem computandos à die latæ ſententiæ, & non à die evenientis conditionis, *cit. L. 1. §. Biduum, ff. Quando appellandum ſit, & can. Biduum 2. q. 6.* Sed non foret opus appellatione, niſi ſententia lata ſub conditione intrinſeca, foret valida; cùm ſententia invalida nunquam tranſeat in rem judicatam, juxta dicenda *n. 114. & ſeq.* ſicque opus non ſit appellatione.

94 Additur tamen, *ſub conditione intrinſeca*. Nam oppoſitum eſſe dicendum de ſententia lata ſub conditione extrinſeca, videntur convincere Jura, & rationes *num. 92.* allatæ. Quinimò Sigiſm. Scaccia *tract. de Sentent. & re judicat. gloſſ. 14. quæſt. 14 n. 33. & n. 56. ac ſeqq.* generaliter docet, quod non ſolùm ſententia lata ſub conditione extrinſeca ſit nulla; ſed etiam ſententia lata ſub conditione intrinſeca de futuro, utputa, *Si probaverit*. Tum quia (inquit) Judex debet ferre ſententiam certam: atqui talis non eſt hæc, cùm ſe referat ad probationes futuras, pendentes ab incerto eventu. Tum quia ordo judiciarius exigit, ut probationes fiant ante ſententiam durante inſtantia, & non poſtea: hoc enim foret præpoſterare ordinem judiciarium. Ita inter alia diſcurrit Scaccia *loc. cit. n. 28. & ſeqq.*

95 Dices. In multorum locorum Tribunalibus uſu receptum eſt, ut Reus abſolvatur à petitione Actoris, addita hac clauſula: *Niſi poſſit Actor intentionem ſuam melius, quam in actibus præcedentibus factum eſt, probare; idque ſi intra unum, vel alterum menſem præſtiterit, fiet tunc, quod juris eſt, &c.* Atqui talem praxim Tribunalium damnare non facile licebit; ergo. Reſp. Licet non poſſit negari, quin hæc ſententia ſit conditionata, nihilominùs eam valere: idque vel juxta ſententiam Gloſſæ, Bartoli, Abbatis, Jaſonis, Fagnani, & aliorum volentium, quod ſententia lata ſub conditione intrinſeca (qualis eſt hæc) bene valeat: licet ſecùs ſit de ſententia lata ſub conditione extrinſeca, ut proxime dictum. Vel ſaltem (uti vult Engel *h. t. num. 10*) valet talis ſententia ob receptam quorumdam locorum, ſeu Tribunalium conſuetudinem, quæ rigori juris præjudicare poteſt, cùm videatur rationabilis.

96 Et quidem, quod ejuſmodi conſuetudo non ſit irrationabilis, ac proinde accedente uſu longævo poſſit derogare Juri poſitivo-humano; per textum *in cap. ult. de Conſuetud.* ex eo deſumitur. Quia per ipſam ſæpius liberantur partes ab onere appellationis, dum poſt talem ſententiam novas probationes, atque exceptiones poſtea repertas, coram eodem Judice proponere poſſunt: ubi alias ſuperiorem Judicem de rigore Juris adire deberent, non ſine magno plerunque incommodo, gravibuſque expenſis.

97 Quæritur V. Utrùm ſententia debeat continere non ſolùm abſolutionem, vel condemnationem, ſed etiam cauſam ipſius? Reſp. I. Certum eſt, quod ſententia diffinitiva debeat continere abſolutionem, vel condemnationem, *L. 1. ff. de Re judicat. & l. Præſes, C. de Sentent. & interlocut. omn. judic.* cum ſimilibus. Idque vel expreſſe, ſive claris verbis Reum condemnando, aut abſolvendo; vel ſaltem tacite, ac virtualiter. Nam & iſtud poſterius ſufficere, probat textus *in l. Quid tamen ſi de pluribus, §. Si arbiter, ff. de Receptis arbitr.* ubi Bartolus in Summario legit: *Qui pronunciat, nihil videri debitum, debitorem abſolvere videtur.* Abbas *c. In his n. 12. de Verb. ſignif.* juncto textu *ibid.* dum dicitur, per verbum *Statuo, & Præcipio*, diffinitivam ſententiam ferri poſſe. Vallenſis *h. t. §. 3. n. 13.* & alii.

Reſp.



98 Reſp. II. Sententia regulariter loquendo non neceſſario debet continere cauſam, quæ Judicem movit ad abſolvendum, vel condemnandum. Ita textus *in cap. Sicut nobis 16. h. t.* Nam, *quando conſtat ſententiam à judice ſuo prolatam, propter authoritatem judiciariam præſumi debet, omnia legitime proceſſiſſe*; prout *ibid. §. fin* argumentatur Pontifex. Quinimò, ut poſt Innocentium notat Jo. Andreas *cit. c. Sicut nobis num. 6.* & Abbas *ibid. numer. 11. h. t.* & Engel *eod. num. 26.* non ſolùm non tenetur Judex ad exprimendam cauſam; ſed etiam fatuum eſt, eam exprimere: quia facile poſſet mala cauſa exprimi, & bona ſupprimi; & ſic non valeret ſententia, juxta dicenda *n. 130. & 131.*

99 Nec obſtat *can. In tantum diſt. 21.* ubi Gloſſa ait, quod Judex teneatur exprimere cauſam; ſi tamen non expreſſerit, teneat ſententia. Reſp. enim, illam Gloſſam quoad priorem partem communiter relinqui: quamvis enim Judex poſſit apponere cauſam, quæ ipſum movit ad ſic ſententiandum; ad hoc tamen regulariter non tenetur, juxta textum *in cit. c. Sicut nobis*, juncta Gloſſa, *verſ. Exprimantur*, & DD. *ibid. h. t.*

100 Additur tamen, *regulariter*. Dantur enim certi caſus, per Gloſſam *cit. c. Sicut nobis verſ. Exprimitur*. Jo: Andream *n. 9.* alioſque DD. *ibid.* relati, in quibus Judex teneatur apponere cauſam ſuæ ſententiæ. Sic accidit imprimis in cauſa appellationis: nam in ea debet exprimi cauſa, quare prior ſententia revocetur, ut per hoc prioribus Judicibus non imputetur. Gloſſa *cit. cap. Sicut nobis, verſ. Exprimantur*, & Jo. Andreas *num. 9.* & Abbas *ibid. num. 11. h. t.* Pirhing *eod. num. 11.* Speculator *tit. de Sententia, §. Qualiter num. 14.* & alii. Idque patet ex *cap. cùm Bertoldus 18. §. Licet autem h. t.* ubi Pontifex, ad quem appellatum fuerat, revocaturus priorem ſententiam dixit, Archiepiſcopum, qui eam tulerat, fuiſſe circumventum &c. Similiter *cap. cùm Joannes 10. §. fin. de Fide Inſtrument.* Papa revocaturus ejuſmodi ſententiam, apponit cauſam ad parcendum honori priorum Judicum: eò quòd *hujuſmodi* (inquit) *exceptio coram ipſis nec probata fuerit, nec objecta*. Idipſum videre eſt *in c. cùm olim 14 § fin. de Privileg.* ubi pariter Papa reformaturus ſententiam, reddit rationem talis revocationis; ſimulque priores Judices excuſat, utpote *quibus* (ait) *libertatis privilegia non fuerant præſentata*. Idem ergo dicendum in ſimilibus.

101 Secundò tenetur Judex exprimere cauſam in ſententia excommunicationis. Cùm enim excommunicatio ſit medicinalis, non mortalis: quiſquis alterum excommunicat, debet excommunicationem in ſcriptis proferre, & cauſam excommunicationis expreſſe conſcribere, ut ſic alter reſipiſcere, ipſamque cauſam excommunicationis per pœnitentiam, & debitam ſatisfactionem tollere valeat, *text. clar. c. cùm medicinalis §. 1. de Sentent. excommunicat. in 6.*

102 Tertiò debet exprimi cauſa in ſententia, ubi Reus abſolvitur propter ineptam petitionem Actoris in libello factam: idque meritò, ne alioquin Actori pereat jus agendi, ſeu novam actionem inſtituendi, ex ignorantia cauſæ, ob quam Reus fuit abſolutus; ut *cap. Examinata 15. de Judiciis*. Quartò, cùm Judex à Jure communi recedit ſententiando: utputa, non condemnando victum in expenſis, *Auth. de Judicibus §. Oportet. collat. 6.* Vel non recipiendo alterius appellationem, *l. Sciendum, ff. de Appellat. recipiend.* Quintò, cùm ſecundùm Legem (ſcilicet *l. Properandum. C. de Judiciis*) abſolvitur quis ab inſtantia judicii: tunc enim debet Judex exprimere, per quem ſteterit, quo minùs cauſa diffiniri poterit, ne ex toto pereat Actori jus agendi, *cit. l. Properandum §. Illo procul dubio*, juncta Gloſſa *ibid. verſ. Sententia*. Sextò, quando abſolvitur Reus in rei vendicatione ex eo duntaxat, quia tempore latæ ſententiæ non poſſidet: ne forte poſtea Actori, ex nova cauſa agere volenti, obſtet rei judicatæ exceptio, *cap. penult. de Exceptionib.* Atque hoſce ſex caſus, in quibus cauſa in ſententia debet exprimi enumerant Speculator, Jo: Andreas, & Abbas, *ubi ſupra*, & Pirhing *h. t. n. 11.*

103 His adde, quod etiam in memoratis caſibus, per ſe loquendo, non requiratur expreſſio cauſæ in ſententia: adeoque valeat ſententia, ſi hæc nemine opponente ſine expreſſione cauſæ lata fuerit. Siquidem in his ipſis caſibus debet cauſa in ſententia exprimi duntaxat propter certos effectus, qui ex tali ſententia oriri poſſunt: puta, ut excommunicatus à ſua contumacia reſipiſcere poſſit; vel ne Actori pereat jus de novo agendi, aut hujuſmodi: prout facile colligitur ex dictis, atque ampliùs declarat Abbas *loc. cit. n. 12.*

104 Idem contingere poteſt in nonnullis aliis caſibus, ac proinde debet exprimi cauſa in eorum ſententiis ob certos effectus. Sic enim damnatus ex una cauſa efficitur Infamis, non item ex alia: prout Tutor remotus à tutela ob dolum commiſſum, redditur infamis; non item, ſi removeatur ob negligentiam tantùm. *L. 3. & 4. ff. de Suſpectis tutorib.* Unde ad irrogandum effectum infamiæ exprimi debet, quod ob commiſſum dolum amotus fuerit: alioquin enim, ſi in ſententia iſtud non exprimitur; ea in mitiorem partem interpretari debet; ſicque non intelligitur ex cauſa famoſa damnatus, ſeu remotus, *l. Hæ enim cauſæ, ff. eod.*

## §. IV.

## De Re judicata, veluti præcipuo effectu Sententiæ diffinitivæ.

### *SUMMARIUM.*

105 & 106 *Res judicata poteſt dupliciter accipi, large & proprie; & quid ſit?*

107 *Præcipuus ſententiæ diffinitivæ effectus eſt, ut regulariter poſt decendium, ſi ab ea non appelletur, tranſeat in rem judicatam.*

108 *Et cur?*
*Victus non appellans, vere non conſentit in ſententiam, ſed ficte: neque victor, ſciens ſententiam injuſtam, poteſt rem ſibi adjudicatam tuta conſcientia retinere. Ibid.*

109 *Sententia tranſiens in rem judicatam, habet pro ſe præſumptionem juris & de jure.*

110 *Tempus decem dierum conceſſum ad appellandum, quando incipiat currere? Et n. ſeq.*

111 *Decendium iſtud currit de momento in momentum ab hora latæ ſententiæ.*
*Tempus omne currit de momento in momentum, ubi aliud à Jure non exprimitur. Ibid.*

112 *Sententia non ſolùm diffinitiva, verum & interlocutoria, poſt decendium tranſit in rem judicatam.*

113 *Tranſit etiam ſententia in rem judicatam, quando appellatio fuit deſerta.*

114 *Dantur plures caſus, in quibus ſententia poſt decennium non tranſit in rem judicatam.*

115 *Sic ſententia lata contra jus conſtitutionis, non tranſit in rem judicatam.*

116 *Idque probatur.*
*Quod nullum eſt, nullum producit effectum. Ibid.*
*Non entis, nullæ ſunt qualitates. Ibid.*
*Paria ſunt, non eſſe, & eſſe nullum. Ibid.*

117 *Sententia à non ſuo Judice lata, vel pretio empta, aut lata ex probationibus à jure reprobatis &c. non tranſit in rem judicatam.*

118 *Sententia lata in cauſis matrimonialibus, non tranſit in rem judicatam, ſed revocatur, quandocunque conſtat de errore.*

119 *Sive lata contra matrimonium, ſive pro ejus valore. Et nu. præced.*

120 *Intellige, quando ex illius ſententiæ obſervantia nutritur peccatum, utriuſque partis conſenſu non impedibile; alias ſecùs: quod exemplificatur.*

121 *Sententia lata contra valorem Sponſalium de futuro, tranſit in rem judicatam, niſi appelletur ab ea.*

122 *An idem dicendum de ſententia lata, pro valore Sponſalium.*

123 *Sententia non tranſit in rem judicatam in cauſa Beneficiali.*

124 *Intellige, quoad præjudicium Eccleſiæ, & favorem Beneficiati: ſecùs quoad partem, ſeu contradictorem; idque declaratur.*

125 *Nulla ſententia tranſit in rem judicatam, cujus obſervantia nutrit peccatum de conſenſu partis non remiſſibile.*

126 *In*

126 *In cauſis criminalibus, an, & in quo ſenſu ſententia non tranſeat in rem judicatam? Et n. ſeq.*
127 *Conſenſus expreſſus nihil operatur, ut innocens poſſit occidi; bene tamen tacitus.*
128 *Sententia, quam victor fatetur iniquam, debet retractari, neque cenſetur tranſiiſſe in rem judicatam.*
129 *Neque tranſit in rem judicatam ſententia, quando per evidentiam facti conſtat de ejus iniquitate.*
130 *Idem dicendum de ſententia lata ex errore, vel cauſa falſa, aut non concludente, quando hæc in ſententia fuit expreſſa.*
131 *Item de ſententia lata ex falſis inſtrumentis, vel teſtimoniis teſtium corruptorum, dum probatur, Judicem in ſententia ferenda eiſdem uſum eſſe.*
132 *Iſtud ampliatur ad ſententiam latam prætextu juramenti neceſſarii, falſi tamen poſtea reperti.*
133 *Sententia lata ex probationibus privilegiatis, aut præſumptivis, non tranſit in rem judicatam; ſed ſupervenientibus veris probationibus &c. poteſt retractari.*
134 *Hoc ipſum procedit in omnibus ſententiis, quæ ſunt latæ ex conſilio Doctorum aut judicio Peritorum in arte ſua. Niſi hi fuiſſent aſſumpti de voluntate utriuſque partis. Ib.*
135 *Qualiter ſententia, quæ non tranſit in rem judicatam, ſit revocanda? Et n. ſeqq.*
*Ea poſt lapſum decem dierum non poteſt revocari per viam appellationis, ſed ſolùm per viam querelæ. Ib.*
136 *Et quomodo iſtud fiat? Et n. 138.*
137 *Notabilis differentia inter Appellationem, & inter Querelam; in cauſis non tranſeuntibus in rem judicatam. Et n. ſeq.*
138 *Appellatio devolvit cauſam ad Superiorem: Querela eſt cognoſcenda ab eodem Judice, qui ſententiam tulerat.*
*Hic cognita ſummariter cauſa querelantis, poteſt querelantem reſtituere in integrum, eumque denuo audire. Ibid.*

105 QUæritur I. Quid ſit Res judicata, & quo tempore Sententia dicatur tranſire in rem judicatam? Reſp I. *Res judicata* poteſt dupliciter accipi: primò largo modo, ſive pro ipſamet ſententia, quæ imponit finem controverſiæ per abſolutionem, vel condemnationem. Sic Res judicata accipitur *in l. Litigatoribus. C. de Appellation.* ibi: *Litigatoribus copia eſt, illico appellare voce cùm res popoſcerit judicata*: id eſt, cùm lata eſt ſententia ritè; prout explicat Gloſſa ℣. *Judicata*, & Bartolus *ibid.* ac notat Maranta *par. 6. Speculi Aurei, tit. de ſententia n. 128.*

106 Secundò, & propriè, *Res judicata* dicitur ſententia, quæ poſt lapſum decem dierum accepit authoritatem, ac vires rei judicatæ; adeò, ut pro veritate accipiatur, & poſtea retractari non poſſit, atque contradicere volens ampliùs non audiatur. Et de Re judicata, taliter ſumpta, procedit *Reg. 207. ff. de reg. Jur. Res judicata pro veritate accipitur.* Quod ipſum habetur *in l. Ingenuum, ff. de Statu liber.* Unde ſententia illa, quæ in rem tranſiit judicatam, tantæ eſt authoritatis, ut de ente faciat non ens, & de falſo verum; & de albo nigrum, ſecundùm Jaſonem *l. Julianus verum debitorem nu. 2. ff. de Condiction. indebit.* & Maranta *loc. cit. n. 129.* Atque in hac poſteriori acceptione tunc ſermo eſt de Re judicata.

107 Reſp. II Præcipuus ſententiæ diffinitivæ effectus eſt, quod regulariter loquendo, ſi ab ipſa infra decem dies per condemnatum non fuerit appellatum, ejuſmodi ſententia tranſeat in Rem judicatam; adeò, ut poſtea retractari non poſſit, & contradicere volens ampliùs non audiatur. Ita communis; atque habetur clare deciſum *in Auth. de Appellation. & intra quæ tempora &c. & can. anteriorum 2. q. 6.* ubi revocato biduo, vel triduo, antiquitus ad appellandum duntaxat conceſſo, *ſancitur, omnes appellationes poſſe intra decem dierum ſpatium, à recitatione ſententiæ numerandorum, judicibus ab iis, quorum intereſt, offerri.* Concordant *c. cùm inter 13. & c. quod ad conſultationem 15. h. t.* In quo poſteriori loco Pontifex ſic loquitur: *Cùm poſt decem dierum ſpatium, ſententia in authoritatem rei tranſeat judicatæ: qui ad provocationis ſubſidium intra id temporis non recurrit, appellandi ſibi aditum denegavit; cùm per hoc videtur per interpretationem juris latæ ſententiæ paruiſſe.* Hæc ibi.

Atque iſtud fit tum propter juris, & Judicis authoritatem, ob quam præſumuntur omnia rite celebrata, ex quo non fuit appellatum à ſententia, *cap. Sicut nobis 16. §. fin. h. t.* Tum propter partis non appellantis tacitum conſenſum, atque, ſi quod habuit, juris renunciationem, *L. ult. C. de Sententia, quæ ſine certa quantitate &c. & l. ab eo. C. Quomodo & quando &c.* Quamquam victus non appellans, verè non conſentiat ſententiæ, ſed fictè duntaxat; ac proinde ex ſententia condemnatoria injuſta, ſeu quam victor novit eſſe iniquam, non oriatur obligatio naturalis; neque victor ille tuta conſcientia poſſit retinere rem ſibi adjudicatam: prætextu conſenſus per non appellantem ſententiæ præſtiti. Quia (ut dictum) iſte non conſentit verè in ſententiam, ſed fictè, ac ex præſumptione ſeu interpretatione juris: alioquin enim ſæpe quis omittit appellationem execrans litem, & timens vexationem judiciorum. Abbas *c. Quod ad conſultationem nu. 7. h. t.* 108

Cæterùm loquendo pro Foro externo, ſententia, quæ tranſivit in rem judicatam, impoſterum quod ſit juſta, parſque condemnata in eam conſenſerit, *l. Res judicata, ff. de Reg. Jur. & d. c. quod ad conſultationem 15. h. t.* atque notat Abbas *c. ult. n. 32. de Præſcription.* & communis. Ita quidem, ut poſtea non admittatur probatio in contrarium, etiam prætextu inſtrumentorum de novo repertorum; ut *c. Suborta 21. §. fin. h. t.* ubi Abbas *n. 10. & 13.* & idem Abbas *c. Conſanguinei n. 12. eod.* Concordat textus *in l. Sub ſpecie. C. de Re judicat.* ibi: *Sub ſpecie novorum inſtrumentorum poſtea repertorum res judicatas reſtaurari, exemplo grave eſt.* 109

Quod ſi petas, quando incipiat currere tempus decem dierum, conceſſum ad appellandum contra ſententiam? Reſpondetur, juxta *cit. Auth de Appellation. & can. Anteriorem, quæſt. 6.* decendium iſtud eſſe computandum, *à recitatione ſententiæ*: ut liquet ex verbis *num. 107.* allegatis. 110

Unde decendium hoc incipit ab hora latæ ſententiæ, curritque de momento in momentum. Jo: Andreas *c. ſuper eo 12. n. 10.* & Abbas *ibid. n. 12. de Appellation.* qui pro regula ponunt, quod omne tempus currat de momento in momentum, ubi aliud à Jure non exprimitur. Engel *tit. de Appellation. n. 39.* Ita tamen, ut adhuc decimo die (ante completum ultimum ejus momentum) poſſit appellari, *arg. can. propter ſuperfluam 2. q. 6.* ac notat gloſſa *cit. can. Anteriorum ℣. Dierum.* Et ſi ſententia fuit lata in abſentem, qui nec per Procuratorem defenſus fuit (puta, quando abſens damnatus fuit non propter contumaciam veram) tunc decendium illud currere incipit primùm à die ſcientiæ de lata ſententia; ut dicitur *l. 1. §. fin. & §. Dies autem, ff. quando appellandum ſit*: ubi Summarium inquit, Tempus appellationis interponendæ eſſe utile quoad initium, continuum quoad proceſſum. Gloſſa *in Auth. Hodie autem ℣. A ſententiæ. C. de Appell.* Secùs, ſi abſens agebat per Procuratorem: quia, ſi ejus Procurator non appellavit, elapſo decendio non auditur: niſi forſan Procurator non ſit ſolvendo, *cit. L. 1. § fin. ff. quando appellandum ſit*, juncta Gloſſa *fin. & marg. ibid.* 111

Adde tamen præmiſſis, quod non ſolùm ſententia diffinitiva, verùm etiam ſententia interlocutoria tranſeat in rem judicatam, ſi ab ea inter decendium non appelletur: ut dicitur *c. cùm dilectus 32. § fin. de Election.* & notat Abbas *c. 2. n. 14. & 15 De in integrum reſtitut.* 112

Reſp. III. Inſuper ſententia tranſit in rem judicatam, quando inter decendium ab ea quidem appellatum eſt, poſtea tamen appellatio fuit deſerta. Textus eſt *in Auth. Ei qui Appellation. C. Temporib. appellation.* ubi ſic habetur: *Ei qui appellat, impertitur annus, intra quem ſecundùm ſe communiterve cum adverſario litem exequatur: aut ſi juſta cauſa interceſſerit alius annus indulgetur: quo tranſacto, lite non completa, rata manet ſententia*: ac ſi non fuiſſet appellatum, prout ſubjungit Gloſſa *ibid. verſ. Manet ſententia.* Additur tamen num. 107. *regulariter loquendo*, propter illicò dicenda. Unde 113

Quæritur II. An dentur nonnulli caſus, in quibus ſententia poſt decendium non tranſit in rem judicatam; & qui? Reſp. I. Dari plures hujuſmodi caſus; adeò, ut eorum viginti quatuor enumeret Maranta *par. 6. Speculi Aurei, tit. de Sententia, &c. n. 128. & ſeqq.* quorum præcipui ſunt ſequentes. 114

Pri-



115 Primò quidem, ac generatim loquendo, ſententia, quæ fuit lata contra jus conſtitutionis, ſicque ipſo jure eſt nulla, non tranſit in rem judicatam, licet ab ea non appelletur: ſed probatio juris errore, poteſt retractari non ſolùm poſt decendium, ſed etiam poſt decennium, & quidem uſque ad triginta annos; non tamen ultra, niſi ubi vertitur periculum animæ. Ita Maranta *cit. par. 6. tit. de ſentent. n. 154.* poſt Cardinalem *clem. 1. quæſt. 14. de Sentent. & re judic.* Speculator *tit. de ſententia §. Juxta, in fin.* & Gailus *lib. 1. Practic. Obſerv. 127 n. 8.* allegans communem, & in Camera receptam ſententiam.

116 Prima hæc fallentia deſumitur tum ex *cap. 1. h. t.* juncta Gloſſa *ibid. verſ. Contra leges*: tum ex *l. Si cùm inter te. C. quando provocare non eſt neceſſe*: ubi ſententia contra leges, Canoneſve prolata, nullas habere vires dicitur; adeò ut *nec provocationis auxilium neceſſarium ſit.* Nam, quod nullum eſt, nullum producit effectum, *arg. l. Si non obtulit 4. §. Condemnatum, ff. de Re judic. & c. Illud 8. de jurepatronat.* Et non entis, nullæ ſunt qualitates, *c. Ad diſſolvendum 13. de deſponſat. impub.* juncta Gloſſa *verſ. Legitime accuſari.* Et paria ſunt, non eſſe, &, eſſe nullum, *l. Duo ſunt Titii, ff. de Teſtamentar. tutel.* cum ſimilibus Concordat textus expreſſus *in l Si expreſſim, ff. de Appellation.* ibi: *Si expreſſim ſententia contra juris rigorem data fuerit, valere non debet; & ideò ſine appellatione cauſa denuò induci poteſt.* Hæc ibi.

217 Infertur proinde, quod ſententia à non ſuo Judice lata, non tranſeat in rem judicatam: quia eſt ipſo jure nulla, *c. At ſi Clerici 4. de judiciis*, & alibi. Gloſſa *cit. cap. 1. ℣. Contra leges, h. t.* Deinde ſententia pretio empta, ſive lata à corrupto Judice, nunquam tranſit in rem judicatam: quinimò eſt ipſo jure nulla, etiam citra interpoſitæ provocationis auxilium, *l. Venales. C. Quando provocare non eſt neceſſe.* Abbas, *c. cùm ab omni n. 7. de Vita, & honeſtat. Cleric.* & alii. Idemque dicendum, quando ſententia eſt lata ex probationibus à Jure reprobatis; utputa, per duellum, vel ob experientiam ferre candentis, *cap. 1. & ſeqq. de Purgation. vulgar.* Maranta *cit. tit. de Sententia nu. 139.* poſt Baldum *in l. Libertorum. C. de Teſtib.* Concordant dicta ſuperiùs *§. præced. n. 70. 71. & 72.* ubi nonnulla alia exempla referuntur. Et quia pluribus modis poteſt contingere, ut ſententia feratur contra claram Juris diſpoſitionem, uti jam dictum: hinc patet, plurimos ex hoc capite caſus ſpeciales recenſeri poſſe, in quibus ſententia non tranſit in rem judicatam.

117 Reſp. II. Deinde, ac magis loquendo in ſpecie, ſententia lata in cauſis matrimonialibus non tranſit in rem judicatam: unde revocatur, quandocunque conſtat de errore. Ita textus *in c. Lator 7. h. t.* ubi Gloſſa *in Caſu* Jo: Andreas, & Abbas *in Summario*, aliique communiter. Hinc, quando legitimum matrimonium judicialiter diſſolutum fuit, eò quòd v. gr. fuiſſet allegatum impedimentum dirimens, quod poſtea conſtat reverà non adfuiſſe, retractatur prior ſententia, atque redintegratur matrimonium (utpote Jure divino indiſſolubilem) poſtquam apparet, Eccleſiam eſſe deceptam, *c. Fraternitatis 6. de Frigidis, & malefic.* Simile quid habetur *c. Tenor. 10. h. t.*

119 Idemque dicendum eſt de ſententia lata pro valore matrimonii, quando ex poſt facto conſtat, revera illud fuiſſe invalidum ob occultum impedimentum. Siquidem in utroque caſu vertitur periculum animæ, cùm matrimonium legitime contractum ampliùs diſſolvi non poſſit; neque etiam impedimentum dirimens, ſuo conſenſu conjuges putativi tollere valeant: unde cognita veritate, ſententia ejuſmodi retractari debet.

120 Cæterùm dictum iſtud, quod ſententia lata in cauſa matrimoniali non tranſeat in rem judicatam, tunc ſolummodò procedit, quando ex illius ſententiæ obſervantia nutritur peccatum, quod utriuſque partis conſenſu non poteſt impediri, nec tolli quoad culpam: uti fit in proximè relatis caſibus, ubi ſententia lata contra legitimum matrimonium ex allegato falſo impedimento, vel pro valore matrimonii non obſtante impedimento dirimente v. g. conſanguinitatis, partium conſenſu convalidari non poteſt. Gloſſa *ſup. cit. c. Lator.* & Abbas *ibid. n. 9.* & [illegible] *3. h. t.* allegans plures alios. Secùs dicendum, quando ſententia fuit lata pro matrimonio, quod nullum [illegible] ex defectu per partes remiſſibili; puta, ex defectu conſenſus ob gravem metum incuſſum, vel ex conditione ſervitutis ab altera parte anteà ignoratæ. Nam ſi à tali ſententia intra decendium non fuerit appellatum, tunc ea tranſit in rem judicatam: adeò, ut partes de novo conſentire debeant, ſuoque conſenſu (uti poſſunt) matrimonium convalidare: ac poſtea reſilire volens, non ampliùs ſit audiendus, imò compellendus adhærere alteri, cùm abſque peccato iſtud poſſit facere renovato mutuo conſenſu, ut dictum. Gloſſa, Abbas, Barboſa, *ubi ſuprà.* Covarruvias *par. 2. de Matrimonio 8 §. 12. n. 38.* Sanchez *l. 7. de Matrimon. diſp. 100. n. 13.* & alii.

Inſuper dictum illud non procedit in ſententia lata contra valorem Sponſalium de futuro: nam quia hæc mutuo conſenſu rurſus diſſolvi poſſunt, *c. 1. de Reg. Jur.* ſicque ſententia illa ſine peccato obſervari poteſt; meritò cenſetur tranſire in rem judicatam, niſi intra decem dies ab ea fuerit appellatum. 121

Utrùm verò ſententia lata pro valore Sponſalium de futuro, ſimiliter tranſeat in rem judicatam, ſi ab ea non fuerit appellatum, eſt diſtinguendum. Vel enim ſententia illa poteſt obſervari ſine peccato; & tranſit in rem judicatam. Vel non poteſt obſervari ſine peccato; puta, quia ſponſalia ob non probatum v. g. latens impedimentum conſanguinitatis, pronunciabantur valida: & talis ſententia eſt nutritiva peccati, quod partium conſenſu tolli non poteſt; ſicque nequit tranſire in rem judicatam, ſed quocunque tempore probetur latens illud impedimentum, erit retractanda. Alioquin quippe impedimento dirimente detenti compellerentur matrimonium inire, & quidem invalidum, non ſine graviſſimo peccato mortali, ac diſpendio ſalutis æternæ. 122

Tertiò, ſententia non tranſit in rem judicatam in cauſa Beneficiali: argumento à ſimili deſumpto ex matrimonio carnali ad ſpirituale, juxta *cap. 2. de Transl. Epiſcop.* ac notat Abbas *c. cùm dilectus nu 5. de Election.* Maranta *loc. cit. n. 150.* iſtud intelligens, quoad præjudicium Superioris, *c. cùm Bertoldus 18. h. t.* Secùs, quoad præjudicium ipſarum partium; ut eſt Gloſſa *in c. 1. de Conceſſion. Præbend.* & Abbas *ibid. n. 4.* 123

Nec obſtat, quod *in cit. cap. cùm dilectus 32. §. fin. de Election.* loquendo de cauſa Beneficiali, dicatur: *Cujus* (Metropolitani) *ſententia in rem tranſiit judicatam, cùm intra decendium non fuerit legitima provocatione ſuſpenſa.* Reſp. enim cum Abbate *cit. cap. cùm dilectus numer. 5.* & Gonzalez Tellez *ibid. numer. 32. de Election.* iſtud intelligendum eſſe reſpectu contradictoris; non autem in præjudicium Eccleſiæ, atque favorem Beneficiati. Unde ſciendum eſt, quod ſententia in cauſa Beneficiali bene tranſeat in rem judicatam, quoad partem, ſive contradictorem illum, qui impugnare auſus fuit alterius electionem, ſeu collationem Beneficii alteri factam: adeò, ut ſi ſuccumbat, ſeu ſententia contra ipſum feratur, & intra decem dies non appellaverit, nequaquam ampliùs non audiatur; quia non appellando cenſetur acquieſcere ſententiæ, eò præſertim, quod hanc ſine peccato admittere, atque ab ulteriori impugnatione abſtinere valeat. Non tamen [illegible] ejuſmodi ſententia tranſit in rem judicatam quoad præjudicium Eccleſiæ, atque in favorem Beneficiati: ſed poteſt adhuc poſt decendium defectus, ſi quis irrepſerat, Judici denunciari. Imò & Judex ad impediendum alterius peccatum, & damnum Eccleſiæ imminens ob promotionem indigni, poterit ex officio inquirere de titulo legitimo; puta, de validitate electionis, ſeu canonicæ inſtitutionis dicti Beneficiati: Ne alioquin in præjudicium Eccleſiæ promoveatur minùs canonicè inſtitutus; & talis, qui ſine peccato Beneficium obtinere, & retinere non poteſt: hujuſmodi enim defectus ex conſenſu partium ſuppleri non poteſt. 124

Quarto, nulla ſententia tranſit in rem judicatam, cujus obſervantia nutrit peccatum de conſenſu partium non impedibile, *arg. cap. ult. de Conſuetud. & cap. ult. de Præſcription.* cum concordantiis, & tradit Gloſſa *fin. cap. Inter monaſterium h. t.* docens, quod *ubi vertitur periculum animæ, tenet ſententia contra primam* Innocentius *ibid. in fin.* Hoſtienſis, & Jo: Andreas *in c. Lator n. 5.* & Abbas *n. 9. h. t.* Pirhing *eod. n. 49.* Maranta, *ubi ſupra, n. 147.* & alii. Unde idem Abbas *in c. Iuravit, num 5. de Probation.* ponit regulam, quod ubi vitium ſententiæ per partes eſt remiſſibile, ſententia illa tranſeat in rem judicatam; aliàs ſecùs. 125

Quin-

126 Quintò notat Ludovic. Engel *h. t. num.* 24. etiam in cauſis criminalibus ſententiam non tranſire in rem judicatam, ſed quandocunque poſſe Rei innocentiam demonſtrari; ut *l. Unius. 18. §. penult. ff. de Quæſtionib.* ibi: *Quamvis defenſionem quocunque tempore poſtulante Reo negari non oportet.* Verùm hæc ſententia, niſi meliùs explicetur, non caret difficultate: tum quia Gloſſa *ib. V. Quocunque tempore*, aſſerit, iſtud intelligendum eſſe de quocunque tempore *ante ſententiam*: adeò, ut juxta Bartolum *ibid.* etiam poſt publicationem atteſtationum poſſint ad defenſam Rei recipi alii teſtes. Tum quia videtur repugnare textus *L. 1. §. fin. ff. de Quæſtionibus* ubi Præſes Provinciæ eum, quem damnavit, reſtituere non poteſt (hoc enim fieri poſſet, ſi ſententia non tranſiret in rem judicatam) ſed cognita Rei innocentia Principi reſcribendum eſſe dicitur, cujus indulgentia Reus innocens repertus reſtituatur. Unde in iſto duntaxat ſenſu procedit relata Ludovici Engel ſententia; videlicet, in cauſis criminalibus ſententiam non tranſire in rem judicatam, quatenus ſemper poteſt innocentia Rei probari, ut Principis indulgentia reſtituatur: non autem, quin tranſeant in rem judicatam quoad inferiores Judices,

127 Accedit ratio: quia, licet loquendo de cauſis criminalibus conſenſus expreſſus nihil operetur, ut innocens poſſit occidi, vel mutilari (neque enim homo eſt dominus vitæ, ac membrorum ſuorum) nihilominùs tacitus ejus conſenſus, ſeu potiùs illa patientia, qua non appellavit, nec aliquid in ſui defenſionem allegavit, Jure ſic diſponente, poteſt ei nocere: adeò, ut ſententia tranſeat in rem judicatam, donec cognita rei innocentia per Principem relaxetur. Siquidem licitè poteſt quis mortem, vel mutilationem etiam injuſtam pati, nec tenetur ſe defendere, exemplo multorum millium Sanctorum Martyrum; etſi expreſſe in eam conſentire, aut renunciare defenſioni ſuæ non poſſit. Pirhing *h. t. nu. 50.* Simulque novum non eſt, ut quis cuipiam tacitè renunciare poſſit, non autem expreſſe: prout juramentum calumniæ poteſt remitti tacitè, non autem expreſſe, *c. 1. §. Propter omiſſiom, de Juram. calumn. in 6.*

128 Sextò, quando victor fatetur, ſententiam pro ſe latam eſſe iniquam, tunc ea debet retractari. Abbas *c. Cùm inter num. 8. h. t.* poſt Innocentium *c. Quia plerique, de Immunitat. Eccleſ.* Neque talis ſententia tranſit, nec tranſiviſſe cenſetur in rem judicatam; adeò, ut nunquam poſſit, aut debeat executioni mandari. Jaſon *in Repetit. l. Admonendi numer. 45. & 46. ff. de Jurejurand.* Maranta *cit. par. 6. Speculi Aurei, tit. de Sententia, num. 138.* allegans alios. Nec immeritò: quia, licet ſententia tranſiens in rem judicatam, habeat pro ſe præſumptionem juris & de jure, nihilominùs contra hanc ipſam admittitur propria confeſſio partis; ut dictum ſuprà *Tit. 23. de Præſumptionibus, §. 2. n. 54. & 55.*

129 Similiter ſententia nunquam tranſit in rem judicatam, ubicunque per evidentiam facti, v. g. per inſpectionem ocularem, conſtat de ejus iniquitate: unde hæc ſemper retractari poteſt, etiam ſine appellatione, *arg. l. Confeſſionibus, ff. de Interrog. actionib.* Innocentius *c. Fraternitas. § Nota ſententiam, de Frigidis & maleficiat.* Abbas *c. Significantibus n. 5. de Purgation. vulgar.* hujus rationem dans: quia non debet Judex ſuſtinere, ut quis notoriè detineat rem alterius cum peccato. Maſcardus *de Probation. q. 8. proœm. n. 16.* allegans alios.

130 Septimò quando Judex ex errore, vel cauſa falſa proceſſit, illamque cauſam expreſſit in ſententia, hujuſmodi ſententia non tranſit in rem judicatam, ſed detecta veritate ſemper poteſt retractari, *arg. L. 1. ff. quæ ſententiæ ſine appellat. reſcind.* ubi propter errorem calculi in ſententia expreſſum, appellare neceſſe non eſt. Maranta *loc. cit. num. 118. & 141.* citans alios; atque iſtud probans ex *cap. Inter cæteris 9. h. t.* ubi dicitur, quod *ſententiæ non debet ſtari, ſi iniquitatem contineat manifeſtam*. prout fit in propoſito. Engel *h. t. nu. 25.* Idque ampliatur ad ſententiam, in qua Judex exprimit cauſam non concludentem: quia enim talis ſententia eſt nulla, adeoque non tranſit in rem judicatam, licet ex alia cauſa non expreſſa poſſet juſtificari. Abbas *cap. Sicut nobis nu. 14. & 15. h. t. & c. Ex parte Acienſis, num. 19. de Conceſſion. Præbend.* citans Bartolum *in l. Si is ad quem, ff. de Acquirend. hæred.* & Doctores communiter: quamvis addat, ſecùs eſſe dicendum de ſententia lata ex pluribus cauſis in ea expreſſis, quarum una eſt juſta, altera injuſta; nam hæc eſt valida propter illam cauſam juſtam ſimul expreſſam, eſtque jam dictum ſuprà *§. Præced. n. 73.*

131 Similiter ſententia lata ex falſis inſtrumentis, vel teſtimoniis teſtium corruptorum, non tranſit in rem judicatam; ſed cognita veritate retractatur, dum probatur Judicem in ferenda ſententia eiſdem uſum fuiſſe. Textus eſt *in L. 1. & l. Falſam. C. Si ex falſis inſtrumentis, vel teſtimoniis &c. & cap. Sicut nobis 9. de Teſtib.* ubi ſententia lata ex falſis inſtrumentis, vel teſtimoniis, dicitur retractanda, quando probatur eorum falſitas, & quod Judex ex iis motus fuerit ad ſententiandum. Quamquam ad hoc non ſufficiat extrajudicialis confeſſio teſtis, aut Judicis propriam turpitudinem allegantis, & dicentis extra judicium, ſe falſum depoſuiſſe in judicio, aut ſe venalem ſententiam tuliſſe, vel ſeductum ab aliis malè pronunciaſſe. Maranta *par. 6. Speculi Aurei tit. de Confeſſione n. 11* poſt Angelum *Conſil. 308. verſ. Deſcendo ad tertium*; & concordant dicta ſuperiùs *Tit. 20. de Teſtibus §. 10. n. 335. & ſeqq.*

132 Atque iſtud ampliatur ad ſententiam latam prætextu juramenti neceſſarii, falſi tamen poſtea reperti: quia poteſt ſemper retractari, juxta textum *in l. Admonendi, ff. de Jurejurand.* ubi Jaſon *in Repetit. n. 35.* Maranta *cit. par. 6. tit. de Sententia n. 146.* aſſerens, ſecùs eſſe in juramento voluntario. De hoc videantur dicta ſuperiùs *Tit. de Jurejur. §. 5. n. 146. & ſeq. & n. 151. & 156. & 157.*

133 Octavò, ſententia lata ex probationibus privilegiatis, aut præſumptivis, non tranſit in rem judicatam: ſed poteſt ſemper retractari ſupervenientibus veris probationibus evidentioribus, aut cognita rei veritate, dictæque ſententiæ falſitate. Maranta *cit. par. 6. tit. de Sententia n. 133.* allegans textum *in l. Si qui adulterii. C. Ad Leg. Jul. de Adulteriis.* Jaſon *in Repetit. l. Admonendi n. 38. ff. de Jurejurand.* hanc appellans Regulam notabilem. Felinus *c. Propoſuiſti nu. 10. & 11. de Probat.* plerique alii ab his citati. Unde

134 Nonò omnes ſententiæ, quæ ſunt latæ ex conſilio Doctorum, aut judicio peritorum in arte ſua, non tranſeunt in rem judicatam: quinimò ſemper poſſunt retractari, quandocunque apparet de falſitate ſui dicti, ſive per rei evidentiam (ut eſt certum) ſive propter conſilium magis peritorum. Felinus *cit. c. propoſuiſti n. 10. de Prob.* Sigiſm. Scaccia *lib. 1. de Judiciis, cap. 97. n. 131.* Maranta *d. tit. de Sententia n. 230. & ſeqq.* iſtud limitans, niſi illi periti in arte, ſeu experti, fuiſſent aſſumpti de voluntate utriuſque partis: quia tunc (inquit) ipſorum ſententia non poteſt ulteriùs retractari. Idem, ac ſub eadem limitatione, tradit Jaſon *cit. Repetit. l. Admonendi n. 40. & 41. ff. de Jurejurand.* citans plures alios: apud quos videri poterunt nonnulli caſus, in quibus ſententia non tranſit in rem judicatam, quò minùs cognita rei veritate retractari poſſit, licet præmiſſi ſint principaliores. Verùm pro meliori dictorum intelligentia

135 Quæritur III. Qualiter ſententia, quæ non tranſit in rem judicatam, ſit revocanda? Reſp. I. Poſt lapſum decem dierum non poteſt ampliùs hujuſmodi ſententia revocari per viam appellationis, adeundò videlicet ſuperiorem Judicem, atque ad ipſum appellando; ſed ſolùm per viam querelæ, puta, adeundo eundem Judicem, qui hujuſmodi ſententiam tulit, atque ipſum debi[illegible] mando de injuſtitia ſententiæ non tranſeuntis in rem judicatam: quo facto Judex ille dictam ſententiam retractare poteſt. Ita Gloſſa *c. Ad reprimendam verſ.* [illegible] *tur*, & Abbas *ibid. n. 6. & 14. de Offic. Judic.* [illegible] Sigiſm. Scaccia *lib. 1. de judiciis, cap. 97. n. 131. & tract.* [illegible] *Sententia, gloſſ. 14. q. 2. n. 40.* Maranta, *ubi ſuprà n.* [illegible] allegans alios. Ratio eſt: quia appellatio ſolùm pote[illegible] interponi intra decem dies latæ ſententiæ, *Auth. Hod*[illegible] *C. de Appellation.* junctis concordantiis ſuprà *n. 107.* allegatis: unde elapſo dicto termino decendii appellare volens, non ampliùs auditur, cùm per lapſum decem dierum tollatur remedium devolutivum. Iſtud enim indiſtinctè verificatur, ſive ſententia ſoleat tranſire in rem judicatam, ſive non; cum quoad hoc [illegible]

136 Remanet proinde, quod ſententia, quæ non tranſit in rem judicatam, poſt lapſum decendii ſolùm poſſit retractari per viam querelæ. Idque fieri poteſt adeundo Judicem illum, qui tulit ſententiam, eidemque per modum querelæ, ac petitionis de retractanda ſententia, utpote in rem judicatam non tranſeunte, debitè proponendo gravamen ſibi illatum per ſententiam injuſtam, ſeu ex errore latam. Judex autem non debet ſimpliciter admittere querelantem: ſed oportet, ut priùs ſummariter ſaltem ſeſe informet de juſtitia querelæ, & injuſtitia ſententiæ; ac cognita rei veritate, retractet ſententiam. Maranta *cit. n. 155.* Abbas *c. Tenor, n. 6. h. t.* aſſerens, quòd ſententia, quæ non tranſit in rem judicatam, tunc demum retractetur, quando æquum videbitur Judici. Scaccia *cit. lib. 1. de Iudiciis, n. 131. v. Reſpectu judicis*, allegans alios, atque hoc ipſum ampliùs declarans conformiter proximè dicendis *n. 138.*

137 Unde eſt notabilis differentia inter Appellationem, & inter Querelam in cauſis non tranſeuntibus in rem judicatam; prout rectè notat Sigiſm. Scaccia *c. lib. 1. de Iudiciis. c. 97. n. 131.* aſſignans duplicem differentiam, unam reſpectu temporis, alteram reſpectu judicii. Differunt quidem reſpectu temporis: quia Appellatio ſolùm poteſt fieri intra decem dies poſt latam ſententiam, ut dictum. Querela verò poteſt proponi etiam poſt lapſum decem dierum; poteſtque dein cognita veritate ſententia retractari quandocunque intra ſpatium triginta annorum, ſi in ea non vertatur periculum animæ; vel ſi ſubſit periculum animæ, in perpetuum. Maranta *l. c. n. 154.* citans Cardinalem *in Clem. 1. q. 14. h. t.* Salicetum *l. Si præſes. C. Quomodo & quando judex &c.* Baldum *l. data opera, col. 15. v. Sed quid ſi bannitus. C. Qui accuſare non poſſ.* & alios; ac ſequitur Scaccia, *ubi ſuprà.*

138 Differunt etiam reſpectu Judicis: quia Appellatio devolvit cauſam ad Superiorem, *c. Dilectis, 55. & c. Ut debitus, 59. de Appellation.* Querela verò poteſt cognoſci ab eodem Judice, qui ſententiam, contra quam pars querelatur, tulerat: atque is interpoſita coram ſe querela, permittat ſummariam ejus cognitionem, an videlicet allegetur aliqua veriſimilis & probabilis cauſa querelandi; hacque cognita, poterit querelantem reſtituere in integrum, eumque denuò judicialiter audire. Siquidem reſtitutio adverſus ſententiam non ſolùm competit Eccleſiis, atque Minoribus; ſed ex legitima cauſa, putà, quia ſententia inferens grave damnum non tranſit in rem judicatam, conceditur etiam Majoribus *L. 1. ff. Ex quibus cauſis majorem &c.* Simulque reſtitutio hujuſmodi non eſt petenda à Principe. Scaccia *cit. Lib. 1. de Iudiciis, c. 97. n. 131. v. Reſpectu judicis*, allegans Dominicum *in c. Venerabilibus. §. Porrò, col. 1. de Sentent. excommun. in 6.* & Felinum *c. Lator n. 8. h. t.* & concordat Gailus *l. 1. Pract. Obſerv. 114. n. 3.* cum aliis; quamvis Abbas, & Maranta, *ubi ſuprà*, hujus reſtitutionis faciendæ non meminerint. Porrò conceſſa reſtitutione in integrum adverſus ſententiam non tranſeuntem in rem judicatam, poteſt ille ipſe Judex, qui eam tulerat, ex fortioribus rationibus talem ſententiam retractare, atque reformare: quamquam idcircò non negetur, quin querela nullitatis ſententiæ etiam poſſit opponi coram ſuperiore Judice, ſi hunc gravatus adire maluerit, conformiter dicendis infrà *Tit. ſeq. §. 1. n. 28. & ſeqq.*

## §. V.

## De aliis effectibus Sententiæ diffinitivæ; & an ſententia inter aliquos lata noceat, vel proſit aliis?

*SUMMARIUM.*

139 *Sententia, quæ tranſit in rem judicatam, facit jus inter partes.*
140 *Non verò reſpectu aliorum.*
141 *Per ejuſmodi ſententiam diffinitivam finiuntur lites: adeò ut non reſcindantur prætextu inſtrumentorum de novo repertorum.*
142 *Solvitur inſtantia.*
143 *Per ſententiam diffinitivam finitur poteſtas Iudicis.*
144 *Eaque juſtè lata, debet à Superiore confirmari.*
145 *Sententia lata, pro Actore, præbet ipſi Actionem in factum &c.*
146 *Reo per ſententiam diffinitivè abſoluto, datur Exceptio rei judicatæ &c.*
147 *Secùs, ſi abſolvitur duntaxat ab obſervatione judicii.*
148 *In actione Injuriarum Reus condemnatus efficitur infamis. Niſi injuria foret minima &c. Ibid.*
149 *Regula eſt, quòd ſententia inter aliquos lata, aliis non præjudicet.*
*Res inter alios acta, aliis non nocet. Ibid.*
150 & 151 *Idipſum declaratur exemplis.*
152 *Res inter alios acta, vel ſententia lata, regulariter etiam non prodeſt aliis.*
153 *Regula hæc patitur plures limitationes. Et n. ſeqq.*
154 *Res inter alios judicata nocet, ſive prodeſt aliis quoad præſumptionem, ſi tangit jus abſentium: licèt non quoad plenum præjudicium.*
155 *Sententia lata contra unum, nocet alteri, qui actionem mandavit, vel ratam habuit, etiam quoad plenum præjudicium.*
156 *Ampliatur iſtud ad duos notabiles caſus.*
157 *Regula illa fallit in cauſis connexis; idque declaratur:*
158 *Fallit etiam in re individua, & pluribus communi: quod exemplificatur.*
159 *Item in re communi cum Pupillo.*
*In individuis poteſt quis conſequi per ſocium, quod per ſe non poteſt. Ibid.*

139 Quæritur I. Quinam ſint alii effectus ſententiæ diffinitivæ? Reſp. I. Poſtquàm ſententia lata poſt lapſum decem dierum tranſiit in rem judicatam, aut ipſius appellatio fuit deſerta; alius ejus effectus eſt, quòd facit jus inter partes. Textus eſt *in c. Cùm inter, 13. §. Quamvis, h. t.* ibi: *Attendentes tamen, quòd quantum ad litigantes ipſos, jus ex ſententia factum fuit, poſtquàm in rem tranſiit judicatam.* Ubi Abbas *n. 7.* notanter, quod licèt ſententia à principio jus non conſtituat inter partes, ſed declaret, *l. Sicuti. §. Sed ſi quæratur, ff. Si ſervitus vendicetur*: tamen poſt lapſum decem dierum dicatur facere jus inter ipſos litigantes. Barboſa *in Collect. ad c. c. Cùm inter, n. 4.* Valenſis *h. t. §. 5. n. 2.* & alii.

140 Dicitur notanter, *inter partes*, inter quas videlicet ſententia lata eſt. Quia reſpectu aliorum ejuſmodi ſententia jus neutiquam facit: ſiquidem *res inter alios acta, & judicata, regulariter aliis non nocet*, ut loquitur textus *c. penult. h. t. & c. Dilecto, 25. §. fin. de Præbendis*. Et per hoc differt ſententia à Lege & Canone, quia Lex & Canon omnes obligant, *c. 1. de conſtit.* cum ſimilibus, non ſic Sententia. Valenſis *cit. §. 5. n. 2.* Verùm de hoc plura *nu. 149. & ſeqq.*

141 Reſp. II. Alius ſententiæ diffinitivæ, quæ tranſiit in rem judicatam, effectus eſt, quòd per eam finiantur lites, *c. 2. h. t. & c. Finem litibus. 5. de Dolo & contumac.* cum ſimilibus. Adeò quidem, ut ſententia ſemel lata, poſt quàm tranſivit in rem judicatam, ampliùs non reſcindatur etiam prætextu inſtrumentorum de novo repertorum vel aliarum probationum, *c. Inter monaſterium, 20. h. t.* ibi: *Cùm ſub prætextu novorum inſtrumentorum lites non debeant inſtaurari*: juncto *c. Suborta, 21. §. fin. eod.* eſtque dictum ſuprà *n. 109.*

142 Nec obſtat textus *in l. Falſam. C. Si ex falſis inſtrumentis &c.* ubi cognita veritate dicitur, retractandam eſſe ſententiam, quæ falſis inſtrumentis, aut teſtimoniis lata fuit: quod ipſum habetur *c. Sicut nobis, 9. de Teſtib.* Reſp. enim, diſparitatem eſſe: quia in allegatis Juribus ſermo eſt de ſententia prætextu falſorum inſtrumentorum lata, qualis ipſo jure nulla eſt, ſicque nunquam tranſit in rem judicatam. Hic autem eſt ſermo de inſtrumentis poſtmodùm repertis, & ſententia priùs validè lata.

143 Reſp. III. Tertius ſententiæ diffinitivæ effectus eſt, quòd per eam finiatur poteſtas Judicis: utpote qui dicta ſemel ſententia functus eſt ſuo officio, ac judex eſſe deſiit in illa cauſa, *l. Judex. ff. de Re judicat.* eſtque jam dictum ſuprà *n. 34. & ſeqq.* atque ampliùs declarabitur *§. ſeqq. n. 168.* ſolvendo inſtantiam quandam.

144 Ulteriùs inter effectus ſententiæ diffinitivæ connumerari poteſt, quòd ea juſtè, ac legitimè lata, debet à Superiore confirmari, *c. Cauſa, 14. h. t.* Secùs, ſi fuerit appellatum, & Judex *ad quem* ex Actis cognoverit injuſtitiam ſententiæ: nam tunc ea retractanda eſt, *c. Bertoldus, 18. h. t.* & alibi ſæpè.

145 Reſp. IV. Sententia lata pro actore, præbet ipſi Actionem rei judicatæ, ſeu Actionem in factum, ut Reus præſtet id, in quo condemnatus eſt, ac ſatisfaciat ſententiæ: quæ actio eſt perpetua, & rei perſecutoria, & competit etiam hæredi Actoris, & contra hæredem Rei. Patet hoc ex *l. Miles*, *§. fin. ff. de Re judic.* & *l. Actori. C. de rebus creditis*.

146 Cæterùm Reo per ſententiam abſoluto, datur Exceptio rei judicatæ contra Actorem, ejuſque hæredes, *l. Rei judicatæ, ff. de Exception. rei judicat.* Intellige illud, quando Reus abſolvitur diffinitivè: nam ex ſententia abſolutoria diffinitiva ſolùm oritur Exceptio rei judicatæ, quæ impedit Actorem in effectu ampliùs agere, *§. Item ſi in judicio. Inſtit. de Exception.* ac notat Gloſſa *Julianus verum* ℣. *Abſolutos*, *ff. de Condict. indebit.*

147 Secùs eſt, quando Reus abſolvitur duntaxat ab obſervatione judicii: nam tunc non oritur exceptio rei judicatæ, quia ſolùm abſolvitur ab inſtantia cauſæ, & non à debito principali; ideòque tunc Actor poteſt de novo agere, ſolutis tamen expenſis prioris litis. Jaſon *in l. Procedendum. Et ſiquidem*, *n. 15. C. de Judiciis*.

148 Reſp. V. Quando agitur actione injuriarum, ſive criminaliter, ſive civiliter, tunc ſententia diffinitiva alium habet effectum; nempè, quòd condemnatus de crimine, ſeu injuria à ſe illata, notetur infamia, niſi injuria foret minima. Ita deſumitur ex *c. Cùm te*, *35. h. t.* juncta Gloſſa *ibid.* ℣. *Infamia*, & ℣. *Minima*, *h. t.* atque habetur *l. Athletas*, *§. fin. ff. de iis qui notantur infamia*, ibi: *Si quis furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, de dolo malo ſuo nomine damnatus pactuſve erit, ſimili modo infamis eſt.* Concordat textus *in L. 1. ff. eod.* & *in l. Infamem*, *ff. de Publicis judiciis*. Et hoc procedit in ſententia diffinitiva: ſecùs in interlocutoria, ut jam dictum ſuprà *§. 1. n. 32.*

149 Quæritur II. An ſententia inter aliquos lata noceat, vel proſit aliis; & quando? Reſp. I. Regula eſt, quòd ſententia inter aliquos lata, aliis non præjudicet. Textus eſt *in Rubrica*, & *L. 1. ac ſeqq. C. Res inter alios actas, vel judicatas, aliis non nocere*, cum ſimilibus. Idem habetur *c. Inter dilectos*, *6. §. In omnibus*, *de Fide inſtrument.* & *Quamvis*, *25* & *c. Cùm ſuper*, *17. h. t.* ubi dicitur quod *res inter alios acta, non noceat regulariter aliis, juxta Conſtitutiones Canonicas, & Civiles*. Idque meritò. Tum quia *non debet aliquis alterius odio prægravari*, juxta *Reg. 22. Jur. in 6.* ſive, *non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri*, ut dicitur *l. Non debet*, *ff. eod.* Tum quia res, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, *c. 1. de Conſtit.* Sic autem fieret, ſi ſententia contra unum lata, præjudicaret alteri: nam ſententia illa non tranſitet in rem judicatam, niſi pars ſuccumbens eidem acquieviſſet, atque appellare intermiſiſſet; ac proinde hæc ejus negligentia, vel omiſſio, non debet alteri culpa carenti præjudicare.

150 Idipſum declaratur inductione. Sic *c. c. Cùm ſuper*, *17. h. t.* ſententia lata contra Reum, nihil de jure ſuo docentem, confirmatur: ſed quia tertius, cujus intererat, rationabilem opponebat appellationem contra eam, dicta appellatio admittitur, neque huic præjudicare cenſetur confirmatio dictæ ſententiæ reſpectu alterius non appellantis facta. Simile quid habetur *cit. c. Inter dilectos. §. In omnibus*, *de Fide inſtrum.*

151 Deinde agnitio debiti, aut hujus ſolutio facta per unum ex hæredibus, non præjudicat aliis cohæredibus tale debitum negantibus, niſi debitum fuerit probatum, *L. 1. C. Res inter alios actas* &c. Similiter tranſactio cum uno facta, alteri abſenti non præjudicat, *L. 2. Cod. eod.* Adeo quidem, ut etiam perſona conjuncta, v. g. frater non præjudicet fratri paciſcendo, vel agendo ſine ejus mandato, *L. 3. C. eod.* Inſuper ſententia lata contra conjunctam perſonam, non præjudicat alteri conjunctæ perſonæ, quæ neque mandavit, neque ratam habuit actionem, *L. 1. C. Quibus res judicata* &c. Sicut & ſententia in criminali cum uno lata, non præjudicat alteri, *L. 3. C. eod.* Idemque dicendum de ſimilibus: quia videlicet res inter alios acta, aliis non nocet.

152 Reſp. II. Res inter aliquos acta, vel ſententia lata, non ſolùm non præjudicat aliis, ut dictum; ſed etiam regulariter non prodeſt illis. Ita Gloſſa *in c. Quamvis*, *25.* ℣. *Res inter alios*, & Abbas *ibid. n. 2. h. t.* & Pirhing *eod. n. 80.* Idque clare habetur deciſum *l. 2. C. quibus res judicata* &c. illis verbis; *Res inter alios judicatæ, neque emolumentum afferre iis, qui in judicio non interfuerunt, neque præjudicium ſolent irrogare.* Atque iſta procedunt regulariter quidem, patiuntur tamen plures limitationes: unde

153 Reſp. III. Nihilominus data Regula plures patitur limitationes: uti videre eſt apud Gloſſam *c. c. Quamvis*, *25.* ℣. *Res inter alios*, & Abbatem *ibid. n. 3. h. t.* Pirhing *eod. n. 82.* & *ſeqq.* & alios.

154 Imprimis quippè data Regula procedit ſolùm reſpectu pleni præjudicii, ſeu commodi, alioquin verò res inter alios judicata nocet, ſive prodeſt quoad præſumptionem, ex quo tangit jus abſentium. Gloſſa *in L. 2.* ℣. *Præjudicare: C. Quibus res judicata non nocet*: aſſerens, quòd non præjudicet aliis *quoad plenum, ſed qualequale præjudicium* fiat exinde aliis: ut *l. Si duo patroni*, juncta Gloſſa ℣. *Habiturum*, & Bartolo *ibid. ff. de Jurejur.* & *l. A ſententia*, *ff. de Appellat.* & *can. Interrogatum eſt*, *2. q. 5.* ubi Gloſſa *fin.* inquit, quòd confeſſio unius de crimine, non noceat alteri quantùm ad condemnationem, nocet tamen quantùm ad præſumptionem. Abbas *d. c. Quamvis*, *n. 2* & *3. h. t.* illud tamen relinquens arbitrio Judicis qui hoc arbitrabitur, ſecundùm quod ſententia tangit jus abſentium. Pirhing *h. t. n. 8.* illud exemplificans in ſententia lata contra unum, v. g. adulterum, vel ſimoniacum, qui allegat alterum conſortem criminis: nam ſententia illa inducit infamiam facti etiam tertio, ſive aſſerto conſorti criminis, ita ut poſſit huic indici purgatio canonica juxta *c. Significaſti*, *5. de Adulteriis*.

155 Deinde ſententia lata contra unum nocet alteri, qui actionem mandavit, vel ratam habuit, etiam quoad plenum præjudicium; ut *L. 1. C. Quibus res judicata non nocet*, argumento à ſenſu contrario deſumpto: ac patet in Procuratore, nam ſententia contra ipſum lata, nocet Principali, qui ipſum conſtituit. Spectato enim rigore Juris Civilis, ferendam eſſe ſententiam in perſonam Procuratoris (dummodò verba ſententiæ poſſint rectè concipi in perſonam ejus) habetur *l. 1. C. de Sent. & interlocut. omn. judic.* eſtque jam dictum ſuprà *L. 1. Tit. 38. De Procuratoribus*, *§ 5. n. 115* & *116*.

156 Aliud, & quidem geminum hujus exemplum, habetur *c. c. Quamvis*, ſeu *c. ult. h. t.* ubi præmiſſa Regula, quòd *regulariter aliis non noceant res inter alios judicata*, ſubjungitur duplex ejuſdem fallentia. Primò in eo, qui cùm ſibi primùm de re quapiam actio, vel defenſio competebat, paſſus fuit litigare ſequentem, ſive illum, cui ſecundo loco competebat ejuſmodi actio. Deinde in illo, qui paſſus eſt alterum agere, à quo cauſam habuit: nam in utroque caſu ſententia contra hunc alterum lata præjudicium generat priori. Concordat textus *in L. penult. ff. de Re judic.* ubi Bartolus *in Summario* breviter ſic diſtinguit, dicens: *Sententia lata contra unum non præjudicat alteri, qui eum prohibere non poterat, vel ab eo cauſam non habebat: ſecùs, ſi poterat prohibere, & ab eo cauſam habebat, & ſciens erat.* Accedit ratio: quia ubi controvertitur in judicio de re ad me principaliter pertinente, ac poſſum removere litigantem, ſive in me aſſumere actionem de re illa, vel ſaltem proteſtari, ne alter litiget in meum præjudicium, & tamen taceo: cenſeor conſentire in illius actionem, juxta *Reg. 43. juris in 6. Qui tacet, conſentire videtur*: ſicque alter intelligitur litigare de mea voluntate, *l. Sæpe conſtitutum*, *ff. de Re judic.* ac proinde meritò ſententia contra ipſum lata, nocet etiam mihi.

157 Tertiò, data Regula fallit in cauſis connexis. In his enim res inter alios acta aliis prodeſt, aut nocet; ut *can. Tantis Daniel*, *diſt. 81.* ubi ſententia lata contra indignè Ordinatum, præjudicat Ordinanti; ac notat Gloſſa *fin. ib.* Concordat *can. Hæc quippe*, *3. quæſt. 6.* juncta Gloſſa ℣. *His annotis*; ubi propter cauſarum cohærentiam, ſeu connexitatem, ſententia lata contra ejectum Epiſcopum (declarans videlicet, quòd juſtè fuerit ejectus ex ſua Eccleſia) prodeſt ſubrogato in ejus locum: & contrà ſententia lata pro ejecto Epiſcopo, nocet ſubrogato in ejus locum, eò quòd hic cedere debeat injuſtè ejecto. Simile quid habetur *c. Ad petitionem*, *22.* juncta Gloſſa ℣. *per conſequentiam*, *de Accuſation.* & *c. penult. de Purgat. Canonic.* ubi caſſato principali, caſſatur etiam acceſſorium. Atque hanc fallentiam tradit Gloſſa *cit. c. Quamvis* ℣. *Res inter alios*, *h. t.* & Abbas *ibid. n. 22.* allegans alios, atque ſubjungens, quod in prædictis caſibus, & ſimilibus, ſententia contra unum lata noceat quidem alteri reſpectu juris





juris creati, ſeu ab altero in ipſum tranſlati, non verò reſpectu pœnæ: quia quoad pœnam non eſt connexitas inter eos. Idem tradit Pirhing *h. t. n. 84.*

158 Quartò, eadem Regula fallit in re individua, & pluribus communi: quia tunc *victoria unius, aliis proderit*; ut dicitur *l. Loci. §. Si fundus*, *ff. Si Servitus vendic.* ubi, loquitur de ſervitute itineris, reſpectu cujus competit actio pluribus in ſolidum. Concordat *c. Una ſententia*, *72. de Appellat.* ubi dicitur, quòd ſi plures una ſententia fuerint condemnati, & unus ſolus eorum appellaverit, illius victoria Jure communi cæteris ſuffragetur, ſi idem negotium, eademque cauſa defenſionis exiſtat: idque procedit ratione indiviſibilitatis; quia nimirum ſententia debet eſſe individua, ſicque non poteſt pro parte valere, & pro parte non. Gloſſa, *ubi ſuprà*. Abbas *cit. c. Quamvis*, *n. 15. h. t.* & *d. c. Una ſententia*, *num. 3.* & *4. de Appellation.*

159 Quintò, hoc ipſum procedit in re communi cum Pupillo: nam habens fundum communem cum Pupillo, retinet ſervitutem debitam fundo, etiam ſi ea non utatur, ratione Pupilli. Textus eſt *in l. Si communem*, *§. 1. ff. Quemadmodùm ſervitut. amittant.* Sicut enim non currit præſcriptio contra Pupillum, ita nec contra Majorem habentem rem communem cum Pupillo, idque ratione communionis, atque indiviſibilitatis. Unde in individuis poteſt quis conſequi per ſocium, quod per ſe non poteſt; *c. Sacris*, *12. de Sepultur.* & *c. un.* juncta Gloſſa, & Abbas *cit. c. Quamvis*, *n. 12. h. t.* apud quos nonnullæ aliæ fallentiæ dictæ Regulæ videri poterunt.

## §. VI.

## De executione Sententiæ.

*S U M M A R I U M.*

160 *In actionibus, ſeu cauſis civilibus ſententia lata non illicò eſt executioni mandanda, ſed expectandum ſaltem per decem dies.*

161 & 162 *Et quid in criminalibus?*

163 *Si dixerit Reus, ſe velle parere ſententiæ, ſtatim iſta in actione reali eſt executioni mandanda.*

164 *In actione perſonali regulariter conceditur quadrimeſtre ad ſolvendum.*

*Statim ſolvere debens, non tenetur illicò cum ſacco adire. Ibid.*

165 *Quadrimeſtre illud ex cauſa juſta poteſt arctari, vel prolongari; non tamen ſine cauſa.*

166 *Executio ſententiæ in debitis perſonalibus, quo ordine in bonis fieri debeat?*

167 *Executio ſententiæ plerumque ſpectat ad Judicem, qui eam tulit, dummodò is ſit Judex ordinarius* &c.

*Quid, ſi bona Rei condemnati ſint in alieno Territorio? Ibid.*

168 *Poſt ſententiam latam expirat officium Judicis; & quomodo?*

169 *Delegatus Papæ poteſt exequi ſuam ſententiam, ſive per ſe, ſive per alium.*

*Idem dicendum de Delegato ſupremi Judicis. Ibid.*

170 171 & 172 *Quid dicendum de Delegato ab inferiore Principe, putà Epiſcopo?*

173 *Tertius interveniens pro ſuo intereſſe, atque appellans poteſt impedire executionem ſententiæ inter alios latæ.*

174 *Dummodo probet de ſuo jure; & qualiter probare debeat?*

175 *A ſententia inter alios lata appellari non poteſt, niſi ex juſta cauſa, idque exemplificatur.*

160 QUæritur I. Quo tempore, ac ordine ſit facienda executio ſententiæ? Reſp. I. In actionibus, ſeu cauſis civilibus, ſententia à Judice lata non eſt illicò mandato executioni, ſed eſt expectandum ſaltem per decem dies. Ita communis; & ratio eſt: quia ante elapſum decendium ſententia necdum tranſiit in rem judicatam; imò ab eadem poteſt adhuc condemnatus appellare, *c. Quod ad conſultationem*, *15. h. t.* cum ſimilibus; ac proinde hoc ipſo nequit tunc fieri ejus executio.



161 Additur notanter *in cauſis civilibus*. Secùs enim eſt dicendum de criminalibus: nam crimine liquidato, ac prolata ſententia, non eſt differenda ipſius executio, ne detur anſa ſupplicandi Principi pro remiſſione pœnæ, ſicque crimina maneant impunita. Textus eſt *in l. Cùm reis. C. de Pœnis*, & notat Bartolus *in l. Qui ultimò n. 5. ff. eod.* Pirhing *h. t. n. 100.* Layman *c. Quærenti n. 2. de Offic. Delegat.* citans alios, atque ſubjungens, quòd in Imperio criminaliter condemnatis remedium appellationis non concedatur.

162 Fatendum tamen, quòd Abbas *c. 2. n. 2.* & *3. h. t.* de jure verius eſſe cenſeat, non ſolùm in civilibus, ſed etiam, & quidem à fortiori, in criminalibus, ubi agitur de majori præjudicio, ſeu pœna corporali infligenda, ejuſmodi ſententiam pœnæ corporalis non poſſe executioni mandari intra decem dies, qui dantur ad appellandum, *arg. l. Non tantum*, *ff. de Appellat.* Et hæc ſententia meritò retinetur in caſibus, in quibus Reo appellare licet. Nec obſtat conſuetudo præallegata. Reſp. enim, iſtam ex eo ſalvari, quia, communiter non damnatur quis ad mortem, niſi fuerit ſponté confeſſus, vel ita in facinore deprehenſus, aut teſtibus & argumentis convictus, ut vix ipſe negare audeat, *l. Qui ſententiam*, *C. de Pœnis*. Nam convictis, & confeſſis de crimine, appellare non licet: &, ſi ſecùs fiat, eorum appellatio non recipitur, *L. 2. C. Quorum appellationes non recipiantur*, juncto Summario, & DD. ibidem. Unde ſubintrat ratio, ex *d. l. cùm reis*, *C. de Pœnis* allata.

163 Reſp. II. Si tamen dixerit Reus, ſe velle parere ſententiæ, ſtatim ipſa in actione reali mandanda eſt executioni. Ita Gloſſa *c. Quærenti.* ℣. *Quadrimeſtre*, *de Offic. Delegati*, & alii. Ratio eſt: quia quamprimum definitur, rem non eſſe poſſeſſoris, & hic acquievit ſententiæ, vel eam ſinit tranſire in rem judicatam, neque eam ulteriùs invito domino retinere non poteſt; ac proinde compelli debet ad rei illius reſtitutionem faciendam; ejuſque unà cum fructibus poſſeſſionem Actori tanquam vero domino tradendam. Et ſi reſtituere juſſus Judici non obtemperet, vel mendaciter contendat, ſe non poſſe rem illico reſtituere; tunc erit locus executioni reali, atque manu militari ex officio Judicis transfertur ab eo poſſeſſio rei alienæ, *l. Qui reſtituere*, *ff. de Rei vendicat.*

164 Additur notanter in data Concluſione, *in actione reali*. Quia ſecùs eſt dicendum in actionibus, & debitis perſonalibus: nam in his tempus à jure definitum pro executione ſententiæ, regulariter eſt quadrimeſtre, quod condemnato etiam parere, ſeu ſatisfacere volenti, conceditur ad ſolvendum, *c. Quod ad conſultationem*, *15 h. t.* & *c. Quærenti*, *26.* juncta Gloſſa ℣. *Quadrimeſtre*, *de Offic. Delegat.* & alibi. Nec immeritò hic conceditur quadrimeſtre: tum quia alteri obligatus actione perſonali, non detinet rem alterius; prout contingit in obligato alteri actione, ſeu debito reali, de quo procedunt dicta *n. præc.* Tum quia *debere ſtatim ſolvere, cum aliquo temperamento temporis intelligendum eſt: nec enim cum ſacco adire debet*, ut loquitur text. *in l. Quod dicimus*, *196. ff. de Solutionib.* junctis concordantiis à Gl. *ib.* ℣. *Intelligendum eſt*, relatis. Tale autem temperamentum temporis pro ſolutione debiti perſonalis, Jura ſtatuerunt quadrimeſtre: quod incipit currere à die latæ ſententiæ, *text. clar. L. 2.* & *3. de Uſuris rei judic.* junctis SS. Canonibus proximè citatis.

165 Additur etiam, *regulariter eſt quadrimeſtre*. Quia tempus hoc ex juſta cauſa poteſt Judex quandoque arctare, ſive abbreviare, vel etiam prorogare, *c. c. Quod ad conſolationem*. *h. t.* Sine cauſa juſta tamen id arctari, aut prorogari nequit, juxta Gl. *ib.* ℣. *Arctari*: nam, ut habet *Reg. 17. Jur. in 6. Indultum à jure beneficium; non eſt alicui auferendum*. Si tamen ab initio ſponte quis receperit terminum breviorem, imputari ſibi poteſt, ac debet cùm ex hoc videatur amplius beneficium contempſiſſe; prout loquitur Pontifex *d. c. Quod ad conſolationem*, *h. t.*

166 Reſp. III. Executio ſententiæ in actionibus, & debitis perſonalibus ita debet fieri, ut primò capiantur res mobiles, & animalia, quibus deficientibus, vel ſaltem pro debitorum perſonalium ſolutione non ſufficientibus, deveniendum eſt ad immobilia, puta ad ſolum, agros, & bujuſmodi: quòd ſi nec iſta ſufficiant, tandem perveniatur etiam ad jura. Ita ſtatuitur *in l. Divo. §. In vendicatione*, *ff. de Re judic.* atque in ſimili habetur *cap. ult. §. fin. Ut lite non conteſtata* &c. Et meritò: quia hac ratio-

ne ſiet executio ſententiæ; ut quàm minimùm noceatur Reo: quod ſuadet ipſa ratio naturalis. Concordant dicta ſuperius *Tit. 15 De eo qui mittitur in poſſeſſione &c. n. 24.*

167 Quæritur II. Per quem fieri poſſit, ac debeat executio ſententiæ? Reſp. I. Executio ſententiæ plerumque ſpectat ad eumdem Judicem, qui tulit ſententiam: dummodò is ſit Judex ordinarius, ſimulque bona condemnati; in quibus executio facienda eſt, ſint in ſuo Territorio. Quod ſi verò Rei condemnati ſint in alieno Territorio, vel ſub alterius juriſdictione exiſtant, is per *Litteras requiſitorias* (ut vocant) requirendus erit à Judice ſententiam ferente, ut eandem ſententiam in ſuo Territorio exequi velit. Ita deſumitur ex *l. A Divo. §. 1. & 2. ff. de Re judicat. & c. 1. §. Contrahentes. de Foro comp. in 6.* ac notat Engel *h. t. n. 29. & ſeqq.* eſtque amplius dictum ſuprà *Tit. 2. De Foro competenti. §. 3. n. 48. & ſeqq.* loquendo in ſpecie de Clerico, qui in una Diœceſi habet Beneficium, & in alia commiſit crimen dignum privatione Beneficii: ſimulque *n. 54.* declarando, quid agendum ſit, quando Judex debite requiſitus, non vult exequi ſententiam ab altero latam.

168 Dices. Poſt ſententiam latam expirat officium Judicis, *l. Judex. ff. de Re judic.* ergo is non poteſt exequi ſententiam, ſed duntaxat Superior ipſius. Reſp. diſting. anteced. Poſt ſententiam latam ceſſat officium Judicis mercenarium, quod actioni deſervit, & de quo loquitur Lex allegata, concord. Ceſſat etiam officium Judicis nobile, quod conſiſtit in coercendo, jubendo, vetando, juris judiciique conſervandi, vel exequendi cauſa, neg. anteced. Quid autem ſit Officium Judicis mercenarium, & nobile, ex profeſſo dictum eſt ſuperius *Lib. 1. Tit. 29. De Officio & poteſtate Judicis Delegati. n. 24.* Vel dic conformiter textui *in c. In litteris. 9. de Offic. Delegat.* ac notat Abbas *ib. n. 2.* quòd per ſententiam diffinitivam non cenſeatur Judex omnino functus officio ſuo, ſed duntaxat per ſententiam diffinitivam executioni mandatam; id eſt, poſt factam ejus executionem: quamquàm certo reſpectu etiam anteà, ſive poſt latam diffinitivam, dicatur functus officio ſuo, eò quòd non ampliùs poſſit ſe immiſcere cognitioni illius cauſæ; ut *cit. l. Iudex, & l. cùm quærebatur. ff. de judicat.*

169 Reſp. II. Loquendo nunc de Judice Delegato, certum eſt, quòd Delegatus Papæ poſſit ſententiam ſuam exequi, & quidem uſque ad annum, *c. Quærenti. 26. & c. Paſtoralis. 28. §. Prætereà. de Offic. Delegat.* Quam etiam exequi poteſt ſive per ſe, ſive per alium, *c. In litteris. 9. eod.* Adeò, ut ſi Delegatus Papæ committit Judici ordinario executionem ſuæ ſententiæ, iſte mandato ipſius obedire, atque ſententiam latam exequi teneatur, *c. Significaſti. 7. & c. c. Paſtoralis. §. Quia verò, eod.* eſtque ex profeſſo dictum ſuprà *Lib. 1. Tit. 29. De officio & poteſt. Judicis Delegat. §. 5 n. 102. 103. & ſeqq.* Similiter, quòd Delegatus alterius Principis ſupremi poſſit ſuam ſententiam exequi, cenſet Pirhing. *h. t. n. 99.* allegans communem; idque probans ex *L. ult. C. de Judiciis?* & Menoch. *lib. 1. de Arbitr. Jud. q. 74 n. 48.* citans alios, quamvis nonnulli contrarium affirment, ſpectato Jure Ceſareo.

170 Num verò Delegatus ab inferiore Principe, putà, ab Epiſcopo, poſſit ſententiam à ſe latam exequi, variant Doctores. Et quidem negativa ſententia eſt communior, per textum *in l. A Divo. §. 1 ff. de Re judic.* ubi dicitur: *Judicium à ſe datorum, vel arbitrorum ſententiam exequuntur ii, qui eos dederunt.* Favet ad idem textus *in c. Si quis contra. 4. de foro compet.*

171 Verùm Gloſſa *in c. c. quis contra. ℣. Ipſius ſolicitudine* tenet oppoſitum. Quia ex quo (inquit) Judici delegato cauſa committitur, intelliguntur ei omnia illa commiſſa eſſe, quæ ad cauſam ipſam ſpectare dignoſcuntur & ſine quibus cauſa expediri non poteſt; ut *c. Prætereà. 5. & c. Suſpicionis. 39. de Offic. Deleg.* Nec obſtant (inquit eadem Gloſſa) textus *n. præc.* in contrarium allegati. Quia licet dicatur in eis, quod Ordinarius ejuſmodi ſententiam exequitur, non tamen id prohibetur Judici delegato. Et quamvis dici poſſet, priorem ſententiam habere locum, quando Ordinarius eſt præſens, tamen eo abſente Delegatus, vel Officialis ejus, exequitur ſententias ſuas: aliàs pernicioſum eſſet hanc ſubtilitatem ſervare. Ita diſcurrit Gloſſa.

172 Unde patet, hanc quæſtionem eſſe ſatis controverſam inter Doctores. Quia tamen de ipſa uberius jam dictum eſt ſuprà *Lib. 1 Tit. 29. De Offic. & poteſtat. Judic. Delegat. §. 2. n. 45. 46. & ſeqq. & §. 5. ib. n. 110.* ſuperfluum foret, eadem hoc loco repetere. In praxi proinde attendendum erit tum ad ſpeciales locorum conſuetudines, tum ad verba factæ cuipiam commiſſionis: nam quandoque actualiter, & expreſsè, per Superiorem committitur Delegato ſuo non ſolùm cognitio cauſæ, ſed etiam executio latæ circa eam ſententiæ, niſi forſan appellari contigerit.

Quæritur III. Utrùm tertius interveniens pro ſuo inter- 173
eſſe, poſſit impedire executionem ſententiæ inter alios latæ? Reſp. I. Quando Reus victus non appellavit, vel in appellatione de jure ſuo non docuit, poterit tertius qui ex tali ſententia ſe gravatum ſenſerit, intervenire, atque appellando ejus executionem impedire, in quantum tenderet in ſuum præjudicium. Ita patet ex *c. Cùm ſuper, h. t.* ubi Gloſſa *℣. Interpoſita* Jo. Andreas *n. 1.* Abbas *n. 1. & ſeqq.* Barboſa *in Collectan. n. 5. & 6.* citans plurimos. Ratio eſt: quia *res inter alios acta, non nocet regulariter aliis*; prout ibidem loquitur Pontifex *in fin.*

Intellige, dummodò ille tertius probet de ſuo jure, at- 174
que præjudicio ex ſententia contra alterum lata ſibi proveniente ſaltem ſummariter. Quia hoc omnino requiritur, ſimul tamen ſufficit ad impediendam executionem ſententiæ, in quantum ipſi præjudicaret: quamquam ad obtinendam victoriam in cauſa principali, atque retractionem ſententiæ, oporteat eum plenè de ſuo jure docere. Gloſſa *c. c. Cùm ſuper. ℣. Interpoſita*, & Abbas *ib. n. 7. ac ſeqq.* & alii; atque probat textus *in d. c. Cùm ſuper h. t.* Nam, cum vertente controverſia inter Aurienſem Epiſcopum ex una, & Monaſterium Novæ Cellæ ex altera parte, ſuper ſtatu, putà ſuper ſubjectione hujus, idem Epiſcopus plures ſententias pro ſe reportaſſet: ſuperveniens Epiſcopus Ovetenſis per ſuum Nuntium querebatur, graviter ſuam Eccleſiam per dictas ſententias læſam fuiſſe, utpote ad quam dictum Monaſterium pertinere aſſerebat. Quo audito Papa juſſit admitti appellationem, ſi conſtiterit eam pro Eccleſia Ovetenſi *rationabiliter interpoſitam*: ſicque ad hoc requiritur, an ſufficiat, ſummaria cauſæ cognitio. Verùm ad alterum requirit Pontifex, ut ad memoratam *appellationem proſequendam Nuntius ejus infra legitimum tempus deſtinatus fuerit*; & ſic *executio ſententiæ differatur, nec circa poſſeſſionem Ovetenſis Eccleſia detrimentum incurrat &c.*

Atque in hoc ſenſu procedit textus *in l. A ſententia. ff.* 175
*de Appellat.* ubi dicitur: *A ſententia inter alios dicta appellari non poteſt, niſi ex juſta cauſa &c.* Siquidem juſtam cauſam appellandi habet, qui ex ſententia contra alterum lata, ſibi præjudicium generari conſpicit, ut in caſu *c. c. Cùm ſuper h. t.* contigit. Sic etiam, ſi quis in cohæredum præjudicium ſe condemnari patiatur; poſſunt alii juſtè appellare, atque executionem dictæ ſententiæ impedire. Idem dicendum in Fidejuſſore pro eo, pro quo intervenit; adeò, ut venditoris Fidejuſſor emptore victo appellare valeat, licèt emptor & venditor acquieſcant: prout exemplificatur *cit. l. A ſententia, ff. de Appellat.*

## §. VII.

## De Expenſis, in quas victus victori eſt condemnandus: ubi & de Sententiis duorum Judicum contraria pronunciantium.

*SUMMARIUM.*

176 *Regula eſt, quòd victus victori in expenſis ſit condemnandus.*

177 *Et hoc tam in cauſis civilibus, quàm criminalibus &c.*

*Excepto Reo in cauſa criminali criminaliter intentata. Ibid.*

178 *Fallit data Regula, quando victus juſtam cauſam litigandi habuit.*

179 *Quando quis cenſeatur habere juſtam cauſam litigandi Judicis arbitrio relinquitur.*

180



180 181 & 182 *Afferuntur plures caſus, in quibus litigans cenſetur habere juſtam cauſam litigandi; adeò, ut ſi ſuccumbat, non ſit condemnandus in expenſis.*

183 *Solum juramentum calumniæ anteà præſtitum, non excuſat victum à condemnatione expenſarum.*

184 *Quid, ſi victus in una parte judicii habuit juſtam cauſam litigandi, & non in alia?*

185 *In dubio non cenſetur victus habuiſſe juſtam cauſam litigandi.*

186 *Si Judex videat, victum non eſſe condemnandum in expenſis ob juſtam cauſam litigandi, debet iſtud in ſententia declarare.*

187 *An etiam in ſententia teneatur exprimere cauſam illam litigandi?*

188 *Regula illa, quòd victus condemnetur victori in expenſis, fallit in nonnullis aliis caſibus; & quibus?*

189 *Fallit etiam, ſi perſona ſuccumbens in lite, ſit valdè honeſta, & magnæ fidei, aut religioſa.*

190 *Atque in caſu, quo pars ſemiplenè probavit, & Judex ei detulit juramentum neceſſarium, ſicque ipſa vicit.*

*Secùs dicendum in juramento judiciali, ſeu à parte parti delato. Ibid.*

191 *An Judex teneatur victum condemnare in expenſis, etiamſi hæ non ſint petitæ? Et n. ſeqq.*

192 *Expenſæ, quibus modis cenſeantur petitæ?*

193 *Judex non condemnans victum victori in expenſas, quando hæ fuerunt petitæ, poteſt ipſum poſt latam ſententiam toto die in eas condemnare.*

*Aliàs tenebitur expenſas reſarcire de ſuo. Num. 191.*

194 *Si expenſæ nullo modo fuerunt petitæ, poteſt quidem Judex ex officio victum in eas condemnare.*

195 *Non tamen tenetur condemnare.*

*Nec poſteà expenſas reſarcire de ſuo. Ibid.*

196 *Expenſarum nomine quid intelligatur?*

197 *In taxatione expenſarum judicialium non attenduntur arrhæ, neque annuum ſalarium Advocatis per nonnullos dari ſolitum.*

198 & 199 *Expenſæ neceſſariæ, atque judiciales, ſunt in quadruplici differentia.*

200 *Eſt diſtinguendum inter expenſas contumaciæ, & expenſas victoriæ. Et n. ſeqq.*

201 *Et quales impenſæ ſub utriſque veniant?*

202 *Advocatus, vel Doctor in propria cauſa conficiens inſtrumenta, nihil eo nomine exigere valet.*

203 *Niſi propter hoc perdiderit aliud lucrum, vel incurrerit damnum perſonale.*

204 *Solvitur inſtantia contra hoc ultimum.*

205 & 206 *Aliæ differentiæ inter expenſas contumaciæ, & expenſas victoriæ, referuntur.*

207 *Sententia ſuper expenſis poteſt eſſe incerta; & quomodo?*

208 *Qualiter expenſæ ſint probandæ?*

*Hę probantur per ſolum juramentum victoris. Ibid.*

*Juramentum expenſarum in parva ſumma non exigitur. Ibid.*

209 *In cauſa appellationis, appellans, & denuò victus, indiſtinctè victori condemnandus eſt in expenſis.*

210 *Quando appellavit temerariè, aut fruſtratoriè, ſi probabilis cauſa excuſet appellantem.*

211 *Appellatus, & ſuccumbens, an pariter ſit condemnandus in expenſis? Et num. ſeqq.*

212 *Reſpondetur ſub diſtinctione, affirmando, ſi ex iiſdem actis in cauſa appellationis ſuccubuit.*

213 *Et negando, eſſe condemnandum in expenſis, quando ſuccubuit ex novis probationibus per appellantem productis.*

214 *In praxi Judicis arbitrio relinquitur, utrùm Appellatus habuerit juſtam cauſam litigandi.*

215 *Si plures Judices concurrant, ſtandum eſt majori parti concordantium in eandem ſententiam.*

216 *Ex tribus Arbitris ſtatur ſententię duorum concordantium.*

*Et quid, ſi omnes tres diſcordent, v. g. in taxanda aliqua quantitate? Ibid.*

217 *[illegible] Judices Ordinarii contraria pronunciant, cujus ſententiæ eſt ſtandum?*

218 *Et quid agendum, ſi duo Judices Delegati diſcordent in ſententiando?*

219 *Si duo Arbitri contrarias ferant ſententias, neutra tenet.*



Quæritur I. An Judex teneatur victum victori con- 175
demnare in expenſis; & quando ſecùs? Reſp. I. Regula eſt vulgaris, quòd victus victori in expenſis ſit condemnandus. Textus eſt *in l. Properandum. §. Sive autem alterutra*, & ibi Bartolus, & Jaſon *n. 2. c. de Judiciis*, ubi dicitur: *Omnes Judices ſciant, victum in expenſarum cauſa victori eſſe condemnandum, quantum pro ſolitis expenſis litium juraverit: non ignorantes, quòd ſi hoc prætermiſerit, ipſi de proprio hujuſmodi pœnæ ſubjacebunt, & reddere eas parti læſæ coarctabuntur.* Hæc ibi. Concordat textus *in l. Eum quem temerè, ff. de Judiciis*, ibi: *Eum quem temerè adverſarium ſuum in judicium vocaſſe conſtiterit, viatica, litiſque ſumptus adverſario ſuo reddere oportet.* Hoc ipſum habetur *§. Hæc autem Inſtit. de Pœna temerè litigant.* illis verbis *Improbus litigator & damnum, & impenſas litis inferre adverſario ſuo cogatur.* Accedit Jus Canonicum *c. Finem litibus, 5. de Dolo & contumat. & c. Contumaciam, 4. de Pœnis*, memoratas Sanctiones Imperiales comprobans.

Atque hæc Regula procedit non ſolùm in cauſis civi- 177
libus, ſed etiam in criminalibus; ſive procedatur per viam accuſationis, ſive denunciationis, aut inquiſitionis: nam Jura allegata indiſtinctè loquuntur; Gloſſa *fin. c. Cùm dilecti, 6. de Dolo & contumac.* & Abbas *ib. nu. 17.* Gailus *lib. 1. Practic. Obſervat. 152. n. 1.* allegans alios. Siquidem, refectio expenſarum judicialium eſt debita tanquam ſpecies pœnæ injunctæ temerè litigantibus ex diſpoſitione Juris; ut inquit Card. de Luca *Diſcur. 39. de Judiciis, n. 7.* ſicque meritò locum habet in omni cauſa, ubi talis temeritas litigatoris intervenit. Quamquàm loquendo de cauſa criminali criminaliter intentata, Henricus Temmen *Tr. de Litium Expenſis, c. 8. ſect. 6. n. 17. & ſeqq.* non immeritò diſtinguendum cenſeat, an Reus, vel Actor ſuccubuerit. Quia enim Reo ignoſcendum eſt, ſi ſanguinem ſuum qualitercunque redemptum voluerit, *L. 1. ff. de Bonis eorum, qui ante ſentent.* idcircò, quòd condemnatus ad pœnam corporis afflictivam non debeat condemnari in expenſis, reſolvit idem Temmen *d. n. 17. & ſeq.* citans Carpzovium *Definit. Forenſ. part. 1. conſt. 31. def. 24. n. 7.* & alios. Secùs, ait, eſſe dicendum de Actore, ſeu Accuſatore; niſi docuerit, ſe probabilem, legitimamque accuſandi cauſam habuiſſe, juxta mox dicenda. Unde

Reſp. II. Fallit nihilominùs data Regula cum primis, 178
quando victus juſtam cauſam litigandi habuit: quo caſu expenſæ compenſantur, *l. Qui ſolidum, §. Etiam, ff. de Legat. 2.* juncta Gloſſa *℣. In litis ſumptibus*, inde inferente, quòd *juſta ignorantia excuſat à litis ſumptibus.* Idem tradit Gloſſa *c. Finem litibus, ℣. Expenſas*, & Abbas *ib. n. 22.* & Barboſa *n. 6. de Dolo & contum.* cum aliis. Socinus *in Fallentiis, Reg. 139. fallent. 1.* Card. Tuſchus *Litt. E. Concl. 626. n. 7. & ſeqq.* Jaſon *cit. l. Properandum. §. Sive autem alterutra, n. 2. C. de Judiciis.* Gailus *ead. Obſerv. 152. n. 3.* allegans communem. Accedit ratio: quia, ut proximè dictum, refectio expenſarum eſt debita tanquam ſpecies pœnæ, temere litigantibus à Jure impoſitæ: atqui probabilis cauſa litigandi, excuſat litigantem à temeritate; ergo etiam excuſare debet à pœna reficiendarum expenſarum. Quidquid ſit de Stylo Curiæ, ac Rotæ Romanæ, ubi in quacunque cauſa, quantumvis dubia, ſemper fit condemnatio in expenſis, etiamſi victus juſtam habuerit cauſam litigandi; prout refert Card. de Luca *cit. Diſcurſ. 39. de Judiciis, num. 10. & 11.* citans alios, ſed memoratam Stylum reformatione dignum aſſerens *in Relatione Rom. Curiæ, Diſc. 32. num. 101. & 103.*

Quando autem quis cenſeatur habere juſtam cauſam 179
litigandi, non poteſt dari certa regula (dependet enim à particularibus circumſtantiis, juncta notitia Juris communis, cujus ignorantia non excuſat, juxta *Reg. 13. Jur. in 6.*) atque ideò relinquendum eſt arbitrio Judicis, qui ex qualitate facti, & conditione perſonarum, illud habet arbitrari. Abbas *c. c. Finem litibus, n. 25. & 26.* & Barboſa *in Collectan. ib. n. 7. de Dolo & contum.* Menochius *l. 2. de Arbitr. Jud. caſ. 477. n. 2. & ſeq.* Jaſon *c. §. Sive autem alterutra, n. 8. C. de Judiciis*, cum aliis, quos citant.

Nihilominùs, ut aliqualiter cognoſci poſſit, quando 180
litigans cenſeatur habuiſſe juſtam cauſam litigandi, ſicque non ſit condemnandus in expenſas; ſciendum eſt,

quòd Jaſon, & Menochius *ll cc.* iſtud conentur declarare aſſerendo in ſpecie novem, vel decem tales caſus. I. Quando is, qui ſuccubuit, habuit opinionem Doctoris, qui pro eo ſenſit: quod intelligit Menochius, quando Doctor ille fuit eruditus, & in ſua opinione fuerat ſine contradictione. II. Quando is, antequam litem ingrederetur, habuit conſilia Doctorum viventium, præſertim ſcripta & ſigillata; dummodò ipſemet litigans, ac ſuccumbens Doctor non fuiſſet; nam turpis ignorantia ſuæ profeſſionis non excuſaret. III. Quando in aliquo articulo ſunt diverſæ Doctorum opiniones, nec reperitur, quæ verè communis ſit.

181 IV. Quando is, qui ſuccubuit, ſemiplenè probavit. V. Quando is intentionem ſuam probavit teſtibus, qui poſtea reprobari ſunt ratione ſuæ perſonæ, v. g. ut excommunicati, infames &c. dummodò non ſubſit ſuſpicio contra producentem. VI. Cùm teſtes extra judicium jactitabant, rem ita eſſe, & ſe in illius favorem teſtimonium dicturos, poſteà verò producti, contrarium depoſuerunt. VII. Quando is, qui ſuccubuit, probat, ſe à pluribus fide dignis audiviſſe, quòd juſtam cauſam foveret. VIII. Quando quis litigat ob ſuum pudorem ſervandum; ut *l. Quæ omnia*, ubi Bartolus *notab. 3 ff. de Procur.* Nam parcitur verecundiæ alicujus, juxta Gl. *ib. ℣. Convitium*, pluribus Juribus iſtud corroborantem. IX. Cùm Actor petiit plus debito: nam tunc Reus habet juſtam cauſam litigandi ſuper toto. X. Quando is, qui ſuccubuit, ex juſſu Superioris, v.g. Summi Pontificis, litem ſuſcepit. Verùm de horum ſingulis plura Jaſon, & Menochius, *ubi ſuprà*, citans alios, ac noviſſimè Henric. Temmen *d. tr. de Litium Expenſis*, *cap. 9. ſect. 3.* per totum.

182 Alium caſum ponit Abbas *c. c. Finem litibus, n. 22. de Dolo & contumac.* ubi cùm præmiſiſſet, quòd probabilis ignorantia aliter probata, quàm per juramentum, excuſet à condemnatione expenſarum: iſtud exemplificando poſt Hoſtienſem, ſubjungit, quòd ſi filius in arca paterna inveniat inſtrumentum debiti, cui jam ſatisfactum erat, ſed ipſe ignorabat, excuſetur ab expenſis. Ex quo enim alteri ſucceſſit, præſumitur juſtam ignorantiæ cauſam habuiſſe, juxta *Reg. 46. Jur. in 6. Is qui in jus ſuccedit &c.* juncta *l. ult. ff. Pro ſuo.* ibi: *In alieni facti ignorantia error tolerabilis eſt.*

183 Porrò ſolum juramentum calumniæ anteà præſtitum, non excuſat victum à condemnatione expenſarum. Poteſt enim benè eſſe, quòd quis non calumnioſè litigaverit, benè tamen temerè, quia proſiluit inconſultus: atqui condemnatio in expenſas fit etiam propter temeritatem litigatoris, *l. Eum qui temerè. ff. de Judiciis*, Accedit, quòd alioquin fruſtrà mandaſſent Legiſlatores, victum victori condemnari in expenſis; quia benè ſciverunt, juramentum calumniæ eſſe præmittendum litibus, *l. Cùm & judices*, juncta *Auth. Principales. C. de Iurejurand. propt. calumn.* cum ſimilibus. Abbas *c. c. Finem litibus. num. 21. de Dolo & contumac.* quidquid Gloſſa *ib. ℣. Expenſas*, in contrarium ſentiat, niſi evidenter de calumnia pateat.

184 Notandum tamen, quòd ſi victus in una parte judicii habuerit juſtam cauſam litigandi, & in reliqua non (ut putà, poſt exhibitum in judicio inſtrumentum præſtitæ ſatisfactionis) tunc Judex debeat eum condemnare in expenſis, quæ ab altera parte factæ ſunt à die v.g. productionis dicti inſtrumenti citrà, in aliis verò non; ut *l. Si quis inficiatus. ff. Depoſiti*: ac notat Bartolus *l. Properandum. §. Sive autem alterutra. v. Item poteſt* & Jaſon *ib. n. 12. C. de Iudiciis.* Abbas *c. c. Finem litibus. n. 23. de Dolo & contumac.* iſtud intelligens, quando quis potuit deſiſtere ab actione ſine abolitione; ut in omnibus cauſis civilibus.

185 Cæterùm in dubio, qui victus eſt, præſumitur non habuiſſe juſtam cauſam litigandi; atque ideò ſtante dubio, ſeu niſi juſtam ignorantiæ cauſam probare valeat, in expenſis condemnari debet. Gloſſa *in Auth. Generaliter autem. ℣. Injuſtè. C. de Epiſc. & Cleric.* Jaſon *d. l. Properandum §. Sive autem alterutra. num. 10. C. de Iudiciis*, citans Baldum, Angelum, & Salycetum *ib.* Barboſa, *ubi ſuprà n. 9.* Henric. Temmen *c. c. 9. ſect. 3. n. 16.* cum aliis, quos allegat.

186 Addit Speculator *tit. de Expenſis. §. Nunc videndum num. 3.* quòd ſi Judex videat, victum ex errore probabili ſuccubuiſſe, ſicque non eſſe condemnandum in expenſis, debeat in ſua ſententia iſtud declarare; ut *Auth. Poſt jusjurandum. C. de Iudiciis; & Auth. de Iudicibus. §. Oportet. Collat. 6.* juncta Gloſſa *℣. Sua*, aſſerente, quòd declaratio iſta poſſit fieri dicendo: *Ab expenſis abſolvo*: vel, ſi in aliquibus victum condemnavit, poſſit dicere: *Ab aliis abſolvo.*

187 Fatendum quidem, quòd Jo. Andreas *d. c. Finem litibus. n. 17. de Dolo & contum.* & Jaſon *c. n. 10.* pluresque alii per Henric. Temmen *c. c. 9. ſect. 3. n. 84.* allegati, velint, ſi Judex abſolvit victum ab expenſis, quia habuit juſtam cauſam litigandi, quòd teneatur etiam in ſententia exprimere cauſam illam. Verùm hanc ſententiam ex profeſſo rejicit Abbas *in c. Examinata. n. 8. de Iudiciis*, & ipſemet Temmen *l. c. n. 85. & ſeqq.* cum aliis. Tum quia ea ex nullo jure probatur: nam *in c. §. Oportet*, in quo ſe fundant præallegati Authores ſolùm dicitur, quòd ſi Judex vult abſolvere ab expenſis, debeat iſtud exprimere: putà, dicendo, quòd abſolvat ab expenſis, ob rationabilem videlicet cauſam ſibi cognitam. Tum quia in contrarium ſtat regula, quòd Judex non teneatur in ſententia exprimere cauſam ipſius; eò quòd propter authoritatem judiciariam præſumantur omnia legitimè facta, *cap. Sicut nobis. 16. h. t.* eſtque jam dictum ſuprà *n. 98. & ſeq.* Concordat Gailus *lib. 1. Pract. Obſerv. 151. n. 20.* aſſerens, quòd in Camera verbis duntaxat generalibus, puta, ex juſtis cauſis animum judicis moventibus (vulgò, *aus bewoglichen Urſachen*) fiat declaratio compenſationis expenſarum ob juſtam cauſam litigandi.

188 Reſp. III. Fallit ulteriùs data *n. 176.* Regula in nonnullis aliis caſibus: Videlicet, in caſu *cit. l. Properandum. § Sin autem reus. & §. Et ſi quidem. C. de Iudiciis*: ubi Actor, vel Reus contumaciter abſens, ob ſuam contumaciam condemnatur alteri parti in expenſis, haud obſtante, quòd in cauſa victor exiſtat: eſtque jam dictum ſupra partim *Tit. 14. de Dolo & contumacia. §. 3. num. 85.* partim *Tit. 15. De eo, qui mittitur in poſſeſſionem &c. num. 14.* Alius conſimilis caſus habetur *in Auth. de Defenſorib. Civitat. §. Et judicare. Collat. 3.* quem Gloſſa *ib. ℣. Omnis litis*, appellat ſpecialiſſimum, quòd victo victor damnatur in expenſis.

189 Fallit quoque in perſona valdè honeſta, & magnæ ſpectatæ fidei, aut valdè religioſa, quæ ſi ſuccumbat in lite, non debet in expenſis condemnari: quia non præſumitur, quòd calumnioſè ſeu temerè litigaverit. Gloſſa *can. Expendit. 12. q. 1. ℣. Si ſcirent.* Hoſtienſis *c. Finem litibus*, & Jo. Andreas *ib. n. 17.* & Abbas *n. 22.* & Barboſa *n. 4. de Dolo & contum.* Socinus *in Fallentiis, reg. 139. fallent. 3.* Jaſon, *ubi ſuprà, n. 10. & l. Iubemus, n. 12. C. eod.* pluresque alii ab his allegati.

190 Fallit inſuper in caſu, quo pars aliqua ſemiplenè probavit, & Judex ei detulit juramentum neceſſarium, ſicque ipſa vicit: tunc enim altera pars non debet condemnari in expenſis. Ita Jaſon *cit. §. Sive autem alterutra nu. 10.* poſt Alexandrum *ib.* & Baldum *in Auth. Generaliter. C. de Epiſc. & Cler.* Secùs dicendum de juramento judiciali litis deciſivo, ſeu delato à parte parti in judicio: quia ſi Reus detulit juramentum Actori, & hic jurat, debet Reus in expenſis condemnari. Jaſon *d. nu. 10.* allegans plures alios.

191 Quæritur II. Utrùm Judex debeat condemnare victum victori in expenſis, ſive hæ fuerint petitæ, ſive non? Reſp. I. Certum eſt, quòd Judex teneatur victum victori condemnare in expenſis, quando hæ fuerunt petitæ; aliàs Judex litem faciet ſuam, ipſaſque expenſas de ſuo reſarcire tenebitur. Ita textus *in l. Properandum. §. Sive autem alterutra*, & tradit Bartolus *ib.* & Baldus *C. de Iudiciis.* Maranta *part. 6. Speculi Aurei. tit. de Libelli oblation. num. 18.* cum communi. Idque patet ex *cit. §. Sive autem alterutra*, cujus verba *num. 176.* jam ſunt relata juncta *L. 4. §. Hoc autem judicium. ff. de Damno infecto*, cum ſimilibus.

192 Cæterùm *Expenſæ* cenſentur *petitæ*, non ſolùm, quando verbis expreſſis per litigantem petuntur, Judice pro Tribunali ſedente; ſed etiam, quando in Libello facta eſt proteſtatio de expenſis: nam per talem clauſulam cenſetur interpellatus Judex, ut victum victori condemnet ad expenſas. Maranta *cit. num. 18.* Idem dicendũ de clauſula illa generali, ac Libello inſerta: *Super his omnibus peto mihi jus, & juſtitiam adminiſtrari omni meliori modo, ac forma, qua de jure, ſtatuto, vel conſuetudine fieri poteſt &c.* nam per hujuſmodi clauſulam imploratur officium Judicis ſuper omnibus cauſam ipſam contingentibus, & ſic etiam ſuper expenſis. Engel *tit. de Libelli oblatione. n. 6* Gailus *lib. 1. Pract. Obſerv 61. n. 8.* allegans alios. Addit Jaſon *cit. §. Sive autem alterutra. n. 32.* poſt Baldum, & Paulum de Caſtro, & Alexandrum *ibid.* ſufficere quoque petitionem implicitam expenſarum; putà, quòd litigans petat ferri ſententiam pro ſe: quia cenſetur petiiſſe, quòd Judex ferat ſententiam nedum ſuper cauſa principali, ſed etiam ſuper omnibus acceſſoriis, *arg. L. ult. C. de Fructib. & litium expenſ.*



193 Porrò, ſi Judex victum (ceſſante juſta cauſa) non condemnavit victori in expenſas petitas, non poteſt poſt latam ſententiam ampliùs in eas victum condemnare, niſi adhuc *comminus partibus conſtitutis*, ut loquitur textus *in l. Terminato. C. de Fructib. & litium expenſ.* Ubi Gloſſa *℣. Comminus*, & Bartolus *ibid.* iſtud intelligunt de toto illo die, quo Judex tulit ſententiam; ut *l. Paulus. ff. de Re judic.* Unde, quòd toto illo die poſſit Judex condemnare victum in expenſas, tradit etiam Abbas *c. Finem litibus. n. 35. de Dolo & contumac.* & Jaſon *cit. §. Sive autem alterutra; n. 32.* inde concludens, quòd expenſæ non petitæ, poſſint peti à parte per totam illam diem, qua Judex tulit ſententiam, utpote qui per totam illam diem poteſt ſupplere ſententiam, *cit. l. Paulus. ff. de Re judicat.* Idem tradit Gailus *lib. 1. Pract. Obſervat. 151. numero 19.* quamvis addat, iſtud in Camera non obſervari.

194 Reſp II. Quando expenſæ nullo modo fuerunt petitæ, poteſt quidem Judex ex officio victum, & temere litigantem, condemnare victori in expenſas, non tamen tenetur condemnare. Ita Abbas *d c. Finem litibus. n. 34. de Dolo & contum.* citans Gloſſam *fin. cap. ult. de Reſcript.* Bartol. *l. Properandum §. Sive autem alterutra. qu. ult.* & Jaſon. *ibid. n. 30. C. de Judiciis.* Maranta, *ubi ſupra, n. 18.* Engel. *h. t. n. 13.* cum aliis. Ratio partis prioris eſt; quia condemnare in expenſas, emergit in lite, atque pertinet ad officium judicis; ergo, ſi vult, poteſt ex officio in expenſas, etiam non petitas, condemnare victum, *cit. §. Sive autem alterutra. & l. Non ignoret. C. de Fructib. & lit. expenſ.*

195 Altera verò pars ex eo probatur: quia Judex non tenetur officium ſuum impendere ad privatam alterius utilitatem, niſi fuerit petitum; ut *L. 4. §. Hoc autem judicium. ff. de Damno infect.* Simulque; *non quidquid judicis poteſtati permittitur, id ſubjicitur juris neceſſitati*, ut loquitur textus *in l. Non quidquid. ff. de Iudiciis*, Unde conſequens eſt, quòd Judex non teneatur condemnare victum victori in expenſis, neque hujuſmodi expenſas reſarcire de ſuo, haud obſtante, quòd ſecùs foret dicendum, ſi expenſæ fuiſſent petitæ, & tamen in eas non condemnaſſet Judex litigatorem temerarium, *cit. §. Sive autem alterutra.* Abbas *cit. n 34.* Bartolus, *ubi ſuprà*, & alii.

196 Quæritur III. Quid nomine Expenſarum intelligatur, & quotuplices ſint? Reſp. I. *Expenſarum* nomine in propoſito intelliguntur impenſæ neceſſariæ, ſeu judiciales, quæ propter ipſam cauſam factæ ſunt, Textus eſt *in cap. Finem litibus. 5. de Dolo & contum.* ibi: *Ad ſolvendas alteri parti moderatas expenſas in judicio faciendas*, ubi Gloſſa magiſterialis. *℣. Expenſas*, adducens plures concordantias, & Abbas *n. 28.* ampliùs iſtud declarans. Concordat textus *in l. Properandum. §. Sin autem ex geſtis. C. de Iudiciis*, ibi: *Expenſis tantummodò litis, quas reus legitimè ſe expendiſſe juraverit, condemnationi excipiendis*: cum ſimilibus.

197 Hinc, quod in taxatione expenſarum judicialium non ſit habenda ratio earum impenſarum, quas arrharum nomine Clientes ſuis Advocatis ſub litis initio dare conſueverunt, ſicut nec annuum ſalarium pro novanda ſibi impoſterùm opera Advocatis, vel Procuratoribus, per nonnullos dari ſolitum; cenſet, atque in Camera concluſum refert Gaillus *l. 1. Pract. Obſervat. 151. n. 1.* Quia (inquit) hæ expenſæ ſunt delicatæ, atque voluntariæ, quarum rationem Judex habere non debet, *arg. l. Inter quos. §. fin. & l. Ex damni. §. 1. ff. de Damno infect. & l. Si ſervos. ff. de Pignorat. action.* Quid enim ad partem victam, quòd victor tam liberales expenſas in arrhis, ſeu annuo ſalario fecerit? Similiter ea, quæ dantur pro muneribus, etiam licitis & ſolitis, hoc loco non veniunt nomine expenſarum. Card. de Luca *Diſcurſ. 39. de Iudiciis, n. 17.*

198 Reſp. II. Expenſæ neceſſariæ, atque judiciales, quarum ratio habenda eſt in condemnatione expenſarum, ſunt in quadruplici differentia, Ita Speculator *tit. de Expenſis. §. Poſtremò, n. 21.* & Gailus *cit. Obſerv 151. n. 2. & ſeqq.* allegans alios. Idque patet inductione. Imprimis enim expenſæ hujuſmodi ſunt eæ, quæ fiunt in judicio: putà, ad inſtruendum Proceſſum, ſeu pro opera Advocatorum in concipiendo Libello, aliiſque ſcripturis, atque productis ad ipſam cauſam pertinentibus conficiendis, quæ debent taxari ſecundum qualitatem perſonarum, & magnitudinem cauſæ. Huc etiam pertinent expenſæ, quæ dantur Procuratoribus in proponendis, & exhibendis partium juribus; item & Notariis pro conficiendis inſtrumentis &c. Atque de his fit mentio *in l. Sancimus. C. de Iudiciis, & L. 1. §. Id honorarii. ff. de Variis & extraordinar. cognit.* In quo poſteriori loco dicitur, quòd *in honorariis advocatorum ita verſari judex debet, ut pro modo litis, proque advocati facundia, & fori conſuetudine, & judicii, in quo erat acturus, æſtimationem accipiat: dummodò licitum honorarium quantitas non excedat.* Hæc ibi.

199 Secundò expenſæ neceſſariæ & judiciales cenſentur eſſe, quæ fiunt pro examine teſtium: puta, à longè adducendorum, *c. Cùm pro cauſa. 6. de Procuratorib. & leg. Quoniam. C. de Teſt.* & alibi. Tertiò, inter expenſas neceſſarias, atque judiciales, connumerantur Sportulæ, quæ ſpectato Jure Civili Judicibus delegatis dantur, juxta *Auth. de Iudicibus. § Ne autem. Collat. 6.* de quibus ex profeſſo actum eſt ſuprà *Lib. 1. Tit. 32. de Officio Iudicis, n. 17. & ſeqq.* Quartò, inter expenſas neceſſarias & judiciales computantur eæ, quæ dantur executoribus litium, ſeu Apparitoribus: quæ etiam *Sportulæ* vocantur *in Rubric. & toto Tit. C. de Sportulis &c.*

200 Reſp. III. Inſuper eſt diſtinguendum inter expenſas contumaciæ, ſeu quas pars incurrit ob contumaciam partis adverſæ; & inter expenſas victoriæ, ſeu in quas victus victori condemnandus eſt. Ita Abbas *c. c. Finem litibus. n. 35. de Dolo & contum* Jaſon *l Properandum. §. Sive autem alterutra, n. 13. ff. de Iudiciis.* Gailus *lib. 1. Practic. Obſerv. 151. n. 13.* & alii. Idque oſtenditur inductione, declarando hujuſmodi differentias.

201 Imprimis enim appellatione *Expenſarum ratione contumaciæ*, veniunt non ſolùm impenſæ litis, & retardati Proceſſus; verùm etiam damna, intereſſe, & deteriorationes, quas una pars ob contumaciam; v.g. ob contumacem abſentiam alterius, perpeſſa fuit, *arg. c. Cùm dilecti. 6. §. fin. de Dolo & contum.* ubi pars ob ſuam contumaciam condemnatur ad legitimas & moderatas expenſas, quas adverſarius ejus fecerat, & non tantùm ad neceſſarias litis expenſas. Gloſſa *in L. 1. ℣. Tenebitur*, & Bartolus *ibid. numero 2. ff. de Alienation. judicii mutand. cauſ.* Jaſon *cit. numero 13.* Secùs eſt in *Expenſis victoriæ.* quia tunc veniunt expenſæ ratione litis tantùm, *l. Sancimus.* juncta Gloſſa *℣. Damna. ff. de Iudiciis.* Bartolus, & Jaſon, *ubi ſuprà.* Gailus *d. Obſervat. 151. n. 13.* allegans alios.

202 Et hoc adeò verum eſt, ut ſi Advocatus, vel Doctor in propria cauſa litiget, atque inſtrumenta ſua ipſemet conficiat, nihil eo nomine pro ſua navata opera exigere valeat: tantum enim expenſas litis petere poteſt, quales tamen in dato caſu non feciſſet. Idemque dicendum, ſi alius mihi gratis ſerviiſſet, aut ex privilegio mihi ſportulæ remiſſæ fuiſſent. Gloſſa *in L. ult. ℣. Cùm quidam. C. de Fructib & litium expenſ.* & Bartolus *ib. n. 7.* Baldus *n. 12.* Speculator *tit. de Expenſis. §. Poſtremò. n. 8.* Abbas *c. cap. Finem litibus. n. 30. de Dolo & contumac.* Jaſon, *ubi ſuprà, nu. 14.* Card. Tuſchus *Litt. E. Concl. 632. n. 6.* Henric, Temmen. *cit. tr. de Litium Expenſis, c. 10. nu. 38. & 39.* Gailus *d. Obſerv. 151. n. 15.* allegans alios, atque in Camera ita deciſum referens.

203 Quod ipſum tamen cum aliquo moderamine intelligendum eſt, videlicet, niſi Advocatus ille propter hoc perdiderit aliud lucrum, vel damnum perſonale incurrerit: ut putà, quia propter iſtam non potuit aliis operam ſuam locare, ſicque damnum in perſona ſua ex patrocinio propriæ cauſæ paſſus fuit: hoc enim caſu damnorum ratio eſt habenda.

204 Nec obſtat, quòd in expenſis victoriæ veniant tantùm expenſæ circa litem factæ, & non damna circa alias res ipſius victoris; ut *num.* 201. dictum. Nam iſtud ſingulariter limitatur, quando damnum in perſona petentis contingit; putà, quia eſt talis perſona, quæ ex arte ſua vivit: ſiquidem per aſſiſtentiam in lite repetit quis lucrum perſonale, quod perdidit; nam damna perſonalia non ſunt extrinſeca liti, ſicut alia damna. Bartolus *L. 1. ff. de Alienat. judic. mutand. cauſ.* Jaſon *loc. cit. num.* 13. Abbas *num.* 19. & 30. Gailus, *ubi ſuprà*, & alii.

205 Deinde differunt: quia in expenſas contumaciæ poteſt Judex non expectata diffinitiva condemnare incontinenti, poſtquàm conſtat de contumacia partis; ut *cap. Cùm dilecti 6. de Dolo & contumac. & c. Auditis 8. de Procuratorib.* & alibi: ita tamen, ut ſi velit expectare, poſſit Judex differre, & condemnare quandocumque, etiamſi proferretur pro contumace; ſemper enim durat officium judicis à prima citatione uſque ad ſententiam. Innocentius *in cap. Sæpè. 44. de appellat.* Abbas *l. c. n.* 35. Gailus, *ubi ſuprà, n.* 14. Secùs dicendum de expenſis victoriæ: quia in has nequit condemnari pars victa, niſi per ſententiam diffinitivam, & toto die illo, quo hæc lata eſt, *l. Terminato.* juncta Gloſſa *V. Comminus C. de Fructib. & litium expenſ. & l. Paulus. ff. de Re judicat.*

206 Tertiò differunt: quia expenſæ contumaciæ debentur actione in factum, *L. un. §. fin. ff. Si quis jus dicenti non obtemp.* ubi Gloſſa *V. Hoc judicium*, Bartolus, & Baldus, & Abbas *c. c. Finem litibus. n.* 32. *de Dolo & contumac.* Quamvis addat, quòd Judex ex officio ſuo, etiam abſque partis petitione, poſſit contumacem condemnare in expenſis, juxta *c. Cùm dilecti. §. fin. eod.* ubi nulla præceſſit petitio partis, & tamen contumax fuit ipſi condemnatus in expenſis. Expenſæ victoriæ econtrà debentur officio judicis; uti notantur *cit. l. Terminato C. de Fructib. & litium expenſ.* Gailus *d. Obſerv.* 151. *n.* 13.

207 Quæritur IV. Utrum ſententia ſuper expenſis poſſit eſſe incerta; & qualiter hæ ſint probandæ? Reſp. I. Sententia ſuper expenſis lata, poteſt eſſe incerta; hoc eſt, lata abſque taxatione ipſarum expenſarum, conſimili modo: *Condemnamus talem* (putà, Titium victum) *in expenſas alteri* (v. g. Cajo victori) *quas hic fecit, vel ſe feciſſe probabit.* Ita Innocentius *c. Finem litibus circa fin.* & Abbas *ibid. numero 8. de Dolo & contumac.* Idque clarè deſumitur ex *cap. Auditis. 8. de Procuratorib.* ubi talis ſententia condemnatoria in expenſas habetur, illis verbis: *Condemnandum tibi duximus in expenſas, quas feciſti &c.* Concordat textus *in cit. cap. Cùm dilecti. 6. §. fin. de Dolo & contumac.* & *l. Terminato.* juncta Gloſſa *V. Competere C. de Fructib. & lit. expenſ.* cum ſimilibus; ubi Judex comminùs, ſeu intra diem poteſt victum condemnare in expenſas, licèt non fuerint taxatæ in ſententia: quia taxabuntur in executione, ut ibidem *in Summario* loquitur Paulus à Caſtro. Quod ut meliùs intelligatur

208 Reſp. II. Quando alteruter litigantium in expenſis condemnatus fuit, tunc victor expenſas, quas fecerat, tenetur probare (hoc eſt, eas deſcriptas Judici exhibere, atque adverſario poſtulante liquidare) quas deinde Judex taxare, & tantùm neceſſarias, rejectis immodicis, aut voluntariis, victori adjudicare debet, delato tamen priùs ipſi juramento; quòd expenſæ ſint veræ; ſeu, quòd tantùm, & non minùs expenderit. Textus eſt, *in Auth. de Judicibus. § Oportet. Collat. 6. & l. Sancimus; C. de Judiciis*: atque in ſimili dicitur *cap. ult. De eo quod vi metuſve cauſa &c* ac notat Gloſſa *in c. Finem litibus. V. Expenſas*, & Abbas *ibid. n. 36. de Dolo & contum.* Engel *h. t. n.* 13. Jaſon *l. Properandum. §. Sive autem alterutra, n. 25. C. de judiciis*, exinde inferens, quod expenſæ factæ in lite, probentur per ſolum juramentum victoris: intellige, præſtitum eo modo, quo dicitur in Concluſione. Gailus *lib. 1. Practic. Obſerv.* 151. *n.* 10. & 11. eo tamen addito, quòd juramentum expenſarum in Camera in parva ſumma (putà, quæ eſt infra viginti florenos Rhenanos) à parte victrice non exigatur: ſiquidem in modicis ceſſat præſumptio perjurii; ſimulque de modico non curat Prætor, *l. Scio.* juncta Gloſſa *V. Summam: ff. de Reſtit. in integr.*

209 Quæritur V. Utrùm non ſolùm appellans, ſed etiam appellatus, ſi in cauſa appellationis ſuccumbat, in expenſis condemnandus ſit? Reſp. I. Loquendo nunc de cauſa appellationis, appellans à priori ſententia contra ipſum lata, & denuò victus, indiſtinctè victori in expenſis condemnandus eſt: quia præſumitur malam fidem proſecutus. Ita Gloſſa *cit. cap. Finem litibus. V. Expenſæ*, & Abbas *ibid. n. 24. de Dolo & contum.* Speculator *tit. de Expenſis. §. Nunc videndum. num. 2.* iſtud intelligens, ubi quis calumnioſè appellavit: secùs, ſi poſſit oſtendere, quòd juſtam cauſam habebat appellandi. Gailus *d. lib. 1. Pract. Obſervat.* 152. *n.* 4. aſſerens, de appellante non eſſe dubium, quin indiſtinctè condemnandus ſit: ut *c. Sæpè contingit*: 44. & *c. Ut debitus. 59. de Appellat. & l. Eos qui §. Ne temerè. C. eod.* Henric. Temmen. *cit. tract. de Litium Expenſis, c. 8. ſect.* 4. *n.* 33. allegans alios.

210 Atque iſtud indubiè verum eſt, quando quis temerariè, aut fruſtratoriè, ſeu non legitime appellavit, & denuò ſuccubuit. Quòd ſi verò probabilis cauſa excuſaret appellantem (ut quia habebat pro ſe opinionem communem, quæ non erat evidenter injuſta; aut erat dubium circa intellectum alicujus legis, vel hujuſmodi) etiam in appellante limitandam eſſe datam Regulam, cenſet non ſolùm Speculator, *ubi ſuprà*; ſed etiam Abbas *cit. n.* 26. ac noviſſimè Temmen. *cit. c. 8. ſect. 4. n.* 36. Licèt enim unus Judex judicaſſet contra eum, non tamen ſemel ſuccumbens tenetur ſtatim quieſcere, data tanta dubitatione Doctorum. Textus eſt *in c. Sacro. 48. §. Verum ſi, de Sent. excomm.* ubi appellans, & ſuccumbens, condemnandus dicitur in expenſis, ea tamen addita limitatione: *Niſi forſan, & ipſum probabilis error excuſet*: atque ampliùs tradit Gloſſa *ibid V. Probabilis error.* Simile quid habetur, *c. 1. in fin. de Elect. in 6.*

211 Reſp. II. In Appellato (ſeu in eo, contra quem pars victa appellat) major eſt difficultas, graviorque ratio dubitandi, an ſi in judicio appellationis ſuccumbat, ſit condemnandus in expenſis. Siquidem ex una parte Appellatus præſumitur habere juſtam cauſam litigandi, hoc ipſo, quòd Judicis ſententiam pro ſe reportarit; & ab appellante citatus, nunc neceſſe habeat comparere, ſeque defendere. Ex altera verò parte urget, quia per appellationem tollitur præſumptio, quæ ſtabat pro juſtitia prioris ſententiæ, atque omnia reponuntur in eo ſtatu, in quo anteà fuerant poſt litem conteſtatam, ut *L. 1. §. fin. ff. Ad S. C. Turpillianum.* eſtque jam dictum ſuprà *Tit. 25. De Exceptionibus. §. 2. n. 28. & 29.*

212 Verùm communis opinio diſtinguendum cenſet, utrùm Appellatus ex iiſdem actis in cauſa appellationis ſuccumbat; an verò ex novis probationibus noviter allegatis, & probatis. In priori caſu concludit, Appellatum, ſi in Judicio appellationis ſuccumbat, in expenſis condemnandum; cùm non cenſeatur habere juſtam cauſam litigandi (niſi hanc probaverit, juxta limitationem *n.* 210. datam) eò quòd præſumptio pro juſtitia prioris ſententiæ, per appellationem elidatur, omniaque quaſi in priſtinum ſtatum reponantur; atque Appellatus poſt auditas adverſæ partis rationes ſolùm laboret ignorantia juris, quæ non excuſat, juxta *Reg. 13. Jur. in 6.* quamque is potuiſſet, ac debuiſſet ſuperare interrogando peritiores. Abbas *cit. cap. Finem litibus n. 25. v. Secundo membro de Dolo & contumac.* Jaſon. *l. Properandum. §. Sive autem alterutra n.* 23. & Bartolus *ibid. C. de Judiciis.* Gailus *d. lib. 1. Pract. Obſervat.* 152. *n.* 5. citans alios, atque communem.

213 In altero caſu, ſeu quando Appellatus ſuccumbit ex novis probationibus per appellantem productis, aſſerunt Doctores præallegati, quòd facienda ſit compenſatio expenſarum; adeoque Appellatus ſuccumbens evitet condemnationem in expenſas. Ratio diſparitatis inter hunc, & priorem caſum eſt: quia hic habuit Appellatus ignorantiam facti (non enim potuit prævidere novas probationes, v. g. per inſtrumenta de novo reperta, ab appellante productas, cùm ſint quid facti) & ceteroquin habuiſſe præſumitur juſtam cauſam litigandi, etiam agnitam à Judice *à quo*, in favorem ipſum ferente ſententiam: ſecùs eſt in priori caſu, ubi intervenit ignorantia juris. Atqui juxta *Reg. 13. Jur. in 6. Ignorantia facti, non juris excuſat.* Abbas, Jaſon, Gailus, *ubi ſuprà*, cum aliis, quos allegant.

In



214 In praxi tamen, utrùm Appellatus habuerit juſtam cauſam litigandi ſuper negotio principali, & appellationis, relinquendum eſſe arbitrio, & diſcretioni Judicis, cenſet Abbas *cit. n.* 25. & Baldus *in l. Generaliter §. Sed juramento. C. de Rebus credit.* Cujus opinionem (inquit Gailus *d. Obſervat. 152. n. 5.*) ut plurimùm Camera ſequitur *& communiter ſuccumbente appellato, ſit expenſarum compenſatio; adeò, ut non meminerim aliter obſervatum.* Hęc Gailus. Similia habet Henric. Temmen, *ubi ſuprà, c. 8. ſect. 4. n. 26. & 27.*

215 Quæritur VI. Quid dicendum de ſententiis, per duos Judices contraria pronunciantes datis? Et additur notanter, *per duos Judices.* Nam ſi plures Judices concurrant, vel aſſumantur, præſertim in impari numero, ſtandum eſt majori parti concordanti in eandem ſententiam; ut tradit Gloſſa communiter recepta, *c. ult. V. Diverſa. h. t.* iſtud intelligens, ſive plures illi Judices ſint Ordinarii, ſive Delegati, ſive Arbitri, *can. 1. & 2. diſt. 65. & l. Duo ex tribus. ff. de Re judic.* Idemque probat textus *in c. 1. De his quæ ſunt à major. part. Capit.* ubi ſemper prævalet, ſuumque effectum conſequitur, quod à majori & ſaniori parte Capituli fuerit conſtitutum.

216 Concordat *c. 1. de Arbitris*, ubi ex tribus Arbitris electis, ſtandum decernitur ſententiæ duorum concordantium: & ſi omnes tres diſcordent, putà in taxanda aliqua quantitate pecuniaria, obtinebit pars minima, utpote in qua omnes concordant, *c. 1. eod. in 6.* eſtque jam dictum ſuprà *Lib. 1. Tit. 43. de Arbitris. §. 2. n. 51. & 52.* Verùm loquendo de duobus Judicibus concurrentibus, & in judicando diſcordantibus, ſpecialis eſt difficultas; quę quia *c. ult. h. t.* reperitur deciſa, haud immeritò pro complemento præſentis Tituli nunc proponitur: unde

217 Reſp. I. Si duo Judices ordinarii contraria pronunciant, tenet ſententia lata pro Reo: præterquàm in cauſa favorabili. Ita communis; eſtque expreſſum *d. c. ult. § 1. h. t.* illis verbis: *Duobus judicibus, ut accepimus, diverſas ſententias proferentibus, ſi ex jurisdictione ordinaria protulerunt, tenet pro Reo, non pro Actore ſententia: niſi in cauſa favorabili, putà matrimonio, libertate, dote, ſeu teſtamento, pro ipſo fuerit promulgata.* Ubi tamen Abbas *in Summario*, & Barboſa *n. 1. & 7.* addit ly, *cum ſimilibus* (intellige) cauſis favorabilibus, putà, alimentorum, & in cauſa Fiſci: nam in dubio ſemper pro his ferenda eſt ſententia. In cæteris autem cauſis eligitur via favorabilior, ut teneat ſententia pro Reo, non verò pro Actore: nam *favorabiliores Rei potiùs, quàm Actores habentur*, uti dicitur *l. Favorabiliores. ff. de Reg. Jur.* juncta *Reg. 11. eod. in 6.* cum ſimilibus.

Reſp. II. Quòd ſi duo Judices delegati diſcordent in ſententiando, tunc Delegans eſt adeundus, ut ipſe pronunciet pro alterutra parte, ſicque ex ejus arbitrio pendet ſententia. Textus *in c. c. ult. §. Si verò. h. t. & l. Duo judices. ff. de Re judic.* ubi in tali caſu reſpondetur, *utramque ſententiam in pendenti eſſe, donec competens Judex* (ſive, qui illos delegavit) *unam earum confirmaverit.* Ratio diſparitatis inter hanc, & priorem Concluſionem, eſt: quia Delegati non habent jurisdictionem jure proprio, ſed beneficio Delegantis, & cujus locum repręſentant: unde unus eorum non poteſt validè ſine altero judicare, *c. Cauſam. 16. de Offic. Delegat.* Econtra Ordinarii habent jurisdictionem propriam, eamque ſuo jure exequuntur: unde etiam horùm jurisdictio eſt naturalis, & favorabilis, ſicque ei per Leges magis defertur, quàm jurisdictioni delegatæ, quæ eſt accidentalis & odioſa; prout ampliùs dictum eſt ſuprà *Lib. 1. Tit. 29. De Offic. & poteſtat. Judic. Delegat. §. 2. n. 42. & 52. ac ſeqq.* 218

Reſp. III. Si tandem duo Arbitri contrarias ferant ſententias, neutra harum tenet. Textus eſt *in c. c. ult. §. fin. h. t.* illis verbis: *Quòd ſi ex compromiſſo, neutra debet habere vigorem.* Neque in tali caſu recurritur ad Superiorem: quia partes compromittendo in Arbitros, receſſerunt à proviſione Superioris, ſibique providere voluerunt; unde Superior non curat de tali laudo, ſive ſententia Arbitrorum. Vivianus *in Rationali Juris c. ult. §. fin. h. t.* 219

# TITULUS XXVIII.

## De Appellationibus, Recuſationibus, & Relationibus.

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*

1 Viſo de ſententia, & ejus effectu, rectè ſubjungitur præſens Rubrica: tum quia appellatio impedit effectum rei judicatæ, atque executionem ſententiæ: tum quia ipſa eſt opportunum remedium contra ſententiam iniquam, ſeu per quam pars litigans ſentit ſe injuſtè gravatam: cùm verò materia præſentis Tituli ſit longior, ſcituque neceſſaria, juvabit ipſa majoris claritatis gratia in Paragraphos dividere: unde ſit

### §. II.

### De Appellatione, Supplicatione, ac Oppoſitione nullitatis ſententiæ, harumque differentiis.

*S U M M A R I U M.*

2 *Appellatio vi nominis, &*
3 *Appellatio, quantùm ad propoſitum, quid?*
4 *Judex à quo, & Judex ad quem, ſeu Judex appellationis, quis?*
5 *Appellatio debet fieri gradatim ad proximum Superiorem.*
6 *Ad Papam tamen poteſt immediatè appellari in cauſis ſpiritualibus &c.*
*Imò & in prima inſtantia lis coram eo inchoari; & cur; Ibid.*
7 *Valet etiam conſuetudo, quòd ab inferiore appelletur ad ſuperiorem, omiſſo medio.*
*Quin & ceſſante conſuetudine valet hujuſmodi appellatio, ſi non opponatur exceptio. Ibid.*
8 *Appellatio eſt duplex; judicialis.*
9 *Et extrajudicialis; quid?*
10 *Appellatio extrajudicialis non eſt propriè appellatio, ſed potiùs dicitur Provocatio.*
*Provocatio eſt quid generalis appellatione. Ibid.*
11 *Appellatio judicialis, & extrajudicialis differunt; & quomodo? Et n. præc.*
12 *Appellatio judicialis ſubdividitur in eam, quæ fit ab interlocutoria: & quæ à diffinitiva ſententia.*
13 *Inter has duas appellationes quatuor potiſſimùm ſunt differentiæ. Et num. ſeqq.*
*Appellatio à diffinitiva poteſt fieri incontinenti, ſeu ſtante pede: altera debet fieri in ſcriptis. Ibid.*
14 *In illa non eſt neceſſe, cauſam appellationis in ſpecie exprimere: ſecùs in altera.*
15 *In cauſa appellationis à diffinitiva licet novis probationibus uti: ſecùs in cauſa appellationis ab interlocutoria.*
*Appellans poteſt non deducta deducere, & non probata probare: & quomodo? Ibid.*
16 *Appellatio à diffinitiva poteſt ſemper proponi: non ſic appellatio ab interlocutoria, ſaltem ſpectato Jure Civili, & Concilio Tridentino.*
*Gravamen per ſententiam diffinitivam irreparabile. exemplificatur. Ibid.*
17 *Appellationes rationabiles, ſeu legitimæ; &*
*Appellationes fruſtratoriæ, frivolę, ac leves, quę? ib*

18 Sup-

18 *Supplicatio propriè dicta, &*
19 *Supplicatio largè accepta, quid? Et n. ſeq.*
*Reviſorium, unde traxerit originem? Num. 18.*
20 *Supplicare quilibet poteſt, quantumcunque remota ſit appellatio.*
*Ubi poteſt appellari, non debet ſupplicari. Ibid.*
*In dubio tamen poteſt intentari utrumque remedium.*
21 *Supplicatio differt in pluribus ab appellatione.*
22 *Et in quibus?*
23 *Oppoſitio nullitatis ſententiæ, quid?*
*Hæc ſolet fieri per viam querelæ. Ibid.*
24 *Appellatio, & Oppoſitum nullitatis ſententiæ, differunt variè. Et n. ſeqq.*
*Atque remota appellatione, non cenſetur nullitas ſublata. Ibid.*
25 *Solvuntur inſtantiæ. Et n. ſeqq.*
26 *Appellatione interpoſita non poteſt Judex exequi ſententiam: ſecùs, ſi ſolùm opponatur nullitas, niſi hęc foret notoria.*
27 *Appellatio debet fieri intra decem dies: non ſic Oppoſitio nullitatis ſententiæ.*
28 *Appellatio ſemper coram Superiore proponenda eſt: ſecùs, ſi opponatur nullitas ſententiæ.*
29 *Judex ordinarius poteſt reformare ſententiam ſuam de jure nullam.*
30 *Secùs dicendum de Judice Delegato, quod tamen limitatur.*
31 *Hodie ex uſu Fori ubique fermè ſolet adiri Superior, ſive Judex appellationis, ſuper nullitate principaliter cognoſcenda.*

2 QUæritur I. Quid, & quotuplex ſit Appellatio, Reſp. I. *Appellatio* vi nominis idem eſt, ac nominatio, compellatio, & allocutio alicujus: uti videre eſt apud Calepinum ℣. *Appello*, & *Appellatio*. Verùm apud Juriſconſultos Appellatio ſignificat provocationem, qua ob ſententiam injuſtam, vel gravamen indebitum, majoris Judicis imploramus auxilium. Atque in hac poſteriori acceptatione nunc loquendo

3 Reſp. II. *Appellatio*, quantùm ad propoſitum, eſt provocatio ab inferiori judice ad ſuperiorem ratione gravaminis illati, vel inferendi facta. Ita Abbas *ad Rubric. n.3.h.t.* Maranta *p.6.Speculi aurei, tit.de appellation.n.1.* Sigiſm. Scaccia *de appellat. q.2. n.1. verſ. Quinta* Engel *h.t.n.9.* ac in re communis. Et notanter additur, *ratione gravaminis illati, vel inferendi*: quia non ſolùm à gravamine injuſtè illato, ſed etiam ab inferendo ſive judicialiter, ſive extrajudicialiter, appellari poteſt: ut *c.Bonę memoriæ, 51.& c.Cùm teneamur, 17.ac ſeqq. h.t.& c.Pręterea, 40.eod* cum concordantiis.

4 Porrò Judex inferior, à quo per appellationem fit tranſitus ad ſuperiorem, dicitur *Judex à quo*: alter verò, nempe Judex ſuperior, vocatur *Judex ad quem*, vel abſolutè *Judex appellationis*.

5 Addit Zoeſius *h.t.n.1.* cum nonnullis aliis, in definitione appellationis ly, *gradatim facta provocatio*. Siquidem appellatio debet fieri gradatim ad proximum Superiorem: adeò, ut omiſſo medio non rectè appelletur immediatè ad Principem, *l. Imperatores, ff. de appellation.* Et idcircò, ſi fiat ejuſmodi appellatio, omiſſo medio ad Superiorem, non ſit quidem omnino inutilis; nihilominùs ea ad proximum Judicem remitti debeat, *L. 1. §. Si quis, ff. eod.* Secùs, ſi quis in appellatione ita erraſſet, ut à Superiore ad inferiorem provocaſſet: nam talis error noceret, atque inutilem redderet appellationem, *text. clar. cit. §. Si quis.*

6 Verùm dicta clauſula una cum Abbate, Maranta, Engel, *ubi ſuprà*, & aliis, de induſtria omittitur in data appellationis definitione. Nam imprimis, ſpectato Jure Canonico, aliter res ſe habet: cùm ſecundum iſtud à quovis inferiore Judice Eccleſiaſtico, atque ex omnibus mundi partibus, immediatè ad Summum Pontificem poſſit appellari; ut *can. Si quis veſtrum, & can. Ad Romanam. 2.q.6. & c. Si duobus 7. h.t.* Idque meritò: tum quia Summus Pontifex immediatè à Deo ſuam accepit juriſdictionem, eſtque Paſtor univerſalis omnium Chriſtianorum; unde meritò his omnibus licitum eſt, in cauſis ſpiritualibus, atque Eccleſiaſticis, immediate ad ipſum appellare: ab eoque, ſi ſe gravatos ſenſerint, remedium quærere. Tum quia Papa eſt judex ordinarius omnium Chriſtianorum, *can. Cuncta per mundum. 9. q. 3.* Atque Ordinarius Ordinariorum Gloſſa *c. Cum nullus. ℣. In eadem. de Temporib. Ordinat. in 6.* Habens concurrentem poteſtatem cum omnibus Ordinariis, *c. can. Cuncta per mundum. 9 q. 3. & c. ult. de Foro comp.* cum ſimilibus. Hinc etiam in prima inſtantia, quoad memoratas cauſas, poteſt à quocunque lis coram Papa inchoari. Zoeſius *h.t.n.2.* & alii. Secus eſt in inferioribus Judicibus, ac etiam Principibus ſæcularibus.

Deinde clauſula illa, *gradatim facta provocatio*, exeo cenſetur omittenda in definitione appellationis: quia non pertinet ad hujus ſubſtantialia, ſed accidentalia ſolùm; ut inquit Abbas *ad Rubr. h.t. n.2.* Unde valet conſuetudo, quòd ab inferiore appelletur ad ſuperiorem, omiſſo medio, *arg. c. Referente. 7.* juncta Gloſſa ℣. *Archiepiſcopum appellavit. de Præbend.* eſtque textus expreſſus *in c. Romana. §. ab Archidiaconis. eod. in 6.* ubi de ſubdito Epiſcopi ad Epiſcopum, non verò ad Archiepiſcopum dicitur appellandum, *niſi aliud, huic de conſuetudine competat in hac parte.* Quinimò ceſſante etiam conſuetudine, valet appellatio omiſſo medio, ſi non fuerit oppoſita exceptio; uti tradit Gl. magna *in c. Dilecti filii Prior. 66. h.t.* & Jo: Andreas *ib n. 7.* poſt Innocentium, & Hoſtienſem, & Abbas *cit. n. 2.* 7

Reſp. II. Appellatio eſt duplex, judicialis nimirum, & extrajudicialis. Ita communis. Et quidem *Appellatio judicialis* dicitur, quæ fit ab actibus judicialibus, quibus ſe gravatum quis exiſtimat: qualis eſt illa, quæ fit à ſententia tum diffinitiva, tum interlocutoria; item, ſi quis citatus fuit à Judice, dato nimis brevi termino peremptorio, ſicque appellat; ut *c. 1 de Dilat.* Aut quando appellatur, eò quòd Judex delegatus juſtam exceptionem partis admittere nolit; putà, quòd non poſſit conveniri vi Reſcripti Pontificii, vel hujuſmodi: Pirhing *h.t.n.2.* 8

*Appellatio extrajudicialis* econtrà eſt, quę fit ab actibus extrajudicialibus, quibus aliquis ſe gravatum queritur, vel probabiliter gravandum timet: ut ſi quis injuſtè ſit captus, & incarceratus, vel nominatus ad tutelam; item appellatio extrajudicialis eſt, quæ fit contra electiones, collationes & proviſiones, ex quibus ſe quis gravatum ſentit, *c. Concertationi, h.t. in 6.* 9

Differt autem hęc duplex appellatio in nonnullis. Imprimis enim appellatio judicialis propriè dicitur *appellatio*: extrajudicialis verò non eſt propriè *appellatio* (hæc enim ſtrictè ſumpta ſupponit judicium eſſe cęptum, cùm fiat ab inferiore Judice ad ſuperiorem) ſed potiùs dicitur *Provocatio*, juxta textum *notabilem in c. Cùm ſit Romana. 5. h.t.* ibi: *Sacri Canones etiam extra judicium, paſſim appellare permittunt: nec ſolent hujuſmodi dici appellationes, ſed provocationes ad cauſam.* Si quidem provocatio eſt quid generalius appellatione: nam *Provocatio* dicitur omnis ille actus, per quem Judicum officium, vel auxilium imploratur; ac proinde, veluti latiùs patens, non immeritò in definitione appellationis ponitur loco generis. 10

Deinde Appellatio judicialis ſupponit Judicem *à quo* & Judicem *ad quem*: extrajudicialis verò non neceſſariò ſupponit Judicem *à quo*, cùm poſſit extrajudicialiter appellari etiam contra alium, qui gravamen infert. Pirhing *h t.n.3.* & alii. Rurſum differunt: quia appellatio judicialis etiam malè & ſimpliciter propoſita, ſuſpendit executionem, & facit in contrarium attentata revocari, *can. Poſt appellationem. § appellatione. 2.q.6. & c. Dilectis filiis. 55. h t.* cum concordantiis. Econtrà in appellatione extrajudiciali oportet rationabilem cauſam appellandi exprimere, quæ ſi per Superiorem fuerit admiſſa, tunc primùm attentata medio tempore revocantur, aliàs non; prout liquet ex *c. Cùm inter R. 17. de Election.* ibi: *appellationem illam dicimus legitimam non fuiſſe, unde per eam electio non potuit impediri.* Simile quid habetur *c. Conſtitutis. 46 h.t.* & notat Engel *eod: tit. n. 10.* 11

Reſp. III. Appellatio judicialis ſubdividitur in eam, quæ fit ab interlocutoria; & in eam, quæ fit à ſententia diffinitiva. ita communis. 12

Porrò inter has duas appellationes, præter diverſos effectus, quos habent, juxta dicenda inferius §. 7. & 8. quatuor potiſſimum ſunt differentiæ. Primò ſiquidem Appellatio à diffinitiva poteſt incontinenti, ſive (ut lo- 13



quuntur) *ſtante pede*, fieri oretenus, per verbum *Appello* aut hujuſmodi, *L. 2. & l. A ſententia. ff. de Appellation.* Appellatio ab interlocutoria econtrà debet fieri in ſcriptis, *c. 1. h. t. in 6.* Et idem dicendum de appellatione à diffinitiva, quando interponitur ex intervallo, putà, poſt unum vel alterum diem: tunc enim & ipſa debet fieri in ſcriptis, ſeu per porrectum Libellum appellatorium, *cit. l. A ſententia. §. fin. ff. de Appell.*

14 Deinde in appellatione à diffinitiva non eſt neceſſe, cauſam appellationis in ſpecie exprimere; ſed ſufficit dicere, *Appello ab hac ſententia*, juxta textum expreſſum *cit. L. 2. ff. de Appellat.* ac ſequitur Gloſſa *c. 1. ℣. Statuit. h. t. in 6.* Econtrà vero appellans ab interlocutoria, vel gravamine aliquo, tenetur cauſam appellationis in ſcriptis exhibere, *cit. c. 1. h. t. in 6.*

15 Tertiò, in cauſa appellationis à diffinitiva licet utrique parti, tam Actori ſcilicet quàm Reo, novis probationibus, atque inſtrumentis uti; dummodò cauſam principalem antiquam, & non novam reſpiciant: unde habet ibidem locum illud vulgatum Juriſtarum: *Non deducta deducam, non probata probabo*: ac patet ex *l. Per hanc. c. de Temporib. appellat. & l. Eos qui §. Si quid autem. de Appellation.* Dummodò hinc excipiantur novæ probationes per teſtes: nam hi publicatis ſemel atteſtationibus, propter periculum ſubornationis, non poſſunt ampliùs in cauſa appellationis produci ſuper eiſdem articulis, vel directè contrariis, juxta textum expreſſum *Clem. ult. de Teſtib.* etſi ſuper novis articulis, cauſam principalem antiquam reſpicientibus, benè produci valeant, *c. Fraternitatis. 17. de Teſtib.* ubi Gloſſa ℣. *Novis.* Jo: Andreas *nu. 13.* Abbas *n. 3.* Barboſa *in Collect. ib. n. 2. & 3.* citans plurimos alios; & concordant dicta ſuperiùs *Tit. 19. De Prob. §. 6. n. 149. & ſeqq.* Econtrà verò *appellanti ab interlocutoria vel à gravamine judicis, non licet alias cauſas proſequi, quam in appellatione ſua nominatim duntaxat expreſſas: nec proceſſus primi judicis ex novis, aut de novo probandis juſtificari poteſt, vel etiam impugnari; ſed tantùm ex illis, quæ acta fuerunt, vel exhibita coram ipſo*; prout loquitur textus expreſſus *in Clem. Appellant. 5. h. t.*

16 Quartò differunt, quia quamvis olim de jure Canonico à quavis ſententia, tam diffinitiva videlicet, quàm interlocutoria, appellare permiſſum fuerit; ut *c. De appellationibus. 11. & c. Super eo. 12. h. t.* (non obſtante, quòd de Jure Civili ab interlocutoria non fuiſſet permiſſa appellatio, exceptis certis duntaxat caſibus *l. Ante ſententiæ c. Quorum appellatione &c* juncta Gloſſa *ibid.*) Nihilominus Concilium Tridentinum *Seſſ. 13. cap. 1. de Reform.* & rurſum *Seſſ. 24. c. 20 de Reform.* ad coercendas frivolas, atque fruſtratorias appellationes, noviſſimè decrevit, quòd decipiens ab interlocutoria, vel alio quocunque gravamine non appelletur, neque interpoſita appellatio per ſuperiores recipiatur, niſi ejuſmodi ſententia habeat vim diffinitivæ, vel niſi gravamen illud per appellationem à diffinitiva reparari nequeat. Concordat Decretum Sac. Congregationis infrà §. 9 *n. 267.* referendum, atque gravamen per ſententiam diffinitivam irreparabile, exemplificans in indebita incarceratione, tortura & excommunicatione: hæc enim, & alia his ſimilia, ſecum trahunt executionem, poſteà ampliùs irreparabilem. Econtrà appellatio à diffinitiva (extra caſus in Jure exceptos) poteſt ſemper proponi, quoties per ejuſmodi ſententiam ſeſe quis gravatum ſenſerit.

17 Reſp. IV. Ulteriùs appellationes aliæ ſunt rationabiles, ſive legitimæ; aliæ fruſtratoriæ, frivolæ, inanes & leves, *Appellationes rationabiles, ſeu legitimæ* ſunt, quę fiunt juſta de cauſa, ac ſervatis de jure ſervandis. *Fruſtratoriæ* verò *appellationes* dicuntur, quæ ſolummodò morandæ ſolutionis, aut protrahendæ litis cauſa interponuntur; ut *l. Tutor. ff. de Uſuris.* Tandem *Appellationes frivolæ ac leves ſunt*, quę ex minimis, ac futilibus rationibus fiunt: & tales ut temerariæ meritò rejiciuntur; haud obſtante, quòd pro levioribus, ac minimis etiam cauſis, ſive rebus, appellari poſſit, *cap. De Appellationibus. 11. h. t.* juncta Gloſſa. *fin. ibid.*

18 Quæritur II. Quid ſit Supplicatio, & quomodo differat ab Appellatione? Reſp. I. *Supplicatio* propriè dicta, & quantùm ad propoſitum, eſt quædam precum porrectio facta Principi, ut is ex quadam benignitate reſtituat ſupplicantem adverſus ſententiam, contra quam non competit medium ordinarium. Ita Abbas *c. Ex litteris. n. 6. de in integr. reſtitut.* Et de ſupplicatione taliter accepta fit mentio *in l. Si quis adverſus*, juncta *Auth. Quæ ſupplicatio. C. de Precib. Imperat. afferend.* eſtque non infrequens, pręſertim in Supremis Tribunalibus Principum, ubi locum non habet ulterior appellatio, benè tamen ſupplicatio pro reviſione Actorum judicialium; unde & *Reviſorium* originem traxit.

Dicitur notanter, *ſupplicatio propriè dicta*. Nam largo modo, accipitur pro quibuſcunque precibus Principi, alterive ſuperiori porrectis, ſive ad juſtitiam, ſive ad gratiam obtinendam: in quo ſenſu paſſim in Curiis loquuntur Libelli ſupplices, hanc clauſulam continentes, *Supplicatur Dominationi veſtræ &c.* 19

Aliæ particulæ in data definitione adduntur ad declarandam naturam Supplicationis propriè dictæ, utpote quæ innititur benignitati Superioris, ad porrectas ſibi preces retractantis ea, quæ credit malè acta, ipſamque ſententiam, quando ex aliqua cauſa contra hanc non admittitur appellatio. Supplicare enim quilibet poteſt, quantumcunque remota ſit appellatio, *l. Si quis adverſus. C. de Precibus Imper. offerend.* ac notat Gl. *c. Ex litteris. ℣. Supplicavit*, & Barboſa *in Collect. ib. n. 4. De in integr. reſtit.* citans alios. Ubi autem poteſt appellari, non debet ſupplicari: quia ubi competit remedium ordinarium, ceſſat extraordinarium, *l. In cauſæ cognitione etiam §. 1. ff. de Minorib.* Quòd ſi verò quis dubitet, an adhuc poſſit appellare, poteſt ad cautelam intentare binum remedium, appellando videlicet, & ſupplicando; uti legitur factum *in c. Ex litteris. 4. De in integrum reſtit.* ibi: *Poſtmodum appellavit ad Sedem Apoſtolicam, & etiam ſupplicavit.* Abbas *c. c. Ex litteris. n. 4. & ſeqq. De in integr. reſtitut.* 20

Reſp. II. Supplicatio differt in pluribus ab Appellatione. Ita Gloſſa *c. c. Ex litteris, ℣. Supplicavit.* & Abbas *ib. n. 6. & ſeqq. De in integr. reſtit.* Menochius *lib. 1. de Arbitr. Judic. q. 70. n. 21. & ſeqq.* Supplicationem hujuſmodi vocans Recurſum ad Principem; & alii. Idque probatur inductione. 21

Imprimis enim Supplicatio eſt remedium extraordinarium, & Appellatio ordinarium; ac proinde non debet interponi ſupplicatio, ubi adhuc poteſt appellatio fieri, ut proximè dictum. Deinde Supplicatio poteſt in quacunque cauſa interponi, non ſic Appellatio: nam hac remota adhuc locum habet ſupplicatio, *cit. l. Si quis adverſus. C de precib. Imperat. offerend.* Rurſus differunt, quia Appellatio debet fieri intra decem dies. Supplicatio autem ſi fiat Principi, poteſt proponi intra biennium, *L. un. C. de Sententiis Præfectorum Prætorio*, ſi verò porrigatur Judici, intra decem dies, *cit. Auth. Quæ ſupplicatio C. de Precib. Imperat. offerend.* Tandem differunt, quia Appellatione interpoſita nihil eſt innovandum, econtra pendente Supplicatione ſententia mandatur executioni, præſtita tamen cautione, quòd ſi retractetur ſententia, omnia reſtituantur, *cit. Auth. Quæ ſupplicatio.* Gloſſa *d. c. Ex litteris.* & Barboſa *ib. n. 7. & 8.* cum aliis. 22

Quæritur. III. Quid ſit Oppoſitio nullitatis ſententię, & quomodo differat ab Appellatione? Reſp. I. *Oppoſitio nullitatis ſententiæ*, eſt legitima oſtenſio, ſententiam à Judice latam, eſſe ipſo jure nullam. Atque hujuſmodi oppoſitio nullitatis ſententię ſolet fieri *per viam Querelę* juxta dicta ſuperiùs *Tit. præc. §. 4. n. 135. & ſeq.* Siquidem pluribus de cauſis accidere poteſt, quòd ſententia ipſo jure ſit nulla: ut puta, ob defectum juriſdictionis, ſi nimirum ſententia fuit lata à Judice non competente, *c. At ſi Clerici, 4. de Judiciis.* Item ob defectum ſubſtantialis ordinis judicialis: putà, ſi non obſervantur ſolemnitates illæ ſubſtantiales, de quibus ſuprà *Tit. præc. §. 2. & 3. nu. 57. & ſeqq.* dictum fuit. Item, ſi ſententia feratur à Judice delegato poſt terminum delegationi præfixum, vel poſt recuſationem Judicis ſuſpecti, aut contra Reum indefenſum, ſeu contra priorem ſententiam, quæ jam tranſivit in rem judicatam, & plurimis aliis modis. Generaliter enim *ſententia contra Leges, Canoneſve prolata, licèt non ſit appellatione ſuſpenſa, non poteſt tamen ſubſiſtere ipſo jure*, ut dicitur, *c. 1. de Sentent. & re judic.* 23

Reſp. II. Appellatio, & Oppoſitio nullitatis ſententiæ, in pluribus differunt; ſuntque diverſa, & ſeparata juris remedia: atque ideò appellatione remota, non cenſetur nullitas ſublata. Ita habetur *c. Inter cæteras, 9. de Sentent.* 24

*Sent.& re judic.* ubi Pontifex ſic loquitur: *Cum aliqua cauſa appellatione remota committitur, & ſententia fertur iniqua, eam evacuari oportet: nec ei debet ſtari, ſi iniquitatem contineat manifeſtam*, puta, quia lata eſt contra Jus ſcriptum, ſcilicet contra Leges, vel Canones; prout explicat Gloſſa V. *Manifeſtam, ib.* Concordat *c. Licèt, 34. in fin. de Sentent.& re judicat. in 6.* ac notat Abbas *cit. c. Inter cæteras, n. 4.* & Barboſa *ib. n. 2. de Sent. & re judic.* & Andreas Gallus *lib. 1. Pract. Obſerv. 135. n. 4.* cum aliis. Et hæc eſt prima differentia, conſiſtens in hoc, quòd appellatione remota non cenſeatur ſublata oppoſitio, ſeu querela nullitatis ſententiæ.

25 Nec obſtat, quòd privilegium, quo cauſa ſub clauſula *appellatione remota* committitur, debeat accipi cum effectu, neque reddi eluſorium: prout fieri videretur, ſi tunc locum haberet oppoſitio nullitatis ſententiæ. Neque etiam obſtat, quòd, *cùm quòd una via prohibetur alicui, ad id alia non debeat admitti*, juxta *Reg. 84. Jur. in 6.* Reſp. enim; iſta, neutiquam obſtare. Nam imprimis privilegium ejuſmodi non redditur eluſorium: quia diverſa ſunt juris remedia, appellatio, ac nullitatis oppoſitio; atque illo per clauſulam, *appellatione remota*, ſublato (qualis proinde clauſula hoc ipſo ſortitur quendam effectum) non tollitur alterum remedium, ſcilicet oppoſitio nullitatis ſententiæ.

26 Accedit, quòd ſententia, quæ in rem tranſiit judicatam, ſtatim executioni mandetur, non obſtante nullitatis exceptione; ut *Clem. 1. de Sentent.& re judicat.* junctis dictis ſuprà *n. 22.* Niſi nullitas illa foret evidens, ac notoria; putà, ſi manifeſtis probationibus conſtet, ſententiam eſſe latam ex falſis inſtrumentis, *L. ult. C. de Falſis inſtrument.* Unde hac etiam ratione clauſula illa, *appellatione remota*, ſortiretur aliquem effectum; haud obſtante, quòd probata poſtmodum nullitate ſententiæ, executio hujus foret retractanda. Et per hoc ſimul habetur altera differentia inter appellationem, atque oppoſitionem, ſeu exceptionem nullitatis ſententiæ: nam appellatione interpoſita, & pendente, non poteſt Judex exequi ſententiam; ſecùs, ſi ſolùm opponatur nullitas.

27 Tertiò differunt: quia Appellatio debet fieri inter decem dies *c. Quod ad conſultationem, 15. de Sentent. & re judicat.* cum ſimilibus. Nullitas verò poteſt opponi uſque ad triginta annos juxta communem, & tradit Engel *h. t. n. 7.* Gallus *lib. 1. Practic. Obſervat. 127. n. 8.* eſtque jam dictum, atque uberiùs declaratum *Tit. præc. §. 4. n. 107. & 114.*

28 Quartò differunt, quia Appellatio ſemper coram Superiori proponenda eſt: Nullitas verò ſententiæ poteſt opponi vel coram eodem Judice (dummodò ordinarius ſit) qui ſententiam tulit; vel, ſi principaliter intentetur, etiam coram Judice ſuperiore; adeò, ut hoc ſit in arbitrio gravati per textum, *in l. Si accuſatoribus, 4.* juncta Gloſſa V. *Eundem. C. de Accuſation. & l. Si præſes. C. Quomodo & quando &c.* juncta *L. 1. ff. Quæ ſententiæ ſine appellat. reſcind.* atque tradit Bartolus *l. Si expreſſim. §. Quæro coram quo judice, ff. de Appellatio. & relation.* Abbas *c. In litteris, n. 6.* & Felinus *ib. n. 4. de Offic. Delegat.* Sigiſ. Scaccia *de Appellat. q. 19. remed. 1. Concl. 6. n. 73.* citans alios Gailus *lib. 1. Pract. Obſerv. 127. n. 6.* hanc appellans communem opinionem.

29 Additur tamen notanter *vel coram eodem Judice, dummodò ordinarius ſit*. Nam hic diſtinguendum eſt inter Judicem ordinarium, & delegatum: & Ordinarius quidem, ſi adeatur à gravato, & querelante ſuper nullitate ſententiæ, poteſt reformare ſententiam ſuam de jure nullam, ac ruſus ſuper illa cauſa pronunciare, conformiter dictis ſuprà *Tit. præc. n. 138.* Sive dein nullitas intentetur principaliter; hoc eſt, quando ipſa deducitur ſeparatim, & de per ſe, v. g. petendo ſententiam pronunciari nullam, ac reformari: ſive nullitas intentetur ſolùm incidenter; ut quia una partiū petit iterum pronunciari in cauſa, & ſic deducit nullitatem ſententiæ incidenter: nam iſtud utrumque poteſt fieri per Judicem ordinarium, ſecundùm Jura *n. præc.* citata; & tradit Abbas, & Bartolus, *ubi ſuprà*, & Scaccia *d. q. 19. remed. 1. Concl. 6. n. 87.* allegans alios. Qui tamen notanter addunt, quòd, ſi nullitas ſententiæ ſolùm incidenter deducatur, petendo nimirum iterùm pronunciari in cauſa, tunc iſto modo non poſſit adiri Superior: quia cauſa adhuc non devolveretur per appellationem, aut per aliud remedium æquivalens, putà per querelam nullitatis principaliter intentatam. Atque ob iſtud *n. præc.* additum fuit ly, *vel ſi principaliter intentetur etiam coram Iudice ſuperiore*: ſecùs enim, ſi nullitas intentetur ſolùm incidenter, ut dictum.

Econtrà Judex Delegatus (quod intellige de Delegato ad cauſam particularem) poſtquàm ſemel pronunciavit, ſive benè, ſive malè, functus eſt officio ſuo, ſicque ceſſat ejus authoritas & juriſdictio; ac proinde non poteſt ampliùs reformare ſententiam ſuam nulliter prolatam, ſed oportet adire Superiorem, ſeu delegantem; ut *c. In litteris, de Offic. Deleg. & l. Sicut proponis, pars C. Quomodo & quando judex &c.* Bartolus *c. l. Si expreſſim §. Quæro, coram quo judice, ff. de Appellation. & relation.* Gallus *d. Obſerv. 127. n. 5. & 6.* & alii. Quamquam Abbas *c. c. In litteris, n. 4.* Felinus *ib. n. 1. v. Tertiò fallit, de Offic. Delegat.* iſtud intelligant, niſi ſententia ſit nulla ex defectu formæ mandati: non enim dicitur Judex pronunciaſſe, ſi non ſervavit formam mandati, *arg. l. Quod tamen, ff. de Arbitris*; ubi Arbiter iterùm pronunciat, ſi non ſervavit formam compromiſſi. 30

Notat tamen Gailus *cit. Obſervat. 127. n. 7.* Quod hodie ex uſu Fori ubique fermè obtinuerit, quòd Superior, ſive Judex appellationis, ſuper nullitate principaliter cognoſcenda adeatur; præſertim, ſi nullitas ex malitia vel turpitudine Judicis inferioris provenerit, & non aliunde, putà ex errore aliquo. Quinimò in tali caſu iniquum foret, ut idem ipſe ſuæ iniquitatis, aut turpitudinis cognitor exiſteret, & forſan hanc malitiosè occultando ulteriùs Reum gravaret: nam cæteroquin etiam gravatus, non debet remitti ad Judicem gravantem, *l. Eos qui C. de Appellation.* 31

## §. II.

## Qui, & a quibus Judicibus, appellare poſſint.

*S U M M A R I U M.*


32 *Regulariter quilibet poteſt appellare, ſi ſe injuſtè gravatum exiſtimet.*

33 *Appellans non facit injuriam Judici à quo.*

34 *Saltem non tantam, ex qua agi poſſit, aut Judex à quo moveri debeat.*

*Nemo videtur facere injuriam, qui utitur jure ſuo. Ibid.*

*Per appellationem iniquitas prioris Judicis arguitur. Ibid.*

35 *Excommunicatus, ſi injuſtè condemnetur, Appellare poteſt.*

*Imò & Reſcriptum Apoſtolicum impetrare. Ibid.*

36 *Poteſt interdum utraque pars appellare ab eadem ſententia.*

37 *Quilibet tertius poteſt appellare contra ſententiam, ſi per eam ſe gravatum ſenſerit,*

38 *Quod exemplificatur.*

39 *Appellatio unius prodeſt alteri, ſi communi jure juventur.*

40 *Illis, quorum non intereſt, appellatio conceſſa non eſt.*

41 *Excepta cauſa ſanguinis.*

42 *Regulariter à quibuslibet Iudicibus licet appellare.*

43 *Niſi Iudex fuerit Princeps ſupremus.*

44 *Appellari non poteſt à ſententia Summi Pontificis.*

45 *Nec à Concilio Generali.*

*Aut à ſententia totius Congregationis Cardinalium. Ibid.*

*Idem procedit in Imperatore, ac Regibus. Ibid.*

46 *Quod etiam competit quibuſdam inferioribus Principibus, ex ſpeciali privilegio.*

47 *Putà, Electoribus Sac. Rom. Imperii, ac ſupremis horum Dicaſteriis.*

48 *Hodie uſus ſupplicandi propemodum ab Aulis receſſit, & in ejus locum ſucceſſit reviſio.*

*Reviſores; qui? Ibid.*

49 *Reviſio ejuſmodi quæ habeat ſpecialia?*

*Et quomodo differat à Supplicatione, & appellatione? Ibid.*


50 Re-




50 *Regula illa, quòd liceat appellare à quocunque Iudice, niſi fuerit Princeps ſupremus, patitur nonnullas limitationes. Et n. ſeqq.*

51 *Fallit enim ſi quis ante ſententiam profeſſus fuerit, ſe à Iudice non provocatum: & quando.*

52 *Fallit quoque in Epiſcopo, judicante inter Laicos ex prorogatione juriſdictionis circa cauſam civilem.*

53 *Item in Iudice delegato cum clauſula*, Appellatione remota, *& hujuſmodi Remiſſivè.*


32 QUæritur I. An omnibus ſit permiſſum appellare, vel appellans faciat injuriam judici *à quo*? Reſp. I. Regulariter loquendo quilibet poteſt appellare tum à gravamine ſibi extrajudicialiter illato, tum à ſententia contra ipſum lata, ſi per hanc ſe injuſtè gravatum exiſtimet. Ita communis. Ratio eſt: quia appellatio eſt ſpecies quædam defenſionis, *c. Cum ſpeciali, 61. §. Porrò, h. t.* ſicque jure naturæ omnibus regulariter permiſſa eſſe debet. Additur tamen, *regulariter*, propter nonnullos caſus ſpecialiter hinc exceptos, de quibus infrà §. 10. & 11. per totum.

33 Reſp. II. Appellans non facit injuriam Judici, à cujus ſententia appellat: utitur enim legitima defenſione, ſibi de jure conceſſa. Ita Gloſſa *fin. l. Illud ſciendum, in 1. ff. de Appellat.* iſtud intelligens, dummodò appellans non inferat Judici convitium; alioquin enim infamia notaretur, *l. Iudici, ff. de Injuriis.* Vallenſis *h. t. §. 2. n. 1.* poſt Rebuffum *tract. de Supplicat. num. 49.* Idque præter rationem jam allatam patet ex *l. & in majoribus. C. de Appellat. & relat.* ibi: *Et in majoribus, & in minoribus negotiis appellandi facultas eſt: nec enim judicem oportet injuriam ſibi fieri exiſtimare, eò quòd litigator ad provocationis auxilium convolavit.*

34 Dices Appellatio fuit introducta principaliter, ut per eam iniquitas prioris Judicis corrigatur, *L. 1. §. 1. de Appellat. & relat.* ibi: *Appellandi uſus iniquitatem judicantium, vel imperitiam corrigit*: ergo appellans ipſo facto arguit Judicem *à quo* alicujus iniquitatis, vel imperitiæ, ut *c. Interpoſita. 70. § fin. h. t.* ibi: *Cùm in hoc caſu appellationis à gravamine, iniquitas prioris judicis principaliter arguatur.* Reſp. neg. conſequent. Quia, licèt Judici, à quo appellatur, fiat aliqualis injuria, *arg. l. Litigatores, ff. de receptis Arbitris, & L. ult. §. fin. C. Quando provocare non eſt neceſſe*, non tamen fit ei tanta injuria, ex qua agi poteſt, per Jura *n. 32. & 33* allegata, & notat Hoſtienſis *in Summa, tit. Ut lite pendente nihil innovetur, n. 2.* Quinimò nec Judex, à quo appellatur ex hoc moveri debet: ſiquidem appellans utitur jure ſuo: atqui nemini videtur facere injuriam, qui utitur jure ſuo, *c. Cùm Eccleſia Vulterana, 31. de Election.* & ampliùs tradit idem Hoſtienſis *in Summa, tit. de Appellat. n. 5.*

35 Quæritur II. Utrùm excommunicatus, vel utraque pars, aut etiam aliquis tertium appellare poſſit à judiciali ſententia? Reſp. I. Excommunicatus, ſi injuſtè condemnetur, appellare poteſt. Textus eſt *in c. Cùm inter. 5. & c. Dilecti, 8. & c. Significaverunt, 11. de Exceptionib.* cum ſimilibus. Quinimò excommunicatus non ſolùm poteſt appellare, ſed etiam *ſuper appellationis articulo* Reſcriptum Apoſtolicum impetrare, *c. 2. de Reſcr. in 6.* eſtque uberiùs dictum *Lib. 1. Tit. 4. de Reſcript. §. 2. n. 39. 43. & 44.* Nec immeritò: nec etiam excommunicatis non eſt deneganda omnis legitima defenſio, & conſequenter nec appellatio.

36 Reſp. II. poteſt interdum contingere, quòd utraque pars appellet ab eadem ſententia, quatenus hæc utrique parti contraria eſt. Ita Gloſſa communiter recepta *in c. c. Significaverunt. V. Abſolvit. de Exception.* Idque patet ex *c. Si duobus, 10.* ubi Abbas *n. 2.* Barboſa *in Collect. n. 2. h. t.* Scaccia *q. 10. de Appellat. n. 5.* cum aliis, iſtud intelligens, quando utraque pars poteſt prætendere gravamen: nam abſque gravamine locum non habet appellatio. Idipſum conſtat ex *c. Raynucius, 16. & c. Raynaldus, 18. de Teſtament.* ubi à ſententia prolata utraque pars provocaſſe legitur. Quando enim in ſententia ſunt plura membra, ſeu capitula, benè contingere poteſt, quod eadem utrique parti quoad aliquid videatur præjudicium generare; ſicque petatur infirmari, quatenus contra ſe fuerat promulgata, & quatenus ſibi favebat, executioni mandari. Hinc in ſimili habetur *c. Auditis, 8. De in integr. reſtit.* quod utraque pars, ſeu Eccleſia, atque in eadem cauſa, petierit reſtitui in integrum, fueritque reſtituta.

Reſp. III. Non ſolum ille, contra quem ſententia lata eſt, ſed etiam quilibet tertius, ſi per ejuſmodi ſententiam ſe gravatum ſenſerit, atque exinde aliquod præjudicium ſibi obventurum judicet, atque exinde aliquod. Ita communis; & patet ex *can. Non ſolent, 2. quæſt. 6.* ac *L. 1. ff. de Appellat. recipiend.* quo utroque in loco dicitur: *Non ſolent audiri appellantes, niſi hi, quorum intereſt, vel quibus mandatum eſt, vel qui negotium alienum gerunt, quod mox ratum Reus habeat.* Et conſequenter hi omnes, imò & ſinguli, *quorum intereſt*, poſſunt appellare; cum exceptio firmet regulam in oppoſitum, *arg. l. Quæſitum, §. Denique Neratius, ff. de Feudo inſtructo*, cum ſimilibus. 37

Declaratur id amplius inductione. Sic quippe ratione affectionis, & neceſſitudinis, poteſt pater, vel etiam mater, in cauſa deſerta filii ſui appellare, *d. L. 1. ff. de Appellat. recip.* canonizata *d. can. Non ſolent. 2. q. 6.* Item poteſt appellare Procurator in cauſa ſui Principalis, ſicut & negotii alieni Geſtor, dummodo id Dominus mandaverit, aut poſteà ratum habeat, per Jura jam allegata. Item Tutor, & curator appellat nomine Pupilli, vel Minoris, *l. Tutor, ff. de Appellat.* Item Fidejuſſor in cauſa ejus, pro quo intervenit, *l. A ſententia, ff. eod.* Item poteſt appellare Epiſcopus pro ſuo Clerico, Abbas pro Monacho, Civitas pro Cive, Dominus pro ſubdito; ut *c. Cum ſuper, 17. de Sent. & re judic. & c. Dilectis filiis, 55. de Appellat.* ubi Tertio intereſſe habenti, permittitur appellare ac notat Innocentius, & Abbas *c. c. Dilectis filiis, num. 6.* per textum ibidem, *Se ac ſuos &c.* & Gailus *lib. 1. Pract. Obſerv. 125. n. 6. & 7.* allegans alios. 38

Quinimo ſi una eademque ſententia plures condemnentur, & cæteris non appellantibus unus ſolus appellare voluerit; non ſolùm is audiri debet appellans, ſed etiam, ſi ipſe in cauſa appellationis vincat, ejus victoria cæteris prodeſt; dummodò communi jure juventur, idemque negotium: atque eadem defenſionis cauſa, quoad omnes exiſtat, *text. clar. c. Una ſententia, 72. h. t.* Ubi proinde Summarium breviter ait. *Appellatio unius prodeſt alteri, ſi communi juventur &c.* Concordant dicta ſuperius *Tit. præc. §. 1. n. 158.* 39

Reſp. IV. Illis nihilominus, quorum non intereſt, appellatio conceſſa non eſt. Patet hoc ex *L. 1. ff. de Appellat. recip.* quæ eſt canonizata *in can. Non ſolent, 2. q. 5.* cujus verba *n. 17.* referuntur. Concordat *cap. Cùm inter R. 16. de Elect.* ibi: *Cùm niſi quorum intereſt, audiri non ſoleant appellantes, appellationem illam dicimus legitimam non fuiſſe.* Accedit ratio: quia gravamen eſt cauſa appellationis, eoque ceſſante ceſſat appellatio: atqui is, cujus non intereſt, nullum patitur gravamen; ergo. 40

Fallit iſtud in cauſa ſanguinis. Nam ſi quis poſt latam ſententiam ad ultimum ſupplicium ducatur, quem quis innocentem eſſe novit, aut probare velit, tunc cuilibet, etiam extraneo, & non rogato, appellare licet, quamvis cæteroquin ejus non interſit; idque exemplo Danielis Prophetæ, caſtam Suſannam à manibus iniquorum Judicum hoc modo liberantis, *Daniel. c. 13.* Hoc ipſum, dictante lumine naturali, agnovit Ulpianus, & habetur expreſſum *l. Non tantum, ff. de Appellation. & relat.* Idque humanitatis ergo, ſive ne ſanguis innoxius effundatur, ibidem expreſsè ſtatuitur: haud obſtante, quod damnatus reſiſtat, & citò perire feſtinet. Unde Bartolus *in Summario c. l. Non tantū*, ſic loquitur: *Cuilibet licet provocare pro eo, qui ad ſupplicium ducitur, etiam eo invito.* 41

Quæritur III. An à quibuslibet Judicibus appellare liceat? Reſp. I. Regulariter loquendo id eſſe licitum; niſi judex fuerit Princeps ſupremus. Prior pars ſequitur ex dictis *n. 32. & ſeqq.* Si quidem appellatio eſt ſpecies quædam defenſionis, quæ datur oppreſſis contra injuriam Judicis: eſtque remedium inſtitutum ad præſidium innocentiæ, *c. Cùm ſpeciali, 61. §. Porrò, h. t.* Simulque *appellandi uſus iniquitatem judicantium, vel imperitiam corrigit*, ut dicitur *L. 1. ff. eod.* Concordat *can. Omnis, 2. q. 6.* cum ſimilibus. *Neque enim judicem oportet injuriam ſibi fieri exiſtimare, quod litigator ad provocationis auxilium convolavit*, juxta textum notabilem *in l. Et in majoribus, C. h. t.* eſtque ſuperius jam dictum. 42

Altera

43 Altera pars Concluſionis, ſive limitatio illa, *niſi judex fuerit Princeps ſupremus*, ex eo patet: quia appellatio eſt de minore judice ad majorem provocatio; ſicque debet fieri ab inferiori ad ſuperiorem: atqui Princeps ſupremus, hoc ipſo, quod ſit ſupremus, non habet ſuperiorem: ergo. Et hinc textus *In L. 1. ff. A quibus appellare non licet*, notanter inquit; *Stultum eſt illud admonere, à Principe appellare fas non eſſe; cum ipſe ſit, qui provocatur*. Ubi Gloſſa V. *Stultum*, exponit: *id eſt, ſupervacuum: quia omnes ſciunt*.

44 Unde imprimis appellari non poteſt à ſententia Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſive Summi Pontificis, *can. Ipſi ſunt, & can. Cuncta per mundum*, 9. *q.* 3. cum veluti Vicarius Chriſti ſuperiorem in terris non recognoſcat: quinimò appellantes à ſententiis, & mandatis Summi Pontificis ad futurum Concilium Generale, ipſo facto excommunicantur excommunicatione in Bulla Cœnę Domini reſervata.

45 Deinde non appellatur à Concilio Generali legitimè congregato, & approbato: quia una cum Romano Pontifice, qui illud approbavit, repræſentat Eccleſiam univerſalem. Addit Pirbing *h. t. n.* 81. & Sannig. *eod. tit. c.* 5. *n.* 3. poſt Dianam *in Summa V. Appellatio*, 3. *n.* 6. & DD. communiter, neque appellari à ſententia totius Congregationis Cardinalium. Idipſum procedit in Imperatore, ac Regibus, & aliis hujuſmodi, ſuperiorem in terris quoad temporalia non recognoſcentibus.

46 Inſuper non tantum à ſupremis, ſed etiam à quibuſdam inferioribus Principibus, ex ſpeciali privilegio eiſdem conceſſo, prohibitum eſt appellare. Sic olim à ſententia Præfecti Prætorio, appellare non licuit; ſed ſolum poterat ſupplicari Principi, *L. un. C. de Sententiis Præfectorum Prætorio*.

47 Atque illud privilegium hodie competit Electoribus Sac. Rom. Imperii, juxta Bullam Auream. Engel *h. t. n.* 21. Philipp. Andr. Olenburgerus *In Lymnæo Enucleato, lib.* 2. *c.* 1. *n.* 27. & 28. latiùs iſtud Electorum privilegium contra nonnullos alios propugnans. Et quia ſententia à ſupremis horum Dicaſteriis lata, cenſetur eſſe ſententia ipſius Imperatoris, Regis, vel Electoris, ut pote nomine ipſius prolata: hinc neque à ſupremis eorum Dicaſteriis appellare licet, ſed ſolum Principi ſupplicari poteſt, ſaltem ſpectato Jure communi.

48 Additur notanter, *ſaltem ſpectato Jure communi*. Siquidem hodie uſus ſupplicandi propemodùm ab Aulis receſſit, atque in ejus locum ſucceſſit Reviſio: nam de facto communiter Principes illi, à quibus appellare non licet, erectis *Reviſoriis* (ut vocant) habere ſolent Commiſſarios deputatos, quos appellant *Reviſores*, in ordine ad priora Acta judicialia, ſi petatur, revidenda, ipſamque ſententiam, ſi opus fuerit, reformandam. Idque fieri conſuevit æquitate ſic ſuadente: cum etiam in ſupremis Dicaſteriis, ob negotiorum multitudinem, quandoque aliquid minùs benè apprehendi, ſicque ſententiam contra jus litigatoris proferri contingere valeat. Engel *h. t. n.* 25.

49 Cæterum Reviſio hujuſmodi nonnulla habet ſpecialia, & quę in appellatione non reperiuntur. Primò enim in Reviſione unico duntaxat ſcripto poſſunt exprimi cauſæ gravaminis; neque licitum eſt aliquid novi, atque in Actis prioribus non contentum inſerere; quia permittitur ſolùm reviſio Actorum priorum: ſecùs eſt in appellatione, ubi licitum eſt pluribus uti ſcripturis; ſimulque non deducta deducere, & non probata probare, *l. Per hanc. C. de Temporib. appellat.* Deinde, qui Reviſionem poſtulat, tenetur certam pecuniæ quantitatem deponere, quam amittet, ſi cauſam in Reviſorio perdiderit; recipiet verò, ſi ibidem obtinuerit: talis autem depoſitio pecuniæ non requiritur in appellatione. Engel *cit. n.* 25. addens, quòd Reviſio ſuſpendat executionem cauſæ, ſeu latæ circa eam ſententiæ: per quod ipſa differt à Supplicatione, quæ non ſuſpendit executionem ſententiæ, conformiter dictis ſuprà *n.* 22. convenit autem cum appellatione, utpote quæ pariter ſuſpendit executionem latæ ſententiæ.

50 Reſp. II. Etſi regulariter loquendo licitum ſit appellare à quocunque Judice, niſi fuerit Princeps ſupremus, ut dictum: tamen hæc ipſa Regula patitur nonnullas alias limitationes. Ita communis; & patet inductione, oſtendendo tales fallentias.

51 Fallit enim primò, *Si quis ante ſententiam profeſſus fuerit, ſe à judice non provocaturum*: tunc enim *indubitatè provocandi auxilium perdidit*, per textum expreſſum *L. 1. ff. A quibus appellare non licet*. Quamvis Gloſſa *ib. V. Perdidit*, rectè obſervat, hoc procedere, ſi quis talis profeſſus fuerit in judicio: ſecùs, ſi extra; ut *l. Cùm falſa. C. de Juris & facti ignorant.* Niſi forſan extra jus paciſceretur quis cum adverſario de non appellando à ſententia electi Judicis: quia tunc pariter non licebit ad provocationis auxilium pervenire, *L. ult. §. fin. C. de Temporib. appellat.*

52 Fallit ſecundò in Epiſcopo, ex prorogatione juriſdictionis judicante inter Laicos circa cauſam civilem. Etſi enim ceteroquin à ſententia Epiſcopi poſſit appellari, *c. Romana, de Appellat in* 6. tamen ſi Laici in cauſis civilibus Epiſcopo ſe committant, ejus juriſdictionem prorogando, tunc à ſententia per Epiſcopum lata appellare non poſſunt, *l. Epiſcopale. C. de Epiſcopal. audient.* Et hoc eſt ſpeciale in Epiſcopis, ipſiſque ob Dignitatem Epiſcopalem ex ſingulari privilegio conceſſum ab Imperatoribus, ſed quoad Laicos ſolùm: nam quoad Clericos, atque in ipſorum præjudicium, non potuit Imperator privilegiare Epiſcopum. Abbas *c. Cauſam, n.* 3. *de Sent. & re judic.*

53 Fallit tertio, quando Judici Delegato cauſa commiſſa fuit ſub clauſula, *appellatione remota*. Verùm de hoc caſu, ſicut & nonnullis aliis; in quibus appellare non licet, commodiùs dicetur infrà §. 10. *n.* 279. *& ſeqq.*

## §. III.

## De Judice *Ad quem* appellationis.

*S U M M A R I U M.*

54 *Regula eſt, quod appellatio debeat fieri gradatim ad proximum Superiorem.*

55 *Ea tamen fallit in pluribus caſibus: Et num. ſeqq.*

56 *Ad Papam poteſt appellari, omiſſo medio, ex toto Orbe in cauſis Eccleſiaſticis, ac ſpiritualibus &c.*

57 *Haud obſtante, quòd ſecùs ſit in Imperatore: & cur?*

58 *Excipitur unicus caſus, in quo non appellatur ad Papam.*

59 *Etiam ad Legatum Papæ poteſt appellari immediatè, omiſſis mediis.*

60 *Ampliatur iſtud ad Patriarcham.*

61 *A Subdelegato in totum appellatur ad primum Delegantem: ſecùs, ſi Subdelegans ſibi aliquid de juriſdictione reſervavit.*

62 *A Vicario Generali Epiſcopi non appellatur ad Epiſcopum, ſed duntaxat ad Superiorem.*

63 *Non obſtante quacunque conſuetudine in contrarium; & cur? Et n. præc.*

64 *Valet appellatio ad Superiorem omiſſis mediis, ubi id admittit conſuetudo.*

65 *Idem procedit ratione privilegii.*

66 *Scholares poſſunt appellare ad Superiorem, omiſſo medio.*

67 *Simile privilegium competit Viduis, Pupillis, aliiſque miſerabilibus perſonis.*

68 *Poteſt appellari ad Superiorem, quando Judex intermedius eſt inhabilis; putà, quia eſt excommunicatus, ſuſpenſus &c.*

69 *Aut ſuſpectus, ſicque recuſatus.*

70 *Vel abſens longo impedimento detentus.*

71 *Aut denegat juſtitiam, vel ſpontè remittit cauſam ad Superiorem.*

72 *Item, quando Epiſcopus litigat cum ſuo ſubdito.*

73 *Quando per errorem appellatur ad Superiorem omiſſo medio, non vitiatur appellatio: ſecùs, ſi ad minorem.*

74 *Generaliter valet appellatio ad Superiorem omiſſo medio, ſi contra eam pars adverſa non excipiat.*

75 *Quid juris, ſi uterque litigantium appellet, ſed ad diverſos Judices? Et n. ſeqq.*

*Appellans ad Superiorem, ſi citetur à Judice inferiori, ad quem alter appellavit, tenetur comparere, vel ſaltem Reſponſalem mittere: alioquin Judex ille contra eum poterit procedere, veluti contumacem &c. Ibid.*

76 *Et quæ hujus ratio?*

77 Dum-



77 *Dummodò aliunde Judex ille non ſciverit, appellationem ad Superiorem ab altera parte fuiſſe interpoſitam.*

78 *Appellatio ad Judicem ſuperiorem prævalet alteri, quæ facta eſt ad inferiorem.*

79 *Appellatio à Judice ſæculari ad Papam, de rigore juris non tenet.*

80 *Eccleſia ſe non intromittit quoad cauſas civiles in præjudicium Judicis ſæcularis.*

81 *Niſi Laici litigantes ſint de temporali juriſdictione Eccleſiæ.*

*In terris temporali juriſdictioni Eccleſiæ ſubjectis, debent etiam inter Laicos ſervari Canones, non Leges Civiles, ubi diſcrepant. Ibid.*

82 *De conſuetudine ſpeciali poteſt tenere appellatio à Judice ſæculari ad Papam. Et n.* 79.

83 *Non tamen valet conſuetudo appellandi à Foro Eccleſiaſtico ad ſæcularem: & cur?*

84 *Caſus, in quibus à Judice ſæculari videtur provocari ad Eccleſiaſticum, referuntur.*

85 86 & 87 *Ac reſolvuntur.*

*Viduæ, Pupilli, & aliæ miſerabiles perſonæ rebus ſuis ſpoliatæ, poſſunt ſpoliatores ſuos convenire coram Judice ſæculari. Num.* 86.

54 QUæritur I. Utrùm appellatio gradatim ſit inſtituenda ad proximum Judicem ſuperiorem; & quando ſecùs? Reſp. I. Regula eſt, quòd appellatio debeat fieri gradatim ad proximum Judicem ſuperiorem ejus, à quo appellatur; non autem omiſſo medio ad remotum, ſive mediatum. Ita Socinus *in Fallentiis, Reg.* 23. & communis. Idque patet ex *c. Dilecti filii* 66. *h. t.* ubi appellatio, quæ omiſſo Diœceſano Epiſcopo fuit facta ad Archiepiſcopum, ad quem gradatim appellari debuiſſet, exceptione partis adverſæ oppoſita non habuit effectum. Idipſum patet ex *c. Romana. § Ab Archidiaconis, h. t. In* 6. *& can. Anteriorum. §. Ita tamen*, 2. *q.* 6. *& l. Imperatores, ff. de Appellation. & l. Præcipimus. C. eod.* cum ſimilibus; ubi appellationem gradatim eſſe faciendam, & alioquin remittendam ad inferiores Judices, decernitur. Concordant dicta ſuperius §. 1. *n.* 5. Nec immeritò ita fuit ſtatutum: quia juriſdictiones non debent confundi, ſed cuilibet ſua juriſdictio conſervari, *can. Pervenit ad nos*, 11. *q.* 1. *& l. Nemo*, juncta Gloſſa V. *Auxilium. C. de Juriſd. omn. judic.* Sigiſm. Scaccia *tr. de Appellat. q.* 7. *n.* 1. *&* 2. cum aliis.

55 Reſp. II. Nihilominus data Regula fallit in pluribus caſibus. Ita Gloſſa *c. c. Dilecti filii. V. Poſt ejuſmodi appellationem*, & Abbas *ibid. n.* 6. *ac ſeqq.* & Barboſa *in Collectan. n.* 3. *h. t.* Socinus *in Fallentiis, Reg.* 23. Sigiſm. Scaccia *de Appellation. q.* 7. *n.* 36 *& ſeqq.* novendecim tales caſus adducens, eoſque fuſiſſimè declarans. Idque probatur inductione, enumerando principaliores caſus illos, in quibus fallit dicta Regula.

56 Et primus quidem caſus exceptus eſt in Papa: nam ad Papam appellari poteſt omiſſo medio, vel mediis, ex toto Orbe in cauſis Eccleſiaſticis, ac ſpiritualibus; & quoad eos; qui temporali juriſdictioni ipſius ſubſunt, etiam in temporalibus. Siquidem ad Sanctam & Apoſtolicam Sedem, quaſi ad Caput, ſuffragium habere, atque appellare, omnibus liberum eſt, *can. Si quis veſtrum, & can. Ad Romanam, & can. Quoties*, 2 *q.* 6. cum ſimilibus. Nam Papa eſt Ordinarius Ordinariorum, & habet concurrentem poteſtatem cum omnibus inferioribus Judicibus; eſtque jam dictum ſuprà *cit.* § 1. *n.* 6.

57 Nec obſtat, quòd appellatio immediatè facta ad Imperatorem non admittatur, ſed remitti jubeatur ad inferiores Judices, *l. Imperatores, ff. de Appellat.* Idque ea de cauſa (etiam militante ſuo modo in Summo Pontifice) ne Imperatoriam Majeſtatem occupatam publicis cauſis, propter tot appellationes, quandoque ſuper minimis rebus interpoſitas, nimirùm inquietari contingat, *c. can. Anteriorum*, 2. *q.* 6. Reſp. enim, iſtud privilegium, quòd ad Papam immediatè appellari poſſit omiſſis mediis, eſſe ſpecialiter conceſſum Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, *can. Ideò*, 2. *q.* 6. junctis concordantiis jam allegatis. Neque urget nimia appellationum frequentia, & ingens negotiorum moles. Nam Summus Pontifex, utpote Chriſti in terris Vicarius, & communis omnium Pater, erectis compluribus Sacris Congregationibus abundè ſatagit, poteſtque ſatisfacere ſingulorum neceſſitatibus: ſecùs contingit in Imperatore. Accedit, quòd *non ita Eccleſiaſticis agendum eſt negotiis, ſicut in ſæcularibus*, uti loquitur Pontifex relatus *can. Non ita*, 2. *q.* 6.

58 Excipe tamen unicum caſum, in quo non appellatur ad Papam: ſi nempe appelletur à Subdelegato delegati Papæ, atque is ſubdelegavit non in totum, ſed aliquid ſibi de juriſdictione reſervando. Quia enim Delegatus Papæ repræſentat perſonam ipſius Papæ, meritò ab ejus Subdelegato non debet appellari ad Papam, ſed ad ejus Delegatum, ſive ipſum Subdelegatum: idque tum ob honorem illius Delegati, utpote repręſentantis perſonam Papę; tum ad parcendum gravioribus partium laboribus, atque expenſis. Patet hoc per textum notabilem *In c. cùm te conſulente*, 18. *de Offic. Delegat.* juncto Summario, & DD. *ibid. & c. Super quæſtionum.* 27 *§. Porrò, eod.* ac notat Abbas *c. c. Dilecti filii, n.* 11. *h. t.* & Pirhing *eod. n.* 90. cum aliis; eſtque ex profeſſo declaratum ſuprà *Lib.* 1. *Tit.* 29. *De Offic. & poteſt. Judicis Delegati*, §. 7. *n.* 159. 160. *& ſeqq.* addendo nonnullas exceptiones hujus ipſius limitationis.

59 Secundus caſus habetur in Legato Papæ. Nam ad Legatum Papæ in ejus Legatione, ſive Provincia, poteſt immediatè appellari omiſſis mediis; ut *cap.* 1. *de Offic. Legat.* quia Legatus ejuſmodi in Provincia ſua vices Papæ gerere comprobatur, prout ibidem dicitur. Abbas *c. c. Dilecti filii, n.* 12. *&* 19. Speculator *tit. de Appellationibus. §. Nunc tractemus, n.* 15. Felinus *c. Super quæſtionum, n.* 14. *de Offi. Delegat.* Maranta *p.* 6. *Speculi Aurei, tit. de Appell. n.* 371. Scaccia *cit. q.* 7. *de Appellat. n.* 103. allegans alios, etiam atteſtantes de communi: quidquid nonnulli apud Speculatorem *loc. cit.* olim tenuerint in oppoſitum.

60 Ampliatur iſtud ad Patriarcham, ad quem poteſt etiam appellari omiſſo intermedio, Gloſſa *i. can. Renovantes, diſt.* 22 iſtud concedens de Patriarcha Conſtantinopolitano, per textum *in can. Si Clericus*, 11. *qu.* 1. Scaccia *d. quæſt.* 7. *de Appellat. n.* 104. addens Patriarcam Alexandrinum. Socinus *in Fallentiis, Reg.* 23. *fallent. ult.* poſt Innocentium *in c. Archiepiſcopus, de Privileg.* Felinus *d. c. Super quæſtionum, n.* 14. *de Offi. Deleg.* Maranta, *ubi ſuprà, n.* 371. & ipſemet Scaccia *cit. n.* 104. poſtmodùm cum aliis iſtud concedens generaliter in quolibet Patriarcha, nempe quòd ad ipſum poſſit appellari omiſſo medio.

61 Tertius caſus eſt in Subdelegato in totum. Etſi enim à Subdelegato non appelletur ad primum Delegantem, ſed ad ipſum Delegatum ſubdelegantem (dummodò hic non ſubdelegaverit totam cauſam, ſed ſolùm partem, aut certum articulum ipſius, ſibi quantum ad alia reſervando juriſdictionem) ſi tamen is totam cauſam alteri ſubdelegaverit, omnem juriſdictionem ſuam circa eam transferendo in alium, jam non ad eum, ſed ad primum Delegantem appellandum erit: ſicque videtur quodammodò appellatio fieri omiſſo medio, per textum *in c. Super quæſtionum*, 27 *§. Porrò, de Offic. Delegat.*

62 Quartus eſt in Vicario Generali, ſive Officiali Epiſcopi: nam ab hoc non poteſt appellari ad Epiſcopum, ſed duntaxat ad Superiorem; neque valet conſuetudo in contrarium, *c. Non putamus*, 2. *de Conſuetud. in* 6. Nam cùm ſit idem Auditorium utriuſque, nempe Epiſcopi & Officialis ſui, videretur appellatio interponi ab eodem ad ſeipſum; eſtque ampliùs declaratum ſuprà *Lib.* 1. *Tit.* 4. *De Conſuetudine*, §. 3 *n.* 75. *& ſeqq.*

63 Nec obſtat, quòd valeat conſuetudo appellandi ad Superiorem mediatum omiſſo medio. Nam, quòd appelletur ab Officiali ad Epiſcopum eſt contra ſubſtantialia appellationis; cum hæc eſſentialiter ſit provocatio de minore ad majorem. Sed quòd appelletur omiſſo medio, non eſt contra ejus ſubſtantialia, ſed contra accidentalia duntaxat; unde non mirum, quòd poſſit valere conſuetudo in contrarium quantùm ad hoc poſterius, non verò quantùm ad prius. Abbas *cit. c. Dilecti filii*, 66. *num.* 16. *h. t.* Concordant dicta ſuperius § 1 *num.* 7.

64 Quintus caſus, in quo valet appellatio ad Superiorem omiſſis mediis, eſt, ſi alicubi id admittat conſuetudo legitimè Præſcripta. Patet hoc ex *c. Romana, h. t. In* 6. ubi dicitur, appellationem eſſe faciendam ab Archidiacono, & aliis inferioribus Prælatis ad Epiſcopum; &

non

non immediatè ad Archiepiſcopum; *niſi aliud Archiepiſcopo de conſuetudine competat in hac parte*. Concordant dicta ſuperius § 1. n. 7.

65 Sextus caſus habetur ratione privilegii, utpote vi cujus poteſt quis appellare ab inferiore ad ſuperiorem, omiſſo medio. Tum quia privilegium eſt lex privata, *c. Abbate, 25. §. Contra, de Verb. ſignif.* Tum quia conſuetudo, & privilegium æquiparantur, *can. Conqueſtus eſt, 9. q. 3. & c. Duo ſimul, 9. de Offic. Judic. Ordinar.* Gloſſa *c. Romana V. Conſuetudine, h. t. in 6.* Socinus *cit. Reg. 23. fallent. 7.* Maranta *p. 6. Speculi Aurei, tit. de Appellat. nu. 372.* Scaccia *cit. quæſt. 7. de appellat. num. 95. & 99.* cum aliis, quos citat.

66 Sic quippè, tacendo alia ſpecialia privilegia quibuſdam perſonis, aut Communitatibus conceſſa, poſſunt Scholares indebitè gravati appellare ad Superiorem, putà Imperatorem, omiſſo medio: idque ex ſpeciali privilegio, Scholaribus conceſſo, *in Auth. Habita. C. Ne filii pro parentibus &c.* Socinus *loc. cit. fallent. 5.* Maranta *d. n. 372.* poſt Baldum *in d. Auth.* & alios.

67 Simile privilegium competere Viduis, Pupillis, aliiſque miſerabilibus perſonis; adeò, ut eis permiſſum ſit appellare omiſſo medio, imò & Principem adire in prima inſtantia: tradit Scaccia *d. q. 7. de appellat. n. 113. & ſeqq.* id probans ex *L. un. C. Quando Imperator inter pupillos &c.* atque pluribus aliis, pro hac ſententia allegatis, refundens originem hujus privilegii (ſuſius ab eodem declarati) in Jus naturale, ac Divinum; juxta illud Exodi cap. 22. *Viduæ & pupillo non nocebis: ſi læſeritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum; & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio: & erunt uxores veſtræ viduæ, & filii veſtri pupilli.*

68 Septimus caſus eſt, quando Judex intermedius eſt inhabilis; putà, quia eſt excommunicatus, hæreticus, ſuſpenſus, aut hujuſmodi: quia tunc poterit, eo miſſo, appellari ad Judicem ſuperiorem, *c. Si is cui, 10. de Offic. Delegat. in 6.* Abbas *cit. c. Dilecti filii, 66. n. 15. h. t.* Socinus *d. Reg. 23. fallent. 11.* Felinus *cit. c. Super quæſtionum, nu. 14. de Offic. Delegat.* Maranta *ead. p. 6. Speculi Aurei tit. de appellat. n. 375.* Scaccia, *ubi ſuprà, n. 37.* allegans alios, Nec immeritò: nam, ex quo per excommunicationem, aut aliam hujuſmodi inhabilitatem, ſublatum eſt medium (nempè Judex intermedius excommunicatus eſt) conſequens eſt, ut pateat acceſſus ad Superiorem: alioquin quippè ſubtraheretur cuipiam neceſſaria defenſio appellationis, omni jure conceſſa gravato; ſimulque quis prægravaretur odio alterius, contra *Reg. 22. Jur. in 6.* cum ſimilibus.

69 Atque iſtud ampliatur ad eum caſum, quo Judex proximus eſt ſuſpectus, ſicque recuſatus. Socinus *cit. Reg. 23. fallent. 12.* Speculator *tit. de appellat. §. Nunc tractemus, n. 5.* Maranta, *ubi ſuprà, n. 387.* Scaccia *cit. q. 7. n. 40.* cum aliis; qui iſtud exemplificant in caſu, quando Ordinarius recuſatus ut ſuſpectus, delegavit cauſam alicui Delegato: nam ſi ab ipſo Delegato appellari contingat, non ad illum Ordinarium, v. g. Epiſcopum, ſed ad ejus Superiorem, putà ad Archiepiſcopum, erit appellandum; ſicque procedit apellatio omiſſo medio. Niſi dicere velis cum Speculatore *cit. n. 5.* quòd cùm Ordinarius ſit recuſatus, non ampliùs cenſeatur facere medium, *arg. can. Placuit, ut Presbyteri, 2. q. 6.*

70 Ampliatur ulteriùs ad eum caſum, quo proximus Superior foret abſens, longo impedimento detentus; quia tunc appellatur ad Superiorem Judicis impediti: ſecùs, ſi impedimentum modico tempore eſſet duraturum, quia tunc deberet expectari ceſſatio impedimenti. Scaccia *d. q. 7. n. 111.* poſt Francum *in Rubr. n. 40. v. Quæritur, de appellat.* Maranta, *ubi ſuprà, n. 379.*

71 Ampliatur rurſus, quando immediatus, ſeu proximus Judex denegat juſtitiam, vel ſua ſponte cauſam remittit ad Superiorem. Gailus *lib. 1. Pract. Obſerv. 119. num. 1.* Scaccia *l. c. n. 43.* allegans inſuper Mynſinger. *Singul. Obſerv. Cent. 1. Obſerv. 67. n. 2.*

72 Octavus caſus eſt, quando Epiſcopus litigat cum ſuo ſubdito; putà, cum Clerico aliquo: quo caſu eligendi ſunt Arbitri, *can. Si Clericus adverſus Clericum, 11. q. 1.* & poſteà, ſi à ſententia Arbitrorum appellari contingat, appellandum eſt ad Papam, omiſſo medio, Textus, & *Gl. fin. c. Ab arbitris, de Offic. Delegat. in 6.* Abbas *c. Dilecti, 66. n. 14. h. t.* Maranta *l. c. n. 376.* Scaccia *d. q. 7. n. 107.* citans plures alios.

73 Nonus caſus eſt, quando per errorem appellatur ad Superiorem, omiſſo medio: nam talis error appellationem non vitiat, quamvis excipiente contra eam adverſario remitti debeat ad Judicem competentem. Secùs, ſi per errorem quis appellaverit ad minorem: quia talis error eſt contra ſubſtantiam appellationis; ſicque hanc vitiat, *L. 1. §. Si quis in appellatione*, & ibi Bartolus *n. 5. & 6. ff. h. t.* Abbas *d. c. Dilecti, 66. n. 8. h. t.* Scaccia *l. c. n. 96.* citans alios; atque *n. 98.* ſubjungens, quòd in dubio ſemper præſumatur error.

74 Decimò tandem, ut omittantur alii caſus, apud Authores proximè citatos videndi, fallit generaliter allata Regula, quando contra appellationem omiſſo medio factam, non opponitur exceptio per partem adverſam: quia tunc ejuſmodi appellatio ad Superiorem mediatam facta, non eſt ipſo jure nulla, ſed valet unà cum geſtis per Superiorem iſtum: argumento à ſenſu contrario deſumpto, ex *cit. c. Dilecti filii, 66. h. t.* ibi: *Fuit excipiendo propoſitum*: & tradit Gloſſ. *ibid. V. Poſt hujuſmodi appellationem.* Abbas *n. 7.* & Barboſa *n. 4. h. t.* Maranta *cit. p. 6. tit. de Appellation. n. 373.* poſt Rotam *Deciſ. 387. in c. Si tres &c. in novis.* Scaccia *cit. q. 7. n. 18. 19. & 26.* allegans alios, qui atteſtantur de communi, ſaltem loquendo ſecundùm Canones: quidquid nonnulli contradicant, quorum opinionem procedere ſecundùm Leges, cenſet idem Scaccia *n. 17. & 20.* Accedit ratio: quia pars adverſa, ſi non excipiat coram illo Superiore, cenſetur in appellationem conſentire, atque ejus juriſdictionem in ſe prorogare ipſo facto, ac tacito ſuo conſenſu. Concordant dicta ſuperiùs *§. 1. n. 7.*

75 Quæritur II. Quid juris, ſi uterque litigantium appellet, ſed ad diverſos Judices, v. g. unus ad Papam, alter ad inferiorem; aut unus ad Epiſcopum, alter vi conſuetudinis eo miſſo ad Archiepiſcopum? Reſp. I. Si appellans ad Superiorem citetur à Judice inferiore, ad quem alter appellavit, tenetur is coram Judice inferiore comparere, aut Reſponſalem mittere allegando appellationem ſuam ad Superiorem, interpoſitam; alioquin inferior Judex contra eum veluti contumacem procedere poterit, valebitque excommunicatio in ipſum pro contumacia promulgata: niſi Judex ille inferior ſciverit appellationem ab eo interjectam ad Superiorem. Ita habetur *c. Si duobus, 7. h. t.* ubi Abbas *in Summario*, Barboſa *in Collect. n. 1. & 2. h. t.* Scaccia *de Appellation. q. 10. n. 10. & ſeqq.* & alii.

76 Ratio eſt: quia Judex inferior habet juriſdictionem ordinariam in talem, donec ea per exceptionem, ſive oppoſitionem appellationis ad Superiorem elidatur; & conſequenter hac non oppoſita, vel ſaltem ſibi non patefacta, poteſt contra legitimè citatum, nec non comparentem, neque mittentem pro ſe Reſponſalem, procedere veluti contra contumacem, juxta textum *d. c. Si duobus, h. t.*

77 Additur tamen, *niſi Judex ille ſciverit &c.* Quia ſi aliunde ſit notorium, ſciaturque à Judice inferiore, appellationem ad Superiorem ab altera parte fuiſſe interpoſitam, fruſtrà eam ulteriùs allegari deſideraretur; nam juxta *Reg. 31. Jur. in 6. Eum, qui certus eſt, certiorari ulteriùs non oportet.* Atque hic caſus expreſſè exceptus eſt *in cit. c. Si duobus, 7. h. t.* illis verbis: *Niſi Judex cognoverit, eum ad audientiam Romani Pontificis appellaſſe.*

78 Reſp. II. Appellatio ad Judicem ſuperiorem prævalet alteri, quæ facta eſt ad inferiorem, quando hic deſuper certificatus eſt. Deſumitur hoc ex *cit. c. Si duobus, 7. h. t.* & notat Abbas *ib. n. 2.* & Barboſa *n. 2.* citans alios. Etſi enim ibi ſermo ſit de appellatione à duobus facta, quorum unus appellavit ad Summum Pontificem, & alter ſuper eodem negotio ad inferiorem Judicem: idem tamen juris eſt, ſi unus non ad Papam, ſed ad quemcumque alium Judicem ſuperiorem appellet; prout notat Abbas *d. num. 2.* cum aliis. Nec immeritò: quia cùm una, eademque cauſa, non poſſit tractari coram diverſis Judicibus, prævalet Tribunal ſuperius; eique cedit minus, dummodò deſuper fuerit certificatum, juxta dicta *n. præc.*

79 Quæritur III. An appellatio à Judice ſæculari ad Papam interpoſita teneat? Reſp. I. Gravatus coram Judice



ce ſæculari non poteſt injuſtitiam illam per viam appellationis deferre ad Papam, niſi litigantes illi etiam ſint de temporali juriſdictione Eccleſiæ: & ſi ſecùs fiat, ſpectato rigore Juris communis non tenet appellatio; licet de conſuetudine ſpeciali ſecùs eſſe poſſit. Ita habetur *cit. c. Si duobus 7. §. Denique, h. t.* ubi Pontifex deſuper conſultus, ſic reſpondet: *Denique, quod quæris, ſi à civili judice ante judicium, vel poſt, ad noſtram audientiam fuerit appellatum, an hujuſmodi appellatio teneat: tenet quidem in his, qui ſunt noſtræ temporali juriſdictioni ſubjecti: in aliis verò, etſi de conſuetudine Eccleſiæ teneat, ſecundum juris rigorem credimus non tenere.* Hæc Pontifex.

80 Hinc quantum attinet priorem partem Concluſionis, Gloſſa *fin. ibid.* patere, inquit, quod juriſdictio temporalis non pertineat ad Eccleſiam, nec de ea debeat ſe intromittere in præjudicium Judicis ſæcularis: ut *c. Novit §. 1. de Judiciis, & c. Lator & c. Cauſamque 7. Qui filii ſint legitimi*, cum ſimilibus. Accedit ratio: quia poteſtas Civilis, & Eccleſiaſtica, ſunt poteſtates diſtinctæ, *can. Cùm ad verum, & can. Duo ſunt, diſt. 96.* ergo hoc ipſo Poteſtas Eccleſiaſtica, non debet ſe intromittere quoad cauſas Civiles in præjudicium Poteſtatis Civilis.

81 Intellige; niſi Laici litigantes ſint etiam de temporali juriſdictione Eccleſiæ: nam tunc utraque poteſtas coaleſcit in unam; & facta ad Papam appellatione in Civilibus, nulli alii fit præjudicium. Concordat textus proximè allegatus, ibi: *Tenet quidem in his, qui ſunt noſtræ temporali juriſdictioni ſubjecti.* Quinimò ex hoc textu deſumitur argumentum optimum, & quaſi expreſſum, quod in terris temporali juriſdictionis Eccleſiæ ſubjectis, debeant etiam inter Laicos ſervari Canones, & non Leges civiles; data inter hos aliqua diſcrepantia. Abbas *cit. c. Si duobus n. 6.* & Barboſa *ibid. n. 6. h. t.* & alii.

82 Altera pars datæ Concluſionis, aſſerens, aliud eſſe poſſe de conſuetudine ſpeciali alicubi vigente, ex eo patet. Quia talis conſuetudo rationabilis eſt, ſimulque favorabilis; ut *c. Si Clericus 5. & c. Licet 10. de Foro compet.* Unde nihil impedit, quo minùs poſſit introduci, ac legitimo tempore præſcribi, *cap. ult. de Conſuetud.* cum concordantiis.

83 Nec obſtat, quod non valeat conſuetudo, ut teneat appellatio à Foro Eccleſiaſtico ad ſæcularem. Reſp. enim, diſparitatem eſſe: quia hoc eſt contra eſſentiam appellationis, quæ eſt provocatio à minore Judice ad majorem. Atqui majus, & dignius Tribunal eſt Eccleſiaſticum, quam Sæculare, *can. Duo ſunt, diſt. 96. & c. Solitæ 6. de Majorit. & obed. & Extravag. unam ſanctam, eod. inter Communes*, cum ſimilibus. Unde non mirum, quod vi conſuetudinis poſſit à Foro ſæculari appellari ad Eccleſiaſticum, non autem econverſo.

84 Dices. Etiam ſecluſa conſuetudine, & ſpectato Jure communi, poteſt à Judice ſæculari provocari ad Eccleſiaſticum; ergo. Antecedens probatur multipliciter. Sic enim imprimis *in c. Novit 13. de Judiciis*, Rex Angliæ denunciavit Papæ Regem Franciæ, quod veniſſet contra compoſitionem juramento firmatam, & factam occaſione Feudi ſuper Comitatu Pictaviæ, quod erat quid temporale. Deinde *c. Ex parte 15. de Foro compet.* dicitur, quod Vidua, vel alia perſona miſerabilis, ſi in bonis ſuis, etiam feudalibus, aut ſæcularibus opprimatur, ſeu ſpolietur, poſſit immediate ad Judicem Eccleſiaſticum recurrere. Ulteriùs *c. Ex tenore 11. §. fin. eod.* conceditur, quod ſi Judex ſæcularis negligit facere juſtitiam, poſſit Eccleſiaſticus adiri. Tandem hoc ipſum admittitur in caſu, quo ſuperior Judex ſæcularis non invenitur, v. gr. vacante Imperio, *c. Licet 10.* juncta Gloſſa *V. Vacante Imperio, de Foro compet.* ergo data Concluſio non videtur ſubſiſtere. Reſp. neg. conſequent. Nam allegata Jura loquuntur in caſibus ſpecialibus, atque omnino diverſis: idque oſtenditur inductione.

85 Imprimis enim *in cit. c. Novit. de Judiciis*, non agitur principaliter de aliquo temporali, putà, de feudo ſuper Comitatu Pictavienſi; ſed ibi agitur principaliter de cauſa ſpirituali, nempe de juramento, ſive perjurio à Rege Franciæ in fractione compoſitionis juratæ commiſſo. Quia, ut proteſtatur ibidem Pontifex, is non intendebat judicare de feudo; ſed de peccato in fractione pacis commiſſo, cujus cognitio indubitanter pertinet ad judicium Eccleſiæ.



86 Ad alterum, ſive *ad c. Ex parte 15. de Foro compet.* dicitur, id procedere ſolùm, ſi Viduæ, aut Pupilli, vel ejuſmodi perſonæ miſerabiles ab aliis injuſte graventur, vel bonis ſpolientur, ſicque ſpoliatores ſuos convenire velint coram Judice Eccleſiaſtico Interdicto *unde vi*, nam cauſæ hujuſmodi miſerabilium perſonarum, per vim oppreſſarum, ſunt mixti Fori, ſicque earum defenſio ſpectat etiam ad Eccleſiam ſaltem cumulative, per textum *ibid.* juncto *can. Licet, & can. Defenſionis, diſt. 87.* cum ſimilibus. Verùm iſtud duntaxat procedit, ſi agatur Interdicto *Unde vi*, ſive ad repellendam violentiam ipſis illatam, aut recuperandam poſſeſſionem eiſdem violenter ablatam: nam ſi vidua, vel alia perſona miſerabilis, velit agere contra Laicum petitorio tantùm, ſive de proprietate circa rem temporalem, non auditur coram Judice Eccleſiaſtico, niſi in defectum Judicis ſæcularis, *c. Ex tenore 11. de Foro compet.* eſtque jam dictum ſuprà *eod. Tit. 2. de Foro competenti, §. 7. nu. 154. & ſeqq.* ubi plura de hoc.

87 Ad alia duo Capitula dicitur, ea in illis ſpecialibus caſibus procedere, ne alioquin Actor indebite privetur jure ſuo, dum nullus alius adeſt, qui juſtitiam adminiſtrare valeat vel hanc Judex ſæcularis malitioſe recuſat adminiſtrare, ſicque meritò propter ejus peccatum juriſdictio devolvitur ad Judicem Eccleſiaſticum. Plura de hoc videri poſſunt ſuprà *Lib. 1. Tit. 10. de ſupplenda negligentia Prælatorum §. 3. à num. 45. uſque ad num. 49.* incluſivè.

## §. IV.

## Coram quibus, & quomodò, proponi debeat Appellatio?

*S U M M A R I U M.*

88 *Appellatio regulariter eſt proponenda coram Judice à* quo.
89 *Quid ſi copia Judicis à* quo *haberi nequeat, bene tamen Judicis* ad quem?
90 *Quando cenſeatur copia Judicis non haberi?*
91 *Si neutrius Judicis copia haberi poteſt, ſufficit appellare coram Viris boneſtis.*
92 *Quid agendum, ſi quis juſto metu impeditur, quo minus appellet?*
93 *Non valet appellatio generalis ſuper omni cauſa, vel gravamine.*
94 *Bene tamen appellatio generalis, quæ eſt reſtricta ad talem cauſam.*
95 *Appellans an teneatur exprimere cauſam appellationis in ſpecie? Et n. ſeqq.*
96 *Appellatio ab interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali, debet fieri exprimendo cauſam in ſpecie.*
97 *Nec ſufficit, eam duntaxat exprimere in genere, idque exemplificatur.*
98 *Referuntur caſus, in quibus cauſa gravaminis poteſt dici nominatim expreſſa.*
99 *Appellans ab interlocutoria non poteſt alias cauſas in appellatione proſequi, quam nominatim in ea expreſſas.*
100 *Nec tunc proceſſus primi Judicis poteſt juſtificari, vel impugnari ex Actis novis, aut de novo producendis.*
101 *Regula illa, quod in appellatione ab interlocutoria debeat exprimi cauſa ipſius in ſpecie, patitur plures limitationes. Et n. ſeqq.*
102 *Fallit enim in appellatione ab interlocutoria habente vim diffinitivæ.*
*Sententia interlocutoria habens vim diffinitivæ regulatur ſecundùm naturam diffinitivæ. Ibid.*
103 *Fallit etiam in cauſis, in quibus proceditur ſummariter, ac de plano.*
104 *Item, quando cauſa gravaminis conſiſtit in mero jure.*
105 *Aut, quando ea anteà non oppoſita, adhuc exprimitur ante elapſum decendium.*
106 *Vel, ſi de conſuetudine aliter ſit receptum.*
107 *Et quando nemine excipiente, Judex defert tali appellationi.*

108 *In appellatione à diffinitiva non eſt neceſſe, cauſam appellationis in ſpecie exprimere.*
*Si ea fiat incontinenti, ſufficit, dicere,* Appello. *Ibid.*
109 & 110 *Ratio diſparitatis inter appellationem à diffinitiva, & interlocutoriam quoad hoc.*
111 *Limitatur iſtud in certis caſibus. Et n. ſeqq.*
*Appellans à diffinitiva tenetur exprimere cauſam appellationis in omnibus caſibus, in quibus de jure prohibitum eſt appellare: & cur? Ibid*
112 *Vel, quando cauſa committitur Delegato ſub clauſula,* Appellatione remota.
113 *Item in appellatione ab executione ſententiæ, & à correctione, ac hujuſmodi.*
114 *In appellatione interpoſita per tertium à diffinitiva, debet exprimi cauſa ipſius; & cur?*
115 *Appellatio an neceſſariò debeat fieri in ſcriptis? Et nu. ſeqq.*
*Affirmatur, ſi fiat appellatio ab interlocutoria ad Papam. Ibid.*
116 *Utrùm hoc ipſum procedat in appellatione ab interlocutoria ad inferiores Judices directa dubitatur; & cur?*
117 *Affirmativa ſententia magis placet.*
118 *Quod ab interlocutoria debeat indiſtinctè appellari in ſcriptis, plures tradunt.*
*Fallit hoc in nonnullis caſibus. Ibid.*
119 *Appellatio à ſententia diffinitiva poteſt fieri vel incontinenti, ſive* Stante pede.
120 *Vel ex intervallo; & ſic debet fieri in ſcriptis &c.*
121 *Poteſt fieri non ſolùm per verbum* Appello, *ſed etiam per verba æquipollentia: idque exemplificatur.*
122 *Imò poteſt etiam facto fieri.*
*Plus eſt facto provocare, quam verbo. Ibid.*
123 *Dummodò ſerventur ea, quæ cæteroquin ad appellationem requiruntur.*

88 QUæritur I. Coram quo Judice appellatio ſit proponenda? Reſp. I. Regulariter loquendo, appellatio debet proponi ab appellante coram Judice *à quo*; alioquin ea eſt nulla, nec habebit effectum ſuſpenſivum, & devolutivum. Ita Speculator *tit. de Appellat. §. Nunc dicamus num.* 10. Scaccia *tract. de Appellat. qu.* 6. *nu.* 1. *& ſeqq.* Barboſa *c. ut debitus n.* 3. *h. t.* poſt Rotam *in una Salernitana Contributionis* 14. *Novembris* 1614. coram Domino Dunozetto, & alios; & idem Barboſa *cap. ult. n.* 27. *h. t.* Pirhing *eod. nu.* 83. & alii communiter. Idque deſumitur tum ex *d. cap. ult.* juncta Gloſſa *ibid. V. Coram judice à quo, h. t.* tum ex *c. ut debitus* 59. *eod.* In quo poſteriori loco dicitur: *Cùm autem ex rationabili cauſa putaverit appellandum, coram eodem judice cauſa probabili appellationis expoſita &c. Superior de appellatione cognoſcat.* Accedit ratio: quia per appellationem principaliter agitur ad ſuſpendendam, ac reſcindendam ſententiam Judicis: unde meritò coram eo appellandum eſt, & non ſolùm in præſentia partis, ne alioquin Judex, ignarus interpoſitæ appellationis, ulterius cauſæ illi ſeſe immiſceat.

89 Reſp. II. Fallit nihilominus data Regula in nonnullis caſibus. Et primò quidem, ſi copia Judicis *à quo* haberi nequeat, poſſit tamen haberi copia Judicis *ad quem*. Nam tunc coram iſto erit proponenda appellatio, dummodò poſtea hoc ipſum intimetur judici *à quo*, ne amplius ſeſe immiſceat tali cauſæ: & ſi ſecùs fiat, poſtea revocari valeant attentata per ipſum; juxta textum notabilem *in L.* 1. *§. Dies autem. ff. quando appellandum ſit*, quæ eſt canonizata *in can. Biduum §. Si quis* 2. *q.* 6.

90 Cenſetur autem copia Judicis, ſive facultas ipſum adeundi, tunc haberi, ſi in publico ſui copiam fecerit. Non enim Judex ab appellare volente eſt neceſſariò requirendus in horto, aut in villa ſuburbana; ſed ſatis eſt, quod perquiratur in loco publico, per textum *cit. L.* 1. *§. Dies autem, ff quando appellandum ſit, & can. Biduum §. Adeundi* 2. *q.* 6. & notat Barboſa *c. ut debitus num.* 5. *h. t.* Sigiſm. Scaccia *de appellat. quæſt.* 6. *n.* 18. *&* 19. citans Rotam *deciſ.* 30. *alias* 29. *Si appelletur à diffinitiva, ſub n.* 1. *de appellat. in nov.* Mynſinger *in Singularib. Obſerv. Cent.* 2. *Obſervat.* 1. cum aliis.

91 Quod ſi neutrius Judicis copia, ſeu præſentia haberi poſſit, tunc appellari poteſt coram Viris honeſtis, aut una ſaltem perſona authentica, puta Notario, adhibitis ei teſtibus *arg. cap. ut circa* 4. *de Election. in* 6. & notat Abbas *cap. ult. n.* 3. *h. t.* Scaccia *cit. quæſt.* 6. *n.* 18. 20. *& ſeqq.* Tamen in hoc caſu neceſſe eſt, vel ſaltem conſultum, ut quis coram Viris illis proteſtetur, ſe coram Judice appellare voluiſſe, ſed copiam ejus habere non potuiſſe.

Fallit inſuper data Regula in caſu, quo quis juſto me- 92
tu, ſive cadente in virum conſtantem impeditur, quo minùs appellet. Nam coram Judice *à quo*, aut ſi hoc fieri nequeat (eò quòd ejus copiam habere non poſſit, vel ob ejuſmodi gravem metum non audeat) coram Viris honeſtis intra decem dies proteſtetur, ſe appellare velle (exprimendo ſimul cauſas appellationis, ſaltem in genere, utputa, quod iniqua ſententia contra eum lata fuerit) nec tamen audere appellare, atque hoc ipſum ſeſe coram ipſis proteſtari: tunc ejuſmodi proteſtans habetur pro appellante, atque intelligitur hoc ipſo appellaſſe. Ita habetur expreſſum *cap. ult. h. t.* juncta Gloſſa, Abbate, *in Summario*, Barboſa *nu.* 1. & aliis Doctoribus *ibid.* Et meritò: ne medium juſtæ defenſionis, quale cenſetur appellatio, cuipiam per metum gravem, atque injuſte incuſſum præcludatur.

Quæritur II. Utrùm valida ſit appellatio generalis 93
ſuper omni cauſa, vel gravamine? Reſp. Non valet appellatio generalis ſuper omni cauſa, quæ adverſus appellantem quovis tempore moveri poſſet, *text. clar. cap. Inter cætera* 2. *h. t.* Neque etiam valet generalis & vaga appellatio reſpectu cujuſcunque gravaminis quod ſibi poſſet contingere; per textum expreſſum *in c. Conſuluit.* 18. *§* 1. *h. t.*

Reſp. II. Valet nihilominùs appellatio generalis: 94
quæ eſt reſtricta ad certam cauſam: utputa, ſi quis appellet ab aliquo Judice ſuper omnia gravamina, quod in una cauſa ſibi poſſent inferri. Ita habetur expreſſum *cit. c. Conſuluit.* 18 *h. t.* & notat Abbas *ibid. n.* 1. *&* 3. Barboſa *nu.* 1. & alii communiter. Ratio diverſitatis inter hanc, & priorem Concluſionem eſt: quia appellatio non habet locum, niſi poſſit prætendi gravamen de præſenti: ipſa enim eſt inventa ad removendum gravamen cuipiam illatum. Atqui in duobus illis caſibus, de quibus loquitur Concluſio præcedens, nullum poteſt prætendi gravamen de præſenti; ergo nec poteſt in illis locum habere appellatio: nam ceſſante cauſa ceſſat effectus, *cap. cùm ceſſante* 60. *h. t.* Secùs accidit in caſu hujus Concluſionis, ubi fit appellatio ſuper omni gravamine reſpectu certæ cauſæ, circa quam jam præceſſit, vel præceſſiſſe putatur gravamen aliquod de præſenti, ſaltem quoad unum articulum: nam iſtud totam quodammodo cauſam contingere cenſetur, ob ejus connexionem, atque unitatem cum tota cauſa.

Quæritur III. Utrùm appellans teneatur exprimere 95
cauſam appellationis in ſpecie? Reſp. I. Hic eſt diſtinguendum inter appellationem à ſententia interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali; & inter appellationem à ſententia diffinitiva. Ita Abbas *c. cùm in Eccleſia* 38. *n.* 6. *h. t.* Maranta *part.* 6. *Speculi Aurei tit. de appellation. n* 133. *& ſeqq.* Scaccia *quæſt.* 4. *de appellat. nu.* 53. & alii. Unde

Reſp. II. Appellatio ab interlocutoria, vel gravami- 96
ne extrajudiciali, debet fieri exprimendo in ſpecie cauſam appellationis: alioquin appellatio non valet, & appellatur iſtud non obſervans, reputabitur non appellans, & ad prioris Judicis examen redibit, in legitimis tamen expenſis condemnandus. Ita habetur expreſſum *cap.* 1. *h. t. in* 6. atque procedit non ſolùm in appellatione ad Papam, ſed etiam in appellatione ab interlocutoria ad inferiores Judices directa, ob rationes illicò afferendas, junctis dicendis infrà *num.* 116. 117. *ac ſeqq.* Concordat *c. cùm ſpeciali* 61. *§. Porrò h. t.*

Additur notanter *exprimendo in ſpecie cauſam appella-* 97
*tionis*. Quia non ſufficit, hanc exprimere duntaxat in genere, puta dicendo: *Appello ab iniqua interlocutoria, quia me gravaſti*. Item non ſufficit dicere, *Appello, quia interlocutoria eſt injuſta*. Hæc enim eſt nimis generalis cauſa; atqui Jura volunt, dictæ *appellationis cauſam exprimi*, ut loquitur textus *cap.* 1. *h. t. in* 6 Adeò, ut de ejus rationabilitate poſſit Judex cognoſcere, *cap ut debitus* 59. *h. t.* Idque eò magis, quia appellatio ab interlocutoria non poteſt juſtificari ex alia cauſa, quam *in appellatione nominatim duntaxat expreſſa*, juncta textu *in Clem. Appellanti h. t.* Quinimò in tantùm cauſa gravaminis, ſeu appel-



lationis, debet nominatim exprimi, ut non ſufficiat illam exprimere generaliter per relationem ad acta, v. g. dicendo: *Appello ab iniqua ſententia interlocutoria, & pro cauſa gravaminis allego omnes cauſas, quæ ex actis colligi poſſunt*. Maranta, *ubi ſupra n.* 153. Scaccia *cit quæſt.* 4. *de appellat.* poſt Rotam *deciſ.* 2. *alias* 7. *Si appellatur nu.* 1. *de appellat. in nov.* & plurimos alios, quos allegant.

98 Secùs eſt dicendum, ſi fieret appellatio ab interlocutoria, per relationem ad certam partem Actorum, in qua diceretur apparere de gravamine: quia tunc cauſa gravaminis poſſet dici nominatim expreſſa, & ideò ſufficeret. Scaccia *loc. cit. numer.* 32. poſt Rotam, Baldum, & Francum *cap. Ut debitus quæſt.* 12. *numer.* 23. *h. t.* Similiter cauſa gravaminis cenſetur ſufficienter expreſſa, ſi dicatur: *Appello quia non attendiſtis exemptionem pacti, de qua conſtat ex Actis*. Scaccia *cit. num.* 33. Idem dicendum in ſimilibus.

99 Cæterùm, ut probatio *num.* 97. allata melius intelligatur, eſt ſciendum, quod appellans ab interlocutoria non poſſit alias cauſas in appellatione proſequi, niſi nominatim duntaxat anteà in ea expreſſas; prout habetur deciſum *cit. Clem. Appellanti h. t.* illis verbis: *Appellanti ab interlocutoria, vel gravamine judicis, non licet alias cauſas proſequi, quam in appellatione ſua nominatim duntaxat expreſſas*. Hæc ibi. Concordat *c. cùm cauſam* 62. juncta Gloſſa *V. Dummodò h. t.* Atqui, ut iſtud obſervari valeat, neceſſe eſt, ab initio exprimere cauſas appellationis in ſpecie; uti patet conſideranti.

100 Inſuper ſciendum eſt, quod in cauſa appellationis ab interlocutoria, proceſſus primi Judicis non poſſint juſtificari, neque etiam impugnari ex Actis novis, vel de novo producendis, ſed ex illis duntaxat, quæ coram eo acta fuerunt, vel exhibita. Ita *cit. Clem. Appellanti h. t.* poſt verba proxime allegata ſic ſubjungens: *Nec proceſſus primi judicis ex novis, aut de novo probandis juſtificari poteſt, vel etiam impugnari: ſed tantùm ex iis, quæ acta fuerunt, vel exhibita coram ipſo*. Hæc Pontifex. Atqui hujus obſervantiam rurſus neceſſe eſt, ut ab initio exprimantur cauſæ appellationis in ſpecie; ergo

101 Reſp. III. Nihilominùs data Concluſio, aſſerens, quod in appellatione ab interlocutoria debeat exprimi cauſa ipſius, ſeu illati gravaminis in ſpecie; patitur plures limitationes, juxta illud vulgatum: *Nulla regula ſine exceptione*.

102 Et primò quidem ipſa fallit in appellatione à ſententia interlocutoria habente vim diffinitivæ: quia hæc regulatur ſecundùm naturam diffinitivæ: Alexander *Conſil.* 182. *num.* 1. *lib.* 6. Gailus *lib.* 1. *Practic. Obſervat. n.* 4. *&* 6. Pirhing *de Sentent. & re judicat. num.* 2. Scaccia *d. qu.* 4. *de Appellat. nu.* 28. *&* 37. poſt Francum *in cit. cap. Pervenit.* 28. *& cap Ut debitus* 59. *qu.* 14 *num.* 25. *de appellation.* intelligendo tamen iſtud ſub limitatione data ſuperius *Tit. præc. d. §.* 1. *num.* 24. *&* 25. Atque ideò, ſicut in appellatione à diffinitiva regulariter non eſt neceſſe exprimere in ſpecie cauſam ipſius, ita nec eſt neceſſe hanc exprimere in appellatione ab interlocutoria habente vim diffinitivæ. Ita præter proxime citatos, Maranta *par.* 6. *Speculi Aurei tit. de appellat. n.* 142. *&* 157. allegans inſuper Baldum *in l. Minoribus, col.* 3 *C. De his, quibus ut indignis &c.* & alii. Atque ob eandem rationem, ſi ab interlocutoria habente vim diffinitivæ appelletur incontinenti, poteſt appellari viva voce, ſicut à diffinitiva. Scacc. *c. q.* 4. *n.* 12. poſt Francum *d. c. Ut debitus q.* 7. *n.* 16. *h. t.*

103 Fallit ſecundò in cauſis, in quibus proceditur ſummariter, ac de plano: quia in his poteſt appellatio ab interlocutoria fieri non ſolùm incontinenti viva voce, ſeu ſine ſcriptis, ſed etiam valet, etiamſi non fuerit expreſſa cauſa gravaminis. Scaccia *qu.* 4. *n.* 10. *&* 11. *& n.* 37. Maranta *d. tit. de appellat. n.* 134. *in Addit. Folleri* poſt Philipp. Francum *c. Ut debitus nu.* 15. *h. t.* Angelum *Conſil.* 267. & alios. Accedit ratio; quia cauſa appellationis eſt ejuſdem naturæ, qualis eſt cauſa principalis; ergo, ſicut in hac poteſt procedi poſitivis ſolemnitatibus juris non ſervatis, *Clem. Sæpe contingit. de Verb. ſignif.* ita dicendum de appellatione reſpectu cauſarum ſummarie, ac de plano retractandarum.

104 Fallit tertiò, quando cauſa gravaminis conſiſtit in mero jure, adeò, quod nullam requirat probationem in facto; puta, quando ex forma, tenore, & inſpectione ipſius ſententiæ, conſtat de gravamine: prout fieret, ſi in ea exprimatur cauſa à Jure reprobata; vel ſaltem de gravamine appareat præſumptione juris; ut ſi Judex interloquatur, ſequeſtrum eſſe faciendum, quod tamen de jure regulariter eſt prohibitum. Quia tunc valet appellatio ab interlocutoria abſque alia expreſſione cauſæ utpote quæ ex allegationibus juris deduci poteſt. Maranta *cit. tit. de appell. n.* 156. poſt Baldum *in l. Minoribus. C. De his, qui ut indigni &c.* Philipp. Francus *c. Ut debitus, quæſt.* 11. *h. t.* & alios. Scaccia *d. q.* 4. *n.* 34. allegans plurimos alios.

Fallit quartò, quando cauſa gravaminis non fuit qui- 105
dem appoſita in ipſa appellatione à ſententia interlocutoria, adhuc tamen exprimitur poſtea ante elapſum decendium: nam quia hoc tempus conceſſum eſt ad appellandum, ſufficit intra illud cauſam appellationis exprimere. Scaccia *loc. cit. n.* 37. poſt Francum *d. c. Ut debitus quæſt.* 15. *h. t.* & Angelum de Aretio *in L.* 1. *§. ult. n.* 10. *ff. de appell. & relation.*

Fallit quintò, ſi aliter de conſuetudine alicubi rece- 106
ptum ſit; puta, quod ab interlocutoria poſſit incontinenti viva voce appellari: nam talis conſuetudo valet, eò quòd ſolemnitas appellandi ſit Juris duntaxat poſitivi humani. Gailus *l.* 1. *Pract. Obſervat.* 130. *nu.* 3. allegans Ferrarienſem *in Form. appell. ab interlocut. V. Cauſis nu.* 4. Angelum *conſil.* 267. *nu.* 1. Philipp. Francum *d. c. ut debitus n* 27. *h. t.* & praxin Cameræ.

Fallit tandem, quando nemine excipiente contra 107
talem appellationem, Judex defert eidem: quia tunc appellatio ab interlocutoria, etiam non expreſſa cauſa ipſius valet, ac devolvit cauſam ad Superiorem; cùm Judex inferior deferendo tali appellationi, quantum in ſe fuit, à ſe juriſdictionem abdicaverit, & cauſæ totius deciſionem in Superioris poteſtatem tranſtulerit, *c. cùm appellationibus, h. t. in* 6. Scaccia *cit. cap.* 1. *Poſt hoc n.* 14. *de appellat. in* 6.

Reſp. IV. Econtrà in appellatione à ſententia diffini- 108
tiva, non eſt neceſſe cauſam appellationis in ſpecie exprimere; ſed ſufficit dicere in genere, ſe eſſe gravatum, aut appellare à ſententia iniqua: & ſi incontinenti poſt latam ſententiam diffinitivam fiat appellatio, ſatis eſt dicere, *Appello*: quo facto tenetur Judex appellationi deferre. Ita comunis; eſtque expreſſe deciſum *in L.* 2. *ff de appellat.* juncto *cap.* 1. *h. t. in* 6. & Gloſſa *hic V. Statuit.*

Ratio hujus, ſimulque diverſitatis inter appellatio- 109
nem à diffinitiva & interlocutoria, eſt: quia in appellatione diffinitiva fruſtrà allegaretur cauſa in ſpecie, cùm de hac Judex *à quo*, utpote jam functus ſuo officio amplius cognoſcere non valeat. Secùs eſt in appellatione à gravamine, vel ab interlocutoria: nam tunc Judex *à quo* poteſt de gravamine cognoſcere, & illud ſuadente æquitate remittere, eoque revocato in cauſa principali procedere; prout habetur deciſum *c. cùm ceſſante* 60 *h. t.* Æquum proinde eſt, ut in hac appellatione cauſæ ejus in ſpecie exprimantur, ipſique Judici *à quo* proponantur, ut deliberare poſſit, num gravamen ob ejuſmodi cauſas revocare, vel appellationi deferre velit.

Accedit, quod appellans ab interlocutoria, non poſ- 110
ſit alias cauſas in appellatione proſequi, quam nominatim duntaxat expreſſas, *Clem. Appellanti, h. t.* Econtrà verò in appellatione à diffinitiva, licitum eſt utrique parti, novis probationibus uti, ac priùs non deducta deducere, non probata probare, *l. Per hanc C. de Temporib. appellat.* Unde conſequens eſt, ibi cauſas appellationis neceſſariò eſſe exprimendas, conformiter dictis ſuprà *nu.* 99. *&* 100. Secùs loquendo de appellatione à diffinitiva, argumento à contrario deſumpto.

Reſp. V. Patitur tamen etiam hæc Concluſio quaſ- 111
dam limitationes, ſeu fallentias. Et primò quidem ipſa eſt limitanda in omnibus illis cauſis, ſeu caſibus, in quibus de jure prohibitum eſt appellare à diffinitiva: tunc enim, ſi nihilominùs quis injuſte ſe gravatum ſenſerit, ac proinde ad Superiorem provocare voluerit, debet exprimere cauſam appellationis, atque illati gravaminis alioquin appellatio non valebit. Ita Gloſſa *in c. Romana §. Si autem verſ. Mandetur, h. t. in* 6. Abbas *c. cùm ſpeciali* 61. *§. Porrò n.* 6. *h. t.* Maranta *d. tit. de appell. n.* 155. Pirhing *h. t. nu.* 123. & alii. Ratio eſt: quia, ſi appellatio

eſt de jure prohibita, ſtat contra appellantem juris præſumptio; ideoque Judex non tenetur ei deferre, niſi ejuſmodi præſumptio allegata juſta cauſa elidatur.

112 Atque iſtud ampliatur, ſive appellatio ſit prohibita à Lege, ſive ab homine: ut, quando cauſa committitur Delegato ſub clauſula, *Appellatione remota*: quia in appellatione contra ſententiam diffinitivam tunc latam debet exponi cauſa. Scaccia *cit. quæſt. 4. de Appell. n. 29.* Maranta *d. n. 155.* allegans alios; de quo plura inferiùs §. 10. *n.* 290. & 293.

113 Limitatur eadem Concluſio in appellatione ab executione ſententiæ diffinitivæ. Cùm enim appellatio ab executione generaliter ſit prohibita, *l. Ab executione. C. Quorum appellationes &c. & can. Et qui §. Ab executione, 2. q. 6.* cum concordantiis: hinc appellans ab executione ſententiæ diffinitivæ debet dicere cauſam, quare appellat; alias appellatio non valet. Speculat. *tit. de Executione ſententiæ §. Nunc dicendum n. 9.* Scaccia *d. quæſt. 4. nu. 29.* hoc ipſum tenens de appellatione. Nam etiam à correctione de jure prohibitum eſt appellare, niſi modus excedatur, *c. Ad noſtram 3. h. t.* juncto Summario, & DD. *ibid.* ac proinde appellans à correctione ſibi per Superiorem facta tenetur cauſam appellationis exprimere: alioquin ſtat præſumptio juris contra appellantem, ſicque non tenetur Judex hunc admittere, donec præſumptionem hujuſmodi allegata juſta cauſa elidat. Atque hoc ipſum, ſervata proportione, eſt dicendum de cæteris caſibus, in quibus Jura litigantibus appellationem denegarunt, de quibus ex profeſſo dicetur infra *cit. §. 10. n. 268. & ſeqq.*

114 Limitatur tandem dicta Concluſio in appellatione interpoſita per aliquem tertium à ſententia diffinitiva propter ſuum intereſſe: quia, niſi exprimat cauſam rationabilem, per quam doceat ſummarie, & aliqualiter de ſuo intereſſe, non auditur appellans; ut *l. A ſententia, ff. h. t.* Bartolus *ibid. nu. 9.* & Abbas *c. cùm ſuper nu. 5. de Sentent. & re judic.* Scaccia *cit. n. 19. & quæſt. 17. nu. 106. & ſeqq.* allegans Doctores communiter. Siquidem appellatio à ſententia non admittitur, niſi propter gravamen ex ea cuipiam illatum: atqui ex ſententia inter alios lata non præſumitur gravamen cuipiam tertio inferri, niſi oſtendatur ratio, ſeu cauſa talis gravaminis; alioquin enim procedit Regula illa: *Res inter alios acta aliis non noceat*, juxta textum *L. 1. C. Res inter alios acta &c. & c. penult. de Sentent. & re judic.* cum ſimilibus.

115 Quæritur IV. An appellatio debeat neceſſario fieri in ſcriptis, vel etiam aliis modis fieri poſſit? Reſp. I. Appellatio à ſententia interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali per Judicem illato, ſi fiat ad Papam, neceſſariò debet fieri in ſcriptis. Textus eſt *in cap. 1. h. t. in 6.* ubi appellans ad Papam ab interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali, jubetur appellare in ſcriptis, & cauſam exprimere, & apoſtolos petere: atque ampliùs declarat Gloſſa *ibid. verſ. Vel extra, & verſ. Interlocutoria*, & Vivianus *in Rational. jur. eod. cap. 1.* & Barboſa *ibid. nu. 1. & ſeqq.* & alii.

116 Additur tamen, *ſi fiat ad Papam*. Utrùm enim Decretalis illa, quæ expreſſe loquitur de appellatione ad Papam, etiam locum habeat in appellatione ab interlocutoria, vel gravamine ad inferiores Judices interpoſita; dubitat Gloſſa *ibid. verſ. Ad nos*, & Pirhing *h. t. n. 109.* Vivianus *loc. cit.* & alii. Ratio dubitandi eſt: quia Decretalis illa ſolùm loquitur de appellatione ad Papam, ſimulque eſt pœnalis; ac proinde videtur reſtringenda potiùs, non amplianda ad inferiores Judices.

117 Verùm affirmativa ſententia magis placet Gloſſæ, & aliis; videlicet, idem eſſe dicendum de appellatione hujuſmodi interpoſita ad inferiorem Judicem ordinarium, qui per ſimplicem querelam adiri, & cognoſcere poteſt. Neque obſtat, quod dicta Decretalis expreſſe loquatur ſolùm de appellatione ad Papam: quia textus ille intelligitur quidem, atque procedit, *maxime ſi ad Papam appelletur*; non tamen excluduntur hujuſmodi appellationes, quæ fiunt ad inferiores Judices, cùm de iſtis eadem ratio militet.

118 Atque adeò, quod ab interlocutoria debeat indiſtincte appellari in ſcriptis, tradit Speculator *tit. de Appellation. §. qualiter autem n. 1.* iſtud probans ex *eod. cap. 1. h. t. in 6.* Maranta *cit. tit. de appellat. nu. 138.* Scaccia *quæſt. 4. appellation. n. 9.* poſt Francum *c. Ut debitus q. 7. n. 16. h. t.* & alios. Dummodò hinc excipias appellationem ab interlocutoria habentem vim diffinitivæ, ſicut & appellationem in cauſis ſummariter & de plano tractandis, ac hujuſmodi, conformiter dictis ſuprà *n. 102. & ſeqq.* Nam in his appellari poteſt incontinenti viva voce, ob rationes ſuperiùs allatas.

119 Reſp. II. Appellatio à ſententia diffinitiva poteſt fieri dupliciter. Primò quidem incontinenti, ſive (ut alii loquuntur) *Stante pede*, & Judice adhuc pro Tribunali ſedente: & tunc ea fit viva voce, *& ſatis erit, ſi dicat, appello*, per textum expreſſum *in L. 2. ff. de appellat. & l. Litigatoribus. C. eod.* Quamvis hoc ipſum mox ſit inferendum Actis publicis; & procedat ſolùm in appellatione à ſententia diffinitiva: nam appellatio interlocutoria, vel à gravamine aliquo ſemper debet fieri in ſcriptis, *cap. 1. h. t. in 6.*

120 Deinde appellatio à diffinitiva poteſt interponi ex intervallo, tamen intra decem dies: & tunc ea eſt facienda in ſcriptis, ſive per Libellum, quem vocant *Appellatorium*; quique debet continere perſonam appellantis, perſonam Judicis à quo appellatur, & ſententiam à qua fit appellatio, *L. 1. §. fin. ff. h. t.* Perſonam verò adverſarii, contra quem fit appellatio, etſi bonum ſit addere, tamen Libellus appellatorius de neceſſitate non debet continere, *l. Scio 3. ff. eod.*

121 Reſp. III. Non ſolùm per verba expreſſa *appello*, vel *Provoco*, ſed etiam per verba æquipollentia poteſt interponi appellatio. Ita Scaccia *de appellation. quæſt. 4. n. 19.* & alii. Idque clare deſumitur ex *c. Ad audientiam 34. h. t.* ubi gravatus à Judice, ſi ſe ſubjiciat protectioni Superioris, cenſetur appellaſſe, licet non fuerit uſus hoc verbo, *Appello*. Quod intellige cum Abbate *ibid. n. 1.* Barboſa *n. 2.* Scaccia *loc. cit. n. 22.* & aliis, dummodò exprimantur, atque ſerventur omnia neceſſaria ad appellationem, in tali ſubmiſſione, puta dicendo: *Domine, contra gravamen mihi illatum nolo ampliùs coram vobis litigare, ſed ſubmitto me, meaque omnia protectioni Papæ*: petendo poſtmodum apoſtolos, & alia obſervando, quæ ad appellationem requiruntur. Accedit ratio: quia quando non requiritur certa verborum formula ad ſubſtantiam actus, ſufficit mentem ſuam exprimere verbis æquipollentibus, *c. In his, de Verb. ſignif.* Pirhing *h. t. nu. 103.* Unde ulteriùs ad appellationem ſufficit dicere, *Proclamo*, vel *Provoco* à tali ſententia, ſeu *conqueror* de ea, aut hujuſmodi: quia non refert, quid de æquipollentibus fiat, *arg. L. ult. ff. Mandati.* Scaccia *cit. n. 19.* iſtud cum aliis intelligens, quando per verba æquipollentia conſtat de mente appellantis.

122 Reſp. IV. Non verbis duntaxat, ſed etiam ipſo facto poteſt appellatio fieri: ſic enim itineris arreptio ad Superiorem habet vim appellationis, dummodo ſerventur ea, quæ cæteroquin requiruntur ad appellationem. Ita communis; & habetur deciſum *c. Dilecti filii 52. h. t.* addita ea ratione: *Quia plus eſt facto provocare, quam verbo*: nam plus eſt, factis declarare animum ſuum, quam verbis; imò verba quandoque ſunt falſa, non facta.

123 Additur, *dummodò ſerventur ea, quæ cæteroquin requiruntur ad appellationem*. Hoc eſt, ut appellare volens iter arripiat ad legitimum Judicem, petat apoſtolos, exprimatque cauſas gravaminis, v. g. dicendo Superiori: *Domine Epiſcope, vos me gravaſtis in tali articulo, circa quem nolo ampliùs litigare coram vobis, ſed volo ire ad Papam; & hinc inſtanter peto apoſtolos*. Tunc enim, quamvis non exprimat verbum, *appello*, itinerando tamen ad Papam habetur pro appellante: quia non refert, quid de æquipollentibus fiat, ut proxime dictum. Abbas *cit. c. Dilecti filii 52. nu. 4. de appellat.* Pirhing *h. t. nu. 95. & 96.* & alii. Quod ſi prædicta non ſerventur, cenſetur quis renunciaſſe appellationi, nec ſufficit ſola itineris arreptio, aut miſſio ad Superiorem pro appellatione proſequenda, *cap. Ab eo, h. t. in 6.*

§. V.



## §. V.

## De Apoſtolis, ſeu Libellis dimiſſoriis Appellationum.

### SUMMARIUM.

124 *Apoſtoli in propoſito, qui; & unde ſic dicantur?*
125 *Apoſtolorum hujuſmodi quinque ſunt ſpecies. Et numer. ſeqq.*
126 *Apoſtoli dimiſſorii &*
127 *Apoſtoli reverentiales, &*
128 *Apoſtoli refutatorii, qui, & quomodo hi dandi?*
129 *Non obſtante, quod appellatio per Judicem inferiorem non fuerit admiſſa, nequit is procedere ad executionem ſententiæ.*
130 *Notabilis differentia inter apoſtolos dimiſſorios, atque reverentiales; & inter apoſtolos refutatorios. Et nu. ſeqq.*
*Judex* à quo *deferens appellationi abdicat à ſe juriſdictionem, & transfert cauſam in Superiorem. Ib.*
131 *Secùs, ſi Judex* à quo *non deferat appellationi, dando apoſtolos refutatorios.*
132 *Apoſtoli conventionales, &*
133 *Apoſtoli teſtimoniales, qui?*
134 *Apoſtoli de facto ſunt petendi intra triginta dies.*
135 *Olim intra quinque dies peti debebant.*
136 *Apoſtoli alicubi, ac in Camera Imperiali, non neceſſario petuntur.*
137 *Secùs ſpectato Jure communi. Et n. 134.*
138 *Judex an teneatur tradere apoſtolos non petenti. Et nu. præced.*
139 *Quando appellatur à Judice, ſunt petendi apoſtoli.*
140 *Et quid, ſi appellatur à gravamine extra judiciali, & non per Judicem illato?*
141 *Apoſtoli etiam congruo loco, & tempore, inſtanter & ſæpiùs ſunt petendi; idque exemplificatur.*
142 *Alioquin appellans cenſetur renunciaſſe ſuæ appellationi.*
143 *Sufficit tamen, apoſtolos petere ſæpius in uno contextu.*
144 *Poſſuntque peti intra triginta dies, ac viva voce &c.*
145 *Sunt petendi, ac præſentandi Judici* ad quem, *ſumptibus ipſius appellantis.*
146 *Judex* à quo *poteſt appellanti præfigere terminum præſentandi apoſtolos; adeò, ut alioquin appellatio efficiatur deſerta.*
147 *Pendente appellatione ſunt ligatæ manus Judicis* à quo; *& quomodo?*
148 *Judex tenetur debite petenti apoſtolos exhibere intra triginta dies; alias punitur, & quomodo?*
149 *Et ſi poſt denegatos apoſtolos procedat in cauſa, proceſſus eſt invalidus.*
150 *Et quo modo?*
151 *Si Iudex non dederit apoſtolos, poteſt appellans abſque iſtis proſequi appellationem.*

124 Quæritur I. Quid, & quotuplices ſint Apoſtoli. Reſp. I. *Apoſtoli* in propoſito, dicuntur Libelli dimiſſorii (ut vocantur in *Rubric. ff. de Libellis dimiſſoriis*) ſeu Litteræ dimiſſoriæ, quas Judex, à quo appellatum eſt, tranſmittit ad Judicem *ad quem*, ſive ad eum, qui de appellatione cogniturus eſt; in eiſque teſtatur, Titium v. g. appellaſſe à ſententia ſua, quam inter ipſum & Cajum circa talem cauſam tulerat. Textus eſt *in L. 1. ff. de Libellis dimiſſor.* Et tales Libelli dimiſſorii appellationum, vulgò dicuntur *apoſtoli*, hoc eſt, *miſſi*; quia mittuntur ad Judicem *ad quem*, ut de cauſa appellationis inſtruatur. Unde impræſentiarum per *apoſtolos* non intelliguntur Petrus & Paulus, vel alii ex Collegio Apoſtolico Chriſti Domini, Gloſſa *in cap. 1. verſ. Petat apoſtolos, h. t. in 6.*

125 Reſp. II. Hujuſmodi apoſtolorum quinque ſunt ſpecies. Ita Speculator *tit. de Appellationibus, §. Sequitur videre nu. 1.* Abbas *c. Bonæ memoriæ 51. num. 9. h. t.* Scaccia *q. 13. de Appellation. n. 3.* & alii. Ratio eſt: quia apoſtoli poſſunt peti, ac dari tum in judicio, tum extra judicium: ex quibus illi, qui dantur in judicio, ſunt vel dimiſſorii, vel reverentiales, vel refutatorii: qui verò extra judicium, generatim *extrajudiciales* dicuntur; & ſunt vel conventionales, vel teſtimoniales. Idque patebit explicando ſingula membra: Siquidem

126 *Apoſtoli dimiſſorii* dicuntur literæ ad Judicem ſuperiorem directæ, in quibus Judex *à quo* appellationi deferens teſtificatur de appellatione interpoſitæ, & à ſe admiſſa. Et de his fit mentio, *can. Ab eo 2. qu. 6.* ibi: *Ab eo, à quo appellatum eſt, ad eum, qui de appellatione cogniturus eſt, dimiſſoriæ litteræ dirigantur, quæ vulgò Apoſtoli appellantur.* Similia habentur *L. 1. ff. de Libell. dimiſſor.* Et hi Libelli, ſive apoſtoli, dicuntur *dimiſſorii*: quia, ut notatur *l. Dimiſſoriæ, ff. de Verb. ſignif.* per ejuſmodi literas *cauſa ad eum, qui appellatus eſt, dimittitur*: nam Judex concedendo apoſtolos dimiſſorios, hoc ipſo exprimit, quod deferat appellationi; ſicque appellantem à ſua poteſtate, & juriſdictione dimittat. Scaccia *de Appellation. q. 13. n. 10.* cum aliis.

127 *Apoſtoli reverentiales* vocantur, quando Judex *à quo* defert appellationi, eamque admittit, non ob juſtitiam cauſæ, ſed ob reverentiam Judicis ſuperioris, ad quem fuit appellatum. De hac fit mentio *cap. 1. h. t. in 6.* ibi: *Vel ſi appellationi forſan ex Superioris reverentia ſit delatum.* Ubi Gloſſa ℣. *Delatum in Addit.* ait, hoc fieri ſolere in dubio, quando nimirum dubitatur de veritate appellationis, aut de ejus juſtitia; puta propter diverſitatem ſententiarum inter Doctores.

128 *Apoſtoli refutatorii* ſunt, quos dat Judex non deferens appellationi, exprimendo ſimul cauſam, cur appellationem non admiſerit. Debet enim hujuſmodi cauſa exprimi, *cap. 1. h. t. in f. & l. Sciendum, ff. de Appellat. recipiend.* Alias, ſi abſque cauſa Judex appellationem non admittat, punitur, *l. quoniam, C. h. t.*

129 Cæterum his non obſtantibus, ſeu non obſtante, quod appellatio per Judicem inferiorem non fuerit admiſſa, nequit is ea interpoſita procedere ad executionem ſententiæ. Nam, ut *l. un. ff. Nihil novari appellatione interpoſita*; dicitur, *Appellatione interpoſita, ſive recepta ſit, ſive non, medio tempore nihil novari oportet.* Ne videlicet interim, dum per Superiorem deliberatur, an appellatio recipienda ſit, nec ne, per executionem Judicis inferioris fiat præjudicium appellanti.

130 Interim eſt notabilis differentia inter memoratos apoſtolos. Nam ſi Judex *à quo* detulit appellationi ab interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali (prout fit per apoſtolos dimiſſorios, ac reverentiales) cenſetur à ſe omnem juriſdictionem abdicare, & cauſam in Superiorem transferre: unde poterit iſte, ſi velit, in cauſa procedere, etiamſi judicaverit appellationem eſſe frivolam, & fruſtratoriam; per textum in *cap. cùm appellationibus, §. Si verò, h. t. in 6.* ubi iſtud ſequentibus verbis ſtatuitur: *Si verò judex admittat eandem, licet tam appellatio, quam ipſius judicis delatio à Superiore valeat refutari; quia tamen judex ipſe, quantum in ſe fuit, à ſe juriſdictionem abdicavit eandem, appellationi deferens minùs juſte, totius cauſæ deciſio in Superioris eſt poteſtatem transfuſa: nec eſt illi cauſa de neceſſitate ulterius remittenda &c.* Hæc ibi.

131 Secùs eſt, ſi Judex *à quo* appellationi, tanquam minùs legitimæ, non deferat, dando videlicet apoſtolos refutatorios. Nam tunc Judex, ad quem eſt appellatum, ſi cognoſcat appellationem eſſe minùs legitimam, tenetur appellantem remittere ad priorem Judicem; ita tamen, ut talem appellationem antea, ſeu eadem adhuc die, alteri parti in expenſis condemnet. Textus eſt *in cit. c. cùm appellationibus, §. 1. h. t. in 6.* ſic loquens: *Cùm appellationibus frivolis nec juſtitia deferat, nec ſit à judice deferendum: ſi judex inferior appellationem minùs legitimam non admittat, eam appellatore nihilominùs proſequente, Superior de ipſa cognoſcens cauſam ad priorem judicem (juxta Sanctiones Canonicas) ſine difficultate remittat, eadem die condemnationem faciens expenſarum.* Ubi Gloſſa, & Doctores, atque intrà §. 8. *nu.* 235. *& ſeqq.* ulteriùs dicetur.

132 *Apoſtoli conventionales* dicuntur, qui dantur à parte adverſa appellationem approbante, etiamſi Judex ſit invitus, aut dentur extra judicium, *cap. Sæpe contingit 44. h. t.*

133 Tandem *Apoſtoli teſtimoniales* ſunt illi, qui dantur à Notario, vel aliis honeſtis viris, quando coram illis copia Judicis non exiſtente appellatio propoſita fuit, ſicque de hoc idem teſtantur; conformiter dictis ſuprà §. 4. *num.* 91.

134 Quæritur II. Intra quod tempus, & quo modo petendi, dandique ſint Apoſtoli? Reſp. I. Defacto, & ſpectato Jure communi, apoſtoli intra triginta dies à tempore interpoſitæ adverſus Judicem appellationis ſunt petendi. Ita habetur *l. Judicibus*, *C. de Appellat.* eſtque clarius expreſſum *c. Ab eo b. t. in 6.* ubi dicitur: *Ab eo, qui appellat infra triginta dies inſtanter apoſtoli peti debent, & eidem intra dictum tempus à judice exhiberi: aliàs præſumitur appellationi ſuæ renunciare appellans, ſi eos infra idem tempus petere prætermittat, etiamſi vadat, aut mittat ad appellationem hujuſmodi proſequendam.* Hæc ibi. *Concordat Clem. quamvis b. t.* ubi iſtud ampliùs declaratur.

135 Dicitur imprimis, *Defactò*. Nam olim de Jure antiquo apoſtoli intra quinque dies peti debuerunt, *can. Ab eo 4. qu. 6.* Sed iſtud Jure recentiori fuit immutatum, atque appellare volentibus, pro petitione apoſtolorum eſt conceſſum tempus triginta dierum, per textus jam allegatos, cum concordantiis.

136 Dicitur ulteriùs, *ſpectato Jure communi*. Siquidem etiam de facto in Camera Imperiali, ac in nonnullis aliis Tribunalibus, iſthæc apoſtolorum petitio non eſt in uſu, neque neceſſaria; ſed valet appellatio, quamvis apoſtoli petiti non fuerint. Sigiſm. Scaccia *quæſt.* 13. *de Appell. n.* 36. aſſerens, ita eſſe conſtitutum in Regno Franciæ. Engel *b. t. n.* 46. ubi ait, in Camera Imperiali hodie apoſtolorum petitionem non eſſe in uſu. Maranta *par. 6. Speculi Aurei, tit. de Appellation. n.* 221. & alii.

137 Verùm ſpectato Jure communi, appellans neceſſariò debet petere apoſtolos, *can. Poſt appellationem 2. q. 6. & d. c. Ab eo b. t. in 6.* cum ſimilibus. Scaccia *cit. quæſt.* 13. *nu.* 24. allegans alios. Adeò, ut ſi non petantur debito modo proximè declarando, cenſeatur appellans renunciaſſe factæ ſuæ appellationi. *Clem. quamvis b. t.* ſive de-in appelletur à ſententia diffinitiva, ſive ab interlocutoria. Scaccia *cit. q. 3. n.* 91. & alii.

138 Nec obſtat textus *in l. Eos qui de*, §. *Apoſtolos*, *C. b. t.* ubi dicitur: *Apoſtolos autem poſt interpoſitam provocationem, etiam non petente appellatore, ſine aliqua dilatione judicem dare oportet.* Nam, ut concordentur jura juribus, dicendum eſt, textum iſtum procedere, quando Judex recipit appellationem: quia tunc tenetur tradere apoſtolos, etiam non petitos. Petrus de Ancharano *cap. 1. b. t. in 6.* Scaccia *cit. q.* 13. *nu.* 37. allegans inſuper Geminianum *in d. c. 1. n.* 12. & Francum *n.* 11. *b. t. in 6.* Alias ſecùs, per Jura priora.

139 Dicitur tertiò, *interpoſitæ adverſus judicem &c.* Nam quando appellatur à Judice, ſive judicialiter, ſive extrajudicialiter procedente, de Jure communi ſemper peti debent apoſtoli; cùm adſit, qui eos dare poſſit, quin & dare teneatur, videlicet Judex ille, à quo appellatur; *ut c. 1.* juncta Gloſſa *verſ. Vel extra b. t. in 6.*

140 Quod ſi verò appelletur à gravamine extra judicium, & non per Judicem, ſed aliunde illato, puta, in electione, non eſt neceſſe petere apoſtolos; cùm non adſit; qui illos dare valeat, vel teneatur. Conſultius tamen eſt, etiam tunc ipſos petere ſub conditione, ſi adſit., qui eos dare poſſit. Gloſſa *cit. cap. 1 ℣. Vel extra b. t. in 6.* Maranta *par. 6. Speculi Aurei tit. de appellation. nu.* 227. Pirhing *b. t. n.* 142. & alii.

141 Reſp. II. Non ſolùm intra tempus triginta dierum, ſed etiam *congruo loco, & tempore, inſtanter, & ſæpius*, petendi ſunt apoſtoli. Ita communis; atque his ipſis verbis habetur expreſſum in *cit. Clem. quamvis*, *b. t.* Unde non ſufficit, apoſtolos petere à Judice, dum equitat, vel per viam tranſit: quia ſunt petendi *congruo loco*. Nec etiam ſatis eſt, eos petere de nocte, aut ſub Miſſa, ſive ſub prandio, vel alio tempore incongruo, prout exemplificat Gloſſa *c. Ab eo qui verſ. Loco b. t. in 6.* Neque ſufficit, apoſtolos petere leviter ſolùm, vel ſemel duntaxat: ſed debent peti *inſtanter, & ſæpius*; uti loquitur citata *Clement. quamvis*: poſt textum expreſſum in *can. Poſt appellationem 2. qu. 6.* Idque meritò ſtatutum fuit: tum ut Judici, à cujus ſententia appellatur debitus deferatur honor, ab ipſo inſtantius petendo Apoſtolos: tum ut Judex ille moveatur ad revocandum gravamen, ſi gravavit, atque ſententiam adhuc revocare poteſt (prout accidit in appellatione à ſententia interlocutoria) forte enim alias gravamen illud non revocaret, ſi non fieret talis inſtantia. Sigiſm. Scaccia *d. quæſt. 13. de Appellat. n. n.* 25. poſt Rotam *deciſ. 46. aliàs 351. de Appellat. in novis*.

142 Quod ſi ſecùs fiat, atque appellans non petat apoſtolos modo jam memorato, cenſetur ipſe renunciaſſe ſuæ appellationi. Gloſſa *can. Poſt appellationem verſ. Tempus 2. q. 6.* id probans ex *c. ab eo, à quo ead. cauſ. 2. q. 6.* Concordat textus *in c. ab eo qui appellat. b. t. in 6*, argumento à ſenſu contrario deſumpto, ibi: *Apoſtolos appellanti non tribuat requiſitas &c.* Eſtque clarius deciſum *in cit. Clem. quamvis*, §. *Verùm b. t.* illis verbis: „ Verùm ſi judex à „ quo appellatur, certum terminum ad recipiendos apo„ ſtolos appellanti aſſignet, & appellans in aſſignato ſi„ bi termino non compareat coram eo, nec petat apoſto„ los ſibi tradi, appellationi ſuæ renunciaſſe videtur. Si„ militer ſi Judex appellanti reſponderit, intra juris ter„ minum apoſtolos ſe daturum, appellationi ſuæ renun„ ciaſſe appellans intelligitur, niſi intra dictum termi„ num congruo loco, & tempore, inſtanter, & ſæpius, „ ſaltem uno contextu, petat apoſtolos ab eodem judice „ ſibi dari, vel ſi recipere recuſat oblatos. *Hæc ibi.*

143 Additur notanter, *ſaltem uno contextu*. Quamvis enim antiquitus petitio apoſtolorum fuerit facienda interpolatis, ſeu renovatis vicibus; prout ſcribit Scaccia *d. q.* 13. *num.* 27. poſt Rotam *deciſ. 57. alias 460. de appellation. in novis*, & alios. Defacto tamen, juxta *cit. Clem. quamvis b. t.* ſufficit, uno contextu ſæpius, & inſtanter, apoſtolos poſtulare; puta dicendo. *Domine Judex appello, & peto apoſtolos, & quidem inſtanter, eoſque iterum atque iterum poſtulo.*

144 Inſuper neceſſe non eſt, ut apoſtoli petantur tempore appellationis, dummodo petantur intra triginta dies, à die factæ appellationis numerandos; ut *cit. cap. Poſt appellationem 2. q. 6.* juncta Gloſſa *ibid. verſ. Tempus*. Poſſuntque viva etiam voce poſtulari; licet conſultius ſit eoſdem petere in ſcriptis, ut ſic melius facta illorum petitio probari valeat: ipſa tamen datio apoſtolorum, per Judicem neceſſariò in ſcriptis expediri debet. Pirhing *b. t. nu.* 142.

145 Quæritur III. Cujus expenſis apoſtoli concedantur, & an in eorum conceſſione poſſit Judex *à quo* præfigere appellanti terminum ad ſe præſentandum cum apoſtolis coram Judice *ad quem*? Reſp. I. Apoſtoli ſunt petendi, atque præſentandi Judici *ad quem*, ſumptibus ipſius appellantis. Ita Gloſſa *in Clem. quamvis verſ. Oblatos b. t.* Maranta *par. 6. Speculi Aurei tit. de appellation. num.* 234 hanc appellans communem, & veram Concluſionem. Scaccia *cit. q 13 de appellat. n.* 144. poſt Baldum *in Auth. Hodie*, §. *Apoſtolos n.* 13. *C. de appell.* & alios.

146 Reſp. II. Poteſt Judex *à quo* dando apoſtolos præfigere appellanti certum terminum, competentem tamen, præſentandi apoſtolos coram Judice *ad quem*: adeò, ut ſi appellans intra tempus illud ſe coram ſuperiore Judice non præſentaverit, una cum datis apoſtolis, appellatio efficiatur deſerta. Ita Gloſſa *l. Præſes verſ. Præſcriptum C. b. t.* Scaccia *cit. quæſt. 13. num. 88. & q. 15. nu.* 15. Maranta *d. tit. de appellation. n.* 205. Pirhing *b. t. num.* 145. & alii communiter. Idque deſumitur *ex cap. Perſonas 4. b. t.* ubi dicitur, poſſe Judicem *à quo* præfigere terminum appellanti ad ſe præſentandum: adeò, ut alias cenſeatur appellatio deſerta, & appellans cogatur ſtare priori ſententiæ. Nec immeritò: tum ut præcludatur via malitiis hominum, cauſam appellationis alioquin diutius protrahentium. Tum quia qualitas negotii principalis, quandoque ob varias circumſtantias majorem requirit accelerationem, ac breviorem finem litis.

147 Nec obſtat, quod pendente appellatione cenſeantur ligatæ manus Judicis *à quo*. Nam iſtud procedit ſolùm quoad cauſam principalem, cui non poteſt ſe immiſcere, neque ſententiam ſuam exequi: non verò, quo minus poſſit ſtatuere terminum competentem, & abbreviare tempus juris, infra quem terminum ſi appellans non ſe præſentet Judici *ad quem*, vel non proſequatur appellationem, remaneat appellatio deſerta, & priorem ſuam ſententiam poſſit Judex ille exequi; ut *cit. cap. Perſonas b. t.*



*b. t.* Cui ſimile quid habetur *c. cùm ſit Romana 5. & Clement. quamvis eod.* Maranta *cit. n.* 205. & alii.

148 Quæritur IV. Quid juris, ſi apoſtoli debite petantur, aut petiti non dentur à Judice *à quo*? Reſp. I. Quando apoſtoli per appellantem debite, ut ſupra, petiti fuerunt, tenetur Judex eoſdem intra tempus triginta dierum, à die latæ ſententiæ numerandorum, exhibere, *text. clar. cap. Ut ſuper 4. & c. Ab eo 6. b. t. in 6.* cujus poſterioris verba *num.* 134. relata ſunt. Alias ipſemet Judex unacum Officio, ſeu Officiali ſuo non contradicente, mulctæ ſubjacebit, *l. Judicibus. C. b. t.* Qualis mulcta de rigore Juris Civilis, ac loquendo in cauſis civilibus, eſt punitio in triginta libris auri, *l. Quoniam. C. eod.* De Jure Canonico tamen, ſi cauſa eſt civilis, imponitur pœna arbitraria: ſi verò cauſa eſt criminalis, Judex eſt deponendus. Maranta *par. 6. Speculi Aurei tit. de Appellat. n.* 210. Scaccia *d. q. 13. n.* 101.

149 Reſp II. Inſuper, ſi Judex poſt denegatos, vel non datos appellanti, debiteque petenti apoſtolos, ex tunc forſan in cauſa procedat; niſi appellationi renunciatum fuerit (expreſſe, vel ſaltem tacite) proceſſus eſt invalidus, & irritus. Ita textus expreſſus *in cit. c. Ut ſuper 4. b. t. in 6.* juncta Gloſſa *verſ. Renunciatum*, & *verſ. Irritus.* iſtud ampliante ad eum caſum, quo alias de jure valeret proceſſus: puta, quia fruſtratoria eſt appellatio; cui deferendum non eſt, *c. cùm appellationibus b. t. in 6.*

150 Et quidem loquendo de appellatione à ſententia diffinitiva, ſi Judex *à quo* procedere attentaverit in cauſa poſt denegatos, vel ſaltem non datos ritè petenti apoſtolos: ejuſmodi proceſſus ipſo jure nullus exiſtit, atque retractatur per viam attentati: nam pendente appellatione (uti hæc ſemel facta pendet intra terminum petendi apoſtolos) conquieſcit officium Judicis *à quo*. Scaccia *cit. q. 13. de appellation. n. 76. & ſeqq. & n.* 91. referens alias Doctorum ſententias: quamvis oppoſitum meritò teneat in appellatione à ſententia interlocutoria: tunc enim nullitas proceſſus pendet à futuro eventu: quia, ſi appellans obtinebit in cauſa appellationis ab ipſa interlocutoria, retractabitur proceſſus; alias non, juxta textum *in c. Non ſolùm 1. §. Illa verò b. t. in 6.*

151 Reſp. III. Ulteriùs ſi Judex debite, inſtanterque, ac ſæpiùs requiſitus, ut ſuprà, expreſſe deneget apoſtolos, aut ſaltem ſtatuto à ſe, vel à jure tempore, malitioſe ſive negligenter eoſdem tradere prætermittat: tunc appellans abſque apoſtolis poterit proſequi appellationem ſuam; dummodò idipſum conteſtetur. Textus eſt *in L. un. C. de Libellis dimiſſor.* quæ eſt canonizata *c. Poſt appellationem 2. q. 6.* Ubi ratio hujus refunditur in naturalem æquitatem, ſeu quia *æquum eſt, ſi per Judicem ſteterit, qui debebat dare literas, quominùs det, ne hoc accipere volenti noceat.* Concordat textus *in Clem. quamvis §. fin. h. t.* uberiùs hoc ipſum declarans.

## §. VI.

## De Fatalibus Appellationum.

### *SUMMARIUM.*

152 *Fatalia appellationum, quid?*
153 *Et unde ſic dicantur.*
154 *Generatim ſunt in triplici differentia.*
155 *Fatalia interponendæ appellationis, quid?*
156 *Hæc olim fuerunt duo, vel tres dies: nunc ſunt decem dies.*
157 *Decendium ad appellandum conceſſum, quando currere incipiat? Et n. ſeqq.*
158 *Non currit ignoranti, ſe eſſe gravatum.*
159 *Decendium iſtud currit de momento in momentum: idque declaratur.*
*Cautela pro Notario quoad hoc. Ibid.*
160 *Decendium hoc à principio eſt utile, ſed in progreſſu continuum. Et n.* 157.
161 *Procurator, contra quem fertur ſententia, debet appellare, &c.*
162 *Alias nocet Domino ſuo.*
163 *Fatalia introducendæ, ac proſequendæ appellationis, ſunt duplicis generis; videlicet.*
164 *Fatalia legis, &*
165 *Fatalia hominis.*
166 *Idque oſtenditur.*
167 *De Jure Civili Fatalia legis introducendæ coram Judice* ad quem *appellationis, ſunt ſex menſes.*
168 *Et quid de Jure Canonico?*
169 *Fatalia proſequendæ, ac finiendæ appellationis, de jure ſunt annus, ac ex cauſa biennium.*
170 *Hoc tempus eſt computandum à die interpoſitæ appellationis.*
171 *Lapſus horum Fatalium non obſtat illi, qui propter juſtum impedimentum non proſequitur, vel non finit tunc appellationem.*
172 173 174 & 175 *Enumerantur ſex hujuſmodi juſta impedimenta.*
176 *Onus probandi tale impedimentum proſequendæ appellationis, incumbit appellanti.*
*Facta ſunt ſui natura incerta. Ibid.*
*Nec præſumuntur, niſi probentur. Ibid.*
177 *Non ſufficit probare duntaxat impedimentum, niſi etiam probetur, diligentiam in eo removendo adhibitam eſſe.*
178 *Stante legitimo impedimento proſequendi appellationem intra annum, conceditur appellanti ſecundus annus ipſo jure.*
179 *An tunc appellans debeat intra annum proteſtari de impedimento?*
180 *Et an ipſi impedito ſolùm ex parte anni, concedatur ſecundus annus totus ipſo jure?*
181 *Ulterius tempus, puta tertius annus, conceditur legitime impeditis per reſtitutionem in integrum.*
182 *Si per Judicem ſtetit, quo minùs debito tempore finiatur appellatio, tempus Fatalium non currit.*
183 *Fatalia proſequendæ, ac finiendæ appellationis, hodie non attenduntur in majoribus Tribunalibus.*
184 *Appellans à gravamine extrajudiciali adhuc poſt memoratum tempus auditur, ſaltem per remedium Juris communis.*
185 *An, & per quem terminus Fatalium à Jure conceſſorum poſſit reſtringi? Et n. ſeqq.*
*Judex* à quo *non poteſt ſtatuere terminum finiendæ appellationis.*
186 *Et ſi hoc fuerit, cenſetur præfixiſſe terminum proſequendæ appellationis.*
187 *Poteſt terminum ad proſequendam appellationem conceſſum, abbreviare, ſecundùm exigentiam negotii, &c. Et nu.* 185.
188 *Econtrà Judex* ad quem *non poteſt iſtum terminum abbreviare, niſi immineat periculum. Et n. ſeqq.*
189 *Judex* à quo *nequit minuere terminum decem dierum ad appellandum conceſſum; & cur?*
190 *Diſparitas inter Judicem* à quo, & ad quem, *quoad propoſitum. Et n.* 188.
*Ubi imminet periculum Reipublicæ, vel animarum, poteſt etiam Judex,* ad quem *reſtringere tempus proſequendæ appellationis. Ibid.*
191 *Iſtud exemplificatur in conjugio ſpirituali, & carnali, &c. Et n. præced.*
192 *Qualiter in aliis cauſis poſſit Judex* ad quem, *finire Fatalia appellationum?*
193 *Appellans poteſt ſibi ipſi reſtringere Fatalia hujuſmodi.*
194 *Utrùm hæc mutuo partium conſenſu poſſint prorogari?*
195 *Quis ſit Judex in cauſa deſertæ appellationis ob lapſum Fatalium? Et n. ſeqq.*
*Praxis notabilis deſerviens appellato, quando appellans intra debitum tempus non petivit apoſtolos, vel non eſt proſecutus appellationem. Ibid.*
196 *Et hujus ratio.*
197 *Si appellans nunquam comparuit coram Superiore, tunc Judex* à quo *cognoſcit ſuper cauſa deſertæ, vel non deſertæ appellationis.*
198 *Aliàs de hac cognoſcit Judex* ad quem.

152 QUæritur I. Quid ſint, & quotuplicia Fatalia appellationum? *Fatalia appellationum* dicuntur tempora illa, intra quæ debet inchoari, & terminari cauſa appellationis: alias quippe appellatio fit deſerta. Ita Sigiſm. Scaccia *q. 15. de appellat. n.* 2. & in re communis.

153 Et dicuntur *Fatalia*, à fato, ſive à morte, juxta *L. 2. C. de Temporib. in integr. reſtitut.* ibi: *Pater tuus in fata conceſſit*, cum ſimilibus. Unde tempora illa, intra quæ debet inchoari, & terminari cauſa appellationis, appellantur *Fatalia*, id eſt, mortem inferentia ipſi appellationi; adeò, ut hæc ſit deſerta, niſi intra tempora illa fiat, ac terminetur, & rata maneat prior ſententia: quia ſicut mors extinguit hominem, ita lapſus illius temporis extinguit appellationem. Abbas *c. Ex ratione 8. n. 8. h. t.* Maranta *par. 6. Speculi Aurei*, *tit. de Appellation. nu. 232.* Scaccia, *ubi ſupra n. 1.* & alii.

154 Reſp. II. Fatalia appellationum generatim ſunt in triplici differentia: nam quædam ſunt ad interponendam appellationem; quædam ad eam introducendam coram Superiore, ſeu Judice *ad quem*; aliæ verò ſpectant ad finiendam appellationem. Ita Gailus *lib. 1. Pract. Obſerv.* 139. *n.* 1. & alii. Nec in re diſcordat Pirhing *h. t. n.* 131. cum nonnullis aliis aſſerens, quatuor eſſe Fatalia appellationum. Nam hi Authores, præter tria jam enumerata, addunt Fatale petendi apoſtolos, de quo jam proximè dictum eſt: neque propriè ac immediatè eſt unum ex Fatalibus appellationum, ſed ſolùm mediatè, ac in conſequentiam, imò alicubi nec eſt in uſu. Porrò per ordinem proſequendo alia tria Fatalia appellationum

155 Quæritur II. Quæ ſint Fatalia interponendæ appellationis; & qualiter computentur? Reſp. I. Per *Fatalia interponendæ appellationis* intelligitur tempus illud, intra quod gravatus per ſententiam Judicis, vel aliunde, appellari poteſt ab illato ſibi gravamine; adeò, ut elapſo tali tempore facultas appellandi pereat, atque extinguatur. Ita in re communis. Quæ quidem Fatalia interponendæ appellationis paſſim appellantur *Decendium ad appellandum* conceſſum: de quo jam breviter dictum eſt *Tit. præced.* §. 4. *n.* 110. & 111. nunc autem amplius declarabitur: unde

156 Reſp. II. Hujuſmodi Fatalia interponendæ appellationis, de Jure antiquo fuerunt duo, vel tres dies, *L. 1. §. Biduum*, *ff. quando appellandum ſit*; ac refertur *can. Biduum 2. q. 6.* Verùm ſpectato Jure novo ſufficit appellare intra decendium: hoc eſt, intra decem dies à die latæ ſententiæ, vel illati gravaminis, ejuſque ſcientiæ numerandos. Ita communis; atque habetur deciſum *in Auth. Hodie*, juncta Gloſſa *ib. C. de Appellation.* Concordat textus *in c. quod ad conſultationem 15. de Sent. & re judic.* ibi: *Cùm poſt decem dierum ſpatium ſententia in authoritatem rei tranſeat judicatæ, qui ad provocationis ſubſidium infra id temporis non recurrit, appellandi ſibi aditum denegavit.*

157 Reſp. III. Prædictum decendium ad appellandum conceſſum, ſeu contirebs Fatalia interponendæ appellationis, eſt computandum ab hora latæ ſententiæ, ſeu illati gravaminis, hujuſque ſcientiæ: atque à principio eſt utile, & non currit ignoranti; ſed in progreſſu eſt continuum, & fit computatio ejus de momento in momentum. Ita Gloſſa *c. Concertationi verſ. Sciverit h. t. in 6.* & favet textus ibidem illis verbis. *Quiſquis ex his* (actionibus extrajudicialibus, v. g. Electionibus, Proviſionibus &c.) *gravatum ſe reputans, per appellationis beneficium gravamen illatum deſideravit revocari, infra decem dies (poſt quam ſciverit) ſi velit, appellet; poſt decendium verò eidem aditus non pateat appellandi.* Concordant dicta ſuperiùs *cit. Tit. præced.* §. 4. *num.* 110. & 111. ubi plures Authores pro hac ſententia allegantur.

158 Quinimò non ſufficit ſcire ſolummodò, actum factum; ſed etiam eſt neceſſe ſcire, ſeſe ex eo eſſe gravatum. Sic v. gr. non ſufficit, quod ſciam, te eſſe electum ad tale Beneficium; ſed requiritur etiam, me ſcire, quod priùs de Beneficio illo Papa mihi providerit, ſicque per electionem tuam ſim gravatus. Gloſſa *cit. cap. Concertationi verſ. Sciverit h. t. in 6.* iſtud deſumens ex jam allegato textu ibi: *Infra decem dies, poſtquam ſciverit, ſi velit appellet.* Accedit ratio; tum quia appellatio conceditur ad juſtam defenſionem; nemo autem poteſt defendere, niſi ſciat, ſe ab alio gravari. Tum quia hoc decendium jure conceſſum eſt ad deliberandum, num quis velit ſtare ſententiæ, aut gravamen illatum ſuſtinere, nec ne, & conſequenter eſt computandum à tempore ſcientiæ ejus, cùm ignorans non poſſit deliberare.

159 Igitur hoc tempus decendii incipit currere à tempore notitiæ, & poſtea currit de momento in momentum: adeò, ut ſi contra præſentem proferatur ſententia, prima dies non tota computetur in termino decendii, ſed ſolùm ab hora latæ ſententiæ; & horæ priores ſint ex alio die, puta, undecimo ſupplendæ. Gailus *lib. 1. Practic. Obſervat.* 139. *c.* 5. Pirhing *h. t. num.* 135. Qui idcircò monent, ut Notarius in inſtrumento appellationis non ſolùm diem, ſed etiam horam appellationis apponat, ad hoc, ut ritè cognoſcatur, an, & quando decendium ſit elapſum.

160 Quod autem in progreſſu hoc tempus decendii ſit continuum, patet ex *L. 1. C. de Feriis*, ubi propter Ferias cenſentur Fatalia non prorogari. Unde Summarium *in L. 1. §. Dies autem*, *ff. Quando appellandum ſit*, juncto textu *ibid.* notanter inquit: *Tempus appellationis interponendæ, eſt utile quoad initium; continuum quoad proceſſum.*

161 Reſp. IV. Quod ſi quis abſens per Procuratorem ſteterit in judicio, & contra ipſum, vel potius contra Procuratorem ejus lata fuerit ſententia, tunc Procurator ille tenetur appellare; vel, ſi juſta cauſa impeditus, puta ob metum gravem, appellare nequeat, debet Domino ſuo id denunciare, ut is, ſi voluerit, appellare valeat. Textus eſt *in c. Non injuſtè*, & Abbas *ibid. n.* 13. *de Procurator*, & *l. Invitus. C. eod.*

162 Si verò neutrum horum fiat, negligentia Procuratoris nocet Domino ſuo (quamvis hic regreſſum habeat contra Procuratorem) & ſententia tranſit in rem judicatam. Gailus *lib. 1. Practic. Obſerv* 139. *n.* 9. Engel *h. t. n.* 43. & alii. His adde dicta ſuperiùs *Tit. præced.* §. 4. *n.* 111. & quæ fuſius habentur ſuprà *Lib. 1. Tit. 38. de Procuratoribus* §. 5. *n.* 121. 122. & *ſeq.*

163 Quæritur III. Quid ſit ſentiendum de Fatalibus introducendæ coram Superiore appellationis? Reſp. I. Fatalia hujuſmodi, ſicut & Fatalia proſequendæ, ac finiendæ appellationis, ſunt duplicis generis; alia legis, & alia hominis. Ita textus *in c. cùm ſit Romana* 5. & Gloſſa *ibid.* ℣. *Receſſus h. t.* Scaccia *qu. 15. de Appellat. n.* 13. Gailus *lib. 1. Pract. Obſerv.* 140. *n.* 2. & alii. Atque patebit declarando terminos: ſiquidem

164 *Fatalia legis* dicuntur quando Lex ipſa, vel commune Statutum, ponit certum terminum introducendæ v. gr. appellationis: hoc eſt, ad eam poſt præſentatos apoſtolos effectualiter introducendam coram Judice *ad quem*, præſentando nimirum ipſi appellationem, eundemque deſuper informando, prout explicat Scaccia *loc. cit. n.* 13. *verſ. Quartum tempus*. Et talia Fatalia legis reſpectu interponendæ appellationis. conſiſtunt in decendio: & reſpectu petendorum apoſtolorum, ſunt triginta dies, ut paulo ſuperiùs dictum eſt: & quale ſit reſpectu introducendæ, ac finiendæ appellationis, dicetur *in quæſt. ſeq.*

165 *Fatalia hominis* econtrà ſunt, quæ vel Judex à quo, vel ipſemet appellans præfigit, ſtatuendo certum terminum introducendæ v. g. coram Superiore, aut etiam finiendæ appellationis. Sic *cap. Perſonas* 4 juncta Gloſſa *verſ. Præfixerit h. t.* dicitur, quod appellans poſſit ſibi ſtatuere terminum ad appellationem proſequendam. Similiter *cap. Ad hæc 20. h. t.* jubetur ſervari juramentum præſtitum de ſtando Eccleſiæ judicio, vel intra quadraginta dies poſt interpoſitam appellationem iter arripiendo ad eam proſequendam: talem enim terminum appellans, mediante proprio juramento, ſibi ipſi præfixit.

166 Clarior utrorumque Fatalium mentio habetur *cap. cùm ſit Romana 5. §. 1. h. t.* illis verbis: *Si ante ſententiam, vel poſtea fuerit appellatum, hujuſmodi appellantibus annus indulgetur, aut ex neceſſaria & evidenti cauſa, biennium* (En Fatalia legis!) *Niſi fortè judex, à quo appellatum fuerit, ſecundùm locorum diſtantiam, & perſonarum, & negotii qualitatem, receſſius tempus fuerit moderatus* (En Fatalia hominis!) *Infra quod ſi is qui appellaverit, cauſam appellationis non fuerit proſecutus, tenebit ſententia; ſi poſt ſententiam appellaverit, & à cauſa ſua cecidiſſe videtur, nec ampliùs ſuper eodem negotio auditur appellans* &c. Hæc ibi.

167 Reſp. II. Spectato rigore Juris Civilis, Fatalia legis præſentandi apoſtolos, atque introducendæ coram Judice *ad quem* appellationis, eſt tempus ſex menſium, à die interpoſitæ appellationis computandum. Ita Gailus *lib. 1. Practic. Obſervat.* 140. *numer.* 1. & 3. allegans ordinationem Cameræ. Pirhing *h. t. numer.* 145. Sannig *h. t. cap. 6. n.* 9. Idque deſumitur ex *L. 2. & 3. C. de Temporib. appellation.* juncta *Clem. Sicut h. t.* ubi dicitur, hujuſmodi tempus eſſe computandum à die interpoſitæ appellationis.



168 Fatendum tamen, quod Ludov. Engel *h. t. num.* 48. citans Hoſtienſem *in Summa*, *eod.* aſſerat, quod Fatale iſtud, ſive tempus præſentandæ, ſeu introducendæ appellationis coram Judice *ad quem*, de Jure communi, ſaltem Canonico (quidquid olim fuerit de Jure Civili) non ſit determinatum: ſed Judex *à quo* terminum præfigere debeat; ut *cap. Ad aures 33. h. t.* ibi: *Appellanti ad proſecutionem appellationis, terminus congruus præfigatur* &c. Concordat Scaccia *qu. 15. de Appellat. n.* 12 poſt Baldum *in L. fin. n. 1. C. de Temporib. appellation.* & alios dicens, quod tempus præſentandi apoſtolos Judici *ad quem* ſit arbitrarium, ſicut & tempus ad proſequendam appellationem, dummodo fiat intra annum.

169 Quæritur IV. Quæ ſint Fatalia proſequendæ, ac finiendæ appellationis? Reſp. I. Ad proſequendam, & finiendam appellationem, de jure conceditur integer annus; atque ex cauſa neceſſaria, & evidenti, biennium: niſi fortè Judex *à quo* ſecundùm locorum diſtantiam, & perſonarum negotiique qualitatem, brevius tempus præfixerit. Ita communis; & habetur expreſſum *c. cùm ſit Romana 5. h. t.* verbis ſuprà *n.* 166. jam relatis. Concordat *Auth. Ei qui appellat. C. de Temporib. appellat.* & *Clem. Sicut appellationem 3. h. t.*

170 Porrò hoc tempus eſt computandum à die interpoſitæ appellationis; prout deſumitur ex *cit. Clem. Sicut appellationem h. t.* ibi: *Intra annum à die interpoſitionis ipſius appellationis — proſequi, & finire tenetur appellans.* Et ſi quis tali tempore ſuam appellationem, ceſſante juſto impedimento, non fuerit proſecutus, neque finiverit, debet ejus appellatio cenſeri deſerta; prout ſubjungitur *cit. Clem. Sicut appellationem*, illis verbis: *Quod ſi juſto impedimento ceſſante non fecerit, debebit ejus appellatio deſerta cenſeri.* Ac proinde tenebit ſententia priùs lata; ut *Auth. Ei qui appellat. C. de Temporib. appellat.* quæ eſt canonizata *can. Ei qui appellat. 2. quæſt. 6.* juncto *c. cùm ſit Romana 5. h. t.*

171 Reſp. II. Quod ſi quis propter juſtum impedimentum non proſequatur, vel non finiat cauſam appellationis intra annum, aut biennium, non obſtat ipſi lapſus prædictorum Fatalium proſequendæ, & finiendæ appellationis. Ita textus *in c. Ex ratione 8.* juncta Gloſſa *ult. h. t.* & tradit Hoſtienſis *in Summa nu. 10. h. t.* Abbas *d. cap Ex ratione num. 4. & ſeqq.* Pirhing *eod. num.* 165. & alii, qui in ſpecie ſex talia juſta impedimenta, ſeu cauſas afferunt, ratione quarum appellans primo anno impeditus debeat habere ſecundum; imò etiam poſt biennium ſit admittendus ad ipſam proſequendam. Et ſunt ſequentia.

172 Primum impedimentum proſequendi appellationem intra annum, vel etiam biennium, tenet ſe ex parte Appellantis, videlicet propter ejus *impotentiam*: puta, quia propter infirmitatem, vel propter inopiam, aut hujuſmodi, non potuit tam citò abſolvere proſecutionem appellationis, v. g. Romam interpoſitæ, ſicque indigentis majoribus expenſis. Textus eſt *in d. cap. Ex ratione 8.* ubi Gloſſa *fin.* Innocentius, Abbas *num. 5. h. t.* & alii.

173 Secundum impedimentum provenire ſolet ex parte Appellati: puta, ſi is per ſe, aut per alios, vel interponendo fruſtratorias appellationes &c. impedit, ne Appellator intra annum, aut biennium, poſſit finire cauſam appellationis. Abbas *cit. c. Ex ratione n. 8.* ℣. *quandoque impedimentum provenit ex facto ſolius appellati.* Scaccia *q. 15. de appellat n.* 61. citans alios.

174 Tertium impedimentum intervenit ex facto mixto; hoc eſt, ex facto tam appellantis, quam appellati. Quia ſi *appellationis proſecutio per compromiſſum, vel alias de partium expreſſo conſenſu differatur, tempus ad proſequendum eandem ab homine, vel à jure præfixum, non currere appellanti*, textus eſt expreſſus *in Clem. quamdiu 4. h. t.*

175 Quartum impedimentum procedit ex facto Judicis; puta, nolentis appellantem audire, vel tam citò cauſam cognoſcere, atque expedire. Quintum oritur ex facto Tertii, v. g. Procuratoris, negligentis debito tempore proſequi appellationem. Sextum tandem impedimentum provenit ex caſu fortuito: puta, quia appellans ab hoſtibus captus, vel inundatione aquarum præpeditus, aut hujuſmodi, appellationem debito tempore proſequi, atque finire non potuit.

176 Porrò onus probandi ejuſmodi impedimentum proſequendæ appellationis, incumbit appellanti, *text. clar. L. ult. §. Illud: autem. C. de Temporib. appellat.* ibi: *Niſi ipſe appellator evidentiſſimis probationibus poſſit oſtendere, ſe quidem ſummâ ope niſum, veniſſe litem exercere, per judicem autem ſtetiſſe, vel aliam inexorabilem cauſam ſubſecutam, propter quam hoc facere minimè valuit.* Accedit, quod generaliter affirmanti incumbat probatio, *Leg. 2. ff. de Probation.* Nam facta, ſunt ſui natura incerta, *l. In omnibus ff. de juris & facti ignorant.* ſicque non præſumuntur, niſi probentur, *leg. In bello. §. Facta. ff. de Captivis & poſtlim. reverſ.* Barboſa *Axiomat. 93. num 27. & 28.* cum aliis.

177 Addit Gailus *lib. 1. pract. obſerv. 143. n. 1.* & Pirhing. *h. t. n.* 171. quod non ſufficiat probare duntaxat impedimentum; verùm inſuper appellans probare debeat, ſe non fuiſſe in mora, ſed diligentiam adhibuiſſe ad removendum impedimentum, & appellationem proſequendam; per textum allegatum ex *L. ult. C. de Temporib. appel.* Alioquin enim probatio non concluderet, & conſequenter nec relevaret, *arg. l. qui commeatus ff. de re militari.* Unde Scaccia *cit. q. 15. n.* 156. concludit, ac pluribus firmat, quod ſi appellans potuiſſet removere impedimentum, & non removit, non obtineat ſecundum annum, neque vitet deſertionem cauſæ.

178 Reſp. III. Stante, ac probato, ut ſuprà, legitimo impedimento proſequendi appellationem, ipſamque finiendi intra primum annum, conceditur appellanti ad hoc ipſum ſecundus annus; & quidem ipſo jure. Ita deſumitur ex *Auth Ei qui appellat.* juncta Gl. ℣. *Indulgeatur. C. de temporib. appell.* & *c. cum ſit Romana 5. h. t.* & *c. ex ratione* 8. ubi Gl. ℣. *Impotentiam*, & *c. oblatæ 57. eod.* atque tradit Barboſa *c. c. cum ſit Romana num. 3. h. t.* & Pirhing. *eod n.* 165. cum aliis.

179 Et hoc adeò procedit, ut licet non pauci velint, appellantem tunc debere intra annum proteſtari de ejuſmodi impedimento, juxta Doctores per Sigiſm. Scacciam *d. 15. n.* 181. relatos: nihilominùs talem proteſtationem non eſſe neceſſariam, tenet idem Scaccia *n.* 182. poſt Rotam apud Caputaq. *deciſ 73 p. 2.* Creſcent. *dec. 5. n. 2. de except.* & plures alios. Unde Barboſa *c. c. cum ſit Romana num.* 3. poſt Guido Papa *tract. de appellation quæſtion.* 101. *num.* 64. inquit, quod finito primo anno debeat appellans probare cauſam impedimenti; quæ juſta fuerit, declarabit Judex, ei competere ſecundum annum datum à Lege.

180 Cæterum, an juſtè impedito proſequi appellationem primo anno ſolum ex parte anni, concedatur totus annus ſecundus ipſo jure ad proſequendam appellationem, variant Doctores. Et quidem non pauci volunt, concedi duntaxat tantum tempus ſecundi anni, quanto duravit impedimentum prioris anni: ſic enim (ajunt) ſufficienter ſuppletur id ſpatium temporis, quod ei per juſtum illud impedimentum fuerat ſublatum, alii verò diſtinguunt & iſtam ſententiam de rigore juris quidem procedere cenſent; addunt tamen, quod ſi appellans toto primo anno fuit diligens in proſequenda appellatione, ac removendis impedimentis, concedatur ipſi de jure integer annus ſecundus, etſi impedimentum ejuſmodi duntaxat duraverit per partem anni. Scaccia *d. q. 15. de appell. n.* 108. citans alios. Atque hanc ſententiam ſecundum praxin, & uſum Fori, præſertim Eccleſiaſtici, magis obtinuiſſe, refert Pirhing *n.* 172. *h. t.*

181 At verò tempus ulterius, putà tertius annus, conceditur legitimè impeditis per reſtitutionem in integrum; ut inquit Abbas *in c. ex ratione 8. num 5. & 6. h. t.* poſt Bartolum *in Auth. Item ſi appellatione. C. de temporib. appellat.* & alios: qui tamen addunt, hujuſmodi reſtitutionem poſſe fieri per Judicem ſine bello, v. g. pronunciando quod quia appellans tali, vel tali facto fuit impeditus, ideo ipſum reſtituimus &c. Hinc Summarium *in d. c. ex ratione h. t.* ſic loquitur: *Lapſus biennii non præjudicat appellanti, quo minus ex cauſa legitima audiatur, ſaltem per beneficium reſtitutionis in integrum, ſecundum verum intellectum.*

182 Solum adde, quod ſi per Judicem ſteterit, quo minùs

debito tempore finiatur appellatio: tempus Fatalium appellationis ipſo jure non currat; juxta Hoſtienſem *in Summa cit. n. 10 h. t.* Idque patet ex *Auth. Sed & lis*, *& Auth. Si appellatione. C. de temporib. appel.* in quo poſteriori loco Baldus *in Summario* ſic ait: *Si ſtat per judicem appellationis, non currunt Fatalia.*

183 Unde Engel *h. t. n. 49.* obſervat, quod iſta Fatalia proſequendæ, ac finiendæ appellationis: hodie non attendantur in majoribus Tribunalibus; unde propter multitudinem cauſarum, appellationes plerumque in plures annos pendent. Et meritò: nam, ut *in Auth. de appellationibus § Ad hæc. Collat. 4.* quæ eſt canonizata *can. Anteriorum 2. q 6.* notanter dicitur: *Quod vitium eſt litigantium, ſi culmen Imperatorium occupetur? vel quis tantæ eſt authoritatis, ut nolentem Principem poſſit ad convocandos Patres cæteroſque proceres compellare?* Concordat *c. Ex inſinuatione. 50 hoc tit.*

184 Reſp. IV. Etſi poſt memoratum tempus non ampliùs ſuper eodem negotio audiatur appellans à ſententia diffinitiva, vel interlocutoria, ſed teneat prior ſententia, ut hactenus explicatum: ſecùs tamen eſt dicendum, ſi à gravamine extrajudiciali, & ante litis ingreſſum, quis appellaverit: nam hujuſmodi appellans adhuc poſteà audietur, ſaltem per remedium Juris communis, etſi non per remedium appellationis. Ita textus *in cit. cap cum ſit Romana 5. §. Infrà quod h. t.* & amplius declarat Gl. *ib. V. Si vero gravamine*, & Abbas *n. 18.* inter alia dicens; quod ſi fuit appellatum à gravamine extra judicium, audiatur appellans poſt terminum, licèt appellationem non fuerit proſecutus in termino: quia licet tunc deſerta ſit appellatio extra judicialis, nihilominus auditur appellans ſuper jure ſuo per viam querelæ, etſi non per viam appellationis; ut *c. Concertation. 8 h. t. in 6.* Ubi proinde Jo: Andreas *in Summario*, breviter ſic loquitur: *Qui appellat extra judicium, infra decem dies, ex quo ſcivit gravamen appellare debet; poſteà per remedium Juris communis audietur, ſed non per appellationis remedium.* Accedit ratio: quia facta extrajudicialia non tranſeunt in rem judicatam; hoc ipſo, quod necdum ſint in judicium deducta, neque ſententia ſuper eiſdem lata; ergo nihil obſtat, quo minùs impoſterum revocari valeant per contradictionem debitam (puta inſtituendo actionem, aut querelam, vel exceptionem contra illatum gravamen, aut alia juris remedia intentando) dummodò appellans medio tempore eiſdem non conſenſerit, juxta textum *c. cap. concertationi h. t. in 6.*

185 Quæritur V. An, & per quem, terminus fatalium à Jure conceſſorum poſſit reſtringi? Reſp I. Judex *à quo* poteſt certum tempus præſcribere ad appellationem proſequendam, etiam ex rationabili cauſa contractando terminum à Lege conceſſum: non tamen poteſt ſtatuere terminum ad eam finiendam. Ita habetur *c. ex inſinuatione*, 50. *h. t.* ubi Summarium, & Abbas *n. 1. & ſeqq.* Barboſa *n. 1 h. t.* Scaccia *de appell. q. 15. n. 218.* Pirhing *h. t. n. 151.* & alii. Ratio poſterioris partis eſt: quia Iudex *à quo*, utpote inferior, non poteſt legem ponere Superiori, ſive Iudici *ad quem*: videlicet præfigendo appellanti terminum finiendi coram eo appellationem, adeout alioquin cauſa appellationis ad ipſum revertatur. Hoc enim modo arctaretur etiam Iudex *ad quem*, & imponeretur ipſi per inferiorem neceſſitas terminandi cauſam intra prædictum tempus; quod repugnat ordini hierarchico.

186 Quòd ſi verò Iudex inferior id fecerit, ſeu appellanti præfixerit terminum finiendi appellationem, cenſetur præfixiſſe terminum ad ſe præſentandum Superiori, ſeu ad proſequendam appellationem, non vero ad eam finiendam. Summarium, & Abbas *c. c. ex inſinuatione*, *n. 1 & 2. h. t.*

187 Prior vero pars patet ex *c. cum ſit Romana*, ubi Gloſſa *V. Recluſus*; & Abbas *ib. n. 2.* & 12. & 17. & Barboſa *nu 1. h. t.* & alii communiter, docentes, quod Iudex *à quo* poſſit terminum ad proſequendam appellationem conceſſum (videlicet unum annum, vel ex legitima cauſa biennium) abbreviare ſecundum qualitatem ſeu exigentiam negotii, ac perſonarum locorumque diſtantiam, per textum *cit. cap. Cum ſit Romana*, *h. t.* Idem probatur ex eo; quia Iudex *à quo* poteſt appellanti præfigere terminum ad iter arripiendum: ut *c. ad hæc*, 20. *hoc t.* juncta Gloſſa *ib. V. infra quadraginta*. Item ad petendum Apoſtolos, *Clem. quamvis h. t.* ac hujuſmodi; licèt non poſſit præfigere terminum reſpectu appellationis finiendæ, *cit. cap. Ex inſinuatione. 20. h. t.* eſtque proxime dictum.

188 Reſp. II. Econtrà Iudex *ad quem* non poteſt abbreviare terminum à Iure conceſſum ad proſequendam appellationem; niſi forſan ex mora, ſeu longiori dilatione, periculum immineat animarum, vel damnum Reipublicæ. Ita Hoſtienſis in *Summa*, *h. t. n. 10. verſ. Sed & iudex ad quem*, Abbas *c. Oblatæ*, 57. *n. 6. h. t.* Pirhing *ad n. 153.* & alii. Ratio diſparitatis inter Iudicem *à quo*, & Iudicem *ad quem*, quantum ad propoſitum, eſt hæc: quia, ut notat Abbas *ib.* Iudici *à quo* fit præjudicium per appellationem; nam ſæpè appellatur fruſtratoriè, ad differendum negotium principale; ſicque meritò poteſt is, quando ita ob qualitatem cauſæ, atque perſonarum expedire judicaverit, appellationi proſequendæ terminum breviorem præfigere, ut fraudibus obvietur. Econtrà Iudici *ad quem* nullum fit præiudicium; ac proinde nec poteſt reſtringere terminum proſequendæ appellationis à Iure conceſſum, juxta *Reg. 17 Jur. in 6. Indultum à jure beneficium, non eſt alicui auferendum.* Intellige, niſi juſta cauſa, putà, commodum publicum, aut evitandum periculum animarum, aliud fieri depoſcat: prout dicta regula limitari ſolet, conformiter alteri parti datæ concluſionis.

189 Nec obſtat, quod Iudex *à quo* non poſſit minuere terminum decem dierum, conceſſum ad appellandum; ut inquit Gl. *d. c. cum ſit Romana verſ. recluſus h. t.* Reſp. enim, diſparitatem eſſe: quia iſtud nulla Lege reperitur Iudici conceſſum, præſertim cum ex tam modico termino haud facilè poſſit præjudicium aliquod generari. Secùs dicendum in Fatalibus proſequendæ appellationis, utpote ad integrum annum, aut ex neceſſaria & evidenti cauſa ad biennium ſe ſe extendentibus: nam quod tale tempus ſecundum cauſæ, & perſonarum qualitatem, Iudex *à quo* moderari poſſit, ſi ita expedire iudicaverit, expreſſè conceditur ipſi *c. c. cum ſit Romana 5. & c. Oblatæ*, *57. h. t.* cum concordantiis.

190 Atque ex his elicitur alia probatio præmiſſarum Concluſionum, & diſparitatis inter Iudicem *à quo*, & *ad quem*. Nam illi expreſſè conceſſum eſt à Iure, poſſe juxta exigentiam cauſarum, locorum, atque perſonarum moderari, ſeu reſtringere tempus proſequendæ appellationis: econtrà Iudici *ad quem* iſtud nullibi reperitur: conceſſum, niſi ubi imminet *periculum*, putà commune Reipublicæ, vel animarum: ſicque, argumento à ſenſu contrario deſumpto, cenſetur ipſi iſtud denegatum reſpectu cauſarum, in quibus tantum verſatur utilitas privata. Abbas *c. c. Oblatæ*, *57. n. 6. h. t.* & favet textus *ib. §. Superior*, in hæc verba loquens „ Superior quoque judex, ſi viderit ex dilatione periculum imminere, poteſt, & debet neutro proſequente appellationem, occurrere, ut periculum evitetur: putà, ſi à ſententia lata ſuper confirmatione alicujus electi fuerit provocatum, & utraque pars velit etiam ad annum proſecutionem appellationis differre, poteſt utique, imò debet ſuperior judex ad quem fuerat appellatum, terminum providè moderari, ne gregi dominico diu deſit cura paſtoris. *Hæc ibi.*

191 Porro, quod textus allegatus ſtatuit de conjugio ſpirituali, exiſtente inter Eccleſiam & Prælatum, intelligit Hoſtienſis *cit. nu. 10.* etiam de cauſa appellationis in controverſia conjugii carnalis, ob periculum animarum. Et quia exempla declarant, diſpoſitionem de ſimilibus eſſe intelligendam, *L. 1. §. quod vulgo, ff. de VI & vi armat.* Fagnanus *c. non minus*, *nu. 30. de immunit. Eccl.* conſequens eſt, idem eſſe dicendum in periculo damni Reipublicæ, imò & cauſa alimentorum neceſſariorum, ac ſimilibus, ubi pariter ex dilatione immineret periculum [illegible] eſurientis, aut Communitatis. Piring *cit. n. 153.*

192 Quin etiam in aliis cauſis, licet Iudex *ad quem* non poſſit imponere terminum inſtantiæ appellationis, huiuſque Fatalibus; tamen, ſi ei liquet de cauſa, poteſt partibus præſentibus quandocunque pronunciare, ſeu ferre ſententiam: ſicque imponere terminum cauſæ, ac finire Fatalia appellationum. Scaccia *cit. q. 15. n. 217.* poſt Baldum *in Auth. ei qui appellat. n. 12. C. de Temporib. appell.* & Francum *c. cum ſit Romana*, *n. 12. h. t.*

193 Reſp. III. Appellans poteſt ſibi reſtringere, ſeu abbreviare Fatalia appellationum. juxta *cap. perſonas*, *4. §. fin. h. t. & c. ad hæc*, *20. eod.* non tamen poteſt ſe ſolo eadem prorogare. Hoc enim redundaret in præjudicium tertii, ſeu appellati, contra *Reg. 22. Iur. in 6. Non debet aliquis alterius odio prægravari*, juncta *l. non debet, ff. eod.* cum ſimilibus.



194 Utrum autem mutuo partium conſenſu poſſint Fatalia appellationum prorogari, controvertunt Doctores; uti videre eſt apud Scacciam *q. 15. de appellat. nu. 188.* referentem plurimos Authores pro & contrà. Probabilior tamen, & communior ſententia eſt, poſſe talem prorogationem Fatalium communi partium conſenſu fieri, dummodo adhuc durent tempora Fatalium: aliàs ſecùs; nam quod non eſt, prorogari nequit. Scaccia *loc. cit num. 189. & 196 & ſeqq.* Pirhing *h. t. num. 167.* Maranta *p 6. Speculi Aurei tit. de appel. n. 227.* Gallus *lib. 1. pract. obſerv. 41. n. 6.* & alii. Idque probatur ex *l. ult. §. fin. C. de temporib. appel.* ubi partes permittuntur paciſci, ut nullum Fatale obſervetur. Concordat *Clem. quamdiu*, *h. t.* ubi dicitur, quod de expreſſo partium conſenſu differatur, neque appellanti currat tempus à jure, vel homine præfixum ad proſequendam appellationem; niſi Iudex, ob imminens ex dilatione periculum, iubeat in illa procedi: ergo, ſi præceptum Iudicis non obſtet, hoc ipſo poſſunt prorogare Fatalia appellationum. Concordat *c. de cauſis 4. de offic. deleg.* ubi ſimile quid ſtatuitur de prorogatione juriſdictionis Delegati.

195 Quæritur VI. Quis ſit Iudex in cauſa deſertæ appellationis ob lapſum Fatalium? Reſp I. Quando appellans nunquam petivit Apoſtolos, aut debito tempore cauſam appellationis non introduxit, vel ſaltem eam non eſt proſecutus coram Iudice *ad quem*; tunc appellatus, ſeu victor in cauſa poteſt adire Iudicem *à quo*, qui ſententiam tulit, ab eoque petere, ut mandet illam executioni, citato tamen appellatore ad contradicendum, ſi habeat, cur non debeat executioni mandari: & tunc Appellator ille tenetur comparere, atque docere, vel à ſe factam fuiſſe legitimam proſecutionem appellationis, vel juſtum interveniſſe impedimentum, ratione cujus non potuerit eam proſequi, quod ſi vero appellator non comparuerit, vel ſaltem alterum dictorum non docuerit, poteſt Iudex ille ad executionem ſuæ ſententiæ venire, nec tunc opus eſt alia pronunciatione ſuper deſertione appellationis. Ita Felinus *c. ex p. 12. n. 9. de reſcriptis*, citans Angelum *in l. Si contra majorem, C. de appell.* Alexander *conſ. 95. n. 3. vol. 2.* Sigiſ. Scaccia *q. 11. de appel. 149. & 167.* allegans inſuper Card. Alexandrum *c. Ex ratione*, *n. 44.* & Francum *ib. nu. 95. de appell.* aſſerentes per hoc evitari magnum circuitum.

196 Concluſio hæc probatur per textum ſingularem *in d. l. Si contra majorem. C. de appel.* quem infinitis vicibus ſe practicaſſe, dicit Angelus *ubi ſuprà*; & ſic ſonat „ Si contra majorem vigintiquinque annis ſententia prolata, provocationis ſecutæ tempore præfinito cauſas non eſſe repræſentatas, nec appellatione pendente, tranſactione finitum negotium Rector Provinciæ animadvertit, res judicatas exequi curabit. *Hæc ibi: juncta Gloſſa*, per res judicatas intellige primam ſententiam. Concordat *cap. Ad hæc*, *27. hoc tit. & Clem. 2. & 3. & 6. eod.* ubi appellatio cenſetur deſerta, & prior ſententia in rem tranſire judicatam, ſi appellationem appellans ritè non fuerit ſecutus: ſicque non eſt opus alia pronunciatione ſuper deſertione appellationis, hoc ipſo, quod appellans ejus perſecutionem non probet, & Fatalia ſint elapſa.

197 Reſp. II. Quod ſi vero appellatore veniente, & aliquid allegante, dubium remaneat, an cauſa appellationis ab eo fuerit deſerta, nec ne; tunc eſt diſtinguendum inter duos caſus. Quia vel appellans nunquam comparuit coram Superiore; & tunc indubitanter diſcuſſio, atque pronunciatio ſuper cauſa deſertæ, vel non deſertæ appellationis, ſpectat ad Iudicem *à quo*: ſiquidem Iudex *ad quem* non habet cognitionem aliquam, niſi per viam appellationis negotium ad ipſum deferatur: hoc autem in caſu poſito (putà, ſi non fuiſſent petiti Apoſtoli, vel ſaltem cauſa ipſa nunquam fuiſſet delata ad Superiorem) non contingeret; ergo. Felinus *c. c. ex p. 12. n. 9. de reſcriptis*. Scaccia, *ubi ſupr. n. 149. & 150 & n. 166.* poſt Francum *c. Romana §. fin. n. 3. de appel. in 6.* Veſtrius *in praxi lib. 8. c. ult. n. 9.* & alios.

198 Vel appellans iam comparuit aliquando coram Superiore, ſeu Iudice *ad quem*, & coram ipſo introducta fuit cauſa appellationis: & tunc in dubio, an appellatio fuerit deſerta, nec ne (putà, an appellans legitime fuerit impeditus à proſecutione appellationis) debet Iudex *ad quem* cognoſcere, atque pronunciare ſuper deſertione quia is jam ſemel fuit aditus: ubi autem ſemel cœptum eſt judicium, ibi debet finiri, *l. Ubi acceptum*, *ff. de Iudiciis.* Felinus *cit. n. 9.* Scaccia *d. q. 11. n. 131. & ſeq* poſt Francum *c. ex ratione*, *n. 67. & 99. h. t.* & alios.

## §. VII.

## De effectibus Appellationum: ac præſertim de harum effectu ſuſpenſivo, & revocatione ſententiæ.

### S U M M A R I U M.

199 *Effectus appellationis legitimè interpoſitæ principaliter eſt duplex, ſuſpenſivus, ac devolutivus.*

200 *Effectus ejus ſuſpenſivus, in quo conſiſtat?*

201 *Operatur tria; & quæ?*

202 *Suſpendit pronunciatum, &c. non vero extinguit.*

203 *Effectus devolutivus appellationis, quis?*

204 *Poſſunt diſtingui plures alii effectus appellationis, minus tamen principales.*

205 *Putà, quod poſſit impetrari Judex appellationis per reſcriptum.*

206 *Quod pendente appellatione nihil ſit innovandum.*

207 *Imò nec intra decendium ad appellandum conceſſum poſſit aliquid innovari, etiam ante factam appellationem.*

208 *Quod ſi ſuſpendat judicatum.*

*Atque reponat appellantem in priſtino ſtatu; & quomodo? Ib.*

209 *Et quod Judex* ad quem *debeat revocare, aut confirmare ſententiam Judicis* à quo.

210 *Quando appellatio à ſententia diffinitiva habeat, vel non habeat effectum ſuſpenſivum? Et n. ſeqq.*

*Appellatio à diffinitiva regulariter habet effectum ſuſpenſivum. Ib.*

211 *Fallit iſtud in caſibus exceptis, ſeu in quibus Jura prohibent appellari.*

212 *Ac in appellatione à cenſuris Eccleſiaſticis abſolutè prolatis. Et n. ſeq.*

*Excommunicatus, etiamſi appellet ab excommunicatione abſolutè prolata, eadem ligatur. Ib.*

*Excommunicatio executionem ſecum trahit. Ib.*

213 *Idem dicendum de aliis cenſuris Eccleſiaſticis abſolutè prolatis.*

214 *Secùs, ſi appelletur à Cenſura ſolùm comminata, vel lata ſub conditione, ſi ante hujus eventum appelletur.*

215 *Appellans in una cauſa, ſi committat grave crimen, poteſt de eo puniri per Judicem ordinarium* à quo.

216 *Sicut & appellans in una cauſa, v. g. civili, poteſt conveniri coram ordinario Judice* à quo *alia cauſa.*

217 *Niſi hunc recuſaverit ut ſuſpectum etiam in alia cauſa.*

218 & 219 *Et quando talis recuſatio fieri poſſit? Et num. præced.*

220 *Appellatio non habet effectum ſuſpenſivum in iis, quæ tendunt dumtaxat ad faciliorem cauſæ exitum.*

221 *Sicut & nonnullis aliis caſibus.*

222 *Appellatio à ſententia interlocutoria, vel gravamine, habet effectum ſuſpenſivum reſpectu illius articuli &c. à quo appellatur.*

223 *An ſi appelletur ſuper incidenti ſolùm, poſſit Judex* à quo *procedere in caſu principali. Et n. ſeqq.*

224 *Quando ſine incidenti illo poteſt cauſa principalis expediri, nequit Judex* à quo *in ea procedere.*

225 *Aliàs id fieri poſſe, cenſent nonnulli: & horum fundamenta.*

226 *Oppoſita ſententia eſt retinenda.*

227 *Solvuntur rationes prioris ſententiæ.*

228 *Iudex* à quo *nequit revocare ſententiam diffinitivam validè prolatam.*

229 *Poteſt tamen revocare ſententiam interlocutoriam, vel gra-*

*gravamen, ac deinde in cauſa principali liberè procedere:*

199 QUæritur I. Qui ſint effectus appellationis? Reſp. I. Effectus appellationis legitimè interpoſitæ, principaliter eſt duplex, nimirum ſuſpenſivus, ac devolutivus: quamvis non ſemper appellatio operetur ambos iſtos effectus. Ita Abbas *ad rubr. h. t. num.* 4. & alii paſſim. Et quidem altera pars, ſeu quod appellatio non ſemper operetur ambos hoſce effectus, patebit ex dicendis *n.* 210. *&* 211. *ac ſeqq.* ubi plures referuntur hujuſmodi caſus. Prior autem pars oſtenditur declarando terminos: nam

200 *Effectus ſuſpenſivus appellationis* conſiſtit in hoc, quod per ipſam ſuſpendatur ſententia Judicis *à quo*, ejuſque juriſdictio, quantum ad illam cauſam, in qua fuit appellatum: adeò, ut ad executionem ſententiæ ſuæ procedere non poſſit. Nam *appellatione interpoſita medio tempore nihil novari oportet*, ut dicitur *L. un. ff. nihil novari appellatione interpoſita*. Unde

201 Effectus ſuſpenſivus tria operatur. Primò enim ſuſpendit pronuntiatum, ſive ſententiam Judicis *à quo*. Secundò ſuſpendit ejus executionem quantum ad illam cauſam; adeò, ut pendente appellatione Iudex ille non poſſit circa eam procedere abſque vitio attentati. Tertio ſuſpendit etiam præſumptionem alioquin ſtantem pro ſententia judicis, *c. cum ad Sedem*, 15. *§. fin. de reſt. ſpoliat.* cum ſimilibus.

202 Dicitur notanter, *ſuſpendit pronunciatum &c.* non verò, *extinguit*. Nam appellatore non proſequente appellationem, rata manet prior ſententia, & aſſumit vires ſuas, *c. cum ſit Romana*, 5. *& c. perſonas*, 4. *h. t.* cum concordantiis. Hoc autem fieri non poſſet, ſi ſententia Judicis *à quo* per appellationem interpoſitam ſimpliciter extingueretur, & non tantum ſuſpenderetur; prout argumentatur Abbas *cit. n.* 4. Unde dum *l. 1. § fin. ff. Ad S. C. Turpillian.* dicitur: *Provocationis remedio condemnationis extinguitur pronunciatum*: ly *Extinguitur*, exponendum eſt pro ly, *Suſpenditur*; ut explicat Gloſſa *fin. ib.*

203 *Effectus devolutionis appellationis* conſiſtit in hoc, quod tota cauſa devolvatur ad Judicem ſuperiorem, ſeu Judicem *ad quem*: ita, ut is non ſolùm de juſtitia appellationis cognoſcere valeat; ſed etiam, hac probata, cauſam principalem examinare, eamque ſententialiter definire poſſit ac debeat. Textus eſt *in l. Eas qui §. 1. C. de appell. & c. Dilectis filiis*, 55 *h. t.* ubi Summarium ſic loquitur: *Per appellationem legitimè interpoſitam, principale cum acceſſoriis ad Judicem appellationis defertur*. Verùm de hoc plura inferiùs *n.* 230. *& ſeqq.*

204 Reſp. II. Etſi duo ſint effectus principales appellationis, nempe ſuſpenſivus, & devolutivus, ut dictum: nihilominùs præter hos poſſunt diſtingui plures alii effectus appellationis, minùs tamen principales, vel ad unum prædictorum commodè reducibiles. Ita Sigiſm. Scaccia *tr. de appell. q. 2. n. 3. & ſeqq.* enumerans univerſim ſeptem effectus illius; & *n.* 85. notans, quod Card. Alexand. *in rubr. de appel. à n. 69. uſque ad n.* 82 conetur cumulare duodecim effectus appellationis. Et quidem, præter duos jam enumeratos

205 Tertius appellationis effectus eſt, quod ea legitimè interpoſita poſſit impetrari Iudex appellationis, ſeu deſuper expediri commiſſio; putà, per Reſcriptum Apoſtolicum, ut *cap. 2. & ſeqq. & c. Significaverunt, de except.* cum ſimilibus. Alioquin enim, ſi cauſa appellationis committatur, ſeu delegetur non interpoſita prius appellatione, commiſſio eſt invalida, utpote data ſuper eo, quod non eſt. Scaccia *cit. num.* 3. aſſerens, hunc effectum eſſe notum in Curia, ex vulgata Bellameræ *dec. 28. &* 100. ubi ait: *Commiſſio facta ſuper appellatione nondum interpoſita, eſt nulla ipſo jure*. Verum effectus iſte commodè reducitur ad devolutivum, de quo proximè dictum.

206 Quartus appellationis effectus, ſed ad effectum ejus ſuſpenſivum reducibilis, eſt; quod pendente appellatione nihil ſit innovandum: ut *L. un. ff. nihil novari appellatione interpoſita*. Ubi Ulpianus ſic loquitur: *Appellatione interpoſita, ſive recepta ſit, ſive non, medio tempore nihil novari oportet*, cum ſimilibus.

207 Concordat textus notabilis *in c. non ſolum*, 7. *h. t. in* 6. Ubi non ſolùm innovata poſt appellationem à diffinitiva, jubentur (exceptis certis caſibus) ſtatim revocari per Iudicem appellationis; ſed etiam illa, quæ medio tempore decem dierum intra ſententiam & appellationem geſta fuerunt, illis verbis „ Non ſolum innovata poſt appellationem à diffinitiva ſententia interjectam, debent ſemper (exceptis caſibus, in quibus Iura poſt ſententiam prohibent appellare) ante omnia per appellationis judicem penitùs revocari: ſed etiam ea omnia, quæ medio tempore inter ſententiam & appellationem (quæ poſtmodum infra decendium interponitur ab eodem) contingit innovari, ac ſi poſt appellationem eadem innovata fuiſſent. Ubi Gl. V. *Innovata fuiſſent*, hujus poſterioris partis rationem aſſignat, dicens: Quia ſicut poſt appellationem à diffinitiva nihil attentari debet; ſic nec pendente jure, quod condemnato competit ad appellandum, ſcilicet uſque ad decem dies. Sicut enim indultum à jure beneficium non eſt alicui auferendum, juxta *reg. 17. juris in* 6. ita nec ſpes ad illud, putà, facultas appellandi intra decendium; *arg. l. Si uſufructus mihi legatus ff. uſufructuarius quemadmodum caveat*. Concordant dicta ſuperius *tit. præc. §. 6. n.* 160.

Quintus appellationis effectus eſt, ut ſuſpendat judicatum, non tamen extinguat, conformiter dictis paulo ſuperiùs *n.* 201. *&* 202. Sextus ejus effectus eſt, ut reponat appellantem in priſtinum ſtatum: intellige in eum, quo prius fuerat poſt litem conteſtatam, non verò in illum, in quo fuerat ante litis conteſtationem. Scaccia *q. 11. de appel. n.* 46. eſtque jam dictum ſuprà *tit. 25. de exceptionibus n. 28. & num.* 74. 208

Septimus appellationis effectus eſt, ut ſi appellatio ſit legitima, taliſque appareat in fine, teneatur Iudex *ad quem* revocare ſententiam Iudicis *à quo*: ſin minùs debeat hanc confirmare, ſimulque calumnioſè, vel temerè appellantem condemnare alteri parti in expenſis. Scaccia *de appell. q. 3. n. 85. & q. 2. n.* 52. & alii: atque concordant dicenda inferius *n* 231. Verum hi etiam appellationis effectus commodè reducuntur vel ad ſuſpenſivum, vel ad devolutivum ejus effectum; uti facilè patebit conſideranti. 209

Quæritur II. Quando appellatio à ſententia diffinitiva habeat, vel non habeat effectum ſuſpenſivum? Reſ. I. Etſi regulariter per appellationem à diffinitiva ſuſpendatur juriſdictio Iudicis *à quo*, ut dicitur *c. Si à Judice*, 10. *h. t. in* 6. ibi: *Cum per appellationem ſit ſuſpenſa ipſius juriſdictio*, cum ſimilibus. Simulque appellatione pendente nihil ſit innovandum; *cit. Leg. un. ff. nihil novari appellatione interpoſita*, & alibi. Hæc tamen ipſa Regula fallit in pluribus caſibus, juxta illud vulgatum: *Nulla regula ſine exceptione*. 210

Et primò quidem fallit ipſa in caſibus exceptis, ſeu in quibus jura poſt ſententiam prohibent appellari. Textus eſt *in c. non ſolùm*, 7. *h. t. in* 6. ubi dicitur: *Innovata poſt appellationem à diffinitiva ſententia interjectam, debent ſemper (exceptis caſibus, in quibus Jura poſt ſententiam prohibent appellare) ante omnia per appellationis Judicem penitùs revocari*. Ubi limitatio illa, *exceptis caſibus &c.* Apertè tradit præſentem fallentiam. Nec immeritò: nam appellatio, quæ contra Iuris prohibitionem interponitur, habetur pro infecta; *can. Imperiali 25 q. 2.* juncta *reg. 64. jur. in* 6. cum concordantiis: quod autem nullum eſt, atque infectum, nullum producit effectum; ut *c. Illud*, 8. *de jur. patronat. & L. 4. §. Condemnatum, ff. de re judic.* cum ſimilibus. Qui verò ſint illi caſus excepti, ſeu in quibus jure prohibente non licet appellare, dicetur §. 10. & 11. per totum. 211

Fallit ſecundò data regula in Cenſuris Eccleſiaſticis abſolutè Inflictis. Nam ſi ab iſtis jam latis appelletur, appellatio non ſortitur effectum ſuſpenſivum; ſeu non impedit, neque ſuſpendit valorem cenſuræ. Patet hoc ex *c. paſtoralis* 53. *h. t.* ubi dicitur, quod excommunicatus, etiamſi appellet ab excommunicatione in ipſum abſolutè prolata, nihilominus eadem ligetur: adeo ut, non obſtante appellatione poſſit denunciari, ut ab aliis evitetur, nec non & proventibus Eccleſiaſticis ſpoliari. Siquidem *excommunicatio executionem ſecum trahit* (prout loquitur textus *ib.*) id eſt, prolata ſententia excommunicationis ſtatim aliquis eſt excommunicatus, nec eſt opus alia executione; qualis tamen executio requiritur, quando quis condemnatur ad ſolvendum, vel tradendum alteri rem ſuam. 212

Et



213 Et quia etiam aliæ cenſuræ Eccleſiaſticæ abſolutè prolatæ executionem ſecum trahunt, idem juris eſt in illis; prout habetur expreſſum *in c. Is cui*, 20 *de Sent. excom. in* 6. ibi: *Sanè ſicut excommunicatio, ſi ab officio, vel ab ingreſſu Eccleſiæ lata ſuſpenſio, aut ipſius effectus, per appellationem ſequentem minimè ſuſpenduntur*. Idipſum tradit Abbas *c. Sæpè contingit*, 44. *n. 15. h. t.* Scaccia *de appel q. 17. limit. 22. n.* 3. Pirhing. *h. t. n.* 237. & communis aliorum. Ratio ulterior eſt: quia cenſuræ Eccleſiaſticæ ſunt medicinales, & veniunt principaliter ad corrigendum, *c. Cum medicinalis*, 1. *de ſent. excomm. in* 6. unde, ne prætextu frivolæ appellationis quandoque impediatur correctio, fuit in eis inducta iſthæc ſpecialitas, quod per appellationem ſubſequentem non ſuſpendatur.

214 Dicitur notanter n. 212. *fallit in cenſuris Eccleſiaſticis abſolutè inflictis*. Nam ſecùs eſt dicendum, ſi cenſura nondum fuerit lata, ſed ſolum comminata, atque impoſterum ferenda, aut ſi fuiſſet lata duntaxat ſub conditione, v. g. niſi inter certos dies ſatisfecerit, ſciat Sempronius ſe eſſe excommunicatum, ſuſpenſum, aut interdictum: ſiquidem appellatione ante eventum conditionis interpoſita (& multò magis, ſi cenſura nullo modo lata eſt, ſed ſolùm facta ejus comminatio) ſuſpenditur hujuſmodi cenſura, ejuſque effectus impeditur, per textum expreſſum *in c. Præterea* 40. ubi Abbas *num. 1. & 3.* Barboſa *n. 1. & 4. h. t.* & communis. Ratio diſparitatis inter hunc, & priorem caſum, eſt; quia ibi excommunicatio, ſeu alia cenſura, utpote lata abſolutè, jam arctat excommunicatum ante interpoſitam appellationem: ſecùs in altero caſu, ubi lata fuit conditione, atque ante huius eventum extitit appellatum. Quod ſi verò poſt eventum conditionis primum appellaretur; tunc reverà conditione impleta jam ligaret cenſura; ut *c. A nobis*, 21. *de ſent. excom.* Ac proinde non amplius ſuſpenderetur per ſubſequentem appellationem, *c. c. paſtoralis*, 53. *h. t.* & notat Gl. *fin. d. c. præterea*, 40. *h. t.*

215 Fallit tertiò data regula in caſu, quo quis appellat à Iudice ordinario in una cauſa, & poſteà committit grave crimen, aut de crimine ante hac commiſſo coram eo accuſatur: nam huiuſmodi appellans poteſt de illo crimine puniri per Iudicem illum ordinarium, à quo in alia cauſa appellavit, non obſtante priori appellatione. Textus eſt *in c. præterea*, 22. *h. t.* juncto Summario, & DD. *ib.* Et meritò: tum quia appellatio eſt quidem ſpecies juſtæ defenſionis, non tamen debet delinquentem tueri in ſua iniquitate; cum remedium iſtud ſit conceſſum, ut relevet ab iniquo gravamine, non ut iuſtitiam pervertat. Tum quia appellatio non extenditur ad ea; quæ fiunt poſt appellationem: neque per eam ſuſpenditur iuriſdictio Iudicis *à quo*, niſi in ea ſolum cauſa, ſuper qua appellatum extitit.

216 Atque iſtud procedit non ſolum in cauſis criminalibus, ſed etiam in aliis; adeo: ut ſi appellans in una cauſa, putà civili, conveniatur coram Iudice ordinario *à quo* ſuper alia re, ſeu cauſa, de qua appellatum non eſt, debeat ſtare eius iudicio, niſi voluerit eum recuſare ut ſuſpectum; per textum *in c. c. ad hæc*, 6. *h. t. & c. propoſuit*, 24. ubi dicitur, quod appellans *non minùs teneatur in aliis, ſuper quibus appellatum non eſt, reſpondere*. Accedit ratio: quia appellatio non eximit appellantem à iuriſdictione Judicis ordinarii, niſi in eo tantum caſu, ſuper quo appellatum fuit, *c. Romana. § cum verò is*, *h. t. in* 6. Quod intellige, dummodo appellans Iudicem, a quo appellavit in una cauſa, non recuſaverit ut ſuſpectum etiam in alia cauſa.

217 Et notanter hoc ultimum additur: quia appellans in una cauſa poteſt Iudicem *à quo*, ſi voluerit, recuſare ut ſuſpectum etiam in alia cauſa; iuxta textum *cit. cap. ad hæc h. t.* ibi: *Eum poteſt, ſi voluerit, tanquam ſuſpectum vitare* in aliis cauſis. Adeo, ut Barboſa *ib. n.* 2. cum aliis, inde inferat, ex ſola appellationis interpoſitione in una cauſa (gravamine etiam non probato) poſſe Iudicem *à quo* recuſari ut ſuſpectum in alia cauſa. Rationem dat: quia aliqualis iniuria videtur inferri Iudici, à quo appellatur, ſicque iſte non nihil offendi: & quia multi alii Iudices ſolent provocari ab aliquam indignationem contra appellantem, dubitari poteſt, ne Iudex ille, utpote aliqualiter offenſus, velit in alia cauſa ſe ulciſci contra appellantem; & conſequenter debet poſſe recuſari ut ſuſpectus. Idipſum confirmatur ex textu *c. c. ad hæc, h. t.* ponderando ly, *ſi voluerit*: conſequenter videtur eſſe in libertate appellantis à Iudice in una cauſa, ipſum in alia cauſa recuſare ut ſuſpectum, ſi voluerit.

Fatendum tamen eſt, quod Io: Andreas *in d. c. ad hæc, num. 1. h. t.* & Abbas *ib. n.* 3. Piring. *eod. n.* 221. & Scaccia *qu. 17. de appellat. limit. 47. memb. 3. nu.* 4. allegans communem aliorum, prædictam ſententiam non admittant indiſtinctè. Unde volunt, quod memorata ſententia, & textus *cit. c. ad hæc*, 6. *h. t.* tunc demum procedat, quando ſuppetit alia cauſa recuſandi Iudicem *à quo* ut ſuſpectum (putà, quia iſte aliquod aliud gravamen intulit appellanti, vel huic minitatus fuit) ratione cuius proinde appellans velit ipſum recuſare, atque recuſet ut ſuſpectum; non autem præcisè ex eo, quod quis in aliqua alia cauſa ab ipſo appellaverit, etiam nullo cæteroquin probato gravamine. Rationem dant: tum quia Iudex diſcretus non provocatur: ſeu non irritatur ex appellatione, ut inquit Abbas *c. Ut debitus*, 59. *nu.* 32. *h. t.* ſicque ex hoc ſolo non præſumitur velle ſe vindicare. Tum quia ſententia Iudicis, bono animo iudicantis, non debet obeſſe ipſi, *can. Hoc etiam placuit*, 2. *q.* 6. Obeſſet autem, ſi ipſe poſſet liberè recuſari ut ſuſpectus in alia cauſa, quia per hoc minueretur iuriſdictio ipſius. Tum tandem, quia alioquin poſſet appellans recuſare Iudicem *à quo* in alia cauſa ut ſuſpectum, etiamſi temere, & fruſtratoriè appellaſſet: hoc autem videtur abſurdum, & contra textum apertum *in L. un. ff. apud eum, à quo appellatur, aliam cauſam agere &c.* illis verbis: *Nec utetur* (appellans) *hoc prætextu, quaſi apud offenſum Iudicem non debeat experiri: cum poſſit denuo provocare*. 218

Illud eſt in confeſſo, quod Iudex ordinarius, a quo in alia cauſa appellatum fuit, non poſſit recuſari in crimine manifeſto. Patet enim iſtud ex *c. propoſuit* 24. *h. t.* ubi Pontifex deſuper conſultus, reſpondit in hæc verba: *Licèt pro illa appellatione non minùs teneatur in aliis, ſuper quibus appellatum non eſt, reſpondere: Iudex tamen, à quo appellatur (quia illi omnino ſuſpectus eſt) eum non debet ad reſpondendum ſuper aliis compellere: niſi pro crimine adeò gravi, & manifeſto, quod ipſo actu meritò ſit damnandus*. Ratio hujus eſt; quia in notoriis non eſt locus recuſationi, ſicut nec appellationi: nam appellatio, & recuſatio æquiparantur, *c. Super eo* 12. *h. t.* 219

Fallit quartò regula memorata, atque appellatio non habet effectum ſuſpenſivum in iis, quæ tendunt ad favorem, ſeu faciliorem cauſæ appellationis exitum; dummodo Iudex *à quo* abſtineat à cognitione ipſius cauſæ appellationis. Ita Abbas *c. cum teneamur*, 17. *n.* 1. & Barboſa *ib. n. 3. h. t.* Maranta *p. 6. Speculi Aurei*, *tit. de appel. n.* 194. Scaccia, *ubi ſuprà q. 3 n.* 20. Saunig. *h. t. c. 8. n.* 2. & alii. Idque clarè deſumitur ex *c. c. cum teneamur*, 17. *h. t.* ubi habetur, quod Iudex *à quo* appellationis poſſit reformare poſſeſſionem, à qua appellans pendente appellatione fuerat turbatus, ſive dejectus. Concordat textus *in c. Ex litteris* juncta Gloſſa V. *Diſtrictius interdixit*, *de Matrimon. contracto contra interdict.* ubi dicitur, quod licèt Iudex deferat appellationi, nihilominùs interdicere poſſit, ne appellans faciat id, propter quod appellavit; v. g ne appellans à valore matrimonii nubat alteri, donec cauſa ipſius matrimonii debitum finem ſortiatur. 220

Præter hos caſus, in quibus appellatio non ſortitur effectum ſuſpenſivum, plures alii adducuntur à Barboſa *in c. ut debitus*, 59. *n.* 15. *de appellation.* allegante alios Doctores. Sic quippe fit, ac proinde non obſtante appellatione proceditur ad executionem ſententiæ, in cauſa dotis, in cauſa mercedis, in alimentis futuris (ſecùs in alimentis jam decurſis ante litem motam) item in cauſis piis, atque in illis cauſis, quæ celeritatem requirunt, prout ulterius deducit citatus Barboſa, probatque in ipſis non dari appellationem in ordine ad effectum ſuſpenſivum. Et hæc procedunt de appellatione à ſententia diffinitiva: nunc ulteriùs 221

Quæritur III. An pariter appellatio à ſententia interlocutoria, vel gravamine, habeat effectum ſuſpenſivum? Reſp. I. Etiam appellatio à ſententia interlocutoria, vel gravamine ſortitur effectum ſuſpenſivum, ſaltem reſpectu illius articuli, ſive gravaminis, ſuper quo appellatum fuit: dummodo iſtud per Iudicem, *à quo* poſteà non revocetur. Ita patet ex *c. Si à Iudice*, *h. t. in* 6. Generaliter 222

enim

enim *appellatione interpoſita medio tempore nihil novari debet*: ut dicitur *l. un. ff. Nihil novari appellat. interpoſit.*

223 Additur notanter, *dummodò iſtud* (videlicet gravamen per ſententiam interlocutoriam illatum) *per ſe l. cum à quo poſteà non revocetur*: nam quod Judex *à quo* poſſit illud revocare, & tunc in cauſa procedere, non obſtante facta appellatione, patet ex *c. cum ceſſante*, 60 *h. t.* & amplius dicetur infrà *n.* 229. Additur ulteriùs, *ſaltem reſpectu illius articuli &c.* Nam controverſia non modica eſt, an ſi appelletur ſuper incidenti ſolum, poſſit Judex *à quo* procedere in cauſa principali.

224 Et quidem ſatis convenit inter Doctores, quod quando appellatur ſuper aliquo articulo, ſive quæſtione incidenti, vel gravamine tali, ſine quo cauſa principalis expediri nequit: tunc Judex *à quo* ſuperſedere debeat non tantum à cognitione illius quæſtionis incidentis, ſuper qua appellatum fuit, ſed etiam à cognitione ipſius cauſæ principalis. Ita ſiquidem habetur expreſſum *c. ſuper eo* 10. *h. t.* illis verbis: *Si de aliqua exceptione quæſtio oriatur, & exinde appellationem fieri contingat, eidem exceptioni erit merito ſuperſedendum; & ſi principalis cauſa ſine illa terminari non poterit, ei nihilominus ſuperſedeatur.* Concordat in ſimili *c. Lator.* 5 *& c. Cauſam quæ inter* 7. *Qui filii ſint leg.* Ubi ſi incidat quæſtio ſpiritualis, v. g. ſuper valore matrimonii, ac legitimitate prolis, hac ad judicium Eccleſiæ remiſſa, interim quieſcit cauſa petitionis hæreditatis coram Judice ſæculari intentata: quia nimirum hæc ſine illa decidi non poteſt. Concordant dicta ſuperius *tit.* 10. *de ord. cognitionum*, *n.* 13. & 30. *ac ſeq.*

225 Num verò pariter appellatio ab interlocutoria, vel articulo quodam incidente, ſine quo tamen cauſa principalis terminari poteſt, ſuſpendat juriſdictionem Judicis *à quo* in totum variant Doctores. Negant Zoeſius *h. t. n.* 27. & Pirhing. *n.* 178. id probantes ex *c. c. ſuper eo*, *h. t.* ubi dicitur: *Et ſi principalis cauſa ſine illa terminari non poterit, ei nihilominus ſuperſedeatur*: ergo, argumento à ſenſu contrario deſumpto (inquiunt) ſi ſine illa cauſa incidente v. g. exceptione aliqua, à qua appellatum extitit, poteſt terminari: ſeu decidi cauſa principalis, non eſt neceſſe, ut per Judicem *à quo* huic ſuperſedeatur. Accedit, quod appellatio in una cauſa non impediat, quo minùs Judex *à quo* (niſi recuſetur ut ſuſpectus) poſſit judicare in alia cauſa, *c. ad hæc*, 6. *& c. propoſuit*, 24. *h. t.* eſtque paulò ſuperiùs dictum. Atqui in propoſito videntur eſſe duæ cauſæ, cum cauſa principalis (uti ſupponitur) poſſit terminari ſine altera incidenti: puta, ſi appelletur ratione contumaciæ, poſtulando, ut propter eam pars litigans condemnetur in expenſas: vel ſi appelletur ab exceptione, aut hujuſmodi; ergo

226 Oppoſitam ſententiam, ac in praxi meritò retinendam, videlicet Judicem *à quo* tunc non poſſe procedere in cauſa principali, tenet Gl. *c. c. Super eo* 10 ℣. *Terminari*, & Abbas *ib. n.* 4. *& ſeqq. h. t.* hanc opinionem appellans communem, eamque probans ex *c. Si à Judice*, *& c. non ſolum h. t. in* 6. Accedit, quod durum ſit, eundem litigantem arctari ad comparendum in eadem cauſa coram diverſis Judicibus, contra illud vulgatum: *Cauſæ continentia non debet dividi*: ut dicitur *l. Nullum*, juncto Summario, & DD. *ib. C. de Judiciis*, *& c. Diſpendia*, 3. *de reſcrip. in* 6.

227 Neque multum urgent rationes in oppoſitum *nu.* 225 allatæ. Nam imprimis argumentum à ſenſu contrario non procedit, quando exinde reſultat jurium correctio; prout uberiùs dictum eſt ſupra *lib.* 1 *tit.* 2 *de Conſtitutionibus*, §. 16. *n.* 406 & 408. Talis autem correctio jurium, putà de continentia cauſæ non dividenda, accideret juxta contrariam ſententiam. Deinde in iſto caſu non duæ, ſed una duntaxat cauſa, ſaltem principalis, foret: quamvis huic acceſſoriè adjungatur altera incidens: unde negatur Aſſumptum confirmationis.

228 Quæritur IV. Utrum poſt interpoſitam appellationem Judex *à quo* poſſit revocare ſententiam à ſe latam? Reſp. diſtinguendo inter ſententiam diffinitivam, & interlocutoriam. Et quidem loquendo de ſententia diffinitiva, conveniunt Doctores, quod eam ſemel validè prolatam Judex *à quo* revocare nequeat: ſiquidem ſententia diffinitiva imponit finem controverſiæ, ut patet ex definitione ipſius; ac proinde ea ſemel validè lata, deſinit quis eſſe judex in tali cauſa. *Semel enim, ſive male, ſive bene, officio functus eſt*, prout dicitur *l. Judex*, *ff. de re judicat.* Concordat Textus *in c. In litteris*, 9 *de offic. deleg.* junctis dictis ſuprà *Tit. præced.* §. 1. *n.* 23 *& ſeqq.* Additur tamen ly, *ſemel validè prolatam &c.* Nam quod Judex ordinarius poſſit reformare ſententiam ſuam invalidè prolatam, ſeu de jure nullam, jam dictum eſt *cit. Tit. præc. num.* 36. & 37. & amplius ſuprà *h. t.* §. 1. *num.* 28. 29. & *ſeqq.* Ibi videatur.

229 Loquendo econtra de ſententia interlocutoria, certum eſt, quod Judex *à quo*, ſi ita expedire viderit, poſſit eandem revocare, ſeu reformare; atque ſublato gravamine per ipſam parti appellanti illato, in cauſa liberè procedere. Ita quippe expreſſè habetur deciſum in Concilio Generali (hoc eſt, Lateranenſi, celebrato ſub Innocentio III.) atque refertur, *c. Cum ceſſante*, 60. *h. t.* illis verbis: *Cum ceſſante cauſa, ceſſet effectus: Statuimus, ut ſive Judex ordinarius, ſive delegatus aliquid comminando, vel interloquendo protulerit, quo executioni mandato alter litigantium gravaretur: & ſanioris conſilio ab hujuſmodi interlocutionis, vel comminationis effectu deſtiterit, liberè in cauſæ cognitione procedat: non obſtante, ſi à tali comminatione vel interlocutione fuerit appellatum, dummodò non ſit ex alia cauſa ſuſpectus: ne proceſſus negotii frivolis occaſionibus retardetur.* Hæc ibi. Concordant dicta ſuperiùs *Tit. præc.* §. 1. *n.* 33. & 34. & *ſeq.* ubi additur, rationem diſparitatis inter hanc, & priorem partem eſſe quod per prolationem ſententiæ interlocutoriæ nondum quis deſinat eſſe judex in tali cauſa, ſicuti per ſententiam diffinitivam, quæ terminat totam cauſam.

## §. VIII.

## De effectu devolutivo Appellationum: ubi & de tranſportatione Actorum, ac Decreto Sac. Congregationis circa materiam Appellationum.

### SUMMARIUM.

230 *Appellatio parit etiam effectum devolutivum; & quomodo? Et n. ſeqq.*

231 *Quando appellatur à diffinitiva. Judex* ad quem *debet judicare, ac pronunciare*, Bene judicatum, malè appellatum; *aut econtra.*

232 *Vel priorem ſententiam reformare, et aliquid addendo, aut detrahendo &c.*

233 *Tunc devolvuntur ad judicem* ad quem *tam cauſa principalis, quam ejus acceſſoria, & conſequentia.*

234 *Utrum appellatio ab interlocutoria, vel gravamine, devolvat cauſam principalem ad ſuperiorem Judicem, eſt diſtinguendum. Et n. ſeqq.*

*Devolvit, ſi pronunciatur eſſe legitimam. Ib.*

235 *Si minùs, tunc Judex* ad quem *tenetur remittere cauſam principalem Judici* à quo *&c.*

236 *Dummodò Judex* à quo *non detulerit appellationi.*

237 *Quamvis etiam tunc Judex* ad quem *poſſit eam remittere.*

238 *Executio ſententiæ in cauſa appellationis, an ſpectet ad Judicem* ad quem *vel* à quo*? non conveniunt Doctores.*

239 *Communior ſententia tenet, eam ſpectare ad Judicem* ad quem. *Et n. præc.*

240 *Limitatur hæc ſententia, quando Judex* à quo *dederit Apoſtolos refutatorios, & appellatio pronunciatur frivola.*

241 *Et quid obſervetur in Curia Romana?*

242 *Limitatur etiam, quando ſententia tranſit in rem judicatam ob non præſentatam Superiori appellationem inter legitima tempora.*

243 *Et quando appellatio fuit deſerta per lapſum Fatalium, ad ejus proſecutionem ſtatutorum.*

244 *Acta prioris inſtantiæ, quæ?*

*Sub dictis etiam comprehenditur ſententia. Ib.*

245 *Regeſtum, ſive extractus Actorum primæ inſtantiæ, fit ad inſtantiam partis, ejuſque expenſis.*

246 *Acta prioris inſtantiæ, & quidem omnia, debent per appellantem ſuis ſumptibus traſportari ad Judicem appellationis.*

247 Nota-



247 *Notabilis textus Concilii Tridentini quoad hoc.*

248 *Solvitur inſtantia.*

230 Quæritur I. Quid ſentiendum ſit de effectu devolutivo Appellationis? Reſp. I. Certum eſt, quod appellatio legitimè interpoſita pariat etiam effectum devolutivum: ita videlicet, ut judex *ad quem* non ſolùm de juſtitia appellationis, ſed etiam de meritis cauſæ cognoſcere valeat. Patet iſtud ex *c. dilectis filiis*, 55. *h. t. & c. Ut debitus*, 59. *eod.* cum ſimilibus. Concordant dicta ſuperius §. *præc. n.* 203.

231 Reſp. II. Quando appellatur à diffinitiva, tunc Judex *ad quem*, utpote cognoſcens de meritis cauſæ, debet judicare, an benè vel malè fuerit judicatum: & ſi quidem benè, confirmabit priorem ſententiam, pronunciando, quod ſit *benè judicatum, malè appellatum*; ſin autem malè, caſſabit illam priorem ſententiam, pronunciando *Benè appellatum, malè judicatum*: neque licebit eidem cauſam ad Judicem *à quo* ullatenus remittere, ſed tenetur eam propria ſententia terminare. Ita Gl. *c. ut. debitus* ℣. *Alioquin h. t.* idque patet ex *l. eos qui C. h. t. & can. ult.* §. *ab eo autem*, 2. *q.* 6.

232 Poterit etiam Judex *ad quem*, ſi ita judicaverit, priorem ſententiam plura capitula continentem reformare, eidem aliquid addendo, vel quid detrahendo ab ea; aut ipſam ex una parte caſſando, ex altera confirmando, ſecundum quod juſtum fuerit; ut *c. Raynutius*, *& c. Raynaldus*, *de Teſtament.* ac notat Gloſſa *c. cap. ut debitus* ℣. *alioquin*, *h. t.*

233 Reſp. III. Inſuper quando appellatur à diffinitiva, non ſolùm cauſa principalis, ſed etiam ejus acceſſoria, ipſamque conſequentia devolvuntur ad Judicem appellationis, ſeu Judicem *ad quem*. Ita deſumitur ex *cit. cap. dilectis filiis* 55. *h. t.* ubi Summarium, & Abbas *num.* 1. & Barboſa *in Collect. num* 1. citans alios, ſic habet: *Per appellationem legitimè interpoſitam, principale cum acceſſoriis ad Judicem appellationis defertur.* Et meritò: nam idem juris debet eſſe in acceſſorio, quod in principali; prout multipliciter probat Gloſſa *ib.* ℣. *Principale.* Pirhing. *hoc tit. num.* 238.

234 Reſp. IV. Loquendo nunc de appellatione ab interlocutoria, vel gravamine, num etiam hæc cauſam principalem devolvat ad ſuperiorem Judicem, eſt diſtinguendum. Nam imprimis Judex *ad quem* debet cognoſcere de ipſamet appellatione, an ſit legitima: atque ex rationabili cauſa proveniens, nec ne: & ſiquidem cognoſcat, atque pronunciet, benè eſſe appellatum, tota cauſa, ejuſque cognitio ad ipſum devolvitur; neque tunc is cauſam remittere debet ad Judicem *à quo*, ſed ipſemet de cauſa principali cognoſcere, eamque definire. Textus eſt *in c. ut debitus* 59. *h. t.* ibi: *Alioquin ipſe procedet*; id eſt, Judex appellationis ab interlocutoria, vel gravamine, cognoſcens ex rationabili cauſa fuiſſe appellatum; ac notat Gloſſa *ib.* ℣. *Alioquin.* Pirhing. *h. t. num.* 237. & alii.

235 Quod ſi vero Judex *ad quem* pronunciaverit, appellationem ejuſmodi non fuiſſe legitimam, ſed frivolam, ac minùs rationabilem: tunc Judex *ad quem* tenetur cauſam principalem remittere Judici *à quo*; ſimul tamen frivole appellantem in expenſis alteri parti condemnare. Textus eſt *in c. ut debitus*, 59. *h. t.* ita loquens: *Cum autem quis ante ſententiam ex rationabili cauſa putaverit appellandum coram eodem judice cauſa probabili appellationis expoſita talis videlicet, quaſi foret probata, deberet legitima reputari. Superior de appellatione cognoſcat. Et ſi minùs rationabiliter eum appellaſſe conſtiterit* (puta, quia appellans non probavit allegatam cauſam) *illum ad inferiorem remittat, & in expenſis alteri parti condemnet; Alioquin ipſe procedet &c.* Concordat textus expreſſus *in c. cum appellationibus*, §. 1. *h. t. in* 6. junctis dictis ſuprà *n.* 131.

236 Intellige tamen iſtud, dummodò Judex *à quo* non detulerit appellationi. Nam deferendo appellationi: puta concedendo Apoſtolos dimiſſorios, vel reverentiales, cenſetur Judex *à quo* abdicaſſe à ſe omnem juriſdictionem quoad cauſam illam: ita ut tota cauſa (haud obſtante, quod appellatio cæteroquin fuerit fruſtratoria, & frivola) ad Judicem *ad quem* devolvatur; atque in hujus poteſtatem deciſio ejuſdem cauſæ transferatur; proindeque judex appellationis non teneatur cauſam illam remittere ad Judicem *à quo*. Textus eſt expreſſus *in cit. Clem. cum appellationibus* §. *ſi verò*, *h. t.* illis verbis: *Si vero Judex admittat, licet tam appellatio* (minus legitima) *quam ipſius judicis delatio, à Superiore valeant refutari: quia tamen judex ipſe, quantum in ſe fuit, à ſe juriſdictionem abdicavit eandem, appellationi deferens minùs juſtè, totius cauſæ deciſio in Superioris eſt poteſtatem transfuſa; nec eſt illi cauſa de neceſſitate ulterius remittenda &c.* Hæc ibi.

237 Additur notanter in relato textu, *nec eſt illi cauſa de neceſſitate ulterius remittenda.* Quia, ſi Judex ille ſuperior ſponte velit, benè poterit eam remittere ad Judicem *à quo*; uti notat Gloſſa *ib* ℣. *remittenda.* Non enim Superior tenetur de neceſſitate appellationem frivolam recipere, quantumcumque Judex *à quo* voluerit à ſe abdicare juriſdictionem, frivolæ illi appellationi deferendo; cum hujus culpa, vel imperitia, alteri nolenti præjudicare non poſſit, nec debeat. Ancharanus *ad c. c. cum appellationibus*, *n.* 2. *h. t. in* 6. Idipſum probant præcedentia verba allegati textus, ibi *Licet tam appellatio, quam ipſius judicis delatio a Superiore valeant refutari.*

238 Quæritur II. Utrum executio ſententiæ in cauſa appellationis ſpectet ad Judicem *ad quem*, vel *à quo*? Reſp. I. Licet in reſolutione hujus quæſtionis Doctores non undequaque conveniant; communior tamen, & magis recepta opinio tenet, quod Judex *ad quem*, qui vel in tribus conformibus, vel alias in cauſa appellationis ultimam tulit ſententiam, eandem mandet executioni. Ita Gloſſa *in c. paſtoralis* §. *præterea* ℣. *Diſcuſſa*, *de offic. deleg.* referens ſimul contrariam quorundam opinionem Bartolus *l. a Divo Pio n.* 15 *ff. de re judic.* Sigiſ. Scaccia *q.* 11. *de appel. n.* 163. citans alios atque aſſerens, hanc Bartoli opinionem ſequi DD. communiter. Gailus *lib.* 1. *practic. obſerv.* 113 *nu.* 14. hanc appellans receptam, & communem Doctorum opinionem: quamvis oppoſitum teneat Gloſſa *c. cum in Eccleſia.* 38. ℣. *Alioquin h. t.* ubi pro regula ponit, quod judex appellationis, qui confirmat ſententiam priorem, non debeat ipſam mandare executioni. Quod tradit Abbas *ib. n.* 8. & *in c. Paſtoralis* §. *præterea*, *n.* 6. & Felinus *n.* 14. *Concl.* 2. *de offic. deleg.* iſtud tenentes ſaltem in eo caſu, quo Judex appellationis nihil addidit, vel detraxit de priori ſententia; ſed motus iiſdem rationibus ſolum pronunciavit, *Benè judicatum, malè appellatum.* Atque ex his patet prior pars Concluſionis, nempe Doctores in reſolutione hujus quæſtionis non undequaque convenire.

239 Altera pars deſumitur ex *c. Dilectis filiis* 55. *h. t.* ubi dicitur, per legitimam appellationem deferri ad judicem ſuperiorem principale negotium cum acceſſoriis: atqui inter acceſſoria connumeratur executio ſententiæ; ergo. Concordat textus *in l. præcipimus* §. *in his autem*, *C. h. t.* ubi officiales judicum appellationis jubentur exequi ſententias in cauſa appellationis latas, illis verbis: *Officiis videlicet eorum exequentibus judicata.* Simile quid habetur *l. ult.* §. *fin. de Judiciis.* Accedit ratio; quia, quando in cauſa appellationis prior ſententia fuit confirmata, tunc agitur ad executionem ex ſententia confirmante (quæ eſt ſententia Judicis *ad quem*) non verò ex ſententia confirmata, ſeu Judicis *à quo*, utpote per appellationem ſuſpenſa. Quod ſi vero prior ſententia Judicis *à quo* per Judicem ſuperiorem reformata, ſeu caſſata fuit, hoc ipſo Judex *à quo* ad ejus executionem procedere nequit.

240 Reſp. II. Patitur nihilominus data Concluſio nonnullas limitationes. Et primò quidem, quando Judex *à quo* dedit appellanti apoſtolos refutatorios, allegata juſta cauſa, cur non deferat appellationi interpoſitæ: tunc enim Judex *ad quem* cognoſcit quidem ſuper juſtitia, vel illegitimitate appellationis; ſi tamen hanc illegitimam ſeu frivolam pronunciaverit, oportet; ut cauſam ejuſque executionem ad Judicem *à quo* remittat, juxta *c. ut debitus*, 59. *h. t.* & *c. cum appellationibus*, *eod. in* 6. eſtque jam dictum ſuprà *n.* 131. & 135.

241 In Curia tamen Romana, utpote ad quam ex univerſo Orbe Chriſtiano in cauſis ſpiritualibus immediatè poteſt appellari, imò & in prima inſtantia negotium principale proponi, *can. Cuncta per mundum*, 9. *q.* 3. cum ſimilibus, talis remiſſio locum non habet. Etenim ſtylus habet, ut Litigator, prætendens ex quovis capite habere rem judicatam, adeat Signaturam Juſtitiæ, eique porrigat ſupplicem Libellum executionis, ſeu Commiſſio-

nis

nis executorialis: qualis poſteà expediri conſuevit datis Executoribus, qui ſententiam in Curia Romana latam, poſteà exequantur in partibus. Scaccia *d. quæſt. 11. num. 172* & alii.

242 Limitatur ſecundo, quando ſententia, à qua fuit appellatum, tranſiit in rem judicatam ob non præſentatam Superiori appellationem inter legitima tempora: Iudex *à quo*, qui tulit ſententiam, pronunciabit cauſam eſſe deſertam, conformiter dictis ſuprà *n. 195* & deinde exequetur ſententiam. Scaccia *cit. q. 11. n. 166.* poſt Francum *c. Romana, §. fin. n. 3. de appel. in 6.* Mandoſum *in Formul. Commiſſ. in Commiſſ. 23 V. ob non proſecutionem*; & alios.

243 Atque iſtud ampliatur ad eum caſum, quo Iudex *ad quem* declarat, appellationem eſſe deſertam per lapſum termini, ſeu Fatalium ad eius proſecutionem ſtatutorum: quia tunc poteſt Iudex *à quo* reaſſumere cauſam, ipſamque exequi. Ratio eſt: quia in tali caſu ſententia non confirmatur ex declaratione Iudicis *ad quem* (ſeu per ſententiam interlocutoriam declarantis, appellationem eſſe deſertam) ſed ipſa confirmatur ex lapſu temporis dierum fatalium; ut loquitur Bartolus *in l. A divo Pio, n. 15. de Re judicat.* & Scaccia *cit. q. 11. n. 167. & ſeqq.* allegans.

244 Quæritur III. A quo, cujuſque expenſis, Acta prioris inſtantiæ tranſportanda ſint ad Iudicem appellationis? Ubi ſciendum, quod per *Acta prioris Inſtantiæ* intelligantur ſcripturæ de his factæ, quæ apud priorem Iudicem acta ſunt, vel dicta. Gl. *in l. acta apud V. acta, ff. de re jud.* Atque de iis fit mentio *in c. quoniam contra 11. de prob.* illis verbis „Qui fideliter univerſa judicii acta conſcribant: „videlicet citationes, dilationes, recuſationes, exceptiones, petitiones, reſponſiones, & interrogationes, „confeſſiones, teſtium depoſitiones, inſtrumentorum „productiones, interlocutiones, appellationes, renunciationes, concluſiones, & cætera, quæ occurrerint. Atque iſtis addendam eſſe ſententiam, ita ut etiam hæc appellatione *Actorum*, ſeu proceſſus comprehendatur; monet Abbas *cit. c. Quoniam contra, n. 5. eod.* & Maranta *p. 6. Speculi Aurei actu 10. tit. de actorum editione*, ponderando in relato textu ly: *Et cætera, quæ occurrerint.* Concordat Gl. *in l. In fraudem §. Nihil V. Neque acta* & Bartolus *ib. ff. de Jure Fiſci*. Quo prænotato

245 Reſp. I. Regeſtum, ſeu extractus Actorum primæ inſtantiæ, fit ad inſtantiam partis, & præcedente mandato Iudicis, atque expenſis illius, ad cuius inſtantiam fit Regeſtum. Ita Baldus, & Paulus de Caſtro *l. Is apud quem 2. n. 2.* & Decius *n. 10. C. de Edendo.* Maranta *cit. p. 6. actu 1. num. 55.* iſtud probans per textum *in cit. l. Is apud quem*, & alii: quamvis Scaccia *q. 20. de appel. n. 54.* iſtud Iudicis præceptum Notario faciendum, de neceſſitate non requiri aſſerat.

246 Reſp. II. Non ſolum acta illa, quæ iuſtificant validitatem appellationis; putà, quod quis intra legitima tempora appellaverit, & apoſtolos petierit: ſed etiam acta omnia, quæ facta ſunt circa merita cauſæ in prima inſtantia, debent per appellantem ſuis ſumptibus tranſportari ad Iudicem appellationis. Ita Scaccia *cit. q. 20. n. 8.* poſt Baldum *in l. Is apud quem C. de Edendo*, & alios. Ratio eſt: quia Iudex appellationis non poteſt iudicare ex actis primæ inſtantiæ, niſi producantur: & ſi iudicaret eiſdem non viſis, perverteret ordinem iudicii. Quinimo ſi Iudex appellationis ferret ſententiam non viſis, neque tranſportatis actis, ſententia foret nulla; uti cum aliis notat Scaccia *loc. cit. n. 11.* ac loquendo in actis probatoriis, tenuit Rota *die 13. Februarii, 1609. in una Anconitana pecuniaria, coram R.P.D. Sacrato*.

247 Concordat Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. c. 20. de ref.* idipſum expreſſe ſtatuens, illis verbis, „Prætereà, ſi „quis in caſibus à Iure permiſſis appellaverit, aut de aliquo gravamine conqueſtus fuerit, ſeu alias ob lapſum „biennii, de quo ſuprà, ad alium Iudicem recurrerit: „teneatur acta omnia, coram Epiſcopo geſta, ad Iudicem appellationis expenſis ſuis transferre; eodem tamen Epiſcopo prius admonito, ut ſi quid ei pro cauſæ „inſtructione videbitur, poſſit Iudici appellationis ſignificare. *Et infrà*: Porro ipſam actorum copiam teneatur Notarius, congrua mercede accepta; appellanti „quanto citiùs, & ad minùs intra menſem exhibere &c. *Hactenus Concilium Tridentinum*.

248 Nec obſtat contraria quorundam ſententia apud Scacciam *cit. qu. 20. n. 8.* aſſerentium, quod abſurdum ſit, appellantem ſuis ſumptibus teneri ad producenda acta, quæ faciunt pro adverſario, & contra ſe. Reſp. enim, iſtud neutiquam eſſe abſurdum in caſu, quo is appellat: quia non tenetur ſimpliciter ac præciſè ad hoc, ita ut cogi poſſit ad tranſportanda acta ſibi contraria: ſed ſolùm cauſativè, ac ex hypotheſi, quod à Iudice *ad quem* velit obtinere revocationem prioris ſententiæ, contra ipſum latæ à Iudice inferiori.

## §. X

## De Attentatis appellatione pendente, horumque revocatione.

### SUMMARIUM.

249 *Attentatorum nomine, quid intelligatur?*
250 *Attentatum poteſt accipi & pro facto, & pro jure.*
251 *Ubi nihil innovatur, non dicitur* Attentatum.
*Attentare non dicitur, qui faciat actum continuativum. Ib.*
252 *Attentata lite, vel appellatione pendente, an differant?*
253 *Attentatum dici nequit, quod fit lege permittente.*
254 *Idque exemplificatur. Et n. præc.*
255 *Attentata pendente appellatione à ſententia diffinitiva, ſunt ipſo jure nulla. Et n. ſeq.*
256 *Dummodo pars adverſa debitè petat revocationem ipſorum.*
257 *Ad revocationem attentatorum duplici via proceditur; nempe*
258 *Via ordinaria, &*
259 *Via extraordinaria, ſeu per* Remedium attentati.
*Appellans poteſt ſimul proſequi cauſam appellationis, & attentorum; ac poteſt etiam proſequi ſolam cauſam attentatorum. Ib.*
260 *Petens revocari attentata, quæ teneatur probare?*
261 *Attentata pendente appellatione à diffinitiva, revocantur ante omnia per remedium attentati.*
262 *Secus quando ad eorum revocationem proceditur per viam ordinariam.*
263 *Et loquendo de attentis poſt appellationem ab interlocutoria, vel gravamine.*
264 *Diſparitas notabilis inter appellationem à ſententia diffinitiva, & ab interlocutoria, vel gravamine.*
265 *Attentata pendente appellatione à diffinitiva, ſunt revocanda per Judicem* ad quem.
266 *Limitatur iſtud in certis caſibus.*
267 *Refertur Decretum Sacr. Congregationis circa materiam Appellationum.*

Quæritur I. Quid intelligatur nomine *Attentatorum* præſertim appellatione pendente? Reſp. I. *Attentata* in propoſito idem ſunt, ac Innovata contra ius lite; ſeu appellatione pendente. Ita deſumitur ex Rubrica, totoque titulo *ut lite pendente nihil novetur* iuncta Rubrica, & *Leg. un. ff. Nihil novari appellatione interpoſita*; cum ſimilibus. Quamquam ly, *Attentata*, eſſe vocabulum Interpretum, non Iuriſconſultorum, notet Spiegelius *in Lexico Juris V. Attentata*: nam Iure talia appellantur, *Innovata poſt appellationem*; ut *c. non ſolum 7. h.t. in 6* non verò *Attentata*. 249

Additur verò, *Attentata in propoſito*; videlicet prout Attentatum ſumitur pro facto, quo aliquid appellatione, ſeu lite pendente, innovatur contra ius. Siquidem Attentatum poteſt etiam accipi pro iure: prout in ſimili Uſus fructus, Uſus, Servitus, ac huiuſmodi, poſſunt accipi & pro facto, & pro iure. Atque in hac acceptione, *Attentatum* eſt ius revocandi innovata, lite, ſeu appellatione pendente. Franciſcus Herculanus *Tom. 5. Tractatuum tr. de Attentatis c. 3. n. 1. & 3.* Abbas *c. bonæ memoriæ 51. n. 6. & 20.* iſtud appellans *remedium attentati*; & alii. In propoſito tamen, attentata præcipuè ſumuntur pro facto innovato contra ius lite, vel appellatione pendente. 250





251 Et dicitur, *innovato*. Quia ſi nihil innovatur (hoc eſt, ſi non aliquid novi fiat, quod anteà inceptum non fuerat non vocatur *Attentatum*, ſed magis continuatum. Herculanus *cit. c. 3. n. 4.* & 5. Concordat Sigiſm. Scaccia, *q. 3. de Appellat. num. 70.* poſt Rotam *Deciſ. 44. alias 344. n. 1. de Appellat. in nov.* Francum *c. Cùm teneamur. 17. n. 1. h.t.* & alios, dicens, quòd *attentare* non dicatur is, qui facit actum continuativum; hoc eſt, qui continuat actum præcedentem: quia lis, ſeu appellatio, non debet quemquam ſua poſſeſſione privare; neque tenetur quis dimittere jus ſuum, vel deſiſtere a continuatione ſui juris aut poſſeſſionis propter aliquam appellationum: imò deſiperet, ſi hoc faceret. Rota *cit. Deciſ. 44. n. 2. de Appellat. in nov.* Herculanus *d. c. 3. n. 6.* & alii.

252 Conjunguntur autem ſimul, *Attentata, lite, vel appellatione pendente*. Quia in effectu non differunt, licèt poſſit aliqua differentia notari quoad ſuam cauſam efficientem. Nam Attentata pendente appellatione, reſpiciunt perſonam Judicis, cùm ſcilicet ab eo attentata ſunt: quæ verò fiunt pendente lite, reſpiciunt perſonam adverſarii, quia nimirum ab ipſo ſunt innovata. Menochius *de Recuperanda poſſeſſione, Remed. 17. n. 43* poſt Decium *in cap. Conſuluit, il 2. n. 5. de Appellationibus*.

253 Additur ulteriùs *num 249.* in definitione Attentati, *contra jus*. Quia, quod fit Lege permittente, pœnam non meretur, *l. Gracchus, C. de Adulteriis*: ſicque nec *Attentatum* dici poteſt, utpote quod ſonat in malam partem. Unde quando Judex *à quo* ſtatuit appellanti terminum ad recipiendum apoſtolos, vel ad proſequendum appellationem, aut hujuſmodi, juxta *c. Perſonas, 4. h.t. & Clem. Quamvis, eod.* non cenſetur attentare; haud obſtante, quòd innovet aliquid poſt appellationem: quia Jure permittente iſtud facit. Idem dicendum de aliis, quæ juvant ad faciliorem expeditionem cauſæ appellationis: nam iſta expediendo poſt interpoſitam appellationem, non cenſetur Judex aliquid innovare, ſeu attentare; juxta *c. Cùm teneamur, 17.* ubi Abbas, Imola, Francus, Decius *h.t.* junctis dictis ſuprà *n. 220*.

254 Inſuper, ſi poſt appellationem interpoſitam timeatur de dilapidatione Fructuum, rei Actori adjudicatæ, non dicitur innovare, ſeu attentare Judex, qui facit eos ſequeſtrari: poſſunt enim tunc ſequeſtrari fructus Jure permittente, *can. Quoties poſt, 2. q. 6. & l. Ab executione, c. Quorum appellat. non recip. & cap. ult. de Sequeſtrat. poſſeſſ.* Speculator *tit. de Appellat §. Noviſſimè, n. 1.* Herculanus *ubi ſuprà n. 7. & ſeqq.* apud quos nonnulli alii tales caſus reperiri poſſunt.

255 Quæritur II. Utrùm Attentata pendente appellatione ſint nulla, & qualiter revocentur? Reſp. I. Licèt Attentata pendente appellatione à ſententia diffinitiva, ipſo jure ſint nulla; iſtud tamen intelligitur parte adverſa volente nullitatem eorum, ſeu revocationem attentatorum legitimè urgente. Ita deſumitur ex *c. Non ſolùm, h. t. in 6.* ponderando verba illa, *penitùs revocari*: ac notat Bartolus *ibid. n. 5.* Abbas *c. Dilectis, 55. n. 13. & 14. h. t.* Gonzalez *ad Reg 8. Cancell. gloſſ. 56. n. 63. & ſeqq* & alii. Accedit ratio: quia appellatio eximit appellantem à juriſdictione Judicis *a quo* quoad illam cauſam, à cujus ſententia appellatum eſt; ergo, quidquid interim Judex *à quo* circa eam innovat, ſeu attentat, cenſetur factum à Judice incompetente; ſicque ipſo jure invalidum, *c. At ſi Clerici, 4. de Judiciis*, cum ſimilibus.

256 Intellige tamen datam Concluſionem de appellatione à ſententia diffinitiva; non de appellatione ab interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali ob dicenda *n. 263. & 264.* Inſuper ipſam intellige, *parte adverſa volente*. hoc eſt, dummodò pars adverſa velit nullitatem hujuſmodi attentatorum, ac proinde debitè petat ipſorum revocationem. Alioquin enim cenſeretur tacitè eadem approbare, atque juri ſuo renunciare: quod facere non prohibetur, *c. Si diligenti, 12. de Foro competent.* cum ſimilibus.

257 Reſp. II. Ad revocationem Attentatorum duplici via principaliter proceditur; ordinaria videlicet, ac extraordinaria. Ita Herculanus *cit. tract. de Attentatis, c. 14. n. 16. & 17.* Maranta *p. 6. Speculi Aurei, tit. de Appellat. n. 407.* hoc ipſum, ſed ſub aliis terminis tradens, dicendo, quòd *attentata revocantur duplici via: uno modo, implorando principaliter officium judicis ſuper ipſorum revocatione. Secundo modo, acceſſoriè, proſequendo appellationem*. Ita Maranta.

Porrò *via ordinaria* proceditur ad revocationem Attentatorum, quando inſtituitur directa petitio revocationis attentatorum ſimul cum cauſa principali: & tunc non illicò revocantur attentata, ſed expectatur finis litis. Atque hæc via ab Herculano, *ubi ſuprà*, poſt Veſtrium *in Practic. l. 8. tit. Ut lite pendente &c.* dicitur *Modus revocandi attentata per viam Injuſtitiæ*: atque etiam locum habet appellatione deſerta; quamquàm tunc requiratur oblatio libelli, unà cum aliis requiſitis ad Proceſſum judiciarium. Habet quoque locum, quando petitur acceſſoriè revocatio innovatorum, proſequendo appellationem, juxtà Marantam *loc. cit.* 258

At verò *via extraordinaria* proceditur ad revocationem Attentatorum, principaliter implorando officium judicis ſuper eorum revocatione. Atque iſtud dicitur fieri per *Remedium attentati*, quo proceditur extra ordinem, ſeu judicii ordine non ſervato; dum magis properantes ad ipſorum revocationem, petunt, per officium judicis mercenarium attentata ante omnia revocari. Atque per hanc viam reſultat effectus ſuſpenſivus, ut interim taceatur in negotio principali, donec attentata poſt ſententiam diffinitivam, ante omnia fuerint revocata; ut *cit. c. Non ſolùm, h. t. in 6.* & notat Herculanus *d. n. 17.* citans alios. Accedit Sigiſm. Scaccia *qu. 15. de Appell. n. 65.* aſſerens, quòd licèt appellans poſſit appellationem ſuam, & negotium principale, atque cauſam attentatorum ſimul proſequi, juxta dicta *n. præced.* tamen ad hoc non arctetur: imò à Lege ſibi indultum exiſtat, ut ante omnia audiatur ſuper attentatis. Rota *Deciſ. 25. aliàs 102. de Appell. in nov. & Deciſ. 79. aliàs 448. de Appellat. in antiq.* Abbas *c. Ex ratione, n. 8.* & Decius *ib. n. 38.* & Felinus *n. 4. h. t.* & alii. 259

Notandum tamen cum Gloſſa *in d. c. Non ſolùm. V. Ante omnia*. Maſcardo *de Probation Concl. 1285. n. 1. & ſeqq.* Pirhing. *h.t.n. 242.* & aliis, quòd petens revocari Attentata; teneatur tria conjunctim probare. I. Quòd fuerit diffinitivè pronunciatum; hoc eſt, quod ſit lata ſententia diffinitiva. II. Quòd ab hac fuerit appellatum, & quidem Jure non prohibente: ut in textu *ib.* III. Quòd poſteà aliquid fuerit innovatum, ſicque attentatum. Quibus adde poſt Marantam *cit. tit. de Appellation n. 403.* & Herculanum *d. cap. 14. n. 17.* & aliis, quòd ad revocationem attentatorum etiam requiratur partis citatio. Hinc quippe Attentata, dicuntur revocari cauſa cognita; ut poſt Innocentium *in c. Cùm M. de Conſtitut.* & Albericum *in Dictionar. V. Attentatorum revocatio*, tradit Hieron. Manfredus *Tom. 5. Tractatuum, tract. Super attentatis &c. l. 2. Concl. 59.* 260

Reſp. III. Attentata pendente appellatione à diffinitiva, revocantur ante omnia per *Remedium attentati*; intelligendo iſtud etiam de illis, quæ medio tempore inter ſententiam & appellationem ante lapſum decendii innovata, ſeu mutata fuerunt: dummodò hinc excipiantur caſus, in quibus Jura poſt ſententiam appellare prohibent. Ita Covarruvias *Practic. Quæſt. cap. 24. n. 1.* Scaccia *q. 3. de Appellation. n. 47. & 48.* Pirhing. *h.t.n. 241.* & alii. Idque probat textus *in c. Non ſolùm, 7. §. 1. h.t. in 6.* cujus verba ſuperiùs *n. 207.* referuntur, atque ampliùs declarantur. 261

Additur tamen, per *Remedium attentati*: ſive, quando ad eorum revocationem proceditur via extraordinaria. Secùs enim dicendum, quando ad revocationem attentatorum proceditur via ordinaria; ſive poſt appellationem jam deſertam agendo ad ipſorum revocationem per viam injuſtitiæ; ſeu acceſſoriè proſequendo videlicet appellationem, ſicque eorum revocationem petendo. Tunc enim attentata non revocantur ante omnia, ſed debet expectari finis litis; ut jam dictum *n. 258*. 262

Additur ulteriùs, *attentata pendente appellatione à diffinitiva &c.* Quia ſecùs eſt dicendum de appellatione, quæ fit ante diffinitivam ſententiam; putà, ſi appelletur ab interlocutoria, vel à gravamine: quia tunc innovata, vel attentata non revocantur ante omnia, ſed debet priùs juſtificari cauſa appellationis, & hac probata demum revocantur: niſi forſan poſt inhibitionem, debito modo à Judice ſuperiore factam, attentata fuiſſent. Textus eſt *in cit. c. Non ſolùm. §. Illa verò, h.t. in 6.* ſic loquens; *Illa verò, quæ poſt appellationem interpoſitam ante diffinitivam ſententiam innovantur, do-* 263

nec appellationis cauſam veram eſſe conſtiterit, revocari non debent: niſi judex appellationis (poſtquàm ſibi conſtiterit per appellationem emiſſam, ex cauſa probabili fore ad ſe negotium devolutum) inhibeat canonicè judici, à quo appellatum eſt, ne procedat: tunc enim quidquid poſt inhibitionem hujuſmodi fuerit innovatum, eſt (licèt cauſa eadem non ſit vera) per eundem appellationis judicem, ante omnia in ſtatum priſtinum reducendum. Hæc ibi.

264 Ratio diſparitatis eſt. Quia per ſententiam diffinitivam, atque interpoſitam appellationem ab ea, expirat, vel ſaltem ſuſpenditur officium Judicis *à quo* reſpectu illius cauſæ; atque hæc tota ſtatim devolvitur ad Judicem *ad quem*, abſque alia juſtificatione cauſæ appellandi: unde ſi Judex *à quo* ulteriùs ſe immiſceret cauſæ illi procederet ſine juriſdictione; ſicque inválidè ageret. Secùs eſt in ſententia interlocutoria, atque appellatione ab ea: tum quia per hanc non expirat officium Judicis *à quo* reſpectu illius cauſæ; quinimò poteſt adhuc in ea procedere, dummodò revocaverit gravamen, *c. Cum ceſſante*, 60. *h. t.* Tum quia in appellatione ab interlocutoria debet exprimi cauſa rationabilis, ob quam appellatur, *c. Ut debitus*, 59. *h. t.* Unde ſicut hac non expreſſa non valet appellatio ab interlocutoria, ita nec habet virtutem irritandi poſteà innovata, niſi fuerit juſtificata; vel ſaltem præceſſerit inhibitio Judicis *ad quem*, juxta textum proximè allegatum.

265 Quæritur III. Per quem Judicem Attentata pendente appellatione ſint revocanda? Reſp. I. Attentata pendente appellatione à diffinitiva, ſunt revocanda per Judicem *ad quem*. Ita textus *cit. c. Non ſolùm, h. t. in 6.* ibi: *Innovata poſt appellationem à diffinitiva ſententia interjectam debent ſemper ante omnia per appellationis judicem penitus revocari.* Concordat textus *in l. Et cujus, ff. de Appell. recipiend.* Abbas *in c. Sollicitudinem*, 54. *n.* 1. *not.* 3. & Francus *ib. n.* 3. *h. t.* & Sigiſm. Scaccia *quæſt.* 11. *de Appell. n.* 18. iſtud extendentes, adeò, ut alius Judex non poſſit cognoſcere de innovatis poſt appellationem, ſi attentata tangant articulum appellationis, etiamſi hoc ageretur ad petitionem appellantis, & favet textus *in cit. c. Sollicitudinem*. Nec immeritò; nam qui de principali cognoſcit, poteſt, ac debet etiam cognoſcere de acceſſorio, *c. Acceſſorium*, 42. *de Reg. Jur. in* 6. Atqui cauſa revocandi attentata, eſt acceſſoria ad cauſam appellationis, utpote à qua dependent; ergo.

266 Intellige, niſi appellans velit renunciare appellationi: ut *cit. c. Sollicitudinem*, §. *fin. h. t.* ac notat Abbas, & Francus, & Scaccia, *ubi ſuprà*. Vel niſi attentata ſint notoriè injuſta. Abbas *ibid.* Scaccia *d. q.* 11. *n.* 20. & 21. Quibus adde caſus illos, in quibus Jure permittente poteſt Judex *à quo* aliquid innovare, non obſtante appellatione, juxta dicta paulò ſuperiùs *n.* 253. & 254. Ulterius datam Concluſionem intellige de *appellatione à diffinitiva*, utpote de qua expreſſè loquitur: nam quòd Judex *à quo* poſſit revocare ſententiam interlocutoriam, & conſequenter etiam attentata poſt appellationem ab eadem interpoſitam, ſi ſaniori velit uti judicio; patet ex *c. Cùm ceſſante*, 60. *h. t.* eſtque jam ſæpiùs dictum, præſertim ſuprà §. 7. *n.* 229. Tandem diverſo modo revocanda eſſe attentata poſt diffinitivam, & attentata poſt interlocutoriam ſententiam, conſtat ex *c. Non ſolùm*, 7. *h. t. in* 6. juncto Summario, & DD. *ibid.* & proximè dictis *n.* 261. 263. & 264.

267 Quæritur IV. Quid cenſendum ſit de Decreto Sac. Congregationis circa materiam Appellationum emanato? Reſp. Circa materiam præſentis Tituli, præter alia hactenus dicta, & impoſterum dicenda, ſimulque ad majorem eorundem confirmationem, vel maximè obſervanda eſt Declaratio Sacræ Epiſcoporum Congregationis, die 16. Octobris 1600. edita, & à Clemente VIII. approbata: eamque per extenſum refert Quaranta in *Summa Bullarii. V. Archiepiſcopi authoritas, in Addit.* Piaſecius *in Praxi Epiſcopali, part.* 2. *c.* 4. *art.* 15. *de Appell. n.* 5. Aloyſ. Riccius *part.* 1. *Praxis Rerum Eccleſiaſt. reſol.* 414. Tenor ejuſdem eſt, ut ſequitur.

*Ad tollendas ambiguitates, & controverſias juriſdictionales, quæ inter appellationum & prioris inſtantiæ Judices, non ſine partium diſpendio, curſuſque juſtitiæ impedimento, & ſæpè cum ſcandalo oriuntur; Sacra Congregatio cauſis Epiſcoporum præpoſita, facta priùs relatione Sanctiſſ. D. N. Clementi Papæ VIII. ac Sanctitatis ſuæ mandato, vivæ vocis oraculo de ſuper habito, in hunc, qui ſequitur, modum, ab omnibus, ad quos ſpectat, impoſterum ſervari debere mandavit, & mandat.*

*Metropolitani, Archiepiſcopi, Primates, aut Patriarchæ, Suffraganeos eorumque ſubditos non judicent, niſi in caſibus à Jure expreſſis.*

*Idem, & alii, quivis Superiores, etiam Nuncii, vel Legati de Latere ſpecificam facultatem majorem non habentes, cauſas in Curiis Ordinariorum, vel aliorum inferiorum Judicum pendentes ad ſe non advocent, niſi per viam legitimæ appellationis ad ipſorum Tribunalia deferantur: tunc appellantes ab inferiorum juriſdictionibus, quoad alias cauſas eximi non poſſint.*

*Appellationes nunquam recipiantur, niſi per publica documenta, quæ realiter exhibeantur, priùs conſtiterit, appellationem à ſententia diffinitiva, vel habente vim diffinitivæ, aut à gravamine, quod per diffinitivam reparari non poſſit in caſibus à Jure non prohibitis, per legitimam perſonam, & intra debita tempora fuiſſe interpoſitam, ac proſecutam.*

*Dum cauſæ coram inferioribus Judicibus pendent, ante diffinitivam ſententiam, vel habentem vim diffinitivæ, de gravamine illato Superiores cognoſcere non valeant, licèt citra præjudicium curſus cauſarum ſe id facere conteſtentur; nec ad hunc effectum liceat eis inhibere, aut ſimpliciter mandare, ut ipſis copia proceſſus tranſmittatur etiam expenſis appellantis.*

*Inhibitiones poſt appellationem, ſicut præmittitur receptam, non concedantur, niſi cum inſertione tenoris ſententiæ, aut decreti diffinitivi, aut vim diffinitivi habentis, vel damnum per diffinitivam irreparabile continentis: aliàs inhibitiones, & proceſſus, & inde ſequuta quæcunque ſint ipſo jure nulla, eiſque impunè non parere liceat.*

*Si appellans aſſerat, ſententiæ, aut appellationis exemplum culpa Judicis à quo, aut Actuarii haberi non poſſe, non ideò recipienda erit appellatio, aut aliqua inhibitio concedenda; ſed eis tantùm, ad quos pertinet, injungi poterit, ut ſoluta condigna mercede, actorum exemplum authenticum appellanti intra brevem aliquem competentem terminum tradatur. Caveat tamen Judex à quo, niſi verè appellatū fuerit in caſu appellabili, interim aliquid in præjudicium appellantis attentet; & ſi per actum publicum, aut per teſtium depoſitiones conſtiterit, acta denegari appellanti, judex appellationis mandato tradendi acta poſſit adjicere, ne interim aliquid novi contra appellantem attentetur.*

*A ſententia autem diffinitiva contra verum contumacem prolata, appellatio non recipiatur; nec inhibitio, aut alia quævis proviſio, quamdiu appellans in hujuſmodi vera contumacia perſtiterit, concedatur.*

*Ab executione Decretorum Sac. Concil. Trid. aut Viſitationis Apoſtolicæ, appellationes à Metropolitanis non recipiantur, neque etiam quando Epiſcopi virtute ejuſdem Sacr. Concilii Trid. procedunt ut Sedis Apoſtolicæ Delegati in cauſis, quæ ſub eorum juriſdictione ordinaria non comprehenduntur; ſalva tamen in hoc caſu Legatorum, & Nunciorum Apoſtolicorum authoritate.*

*In cauſis verò viſitationis Ordinariorum, aut correctionis morum, quoad effectum devolutivum tantùm appellationes admittantur; niſi de gravamine per definitivam irreparabili agatur, vel cùm Viſitator citata parte, & adhibita cauſæ cognitione judicialiter procedit; tunc enim appellationi locus erit, etiam quoad effectum ſuſpenſivum.*

*Cùm à gravamine, quod per definitivam reparari nequit, ut indebitæ incarcerationis, vel torturæ, aut excommunicationis etiam comminatæ, appellatur, non niſi viſis actis, ex quibus evidenter appareat de gravamine, appellatio admittatur, aut inhibitio, vel proviſio aliqua concedatur.*

*Cauſa appellationis pendente, appellans in eodem, quo reperitur, carcere permanebit, quoad Judex, ad quem appellatum eſt, viſis actis, & cauſa cognita aliter decreverit. Et tunc ſi à judicis ad quem decreto, vim diffinitivæ habente fuerit appellatum, is nihil mandare, aut pro ſui decreti executione attentare poterit, donec per Judicem ſuperiorem aliud fuerit ordinatum.*

*Acta originalia proceſſuum primæ inſtantiæ, ad Judicem appellationis Notarius mittere non cogatur, niſi probabilis aliqua falſitatis cauſa & ſuſpicio incidat, quæ judicialiter objiciatur: & tunc terminata cauſa, remittenda ſunt ad Ordinarium, ut in ſuo archivio conſerventur.*

*Cenſura eccleſiaſtica contra appellantem prolata, relaxari, aut nulla declarari per Judicem appellationis non poſſit, niſi auditis partibus, & cauſa cognita; tuncque ſi conſtiterit eam juſtam eſſe, ad judicem, qui excommunicavit, appellans remittendus eſt, ut ab ipſo, juxta Sacros Canones, beneficium abſolutionis, ſi humiliter petierit, debitamque emendationem præſtiterit, obtineat: ſi verò injuſtam eſſe clarè appareat, Superior abſolutionem impendat. Si autem dubitatur, honeſtius eſt, ut ad excommunicatorem, intra brevem aliquem competentem terminum eidem præfigendum, abſolvendus remittatur, licèt etiam Superior hoc caſu idipſum per ſe præſtare jure poſſit.*

*Abſolutio ad cautelam, non niſi parte citata, & viſis actis, cùm dubitatur de nullitate excommunicationis ab homine prolatæ, vel à jure ſi occurrat dubium facti, vel probabile dubium juris, concedenda erit, tuncque ad tempus breve cum reincidentia, & præſtita per excommunicatum cautione de ſtando juri, & parendo mandatis Eccleſiæ tantùm: & ſi juxta formam à jure præſcriptam apparebit, aliquem ob manifeſtam offenſam excommunicatum fuiſſe, debitam etiam ſatisfactionem præſtare. Si verò ob contumaciam manifeſtam, expenſas quoque reficere; ac inſuper cavere de judicio ſiſti coram excommunicatore quis teneatur, priuſquam ad cautelam abſolvatur. Romæ in Sacra Congregatione die 16. Octobris 1600.*

Alex. Card. Florent.
Hieron. Agutius Secret.

§. X.

## De Caſibus, in quibus Jura prohibent appellare: ubi plura de clauſula. *Appellatione remota.*

### SUMMARIUM.

268 *Dantur nonnulli caſus, in quibus Jura litigantibus denegant appellationem.*
*Referuntur verſiculi eoſdem complectentes. Ibid.*
269 *Hi ipſi caſus patiuntur quaſdam limitationes.*
270 *Declarantur ſinguli caſus in ſpecie. Et n. ſeq.*
Ob Scelus *prohibetur quis appellare, quando de eo convictus, & confeſſus eſt. Et n.* 272.
271 *Secùs, quando de ſcelere non ſic conſtat.*
272 *Intereſt Reipublicæ, crimina non manere impunita.*
*De conſuetudine Germaniæ non admittuntur ad appellandum damnati in cauſa criminali, &c. Ibid*
273 Excellentia *Judicis ſupremi impedit appellationem. Remiſſivè.*
274 Pactum *appellare vetat. Et n. ſeqq.*
275 *Appellare prohibetur, qui expreſsè, vel tacitè appellationi renunciat.*
276 Arbitrium *impedit appellationem.*
277 Fatalia *tollunt poteſtatem poſteà appellandi.*
278 *Quando* Dilatio nulla datur, *appellare non licet: idque exemplificatur.*
279 *Clauſula,* Appellatione remota, *impedit appellationem. Et n ſeqq.*
280 *Soli Principi Supremo competit delegare cauſam ſub clauſula,* appellatione remota.
*Et quid de legato à Latere? Ibid.*
281 *Appellatio eſt ſpecies defenſionis.*
*Et quomodo nihilominus à Principe poſſit removeri? Ibid.*
282 *Clauſula,* appellatione remota, *operatur plures effectus; & quos? Et n. ſeqq.*
283 *Judex datus ſub hac clauſula, poteſt exequi ſuam ſententiam, non obſtante appellatione.*
284 *Ac tenet excommunicatio ab eo lata in contumacem poſt appellationem ſuam.*
285 *Judex virtute dictæ clauſulæ non deferens appellationi, minimè punitur.*
286 *Referuntur alii effectus memoratæ clauſulæ. Et num. præced.*
287 *Clauſula,* appellatione remota, *an operetur effectus ſuos in omnibus caſibus? Et n. ſeqq.*
*Non impedit appellationem in caſibus à Iure expreſsè conceſſis. Ibid.*
288 *Referuntur tales caſus.*



289 *Atque iſtud ampliatur ad omnem appellationem, expreſsè à Iure admiſſam. Et hujus exempla.*
290 291 & 292 *Solvitur inſtantia, oſtendendo, quos effectus adhuc operetur clauſula illa.*
293 *Quale remedium competat illi, qui per ſententiam Iudicis dati cum clauſula,* appellatione remota, *ſentit ſe injuſtè gravatum?*
294 295 & 296 *Enumerantur tria remedia, quibus remota, vel aliàs deficiente appellatione, juvari poſſunt injuſtè gravati.*

QUæritur I. An, & qui ſint caſus illi, in quibus Jure prohibente appellari nequit? Reſp. I. Certum eſt, atque ab omnibus conceſſum, dari nonnullos caſus, in quibus Jura litigantibus denegant appellationem. Textus quippe expreſſus iſtud tradit *in cap. Non ſolùm.* §. 1. *h. t. in* 6. ibi: *Exceptis caſibus, in quibus Iura poſt ſententiam prohibent appellare.* Ubi Gloſſa *verſ. Caſibus*, plures tales enumerat, quos alias Gloſſ. *in cap. Romana. eod. in* 6. certis verſiculis complecti nititur: qui tamen auctiùs, ſimulque meliùs, comprehendendo videlicet quindecim tales caſus, ab aliis memoriæ gratia ſic formantur. 268

*Appellare vitant Scelus, Excellentia, Pactum.*
*Arbitrium, Fatale, aut ſi Dilatio nulla.*
*Clauſula, quæ removet. Res quæ notoria conſtat.*
*Corrige, Contemptus, Poſſeſſio, Ius quoque clarum.*
*Poſt Executio, Minima, & Res longiùs acta.*

Fatendum tamen, quòd hi ipſi caſus nonnullas patiantur exceptiones, atque in ipſis locum habet appellatio, quando quis injuſtè ſe ſe gravatum ſenſerit; præſertim, ſi poſſit incontinenti juſtam cauſam appellationis, atque illati gravaminis allegare, per quam elidatur præſumptio juris, quæ ſtat contra appellantem in dictis caſibus exceptis, ſeu prohibitis; uti jam dictum eſt ſuprà §. 4. *num.* 111. & ampliùs patebit ex dicendis. Unde 269

Quæritur II. Quomodò intelligendi ſint ſinguli caſus excepti, atque in relatis verſiculis comprehenſi? Reſp. Eoſdem proſequendo, prout ſtant in relatis verſiculis. Et primò quidem, per ly *Scelus*, intelligitur cauſa criminalis criminaliter mota: nam in hac non admittitur appellatio, poſtquàm de crimine quis convictus eſt, & confeſſus, *L. 2. C. Quorum appellationes non recipiantur.* Vel ſaltem in judicio ſponte confeſſus eſt, & nullam in ſua appellatione allegat cauſam obfuſcativam factæ à ſe confeſſionis; uti vult Farinacius *lib. 3. praxis Criminal q. 101. n. 167. & ſeqq.* citans plurimos alios: & concordant dicta ſuperiùs *Tit. 18. de Confeſſis. § 3. n. 67. 68. & ſeqq.* 270

Quòd ſi verò de ſcelere commiſſo non ſic conſtet, tunc ille, qui de crimine impetitur, benè appellare poteſt; *niſi fortè manifeſtus raptor, vel fornicator exiſtat,* per textum, *in c. Cùm ſit Romana. 5 §. fi. h. t.* juncto *c. Pervenit. 13. & c. Conſuluit. 14. eod.* Concordat Jus Civile, *l. Non tantùm. ff. de Appell.* ubi non ſolùm illi, qui de crimine condemnatus ad ſupplicium ducitur, appellare licet; verùm etiam quilibet alius pro eo, etiam invito, provocare poteſt: idque ex ratione humanitatis, ac pietatis. 271

Eadem Regula, ſive quòd ob *Scelus* non admittatur appellatio, confirmatur ex *l. Conſtitutiones, ff. h. t.* ubi dicitur, conſtitutiones de recipiendis appellationibus *locum non habere in eorum perſona, quos damnatos ſtatim puniri, publicè intereſt: ut ſunt inſignes latrones, vel ſeditionum concitatores, vel duces factionum.* Intellige cum Gloſſa *fin. ibid.* ſi modò ſint convicti, & confeſſi; ut *L. 2 Cod. Quorum appellation. non recip.* vel, ut alii volunt, ſaltem convicti. Nam, ut in allegato textu notanter dicitur, *publicè intereſt* (hoc eſt, ad publicam Reipublicæ quietem, atque indemnitatem pertinet) crimina, præſertim tam atrocia, & communitati pernicioſa non manere impunita. Et hac ratione Layman *c. Quærenti. num. 2. de Offic. Delegat.* atque Engel *h. t. num.* 26. cum aliis notant, quòd ex generali, atque inveterata totius Germaniæ conſuetudine non admittantur ad appellandum damnati in cauſa criminali, cujus pœna eſt corporis afflictiva; cùm experientia teſte compertum fuerit, Reos ordinariè tantùm ad differendum judicium appel- 272

 laſſe.

laſſe, pluraque crimina manſiſſe impunita. His adde dicta ſuperiùs *Tit. præc.* §. 6. *n.* 161. & 162.

273 Secundò per ly *Excellentia*, denotatur excellentia judicis ſupremi; ut putà Papæ, Concilii Generalis, Imperatoris, Regis, ac hujuſmodi. Nam ab his appellare non poſſe, conſtat ex dictis ſuprà § 2. *n.* 42. & *ſeqq.*

274 Tertiò, *Pactum* appellare vetat eos, qui in judicio tranſegerunt; ut *c.* 1. & *ult. de Tranſact.* & *l. Cauſas.* & *l. Non minorem. C. eod.* Item, qui cauſam per delationem juramenti voluntarii, aut judicialis terminarunt; de quo ſuprà *Tit* 24. *de jurejurando* §. 5. & 6. *per tot.*

275 Inſuper ex hoc capite appellare prohibetur, qui expreſsè, vel tacitè, appellationi renunciavit. Expreſsè quidem, v. g. pacto interveniente de acquieſcendo ſententiæ Judicis, & non appellando; ut *L. ult. §. fin. Cod. de Temporib. appellat.* & *L.* 1. *ff. A quibus appellare non licet*, ibi: *Si quis ante ſententiam profeſſus fuerit, ſe à judice non provocaturum, indubitatè provocandi auxilium perdidit*; eſtque jam dictum ſuprà §. 2. *nu.* 51. Tacitè verò, exercendo actum contrarium appellationi, ſicque approbando ipſo facto ſententiam contra ſe latam; ut *c. Sollicitudinem*, 54. §. *fin. h. t.* & *c. Cùm veniſſet.* 25. *de Teſtib.* & *c. Gratum.* 20. *de Offic. Delegat.* cum ſimilibus. Si quidem juri ſuo renunciare præſumitur, qui eidem contrarium facit; per jura citata, & fuſiùs probat Gloſſa *fin. in c. c. Gratum.* Pirhing *h. t. n.* 26. & alii.

276 Quartò impedit appellationem *Arbitrium*. Nam ſi qui, prætermiſſo Judice ordinario, compromiſerunt in Arbitrum (quod intellige de Arbitrio voluntario, non autem de Arbitrio juris, ſive neceſſario) tenentur ſtare ejus arbitrio, neque appellare poſſunt ab eo; dummodò non contineat manifeſtam iniquitatem per partes non remiſſibilem: uti habetur *L.* 1. *C. de Recept. arbitris*, ibi: *Ex ſententia arbitri, ex compromiſſo jure perfecto aditi, appellari non poteſt.* Concordat textus *in c. A judicibus.* 2. *q* 6. juncto *c. Non ſine.* 2. §. *fin. de Arbitris.* Et meritò: nam tales de injuria Judicis ſibi facta conqueri non poſſunt; ſed omnia ſuis pactionibus, & compromiſſo voluntario, imputare debent.

277 *Fatalia* appellationis tum interponendæ intra decendium, tum introducendæ, & proſequendæ, ac finiendæ tempore legitimo, ſi non obſerventur, tollunt poteſtatem poſteà appellandi; prout uberiùs ſuprà §. 6. *per totum* dictum fuit.

278 Sextò, appellare non licet, quando *Dilatio nulla* datur: hoc eſt, *quando res dilationem non recipit, non permittitur appellare: veluti, ne teſtamentum aperiatur, ne frumentum in uſum militum, in annonæ ſubſidia contrahatur*, & hujuſmodi; prout ſtatuitur, atque exemplificatur, *L. ult ff. de Appellation. recipiend.* Talia ſiquidem, admiſſa appellatione, aut præjudicium grave inferrent, aut penitùs interirent, ſicque dilationem non recipiunt: &, cùm ſit periculum in mora, non admittunt appellationem, ſaltem quoad effectum ſuſpenſivum.

279 Septimo, *Clauſula quæ removet* (hoc eſt, quando cuipiam à Principe delegatur cauſa cum addita clauſula, ut in cauſa illa procedat *Appellatione remota*) impedit appellationem. Textus eſt *in L.* 1. §. *fin ff. A quibus appellare non licet*, & *c. Paſtoralis*, 53. *h. t.* ubi Papa deſuper conſultus reſpondet, quod per hujuſmodi clauſulam non ſolùm appellatio fruſtratoria videatur inhibita, utpote per quam cæteroquin negotium non debet impediri: ſed etiam *quælibet provocatio intelligatur removeri, quæ à Jure non indulgetur expreſsè.*

280 Additur notanter ly, *à Principe*. Soli enim Principi ſupremo, putà Papæ, vel Imperatori competit, contra Leges communes, omnibus appellationem permittentes, delegare cuipiam cauſam cum clauſula, *Appellatione remota*; juxta *L.* 1. *fin. ff A quibus appellare non licet*. Adeò, ut nullus inferior Principe hac clauſula uti poſſit. Maranta *part.* 6. *Speculi Aurei, tit. de Appellat. n.* 337 Barboſa *tract. de Clauſulis, clauſ.* 9. *num.* 2. citans alios. Ac etiam Legatus à Latere non poſſit ſub illa clauſula ſubdelegare, *c. Super quæſtionum.* 27. §. *Si verò de Offic. Delegat.* Niſi id ſpecialiter ei fuerit conceſſum. Barboſa *loc. cit. num.* 3. poſt Marcheſ. *de Commiſſ. part.* 1. *cap.* 8. *num.* 77.

281 Dices: appellatio eſt ſpecies defenſionis, *can. Cùm ſpecialis.* 61. §. *Porrò. h. t.* Atqui defenſio eſt cuilibet conceſſa de Jure naturali; ergo non poteſt tolli per Principem: nam quæ ſunt de Jure naturali nequit is tollere, veluti inferior, ac ſubjectus infimet juri naturali, *Clem. Paſtoralis.* §. *Cæterum defectus. de ſent. & re judic.* Reſp. diſting. maj. Appellatio eſt defenſio judicialis, atque ſecundùm ſuam formalitatem, ſive modalitatem inducta per Leges, ac jus poſitivum humanum, conced. Eſt defenſio merè naturalis, ſeu inducta à ſolo jure naturali, neg. maj. Et eodem modo diſtincta minori, neg. conſequent. Quia, ut inquit Abbas *ad Rubric. h. t. n.* 7. & Scaccia *qu.* 16. *de Appell. nu.* 22. citans alios, in appellatione ſunt duo: videlicet ſubſtantia appellationis, conſiſtens in hoc, ut juſtitia reddatur adverſus iniquitatem, vel imperitiam judicis: & formalitas, ſeu modalitas appellationis, ſecundùm quam à ſententia diffinitiva poteſt liberè appellari, etiam non præallegata cauſa ejus. Princeps igitur per clauſulam *appellatione remota* (idem dicendum de aliis hujuſmodi clauſulis, ac modis tollendi appellationem) removet duntaxat formalitatem, ſeu modalitatem appellationis, ne videlicet admittatur cauſa gravaminis anteà non expreſſa: non verò tollit ſubſtantiam ipſius, quia non prohibet juſtitiam reddi adverſus iniquitatem, vel imperitiam judicis ritè probatam; haud obſtante, quòd ob authoritatem judiciariam præſumat ſententiam eſſe juſtam, donec hæc præſumptio elidatur per contrariam probationem. Verùm pro meliori intelligentia dictæ clauſulæ

282 Quæritur III. Quos effectus operetur clauſula, *Appellatione remota*? Reſp. Operari plures effectus: uti videre eſt apud Abbatem *c. Ut debitus.* 59. *n.* 14. *h. t.* ubi decem ejus effectus enumerat: & Barboſam *tract. de Clauſulis, clauſ.* 9. per totum. Horum principaliores ſunt, qui ſequuntur. I. Quia dicta clauſula non admittit appellationem, niſi in caſibus à jure expreſſis, *cit. c. Paſtoralis.* 53. *h. t.*

283 II. Clauſula hæc operatur, ut Judex *à quo* non obſtante appellatione, poſſit ſuam ſententiam mandare executioni, niſi priùs appellatio ex certa ſcientia fuerit recepta à Principe: ut *c. Super quæſtionum.* 27. §. *Porrò, de Offic. Deleg.* ac notat Abbas *loc. cit. n.* 14. & Barboſa *cit. Clauſ.* 11. *n.* 9. allegans plures alios. Ratio eſt: quia judex datus cum clauſula, *Appellatione remota*, non tenetur deferre appellationi, niſi in caſibus à jure expreſſis, *c. c. Paſtoralis. h. t.* Et conſequenter poteſt exequi ſententiam ſuam: niſi forſan Princeps ex certa ſcientia admiſerit appellationem, ut *c. Paſtoralis.* 28. §. *Præterea, de Offic. Delegat.*

284 Ampliatur effectus iſte, ut teneat excommunicatio, quam Judex datus ſub clauſula, *appellatione remota*, profert in contumacem poſt appellationem ipſius: dummodò appellatio illa non ſit expreſſè approbata à jure. Abbas *c. Paſtoralis.* 53. *n.* 9. & Francus *ibid. n.* 7. *h. t.* Scaccia *de Appellat. q.* 17. *limit.* 22. *num.* 56. Barboſa *cit. Clauſ.* 9. *n.* 17. & alii.

285 III. Clauſula illa operatur, quòd Judex virtute talis clauſulæ, extra caſus in jure expreſſos, non deferens appellationi, minimè puniatur. IV. Operatur, quòd innovata poſt interpoſitam appellationem, non poſſint revocari per viam attentati. V. Quòd, ubi aliàs appellatio operatur ſuſpenſionem juriſdictionis Judicis *à quo*, virtute hujus clauſulæ perdit appellatio iſtum effectum. Ratio eſt, quæ ſupra: quia videlicet Judex ſub tali clauſula datus, non tenetur deferre appellationi niſi in caſibus à jure exceptis: unde iſtud faciens, ſeu authoritate Legis, aut Principis non deferens appellationi, minimè peccat, ſicque puniri nequit, ſimulque validè, ac licitè procedit.

286 VI. Clauſula illa operatur, ut Reſcriptum poſterius non revocet prius datum ſub clauſula, *Appellatione remota*, niſi prioris Reſcripti, ac etiam hujus clauſulæ, faciat expreſſam mentionem. Abbas *cit. num.* 14. iſtud probans ex *c. Ex conqueſtione.* 10. & *notatis ibid. de Reſtit. ſpoliat.* iſtudque amplians ad quamlibet aliam notabilem clauſulam, *arg. cap.* 2. *de Dolo & contum.* & *c. Poſtulaſti*, 27. *de Reſcriptis.* Tacentur alii effectus memoratæ clauſulæ, apud Abbatem, & Barboſam, *ubi ſuprà*, & alios videndi.

287 Quæritur IV. Utrùm clauſula illa, *appellatione remota*, operetur effectus ſuos omnibus in caſibus: & quando ſecùs?



ſecus? Reſp. I. Regula illa, quòd clauſula, *appellatione remota*, impediat appellationem, fallit in nonnullis caſibus: & quidem imprimis in illis, ubi appellatio à Jure conceditur expreſsè. Textus eſt *in c. c. Paſtoralis.* 53. *h. t.* ubi dicitur, quòd per hanc clauſulam *quælibet provocatio*, ſeu appellatio: *intelligitur removeri, quæ à jure non indulgetur expreſsè*: & conſequenter, ubi hæc à Jure conceditur expreſsè, locum habebit.

288 Porrò plures ſunt caſus, in quibus jure expreſsè concedente licitum eſt appellare, haud obſtante clauſula illa, *appellatione remota*, quos refert Gloſſa *cit. c. Paſtoralis.* 53. *V. Expreſsè. h. t.* Sic primò expreſsè indulgetur appellatio, non obſtante illa clauſula, quando judex denegat ſpoliato reſtitutionem ſpolii, *arg. c. Ex conqueſtione. de Reſtit. ſpoliat.* Deinde, quando Delegatus eſt conſanguineus ejus, qui Litteras impetravit, aut fuit Advocatus ipſius in eadem cauſa, vel ex alia juſta cauſa ſuſpectus eſt, poterit is recuſari: & ſi non vult admittere recuſationem, poteſt ab eo appellari, quamvis ſub clauſula, *appellatione remota*, fuerit ipſi negotium commiſſum, *cap. Poſtremò*, 36. *de Appellat.* Ulteriùs poteſt appellari non obſtante clauſula illa, ſi partes citantur ad locum non tutum, *c. Ex parte* 47. *h. t.* Tacentur alii conſimiles caſus.

289 Reſp. II. Non ſolùm, quando Jus expreſsè admittit appellationem, haud obſtante clauſula, *appellatione remota*; ſed generaliter omnis appellatio, cæteroquin à jure approbata; videtur tunc permiſſa, licèt jura non exprimant caſum, quòd appellatio ſit remota. Ita Hoſtienſis *in d. can Paſtoralis. v. Expreſsè.* & Abbas *ibid. n.* 14. citans Doctores communiter; ac ſequitur Pirhing *h. t. n.* 79. Ratio eſt: quia hoc ipſo, quòd Jura permittant appellare, gravamen videtur manifeſtum: atqui remotio appellationis non impedit appellationem, ubi quis manifeſtè gravatur, juxta Gloſſam *c. Ex conqueſtione.* 10. *v. Poſt appellationem. de Reſtit. ſpoliat.* ergo. Exempla hujus habentur *in c. Significantibus.* 49. *de Appellat.* ubi licitè appellat Reus, ſi non auditur, petens declarari rem petitam in libello adverſarii; v. g. quam terram Actor petat in libello, ſi Reus plures terras habeat. Item *cap. Ad audientiam.* 31. & *c. Significante.* 34. & *c. Rodulphus.* 35. & *c. Significavit.* 36. *de reſcript.* & alibi: ubi Papa, *ſi eſt ita*, jubet revocari in irritum &c. ſicque cauſam ibidem expreſſam gravaminis, juſtam agnoſcit.

290 Dices. Si hæc reſponſio ſubſiſtit; ergo clauſula illa, *appellatione remota*, nullum operabitur effectum. Nam vel appellatio eſt facta ſine cauſa, & ſic tanquam frivola cæteroquin nihil valet *c. c. Paſtoralis.* 53. *h. t.* & *can. Cùm appellationibus. eod. in* 6. Vel eſt facta ex cauſa & juſto gravamine; & ſic juxta proximè dicta admitti debebit appellatio, non obſtante illa clauſula; ergo. Reſp. neg. ſeq. Quia imprimis hæc clauſula id operatur, ut appellatio, etiam cæteroquin juſta, admitti non debeat, niſi cauſa gravaminis antea exprimatur, atque propter eam expreſsè in Jure concedi appellationem reperiatur: ut *d. c. Paſtoralis.* 53. *h. t.* Cùm tamen cæteroquin à diffinitiva ſententia abſolutè licitum ſit appellare, nulla in ſpecie expreſſa cauſa gravaminis; ut dictum *ſuprà* §. 4. *num.* 108. Engel *h. t. n.* 36.

291 Deinde clauſula hæc id operatur, ut appellatio interpoſita (extra caſus à Jure expreſſos) non ſuſpendat juriſdictionem Judicis *à quo*: unde iſte non cogitur appellationi deferre, poteſtque ſententiam ſuam mandare executioni, non obſtante facta appellatione: antequàm à Superiore ex certa ſcientia recipiatur ejuſmodi appellatio. Abbas *c. c. Paſtoralis. n.* 9. *h. t.* iſtud ulteriùs probans ex *c. Paſtoralis.* 28. *v. Præterea. de Offic. Deleg.* ubi clauſula illa, *appellatione remota*, ſuum operatur effectum, donec Superior, ſeu Papa, appellationem à diffinitiva, ex certa ſcientia recipiat. Idem tradit Pirhing *h. t. n.* 75.

292 Accedit tertius dictæ clauſulæ effectus, ſed ex præcedenti conſequens: quia attentata à Judice *à quo* poſt ejuſmodi appellationem non revocantur à Judice ſuperiore per viam nullitatis, ſed ſolùm per viam querelæ. Ratio eſt: quia, ex quo non fuerat ſuſpenſa juriſdictio Judicis *à quo* per dictam appellationem, tenuerunt geſta ab ipſo; & conſequenter hoc ipſo nequeunt revocari per viam nullitatis: licèt poſſint à Superiore revocari per viam querelæ, ubi cognoſcuntur continere aliquam iniquitatem, ſeu gravamen injuſtum. Abbas *c. c. Paſtoralis. n.* 11. *h. t.* Pirhing *eod. n.* 75. His adde cæteros effectus ſuprà *n.* 282. & *ſeqq.* jam expreſſos.

293 Quæritur V. Quale remedium competat illi, qui per ſententiam Judicis dati cum clauſula, *appellatione remota*, ſentit ſeſe injuſtè gravatum? Reſp. I. Ejuſmodi injuſtè gravatus poteſt imprimis appellare, non obſtante clauſula illa, dummodò priùs exprimat cauſam gravaminis. Ita deſumitur ex *c. c. Paſtoralis.* 53. *h. t.* ubi dicitur: *Sed ſi appellans fuerit gravatus injuſtè, gravamen hujuſmodi per Superiorem poterit emendari.* Ubi Abbas *n.* 15. rectè ponderat ly, *appellans*: ac proinde infert cum communiori, quòd talem injuſtè gravatum teneatur Superior audire etiam per viam appellationis, eique ſuccurrere; & non ſolùm (ut nonnulli alii voluerunt) per viam querelæ gravamen illud ſit revocandum. Accedit, quòd Princeps per appoſitionem dictæ clauſulæ non cenſeatur cuipiam penitus auferre facultatem appellandi, cùm appellatio ſit ſpecies quædam defenſionis; ſed ſolùm, ne liberè poſſit appellari, etiam nulla priùs allegata cauſa gravaminis; ut jam dictum eſt ſuprà *n.* 108. & 111. & *n.* 269. Hinc Barboſa *cit. Clauſ.* 9. *n.* 23. cum aliis tradit, quòd clauſula, *appellatione remota*, non tollat appellationem, quotieſcunque incontinenti quis paratus eſt docere de juſta, & legitima cauſa appellandi.

294 Reſp. II Inſuper remota, ſeu aliàs deficiente appellatione, poteſt quis injuſtè gravatus juvari aliis remediis: atque imprimis opponendo nullitatem ſententiæ. Ita Sigiſm. Scaccia *quæſt.* 19. *de Appellat. Remed.* 1. Gailus *lib.* 1. *Pract. Obſerv.* 135. *num.* 7. & alii; eſtque jam dictum ſuprà §. 1. *n.* 24. & *ſeqq.* Siquidem appellatio, & nullitas ſententiæ, hujuſque oppoſitio, ſunt diverſa Juris remedia; ac proinde ſublato uno, non tollitur alterum. Hinc *c. Inter cæteras.* 9. *de Sentent. & re judicat.* expreſsè dicitur, quòd ſententia iniqua retractetur per Superiorem, licèt cauſa fuerit commiſſa ſub clauſula, *Appellatione remota.*

295 Aliud remedium, eſt Supplicatio: nam ſupplicare quilibet poteſt, quantumcunque remota ſit appellatio, juxta dicta ſuperiùs §. 1. *n.* 20. Quamquàm hodie uſus ſupplicandi propèmodum ab Aulis receſſerit, atque in ejus locum ſucceſſerit Reviſio; de qua jam dictum ſuprà §. 2. *n.* 48. & *ſeqq.*

296 Tertium remedium, eſt Reſtitutio in integrum: hæc enim poteſt dari adverſus ſententiam inappellabilem, quando per eam quis graviter læſus fuit; ut *l. Minor.* §. 2. *ff. de Minorib.* Sive dein ſit inappellabilis ex natura cauſæ, ſive ob excellentiam Judicis, aut commiſſionem cauſæ ſub clauſula, *Appellatione remota.* Et de hoc remedio fuſiſſimè agit Scaccia *q.* 19. *de Appellat. Remed.* 2. *n.* 1. & *ſeq.* atque oportet huc applicare ea, quæ ſuperiùs *Lib.* 1. *Tit.* 41. *De in integrum Reſtitutione*, per totum, ex profeſſo dicta fuerunt.

## §. XI.

## Declarantur alii caſus in quibus appellare non licet.

*SUMMARIUM.*

297 *Appellatio non admittitur*, Si res notoriè conſtet.
298 *In dubio tamen ea admittitur.*
299 *Notorium, quid dicatur?*
300 *A legitima correctione non admittitur appellatio, præſertim in Regularibus.*
301 *Niſi modus excedatur.*
302 *Idipſum procedit etiam in Clericis ſæcularibus.*
303 Contemptus *impedit fieri appellationem.*
*Et quid per Contemptum hic intelligitur? Ibid.*
304 Poſſeſſio, *ſeu ſententia lata in poſſeſſorio, non admittit appellationem.*
305 *Fallit iſtud in poſſeſſorio magni præjudicii, ſaltem ſpectato Jure Canonico.*
306 *Et quid ſpectato Jure Civili? Et n. ſeq.*
307 *Solvitur inſtantia.*

308 *Appellare vetat*, Ius clarum.
309 *Appellationem non admittit* Executio *ſententiæ &c.*
310 *Sicut nec* Res minima, *ſaltem ſpectatis ſpecialibus locorum Statutis.*
311 *De Jure Canonico tamen poteſt appellari etiam pro cauſis minimis.*
312 Res longiùs acta *non recipit appellationem.*
*Ab eadem ſententia, & ſuper eodem articulo, non licet eidem ter appellare. Ibid.*
313 *Secùs ſuper diverſis articulis, etiam ejuſdem cauſæ.*
314 *Et quid, ſi modò una, modò altera pars ſuccumbat, & appellet?*
315 *Quæ remedia competant poſt ſecundam appellationem?*

297 OCtavò, non admittitur appellatio, *Si res notoriè conſtet*, ſive ob notorietatem facti. Patet iſtud ex *c. Cùm ſit Romana. 5. §. fin. & c. Pervenit. 13. & c. Conſuluit. 14. h. t.* ubi Summarium, Gloſſa, & DD. Quotieſcunque enim de cauſa, ſive delicto notoriè conſtat, jam appellatio tantum interponeretur ad differendam litem, atque impediendam executionem juſtæ ſententiæ. Unde tali appellatione, ut pote de cujus iniquitate conſtat, non eſt ferendum: *Cùm appellationis remedium non ſit ad defenſionem iniquitatis, ſed ad præſidium innocentiæ inſtitutum:* prout loquitur Pontifex *in can. Cùm ſpeciali. 61. §. Porrò. h. t.* Et hinc convictus in judicio, ſimulque ſpontè confeſſus, appellare prohibetur, *l. Obſervare. C. Quorum appellationes non recip. & c. Ei qui appellat. §. Nullus etiam. 2. q. 6.* Ubi dicitur: *Nullus etiam homicidarum, veneficorum, maleficorum, adulterorum, itemque eorum, qui manifeſtam violentiam commiſerunt, argumentis convictus, teſtibus ſuperatus, voce etiam propria vitium ſcelusque confeſſus, audiatur appellans.* Hæc ibi.

298 Veruntamen Pontifex *in cit. c. Conſuluit. 14. h. t.* notanter monet; *Cum multa dicantur notoria, quæ non ſunt, providendum eſſe, ne quod dubium eſt, pro notorio habeatur.* Nam in factis, & delictis dubiis, dummodò cauſa probabilis coram Judice exprimatur, benè admittitur appellatio: ſi tamen appellans hanc non proſequitur, aut cauſam allegatam non probat, Judex *à quo* procedet in cauſa juxta *c. Cùm ſpeciali. 61. h. t.*

299 Porrò, *Notorium* in propoſito dicitur illud factum, ſive crimen, de quo conſtat *vel per evidentiam rei, quæ nulla poſſit tergiverſatione celari*; ut dicitur *c. ult. de Cohabitat. Cleric. & c. Cùm olim. 24. de Verb. ſignif.* Vel de quo conſtat per propriam confeſſionem Rei factam in judicio; uti habetur *ll. cc. & c. Cùm ſpeciali. 61. de Appellat.* Quòd tamen intelligendum eſt de confeſſione ſpontè facta, & non metu gravi, aut vi tormentorum extorta. Pirhing *h. t. n. 30.* Vel, de quo patet per ſententiam condemnatoriam, à qua non fuit appellatum; ut *cit. cap. ult. de Cohabitat. Cleric.* juncto *c. 1. de Exception.* Aut, de quo conſtat per teſtes idoneos, aliaſq; legitimas probationes, ſi illis nihil poſſit opponi, ſitque jam in cauſa concluſum *cit. c. Cùm olim de Verb. ſignif.* juncta Gloſſa *in c. Significaverunt. V. Liquere de Teſtib.* Pirhing *h. t. n. 55.*

300 Nonò, ly *Corrige* denotat, non admitti appellationem à legitima correctione. Textus eſt *in c. Licèt. 12. de Offic. Ordinar.* ibi: *Licèt in corrigendis exceſſibus, juxta canonicas ſanctiones, appellationis ſit diffugium interclusum:* junctis concordantiis à Gloſſa *ibid. V. Interclusum*, relatis. Idque vel maximè procedit in Regularibus, *c. Reprehenſibilis. 26. §. fin. h. t. & c. Ad noſtram. 3. eod.* Ubi expreſſè ſtatuitur, quòd à legitima correctione Prælati Regularis, facta videlicet juxta Regulæ præſcriptum, & Ordinis Conſtitutiones, cauſa diſciplinæ Regularis, non ſit admittenda appellatio; niſi modus excedatur. *Quia* (ut loquitur ibi Pontifex) *remedium appellationis non ideò eſt inventum, ut alicui à Religionis, & Ordinis obſervantia exorbitanti, debeat in ſua nequitia patrocinium exhibere.*

301 Additur notanter cum Summario, & Doctoribus ibidem, *niſi modus excedatur.* Nam ut argumentatur Abbas *cit. c. Ad noſtram. n. 7. h. t.* argumento à ſenſu contrario deſumpto, etiam Religioſis permittitur appellatio, quando indebitè, & contra Ordinis Conſtitutiones prægravantur per Superiorem ſuum: haud obſtante, quòd hic procedat per viam correctionis, *arg. c. Reprehenſibilis. 26. §. fin. h. t.* Ubi Religioſis per Superiores ſuos indebitè excommunicatis, ſeu aliter gravatis, ac proinde appellantibus, rigoroſè præcipitur obſervantia dictæ Decretalis: & conſequenter indebitè gravati contra Ordinis Conſtitutiones, poſſunt appellare.

Inſuper ſæcularibus etiam Clericis *in cit. c. Reprehen-* 302
*ſibilis. 26. h. t.* præcipitur, *ne contra diſciplinam Eccleſiaſticam in vocem appellationis erumpant. Si verò quiſpiam pro ſua neceſſitate crediderit appellandum, competens ei ad proſequendam appellationem terminus præfigatur: infrà quem ſi fortè proſequi neglexerit, tunc Epiſcopus liberè ſua authoritate utatur. &c.* Hæc Pontifex; poſtmodùm ſubjungens pænam recompenſationis expenſarum, in quas condemnatur appellans non proſequens ſuam appellationem, appellato veniente, hancque proſequente.

Decimò, *Contemptus* impedit fieri appellationem. Ubi 303
per *Contemptum*, intelligitur contumacia Judici exhibita in veniendo. Nam verus contumax (id eſt, ille, qui tribus Edictis propoſitis, vel uno pro tribus, quod *Peremptorium* vocant, legitimè per Judicem citatus eſt, & tamen non impeditus morbo, aut alia legitima cauſa, præſentiam ſui facere, & venire contemnit) talis, inquam, verus contumax à ſententia contra eum lata appellare nequit: & appellans non auditur, poſtquam negotio priùs ſummatim perſcrutato ſuper contumacia ſua condemnatus fuit. Textus eſt *in L. 1. C. Quorum appellation. non recipiant.* ubi proinde Bartolus *in Summario* breviter inquit: *Verus contumax non appellat.* Idem patet ex *l. Ex conſenſu. ff. de Appellat & l. Contumacia ff. de Re judicat.* In quo poſteriori loco dicitur: *Contumacia eorum, qui jus dicenti non obtemperat, litis damno coercetur:* hoc eſt (ut explicat Gloſſa *ibid. V. Litis damno coercetur*) *ut non appellent*; quamvis non illico amittant cauſam principalem, ſi cæteroquin juſtam cauſam foveant.

Undecimò, *Poſſeſſio*, ſive ſententia lata in Judicio poſ- 304
ſeſſorio non admittit appellationem. Textus eſt *in l. un. C. Si de momentanea poſſeſſione &c.* juncto Canone *Ei qui appellat. §. De poſſeſſione 2. q. 6.* ibi. *De poſſeſſione etiam, & ejus momento, ſi cauſa dicatur (quæ ſententia interlocutoria appellatur) quamvis provocatio interpoſita fuerit, tamen lata ſententia ſortitur effectum.* Ubi Gloſſa *verſ. Momento* hoc intelligit de momentanea poſſeſſione: quia tunc non appellatur propter modicitatem præjudicii; cùm iſtud illico atque in momento ceſſet, ſi condemnatus in poſſeſſorio poſteà probet de proprietate rei. Siquidem ſententia lata ſuper proprietate rei, abſorbet ſententiam ſuper ejus poſſeſſione: ut *c. Cùm dilectus 6. de Cauſa poſſeſſ.* cum ſimilibus.

Cæterùm loquendo de ſententia, præſertim diffini- 305
tiva, ſuper poſſeſſorio magni præjudicii, lata ſpectato Jure Canonico habet locum appellatio; ut *c. Cum ad ſedem. 15. de Reſtit. ſpoliat. & Clem. un. de Cauſa poſſeſſ.* ubi talis appellatio ſuper poſſeſſorio reperitur facta, & alibi. Accedit ratio: tum quia *cit. c. Ei qui appellat. 2. qu. 6.* ſolùm fit mentio de ſententia interlocutoria ſuper poſſeſſione lata. Tum quia ſententia ſuper poſſeſſorio lata poteſt etiam eſſe maximi præjudicii: ut ſi non poſſunt haberi aliæ probationes ſuper proprietate rei; nam tunc ex defectu poſſeſſionis perderet quis etiam proprietatem, niſi appellare valeret: ut taceantur alia privilegia poſſeſſionis, de quibus ſuprà *Tit. 12. De cauſa Poſſeſſionis, & Proprietatis. §. 2. n. 39. & ſeq.* fuſiùs agitur. Tum tandem, quia de Jure Canonico poteſt appellari etiam in minimis, *c. De appellationibus. 11. h. t.*

Et hinc Gloſſa *in c. Cùm ad ſedem. V. Interdictum. de* 306
*Reſtit. ſpoliat.* & nonnulli volunt, dictum illud, quòd non poſſit appellari in cauſa poſſeſſionis, procedere ſolùm ſpectato Jure Civili, non verò de Jure Canonico. Imò Abbas *in d. c. Cùm ad ſedem. n. 30. de cauſa poſſeſſ.* aſſerit, quod non putet, utilem eſſe proviſionem Legalem: quia licèt certo reſpectu quæſtio poſſeſſoria videatur modici præjudicii, tamen alio reſpectu poteſt eſſe maximi præjudicii; idque ob rationes hactenus allatas.

Quod ſi dicas, non eſſe recedendum à diſpoſitione 307
Juris Civilis, ubi de Jure Canonico non reperitur contrarium diſpoſitum, *arg. cap. 1. Novi operis nuntiat.* Atqui in propoſito de Jure Canonico non reperitur contrarium diſpoſitum, quàm habetur *in cit. L. un. Cùm de Momentanea poſſeſſ. &c.* Imò hæc videtur canonizata *in can. Ei qui appellat. 2. quæſt. 6.* cujus verba *numer.* 304. referuntur; ergo. Reſp. neg. min ob SS. Canones *n. 305.* citatos. Si verò placeat, nullam quoad propoſitum inter Jus Civile, & Canonicum, admittere diſcrepantiam: poteſt dici cum Abbate *cit. can. Cùm ad ſedem n. 30.* allegante pro ſe Bartolum, quòd etiam de Jure Civili ſemper poſſit appellari, ſed per appellationem non impediatur executio ſententiæ; prout hoc ipſum videtur velle *cit. L. un. Cùm de Momentanea poſſeſſ.* illis verbis: *Tamen lata ſententia ſortitur effectum.* Simile quid habetur *l. Ab executione. C. Quorum appellat. non recip.*





308 Duodecimò vetat appellare *jus clarum.* Nam cenſetur appellatio frivola, atque iniqua, ſi interponatur circa illud, quòd Judex ſecundùm clarum Juris textus definivit, atque præcepit. Siquidem Jus commune neminem gravat, ſicque ceſſat ratio appellationis interponendæ; nempe injuſtum gravamen, ad quod tollendum inventa fuit appellatio. Quinimò deferre appellationi contra Jus clarum, aut contra executionem ipſius, aliud non foret, quàm præſidium ſubminiſtrare inobedientiæ. Unde ſi Epiſcopus mandet Clerico, nullam juſtam excuſationem habenti, ut reſideat in ſuo Beneficio, & is appellet, non eſt audienda ejus appellatio, *c. Relatum. 4. de Cleric. non reſid.* Simile quid habetur *c. Conſuluit. 29. de Appellat.* juncta Gloſſa *ſin ibid.* generaliter inſerente, quòd appellatio, quæ fit contra Leges, vel Canones, non ſit aliquatenus admittenda. Veruntamen hoc limitare oportet, niſi quis alleget cauſam rationabilem, ob quam Jus generale in tali caſu locum habere non videatur: ſed tunc hoc ipſo Jus non eſt clarum.

309 Decimotertiò, *Executio* non admittit appellationem: ſiquidem ab executione ſententiæ, quæ in rem tranſiit judicatam, aut ſecundùm clarùm Juris textum lata fuit, non licet appellare; niſi forſan Executor, malè ſententiam interpretatus, excedat modum executionis. Textus eſt clarus *in l. Ab executione. C. Quorum appellationes & c. & l. Ab executore. ff. de appellat.* Concorda: *c. Novit. 43. h. t. & c. Quod ad conſultationem 15. §. Sed nec de Sent. & re judic. & c. Super quæſtionem. 27. §. Nos autem de Offic. Deleg. et.* juncta Gloſſa *v. Executorem.* & Abbate *ibid. nu. 11.* & aliis. Accedit ratio: quia merus Executor (niſi modum excedat) non gravat exequendo ſententiam Judicis; cùm non habeat cognitionem cauſæ, ſed nudum miniſterium: & ſi quod gravamen interveniret, id à ſententia Judicis oriretur, qui mandavit, à qua proinde appellandum erit, niſi aliud obſtet; eſtque jam dictum ſuprà *Lib. 1. Tit. 29. de Offic. & poteſt. Judic. Deleg. § 7. n. 157.*

310 Decimoquartò, *Minima res* non admittit appellationem, ſaltem ſpectatis ſpecialibus diverſorum locorum Statutis: eò quòd res minimæ, atque exigui momenti, non mereantur appellationem, atque protractionem litis. Sic in Curia Romana, non admittitur appellatio in cauſis non excedentibus quinque Ducatos auri de Camera; uti refert Barboſa *can. de Appellationibus. 11. n. 3. h. t.* ſimilia de nonnullis aliis allegans. Similiter in Camera Imperiali, appellationes regulariter non recipiuntur, ſi ſumma appellationis ſit infra centum quinquaginta florenos; teſte Gailo *lib. 1. Pract. Obſerv. 123. n. 1.*

311 Cæterùm de jure Canonico poteſt appellari etiam pro cauſis minimis, *text. clar. c. c. De appellat. 11. h. t.* Siquidem appellatio non eſt fundata ſuper quantitate gravaminis, ſed ſuper injuſtitia ſententiæ, atque iniquitate ſeu imperitia judicis, *L. 1. §. 1. ff. de Appellat.* qualis etiam in cauſis minoribus intervenire poteſt. Et ob hanc cauſam infert Pirhing *n. 36. h. t.* etiam de Jure Civili poſſe appellari in cauſis minoribus: ut *l. Et in majoribus. C. h. t.* ibi: *Et in majoribus, & in minoribus negotiis appellandi facultas eſt.* Quamvis nonnulli contradicant, qui poſtmodùm per cauſas minores, cum Gloſſa *ibid.* intelligunt civiles; & econtrà per majores, intelligunt cauſas criminales.

312 Decimoquintò, *Res longius acta*, ſive protelata, non recipit appellationem. Et hoc inter alia fit ex eo: quia ab eodem ſententia, & ſuper eodem articulo, ſive gravamine lata, eidem ter appellare non licet; prout habetur expreſſum *in L. un. C. Ne liceat in una eademque cauſa ter provocare. & c. Sua nobis. 65. h. t.* Idque meritò ſtatutum fuit: tum ne detur proceſſus in infinitum, & lites evadant propemodum immortales: tum quia præſumptio eſt contra eum, qui tam in priori inſtantia, quàm bis provocando, ter ſuccubuit. Et hoc procedit non ſolùm in appellatione à diffinitiva, verùm etiam in appellatione ab interlocutoria. Barboſa *cit. c. Sua nobis. n. 2. h. t.* allegans alios. Procedit etiam in illis cauſis, quæ non tranſeunt in rem judicatam: licèt enim in his poſſit cauſa de novo inchoari, non tamen poteſt tertiò appellari. Abbas *d. can. Sua nobis. n. 7. h. t.*



Dicitur notanter primò, *ab eadem ſententia, & ſuper* 313
*eodem articulo &c.* Nam ſi quis millies ſuper diverſis articulis, licèt in eadem cauſa, gravaretur, poſſet is toties appellare; ut *c. Quoties Epiſcopus. 2. q. 6.* ac notat Abbas *c. c. Sua nobis. n. 7. h. t.* Quia ſemper appellare licet ſuper diverſo gravamine, ſive articulo.

Dicitur ſecundò, *eidem ter appellare non licet.* Nam ſi 314
modo una, modo altera pars ſuccumbat, cuilibet bis appellare licet, ſed nulliter. Hinc ſi Titius contra Cajum litigans, in prima inſtantia condemnetur, poteſt Titius appellare: ſi dein in altera inſtantia Cajus condemnetur, poteſt etiam is appellare: quòd ſi denuò condemnetur Titius, rurſus huic appellare licebit: & ſi iterum Cajus damnetur, & ipſi adhuc licebit appellare. Tunc autem, ex quo quilibet bis appellavit, neutri amplius licebit appellare: atque obtinebit is qui in ultima inſtantia ſuperando, tres conformes ſententias pro ſe reportavit, *arg. Clem. 1. de re judicat.* ac notat Abbas *cit. num. 7.* Et hoc idem juris eſt, ſi quis non interpolatim, ſed ſucceſſivè bis appellaverit: ut ſi Titius adverſus ſententiam in prima inſtantia contra ſe latam appellet, & ipſa confirmetur; ſicque Titius ſecundò appellet: nam ſi ſententia illa denuò confirmetur, non eſt locus tertiæ appellationi.

Quamvis autem, juxta hactenus dicta, non ſit lici- 315
tum tertia vice appellare; adeò quidem, ut neque Papa, neque alius Princeps ſupremus poteſtate ſua ordinaria, mediante Reſcripto concedere cenſeatur facultatem appellandi tertia vice: poteſt tamen imprimis id Princeps concedere per viam privilegii, ac ex certa ſcientia. Pirhing *h. t. num. 126.* Deinde, licèt quis non audiatur tertiò per viam appellationis, auditur tamen per viam nullitatis ſententiæ: oſtendendo videlicet, quod prior ſententia fuerit ipſo jure nulla: ita tamen, ut ſententia priùs poſſit executioni mandari, *Clem. 1. de Sentent. & re judic.* eſtque jam dictum ſuprà §. 1. *nu. 27.* Poteſt inſuper tunc peti reſtitutio in integrum, ſervatis tamen aliis de jure ſervandis, *l. Minor. §. 2. ff. de Minor.* Tandem poteſt etiam ſupplicari principi, non obſtante gemina appellatione; ut patet ex dictis ſuprà §. 10. *num. 294. & ſeqq.*

## §. XII.

## De Recuſationibus, & Relationibus.

*S U M M A R I U M.*

316 *Recuſatio judicis, quid?*
317 *Hæc in nonnullis convenit cum Appellatione.*
318 *Appellatio, & Recuſatio æquiparantur, & quomodo?*
319 *Differunt autem in pluribus.*
320 *Recuſatio judicis ſuſpecti debet fieri ante litem conteſtatam, & intra viginti dies poſt oblatum libellum.*
321 *Niſi nova cauſa recuſandi ſupervenerit.*
322 *De Jure Canonico poteſt recuſari Judex tam ordinarius, quàm delegatus.*
323 *Et quid de facto Jure Civili?*
324 *Volens recuſare Judicem ſibi ſuſpectum, quid agere debeat?*
325 *Effectus recuſationis judicis, quis?*
326 *Recuſatio an ita ſuſpendat juriſdictionem Judicis recuſati, ut poſtea geſta ab eo ſint nulla ipſo jure. Et num. ſeqq.*
327 & 328 *Referuntur diverſæ circa hoc Doctorum ſententiæ.*
329 *Relatio, quid?*
330 *Relationes de facto propemodum abierunt in deſuetudinem.*
*Iudices ipſi tenentur cauſam ſententialiter terminare, omiſſis relationibus. Ibid.*

331 *Licitum tamen eſt, in dubio juris Principem conſultare.*

316 QUæritur I. Quid ſit Recuſatio, & quomodo differat ab Appellatione? Reſp. I. *Recuſatio* eſt Judicis ſuſpecti, & juriſdictionis ipſius, propoſita cauſa ſuſpicionis declinatio. Ita Pirhing *h. t. nu.* 265. & alii. Nam quia naturale quodammodo eſt, ſuſpectorum Judicum inſidias declinare, eò quòd is aut conſanguineus, vel affinis partis adverſæ exiſtat, aut nimia affectione erga eam ducuntur, vel proprium intereſſe in cauſa habeat, ſive odio erga recuſantem afficiatur: hinc jura licitum eſſe volunt, ei, qui ſuſpectum Judicem putat, antequam lis inchoetur; eum recuſare, ut ad alium recurratur, *c. Quod ſuſpecti.* 3. *q.* 5. & *l. Apertiſſimi. C. de Judiciis*, cum concordantiis.

317 Reſp. II. Recuſatio judicis in nonnullis convenit cum Appellatione; in pluribus tamen ab iſta differt. Ita communis; & patet inductione. Convenit quidem cum ea: tum quia etiam Recuſatio ſuſpendit juriſdictionem Judicis recuſati; adeò, ut pendente recuſatione non poſſit is ad aliquem actum procedere, & alioquin proceſſus ſit nullus (ut dicetur *nu.* 325. & *ſeqq.*) Quod ipſum accidit in appellatione; atque ob hanc convenientiam Compilator Juris Canonici, ſub eodem Titulo, ſimul agit de Appellationibus, & Recuſationibus, &c. uti notat Gloſſa *ad Rubric. h. t.* Deinde conveniunt; quia ſicut Appellatio ab interlocutoria non admittitur, niſi cauſa probabilis appellandi exprimatur, *c. Ut debitus* 59. *h. t.* ita nec Recuſatio judicis, *c. Super eo* 12. *h. t.* juncta Gloſſa *ibid. verſ. Sicut appellationi*, & *c. Cùm ſpeciali.* 61. §. 1. *eod.* cum concordantiis.

318 Nec obſtat, quòd *cit. c. Super eo.* 12. *h. t.* abſolutè dicatur: *In cauſis Eccleſiaſticis, ubi appellationis remedium tollitur, ſicut appellationi, ita recuſationi non eſt aliquatenus deferendum.* Nam contrà eſt: quia *in c. poſtremò.* 36. *eod.* expreſſè habetur, quòd Delegatus cum clauſula, *appellatione remota*, poſſit recuſari, ſi eſt conſanguineus impetrantis, vel ex alia juſta cauſa ſuſpectus: & tamen ab eo nequit appellari, ob memoratam clauſulam. Et hinc, ut jura juribus concordentur, juxta *cit. c. Super eo*, 12. *h. t.* Appellatio & Recuſatio æquiparantur in hoc, quia ſicut in appellatione requiritur cauſa rationabilis, ita & in recuſatione, prout loquitur Summarium *ibid.* ac notat Pirhing. *h. t. n.* 266.

319 Differunt econtrà Appellatio, & Recuſatio in pluribus. Nam prior non habet locum, niſi poſtquàm quis ſe ſentiat gravatum à Judice; ſecùs in Recuſatione; hæc enim fit ante litem inchoatam, & conſequenter, etiamſi Judex nondum gravaverit. Deinde, in eadem cauſa non licet ter appellare, tamen recuſatio judicis non numeratur in hoc numero appellationum, *L. un. C. Ne liceat in una eademque &c.* Ulterius Officialis, ſive Vicarius Generalis Epiſcopi, poteſt coram eodem Epiſcopo recuſari, licèt ab Officiali ad Epiſcopum appellare non liceat, *text. clar. c. Si contra* 4. §. *fin. de Offic. Jud. Deleg. in* 6 juncta Gloſſa *fin. ib.* Tandem poteſt quis appellare à Judice, in quem conſenſit, *c. Cùm olim.* 14. *h. t.* non tamen eum recuſare, *c. Inſinuante* 25. §. *fin. de Offic. Deleg.*

320 Quæritur II. Quando, & quomodo fieri debeat Recuſatio Judicis ſuſpecti? Reſp. I. Judex ſuſpectus non niſi ante litem conteſtatam, ac intra viginti dies poſt libellum oblatum, recuſari poteſt. Patet hoc ex *Auth. Offeratur. C. de Litis conteſtation.* ibi: *Offeratur ei, qui vocatur ad judicium, libellus: & exinde viginti dierum gaudeat induciis, quibus deliberet, cedat an contendat, aut judici alium aſſociari petat, vel recuſet eum &c.* Concordat *c. Quod ſuſpecti.* 3. *q.* 1. & *l. Apertiſſimi: C. de Judiciis*: in quo poſteriori loco ſic dicitur: *Apertiſſimi juris eſt, licere litigatoribus judices datos, antequam lis inchoetur, recuſare.* Ratio ulterior, cur recuſatio debeat fieri ante inchoationem judicii, ſive ante conteſtationem litis, hæc eſt: quia ſi quis coram Judice ſemel litigare incæperit, hoc ipſo cenſetur in eum conſenſiſſe; ſicque ipſum, utpote ſemel à ſe approbatum, amplius recuſare non poteſt.

321 Intellige, niſi nova cauſa ipſum recuſandi ſuperveniat, juxta textum expreſſum *in c. Inſinuante*, 25. *de Offic. Delegat.* ubi Judex delegatus, poſt litem jam conteſtatam, & diutiùs agitatam recuſatur; eò quòd poſteà alterum Litigatorem in ſuum familiarem admiſerit. Aut niſi poſt litis conteſtationem primùm, Recuſans cauſæ illius notitiam acquiſierit, idemque juramento deponat; ut *c. Paſtoralis.* 4. *de Exception.* ac notat Covarruvias *Practic. Quæſt. cap.* 26. *n.* 2. & Zoeſius *h. t. n.* 34. Nam tunc ignorantia illius cauſæ recuſandi, removet conſenſum in approbationem talis Judicis.

322 Reſp. II. De Jure Canonico poteſt recuſari Judex tam ordinarius, quam delegatus; quidquid ſit de Jure Civili. Prior pars patet ex *c. Cùm ſpeciali.* 61. *h. t.* juncto *c. Si contra.* 4. & *c. Judex.* 5. *de Offic. Delegat. in* 6 ubi expreſſa fit mentio de recuſatione Judicis ab Apoſtolica Sede dati, & ſuſpecti, cum concordantiis. Idque ex eo ſtatutum fuit, ne quoquo modo alicujus cauſam contingat contra juſtitiam in judicio lædi.

323 Additur verò, *quidquid ſit de Jure Civili.* Nam ſpectato rigore Juris Civilis, quamvis Judex delegatus poſſit recuſari ut ſuſpectus, *cit. l. Apertiſſimi. C. de Judiciis.* Judex tamen ordinarius recuſari nequit: ſed ſi circa ipſum aliqua ſuſpicio, atque dubitatio emerſerit, tunc ejuſmodi Judici ordinario jubetur adjungi Epiſcopus loci, qui unà cum Judice illo ordinario cauſam audiat; atque vel amicabiliter eam componat, vel ſimul cum ipſo cognitionaliter dirimat, *Auth. Si verò C. de Judiciis.* notat tamen Baldus *in Summario ad cit. Auth. Si verò*, & Covarruvias *Pract. Quæſt. cap.* 26. *nu.* 1. dictam Authenticam quoad id, ut Judex recuſatus aſſumat ſocium Epiſcopum, non eſſe receptam de conſuetudine: ſed ejus loco per Judicem recuſatum ſolere recipi alium quempiam bonum, & candidum Virum ad obſcurandam, quæ de illo orta fuerat, ſuſpicionem. Atque ob hoc *in num. præced.* de induſtria additum fuit ly, *ſpectato rigore Juris Civilis.*

324 Reſp. III. Volens recuſare Judicem ſibi ſuſpectum, debet coram eo ſuſpicionis probabilem cauſam in ſcriptis proponere, eamque coram Arbitris communiter eligendis probare: qua legitimè probata, Judex recuſatus vel negotium principale de Recuſatoris conſenſu committat alii perſonæ idoneæ dijudicandum; vel illud tranſmittat ad Superiorem, ut ipſe in eo procedat, ſecundum quod juſtum fuerit: dicta verò cauſa recuſationis non probata inter terminum competentem, ipſemet Judex utitur ſua juriſdictione, & procedit in cauſa principali. Ita habetur deciſum *in c. Cùm ſpeciali*, 61. *h. t.* juncta *l. Apertiſſimi. C. de Judiciis*, ibi: *Libello recuſationis ei porrecto.* Zoeſius *h. t. n.* 37. Pirhing *n.* 271. & alii.

325 Quæritur III. Quis ſit effectus Recuſationis judicis? Reſp. I. Effectus recuſationis eſt, ſuſpendere juriſdictionem Judicis recuſati: unde recuſatione ritè propoſita ac pendente ſuper ejus juſtitiæ cognitione (niſi manifeſtè pateat, eam eſſe frivolam) Judex recuſatus in cauſa ſuperſedere debet, neque poterit ad ulteriora procedere. Textus eſt *in c. Secundò requiris.* 42. §. *fin. h. t.* Ubi etiam hujus ratio aſſignatur illis verbis: *Ipſa namque ratio dictat, quòd ſuſpecti, & inimici, judices eſſe non debent.*

326 Reſp. II. Utrùm recuſatio ita ſuſpendat juriſdictionem Judicis recuſati, ut poſteà geſta ab eo ſint nulla ipſo jure; variant Doctores. Affirmant Gloſſa *c. Quoties* 2. *q.* 6. ℣. *Appellent.* Vallenſis *h. t.* §. 19. *n.* 4. Zoeſius *n.* 38. Gailus *lib.* 1. *Pract. Obſerv.* 33. *n.* 12. & quidam alii. Rationem dant: quia, cùm Judici recuſato adimatur, vel ſaltem ſuſpendatur judicandi poteſtas, ut lites ſine ſuſpicione procedant, *l. Apertiſſimi. C. de Judiciis*; jam hoc ipſo poſteà ab eo geſta non poſſunt valere, ſicque ſunt irrita ipſo jure: prout in ſimili de geſtis poſt interpoſitam appellationem dici ſolet.

327 Negativam verò ſententiam, ſeu quòd geſta poſt factam recuſationem non ſint nulla ipſo jure, ſed valeant, niſi etiam interponatur appellatio; tenet Pirhing *h. t. n.* 277. citans Innocentium *in c. Cùm ſpeciali. n.* 7. Imolam *ibid. n.* 18. & 21. & Alexandrum *n.* 46. *ac ſeqq.* Rationem affert: quia *c. Super quæſtionum.* §. *fin. de Offic. Delegat.* dicitur, ſi Judex tanquam ſuſpectus meritò recuſetur, & tamen recuſatio non admittatur, poſſe appellari; *quodque poſt appellationem hujuſmodi eſt præſumptum, judicari debere irritum, & inane*: ergo, argumento à ſen-

ſen-



ſenſu contrario deſumpto, geſta poſt recuſationem tamen ante appellationem, non ſunt irrita ipſo jure.

328 Sunt, qui diſtinguunt inter Jus Canonicum, & Civile: & ſecundùm hoc aſſerunt, non valere attentata poſt recuſationem, bene tamen ſpectato Jure Canonico; pro qua ſententia plures allegat Abbas *c. Cùm ſpeciali. n.* 12. *verſ. Quarta fuit. h. t.* Alii apud Abbatem *cit. n.* 12. ℣. *Tertia*, quos ſequitur Engel *h. t. num.* 57. volunt, validitatem talium geſtorum poſt recuſationem attentatorum, pendere ex futuro eventu admiſſæ, vel non admiſſæ recuſationis. Nam ſi pronuncietur, hanc non tenuiſſe, valebunt (inquiunt) ejuſmodi geſta: ſin minùs non valebunt; ſicut in ſimili dicitur in attentatis per Judicem *à quo* poſt appellationem ab interlocutoria, *can. Non ſolùm h. t. in* 6.

329 Quæritur IV. Quid ſit Relatio? Reſp. I. *Relatio* eſt Judicis inferioris in cauſa de jure dubitantis, ad Superiorem, ſive Principem tranſmiſſa conſultatio, ut ſciat, quid in judicando ſequi debeat. Ita Vallenſis *h. t.* §. 20. *n.* 3. Pirhing *n.* 278. & alii. Dicitur notanter, *de jure dubitantis*: quia in dubiis de facto, ſive de veritate geſtorum, Relatio non habet locum, *l. Eum quem, ff. de Judiciis.* Quinimò, quando fit Relatio, oportet totum factum plenè inſtructum referre ad Principem, & tunc ejus ſententiam expectare, *L.* 1. *C. de Relation.* Nam pendente relatione, officium inferioris Judicis conquieſcit, *L. ult. C. eod.*

330 Defactò tamen hujuſmodi Relationem utroque Jure propemodùm in deſuetudinem abierunt. Nam quia teſte experientia compertum fuit, lites nimium protrahi, dum poſt longam cauſæ diſceptationem, tandem adhuc ad Principem, plurimis aliis negotiis diſtentum, fiebat recurſus, cauſaque ipſa plenè priùs inſtructa (data priùs copia utrique parti litigantium) ad ipſum referebatur. Hinc *in Auth. Ut judices non expectent ſacras juſſiones &c. Collat.* 9. providè ſtatutum fuit, ut ipſimet Judices, omiſſis relationibus, cauſam perfectè examinatam, ſententialiter terminent, eamque executioni demandent; niſi partes, quæ per ſententiam ſeſe gravatas cenſent, ab eadem appellaverint.

331 Cæterùm his non obſtantibus licitum eſt, in dubio juris præſertim ob pugnam rationum, aut verborum Legis ambiguitatem ſubortam, Principem conſultare, ut reſpondeat ſuper illo dubio puncto juris. Siquidem, ſtrictè loquendo, Conſultatio, & Relatio differunt. nam per relationem tota cauſa ad Superiorem refertur, ut ejus judiciali ſententia definiatur; ſicque Judex inferior ſeſe privat poteſtate judicandi, totam cauſam transferendo in Superiorem, prout olim frequenter fieri ſolebat. Secùs fit in Conſultatione; nam per hanc Princeps ſolùm conſulitur ſuper dubio juris; & tunc inferior facta conſultatione, & juxta datum reſponſum judicat, fertque in cauſa ſententiam. Latè tamen loquendo, Relatio, & Conſultatio promiſcuè ſumuntur, Pirhing *h. t. n.* 279.

# TITULUS XXIX.

## De Clericis peregrinantibus.

*SUMMARIUM.*

1 *Ratio continuationis Rubricarum.*
2 *Statuta de Clericis peregrinantibus etiam procedunt in Laicis peregrinantibus ad Sedem Apoſtolicam.*
3 *Peregrinantes ad Sedem Apoſtolicam, conſtituti ſunt ſub hujus protectione.*
4 *Et omnia, interim contra ipſos attentata, revocantur.*
5 *Niſi quis eorum ab inferiori Judice fuerit citatione præventus.*

1 QUia peregrinatio ad Sedem Apoſtolicam, vim & effectum habet appellationis, dummodò ſecuta ſit intra decem dies à die latæ ſententiæ, ſeu illati gravaminis, fueritque intimata Judici: cum talis, qui iter ad Sedem Apoſtolicam arripit, cenſeatur ipſo facto appellare; quod plus eſt, quàm verbis appellare, *c. Dilecti filii.* 52. *de Appell.* Ideò poſt Appellationes ſubjicitur præſens Titulus *De Clericis peregrinantibus.* Qui Titulus qualiter differat à Tit. 22. Libri primi Decretalium, *De Clericis peregrinis* inſcripto, ibidem *n.* 1. jam dictum eſt.

2 Et quamvis in Rubrica hujus Tituli fiat mentio de ſolis Clericis; nihilominùs, quę de his ſtatuuntur, etiam locum habent in Laicis peregrinantibus ad Sedem pręfatam. Siquidem cauſa diſpoſitionis, quę habetur *c. un. h. t.* eſt generalis; ac etiam habet locum in Laicis, ibi: *Tamen cum hi, qui accedunt ad præſentiam noſtram cum rebus eorum debeant eſſe ſub Apoſtolica protectione ſecuri.* Concordat *can. Si quis Romipetas.* & *can. Paternarum.* 24. *q.* 3.

3 Itaque peregrinantes ad Sedem Apoſtolicam, hoc ipſo ſunt conſtituti ſub hujus protectione: & ſi quid eiſdem poſt iter arreptum ſubtrahatur, vel auferatur, id omne ipſis reſtituendum eſt, *c. un. h. t.* juncto Summario, & DD. *ibid.*

Et iſtud extenditur etiam ad ea, quæ interim taliter peregrinantibus in judicio per proceſſum, & ſententiam Judicis auferuntur: nam omnia attentata poſt tale iter arreptum, ſive extra judicium per privatum, ſive in judicio per ſententiam Judicis attententur, revocari debent: adeò, ut proceſſus per Judicem contra talem peregrinantem factus, licèt cæteroquin juſtus, ipſo jure non valeat. Generaliter enim, accedentes ad Papam, cum ſuis rebus debent ſub protectione Apoſtolica eſſe ſecuri.

5 Excipe, niſi accedens ad Sedem Apoſtolicam ab inferiori Judice, ſive ordinario, ſive delegato, fuerit citatione præventus, antequàm iter arripuerit. Quia tunc, utpote ab altero jam præventus, non poſſet ampliùs ipſius Forum declinare; ut *can. Ad hæc ſicut aſſeris.* 30. *de Appellat.* & *can. Propoſuiſti.* 19. *de Foro comp.* Et Judex ſive ordinarius, ſive delegatus, procedere poterit in cauſa; non obſtante, quòd Reus poſt citationem iter arripuerit ad Sedem Apoſtolicam, *c. Meminimus.* 9. & *can. Suggeſtum eſt.* 15. & *d. can. Ad hæc ſicut aſſeris.* 30. *de Appellat.* Secùs ſi ante factam citationem Reus ejuſmodi iter arripuerit: nam tunc Judex inferior, nequit in cauſa procedere; prout dicitur in Juribus proximè allegatis.

# TITULUS XXX.

## De Confirmatione utili, vel inutili.

*SUMMARIUM.*


1 *Ratio continuationis Rubricarum.*
2 *Confirmatio, quid? Et n. ſeq.*
3 *Supponit jus aliquo modo quæſitum.*
4 *Confirmatio in forma communi, ſeu ſimplex, quæ?*
5 *Hæc nullum jus novum tribuit, ſed ſupponit actum jam validum.*
6 *Et cur idcircò non ſit inutilis?*
7 *Confirmatio in forma ſpeciali, ac ex certa ſcientia, quę?*
8 *Unde colligi poſſit, confirmationem eſſe factam in forma ſpeciali, & non tantùm in forma communi?*
9 *Confirmatio alia utilis, alia inutilis; & quæ?*
10 *In dubio an cenſeatur eſſe confirmatio in forma ſpeciali?*
11 *Refertur ſententia aſſerentium, tunc videri datam confirmationem in forma ſpeciali.*
12 *Dummodò non præjudicet Juri communi. Et n. 17.*
13 *Oppoſita ſententia, aſſerens, in dubio cenſeri, confirmationem eſſe factam in forma communi, eſt communior, & probabilior.*
14 *Eadem ampliùs probatur.*
*Conceſſio Principis in dubio eſt interpretanda, ut nulli tertio irrogetur præjudicium. Ibid.*
15 & 16 *Solvuntur rationes prioris ſententiæ.*
*Confirmatio actum ex ſe invalidum non reddit validum; niſi is aliunde reddatur validus. Num. 15.*
17 *Prior, ſeu contraria ſententia locum habet in confirmatione beneficii propriè dicti.*
18 *Contra confirmationes Papę nequit Judex inferior judicare &c.*
19 *Niſi de ſpeciali Papæ mandato.*
*Et quando Papa iſtud mandare ſoleat? Ib. & n. ſeq.*
20 *Clauſulæ præjudiciales, quæ?*
*Hæ claudunt os partibus, & ligant manus Judicis, niſi concedatur apertio oris. Ibid.*
21 *Apertio oris, à quo petenda?*
*Ubi, & quomodo concedi ſoleat? Ibid.*
22 *Judex inferior poteſt procedere contra litteras confirmationis Apoſtolicæ, quando ſunt ſubreptitiæ.*
23 *Poteſt etiam de litteris &c. confirmationem Papæ continentibus, cognoſcere incidenter.*
24 *Idque exemplificatur. Et n. ſeq.*
25 *An privilegiatus a Papa, ſit capax privilegii, poteſt Iudex inferior cognoſcere.*
26 *Non valet confirmatio Papalis, quam Religioſus ſuper Prioratu, vel adminiſtratione perpetuò poſſidenda obtinuit.*
27 *Iudex inferior, videns à Papa confirmatum in forma communi fuiſſe invalidum, poteſt incidenter pronunciare, confirmationem illam eſſe invalidam.*
28 *Innovatio Privilegiorum, & aliorum inſtrumentorum poteſt fieri, ne vetuſtate corrumpantur.*
29 *Ea tamen jus novum non tribuit, ſed conſervat duntaxat, antiquum.*
30 *Concluſio totius Libri.*


1 VIſum eſt duobus præcedentibus Titulis de ſuſpenſione ſententiæ judicialis, ſive juriſdictionis Judicis, quæ fit mediante appellatione, atque peregrinatione ad Sedem Apoſtolicam. Nunc viciſſim ultimo hoc ſecundi Libri Decretalium Titulo, agit Compilator de Confirmatione, tum utili, tum inutili, ſententię judicialis; ſimul etiam agendo de confirmatione inſtrumentorum, privilegiorum, & aliarum rerum. Unde

2 Quæritur I. Quid, & quotuplex ſit Confirmatio? Reſp. I. *Confirmatio*, quantùm ad propoſitum, eſt juris quocunque modo quęſiti per legitimum Superiorem facta corroboratio. Ita Hoſtienſis *in Summa. h. t. n. 1.* Barboſa *ad Rubric. h. t. n. 5.* Pirhing *n. 1.* Sannig. *eod. n. 2.* & alii.

3 Dicitur, *corroboratio*: quæ particula ſtat loco generis, ac ſumitur hic latiſſimè. Et additur, *per legitimum Superiorem*: ad excludendas eas, quæ à perſonis privatis geruntur; & magis approbationes, quàm confirmationes, dici poſſunt. Dicitur ulteriùs, *juris quocunque modo quęſiti*: ad complectendam utramq; confirmationis ſpeciem, videlicet tam datam in forma communi, quàm ex certa ſcientia: nam utraque jus aliquo modo quæſitum corroborat; illa jus legitimè quæſitum; hæc jus nulliter, & de facto duntaxat quęſitum. Simulque per hanc particulam natura Confirmationis magis declaratur: qui enim confirmat, nihil de novo dat, ſed datum, vel aliter quæſitum corroborat, *l. Et quia. ff. de jurisd. omn. jud.* Hoſtienſis *cit. n. 1.* junctis dicendis infrà *n. 15.*

4 Reſp. II. Confirmatio eſt duplex, una in forma communi; alia in forma ſpeciali, ſeu ex certa ſcientia. Ita Barboſa *l. c. n. 6.* Pirhing *h. t. n. 2.* Sannig *eod. n. 3. & ſeqq.* & alii communiter. *Confirmatio in forma communi* (quæ & *Confirmatio ſimplex*, atque *ordinaria* appellatur) ea eſt, qua Superior non præcedente alia cognitione cauſæ, actum ab inferioribus geſtum confirmat in eo ſtatu, in quo priùs fuerat.

5 Et additur notanter ly, *in eo ſtatu, in quo priùs fuerat.* Siquidem Confirmatio in forma communi, nullum jus novum, neque valorem tribuit illi, cui accedit; ſed ſupponit actum jam validum, eumque approbat, quatenùs de jure validus exiſtit. Gloſſa *c. 1. ℣. Confirmationem* & Abbas *ib. n. 6. h. t.* Pirhing *eod. n. 3.* Sannig *n. 4.* & alii, iſtud comprobantes ex *c. 1. & 2. h. t.* ubi ſatis indicatur, Confirmationem in forma communi non facere actum de novo validum, qui priùs erat invalidus. Idipſum probatur claris verbis ex *c. Quia diverſitatem. 5. de conceſſ. præbend.* ubi dicitur: *Non obſtante confirmatione à Sede Apoſtolica obtenta ſub forma communi, quæ confirmat beneficia & præbendas, ſicut juſtè & pacificè poſſidentur.* Accedit textus *in c. Cùm dilecta. 4. h. t.* ubi pontifex in ſimili ſic loquitur: *Nolentes, quòd ex innovatione hujuſmodi novum jus Monaſterio acquiratur, ſed antiquum (ſi quod habet) per innovationem privilegii conſervetur.* Concordat illud, quod habetur *c. Præceptis. diſt. 12.* ibi: *Non novum aliquid præſenti juſſione præcipimus, ſed illa, quæ olim videntur indulta, confirmamus*; cum ſimilibus.

6 Dices. Ergo confirmationes in forma communi datę à Sede Apoſtolica, ad nihil proderunt: quia vel ſupponunt actum jam validum, vel etiam ipſæ erunt invalidę. Reſp. negando ſequelam. Quia, ut notat Abbas *c. 1. n. 6. h. t.* licet Confirmatio in forma communi cujuſcunque rei facta per Papam, jus novum non tribuat, adhuc tamen non eſt inutilis. Tum quia ſolet impetrari ad cautelam, ne quis improvidè, ac ſine ſcientia Papæ videatur procedere. Tum quia Confirmatio in forma communi ſolet impetrari, & dari, ut magis timeatur: nam ſolet plùs timeri, quod ſpecialiter, ac præſertim per Principem ſupremum diſponitur, *arg. c. Quamquam diſt. 23.* Tum tandem, quia confirmatio v. g. electionis, data in forma communi, tribuit electo poteſtatem adminiſtrandi; ut *c. Transmiſſam. 15. & can. Qualiter. 17. de Elect.* Alioquin verò hujuſmodi Confirmationes in forma communi parum valent; ut ait Gloſſa *c. 1. ℣. Confirmationem. h. t.*

7 *Confirmatio in forma ſpeciali*, atque *ex certa ſcientia*, dicitur ea, quę fit cum perfecta notitia totius negotii, & omnium ejus circumſtantiarum. Et hujuſmodi confirmatio facta ex certa ſcientia, novum jus tribuit actui; eumque, ſi forſan anteà invalidus fuiſſet, firmum reddit, atque validum; ut *c. 1. de Transact.* juncta Gloſſa *fin. ib.* & notat alia Gloſſa *in c. Eccleſia Sanctæ Mariæ. 10. v. Ab Eccleſia. de Conſt.* Barboſa *ad Rubr. h. t. n. 8.* Pirhing *n. 4.* & communis. Si quidem hujuſmodi Confirmatio ex certa ſcientia, non eſt nuda & ſimplex confirmatio; ſed potiùs eſt nova conceſſio, atque in effectu diſpenſatio: adeòque vim habet, actum cæteroquin nullum, reddendi validum.

8 Quòd ſi petas, unde colligi poſſit, Confirmationem eſſe



factam in forma ſpeciali, & non tantùm in forma communi? Reſp. Iſtud colligi ex ſequentibus ſignis: Primò videlicèt, ſi tenor totius Privilegii, aut Inſtrumenti, inſeritur ipſi confirmationi; vel ſaltem apponitur clauſula, *ex certa ſcientia*: quia tunc Principi affirmanti, ſe ſufficientem rei notitiam habuiſſe, ſicque non ignoraſſe defectum aliquem, qui ejus poteſtatem impedire potuiſſet, credendum eſt, *Clem. un. de Probation.* Abbas *c. Examinata. in fi. h. t.* Deinde idem eſt dicendum, ſi Pontifex apponat clauſulam *Sublata &c.* Barboſa *Tract. de Clauſulis. clauſ. 175. n. 22. & ſeqq.* Aut, ſi confirmatio fiat per verba æquipollentia: ut putà, ſub clauſula, *Ex plenitudine poteſtatis*: vel, *Non obſtante quacunque lege, ſeu conſuetudine in contrarium &c.* Pirhing. *h. t. num. 8.* Barboſa *Clauſ. 82. & ſeqq.* citans alios: & multò magis, ſi addatur clauſula illa, *Supplentes omnes juris & facti defectus.* Barboſa *l. c. Clauſ. 177.* cum plurimis aliis. Huc accedunt dicenda inferiùs *n. 20. & ſeqq.*

9 Reſp. III. Ulteriùs Confirmatio alia cenſetur utilis, alia inutilis; ut patet ex *Rubric. h. t.* Et quidem *Confirmatio* dicitur *utilis*, quando eſt valida: & tali nequit Judex inferior contravenire, nec de ea judicare poteſt, *c. 1. & 2. h. t.* Econtra *Confirmatio inutilis* vocatur ea, quæ non valet: unde meritò cenſetur inutilis, atque nullius valoris. Talis eſt, quæ obreptitiè, vel ſubreptitiè fuit obtenta: narrato ſcilicet falſo, aut ſuppreſſo vero, quod de jure exprimi debuiſſet; ut *c. Bonæ 3. & c. Ad noſtram. 5. cum 2. ſeqq. hoc. tit.* juncto *cap. Super litteris. 20. de Reſcriptis.*

10 Quæritur II. Utrùm ſi à Lege, vel alia diſpoſitione fiat mentio de confirmatione, in dubio cenſeatur, eam eſſe Confirmationem in forma ſpeciali, vel communi? Reſp. In reſolutione hujus quæſtionis non convenire Doctores.

11 Et quidem Gloſſa *fin. in c. 1. h. t.* & Jo. Andreas *c. Venerabilis. n. 9. eod.* & Abbas *c. Examinata. n. 5. h. t.* aſſerunt, quòd ſi Papa confirmet aliquid ſimpliciter nulla clauſula appoſita, nec expreſſo tenore juris confirmati videatur confirmare in forma ſpeciali, ac ex certa ſcientia. Fundamentum hujus ſententiæ eſt: quia (ut argumentatur Abbas *ib.*) verbum *confirmo*, alio non expreſſo, ex ſui natura importat, ut rem faciat firmam; prout deſumitur ex *c. Inter dilectos. 6. §. Cæterum. de Fide inſtrum.* ubi loquendo de inſtrumento confirmatorio, dicitur: *Ut tamen intelligatur eo modo, quo magis poſſet valere.* Unde Gloſſa *ib. v. Valere.* exinde notat, quòd ſic facienda ſit interpretatio, ut res, de qua agitur, magis valeat, quàm pereat, *c. Abbate. de Verb. ſign.* cum concordantiis: & conſequenter, ſtante dubio, videtur confirmatio eſſe ſpecialis, & non merè data in forma communi; cùm hæc parum, aut nihil valeat, benè tamen illa.

12 Limitat tamen iſtud Abbas *l. c. n. 5. & 6.* dummodo confirmatio non ſit contra Jus. Nam in dubio non cenſetur aliquid concedi contra Jus commune, niſi id ſpecialiter exprimatur: ut *can. Nonnulli. 28. de Reſcript.* juncto *c. 1. de Exceſſibus Prælat. in 6.*

13 Oppoſitam verò ſententiam, ſive quòd in dubio cenſeri debeat, confirmationem eſſe factam in forma communi: ex profeſſo tradit Barboſa *in c. De confirmationibus. n. 3. h. t.* allegans Gloſſam *penult. in l. Ex verbis C. de Don. inter vir. & uxor.* & Innocentium communiter receptum *c. Dudum. in fin. de Decimis.* Card. Tuſchus *Litt. C. Concl. 708. n. 2. ac ſeqq.* Alexander *Concil. 59. n. 8. l. 1.*, aſſerens, quòd certa ſcientia non præſumatur, niſi probetur. Pirhing *h. t. n. 16.* citans Decium *ad Rubric. h. t. n. 7.* Gailus *l. 2. Pract. Obſerv. 1. n. 17.* & Jaſon. *l. More. n. 30. ff. de Iuriſd. omn. iud.* dicens cum aliis, quòd in dubio præſumatur Princeps confirmaſſe eo modo, quo poteſt de Jure communi, non autem de plenitudine poteſtatis. Atque hæc ſententia, ſicut eſt communior Doctorum, ita videtur probabilior, meritoque retinenda, ſaltem ubi agitur de præjudicio tertii. Accedit ratio: quia confirmatio ex certa ſcientia tunc cenſetur facta, quando vel iſtud exprimatur: ut *c. 1. de Conſt. in 6. & c. Si motu. 23. de Præbend. in 6.* vel ſaltem ea fit per Principem cum notitia perfecta totius negotii, & omnium ejus circumſtantiarum, juxta dicta *num. 7. & 8.* Atqui ſtante dubio, nullum horum habetur; ergo.

14 Deinde conceſſio Principis in dubio, & niſi ſecus exprimatur, interpretanda eſt, ut nulli tertio irrogetur præjudicium, *c. Super eo. 15. de Offic. Delegat.* eſtque ampliùs dictum *L. 1. Tit. 3. de Reſcriptis. n. 132. & 142.* Atqui in propoſito irrogaretur præjudicium tertio, ſi ſtante dubio intelligeretur confirmatio facta ex certa ſcientia: nullum, ſi in forma communi, ergo. Et hinc *in c. Dudum. 31. de Decimis*, confirmatio Sedis Apoſtolicæ ſimpliciter facta, accipitur de confirmatione in forma communi; ita, ut nulli tertio generetur præjudicium.

15 Nec obſtant rationes *n. 10.* in oppoſitum allatæ. Nam imprimis verbum, *confirmo*, reddit quidem actum firmum, ſed juxta propriam naturam ipſius: ita videlicet ut ſi actus à parte rei antea ſit validus, firmior reddatur; ſaltem ex eo, quia plus ſolet timeri, quod ſingulariter confirmatur, *arg. c. Quamquam diſt. 23.* Non tamen verbum, *confirmo*, ex ſui natura, & niſi aliud exprimatur actum ex ſe invalidum reddit validum. Quin potiùs oppoſitum inde deducitur, nam quod non eſt, confirmari nequit; cùm qualitas, putà confirmatio, ſupponat ſubjectum. Intellige, niſi aliunde actus ille reddatur validus, nempe, ex abſoluta authoritate Principis: prout accedit in confirmatione ſpeciali, ſive facta ex certa ſcientia.

16 Ad c. *c. Inter dilectos. 6. de Fide Inſtrum.* dicitur, illud ſtare in oppoſitum: nam paulò inferiùs ejuſmodi inſtrumentum confirmatorium Henrici (ut dicebatur) Imperatoris reprobatur, ibi: *Cùm igitur privilegium Henrici confirmatorium tantùm extiterit, ſi principale non tenuit, nec acceſſorium, quod ex eo, vel ob id dignoſcitur eſſe ſecutum.* Nec urget ratio ibidem allata: nam accipiendo ly *confirmo*, ſtante dubio, adhuc actus ſuſtinetur, & valet, dummodò antea validus extiterit. Et quia hæc interpretatio minùs præjudicat tertio, hoc ipſo retinenda videtur; ſi enim Princeps voluiſſet convalidare actum etiam cæteroquin invalidum, potuiſſet expreſſiſſe; prout in ſimili dicitur *c. 2. §. Sed neque. de Translat. Ep.*

17 Additur notanter *n. 13.* poſteriorem ſententiam meritò eſſe retinendam, *ſaltem ubi agitur de præjudicio tertii.* Nam loquendo in caſu, quo aliquid conceditur, ſeu conceſſum confirmatur ex mera liberalitate Principis concedentis (hoc eſt, non ad præjudicium tertii, aut Juris communis, ſed vel ad nullius, vel ad concedentis duntaxat præjudicium; quod *Beneficium propriè, ſeu ſtrictè ſumptum* appellant) tunc prior Abbatis ſententia locum habere poterit. Nam quòd *Beneficia Principum ſint interpretanda largiſſimè*, textus eſt *in c. Olim. 16. de Verb. ſignif. & c. Cùm dilecti. 6. de Donat. & c. Quamvis. 4. de Præbend. in 6.* atque ex profeſſo declaratum eſt ſuprà *L. 1. Tit. 3. De Reſcriptis. §. 5. n. 126. 128. & ſeqq.*

18 Quæritur III. Utrùm de confirmatione per Papam facta poſſit Judex inferior cognoſcere? Reſp. I. Contra confirmationes Papæ ſuper aliqua re, ſtatuto, contractu, privilegio, ſcientia, aut hujuſmodi facta, nullus inferior Judex poteſt aliquatenus judicare, aut recognoſcendo eaſdem immutare: niſi de ſpeciali ejuſdem mandato, aut niſi certum ſit, confirmationem per falſi ſuggeſtionem fuiſſe elicitam. Ita textus *in c. 1. & 2. h. t.* & ibi Canoniſtę communiter. Ratio eſt: qui ea, quæ per Papam confirmata ſunt dicuntur Papalia; juxta quod habetur *c. Si Apoſtolicæ. de Præbend in 6.* ubi Pontifex inquit: *Cùm proviſio ipſius Legati poſt impertitam à nobis authoritatem noſtra cenſeatur effecta.* Concordat textus *in L. 1. §. Sed neque. C. de Veteri Iure enucleand.* referens Imperatores ſic loquentem: *Omnia etiam meritò noſtra fecimus: quia ex nobis omnis eis impertitur authoritas.* Atqui de judicio Papę, veluti Chriſti in terris Vicarii, ac viſibilis Capitis Eccleſiæ, nemini permiſſum eſt judicare, aut illius ſententiam retractare, *c. Nemini eſt 17. q. 4.* Nam ejus cauſas Deus ſuo judicio reſervavit, *can. Aliorum. 9. q. 3.* cum ſimilibus.

19 Additur tamen in Concluſione, *niſi de ſpeciali ejuſdem mandato.* Quia cùm contingere poſſit, quòd ad importunas, vel minùs veras preces à Papa aliquid obtineatur, aut conceſſum confirmetur in præjudicium, atque gravem læſionem alterius: iſto recurrente ad eundem Papam, vel Succeſſorem ipſius, cauſæ illius examinatio ſolet ab eo committi rurſus cuipiam Sac. Congregationi, aut alii Judici delegato. Quamquàm antea aliqua ſummaria cognitio juſtitiæ, & boni juris ex parte Supplicantis,

tis, deſuper haberi ſoleat; tum ut litigantium calumniis tempeſtive occurratur: tum quia Princeps non debet aditum liti concedere, quam agnoſcit eſſe injuſtam. Card. de Luca *de Iudiciis*, *Diſcurſ.* 20. *n.* 12. & 14.

30 Atque iſtud etiam procedit non obſtantibus *Clauſulis* (ut in Curia loquuntur) *præjudicialibus*, quæ in Litteris Apoſtolicis quandoque apponi ſolent: uti ſunt, Decretum irritans, & clauſula *Sublata &c.* Quandoque de ſubreptione, vel obreptione, aut de defectu intentionis judicari non valeat; & hujuſmodi. Etſi enim talium clauſularum virtus, atque operatio ſit, claudere os partibus, atque ligare manus Judicis: adeò, ut neutra illarum ampliùs audiri debeat, nec Judex deſuper judicare poſſit; & ſi ſecùs attentetur ſcienter, aut ignoranter, nulliter agatur ex defectu juriſdictionis, quæ per Papam virtute talium clauſularum ſublata cenſetur. Nihilominùs, ſi anteà debitè petatur, atque concedatur aperitio oris adverſus hujuſmodi clauſulas, tollitur rigor dictarum clauſularum; & datur facultas impugnandi Litteras Apoſtolicas, non obſtante confirmatione Pontificia; licèt idcircò non elidantur alii effectus. Barboſa *Tract. de Clauſulis*, *clauſ.* 175. *Sublata &c. n.* 6. poſt Rotam *in Pacen. Penſionis*. 20. *Novemb.* 1609. *coram Cardin. Marguemonio*.

21 Cæterùm memorata aperitio oris adverſus dictas clauſulas præjudiciales, petenda eſt à Summo Pontifice in Signatura Gratiæ. Barboſa *cit. clauſ.* 174. *n.* 3. Nec ſolet concedi, niſi prævia aliqua ſummaria cognitione juſtitiæ, & boni juris ex parte Supplicantis, ob dicta *n.* 19. Unde aliquando ſimpliciter concedi ſolet, quandoque verò ſimpliciter denegari; teſte Card. de Luca *cit. Diſc.* 20. *de Iudiciis*. *n.* 11. De facili tamen concedi ſolere dictam oris aperitionem, ſcribit Barboſa *l. c. n.* 6. allegans alios; idque ex eo: tum ne clauſulæ ejuſmodi præjudiciales ſint vinculum iniquitatis; atque propter ipſas jura partium maneant indefenſa, & inaudita. Tum quia oris aperitio non dicitur nova gratia, ſed tantum removet obſtaculum, ſicque ſapit juſtitiam.

22 Additur ulteriùs in data *n.* 18. Concluſione, *aut niſi certum ſit*, *confirmationem per falſi ſuggeſtionem fuiſſe elicitam*: putà, quando de hoc conſtat, vel per evidentiam facti, vel per confeſſionem partis in judicio factam, ac hujuſmodi; ut *c. Cùm olim*. 24. *de Verb. ſignif.* cum ſimilibus. Tunc enim Judicem inferiorem poſſe procedere contra Litteras Confirmationis Apoſtolicæ, apertè conceditur *in c. De appellationibus*. 2. *h. t.* Idque meritò: tum ne Sedes Apoſtolica quoquo modo videatur indulgere maliciis hominum, tum quia æquum eſt, ut *mendax precator carere debeat penitus impetratis*, per textum *in cap. Super litteris*. 20. *de reſcript.* cum ſimilibus.

23 Reſp. II. Etſi Judex inferior de Litteris, aliiſve rebus confirmationem Papæ continentibus, cognoſcere non poſſit principaliter, juxta hactenus dicta: poteſt tamen de ipſis cognoſcere incidenter. Ita Gloſſa *fin. in cap. Cùm veniſſent*. 12. & Abbas *ib. n.* 3. *de Iudiciis*; & alii. Idque probatur ex *c. Cauſa*. 9. *De in integr. reſtit.* ubi in ſimili caſu Delegati ab Ordinariis, qui adminiſtrationem non habent, ſuper cauſa reſtitutionis, veluti ad majores Judices pertinente, *cognoſcere nequeunt*, *niſi coram eis mota fuerit incidenter*. Concordat textus *in l. Quoties C. de Iudiciis*: ubi Judex, qui de cauſa ſtatus principaliter cognoſcere non valet, poteſt iſtud incidenter.

24 Declaratur Concluſio inductione. Sic, ubi v. g. privilegium à Papa confirmatum, ab una parte producitur contra aliam, poteſt Judex inferior illud inſpicere, ac videre, utrùm ſit vitioſum, vel ſubreptitium, nec ne. Abbas *cit. n.* 3. *verſ. Aut quæritur*, *numquid inferior*. Item, ſi conſtet eſſe legitimum, & verba talis privilegii ſint clara, ſeu manifeſta, poterit Judex inferior dicere, quòd obſtet, vel non obſtet privilegium. Gloſſa *fin. in d. c. Cùm veniſſent*. *de Iudic.* iſtud probans ex *c. Accepimus*. 4. *de fide Inſtrument.*

Inſuper quando quæritur ſolùm, an privilegiatus à Papa, ſit capax talis privilegii, poteſt Judex inferior deſuper cognoſcere: quia tunc potiùs cognoſcit de privilegiato, quàm de privilegio per Papam confirmato. Abbas *loc. cit.* iſtud inter alia probans ex *c. Super litteris*. 20. *de Reſcript.* Ubi Delegato datur poteſtas cognoſcendi ſuper capacitate impetrantis Reſcriptum ad lites, per ſimplicitatem *exprimendo* falſitatem, vel occultando veritatem de jure exprimendam. 25

Alius talis caſus habetur *in c. Ad noſtram*. 5. & *c. Porrecta*. 6. *h. t.* ubi non valet confirmatio Papalis, quam Religioſus ſuper Prioratu, vel alia adminiſtratione perpetuò, quoad vixerit, poſſidenda obtinuit. Quia vel in ea non fit mentio, quòd impetrans ſit Religioſus; & confirmatio eſt ſubreptitia: vel dicitur, impetrantem eſſe Religioſum, & litteræ confirmationis ſunt falſæ; cùm tales, veluti perfectæ obedientiæ, & paupertati Religioſorum præjudiciales, Sedes Apoſtolica non ſoleat concedere. Unde hujuſmodi litteras, ſub nomine Papę ſibi porrectas, jubetur ibidem Epiſcopus recognoſcere, ac de ipſis judicare. 26

Ulteriùs, quia per Confirmationem in forma communi conceſſam à Papa, non tribuitur novum jus, ſed ſupponitur actus jam anteà validus: ſi Judex inferior videat actum, qui à Papa confirmabatur in forma communi, ſecundùm ſe nullum fuiſſe, atque invalidum; poteſt per conſequens acceſſoriè incidenter pronunciare, ipſam etiam confirmationem Papalem eſſe invalidam. Pirhing *hoc. tit. num.* 15. poſt Suarez *lib.* 8. *de Legib. cap.* 18. *num.* 2. Unde, quando aliquis rei litigioſæ confirmationem in forma communi à Sede Apoſtolica impetravit, poteſt Judex de re illa, num fuerit litigioſa, cognoſcere, hocque deprehenſo in cauſa procedere: nam confirmatio illa non valebat, neque aliquid novi juris tribuebat, *cap.* 1. *h. t.* Similiter litteræ confirmationis ſuper ſententia, à qua fuerat appellatum, tacita appellatione impetratæ non valent, neque confirmant ſententiam latam, *c. Bonæ memoriæ*. 3. *h. t.* Idemque dicendum de ſimilibus. 27

Quæritur IV. Quid ſentiendum ſit de innovatione Privilegiorum, aliorumque Inſtrumentorum? Reſp. I. Privilegia, & alia Inſtrumenta antiqua poſſunt renovari, ne nimia vetuſtate corrumpantur; aut ſi ex alia rationabili cauſa timendum ſit, ne pereant, ſicque fortuitis caſibus ſubtrahatur probandi facultas, & veritas occultetur. Ita habetur deciſum *c. Cùm dilecta*. 4. *h. t.* Idque per extenſionem extenſivam deducitur ibidem ex Legibus Civilibus, quibus ob rationes prædictas conceditur, etiam lite non conteſtata teſtes valetudinarios, & alios, de quibus ex aliqua rationabili cauſa timetur, ad teſtimonium admittere; ne videlicet ob eorum mortem, aut diuturnam abſentiam, probandi facultas ſubtrahatur, & veritas occultetur. 28

Reſp. II. Nihilominùs per innovationem Privilegiorum, aut aliorum Inſtrumentorum, jus novum non acquiritur, neque antiquum confirmatur; ſed tale jus antiquum duntaxat (ſi quod erat) conſervatur. Ita *cit. c. Cùm dilecta*. 4. *h. t.* juncto Summario, & DD. *ibid.* Unde minus eſt, innovatio privilegii, quàm ejus confirmatio: per hanc enim, etiam in forma duntaxat communi factam, major aliqua firmitas, atque authoritas confertur actui: non ſic per innovationem, utpote quæ nihil juris, aut majoris firmitatis de novo tribuit; ſed ſolùm deſervit ad faciliorem probationem ejus, quod in privilegio olim conceſſo continebatur. 29

Et hæc dicta ſufficiant in Librum Secundum Decretalium, cedantque ad Majorem Gloriam Dei, qui eſt Benedictus in ſæcula. Amen. 30

F I N I S.

INDEX.



# INDEX ALPHABETICUS RERUM ET VERBORUM.

*Littera T. denotat Titulum. N. Numerum. F. Folium.*

## A


Abbas exemptus, an poſſit contra Epiſcopum præſcribere certam Parochiam. T. 26. n. 56. Fol. 369.

*Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis*, quomodo intelligenda. T. 24. n. 99. F. 335.

Accuſatio calore iracundiæ facta, an teneat. T. 18. n. 21. F. 177.

Acta Judicii, & Acta cauſæ, quid, & in quo differant. T. 1. n. 175. F. 17. Acta unius judicii an habeant ſuum effectum, ſidemque faciant in alio n. 185 & 186. ſeqq. Perempta inſtantia pereunt Acta judicii n. 186. Acta coram Judice Eccleſiaſtico ſidem faciunt coram Sæculari, & econtrà, ut unus adjuvet alterum in compeſcendo malos, n. 190. Acta probatoria in judicio ſummario, ſidem non faciunt in Ordinario, n. 191. Hoc tamen limitatur, n. 192. Acta probatoria in judicio civili, ſidem non faciunt in criminali: bene tamen econtrà n. 193. Acta in judicio inducunt notorium, & quomodo, n. 194. Acta, ſeu geſta per Judicem putativum, an valeant, n. 196. & ſeqq. Acta prioris inſtantiæ, quæ. T. 28. n. 244. F. 432. Sub his comprehenditur etiam ſententia. Ibid. Regeſtum, ſive extractus Actorum primæ inſtantiæ, fit ad inſtantiam partis, ejuſque expenſis, n. 245. Acta prioris inſtantiæ, & quid omnia, debeant per appellantem ſuis ſumptibus tranſportari ad Judicem appellationis, n. 246. & ſeq. Notabilis textus Concilii Tridentini quoad hoc, n. 247.

Actio realis, & Actio perſonalis quid. T. 3. n. 11. & 12. F. 51. In utraque poteſt diſtingui duplex cauſa petendi, proxima & remota n. 13. Et quæ ipſarum in libello debeat exprimi, n. 14. & ſeqq. Actionis nomen an neceſſario ſit exprimendum in libello, n. 18. & ſeqq. Vide infra *verſ. Libellus*. Inter actiones reales, & perſonales, eſt notabilis differentia quoad miſſionem in poſſeſſionem rei petitæ. T. 15. n. 27. F. 163. Utrum tam in actionibus realibus, quam perſonalibus, opus ſit miſſione in poſſeſſionem bonorum contumacis ex ſecundo Decreto. T. 15. n. 31. & ſeqq. F. 163. Vide infrà *verſ. Decretum & verſ. Miſſio in poſſeſſionem*. Actio tum perſonalis, tum realis, ut fiat litigioſa, requiritur litis conteſtatio. T. 16. n. 31. F. 179. Ante litem conteſtatam actio liquida poteſt licitè cedi, vel vendi n. 32. Et quid de actione dubia, ſeu controverſa, nu. 33.

Actio judicati oritur ex litis conteſtatione. T. 5. n. 32. F. 68. Actiones temporales per litis conteſtationem fiunt perpetuæ, n. 39. Actiones pœnales poſt conteſtationem litis tranſeunt in ſolidum contra Hæredes Reorum, n. 40. Actio criminalis, utpote major, regulariter priùs eſt tractanda, quam civilis. T. 10. n. 10. & ſeqq. F. 93. Dummodò utraque principaliter intentetur, n. 11. Fallit hoc, quando quæſtio civilis præjudicat criminali, n. 12. Inter actiones, & Interdicta, olim erant plures differentiæ. T. 12. n. 76. F. 104. Hodie in effectu nulla remanet differentia, n. 77. Actio confeſſoria, quæ. T. 12. n. 280. F. 124. Actio civilis, & Actio prætoria, quæ T. 14. nu. 21. F. 147. Et quale diſcrimen inter eas, n. 22.

Actiones quo tempore extinguantur, ſeu quando præſcribatur contra eas. T. 26. n. 174. & ſeqq. F. 383. Actio hypothecaria contra debitorem, vel ejus hæredem, non extinguitur niſi annis quadraginta: ſecùs, contra alios, n. 174. & 175. Actiones temporales per conteſtationem litis fiunt perpetuæ, n. 176. Actiones aliæ extinguuntur per præſcriptionem annis triginta: non tamen omnes tantum temporis requirunt, n. 177. Actio injuriarum expirat lapſu unius anni, n. 178. Actio ad accuſandum adulterium, aliaque peccata carnis (quibuſdam exceptis) expirat quinquennio, n. 179. Quid dicendum de nefando crimine Sodomiæ, n. 180. Actiones criminales tolluntur regulariter viginti annis, nonnullis tamen exceptis, n. 181. Actio redhibitoria, quæ, & quo tempore eidem præſcribatur, n. 182. Actio *quanti minoris*, quæ, & quandiu duret, n. 183. Actionem in facto præbet ſententia lata pro actore. T. 27. n. 125. F. 402. In Actione injuriarum Reus condemnatus efficitur infamis, niſi injuria foret minima, n. 148.

Actiones perſonales, quæ correſpondent obligationibus duntaxat ad patiendum, ſive ſubeundum onus, ſi ab altero petantur, præſcriptione extinguuntur ob ſolam negligentiam Actoris, ſeu ceſſationem Exactoris, quamvis obligatus ſuæ interim obligationis probè conſcius ſit. T. 25. n. 107. F. 375. Secus dicendum de actionibus perſonalibus, quæ correſpondent obligationibus ad aliquid agendum, vel non agendum, nu. 114. & ſeqq. Dantur actiones, quæ tolluntur, ſeu contra quas præſcribitur lapſu certi temporis, n. 118. Actio ex pacto nudo, an detur, n. 119.

Actionibus in civilibus ſententia lata non illicò eſt executioni mandanda, ſed expectandum ſaltem per decem dies. T. 27. n. 260. F. 403. Et quid in criminalibus, n. 261. & 162. Si dixerit Reus, ſe velle parere ſententiæ, ſtatim iſta in actione reali eſt executioni mandanda, n. 163. In Actione perſonali regulariter conceditur [illegible] ſtre ad ſolvendum, n. 164. & 165. Vide infrà *verſ. Sententiæ executio*.

Actio de dolo, quid T. 14. n. 28. F. 147. eſt actio prætoria, n. 29. Et perſonalis n. 30. an tranſeat in hæredes, n. 30. 31. Actio de dolo non procedit ſeciuſo dolo malo, n. 32. Nec admitti debet, niſi cauſa cognita, attendendo videlicet ad tria, & quæ, n. 33. & ſeqq. Ea non datur pro modica ſumma, ſeu quæ non excedit duos aureos, n. 34. Neque omni tempore, ſed intra biennium duntaxat n. 35. Nec adverſus eas perſonas, quibus pietate, officio, reverentia obligamur, n. 36. Neque ubi alia actio, exceptio, aut reſtitutio in integrum ſuppetit, n. 37. Actio de dolo, & Exceptio doli in aliquo conveniunt, differunt tamen in pluribus, n. 38. 39. & ſeqq. Actio de dolo finitur biennio, n. 30 & 35. Atque infamat n. 40. Eſtque extraordinaria atque ſubſidiaria, n. 41. & arbitraria n. 40.

Actor, unde ſic dicatur. T. 1. n. 8. F. 2. in judicio ſemper intervenit Actor, vel verè, vel fictè, n. 5. Actor poſt libellum per Judicem Reo porrectum obligatur litem proſequi, & quando ſecùs. T. 3. n. 40. F. 53. Vide infra *verſ. Libellus*. Actor nequit ſe ulla Fori incompetentis exceptione tueri quoad reconventionem, ubi hæc locum habet. T. 4. n. 5. F. 60. Actor plus debito petens in judicio, an poſſit impunè pœnitere. T. 11. n. 16. & ſeqq. F. 97. Actore plus petente, an poſſit Reus ſimpliciter negare totam petitionem; n. 20. & ſeqq. Regula iſta, *Soli actori incumbit onus probandi*, fallit in judiciis duplicibus. T. 12. n. 238. F. 119. *Actore non probante Reus abſolvitur*, limitatur, & declaratur. T. 15. n. 16. F. 161.

Actor qualiter cenſeatur committere contumaciam. T. 14. n. 71. & ſeqq. 151. Actor contumax quomodo ſit citandus, n. 81. & ſeqq. Præſertim, ſi ſit abſens, vel latitet n. 82. *Invitus agere nemo cogitur* quomodo intelligendum, n. 80. Contra Actorem contumaciter abſentem poteſt Judex procedere uſque ad ſententiam, etiam lite non conteſtata, n. 84. Major eſt contumacia Actoris, quam Rei, n. 88. Magis præſumitur contra Actorem, quam contra Reum contumaciter abſentem, n. 89. Cur non fruſtrà ad inſtantiam Rei fiat proceſſus ſupra cauſa principali, Actore contumaciter abſente, ſicque nihil probante, n. 90. *Actore non probante Reus abſolvitur*, quomodo intelligendum, n. 92. Quatuor remedia juris competunt Reo contra actorem; contumaciter abſens tenetur Reo comparenti ad expenſas. T. 14. n. 94. F. 154. Secùs, ſi nec Reus comparuit n. 95. Actor contumax ampliùs non eſt audiendus, niſi præter reſtitutas expenſas etiam præſtet cautionem de comparendo in termino citationis, n. 96. Et qualis debeat eſſe hæc cautio, n. 97. Vide infrà *verſ. Contumacia verſ. Contumax*.

Actor ob contumaciam Rei mittitur ex primo Decreto in poſſeſſionem rei petitæ. T. 14. n. 130. F. 158. Ac poſt annum conſtituitur verus rei petitæ poſſeſſor, n. 131. Actor ob contumaciam Rei ex primo Decreto miſſus in bona petita, poſt annum efficitur verus poſſeſſor. T. 15. n. 17. & 19. F. 162. Annus ille quando tunc incipiat currere, n. 20. & ſeqq. Actor, qui ob reſiſtentiam adverſarii rem cuſtodiendam nancisci non poteſt, poſt annum ſtatim verus conſtituitur poſſeſſor, n. 22. In actionibus perſonalibus qualiter Actor ob contumaciam Rei ſit mittendus in poſſeſſionem ex primo Decreto, n. 24. Actor tunc poſt annum non acquirit poſſeſſionem bonorum abſque ſecundo Decreto, n. 25. & ſeqq. Vide infrà *verſ. Miſſio in poſſeſſionem*.

Actore plene non probante, ſufficit ad probandam Rei innocentiam præſumptiva, & dubia probatio. T. 19. n. 63. F. 207. Actori regulariter incumbit onus probandi. T. 19. n. 123. & ſeqq. F. 213. Actor tenetur ad judicium venire paratus n. 124. Habet in ſua poteſtate, quando agere velit: non ſic Reus ibid. Regula illa, *Actori incumbit probatio*, patitur plures fallentias; & quas, n. 125. & ſeqq. Si præſumptio juris ſtet pro Actore, tunc onus probandi transfertur in Reum, n. 126. & 127. Actor tenetur edere inſtrumenta, quibus in judicio eſt uſurus, & quomodo. T. 22. n. 234. & ſeqq. F. 304. Teneturque Reo edere inſtrumenta ad fundandam ejus exceptionem; & cur, n. 244. Vide infrà *verſ. Reus*, *an inſtrumenta*.

Actorem ab agendo repellit exceptio excommunicationis, non Reum à defendendo. T. 26. n. 120. F. 408. Tamen, ut repellat Actorem ab agendo, debent plures obſervari conditiones; & quæ, n. 121. & & ſeqq. Actorem excommunicatum debet Judex ex officio repellere; & qualem, n. 125. Vide infrà *verſ. Exceptio excommunicationis*.

Actus, ut eſt ſervitus ruſtica quid. T. 26. n. 99. F. 323.

Adoleſcentium vita nihil eſt incertius. T. 23. n. 97. F. 323. Ex bona converſatione in adoleſcenti præſumitur vir bonus futurus in ætate virili; & quomodo. T. 23. n. 97. & 98. F. 323.

Advocatorum officium circa quæ verſetur. T. 1. n. 221. F. 22. Advocatus reſpondens in his, quæ ſunt facti, nemine contradicente, præjudicat parti n. 220. Advocatus nequit eſſe teſtis in cauſa, cujus patrocinium geſſit; & quomodo. T. 20. n. 189. & 191. F. 239. Advocatus, vel Doctor in propria cauſa conficiens inſtrumenta, nihil eo nomine pro ſua navata opera exigere valet. T. 27. n. 202. F. 407. Niſi propter hoc perdiderit aliud lucrum, vel incurrerit damnum perſonalem n. 203. & 204.

Affectionis paris cauſa, tollit ſuſpicionem fraudis. T. 20. n. 107. F. 231.

Affines producentis non ſunt teſtes idonei adverſus extraneos. T. 20. n. 116. F. 232. Fallit iſtud in certis caſibus, n. 117. & ſeqq. Affines, qui ſibi inſtar parentum & liberorum ſunt inviti non coguntur adverſus ſe teſtimonium perhibere; & quales illi ſint. T. 21. n. 32. F. 279. Volentes tamen admittuntur, n. 33. Et quando veritas aliter haberi nequit poſſunt affines cogi ad ferendum teſtimonium, n. 34. Nec tamen fruſtraneum eſt horum perſonarum privilegium, n. 35.

Affirmantibus duobus teſtibus magis credendum eſt, quam centum negantibus; idque declaratur. T. 20. n. 323. F. 252. Affirmanti incumbit probatio. T. 22. n. 159. F. 296.

Agere non poteſt, qui non poteſt rem alienare: an, & quando verificetur. T. 1. n. 182. F. 18.

Agnati, & Cognati, qui, & quomodo differant. T. 21. n. 31. F. 279.


Agna-

Agnati, & Cognati uſque ad tertium gradum, non poſſunt compelli ad teſtificandum contra ſuos conſanguineos n. 3. Vide infrà *verſ. Cognati, & verſ. Conſanguinei.*

Alienatio rerum litigioſarum, an, & qualiter lite pendente ſit prohibita. T. 16 n. 16. & ſeqq. F. 167. Eſt vel ipſo jure irrita; vel ſaltem irritanda, n. 20 & 21 Et quæ differentia inter hæc, n. 22 Alienatio rerum litigioſarum juramento firmata valet, quæ alioquin ſecundum Leges eſt invalida, & cur. T. 24 n. 94 F. 333 Alienatio etiam uſucapionem continet. T. 26 n. 16 F. 309

Allegationes juris diſſerunt à probationibus. T. 19. n. 6 F. 202.

Amphibologia, quid & qualiter contingat. T. 18. n. 180 & 181. F. 195. Sine cauſa non eſt licitum uti amphibologia, n. 184.

Annus, poſt quem Actor ex primo Decreto miſſus in bona petita efficitur verus poſſeſſor, quando currere incipiat. T. 15. n. 20 & ſeqq. F. 162.

Antapoca, quid, ejuſque utilitas. T. 22. n. 133 F. 295.

Antiqui, in facto non requiritur plena probatio. T. 19. n. 66. F. 207. In antiquis admittuntur Conſanguinei, Affines aliique cæteroquin inhabiles ad teſtificandum. T. 20 n. 118. F. 232. Et qualem probationem eorum teſtimonium tunc faciat n. 119. Antiquum quid dicatur. T. 20. n. 366 F. 257. Antiquis in factis probant Libri Eccleſiarum &c. pro Eccleſia, ob eorum antiquitatem. T. 22 n. 121 F. 293 In antiquis admittuntur leviores probationes propter difficultatem probandi, n. 278. Antiqua facta poſſunt probari per ſculpturas, vel litteras antiquas marmoribus inciſas, & qualiter. T. 22. n. 221. & ſeqq. F. 302.

Apertio oris contra clauſulas præjudiciales, à quo petenda. T. 30 n. 20. F. 444. Ubi, & quomodo concedi ſoleat. Ibid.

Apoca, generatim, & Apoca ſpecialius accepta, quid. T. 22. n. 131. 132 F. 291.

Apoſtoli reſpectu appellationum, qui, & unde ſic dicantur. T. 28. n. 124. F. 421. Apoſtolorum hujuſmodi quinque ſunt ſpecies, n. 125. & ſeqq. Apoſtoli dimiſſorii, n. 126. Apoſtoli reverentiales, n. 127. Apoſtoli refutatorii, qui, & quomodo hi dandi n. 128 Non obſtante, quod appellatio per Judicem inferiorem non fuerit admiſſa, nequit is procedere ad executionem ſententiæ, n. 129 Notabilis differentia inter Apoſtolos dimiſſorios, atque reverentiales, & inter Apoſtolos refutatorios, n. 130 & ſeqq Apoſtoli conventionales, n. 132. Et Apoſtoli teſtimoniales, qui, n. 133. Apoſtoli de facto ſunt petendi intra triginta dies, n. 134. Olim intra quinque dies peti debebant, n. 135. Apoſtoli alicubi, ac in Camera Imperiali, non neceſſariò petuntur, n. 136. Secùs ſpectato Jure communi, n. 134. & 137 Apoſtolos an teneatur Judex tradere non petenti. T. 28. n. 137. & 138. ſeqq. F. 422. Et quid, ſi appelletur à gravamine extrajudiciali, & non per Judicem illato, n. 140.

Apoſtoli congruo loco, & tempore inſtanter, & ſæpius ſunt petendi, idque exemplificatur. T. 28. n 141 F 422. Aliàs quia appellans cenſetur renunciaſſe ſuæ appellationi, n. 142 Sufficit tamen Apoſtolos petere ſæpius in uno contextu, n. 143 Poſſunt peti intra triginta dies ac viva voce &c. n. 144 Sunt petendi, ac præſentandi Judici *ad quem*, ſumptibus appellantis, n. 145 Poteſtque Judex *à quo* appellanti præfigere terminum præſentandi Apoſtolos: Adeò, ut alioquin appellatio efficiatur deſerta n. 146. & 147.

Apoſtolos debitè petenti tenetur Judex exhibere intra triginta dies: alioquin punitur, & quomodo T. 28. n. 148 F. 423. Et ſi poſt denegatos Apoſtolos procedat in cauſa, proceſſus eſt invalidus, n. 149. Et quomodo, n. 150. Si Judex non dederit Apoſtolos, poteſt appellans abſque iſtis proſequi appellationem, n. 151.

Appellans, & denuò victus, indiſtinctè victori condemnandus eſt in expenſis. T. 27. n 209. F. 408. Niſi probabilis cauſa ipſum excuſet, n 210. Appellatus, & ſuccumbens, an pariter ſit condemnandus in expenſis, n. 211. & ſeqq. Affirmatur, ſi ex iiſdem Actis in cauſa appellationis ſuccubuit, n. 212 Negatur quando ſuccumbit ex novis probationibus per appellantem productis, n. 212. & 214. Appellans poteſt non deducta deducere, & non probata probare, & quomodo. T. 28. n. 13 F 411 Appellare regulariter quilibet poteſt, ſi ſe injuſtè gravatum exiſtimet. T. 28. n 32. F. 412 Appellans non facit injuriam Judici *à quo* n. 33. Saltem non tantam, ex qua agi poſſit, aut Judex *à quo* moveri debeat, n. 34 Poteſt interdum utraque pars appellare ab eadem ſententia, n 36 Quilibet tertius poteſt Appellare contra ſententiam, ſi per eam ſe gravatum ſenſerit, n 37.

Appellans an teneatur exprimere cauſam appellationis in ſpecie. T. 28. n 95 & ſeqq F 418. Appellans ab interlocutoria non poteſt alias cauſas in appellatione proſequi, quam nominatim in ea expreſſas, n. 99. Appellans à diffinitiva, an, & in quibus caſibus teneatur exprimere cauſam appellationis, n 108 & 111 ac ſeqq. Appellans, & non petens Apoſtolos congruo loco, tempore, & modo, cenſetur renunciaſſe ſuæ appellationi, n 142. & ſeqq Vide ſuprà *verſ. Apoſtoli*. Appellans poteſt ſibi ipſi reſtringere fatalia appellationum. T. 28. n. 193. F. 426. Vide infrà *verſ. Fatalia*. Appellans in una cauſa, ſi committat grave crimen, poſſit de eo puniri per Judicem ordinarium *à quo*. T 28. n. 205 F 428. Et quid loquendo in cauſis civilibus, n. 216. 217 & ſeqq Appellans poteſt ſimul proſequi cauſam appellationis, & attentatorum, ac poteſt etiam proſequi ſolam cauſam attentatorum. T. 28 n. 259. F. 433 Vide infrà *verſ. Attentatorum nomine*.

Appellare an in quibuslibet Judiciis liceat. T. 28. n. 42 & ſeqq F. 417. Regulariter id eſt licitum, n. 32 & 42. Niſi Judex fuerit Princeps ſupremus, n. 43 Unde appellari non poteſt à ſententia ſummi Pontificis, n. 44 Nec à Concilio Generali, n 45 Aut à ſententia totius Congregationis Cardinalium. Ibid. Idem procedit in Imperatore, & Regibus &c. Ibid. Aut etiam in quibuſdam inferioribus Principibus ex ſpeciali privilegio, n. 46. Porò, in Electoribus Sac. Rom. Imperii, ac ſupremis horum Dicaſteriis, n. 47 & 48. Regula illa, quod liceat appellare à quocunque Judice, niſi fuerit Princeps ſupremus, patitur nonnullas alias limitationes, & quas, n. 50 51 & ſeqq. Quid juris, ſi uterque litigantium appellet, ſed ad diverſos Judices, v. g. unus ad Papam, alter ad inferiorem. T. 28. n. 75 & ſeqq. F. 416.

Appellare in quibus caſibus Jura prohibeant. 28. n. 268. & ſeqq. F. 435. Referuntur verſiculi eoſdem complectentes, n. 268. Hi ipſi caſus patiuntur quaſdam limitationes, & declarantur ſinguli in ſpecie, n. 269. 270. & ſeqq. Ob *Scelus*, prohibetur quis appellare, quando de eo convictus, & confeſſus eſt, n 270. & 272. *Excellentia* Judicis ſupremi appellationem impedit, n. 273. & 42. & ſeqq. *Pactum* appellare vetat eos, qui tranſegerunt, vel appellationi renunciarunt, &c. n. 274. & 275 *Arbitrium* impedit appellationem, & cur, n. 276. *Fatalia* tollunt poteſtatem appellandi, n. 277. & 152. 255 & ſeqq. Quando *Dilatio nulla datur*, appellare non licet: idque exemplificatur, n 278 Clauſula, *Appellatione remota*, impedit appellationem, n 279 & ſeqq. Clauſula, *Appellatione remota*, operatur plures effectus & quos, n 281. & ſeqq. Et quando effectus illos non operetur, n. 287. 288 & ſeqq. Appellatio non admittitur, *Si res notoria fiat*. T. 28. n. 297. F. 438. In dubio tamen ea admittitur, n. 298. Ly *Corrige* denotat, non admitti appellationem a legitima correctione, n. 300 & ſeqq. Niſi modus excedatur, n. 301. *Contemptus* impedit fieri appellationem, n. 303 Sicut & *Poſſeſſio*, ſeu ſententia lata in poſſeſſorio, n. 304. Fallit iſtud in poſſeſſorio magni præjudicii &c. n. 305. & ſeqq. Appellare vetat *Jus clarum*, n. 308. Item *Executio* ſententiæ &c. n. 309 Item *Res minima*, ſaltem ſpectatis ſpecialibus ſtatutis locorum, n. 310. De Jure tamen Canonico poteſt appellari etiam pro cauſis minimis n. 311. *Res longius acta* non recipit appellationem, n. 312. Ab eadem ſententia non licet eidem ter appellare, & quomodo iſtud intelligendum, n. 312. 313 & 314. Quæ remedia competant poſt ſecundam appellationem, n. 315.

Appellatio vi nominis, & Appellatio quantum ad propoſitum, quid. T 28. n. 2. & 3 F. 410 Judex *à quo* & Judex *ad quem*, ſeu Judex appellationis quis, n. 4. Appellatio debet fieri gradatim ad proximum Superiorem, n. 3. Ad Papam tamen poteſt immediatè appellari in cauſis ſpiritualibus &c. n. 6. Valet etiam conſuetudo, quod ab inferiore appelletur ad Superiorem omiſſo medio, n. 7. Quin & ceſſante conſuetudine valet ejuſmodi appellatio, ſi non opponatur exceptio. Ibid. Per appellationem non fit injuria Judici *à quo*, n 33. & 34. Per eam tamen iniquitas prioris Judicis arguitur, n. 34. Refertur Decretum Sacræ Congregationis circa materiam appellationum. T. 28. n. 267. F. 435

Appellatio eſt duplex, judicialis nimirum, & extrajudicialis, & quid T. 28 n. 8. & 9. F 410.

Appellatio extrajudicialis, non eſt propriè appellatio, ſed potiùs dicitur *Provocatio*, n. 10. Appellatio judicialis, & extrajudicialis differunt, n. 10 & 11. Appellationes rationabiles, ſeu legitimæ, & Appellationes fruſtratoriæ, frivolæ, ac leves, quæ, n 17. Appellatio judicialis etiam malè ac ſimpliciter propoſita, ſuſpendit executionem, n. 11. & n. 449.

Appellatio judicialis ſubdividitur in eam, quæ fit ab interlocutoria, & quæ à diffinitiva ſententia. T. 28. n. 12. F. 410. Inter haſce appellationes quatuor potiſſimum ſunt differentiæ, n. 13. & ſeqq. Appellatio à diffinitiva poteſt fieri incontinenti, ſeu ſtante pede: altera debet fieri in ſcriptis, n 13. In illa non eſt neceſſe cauſam appellationis in ſpecie exprimere; ſecùs in altera, n. 14. In cauſa appellationis a diffinitiva licet novis probationibus uti: ſecùs in cauſa appellationis ab interlocutoria, n. 15 Appellans poteſt non deducta deducere, & non probata probare, & quomodo, Ibid. Appellatio à diffinitiva poteſt ſemper proponi: non ſic appellatio ab interlocutoria, ſaltem ſpectato Jure Civili, & Concilio Tridentino, n. 16. Diſparitas notabilis inter appellationem à ſententia diffinitiva, & ab interlocutoria, vel gravamine. T 28 n 264. F. 434.

Appellatio differt à Supplicatione; & in quibus. T 28. n 22. F 311. Appellatio, & oppoſitio nullitatis ſententiæ, differunt variè. T 28. n. 24 & ſeqq. F. 411. Appellatio unius prodeſt alteri, ſi communi jure juventur. T 28. n. 39 F 413. Illis, quorum non intereſt, appellatio conceſſa non eſt, n. 40. Excepta cauſa ſanguinis, n 41.

Appellatio non ſolùm ſuſpendit ſententiam Judicis, ſed etiam effectum concluſionis in cauſa prioris inſtantiæ. T 12 n. 312 F 127. Appellationem excludit confeſſio judicialis, præſertim in cauſis civilibus T. 18 n 67. F 182. Et quid in criminalibus, n. 70 In criminalibus ad excludendã appellationem plures requiruntur, quòd Reus ſimul & confeſſus, & convictus ſit, n. 68. & 69 Per appellationem reſcinditur judicatum, & reponuntur omnia ad priorem Statum: & qualiter. T. 25. n. 28. & 74 F. 294. Non allegatum, vel non probatum in cauſa principali, poteſt allegari, & probari in cauſa appellationis; & quomodo, n 29 In cauſa appellationis poſſunt opponi exceptiones peremptoriæ, ſicut poterant antea poſt litem conteſtatam. T. 25. n. 74 F. 357. Et quid, ſi quis malitioſe eas omiſerit in cauſa principali, ut ſic fatigaret adverſarium, n. 75 Si à ſententia infra decem dies non appelletur, ea regulariter tranſit in rem judicatam, & cur. T. 27. n. 107 & 108. F 398. Victus non appellans verè non conſentit in ſententiam, ſed fictè; neque victor, ſciens ſententiam injuſtam, poteſt rem ſibi adjudicatam tuta conſcientia retinere, n. 108. Tempus decem dierum conceſſum ad appellandum, quando incipiat currere, n. 110 & 111. Sententia, quæ non tranſit in rem judicatam, poſt lapſum decem dierum non poteſt revocari per viam appellationis, ſed ſolùm per viam querelæ. T 27. n. 135. 136 & 138. F. 401. Notabilis differentia inter appellationem, & inter querelam; in cauſis non tranſeuntibus in rem judicatam, n. 137. & 138.

Appellatio regulariter debet fieri gradatim ad proximum Superiorem, T. 28. n. 54 F. 415. Demptis certis caſibus, n. 55. Ad Papam poteſt appellari omiſſo medio, n. 56. Haud obſtante, quòd ſecùs ſit de Imperatore, & cur, n. 57. Excipitur unus caſus, in quo non appellatur ad Papam, num. 58. Etiam ad Legatum Papæ poteſt appellari immediatè omiſſis mediis, n. 59. Ampliatur iſtud ad Patriarcham, n. 60 A Subdelegato in totum appellatur ad primum Delegantem: ſecus, ſi Subdelegans ſibi aliquid de juriſdictione reſervavit, n. 61. A Vicario Generali Epiſcopi non appellatur ad Epiſcopum, ſed duntaxat ad Superiorem, non obſtante quacunque conſuetudine in contrarium, n 62 & 63. Valet appellatio ad Superiorem omiſſis mediis, ubi id admittit conſuetudo, n 64. Item procedit ratione privilegii, n. 65. & ſeqq. Scholares poſſunt appellare ad Superiorem omiſſo medio, n 66. Simile privilegium competit Viduis, Pupillis, aliiſque miſerabilibus Perſonis n. 67. Poteſt appellari ad Superiorem, quando Judex intermedius eſt inhabilis; puta, quia eſt excommunicatus, ſuſpenſus &c. n. 68. Aut ſuſpectus, ſicque recuſatus, n. 69. Vel abſens longo impedimento detentus, n. 70. Aut denegat juſtitiam, vel ſpontè remittit cauſam ad Superiorem, n. 71. Item, quando Epiſcopus litigat cum ſuo ſubdito, n. 72. Si per errorem appellatur ad Superiorem omiſſo medio, non vitiatur appellatio: ſecùs, ſi ad minorem, n. 73. Generaliter valet appellatio ad Superiorem omiſſo medio, ſi contra eam pars adverſa non excipiat, n. 74.

Appellatio ad Judicem ſuperiorem prævalet alteri, quæ facta eſt ad inferiorem. T 28. n. 78 F. 416 Quid juris, ſi uterque litigantium appellet, ſed ad diverſos Judices, n. 75 & ſeqq. Appellatio à Judice ſæculari ad Papam, de rigore juris non tenet. T. 28. n. 79 & ſeqq. F. ibid Niſi Laici litigantes ſint de temporali juriſdictione Eccleſiæ n. 81. De conſuetudine ſpeciali poteſt tenere appellatio à Judice ſæculari ad Papam, n. 79 & 82. Non tamen valet conſuetudo appellandi à Foro Eccleſiaſtico ad ſæcularem, & cur, n. 83 Caſus, in quibus à Judice ſæculari videtur provocari ad Eccleſiaſticum, referuntur, n. 84. Ac reſolvuntur, n. 85. & ſeqq. Viduæ, Pupilli, & aliæ miſerabiles perſonæ rebus ſuis ſpoliatæ, poſſunt ſpoliatores ſuos convenire coram Judice Eccleſiaſtico, n. 86 & T. 2. n. 154. & ſeqq. F. 36.

Appellatio regulariter eſt proponenda coram Judice *à quo* T. 28. n. 88. & ſeqq. F. 418. Quid ſi copia Judicis *à quo* haberi nequeat, bene tamen Judicis *ad quem*, n 89. Quando cenſeatur copia Judicis non haberi, n. 90 Si neutrius Judicis copia haberi poteſt, ſufficit appellare coram viris honeſtis, n. 91. Quid agendum, ſi quis juſto metu impeditur, quo minùs appellet, n 92. Non valet appellatio generalis ſuper omni cauſa, vel gravamine, n. 93. Benè tamen appellatio generalis quæ eſt reſtricta ad certam cauſam, n. 94.

Appellationis cauſa in ſpecie, an debeat exprimi per appellantem. T. 28. n 95. & ſeqq. F 418. Appellatio ab interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali, debet fieri exprimendo cauſam in ſpecie, n. 96. Neque ſufficit eam duntaxat exprimere in genere, idque exemplificatur, n. 97. & 98. Appellans ab interlocutoria, non poteſt alias cauſas in appellatione proſequi, quam nominatim in ea expreſſas, n. 99. Nec tunc proceſſus primi Judicis poteſt juſtificari, vel impugnari ex Actis novis, aut de novo producendis, n. 100. Regula illa quod in appellatione ab interlocutoria debeat exprimi cauſa ipſius in ſpecie, patitur plures limitationes. T. 28. n. 101. & ſeqq. F 419. Fallit enim in appellatione ab interlocutoria habente vim diffinitivæ, n. 102 Fallit etiam in cauſis, in quibus proceditur ſummariter ac de plano, n. 103. Item, quando cauſa gravaminis conſiſtit in mero jure, n. 104. Aut, quando ea anteà non oppoſita adhuc exprimitur ante elapſum decendium, n. 105 Vel ſi de conſuetudine aliter ſit receptum, n. 106. Et quando nemine excipiente Judex defert tali appellationi, n. 107.

Appellatio à ſententia diffinitiva non neceſſariò fit cum expreſſione cauſæ appellationis in ſpecie. T. 28. n. 108 & ſeqq F. 419. Si ea fiat incontinenti, ſufficit dicere *Appello*, n 108. Ratio diſparitatis inter appellationem à diffinitiva, & interlocutoria, quoad hoc, n. 109. & 110. Limitatur iſtud in certis caſibus, in quibus debet exprimi cauſa appellationis à diffinitiva, & quibus, n. 111. & 112. & ſeqq.

Appellatio an neceſſariò debeat fieri in ſcriptis, T. 28. n. 115 & ſeqq. F. 420. Si fiat appellatio ab interlocutoria ad Papam, debet ea fieri in ſcriptis, n. 115. Utrùm hoc ipſum requiratur in appellatione ab interlocutoria, ad inferiores Judices directa, n. 116. & 117. Quod ab interlocutoria debeat indiſtinctè appellari in ſcriptis, plures tradunt, n. 118. & 119. Exceptis tamen nonnullis caſibus, n. 118. & n. 102. 103. & ſeqq.

Appellatio à ſententia diffinitiva poteſt fieri vel incontinenti, ſive *Stante pede*, n. 119. Vel ex intervallo, & ſic debet fieri in ſcriptis &c. n. 120. Poteſt fieri non ſolum per verbum *Appello*, ſed etiam per verba æquipollentia: idque exemplificatur, n 121. Imò poteſt etiam facto fieri, n. 122 Dummodò ſerventur ea, quæ cæteroquin ad appellationem requiruntur, n. 223.

Appellationum Fatalia quid ſint, & quotuplicia. T. 28. n. 152 & ſeqq. F. 423. Vide infrà *verſ. Fatalia appellationum*.

Appellationis effectus, qui ſint. T. 28 n. 199. & ſeqq. F. 428. Ejus duplex principaliter eſt effectus, nimirum ſuſpenſivus, & devolutivus, quamvis non ſemper ambos operetur. Ibid. effectus ſuſpenſivus, & appellationis in quo conſiſtat, n. 200. Operatur tria, & quæ, n 201. Suſpendit pronunciatum, non verò extinguit, n. 202. Appellationis effectus devolutivus, quis, n. 203. Poſſunt diſtingui plures alii effectus appellationis, minùs tamen principales, n 204. Puta, quod poſſit impetrari Judex appellationis per Reſcriptum, n. 205. Quòd pendente appellatione nihil ſit innovandum, n. 206. Imò nec intra decendium ad appellandum conceſſum, poſſit aliquid innovari, etiam ante factam appellationem, n. 207 Quod ſuſpendat judicatum, n. 208. At quæ reponat appellantem in priſtino ſtatu, & quomodo? Ibid. Et quod Judex *ad quem* debeat revocare, aut confirmare ſententiam Judicis *à quo* n. 209.

Appellatio à ſententia diffinitiva quando habeat, vel non habeat effectum ſuſpenſivum. T. 28. n. 210. & ſeqq. F. 428. Regulariter ea habet effectum ſuſpenſivum, n 210. Fallit iſtud in caſibus exceptis, ſeu in quibus Jura prohibent appellare n. 211. Ac in appellatione à Cenſuris Eccleſiaſticis abſolutè prolatis, n. 212. & 213. Secùs, ſi appelletur à Cenſura ſolum comminata, vel lata ſub conditione, ſi ante hujus eventum appelletur, n. 214. Appellans in una cauſa, ſi committat grave crimen, poteſt de eo puniri per Judicem ordinarium *à quo* n. 215. Sicut & appellans in una cauſa, v. g. civili, poteſt conveniri coram ordinario Judice *à quo* in alia cauſa n. 216. Niſi hunc recuſaverit ut ſuſpectum etiam in alia cauſa, n. 217. 218. & 219.

Appellatio eadem non habet effectum ſuſpenſivum in iis, quæ tendunt duntaxat ad faciliorem cauſæ exitum, n 220. Sicut & in nonnullis aliis caſibus n. 221.

Appellatio à ſententia interlocutoria vel gravamine, an pariter habeat effectum ſuſpenſivum. T. 28. n. 222. & ſeqq F. 429. Ea habet effectum ſuſpenſivum reſpectu illius articuli, ſeu gravaminis, ſuper quo appellatum fuit, n. 222 Dummodò iſtud per Judicem *à quo* poſteà non revocetur, n. 223. An, ſi appelletur ſuper incidenti ſolùm, poſſit Judex *à quo* procedere in cauſa principali, n. 223. 224. & ſeqq. Vide infrà *verſ. Judex à quo*.

Appellatio legitimè interpoſita parit etiam effectum devolutivum. T. 28. n. 230. & ſeqq. F 431. Unde, quando appellatur à diffinitiva, Judex *ad quem* debet judicare, ac pronunciare: *Bene judicatum, malè appellatum*, aut contra, n 231. Vel priorem ſententiam reformare, ei aliquid addendo, vel detrahendo &c. n. 232. Devolvuntur tunc ad Judicem *ad quem* tam cauſa principalis, quam ejus acceſſoria, & conſequentia, n. 233. Utrum appellatio ab interlocutoria, vel gravamine devolvat cauſam principalem ad ſuperiorem Judicem, diſtinguendum eſt, num. 234. & ſeqq. Devolvit, ſi pronuncietur eſſe legitimam, nu. 234. Sin minùs, tunc Judex *ad quem* tenetur remittere cauſam principalem Judici *à quo*, nu 235. Dummodò Judex *à quo* non detulerit appellationi, n. 236 Quamvis etiam tunc Judex *ad quem* poſſit hanc remittere, n. 237. Executio ſententiæ in cauſa appellationis an ſpectet ad Judicem *ad quem*, vel *à quo*, nu. 238. & ſeqq. Attentata pendente appellatione quæ, & qualiter revocanda. T. 28. n 249. & 250. & n. 253. & ſeqq. F. 489. Vide infrà *verſ. Attentatorum nomine*.

Appellatio per Jura denegatur litigantibus in pluribus caſibus, & quibus. T. 28. n 268. F. 435. Declarantur ſinguli caſus in ſpecie, n. 270. & ſeqq Vide ſuprà *verſ. Appellare in quibus caſibus*.

Appellatio eſt ſpecies defenſionis. T. 28. n. 281. F. 436. Et quomodo nihilominus à Principe poſſit removeri, Ibid. Clauſula, *Appellatione remota*, impedit appellationem, n. 279. & ſeqq. Soli Principi ſupremo competit delegare cauſam ſub clauſula, *Appellatione remota*, n 280. quid de Legato à Latere, ibid. Clauſula *Appellatione remota* operatur plures effectus; quos T. 28. n. 282. F. ibid. Judex datus ſub hac clauſula poteſt exequi ſuam ſententiam, non obſtante appellatione, n. 283. Ac tenet excommunicatio ab eo lata in contumacem poſt appellationem ſuam, n. 284 Judex virtute dictæ clauſulæ non deferens appellationi, minimè punitur, n. 285 Clauſula, *Appellatione remota*, an operetur effectus ſuos in omnibus caſibus, & in quibus ſententiam Judicis dati cum clauſula, *Appellatione remota*, ſentit ſe injuſtè gravatum, n. 293 ac ſeqq

Appellatio, & Recuſatio æquiparantur, & quomodo, T. 28. n 318. F. 440. Conveniunt in nonnullis, n. 317. Differunt autem in pluribus, n. 319.

Apprehenſio rerum vera ſeu corporalis, quæ; T. 12. n. 108. & ſeqq. F. 107. Apprehenſio ficta, quæ; quibuſque modis fiat, n. 111 & ſeqq

*Apud* Hæc dictio quandoque obtinet vim dictionis *coram*. T. 12. n. 122. F. 108.

Aquæductus, ut eſt ſervitus ruſtica, quid. T. 26. n. 99. F. 375.

Arbitri duo ſi contrarias dederunt ſententias, neutra harum valet, T. 19. n. 81. F. 209. Arbitri ſententia non eſt propriè ſententia, nec in materia reſtringibili venit nomine ſententiæ. T. 27. n. 10 F 389. Arbiter non habet juriſdictionem, ſed ſolam notionem. Ibid. Ex tribus Arbitris ſtatur ſententiæ duorum concordantium. T. 27 n. 216. F. 409. Et quid, ſi omnes tres diſcordent, v. g. in taxanda aliqua quantitate, ibid Si duo Arbitri contrarias ferunt ſententias, neutra tenet n. 219.

Arbitrium ſuum debet Judex ex æquo, & bono moderari. T. 14. n. 77. F. 152. In arbitrariis prodeſt habere Judicem favorabilem, n. 76 Arbitrium Judicis debet eſſe regulatum, & quomodo. T 19. n. 60. F. 207.

Archivium publicum, unde vim probandi habeat. T. 22. n. 108. T. 111. F 292. Ad conſtituendum publicum archivium tria requiruntur, n. 113 An, & quando ſcripturæ in publico Archivio repertæ, plenè probent, n. 102. & ſeqq. Probant plene concurrentibus certis conditionibus; & quibus, n. 102. 103. 105. & ſeqq. Secùs dicendum de Archivio privato, n. 204. Scripturæ privatæ repertæ in publico Archivio, an fidem faciant duntaxat intra territorium Domini ſui, vel etiam extra illud. T. 22 n. 106. & ſeqq. F 291. Sententia affirmativa ſuadetur, videturque probabilior, n. 109 & 110 ac ſeqq. Archiviis Monaſteriorum, Civitatum, & Perſonarum illuſtrium &c. atque libris, & ſcripturis inde depromptis, ex titulo archivii nulla authoritas competit, n. 114. & ſeqq. Præſertim, quando allegantur ad probanda propria jura n. 114 & 115. Contraria quorundam ſententia refertur, atque explicatur, n. 116 & 117 & 118 Dantur nihilominus certi caſus, in quibus libri ex archivis Monaſteriorum, Civitatum &c extracti, plenè, vel quaſi plenè probant, & qui, n. 118. 119 & ſeqq. Ratione publici archivii authentizantur ſcripturæ originaliter privatæ 150 & 151.

Argumentum ſtrictè, & largè acceptum, quid. T. 19. n. 4. F. 202.

Articulus, quid T. 18 n. 210. F. 198. Articuli multipliciter differunt à Poſitionibus, nu 311 In praxi tamen plerumque inter ſe confunduntur, nu. 212 Articuli alii de neceſſitate concludunt, alii præſumptivè, & talium probatio eſt admittenda. T. 19. num. 34. F 204.

Aſſaſſinii crimen committentes Clerici ipſo jure amittunt privilegium Fori. T. 2. n. 236 F 47.

Aſſeſſores nullam habent juriſdictionem, T. 1. n. 72. F. 7. Aſſeſſores in cauſis ſpiritualibus poſſunt eſſe Laici. Ibid.

Aſyli jus competit Eccleſiis jure humano. T. 2 n. 231. F 44.

Attentatorum nomine quid intelligatur; præſertim appellatione pendente. T. 28. n 249. F. 432. Attentatum poteſt accipi, & pro facto, & pro jure, n 220. Ubi nihil innovatur, non dicitur attentatum, n. 251. Attentare non dicitur, qui facit actum continuativum. Ibid.

Atten-

Attentata lite, vel appellatione pendente, an differant, n. 252. Attentatum dici nequit, quod ſit Lege permittente; idque exemplificatur, n. 253. & 254. Attentata pendente appellatione à ſententia diffinitiva, ſunt ipſo jure nulla; n. 255. Dummodò vers adverſa debitè petat revocationem ipſorum, n. 256. Ad revocationem attentatorum [illegible] via proceditur, n. 257. Nempe via Ordinaria, n. 258. Et via extraordinaria, ſeu per Remedium attentati, n. 259. Appellans poteſt ſimul proſequi cauſam appellationis, & attentatorum, ac etiam poteſt proſequi ſolam cauſam attentatorum. Ibid. Petens revocari attentata, quæ teneatur probare, n. 260. Attentata pendente appellatione à diffinitiva, revocantur ante omnia per Remedium attentati, n. 261. Secùs, quando ad eorum revocationem proceditur per viam Ordinariam, n. 262. Et loquendo de attentatis poſt appellationem ab interlocutoria vel gravamine, n. 263. & 264. Attentata pendente appellatione, per quem Judicem ſint revocanda, n. 265. & 266. Refertur Decretum Sacræ Congregationis circa hoc n. 267.

Atteſtationum publicatio, quid, & qualiter fiat. T. 19. n. 148. F. 215. Poſt eam regulariter non licet alios teſtes producere, n. 149. Saltem ſuper eiſdem articulis, vel directè contrariis, alias ſecùs, n. 150. & 151. Poſſunt tamen poſt publicationem atteſtationum nova inſtrumenta produci, n. 149. 152. & 153. Dantur complures caſus, in quibus poſt publicationem atteſtationum etiam poſſunt ſuper iiſdem articulis teſtes produci, n. 154. & ſeqq. Enumerantur duodecim tales caſus, n. 156. 157. & 158. Atteſtationes, & Teſtes, quid. T. 20. n. 2. F. 220. Timor ſubornationis teſtium magis urget poſt publicationem atteſtationum, quam anteà. T. 20. n. 469. F. 267.

Atteſtationum publicatio non eſt de ſubſtantia Proceſſus judiciarii, benè tamen de ejus juſtitia. T. 20. n. 523. F. 272. Idque probatur, n. 524. Atteſtationes receptæ in uno Judicio, ſed non publicatæ, fidem non faciunt in alio, etiam inter eaſdem perſonas, n. 525. & ſeqq. Fallit iſtud in certis caſibus, & quibus, 530. & ſeqq. Tenetur pars adverſa vel ratam habere priorem receptionem teſtium, vel pati, ut denuò teſtes examinentur, n. 533.

Avocatio cauſæ, quid, & qualiter per eam inducatur competentia Fori. T. 2. n. 117. & ſeqq. F. 33. Advocatio cauſæ differt ab ea, per quam Judex avocat ſubditum ſuum coram alio incompetenter litigantem, n. 118. Poſt avocationem cauſæ proceſſus per inferiorem Judicem factus, ipſo jure eſt nullus, n. 119. Avocatio cauſæ magis afficit juriſdictionem inferioris Judicis, quam appellatio, & cur, n. 120. Quid, ſi Epiſcopus avocet cauſam coram ſuo Vicario Generali agitatam, n. 121.

## B

Bellum. In bello juſto licitum eſt, hoſtibus ponere inſidias; non verò datam eis fidem violare. T. 18. n. 151. F. 191.

Beneficii titulus inhæret oſſibus Clericis. T. 2. n. 51. F. 32. In loco beneficii perſonalem reſidentiam requirentis cenſetur Clericus domicilium contrahere. T. 1. n. 94. F. 9. Beneficiorum Eccleſiaſticorum collatio, appellatione fructuum continetur. T. 13. n. 104. F. 13. Circa beneficia Eccleſiaſtica quomodo lite pendente nihil ſit innovandum. T. 16. n. 42. & ſeqq. F. 169. Differentia inter caſum *cap. 7. & cap. 2. Ut lite pendente &c. in 6.* relatum, n. 44. Lite pendente inter duos Præſentatos ad beneficium, nequit Patronus Eccleſiaſticus variare, ſeu alium præſentare, n. 45. Imò nec Patronus laicus, n. 46. Quis conferre poſſit beneficium, ſi duobus ſuper eo ſibi collatio litigantibus mori contingat unum, vel utrumque eorum, n. 47. 48. Beneficii, & fructuum ejus ſequeſtratio fit, quando contra ipſius poſſeſſorem apud Sedem Apoſtolicam fuit promulgata una ſententia diffinitiva. T. 17. n. 32. F. 173. Beneficii Eccleſiaſtici privatio, reputatur pœna civilis. T. 18. n. 139. F. 190. Pro denuntiatione inhabilitatis ad obtinendum beneficium, an ſufficiat unus Teſtis. T. 20. n. 263. F. 246. Beneficia plura obtinens, contra alium de pluralitate beneficiorum non excipit. T. 25. num. 128. F. 164. Saltem nomine proprio: & an nomine Eccleſiæ ſic poſſit excipere, n. 129. Beneficium Eccleſiaſticum an quoad titulum præſcribi valeat. T. 26. n. 35. F. 368. In cauſa beneficiali ſententia non tranſit in rem judicatam; & quomodo. T. 27. n. 123. & 124. F. 399.

Bona Eccleſiarum quandoque ſunt communia inter Prælatum & Capitulum, quandoque diſcreta. T. 1. n. 171. F. 17. An de iis poſſit agere, vel conveniri Prælatus abſque conſenſu Capituli, ſeu Conventus; & econtra, n. 172. & ſeqq. Bona inventa ſunt dominis ſuis reddenda. T. 12. n. 201. F. 115. Bona temporalia dicuntur vita hominis. T. 20. n. 81. F. 228.

## C

Calliditas, Fallacia, & Machinatio differunt, & qualiter. T. 14. n. 4. F. 246.

Calumnia, & Calumniari, quid. T. 7. n. 3. F. 72.

Calumniæ juramentum, quid. T. 7. n. 2. F. 72. Et quæ contineat, n. 4. & 5. Et quomodo differat à juramento malitiæ, n. 8. Illud partim convenit, & partim differt à juramento de veritate dicenda, n. 12. & ſeqq. Juramentum calumniæ ab alterutra parte exactum, neceſſario eſt præſtandum; alioquin proceſſus non valet. T. 7. n. 15. F. 73. Eſt regulariter præſtandum ab exordio litis, quamvis, & poſtea exigi, ac præſtari poſſit, n. 16. Durante eadem inſtantia nonniſi ſemel præſtandum eſt, n. 17. Sed in cauſa appellationis denuò debet jurari de calumnia, & cur, n. 18. & ſeqq. Juramentum calumniæ in quibus cauſis ſit præſtandum, n. 21. ſeqq. Eſt præſtandum tam in judicio ordinario, quam ſummario, nu. 22. Ac etiam in cauſis ſpiritualibus, licèt antiquitus ſecùs fuerit, n. 23. Imò in cauſis criminalibus, n. 21. & 24. & 25. ac ſeqq.

Calumniæ juramentum, à quibus ſit præſtandum. T. 7. n. 24. & ſeqq. F. 74. Eſt præſtandum per Actorem, & Reum, priùs tamen per Actorem, n. 25. Exceptis certis caſibus, & quibus n. 27. 28. & ſeqq. Princeps poteſt per Reſcriptum tollere juramentum calumniæ, n. 30. Jurare de calumnia tenentur etiam hæredes, aliique ſucceſſores, in quos tranſit inſtantia, n. 31. Item Tutores, Curatores, & generales rerum adminiſtratores, non autem Pupilli &c. n. 33. Dummodò illi melius noverint cauſas rerum ſibi commiſſarum, n. 34. Calumniæ juramentum an poſſit præſtari per Procuratorem, & qualiter, n. 35. & ſeqq. Vide infrà *verſ. Procurator*. Advocati, ſeu Patroni cauſarum, an teneantur præſtare juramentum calumniæ, n. 43. Syndicus alicujus Collegii, vel Univerſitatis, jurat de calumnia abſque ſpeciali mandato n. 44. Idemque dicendum de Tutoribus, Curatoribus, & aliis generalem rerum adminiſtrationem gerentibus, num. 45.

Calumniæ juramentum, an de conſenſu partium remitti valeat. T. 7. n. 46. & ſeqq. F. 76. Nequit remitti expreſſe, n. 46. & ſeqq. benè tamen tacitè; & cur, n. 49. Juramentum calumniæ an per conſuetudinem tolli poſſit, n. 50. Vel valet conſuetudo, ut differatur uſque ad finem cauſæ, n. 51. & 52. Pœna recuſantium præſtare juramentum calumniæ, ubi præſtandum eſt, quæ, n. 53. & ſeqq. Hæc pœna non incurritur ipſo jure ante ſententiam declaratoriam Judicis, n. 54. Quid agendum Judici, alterutra parte juramentum calumniæ præſtare recuſante, n. 55. Si Tutor, vel Prælatus nolit jurare, non præjudicat Pupillo, vel Eccleſiæ, n. 56. Diſparitas inter juramentum teſtium, n. 47. & T. 20. n. 481. F. 268. Solum calumniæ juramentum anteà præſtitum, non excuſat victum à condemnatione expenſarum. T. 27. n. 183. F. 406.

Canonici poſſunt eſſe teſtes in cauſa ſui Capituli ad ejus favorem. T. 20. num. 200. F. 240. Ac de illis, quæ ſunt geſta in Capitulo, num. 201. Poteſtque unus canonicus eſſe teſtis in cauſa ſui Concanonici num. 203. Non tamen Canonicus eſt teſtis idoneus in cauſa ſuæ Præbendæ, num. 207. Vide infrà *verſ. Clerici an poſſint eſſe teſtes*.

Capitulationes alicujus Eccleſiæ, ſi ſint juratæ, an obligent, quando in ipſis continentur quædam illicita, damnoſa, vel libertati Eccleſiaſticæ obviantia. T. 24. n. 81. 84. & ſeqq. F. 379. Conſtitutio nova Innocentii XII. de Capitulationibus, quas occurente vacatione Eccleſiarum, vel Monaſteriorum, fieri contingit, n. 85. Jurans ſcienter ſervare ſtatuta, Capitulationes, vel pacta illicita, cenſetur largo modo perjurus, n. 86. Et quid, ſi quis ita juret ignoranter, n. 87.

Capitulum, ſeu Conventus, de bonis communibus nunquam poteſt agere ſine conſenſu Prælati. T. 1. n. 177. F. 17. Niſi quando vult agere pro malè alienatis per Prælatum, n. 178. Geſta per ſolum Capitulum poſſunt ratificari à Prælato, ſi ita expedire viderit, n. 179. De bonis omnino diſcretis poteſt capitulum agere ſine ulteriori conſenſu Prælati, n. 180. Niſi cauſa foret ardua, n. 181. Abſque conſenſu Capituli, an poſſit Prælatus agere, vel conveniri ſuper rebus Eccleſiæ, n. 171. & ſeqq.

Captura, ſeu citatio realis, in quibus caſibus fieri poſſit. T. 3. n. 88. & ſeqq. F. 58. Vide infrà *verſ. Citatio realis*. Captura, ſeu incarceratio Reorum, an poſſit fieri diebus Feriatis. T. 9. n. 73. & ſeqq. F. 91.

Cauſa, quid; & quomodo differat à Lite, & quæſtione. T. 1. n. 15. F. 2. Cauſæ celerem expeditionem requirentes, quæ. T. 1. n. 46. & 47. F. 5. Cauſæ modicæ, quæ cenſeantur, n. 50. In quibus cauſis locum habeat Judicium Summarium, n. 41. & 45. ac ſeqq. Cauſa criminalis, & merè civilis, & cauſa ſpiritualis, quæ. T. 1. n. 64. F. 7.

Cauſarum ſpiritualium cognitio ad ſolos Judices Eccleſiaſticos pertinet. T. 1. n. 66. F. 7. Earum cognitioni judex ſæcularis ſe immiſcere prohibetur ſub cenſuris, n. 67. De cauſis ſpiritualibus Laici judicare nequeunt, nec principaliter, nec incidenter, n. 61. Vide infrà *verſ. Laici ſeſe* Cauſarum ſpiritualibus connexarum cognitio ſpectat ad ſolum Judicem Eccleſiaſticum, n. 73. & ſeqq. Idque exemplificatur de jure patronatus, ac de jure ſepulturæ in loco ſacro, n. 73. & 74. In cauſis Beneficialibus, & Spiritualibus, poteſt Minor agere, & reſpondere in judicio abſque Curatore. T. 1. n. 163. & 164. F. 16.

Cauſarum feudalium, quis ſit Judex competens. T. 1. n. 118. & ſeq. F. 12. Vide infrà *verſ. Feudalium* In cauſa propria, an aliquis poſſit eſſe Judex T. 1. n. 104. & ſeq. F. 10. & T. 2. n. 11. & 12. F. 24. Cauſa propria, quæ cenſeatur eſſe, n. 12. Cauſæ avocatio vide ſupra *verſ. Advocatio cauſæ*. Super cauſis Eccleſiaſticis, ac ſpiritualibus poteſt quilibet conveniri coram Papa, ſeu in Curia Romana. T. 2. n. 106. & 107. F. 33. cauſis ſummariis, ſeu de plano tractandis, poteſt procedi tempore Feriarum ruſticarum. T. 9. n. 44. F. 88. Feriis ſacris, & repentinis, n. 46. Cauſa illa priùs eſt tractanda, à cujus deciſione dependet altera. T. 10. n. 7. F. 93. Idque exemplificatur, n. 5. 6. ac ſeqq. Quid agendum, ſi cauſa principalis, & incidens, ſint tractandæ coram diverſis Judicibus, n. 30. & ſeqq. In cauſis ſummariis ubi agitur de rebus modicis, ſufficit ſemiplena probatio. T. 19. n. 64. F. 207. Secùs in cauſis gravioribus, n. 65. Cauſæ continentes dicuntur tripliciter, & quomodo. T. 2. n. 144. F. 36. Continentia cauſarum regulariter non debet dividi, n. 145. & ſeqq. Vide infrà *verſ. Continentia cauſarum*.

Cauſæ mixti fori, quæ. T. 1. n. 151. F. 36. Aliæ ſunt civiles, aliæ criminales, n. 152. Inter cauſas mixti fori recenſentur contractus inter Laicos initi, ac juramento confirmati, dummodò non agatur de valore juramenti, n. 152. Item poſtulatio reſtitutionis in integrum ab Eccleſia contra Laicum petita, n. 153. Item cauſæ Viduarum, Pupillorum, & aliarum miſerabilium perſonarum; ſed in tribus duntaxat caſibus, & quibus, n. 154. & ſeqq. Cauſa dotis an ſit mixti fori, n. 157. Cauſæ criminales mixti fori, quæ, n. 158. De facto pleraque crimina ſunt mixti fori quoad pœnam irrogandam. Ibid. Excepta hæreſi, n. 159. Et ſimonia n. 160. Et quid de læſione infrà dimidium juſti pretii n. 161. Aut quando quæritur de valore, & honeſtate actuum, n. 162. Punitus per Judicem ſæcularem ſuper crimine mixti fori, an poſſit puniri etiam per Eccleſiaſticum Judicem, & econtra, n. 163. & 164.

Cauſis in criminalibus, [illegible] criminaliter intentatis, nunquam recipiuntur teſtes ante litem conteſtatam pro [illegible] accuſatione. T. 6. n. 24. & 25. F. [illegible] Secus, quando agitur de crimine ſolùm civiliter, n. 25. In cauſis criminalibus, an ſit præſtandum juramentum calumniæ. T. [illegible] n. 21. 24. & 25. F. 74. In criminalibus licitum eſt accuſatorem [illegible] pere, & quomodo, n. 25. In cauſis criminalibus, ſolet Reo [illegible] interrogando anteà imponi juramentum de veritate dicenda, T. 18. n. 164. F. 192. An in cauſis criminalibus gravioribus, [illegible] capitalibus, Reus ſub gravi obligatione teneatur fateri veritatem, num. 167. & ſeqq. Vide infrà *verſ. Reus an judicii*. In cauſis criminalibus criminaliter motis indiſtinctè requiruntur probationes apertiſſimæ, ac teſtes carentes omni ſuſpicione, vel macula. T. 20. n. 61. F. 216. An in his probent teſtes ſingulares ſingularitate adminiculativa, n. 397. & ſeqq. An teſtes ſint cogendi ad perhibendum teſtimonium. T. 21. n. 17. 18. & 19. & ſeqq. F. 277. In cauſis criminalibus, an, & in quo ſenſu ſententia non tranſeat in rem judicatam. T. 27. n. 126. & 127. F. 400.

Cauſæ Civiles arduæ magnique præjudicii, quæ. T. 20. n. 81. F. 228. Hæ æquiparantur cauſis criminalibus, & cur? Ibid. Cauſæ modicæ & cauſæ magnæ ſeu arduæ, quæ. T. 24. n. 187. F. 345. In cauſis arduis, magnique præjudicii, an poſſit deferri juramentum neceſſarium, ſeu in ſupplementum, n. 186. 188. & ſeqq. In cauſis civilibus an probent teſtes ſingulares ſingularitate adminiculativa. T. 20. n. 297. & ſeqq. F. 249. Vide infrà *verſ. Teſtes ſingulares*. In cauſis civilibus, an teſtes ſint cogendi ad perhibendum teſtimonium. T. 21. n. 17. F. 277. In ipſis plures præſumptiones poſſunt conjungi ad faciendam plenam probationem &c. T. 23. nu. 75. & 76. F. 321. Secus in cauſis criminalibus, n. 77.

Cauſa appellationis eſt alia à prima inſtantia, & cur. T. 7. n. 29. F. 74. Solvitur inſtantia contra hoc, n. 20. In quibus cauſis juramentum calumniæ ſit præſtandum, n. 22. & ſeqq. Vide [illegible] *Calumniæ juramentum*.

Cauſa famoſa, quæ. T. 24. n. [illegible] In cauſis famoſis non defertur juramentum in [illegible] Ibid. Cauſa ſponſalitia cenſetur gravis, & cur, [illegible] deferendum ſit juramentum in ſupplementum [illegible] defertur in cauſis ſpiritualibus, v. g. Matrimoniali, [illegible] Beneficiali, n. 219. In quibus cauſis poſſit [illegible] deferri juramentum litis deciſorium? n. 204. & ſeqq. Vide infrà *verſ. Juramentum litis deciſorium*.

Cauſæ favorabiles, quæ. T. 12. n. 46. F. 102. In his non eſt melior conditio [illegible] tis. Ibid. Cauſæ favorabiles, quæ. T. 19. n. 83. F. 209. Pro his ferenda eſt ſententia data omnimoda æqualitate probationum, n. 83.

Cauſa poſſeſſionis, quæ. T. 12. n. 68. F. [illegible] Appellatur etiam momentanea; & cur, n. 69. Cauſa proprietatis [illegible] n. 80. Vide infrà *verſ. Poſſeſſio & verſ. Proprietas*. Cauſa poſſeſſionis, an ſit præmittenda cauſæ proprietatis, T. 12. n. 246. & ſeqq. F. 120. An utraque coram eodem Judice ſit tractanda, & terminanda, n. 248. & ſeqq. Cauſa poſſeſſionis rei ſpiritualis, an poſſit tractari per Judicem ſæcularem, n. 257. & ſeqq. Cauſa poſſeſſionis, & proprietatis, an, & quando poſſit [illegible] & ſeqq. Vide infrà *verſ. Poſſeſſionis cauſa*.

Cauſa [illegible] quæ dicatur. T. 20. n. 188. F. 230. In cauſa propria, an aliquis poſſit eſſe teſtis, n. 186. & ſeqq. Vide infrà *verſ. Teſtes in cauſa propria*. Cauſa illa, in qua [illegible] divortium, vel ſeparatio [illegible] qualiter contracti, non eſt criminalis, ſed quaſi mixta inter civilem & criminalem. T. 23. n. 63. F. 320.

Cauſa petendi, an neceſſario ſit exprimenda in Libello. T. 3. n. 10. & ſeqq. F. 51. Poteſt diſtingui duplex cauſa [illegible] proxima, & remota, n. 13. Vide infrà *verſ. Libellus*.

Cautio, ubi in Jure requiritur, qualis eſſe debeat, T. 14. n. 17. F. 154. Actor contumax non eſt amplius audiendus, [illegible] expenſas, etiam præſtet cautionem de comparendo in termino citationis, n. 96. Et qualis debeat eſſe hæc cautio, n. 97.

Cenſuræ Eccleſiaſticæ abſolutè prolatæ, executionem [illegible] T. 28. n. 212. & 213. F. 429. In Cenſuris Eccleſiaſticis [illegible] appellatio non ſortitur effectum ſuſpenſivum. Ibid. Secùs, ſi [illegible] Cenſura ſolùm comminata, vel lata ſub conditione, ſi [illegible] jus eventum [illegible] appellatur, n. 214.

Citatio [illegible] quid. T. 3. n. 42. F. 54. Citatio alia [illegible] nuda [illegible] & Realis, n. 44. Privata, [illegible] Simplex, & peremptoria, n. 46. Generalis, ac ſpecialis, [illegible] n. 47. Ad legitimam citationem tria requiruntur, n. 48. & ſeqq. Nempe, Mandatum judicis de citando, n. 49. Executio [illegible] cio citationis, n. 50. Et relatio nuncii de citatione à ſe [illegible] renda [illegible] n. 51. An ſit credendum nuncio aſſerenti, ſe [illegible] dicis mandato citaſſe, n. 52. Quid ſi nuncius [illegible] ſe citaſſe, & Reus negaret ſe citatum fuiſſe, [illegible] In citatione ſeu intimatorio generaliter [illegible] debent [illegible] T. 3. n. 55. & ſeqq. F. 5[illegible] Videlicet nomen Judicis citantis, n. 56. Nomen, & cognomen Rei, ſeu citati, n. 57. Nomen, & cognomen Actoris, niſi Judex [illegible] ex officio, n. 58. & 59. Et cauſa, [illegible] n. 60. [illegible] cum citatione ſit neceſſe, vel ſaltem conſultum, [illegible] Reo tenorem libelli, n. 61. Debet in Citatione etiam exprimi locus judicii, n. 52. Ac dies, ſive terminus comparendi in judicio, [illegible] item certa diei hora, n. 6[illegible] Et [illegible] n. 65. Num Judex [illegible] altera parte invita [illegible] Citatio eſt neceſſaria [illegible] n. 67. Eſtque fundamentum judicii, [illegible] ad [illegible] ſenſionem, eſtque [illegible] Juris [illegible] non requiritur alia citatio, n. 6[illegible] citatus, videtur per [illegible] n. 70. & 71. Pr[illegible] atione non debet [illegible] domum Rei ipſo invito, n. [illegible] conſtat de crimine, & quod nulla Reo poſſit competere defenſio, non requiritur alia citatio, n. 72. Secus, uti abſenti poteſt competere aliqua defenſio, n. 73.

Citatio realis, ſeu per capturam perſonæ, in quibus caſibus fieri poſſit. T. 3. n. 88. & ſeqq. F. 58. In cauſis criminalibus regulariter non poteſt quis capi privato, n. 88. Niſi id fiat circa deprehenſum in flagranti crimine &c. atque intentione præſentandi ipſum Judici, n. 89. Graviter delinquens poteſt capi authoritate Judicis, imò & de domo ſua invitus extrahi, n. 90. Et quid in criminibus levioribus, vel ubi ſolùm venit imponenda pœna pecuniaria, n. 91. Capi nemo debet ex abrupto, & nullis præcedentibus indiciis de commiſſo per eum delicto, n. 92. Qualia indicia ad hoc ſufficiant, n. 93. In cauſis civilibus citatio realis, ſeu captura debitoris, regulariter locum non habet, n. 94. Niſi debitor ſit fugitivus, aut de fuga ſuſpectus, n. 95. Iſtud intelligendo etiam de Clerico debitore, n. 96. Ut debitor de fuga ſuſpectus capi poſſit, quæ requirantur, nu. 97. Et quid de conſuetudine, n. 98.

Citatio edictalis, in quibus caſibus locum habeat. T. 3. n. 76. & ſeqq. F. 57. Ea non indiſtinctè, ſed duntaxat in cauſa neceſſitatis permittitur, n. 76. Nec ab ipſa eſt incipiendum, quando in perſonam Rei poteſt fieri executio citationis, n. 77. Citatio edictalis habet locum, quando citandus malitioſe ſe occultat, n. 79. Aut in domo ſua manet clauſus, n. 80. Item, quando locus, ubi quis citandus foret, non poteſt tuto adiri, n. 81. Et quid, ſi nuncius non intromittatur in civitatem ad faciendam ibi citationem, n. 82. Citatio edictalis etiam habet locum quando citandus eſt vagabundus, n. 84. Et quando in genere citantur omnes, quorum intereſt, n. 85. Cautela ſingularis pro emptoribus Caſtrorum, ut publicis Edictis curent citari omnes intereſſe habentes, num. 86. Modus citandi per Edictum competit ſolùm Judicibus ordinariis, ac per Principem Delegatis, n. 87.

Citatio an ſit litis exordium. T. 1. n. 17. & ſeqq. F. 3. A citatione incipit judicium quoad certos effectus; putà, quoad perpetuandam juriſdictionem delegatam, n. 20. Et quoad interrumpendam præſcriptionem [illegible] in cauſis civilibus, n. 21. & in cauſis criminalibus, n. 22. Judicium incipit tum à citatione, tum à litis conteſtatione, ſed diverſimodè, n. 25. Citatio legitimè interpoſita inducit præventionem Fori, ſeu juriſdictionis. T. 2. n. 167. & ſeqq. F. 38. Citatio invalida non arctat citatum, nec perpetuat juriſdictionem citantis, 170. Ut inducat præventionem Fori, debet citatio emanaſſe auctoritate Judicis, n. 171. Atque ad petitionem partis, ubi agitur ad utilitatem privatam; alias ſecùs, n. 171. & 172. Debet etiam citatio perveniſſe ad notitiam citati, n. 173. Citatio realis fortior eſt verbali, etiam anteriori, n. 174.

Citationis effectus, qui. T. 3. n. 99. & ſeqq. F. 59. Citatio peremptoria debet continere clauſulam, *Peremptorie*, & an fieri poſſit ſine cauſa. T. 3. n. 103. F. 59. Citatio inducit præventionem inter plures Judices, n. 104. Ac perpetuationem juriſdictionis reſpectu Delegati, n. 105. Etiamſi non [illegible] ante obitum Delegantis perveniſſe ad notitiam citati, [illegible] Citatio inducit litis pendentiam, poſtquam tamen ad partem citatam pervenerit, num. 107. Facitque rem litigioſam; n. 108. Ac interrumpit præſcriptionem odioſam, n. 109. Citatio invalida nullum de ſe producit effectum, n. 110. Convalidatur tamen per comparitionem [illegible] n. 111. Adeò, ut nulliter; & comparens, non poſſit amplius excipere contra nullitatem citationis, n. 112.

Citatio facta die Feriato ad non Feriatum, an valeat. T. 9. n. 49. & & ſeqq. F. 89. In citatione triplex actus intervenire ſolet, & qualis, n. 50. Mandatum Judicis de citando poteſt fieri diebus Feriatis, n. 51. & ſeqq. Dummodò non fiat à Judice pro Tribunali ſedente, n. 53. Citationis [illegible] per Apparitorem non poteſt fieri de Feriato, n. 54. 55. & ſeqq. Loquendo de Feriis ſacris, & repentinis: ſecùs in ruſticis, n. 56. Diſparitas inter executionem citationis, & mandatum Judicis de ea exequenda, [illegible] actus judicialis, n. 60. P[illegible] nequit fieri die Feriato, n. 63. Citatio [illegible] Feriatum eſt invalida, n. 64. & [illegible] cum aſſignatione termini uſque ad [illegible] n. 66. & ſeqq. Citatus ad diem Feriatum, an teneatur comparere die ſequenti, n. 69. Citatio facta ad diem Feriatum [illegible] an valeat n. 70. & 71. Cautela [illegible] n. 72.

Citati [illegible] ad notitiam citati perveniſſe [illegible] citatus poſtea moram purgaverit, allegando [illegible] non reputatur contumax, n. 61. & 63. ac ſeqq. Ut quis dicatur contumax, requiritur, ut ſit citatus tribus Edictis, vel uno peremptorio, & quomodo; n. 62. & n. 114. Vide infrà *verſ. Contumax*. Citato cedit tota dies, n. 71. Citationis terminus [illegible] torius, eſt quædam ſententia interlocutoria. T. 14. n. 74. F. [illegible] Hæc tranſit in rem judicatam quoad partes, non quoad Judicem. Ibid.

Citatio Actoris contumacis, quomodo fieri debeat, T. 14. n. 82. F. 153. Præſ[illegible] vel tacitè, Ibid. Dicta de citatione Actoris contumacis abſentis, etiam procedunt in citatione Rei contumacis, n. 83. Quale citationum, ſeu temporis intervallum ad eas de Jure Civili [illegible] n. 8[illegible] ſpectato Jure Canonico, & [illegible]

Citatio prima vocatur [illegible] ſecunda monitoria, & tertia peremptoria. T. [illegible] F. 155. Tres [illegible] de Jure Civili debent fieri [illegible] n. 109. De Jure Canonico [illegible] in arbitrio Judicis, n. 110. Dummodò [illegible] n. 111. Reus in prima citatione contumax, [illegible] n. 107. & ſeqq. Verùm Reus [illegible] fuit contumax in prima citatione, non item in ſecunda [illegible] poſſit condemnari in expenſis per Actorem factis [illegible] citationis, n. 112. An [illegible] ad primam citationem dixerit, [illegible] comparere [illegible] citandos, n. 115. & ſeq. Si Reus citatus veniat intra [illegible] citationis [illegible] quid proſit, n. 125.

Citatio [illegible] perveniſſe ad Reum citatum, aut ſe hunc ſtetiſſe, quo

minus perveniret, ut inducatur litis pendentia. T. 16 num. 5 F. 166 Et quod nuncius citationem ſufficienter inſinuaverit, num. 8. Item, quod citatio ſit apta, num. 9 Qui doloſè facit, ne citatio ad ipſum perveniat, habetur pro citato, n. 5 Legitimè citati, & contumaciter abſentes, habentur pro præſentibus, T. 27. n. 58. F 393.

Citatio, ſeu alia monitio Teſtis, non requiritur partibus præſentibus & non contradicentibus. T 20 n 417. F 262 Citatio partis adverſæ regulariter requiritur ad productionem teſtium. nu. 418 & ſeqq. Except[illegible] certis caſibus, nu. 422 & 423. & ſeqq. Citatio illa debet ſcribi inter Acta judicii, n 420 Plus operatur monitio Judicis, ut pars adverſa compareat, quam citatio nuncii, n. 526 Citatio teſtium, qui ſunt alienæ juriſdictionis, debet expediri per litteras *Mutuæ compaſſus*. T.20. n.433 F. 263.

Clavibus transfertur rerum poſſeſſio, & quando T. 12. n. 217. & ſeqq. F. 108. In dubio præſumitur traditio clavium facta cauſa cuſtodiæ, n. 218.

Clauſulæ ſalutares ſolent addi Libello & quæ; T. 3. n 25. F. 52 Clauſula poſitionibus addita, *Salvo jure impertinentium, & non admittendorum*, quid operetur. T 18 n 195. F. 196. Clauſula, *Conſtito*, quid importet. T. 19. n. 59 F. 207. Clauſula, *Sola facti veritate inſpecta*, quid importet, n. 68. Clauſula illa, ut Judex procedat *ſola facti veritate inſpecta*, plus operatur, quam clauſula, *Summariè ac de plano*. T. 27. n 87 F. 395. Clauſulæ præjudiciales, quæ T. 30 n. 20. F. 44[illegible] claudunt os partibus, & ligant manus Judicis, niſi conceda[illegible] contra eas. Ibid. Oris apertio à quo petenda, n 25.

Clericatum, vel Statum Mo[illegible] ſuſcipiens, an circa ante geſta gaudeat privilegio Fori. T. [illegible] n. 262 & ſeqq. F. 47. Re adhuc integra gaudet is privilegio fori, n 262. Si res non amplius eſt integra, variant Doctores; eſtque opus diſtinctione, n. 263 & ſeqq. Super Clericatu malefactoris per Judicem Laicum capti, & dicentis ſe eſſe Clericum, quis ſit Judex competens, n. 73. & ſeqq. Cognitio hujus cauſæ ſpectat ad Judicem Eccleſiaſticum, n. 274. Vocato tamen Judice ſæculari, vel alio, cujus intereſt, n. 275 Quid, ſi conſtet, malefactorem illum eſſe Clericum, n. 277. Vel is fuit deprehenſus in habitu Clericali, n. 278. & 279. Quæſtio Clericatus eſt præjudicialis, n. 276.

Clericus de omni crimine debet coram Judice Eccleſiaſtico conveniri, non coram Laico. T. 1. n. 83 & ſeqq. F. 9 Etiamſi Clericus eſſet calumniator in accuſando Laicum coram Judice ſæculari, n 84. & 85. Sed eſt coram Judice Eccleſiaſtico conveniendus, ab eoque puniendus, n. 86. Nec valet conſuetudo contraria immemorialis, n. 86. Ex commiſſione tamen Papæ poſſet Laicus eſſe Judex in cauſa criminali Clericorum, n 87. Clericus coram Judice ſæculari convictus, aut confeſſus, idcircò à ſuo Epiſcopo condemnari, & puniri non poteſt, n. 88. Habet tamen ejuſmodi confeſſio, quoſdam alios effectus non judiciales, & quales, num. 89. Judex Eccleſiaſticus, coram quo Clericus delinquens conveniri debet, eſt proprius ejus Epiſcopus n 90. & ſeqq. Epiſcopus proprius Clerici conveniendi, cenſetur quis pluribus modis, n. 92. & ſeqq. Clerici Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum, in prima inſtantia coram Epiſcopo ſunt conveniendi, n 97. Niſi habeat ſpeciale privilegium, aut conſuetudinem in contrarium, n 98. Clericus quando in loco Beneficii poſſit conveniri, n. 93 & 94 Si Beneficium requirit perſonalem reſidentiam, tunc Clericus cenſetur ibi domicilium contraxiſſe; n 94. Clericus una cum Laico delinquens privativè convenitur coram Judice Eccleſiaſtico, n. 100.

Clericum c[illegible], quando Judex Eccleſiaſticus poſſit tradere Curiæ ſæculari. T. [illegible] n. 107. & ſeqq. F. 10. Contra Clericum criminoſum ſunt obſervandi quatuor gradus pœnarum, n. 108. Alius eſt ordo procedendi contra Clericum, quando pœnæ incipit à crimine: alius, quando à contumacia, n 109. Probabilius eſt, quod Clericus ob nullum crimen poſſit tradi Curiæ ſæculari, [illegible] in caſu incorrigibilitatis, aliiſque ſpecialiter exceptis, n. 110. & ſeqq. Referuntur caſus ſpeciales, in quibus Clerici criminoſi ſtatim traduntur Curiæ ſæculari, n. 112. & 113.

Clerico an [illegible] Dominus [illegible] auferre feudum ob crimen, de quo per Judicem Eccleſiaſticum eſt condemnatus T. 1. n. 140. [illegible] Vide infrà verſ. *Feudum*. Clericus minorennis poteſt in cauſis beneficialibus, & ſpiritualibus agere, & reſpondere in judicio abſque Curatore. T. 2 n 163. [illegible], ſi eſt major quatuordecim annis, n. 154. Quid juris [illegible] Clericus in una Diœceſi habens Beneficium; committit in alia [illegible] ejus. T. 2 n. 48. & ſeqq. F 27. Expenditur [illegible] *c. Postulaſti de Foro compet.* n. 49 & 50 T[illegible] Clerici, n. 52 Clerici nequeunt in ſe prorogare juriſdictionem Judicis Eccleſiaſtici, abſque conſenſu proprii Epiſcopi. T. 2. n. 136. F 35 Nec juriſdictionem Laici, [illegible] conſenſu Epiſcopi, n 140. Ut Clerici poſſint in ſe progare juriſdictionem [illegible], quæ requirantur, n. 141. Clericus [illegible], nequit conveniri, coram Judice Laico. T. 2 n. 180. F. 35.

C[illegible] Fori, an, & quo jure competat. T. 2. n. [illegible] & ſeqq. F 40. [illegible] qui hic comprehendantur, n. 188. & ſeqq. [illegible] Monachi [illegible] Novitii gaudent privilegio Fori [illegible] coram Judice Eccleſiaſtico [illegible] n. 191. Et [illegible] ha[illegible] in ſæculum, n. 192. [illegible] privilegium Fori, variant Doctores. [illegible] n. 193 F. [illegible] Refertur, ac probatur ſententia [illegible] de Jure duntaxat humano [illegible] Et ſeqq. F. [illegible] allegantur, n [illegible] allegens, exemptionem [illegible], & naturali, n. 201. 202 [illegible] per textus Juris Canonici, [illegible] Clericorum perſonalem eſſe de jure Divi[illegible] exemptionem Eccleſiarum, rerum [illegible] Realium, n 211. & ſeqq. Certum [illegible] denique Eccleſiaſtici, jure Divino, [illegible] privilegio Fori [illegible] verè ſpiritualia &c. n 218 & 219 Probab[illegible] temporalibus ju[illegible] D[illegible] n. 220. [illegible] oppoſitæ ſententiæ, n 221. & 222 & [illegible]

Clerici de agris, ac poſſeſſionibus, ſolvunt onera realia. T. 2. n 226. F. 43 Quid de aliis tributis. n 227. Privilegia circa Clericorum exemptionem non ſunt niſi Juris declaratio. nu 228. Clericorum exemptionem non [illegible] Eccleſia, ſeu Papa lin[illegible] & cur n 229. An etiam ipſam poſſit omnino tollere, n. 232 & ſeqq. Vide infrà *verſ. Privilegium Fori*. Clericalem ſtatum ſuſcipiens, an circa [illegible] geſta gaudeat privilegio Fori. T. 1 n 262. & ſeqq F. 47. Cl[illegible] bona privata, & patrimonialia præſcribuntur tempore [illegible] T. 26. num. 167. F. 382.

Clericus nequit renunciare privilegio Fori. T. 2. n. 242. F. 46. [illegible] conſuetudine poſſit, ut Clerici coram Judice ſæculari conveniantur, n 240 & 241. Privilegium Fori Clericorum non eſt beneficium perſonale, n 244 Clericus an in nulla prorſus cauſa coram Judice ſæculari conveniri poſſit. T. 2 n 249. & ſeqq. F 47 Clericus [illegible] debet convenire Laicum coram Judice ſuo ſæculari, n 249. Regula de privilegio Fori Clericorum plures patitur fallentias, n. 251. & ſeqq. Nempe, in cauſis feudalibus, n. 251. In Clericis conjugatis, & conjugatis du, n. 251. In Clericis Minoriſtis, nullam ex requiſitis conditionem habentibus, n. 253. In Clericis hiſtrioniam exercentibus, n. 254. In Clerico ter admonito, & incorrigibili, n. 255. In Clericis [illegible] aſſaſſinii committentibus, n 256. In Clericis, qui ſe immiſcent commerciis [illegible], num 257. & 258. Ac in nonnullis aliis caſibus, n. 259 Clerici nequeunt privilegio Clericali renunciare verbo, bene tamen facto, num. 260. Seu non expreſſè, benè tamen tacitè, ſeu juris miniſterio, num. 261. Clericus actor an poſſit reconvenire à Reo laico coram Judice ſæculari. T. 4. n 20. & ſeqq. F. 62. Vide infrà *verſ. Reconventio Clerici*.

Clerici an ſint admittendi ad teſtificandum contra Laicos. T. 20 n 168. & ſeqq. F. 236. Non admittuntur ad teſtimonium contra Laicum in cauſa criminali, n. 168 Etiamſi non agatur de imponenda [illegible] criminoſo pœna ſanguinis, quamvis nonnulli contrarium [illegible] n. 169. Ubi agitur ad pœnam ſanguinis irrogandam, nullo modo poteſt Clericus eſſe teſtis, n. 170. Ne quid[illegible] in criminibus [illegible] Etiamſi proteſtetur, ſe nolle deponere ad cauſam ſanguinis, n. [illegible] Clericus poteſt teſtificari in cauſa criminali pro Laico, ſeu ad ejus defenſam. T 20. n. 173. F. 237 Item quando Laicus accuſatur de crimine coram Judice Eccleſiaſtico, n. 174. Et ubi veritas aliter haberi non poteſt, nec agitur ad pœnam ſanguinis, n. 175. In hiſce [illegible] Clerici ad teſtificandum cogi non poſſunt per Iudicem ſæcularem, n. 176 Sed Epiſcopus debet examinare Clericum, n. 177. [illegible] nium Clerici contra Laicum poſſit fieri, jubente Epiſc[illegible] dicem ſæcularem, n. 178. Clericus poteſt contra Laicum [illegible] civilibus ferre teſtimonium, n. 178. Sicut & quando de c[illegible] agitur civiliter. Ibid. Clericus ratione Ordinis eſt teſtis [illegible] nens, quam Laicus, n 180. & 181. Clerici non [illegible] inſtrumentis Sæcularium *can. Quamquam* 14. [illegible] 2 & c[illegible] intelligendum ſit, n. 102. & ſeqq. Stante rigore j[illegible] ſtimonium Clerici, vel Monachi, in cauſis civilibus [illegible] licentia Superiorum, n. 185.

Clericorum accuſatio propriè tendit ad Degradationem, vel Depoſitionem ab Ordine. T. 20. num. 163 F 236 Criminaliter [illegible] contra Clericum, quando agitur ad Degradationem, vel De[illegible] ab Ordine. Ibid Civiliter agitur contra Clericum, quando agitur ad reſtitutionem rei alienæ, vel ad privationem Beneficii, n. 164.

Clerici an poſſint eſſe teſtes in cauſa propriæ Eccleſiæ T. 20 n. 197. & ſeqq. F 240. Affirmatur, dummodò aliud non obſtet, n. 197. [illegible] iſtud intelligendo de Clericis Regularibus, n. 19[illegible] [illegible] catur in donatione, vel legato facto Eccleſiæ, n. 199. [illegible] Canonicis, qui poſſunt eſſe teſtes in cauſa ſui capituli, [illegible] illis, quæ ſunt geſta in capitulo, n. 201 Conſue[illegible] Epiſcopo quartam Decimarum, & hujuſmodi, [illegible] Rectores vicinarum Eccleſiarum, n 202 Pote[illegible] eſſe teſtis in cauſa ſui Concanonici, num. 203. [illegible] quandoque impeditur Clericus teſtificari in cauſa [illegible] eſt excommunicatus &c. n. 204 Vel quando in [illegible] eſt Actor, Aut reſponſalis, n. 205. Clerici nequeu[illegible] ſa ſua Eccleſiæ, quando commodum inde p[illegible] rum, n 206 Hinc canonicus non eſt teſtis idoneus [illegible] bendæ, n 207. Et Prælatus Eccleſiæ non [illegible] teſtis in cauſa ipſius Eccleſiæ, n 208. Loq[illegible] libus, poſſunt quidem Clerici in cauſa ſuæ [illegible] ſta Prælatum, n. 109 Vel Contra Concleric[illegible] ſatum. Ibid. Non verò contra extraneum [illegible] 209. & 210 Clerici, ſeu Sacerdotes, ali[illegible] ſi pr[illegible] in teſtes coram ſæculari Judice [illegible] ponunt [illegible] ſed coram Epiſcopo. T. 20 [illegible] rici [illegible] Perſonas egregias. [illegible]

Clerici in cauſa [illegible] & [illegible] cari. T. 2[illegible] n. 37. [illegible] [illegible] F. 279. [illegible] compelli [illegible] ad hoc [illegible] [illegible] eam eſſe [illegible] [illegible] Com-



Comparatio litterarum, quam vim probandi habeat, T. 23 n. 166 F. 298. Ea eſt periculoſa; cur, n. 166. Se ſola plenè non probat, n. 167. An ſaltem probet ſemiplenè. Ibid. Comparatio litterarum, qua forma, & quo ordine fieri debeat, n. 168. Ea non habet locum, niſi ipſam petens juret, ſe non habere alias probationes, n. 169.

Conceſſio Principis in dubio eſt interpretanda, ut nulli tertio irrogetur præjudicium, T. 30. n. 14. F. 443.

Concluſio in cauſa ligat manus, & claudit os partibus, T. 12. n. 305 F. 127. Non tamen Judici, n. 306. Poſt concluſionem in cauſa non licet Actori à petitorio regredi ad poſſeſſorium, n. 299 & 305. Poteſt tamen ex gravi cauſa Judex tunc talem regreſſum concedere, n. 307.

Concluſio in cauſa, quid, & quomodo fiat, T. 19. n 159 F. 216. An ea in judicio ſummario, vel ordinario, requiratur de neceſſitate, n. 160. Poſt concluſionem in cauſa regulariter non admittuntur novæ probationes, n. 161. Saltem ſuper eiſdem articulis, benè tamen ſuper novis, n. 162. Dantur nihilominùs plures caſus, in quibus admittuntur novæ probationes poſt concluſionem in cauſa, T. 19. n. 163 & ſeqq. F. 217 Ut in cauſa criminali, præſertim capitali, pro defenſione Rei, n 163. Item in cauſis Beneficialibus, n. 164. Et in cauſis Matrimonialibus; & quibus, n. 165 Item ſi in confeſſione partis, & probatione per rei evidentiam, ſeu ocularem inſpectionem, n. 166. In probatione juramenti ſuppletorii anteà petiti, n 167. In teſtibus, & inſtrumentis de novo repertis, n. 168. Item accedente magna æquitate, n 169. Atque ex officio Judicis, n. 170. Quoad Judicem nunquam cenſetur concluſum in cauſa, Ibid. Valet receptio teſtium poſt concluſionem in cauſa, ſi nemo contradixit, T. 20. n. 452 F. 265.

Concluſio in cauſa non eſt de ſubſtantia Proceſſus judiciarii, T. 27. n. 48. F. 392. Quid circa eam obſervetur in Camera Imperiali, Ibid. Concluſio in cauſa, quomodo fiat, n. 49 & ſeqq. Poteſt fieri tam oretenus, quam ſcripto, imò & tacitè, Ibid. Concluſio in cauſa paſſim confunditur cum renunciatione probationum, n. 50. Strictè tamen differunt, & in quo, n 51. Vulgaris formula concludendi in cauſa, quæ, n. 52 Quid; ſi una pars concludat in cauſa; & altera adhuc aliquid proponere velit, n. 53. & ſeq Concluſio in cauſa ſolet nonnunquam fieri conditionatè; & cur, n. 54. Concluſio in cauſa partibus os obſtruit, &c. Ibid. Niſi ex juſta cauſa, vel æquitate, videantur Judici novæ probationes admittendæ, n. 55 Judici nunquam concluditur in cauſa, n. 56. Poteſtque is concluſionem in cauſa revocare, Ibid.

Condictio, & Condicere, quid, T. 13 n. 26. F. 130 Condictio ex Lege, quid, Ibid. Remedium ſpoliatorum ex Condictione Triticaria, n. 4. Et ex Condictione incerti, n. 5. Et ex Condictione indebiti; declaratur, n. 6. Condictio ex *c. Sæpè de re Reſtit. ſpoliat.* in quo conſiſtat, n. 27. Datur contra quemcunque tertium poſſeſſorem, qui rem invaſam ſcienter, & à quocunque, recepit, n. 28. Secùs, ſi ignoranter, n. 29. In dubio præſumitur ignorantia, niſi invaſio ſit notoria, n. 30. Condictio ex *c. Redintegranda*, 3. q. 1. declaratur, T. 13. n 31. & ſeqq F 131. Extenditur ad quoſcunque Clericos, n. 32 An etiam competat Laicis pro recuperandis rebus profanis, n. 33. & ſeqq. Affirmativa ſententia eſt communis; ejuſque fundamentum, n. 34. Solvuntur contraria, n. 35. 36. & 37. Condictio ex *L. Si quis in tantam C. Unde vi*, adverſus quem competat, quidque conferat, T. 13. n. 38. F. 132 Pœnæ hujus Legis locum duntaxat habent poſt ſententiam Judicis, n. 38. & n. 64. Condictio ex *L. Extat, ff. De iis, quæ vi, metuſve cauſa &c.* declaratur, n. 39. Condictio ex *L. Invaſor. C Unde vi* explicatur, nu. 40. Remedium iſtud poſſeſſorium habet duo ſpecialia, & quæ, n. 41. Condictio ex *L. ult. C. Unde vi*, adverſus quem competat, n 42. Et in quo differat à Condictione ex *L. Si quis in tantam, C. Unde vi*, n. 43. Et à Condictione ex *L. Invaſor C Unde vi*, n. 44.

Conditiones illæ, quæ tacitè, ſeu de Jure inſunt, non faciunt actū conditionatum: benè tamen conditiones extrinſecæ, T. 24. n. 59. F 330.

Confeſſio, quando cenſeatur facta in judicio, T. 1. n. 24. F. 3. Confeſſio Clerici criminoſi facta coram Judice ſæculari, an, & quales habeat effectus, T. 1. n. 81. & 89. F. 9 Per confeſſionem Rei in judicio factam, an inducatur litis conteſtatio, T. 5. n 7. & ſeqq. F. 66. Vide infra *verſ. Litis conteſtatio*. Confeſſio facta ex calore iracundiæ non tenet, niſi in ea detur perſeverantia, T. 14. n. 118. F. 156. & T. 18. n. 21 & n 45. F. 177.

Confeſſio, quid, & quotuplex, T. 18. n. 2 & 3. ac ſeqq. F. 175. Confeſſio generaliſſimè ſumpta, quæ, n. 2. Confeſſio judicialis, quæ, n. 4. Poteſt in Iure fieri tripliciter, n. 5 Facta coram Judice non legitimo, an teneat, n. 6. Utrùm debeat fieri coram Iudice pro Tribunali ſedente, n. 7. Confeſſio extrajudicialis, quæ, n. 8 Facta coram Notario an cenſeatur judicialis, nu. 8. & 9 Confeſſio coram Arbitratore eſt extrajudicialis, n. 10. Secùs, ſi fiat coram Arbitro, n 11. Confeſſio an ſit ſpecies probationis, T. 18. n. 12. & ſeqq. F. 176. Propriè non eſt probatio, ſed probationis relevatio, n. 13. & ſeq. Referuntur caſus, in quibus non admittitur probatio, benè tamen confeſſio, num. 14 Ad confeſſionem validam plures requiruntur conditiones, n. 17. & ſeqq. Nempe, ut confeſſus ſit major viginti-quinque annis, n. 18 Et quid de confeſſione Pupillorum, & Minorennium, Ibid. Ut confeſſio ſponte fiat, n. 19 Et quid de confeſſione vi tormentorum extorta, Ibid. Ut confeſſus ſit ſanæ mentis, non furioſus &c. n 20 Ut confeſſio ſit contra ſe, n. 22. & ſeqq. Fiatque in judicio, n 26 Et præſente Adverſario, Ibid. Ut non ſit incerta, nec erronea, n. 27 Et ſit facta de re litigioſa, n. 28. Ipſique favor non repugnet, n. 29. & ſeq. Et ut confeſſioni nec Jus, nec natura repugnet; idque exemplificatur, n. 32 & 33 Aliæ conditiones ad validam confeſſionem requiſitæ. Remiſſivè, n 34.

Confeſſio pro ſe, ſive ad obligandum alterum ſibi, non valet, T. 18. n. 22. F. 177. Ne quidem in mortis articulo, n. 23. Confeſſio unius in præjudicium alterius non probat, n. 24. Purà, confeſſio mariti de dote recepta in præjudicium creditorum, n. 25. Confeſſio contra valorem Matrimonii non valet, n. 30. Benè tamen pro Matrimonio, num. 31.

Confeſſio extrajudicialis quam vim probandi habeat, ſi fiat præſente adverſario, T. 18 n. 35. & ſeq F 178. Poteſt variè fieri, n. 35. Et qualiter ea probetur, n. 36. Confeſſio extrajudicialis præſente adverſario, & cum adjectione cauſæ facta, in civilibus plenè probat, n. 37 & ſeq. Pars adverſa, quando cenſeatur eſſe præſens, n. 39. In cauſis criminalibus, quam vim probandi habeat confeſſio extrajudicialis, n. 40. & 41 Confeſſio ſolùm incidenter facta, plenè non probat, n. 42. & 43. Referuntur caſus, in quibus confeſſio extrajudicialis plenè non probat, etiam cauſa expreſſa, n. 44. & 45. Confeſſio extrajudicialis ut plenè probet, an requiratur ejus acceptatio, T. 18. n. 46 F. 179 Confeſſio jurata, etiam ſine cauſa, plenè probat, n 52. Sicut & confeſſio geminata, n. 53 Confeſſio extrajudicialis abſente parte facta, an probet, T 18. n. 54. & ſeq F. 180. Ea regulariter plenè non probat, n. 54. & 56. Ampliando iſtud ad confeſſionem in judicio factam, n. 55. Probat tamen plene, quando intervenerit juramentum, n. 56. Aut quando facta eſt cum expreſſione cauſæ per ſcripturam &c. n. 57. Vel fuit geminata ex intervallo, Ibid. Aut ab alio accepta nomine alterius, n. 58. Seu facta favore cauſæ piæ, Ibid. Confeſſio parte abſente facta, de æquitate Canonica facit plenam probationem, n. 59 Dummodo confeſſio illa fuerit plenè probata; & qualiter ita probetur, n 60. Simulque ea ſit facta animo deliberato, ac ſerio; ſitque certa, & non æquivoca, n. 61.

Confeſſionis judicialis effectus, qui, T. 18. n. 62 & ſeqq. F. 181 Hæc plenè probat, & inducit notorium juris, n. 62. Confeſſio facta in judicio ſummario, probat etiam in plenario, quando tendit ad eundem finem, n. 63. Ea in cauſis civilibus habet vim ſententiæ, & rei judicatæ, n. 64 Secùs in criminalibus; & cur, n. 65. Antequam ex propria confeſſione Reus condemnetur ad mortem, debet conſtare de corpore delicti, ibid. Confeſſio judicialis convalidat nullitatem proceſſus, n. 66 Atque excludit appellationem, præſertim in cauſis civilibus n. 67. & 70. Intelligendo iſtud de verè confeſſo; ſecus in fictè confeſſo, nu. 70 Contra confeſſum in judicio, an debeat ferri ſententia diffinitiva, nu. 71. & ſeqq. *Nullæ ſunt partes judicantis in confitentes*, quomodo intelligendum, n. 76 Reus convictus in judicio, ſimulque confeſſus, appellare prohibetur, T. 18. n 67. & 68 F. 182. & T 28. n 297. F. 438.

Confeſſio facta in judicio regulariter revocari non poteſt, T. 18. n. 77. F. 182 Niſi revocetur incontinenti, n. 78. Et quando dicatur revocari *incontinenti*, n. 79 Poteſt etiam ex intervallo revocari confeſſio, quando probatur per errorem facti contigiſſe, n. 80. Minorennes ex propria confeſſione graviter læſi, & quandoque Majorennes, reſtituuntur in integrum, n. 8

Confeſſio Prælati an noceat Eccleſiæ, T. 18. n. 82 & ſeqq. F. 183. Confeſſio Prælati adminiſtrationem non habentis, neutiquam præjudicat Eccleſiæ, n. 82. Et quid, ſi confiteatur de rebus illis, in quibus eſt legitimus Adminiſtrator, n. 83. & ſeqq. Confeſſio Prælati facta per viam contentioſæ juriſdictionis, probat contra Eccleſiam, n. 83. & 84. Eccleſia tamen ex tali confeſſione graviter læſa, juvatur duplici remedio; & quali, n. 85 Confeſſio Prælati per modum voluntariæ juriſdictionis non præjudicat Eccleſiæ, neque Succeſſori, n. 83. Etiamſi foret ſigillata ſigillo ejus, n. 86 Niſi confeſſio illa ſit facta una cum Capitulo, n. 87. Vel Eccleſia non habeat Capitulum, Ibid. Aut niſi confeſſio tendat ad liberandum aliquem, n. 88. Afferuntur aliæ limitationes, n. 89. Confeſſio per viam contentioſæ juriſdictionis, & voluntariæ juriſdictionis? quæ? n. 83

Confeſſio Procuratoris, an præjudicet Domino, T 18 n. 90. & ſeq. F. 184. Facta in judicio per viam contentioſæ juriſdictionis probat contra Dominum, niſi legitimè revocetur, n. 90. Idemque dicendum de confeſſione Oeconomi reſpectu Eccleſiæ, & Tutoris reſpectu Pupilli &c. Ibid. Secus, ſi confeſſio illa eſt facta omnino ſpontè, n. 91 Solvitur inſtantia, n. 92. Confeſſio judicialis per Procuratorem facta, poteſt revocari n. 93. Nec opus eſt alia probatione erroris, quando revocatur incontinenti; alias ſecus, n. 93. & 94. Confeſſio Procuratoris, quando dicatur per Dominum revocata *Incontinenti*, num. 95.

Confeſſio qualificata, quæ, T. 18. n. 114. F. 187. Confeſſio quandoque fit ſimpliciter, quandoque ſub adjecta qualitate, n 115. Confeſſionis qualificatæ exempla referuntur, n. 115. 116. 117. & 118. Confeſſio qualificata an ex parte poſſit acceptari, & ex parte negari, n. 119. & ſeq. Confeſſio continens diverſa capitula, poteſt ex parte acceptari, & ex parte reprobari, Ibid. In cauſis civilibus, ubi præſumptio juris non ſtat contra qualitatem adjectam, confeſſio qualificata debet vel tota recipi, vel tota reſpui, n. 120 Unde veritatem appoſitæ conditionis non tenetur probare ipſemet confitens, n. 121. Sed hanc debet refutare is, qui recipit unam partem confeſſionis qualificatæ, n. 122. Secùs eſt, quando præſumptio aliqua ſtat contra confitentem, ſeu adjectam qualitatem, n. 123. In criminalibus poteſt confeſſio qualificata dividi, eaque ſine qualitate acceptari, n. 124. & ſeq. Confeſſus tamen confeſſione qualificata non poteſt condemnari ad pœnam capitalem, n. 126. & 127.

Confeſſio qualificata quòd ſcriptura privata grave delictum exprimens ſua manu fuerit conſcripta jocoſè ſolùm, an præjudicet confitenti, T. 18 n. 128 & ſeqq F. 188. Refertur notabilis caſus circa hoc, Ib. Stante tali confeſſione ſcriptura privata probat plenè inconfitentem, dummodò non agatur de imponenda pœna corporali, n. 129 & ſeqq.

Confeſſio Sacramentalis iniquè revelata, vel reperta ſchedula Confeſſionis, non præjudicat pœnitenti in Foro externo, T 18. n. 132 & ſeq. F. 189. Sacerdoti Confeſſionem revelanti nullo modo creditur, nu. 133 Depoſitio teſtium de Confeſſione Sacramentali forſan audita, contra pœnitentem nihil probat, n. 134. Inventor ſchedulæ Confeſſionis peccat, ſcienter illam legendo, n. 135. Nec poteſt Judex de peccatis in ea deſcriptis inquirere, n. 135 & 136.

Confeſſio per torturam extorta ut præjudicet confitenti, quæ requirantur, T. 18. n. 137. & ſeqq. F 189. Requiritur imprimis, ut conſtet de corpore delicti, num. 137. Deinde, ut contra tortum præceſſerint legitima Indicia, num. 138. Confeſſio per torturam extorta non præcedentibus legitimis indiciis, nihil probat, Ibid. Vide infra *verſ. Indicia, & verſ. Tortura*. Ut confeſſio facta in tortura probet, requiritur ulteriùs, quòd tortus perſiſtat in confeſſione, n. 147.

Qualiter Reus tortus cenſeatur perſiſtere in confeſſione, num. 148.

Confeſſio criminis emanata ſub ſpe immunitatis à Judice promiſſæ, an probet, T. 18. n. 149 & ſeqq. F. 190. Confeſſio ejuſmodi non ſufficit ad condemnandum pœna ordinaria, n. 150. & 151. Sufficit tamen ad condemnandum Reum pœna extraordinaria, n. 152. Quid, ſi Reus in illa confeſſione perſeveraverit, n. 153.

Confeſſione propria ſolet fieri probatio, T. 19. n. 20 F. 203 Confeſſio partis etiam poſt concluſionem in cauſa, eſt recipienda, T. 19. n. 166, F. 217. Confeſſio facta in ſupplicatione Principi porrecta; plenè probat, T. 22. n. 171 F. 297. Inter confeſſionem extrajudicialem, & ſcripturam privatam, quæ diſparitas, n. 173 Scriptura privata confeſſata, an, & qualiter probet contra ſcribentem, vel tertium, n. 170. & ſeqq. Vide infra *verſ. Scriptura priva confeſſata*. Confeſſio propria admittitur contra præſumptionem juris, & de Jure, T. 23. n. 54. F. 319 Imò & contra ſententiam, n. 55.

Confeſſus judicialiter de proprio crimine, an poſſit interrogari de ſociis criminis, ejuſque confeſſio adverſus iſtos admitti, T. 18. n. 96. & ſeqq. F. 184. In criminibus exceptis poteſt de ſe confeſſus interrogari de ſociis, n. 98. & ſeqq Idem dicendum de illis delictis, quæ ex natura ſua petunt complicem, n. 104. Vel ſaltem in talibus circumſtantiis requirunt ſocios, n. 105 Reus de ſe confeſſus poteſt interrogari de conſociis in delictis occultis, & difficilis probationis, n. 106. Talis confeſſio, ſeu nominatio ſocii criminis, ad quid valeat, n. 107. & ſeq.

Confeſſio ſocii criminis facta per Reum de ſe confeſſum, non eſt ſufficiens indicium ad torturam &c. n. 113.

Confinia probant lapides, ſeu columnæ terminorum, T. 22. n. 225. F. 302.

Confirmatio, quid, T. 30. n. 2. F. 442 Supponit jus aliquo modo quæſitum, n. 3. Confirmatio in forma communi, ſeu ſimplex, quæ, n. 4. Hæc nullum jus novum tribuit, ſed ſupponit actum jam validum, nu. 5. Et cur idcircò non ſit inutilis, num. 6 Confirmatio in forma ſpeciali, ac ex certa ſcientia, quæ, n. 7. Unde colligi poſſit, Confirmationem eſſe factam in forma ſpeciali, & non tantum in forma communi, n. 8 Confirmatio alia utilis alia inutilis; & quæ, n. 9. In dubio, an cenſeatur eſſe confirmatio in forma ſpeciali, n. 11. & ſeqq. Confirmatio actum ex ſe invalidum, non reddit validum, niſi is aliunde reddatur validus, n. 15. Contra confirmationem Papæ nequit Judex inferior judicare, T. 30 n. 18 & ſeqq. F. 443 Niſi de ſpeciali mandato Papæ; quando iſtud Papa mandare ſoleat, n. 19. & ſeqq. Judex inferior poteſt procedere contra litteras confirmationis Apoſtolicæ, quando ſunt ſubreptitiæ, n. 22 Poteſt etiam de litteris confirmationem Papæ continentibus cognoſcere Incidenter; idque exemplificatur, n. 23. 24. & ſeqq. Non valet confirmatio Papalis, quam Religioſus ſuper Prioratu, vel adminiſtratione perpetuò poſſidenda obtinuit, n. 26 Judex inferior videns, à Papa confirmatum in forma communi fuiſſe invalidum, poteſt incidenter pronunciare, confirmationem illam eſſe invalidam, n. 27.

Conjectura, quid, T. 23. n. 5 F. 315. Et qualiter differat à præſumptione, n. 4. Sumitur quandoque pro præſumptione, n. 5.

Conſanguinei, & Affines producentis, non ſunt teſtes idonei adverſus extraneos, T. 20. n. 136. F. 232 Fallit iſtud in certis caſibus, 137 & ſeqq Conſanguinitas, & Affinitas, etiam contra valorem Matrimonii, olim probatur per teſtes ex auditu alieno, T. 20. n. 373. F. 257. Hodie tamen iſtud nonnihil eſt correctum; & cur, n. 374. Defactò requiruntur duodecim conditiones in probatione conſanguinitatis, vel affinitatis, per teſtes de auditu alieno; & quæ, n. 374. 375. & ſeqq. Adverſus ſuos conſanguineos non poſſunt compelli ad teſtificandum Agnati, & Cognati T. 21 n. 30. & ſeqq. F. 279.

Conſcientia; Quidquid contra conſcientiam, ædificat ad gehennam, T. 26. n. 79. F. 373.

Conſtitutio extravagans Papæ quando allegatur, & dubitatur, an ſit authentica, quid ſit agendum, T. 22. n. 339. F. 314.

Conſuetudo tollens juramentum calumniæ in totum, non valet, T. 7. n. 50. F. 77. Nec valet conſuetudo, ut illud differatur uſque ad finem cauſæ, n. 51. & 52. Vide ſuprà *verſ. Calumniæ juramentum*. Conſuetudo Provinciarum multùm operatur quoad hoc, ut credatur alicui ſcripturæ, vel non, T. 22. n. 101 F. 290.

Conteſtatio litis: Vide infrà *verſ. Litis conteſtatio*.

Continentia cauſarum regulariter non debet dividi, T. 2. n. 144. & 145. F. 36. Idque exemplificatur, n. 147. & 148. Fallit tamen, quando cauſæ ſunt alterius naturæ, & ordinis, n. 149 Si non opponatur exceptio cauſæ connexæ non dividundæ, valet Proceſſus coram diverſis Judicibus factus, n. 151.

Contractus Regula eſt, quòd ratione contractus ſortiatur quis Forum, T. 2. n. 80. F. 30. Contractus nomen ſumitur hic lariſſimè, n. 81. Etiam comprehendendo contractum fictum, n. 82 Dicta regula patitur plures limitationes, n. 83. & ſeq. Vide infra *verſ. Forum ratione contractus*. Contractus inter Laicos initi, ac juramento confirmati recenſentur inter cauſas mixti fori; & quando, T. 2. n. 152. F. 36. Contractus litigioſus, quis, T. 16 n. 49. F. 170. Quæ ſint pœnæ contractus litigioſi, n. 49. 50. & ſeqq Si teſtes deponant ſuper contractu, ſeu de contentis in ſcriptura, tunc ſufficiunt duo teſtes pro ejus probatione. T. 22. n. 164. F. 296. Contractus puta, ſtipulationis ſumma, eſt pars; ſicque eſt quid ſubſtantiale, T. 22. n. 279. F. 308.

Contractus an, & qualiter per dolum malum vitietur, T. 14. n. 5 & ſeqq. F. 146 Contractus, qui ex errore celebrantur, utrùm ſint validi, n. 5. & ſeqq. Ob dolum circa ſubſtantiam rei, contractus Jure naturæ eſt irritus, n. 6. & 7. Et quid, ſi dolus ſolùm verſetur circa qualitates accidentales, n. 8. Aut ſi dolus non det cauſam contractui, ſed ſolùm incidat, n. 9 & ſeqq. Dolus dans cauſam contractui ſtricti juris, cum non reddit ipſo jure nullum, n. 13. Benè tamen contractum bonæ fidei, n. 14 & ſeqq Quod limitatur, n. 16. & 17. Vide infrà *verſ. Dolus* Inter contractus ipſo jure irritos, & irritandos; quæ differentia, T. 16. n. 22. F. 168.

Contractus per juramentum confirmatus plurimum differt ab eo, qui non confirmatur, ſed ſolùm juramentum ſervari debet, T. 24 n. 112. 114. 115. & 116. F. 337. Enumerantur hujuſmodi differentiæ, n. 113. & ſeqq. Contractus de jure invalidi, an confirmentur juramento, n. 117 & ſeqq. Qui ſunt Juri naturali, aut Divino contrarii, non poſſunt juramento confirmari, n. 117. Contractus Jure duntaxat humano invalidi, aliquando confirmantur juramento, n. 118. 119. & 120. Aliquando verò non confirmantur juramento; idque exemplificatur, n. 121. & ſeqq. Contractus de jure irritus quando cenſeatur confirmari juramento, n. 125 126. & ſeqq

Contumacia, quid, quibuſque modis committatur, T. 14. num. 43. & ſeqq. F. 149. Eſt delictum perſonale, n. 44. Contumacia erga Judicem poteſt pluribus modis contingere, n. 45. Nempe in non veniendo, n. 46. & 47. In non reſpondendo, n. 48. In obſcurè reſpondendo, n. 49. Recedendo abſque Judicis licentia, n. 50. In non jurando, n. 51. In non reſtituendo: & intra quod temp[illegible] Reus condemnatus reſtituere debeat, n. 52. & 53. In non exhibendo, n. 54. Et aliis adhuc modis, n. 55. Contumacia eſt duplex, vera, & ficta, T. 14. n. 56. F. 150. Et ratio hujus diviſionis, n. 57 Contumaciam qualiter Actor cenſeatur committere, T. 14. n. 78 & ſeqq. F. 152. Et cur hæc quandoque à nonnullis committatur, n. 79 Major eſt contumacia Actoris, quam Rei, n. 88. Contra Actorem contumaciter abſentem, quomodo ſit procedendum, n. 81. & ſeqq. Vide ſupra *verſ. Actor qualiter*. Ad elidendam præſumptionem contumaciæ, & expulſandam abſentiam peremptoriè citati, qualis ſufficiat probatio, T. 19 n. 63. F. 207.

Contumax verus, quis, T. 14. n. 58 F. 150. Fictè, ſeu præſumptivè contumax, quis, n. 59 Et quid in dubio, an citatio per Edictum ad notitiam citati pervenerit, n. 60 Vel ſi talis poſtà mo[illegible] purgaverit, allegando juſtam cauſam abſentiæ, n 61. Ut quis dicatur contumax, requiritur, ut ſit citatus tribus Edictis, vel uno peremptorio; & quomodo hoc intelligendum, n 62. & n. 114. Requiritur ulteriùs, quod nullo juſto impedimento detentus fuerit, dum [illegible] mino citationis non comparuit, n 63. Iſta impedimenta exemplificantur, n. 63 64 & 65. Judex nequit procedere contra contumacem, niſi ad inſtantiam partis, n. 64. An Judex elapſo termino poſſit expectare contumacem in aliam horam, vel diem ſequentem, n. 68. & ſeqq. Judex etſi poſſit, non tenetur expectare contumacem in diem ſequentem, n. 75 & ſeqq

Contumax non poteſt quis declarari à Judice, niſi ad petitionem partis, T 3 n. 100. F. 59. Idque declaratur, ac limitatur, n. 101. & ſeqq Condemnari ut contumax, quando quis poſſit, n. 102. & 103. Contra Reum contumacem in comparendo, quomodo Judex debeat procedere ad infligendas pœnas, T 14. n 122. & ſeqq. F. 157 Debet tunc Reus anteà declarari contumax, n. 122 Rei contumacis pœnæ, quæ, n. 126 & ſeqq. Vide infrà *verſ. Rei contumacis*.

Conventio propriè, non eſt conventio, T 4. n. 31 & 32. F. 63 Conventionis, & reconventionis cauſa ſimul tractanda eſt, n. 45 & ſeqq. Vide infrà *verſ. Reconventio*.

Conventus. Vide ſuprà infrà *verſ. Capitulum*.

Convictus, quandò Reus cenſeatur, T 18. n. 69. F. 182.

Corpus occiſi exhumare è loco ſacro; ut conſtet de corpore delicti, non poteſt Judex laicus inconſulto Epiſcopo, T 20. n 172 F 237. Poteſt tamen Epiſcopus id concedere abſque irregularitate, Ibid.

Correctio: A legitimâ correctione non admittitur appellatio, præſertim in Regularibus, T. 28. n. 300 F. 438 Niſi modus excedatur, n. 301 Idipſum procedit in Clericis ſæcularibus, n. 302.

Creditores, ſcitiùs dent quietantiam, quam receperint pecuniam, poſſunt opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, ſed intra triginta dies tantum, T. 22 n. 184. F 299 & n. 336. F. 314.

Credulitas eſt quartus gradus probationis, T. 19. n. 28. & 29. F. 204. Credulitas in quo conveniat, & differat à ſcientia, n. 30 Credulitas non poteſt ſtare cum ſcientia, T. 20. n. 345. F. 255 Teſtes de credulitate, qui, n. 344 Et an aliquid probent, nu. 348 Vide infrà *verſ. Teſtes de ſcientia*.

Crimina pleraque defactò ſunt mixti fori, quoad pœnam irrogandam T. 2 n. 158. 159 & 162 F. 39 Excepta Hæreſi, n. 159. Et ſimonia, n. 161. Et quid de læſione infra dimidium juſti pretii, n 161. Punitur per Judicem ſæcularem ſuper crimine mixti fori, an poſſit puniri etiam per Eccleſiaſticum, & econtra, n. 163. & 164. Satius eſt, impunitum relinqui crimen nocentis, quam innocentem damnari, T. 18. n. 12. F. 202. Intereſt Reipublicæ, crimina non manere impunita, T 28. n 272. F 435. Ob crimen prohibetur quis appellare, quando de eo convictus, & confeſſus eſt, n. 270. & 272 Secùs, quando de crimine, non conſtat, num 272.

Crimina excepta, cur ſic dicantur, T. 18. n. 99. F. 185. Et quæ ſint ejuſmodi crimina excepta, n 100 & ſeqq. De proprio crimine judicialiter confeſſi, an poſſint interrogari de ſociis criminis, eorumque confeſſio adverſus iſtos admitti, T. 18. n. 96 & ſeqq. F. ibid. In criminibus ſtat præſumptio contra delinquentem, T. 18. n. 125. F. 188. In criminibus exceptis admittuntur ad teſtimonium etiam infames, T. 20. n 50. & 52. F. 225 Et criminoſi, n. 64.

Criminoſus, quis T. 20. n. 55. & ſeqq. F 226. Criminoſus vel adhuc perſeverat in crimine, vel jam eſt emendatus, n. 57. Præſumitur emendatus poſt lapſum triennii honeſtè peracti, n. 57. Utrùm, & quando criminoſi ſint repellendi à ferendo teſtimonio, n 55. 58. & ſeqq. Criminoſus jam emendatus admittitur in cauſis civilibus ad [illegible] Canonico procedit, dummodò crimen teſti objectum legitimè probetur, licèt anteà de eo non fuerit condemnatus, n. 59. De Jure tamen Civili requiritur, ut de crimine illo fuerit anteà judicialiter condemnatus, n. 60. In cauſis criminalibus criminaliter motis, repellitur teſtis criminoſus, n 61. Adeò, ut etiam ex unico crimine quis repellatur, n. 62. Cur Judex criminoſus non infamis, nequeat per exceptionem partis repelli à judicando, benè tamen teſtis criminoſus à teſtificando, n. 63. Dantur plures caſus, in quibus criminoſus emendatus admittitur pro teſte in cauſis etiam criminalibus, n. 64 & ſeqq. Puta, in criminibus exceptis, & quando veritas aliter haberi nequit, n. 64. Item parte non opponente, n. 65 Item ad probandam innocentiam Rei, n. 67. Ac in cauſis, in quibus non requiritur plena probatio, n. 68. Ad repellendum teſtem criminoſum, non ſufficit objicere crimen in genere, &c. n. 96. Emendatio criminoſi præſumitur, ſi is per triennium ab improbè factis abſtinuit, T. 23. n. 100 F. 324.

Culpa, & dolus, apud Juriſperitos, quid, T. 24. n. 20. F. 326. Culpa lata æquiparantur dolo, Ibid.

Cumulatio actionum eſt prohibita, & quando, T. 12. n. 267. & ſeq. F. 123. Cumulare cauſam poſſeſſionis & proprietatis, quid, & quot modis contingat, n. 262. Et an utraque poſſit cumulari, n. 264. & ſeqq. Nequit iſtud fieri in certis caſibus, n. 265. & 273. ac ſeqq.

## D

Debitor de fuga ſuſpectus, an, & quando poſſit capi, T 3. n. 96. & ſeqq. F. 58. Vide ſuprà *verſ. Citatio realis*. Debitores, qui juraverunt ſolvere uſuras, qualiter teneantur ad earum ſolutionem, T. 24. n 71. & 79 F. 333.

Debitum pecuniarum non extinguitur per hoc, quod Creditor illud longo tempore non exigat, T. 26. n. 112. F. 376. Quid requiratur, ut quis præſcribat contra debitum pecuniarum, Ibid.

Decani Eccleſiarum Cathedralium Germaniæ de conſuetudine habent juriſdictionem in Canonicos, T. 1. n. 99 F. 10.

Decendium conceſſum ad appellandum, quando incipiat currere, T. 27. n. 110. & 111. F. 398 Currit de Momento in momentum, n 111. Sententia non ſolùm diffinitiva, verùm & interlocutoria, poſt decendium tranſit in rem judicatam, n. 112. Vide infrà *verſ. Sententia quo tempore*, Decendium ad appellandum conceſſum, quando currere incipiat, T. 28. n 157. & ſeqq F. 424 Non currit ignoranti, ſe eſſe gravatum, n. 158. Cautela pro Notario quo ad hoc, Ibid. Decendium iſtud à principio eſt utile, ſed in progreſſu continuum, n. 160 & 157. Judex *à quo* nequit minuere terminum decem dierum ad appellandum conceſſum, & cur, T. 28. n. 189. F 426.

Decimas præſcribens, non cenſetur præſcripſiſſe decimas novalium, T. 26. n. 185. F. 384.

Deciſoriæ Judiciorum, quæ. T. 1. n. 224. F. 22 Quoad hæc attenduntur conſuetudines, & ſtatuta litigantium, n 212. & 228.

Decretum primum, ſeu miſſio in poſſeſſionem ex primo Decreto, quid? T. 15. n. 2. F. 160. Ejus requiſita, n. 8. & ſeqq. Decretum ſecundum, ſeu miſſio in poſſeſſionem ex ſecundo Decreto? quid n. 4. Vide infrà *verſ. Miſſio*. In actionibus realibus non eſt opus ſecundo Decreto, n. 31 & ſeqq. Poteſt tamen impetrari ad cautelam, n. 33. & 34. In actionibus perſonalibus opus eſt ſecundo Decreto ad acquirendam veram bonorum poſſeſſionem, n 35 Eſt in arbitrio Judicis, quo tempore miſſionem ex ſecundo Decreto facere velit, n. 36 Poteſt illud, præſertim ob nimiam contumaciam rei, in actionibus realibus interponi ante lapſum anni, n. 36. & 37. Et tunc Actor incipit lucrari fructus, veluti verus poſſeſſor, n 38. Idem fieri poteſt in actionibus perſonalibus, ſed ordinariè expectatur annus, n. 39.

Decreti primi effectus ſunt plures, T. 15 n. 40 & ſeqq. F. 164. Per illud acquirit Actor cuſtodiam, & detentionem bonorum, n. 40. Item Interdictum, *Ne vis fiat ei*, n 41. In actionibus perſonalibus miſſus ex primo Decreto in bona Rei contumacis, non acquirit veram iſtorum poſſeſſionem, n. 42 Utrùm in actionibus realibus id fiat, variant Doctores, n. 43 & ſeqq. Negativa eſt communis, n. 44 & ſeqq. Vide infrà *verſ. Miſſio*.

Definitio omnis in Jure eſt periculoſa; & quomodo, T. 29. n. 3 F. 202.

Delegatus an poſſit revocare ſententiam ſuam, T 27. n. 33. 36 & 37. F 391. Delegatus ubi ſedere poſſit pro Tribunali, ſeu jus dicere? n. 63. Delegatus Papæ, vel aliorum, an poſſit exequi ſuam ſententiam, T. 27. n. 169. & ſeqq F 405. A Subdelegato an appelletur ad Delegatum ſubdelegantem, vel ad primum Delegatum, T. 28. n. 61. F. 415. Delegatus an poſſit reformare ſententiam ſuam de jure nullam? T. 28. n. 29 & 30. F. 412.

Delictum in confinio duorum Territoriorum commiſſum, à quo Judice puniri poſſit, T. 2 n. 74 & ſeqq F. 29. Ratione delicti ſortitus quis Forum, & qualiter? n. 47. & ſeqq Vide infrà *verſ. Judex delicti*. Unum delictum plures perſonas tangens, unicuique tribuitur in ſolidum, n. 78.

Dicta teſtium benignè ſunt interpretanda, ne perjurii reatu notentur. T. 20. n. 321. F. 252. Dictum unius facilè ſequitur multitudo, n. 361.

Didicita teſtificata, quando dicantur, T. 20. n. 464 & ſeqq. F. 267. Vide infrà *verſ. Teſtificata*.

Dies more Romano à media nocte incipit, T 9. n. 18. F. 86. Dies naturalis, & artificialis, quando incipiat, n. 18 & 19. Dies Feſti quando incipere debeant, n. 17. Præceptum de obſervandis diebus Feſtis datur, n. 11. & ſeqq. Vide infrà, *verſ. Feria*. Dies tota cedit citato, T. 14. n. 71. F. 151.

Diffamationis judicium. Vide infrà *verſ. Lex Diffamari*.

Dignum magis trahit ad ſe minus dignum. T. 1. n. 73. F. 7. Primò nominatus, cenſetur cæteris dignior. T 22. n. 283. F 309.

Dilatio, quid, & quotuplex ſit. T 8. n. 2. & ſeqq. F. 78. Dilatio generatim, n. 3. Et dilatio judicialis, quæ, n 2 Hæc debet continere juſtum temporis intervallum, n 4 Conceditur tam Actori, quam Reo, n. 5. Dilationes judiciales ſunt multiplices, quarum viginti quatuor recenſentur, n. 6. 7. & ſeqq. Dividuntur ex parte cauſæ efficientis in dilationes legales, n. 10. & 11. Judiciales, ſeu arbitrarias, n. 12. Et in dilationes conventionales, & quid ſint, n. 13. Spectando tres Judicii partes, qualiter dilationes dividantur, nu. 14. & 15. In præſenti Titulo ſolùm agitur de dilationibus citatoriis, & deliberatoriis, n. 16 Nec tamen is congruè huc collocatus fuit, n 17 Referuntur cauſæ, ob quas concedi ſolent dilationes, n. 18. Dilationum materia ubique eſt ampliãda, & qualiter, n 19. Dilatio petenda eſt, & concedenda à Judice pro Tribunali ſedente, & cauſa cognita &c. n. 20. Quid, ſi ſecus fiat, nec pars adverſa contradicat, n. 21. Dilationes, & Feriæ, in quo differant. T 9. n. 2. F. 84.

Dilatio citatoria, quid. T. 8. n. 22 F. 79. Ejus terminus non debet eſſe nimis brevis, n. 23 & n. 4 Quid, ſi neceſſitas aliud requirat, n. 25. Citatus una vice non peremptoriè, ſi non compareat, poſt intervallum ſaltem decem dierum iterum citandus eſt ſecunda, & tertia vice n. 26. & 27. Poteſt tamen Judex moderari dictum terminum dilationis citatoriæ, n. 28 Enumerantur cauſæ juſtæ abbreviandi intervalla citationum, n 29. Atque eaſdem prolongandi, n. 30. Termini dilationum à Jure conſtituti, hodie communiter non ſerventur, n. 31. Omnes dilationes hodie videntur arbitrariæ, & quomodo, n. 32.

Dilationes deliberatoriæ, quæ. T 8. n. 33. F. 80. Hæ dantur Reo non Actori, & cur, n. 34. Limitatur hoc poſterius, n. 35. Tempus dilationum deliberatoriarum, de Jure ſunt viginti dies, n 36 An iſtos poſſit Judex minuere, n. 37 & ſeqq. Ex cauſa rationabili poteſt tempus iſtud prolongari, n 40 Dilatio deliberatoria non datur Reo, quando per litteras citatorias potuit plenè inſtrui, ac deliberare, n. 41. Practica dilationes excludendi deliberatorias, ejuſque declaratio, n. 42.

Dilatio probatoria, quid. T. 8. n. 43. F 81. De Jure communi, quale tempus habeat pro termino, n 44. Tempus ejuſmodi cenſetur arbitrarium, & qualiter, n. 45 Quoad concedendas dilationes probatorias eſt ſervanda æqualitas inter Actorem, & Reum, n. 46. Dilationes probatoriæ in cauſis criminalibus Reo ter, Accuſatori bis conceduntur, n. 47. In cauſis vero civilibus regulariter ſunt peremptoriæ, nec niſi ſemel conceduntur, n. 48. & ſeqq. Fallit hoc poſterius, ſi anteà aderat juſtum impedimentum probandi, num. 52. Vel ſi novæ probationes ſupervenerint, n 53. Et tunc poteſt concedi non ſolùm ſecunda, ſed etiam tertia, & quarta dilatio probatoria, n. 54. Ad quartam tamen requiritur ſolemnitas legalis, & qualis, n 55. Hæredi, vel Succeſſori alterius indiſtinctè nova dilatio danda eſt. Ibid. Plures illæ dilationes probatoriæ conceduntur gradatim ex graviori cauſa, n. 56. Valet dilatio probatoria, quæ datur partibus præſentibus, & non contradicentibus, n 57. Imò poteſt omitti ſolemnitas legalis ad quartam requiſita. Ibid.

Dilationes diffinitoriæ, quæ? T. 8. n 59 F 82. Hæ non ſunt peremptoriæ, poteſtque Judex ſententiam differre in ſequentem diem, n. 60.

Dilationes executoriæ, quæ, & quantæ ſint? T. 8. n. 61 62 & ſeqq F 83. Hæ in actionibus regulariter ſunt quatuor menſium, n 63. Poteſt tamen Judex iſtud quadrimeſtre ex cauſa abbreviare, vel prorogare, n. 64. Dilationes executoriæ non habent locum in actionibus realibus, n. 65 Demptò certo caſu, n 66 Nec habent locum in actionibus criminalibus, n 67. Fallit hoc in certis caſibus, n. 68. 69. & 70.

Dilationis prorogatio, quid? T. 8. n. 71 F. 83. Non fit finito termino prioris dilationis, n. 72. Nequit prorogari prima dilatio probatoria, n 73. Benè tamen quarta ex cauſa legitima, n 74. Sicut & aliæ à Judice datæ, n. 75 Judex poſt elapſum prioris dilationis terminum, an poſſit invita parte alium concedere? n. 76 Dilationis effectus primarius eſt, quod ea pendente conquieſcat officium Judicis, n. 77 Limitatur hoc, n. 78. Alius dilationis effectus, n. 79 Tempora dilationum ſunt continua, n. 80. Dilatio abſenti conceſſa non currit, niſi à die intimationis, n. 81.

*Diœceſis* ſuæ appellatione, in dubio intelligitur Diœceſis domicilii. T. 2. n 25. F. 58.

Dolus bonus, & Dolus malus, quid? T. 14. n. 2. & 3. F. 146. Dolus malus utrùm vitiet contractus; & qualiter? n 5 & ſeqq. Dolus, & error, in quo differant? n. 5 Ob dolum circa ſubſtantiam rei, contractus jure naturæ eſt irritus, n. 6 & 7. Quid, ſi dolus ſolùm, verſetur circa qualitates accidentales? n. 8. & ſeqq Si dolus non det cauſam contractui, ſed ſolum incidat, valet ipſo jure contractus, n. 9. Adeò, ut nec reſcindi poſſit &c. n. 9. 10 Tenet contractus non obſtante dolo per tertium commiſſo, n. 11. Datur tamen Actio de dolo contra illum tertium, n 11. 12 Quid, ſi ille tertius non ſit ſolvendo? n. 12. Dolus dans cauſam contractui ſtricti juris, eum non reddit ipſo jure nullum? n. 13. Benè tamen contractum bonæ fidei; & quæ ratio diſparitatis, n. 14 & 15 Limitatur hoc poſterius, quando deceptus vult ſtare contractui, n. 16. Item in contractu matrimoniali, n 17. Oppoſita quorundam ſententia refertur, n. 18. Quæ auxilia, & contra quos competant ex dolo? n. 19 Dolus alicui patrocinari non debet, n 16.

Doli exceptio, quid? T. 14. n. 23 & ſeqq. F 147 Vide infrà *verſ Exceptio doli*. Actio de dolo, quid, & qualiter ab Exceptione doli differat? n. 28 & ſeqq Vide ſuprà *verſ. Actio de dolo*. Dolus, & Culpa apud Juris peritos, quid? T. 24. n. 20. F. 326. Dolo æquiparatur culpa lata, ibid. Dolum qui allegat, dolum probare debet. T. 25. n. 77. F. 358. Dolus ex indiciis perſpicuis probatur, n. 77. & 78.

Domeſtici, qui dicantur? T. 20. n. 120. & 121 F. 232 *Domeſtici* nomen minùs patet, quam nomen *Familiaris*, n. 122. Maritus, & uxor, ſunt domeſtici, n 121. Domeſtici an ſint teſtes idonei? nu. 120 & 143. & ſeqq. Domeſticus ipſius producentis poteſt repelli à ferendo teſtimonio, n. 123. Dantur nihilominus aliqui caſus, in quibus admittitur teſtimonium domeſticum, n. 124 Ut ſi domeſtici ſint magnæ auctoritatis, & valdè honeſti; puta Familiares Epiſcopi &c. ibid. Admittuntur etiam Domeſtici, Conſanguinei &c. ad defenſionem Rei inquiſiti, ſeu ad probandam ejus innocentiam: n. 125. Et ad ferendum teſtimonium favore Eccleſiæ, n. 126. Aut ubi quis eſt domeſticus utriuſque partis, n. 127. Vel quando domeſticus partim deponit pro alio domeſtico, partim contra ipſum, n. 128. Item in probandis factis, & delictis domeſticis, n. 129. Domeſtici poſſunt adhiberi in teſtes inſtrumentarios, n 130

Domicilium cenſetur Clericus contrahere in loco Beneficii, perſonalem reſidentiam requirentis, T 1. n. 94. F. 10 Domicilium generatim, quid, & quotuplex? T. 2. n 16. F. 24. Domicilium habitationis, quid? n. 17. De hoc ſemper intelligitur nomen *Domicilii* abſolutè poſitum, Ibid. Poteſt quis in pluribus locis habere domicilium, licèt hoc ſit difficile, n 18. Peregrinari, ac eſſe ſine domicilio, quis dicatur? n. 19. Domicilium originis, quod? T. 2 n. 20 F. 25. Ad hoc non ſufficit, quòd quis fortuitò alicubi natus fuerit, n 21 Quaſi domicilium, quid? n 22 Et quali habitatio ad iſtud requiratur? n. 23 Ratione domicilii, an, & qualiter quis Forum ſortiatur, n. 24. An etiam ratione domicilii originis quis Forum ſortiatur, n. 34 & ſeq. Aut ratione quaſi domicilii, n 34 & ſeqq. Et quid juris, ſi quis in duobus locis domicilium habeat, n. 42. Domicilii permutatio non perimit in-

ſtantiam coram Judice ejus jam cœptam, n. 43. Judex domicilii quomodo poſſit procedere contra ſubditum præſentem, & citare abſentem, n. 29 & ſeqq. Imò & contra abſentem citatum, & contumacem in comparendo, n. 32. & 33. Qui certum domicilium non habent, ut vagabundi, ſortiuntur Forum, ubi reperiuntur, n. 46.

Dominium, & Proprietas, important propemodùm idem. T. 12. n. 31. F. 101. Niſi quod dominium ſit terminus magis amplus, idque declaratur, n. 32. Effectus dominii eſt poſſeſſio, n. 36. In aliquibus etiam dici poteſt, quòd poſſeſſionis effectus ſit dominium, n. 38. Vide infrà *verſ. Proprietas.* Præſumpionem dominii parit poſſeſſio, n. 54. Dominii probatio eſt difficilis; & cur. T. 12. n. 219. F. 117.

Domum Rei inviti non debet quis intrare cauſa ipſum citandi. T. 3. n. 80. F. 57. Vide ſuprà *verſ. Citatio, quid.* Graviter delinquens poteſt de domo ſuæ invitus extrahi, authoritate Judicis, n. 90.

Dotis in contractu non inſpicitur locus contractus, ſed locus, ubi vir habet domicilium. T. 2. n. 89. F. 31. Cauſa dotis an ſit mixti fori? T. 2. n. 157. F. 37. Confeſſio mariti de dote recepta in præjudicium creditorum, an probet. T. 18. n. 25. F. 177. Valet juramentum, ut filia dote contenta patri non ſuccedat ab inteſtato. T. 24. n. 95. F. 335.

Dubietas propriè non eſt gradus probationis. T. 19. n. 26. F. 204.

Dubitans, num res ſit ſua, necne, an poſſit præſcribere. T. 26. n. 63. & ſeqq. F. 371. Stante tali dubio nequit inchoari præſcriptio, n. 63. & 64. Dubitans, num res ſit ſua, nec bonam nec malam fidem habet, 64. Si dubium poſt præſcriptionem bona fide cœptam ſuperveniat, non interrumpit præſcriptionem, n. 65. Solvitur inſtantia, aſſerendo diſparitatem inter hunc, & priorem caſum, n. 66.

# E

ECcleſia de agris ſuis ſolvit tributum, aliaque onera realia. T. 2. n. 226 & 227. F. 44. Eccleſia potuit moderari exemptionem Clericorum; & cur, n. 229. Eccleſiæ utrùm noceat confeſſio Prælati ſui. T. 18. n. 82. & ſeqq. F. 184. Vide ſuprà *verſ. Confeſſio Prælati.* Eccleſia ex confeſſione Prælati ſui graviter læſa, juvatur duplici remedio; & quali, n. 87. Eccleſiæ an, & qualiter competat reſtitutio in integrum adverſus omiſſas probationes. T. 19. n. 178. & ſeqq. F. 218. Eccleſia non judicat de occultis. T. 24. n. 71. F. 332. Ad præſcribendas res immobiles contra Eccleſias &c. requiruntur quadraginta anni. T. 26. n. 152. & ſeqq. F. 382. Contra Eccleſiam Romanam currit ſola centenaria præſcriptio, n. 165. Utrùm res mobiles Eccleſiarum triennio uſucapiantur, n. 168. & ſeqq. Eccleſia ſe non intromittit quoad cauſas civiles in præjudicium Judicis ſæcularis. T. 28. n. 80. F. 417. In terris temporali juriſdictioni Eccleſiæ ſubjectis debent etiam inter Laicos ſervari Canones, non Leges Civiles, ubi diſcrepant, n. 18. Eccleſia gaudet privilegiis Fiſci; & qualiter, T. 26. n. 69. & 73. F. 371. Adverſus Eccleſiam vacantem, ſeu deſtitutam Prælato dormit præſcriptio. T. 26. n. 196 & ſeqq. F. 385. Vide infrà *verſ. Præſcriptio quando dicatur.*

Edicto publico ut emptores Caſtrorum &c. ad præcavendam horum evictionem, curent citari omnes intereſſe habentes, conſultum eſt. T. 3. n. 86. F. 57. Vide ſuprà *verſ. Citatio edictalis.* Edictum circumſcribi, quid, & quale ſit remedium competens Reo contra Actorem contumaciter abſentem? T. 14. n. 93 & ſeqq. F. 154.

Editio inſtrumentorum, quid? T. 22. n. 232. F. 303. Edere, quid? Ibid. Rubrica, *De edendo*, cur in Jure Civili ſic inſcribatur, n. 233. An & quomodo inſtrumenta, quibus aliquis in Judicio eſt uſurus, ſint edenda, n. 234. & ſeqq. An Reus ſua inſtrumenta, quibus in Judicio non eſt uſurus, teneatur edere Actori ad fundandam ejus intentionem, n. 242. & ſeq. Referuntur plures caſus, in quibus tenetur Reus edere Actori ſua inſtrumenta, n. 245. & 250 ac ſeqq. Vide infrà *verſ. Inſtrumentorum productio, & verſ. Inſtrumenta ſua.*

Eleemoſinam certam dandi pauperibus in genere præſtitum juramentum, an poſſit à paupere aliquo remitti. T. 24. n. 56. F. 330.

Ens. Non entis nullæ ſunt qualitates. T. 19. n. 43. F. 205.

Epiſcopus proprius Clerici delinquentis eſt Judex; coram quo Clericus delinquens conveniri debeat. T. 1. n. 90. F. 9. Non Epiſcopus alterius Diœceſis, nec ſæcularis, n. 91. Epiſcopus proprius Clerici conveniendi cenſetur quis pluribus modis; videlicet, ratione domicilii, n. 92. Ratione Beneficii, n. 93 & 94. Ratione contractus, delicti, ac rei ſitæ in ejus Epiſcopatu, n. 97. Epiſcopi appellatione, qui omnes veniant, n. 96. Epiſcopus eſt ordinarius judex Clericorum; adeò, ut etiam Clerici Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum, in prima inſtantia coram eo ſint conveniendi, n. 97. Niſi habeant ſpeciale privilegium n. 98. Aut conſuetudinem in contrarium; ut in Germania reſpectu Eccleſiarum Cathedralium n. 98 & 99. Quid, ſi Epiſcopus evocet cauſam coram ſuo Vicario Generali agitatam. T. 2. n. 121. F. 33. Epiſcopi poſſunt in ſuis Diœceſibus inſtituere Feſta de præcepto, etiam ab exemptis obſervanda. T. 9. n. 12. & 15. F. 87.

Epiſcopus an poſſit Laico concedere licentiam exhumandi corpus occiſi, ut conſtet de corpore delicti, abſque irregularitate. T. 20. n. 172. F. 237. Epiſcopo jubente, an poſſit examen Clerici contra Laicum fieri per Judicem ſæcularem, n. 177. & 178. Epiſcopus eſt Ordinarius totius Diœceſis. T. 20. n. 434. F. 263. Epiſcopus in cauſis Eccleſiaſticis citans teſtes laicos ſuæ Diœceſis, non indiget litteris *Mutui Compaſſus*; & cur. Ibid. Epiſcopus receptus in teſtem jurat non tactis ſed poſitis ante ſe Evangeliis. T. 20. n. 491. F. 269. Epiſcopi, & Perſonæ Illuſtres, poſſunt ſententiam per alium recitare. T. 27. nu. 60. F. 393. Epiſcopus poteſt in quolibet loco non exempto ſuæ Diœceſis ſedere pro Tribunali, n. 13.

Epiſtola, quid. T. 21. n. 36. F. 294. Epiſtola acceptata, & retenta abſque eo, quòd quis ei expreſſe contradicat, probat contra acceptantem pro ſcribente. T. 22. n. 193. F. 290.

Error communis jus facit. T. 1. n. 197. & 198. F. 20. Error, & Dolus, in quo differant. T. 14. n. 5. F. 253. Errantis nullus eſt conſenſus, n. 7. Error facti excuſat. F. 20. n. 331. F. 253. Error communis jus tribuit; & quando. T. 22. n. 266. 269. & 272. F. 307. Explicatur textus in *l. Barbarius, ff. de Offic. Prætor.* Ibid. Error communis nihil operatur, quando error eſt ſubſtantialis, n. 272. Error Juris an impediat bonam fidem, atque præſcriptionem. T. 26. n. 67. & ſeqq. F. 371. Vide infrà *verſ. Juris ignorantia.*

Erubeſcimus ſine textu loqui. T. 2. n. 214. F. 21.

Exceptio ut ſic, quid. T. 25. n. 1. & 4. F. 351. Exceptio faciliùs conceditur, quam Actio n. 1. Exceptionis nomen variè accipitur, n. 2. Exceptio latè, & propriè, ſeu exceptio facti, & exceptio juris, quæ, n. 3. Exceptiones dilatoriæ an ſint actionis excluſio, n. 5. Exceptioni contraria eſt Replicatio, & huic Duplicatio, Triplicatio &c. n. 6. Exceptiones dividuntur juxta quatuor cauſarum genera. T. 25. n. 7. & ſeq. F. 352. Earum diviſio à cauſa finali deſumpta, eſt præcipua; & quæ. Ibid. Exceptiones peremptoriæ, ſeu perpetuæ &c. num. 8. Exceptiones dilatoriæ, ſeu temporales, quæ, n. 9. Exceptiones dilatoriæ ſunt in triplici differentia, n. 10. & num. ſeqq. Harum aliæ reſpiciunt perſonam Judicis, quæ & *Declinatoriæ Fori* dicuntur, n. 11. Atque iſtæ ante omnes alias exceptiones opponi debent; nu. 11. Aliæ reſpiciunt perſonam Actoris, n. 13. Et aliæ deſumuntur à qualitate cauſæ, n. 14. Exceptiones à cauſa materiali, qualiter dividantur, num. 15. Exceptiones perſonales, quæ, n. 16. Exceptio competentiæ eſt perſonalis; & cur. Ibid. Exceptiones reales quæ, n. 17. Exceptiones mixtæ, quales, n. 18. Dividuntur in civiles, & prætorias; & quæ ſint iſtæ, n. 19. A cauſa formali dividitur exceptio in juſtam, ſeu legitimam; & in injuſtam, ſive fruſtratoriam, frivolam ſeu infirmam: & quid ſint, n. 20. Quæ exceptio hic & nunc ſit legitima, Judicis arbitrio relinquitur. Ibid. Exceptiones anomalæ, quæ, n. 21. Harum nonnullæ recenſentur, n. 22.

Exceptiones dilatoriæ, quando ſint opponendæ, atque probandæ. T. 25. n. 23 & ſeqq. F. 353. Reus tenetur probare ſuam exceptionem, ac excipiendo fit Actor, n. 24. Debetque eam probare intra terminum à Judice præfigendum, n. 23. 25 & 26. Exceptio dilatoria non propoſita ante litem conteſtatam, & intra terminum præfixum, nequit ampliùs proponi in cauſa appellationis, n. 27. 28 & 29. Dantur aliqui caſus, in quibus poſt terminum à Judice præfixum poſſunt opponi exceptiones dilatoriæ, n. 30 & ſeqq. uſque ad num. 43. Ignorantia exceptionis ſufficienter probatur per juramentum; & cur, n. 56.

Exceptiones peremptoriæ, quo tempore debeant, ac poſſint opponi. T. 25. n. 44. & ſeqq. F. 355. Regulariter ſunt opponendæ poſt litem conteſtatam uſque ad ſententiam, n. 44. Ante litem conteſtatam ea opponi non poſſunt; & cur n. 45. Fallit iſtud in exceptionibus peremptoriis litis finitæ; & cur n. 46 & 47. Item, quando exceptio peremptoria eſt notoria, n. 48. Et quando Reus in contingenti poteſt probare exceptionem peremptoriam, n. 49. Et ubicumque exceptio concludit, Actori jus non competere, n. 64.

Exceptio declinatoria fori proponenda eſt mox ab initio ante litis ingreſſum. T. 2. n. 7. & 8. F. 23. Exceptione oppoſita an inducatur litis conteſtatio. T. 5. n. 25. & ſeqq. F. 68. Exceptio peremptoria priùs debet diſcuti, antequam diffiniatur principale negotium. T. 10. n. 7. F. 93. Idque declaratur exemplis n. 8. Ac procedit etiam in exceptionibus dilatoriis, n. 9. Exceptiones de novo exortæ, vel noviter ad notitiam alicujus pervenientes, poſſunt proponi poſt terminum à Judice præfixum. T. 19. n. 168. F. 217. Exceptio dilatoria quando ſit proponenda & probanda. T. 19. n. 143. F. 215. Exceptio ex inſpectione inſtrumenti, &c. nunquam cenſetur excluſa, n. 93.

Exceptiones, quæ teſtibus poſſunt objici, ſunt triplicis generis. T. 20. n. 13 & 14. F. 221. & cit. T. 20. n. 534. & ſeqq. F. 273. Nempe contra perſonas teſtium, n. 534. Contra examen teſtium, n. 535. Et contra dicta teſtium, n. 536. Exceptiones contra perſonas teſtium ſunt opponendæ ante publicationem atteſtationum, exceptis tribus caſibus, & quibus, n. 537. Si quis proteſtatus eſt exceptionem proponere contra perſonam teſtis, tunc teſti in favorem ejus deponenti de facili non creditur, n. 538. Exceptio contra dicta teſtium, & contra eorum examen, opponuntur poſt publicationem atteſtationum, n. 539. Exceptio contra perſonas teſtium: propriè non eſt dilatoria, nec peremptoria, ſed quaſi peremptoria. T. 20. n. 540. F. 274. Ea regulariter non impedit examen teſtium, ſed reſervatur diſputanda in finem litis, n. 541. Fallit hoc in certis caſibus, & quibus? n. 542. 543 & ſeqq. In arbitrio Judicis eſt, exceptiones teſtium ſtatim admittere ad probandum, vel earum diſcuſſionem reſervare in finem litis, n. 516.

Exceptio doli, quid, & contra quos competat. T. 14. n. 23. F. 147. Hanc objiciens probare debet, dolo Actoris aliquid factum eſſe, non alterius, n. 24. Exceptis caſibus, in quibus dolus unius noceat alteri. Ibid. Exceptio doli datur adverſus omnes, qui contra æquitatem naturalem aliquid exigunt, n. 25. Demptis Parentibus, & Patronis, n. 26. Et qua exceptione adverſus hos utantur Liberi, vel Liberti graviter læſi, n. 27. Exceptio doli qualiter differat ab Actione de dolo, n. 28. & ſeqq. Ipſa non infamat, n. 40. Eſtque generalis, & concurrit cum omnibus exceptionibus in factum, n. 41.

Exceptio non numeratæ pecuniæ, poteſt opponi intra biennium. T. 22. n. 182. F. 298. Idem dicendum de exceptione non numeratæ dotis, n. 183. Creditores etiam, ſi citiùs dent quietantiam, quam receperint pecuniam, poſſunt opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, ſed intra triginta dies, n. 184. Cur creditoribus minus tempus concedatur ad opponendam dictam exceptionem, quàm debitoribus. Ibid.

Exceptiones an aliquæ poſſint opponi poſt latam ſententiam. T. 25. n. 51. & ſeqq. F. 356. Regula eſt negativa, n. 51. Fallit tamen in exceptionibus, quæ principaliter reſpiciunt executionem ſententiæ: tales enim poſt ſententiam opponi poſſunt, n. 52. & ſeqq. Ut eſt exceptio Senatus Conſulti Macedoniani, n. 53. Ex exceptio Senatus Conſulti Vellejani, 53. Item exceptio militis condemnati, ſi quam ante ſententiam non oppoſuit, n. 55. & Exceptio competentiæ, & quibus hæc competat, n. 56. Exceptio compenſationis, n. 57. Exceptio juris retinendi, n. 58. Ac exceptio rei non traditæ, vel non numeratæ pecuniæ, aut ſolutionis jam factæ: vel quoad petita res aliunde pervenerit ad Actorem, n. 59. Item exceptio tranſactionis, vel pacti de non petendo &c. n. 60. Atque exceptio evictionis imminentis ſuper re empta, n. 61. Et exceptio non implementi, quæ etiam retardat executionem Cameralis obligationis, n. 62. Exceptio quoque attentatorum impedit executionem ſententiæ, n. 63. Poſt ſententiam poteſt inſuper opponi exceptio contra ejus executionem, quando executor modum excedit in exequenda n. 64. Ac exceptio contra ejus executionem ob defectum juriſdictionis, n. 65.



Exceptiones peremptoriæ poſſunt opponi etiam poſt ſententiam, quoties dicitur, propter eas nullum fuiſſe judicium. T. 25. n. 66. F. 357. Nullitas ſententiæ, atque inde conſurgens exceptio ipſius, poteſt oriri multipliciter, n. 67. & ſeqq. Exceptio falſitatis inſtrumenti poteſt objici poſt ſententiam, n. 28. Sicut & exceptio falſi Procuratoris, n. 29. Exceptio nullitatis ſententiæ regulariter non impedit executionem ipſius, & cur. T. 25. n. 70. & 71. F. ibid. Fallit iſtud quando nullitas ſententiæ eſt evidens, ſeu notoria, n. 72. Vel poteſt incontinenti probari. Ibid. Aut quando executio ſententiæ foret irretractabilis, n. 73. Exceptiones peremptoriæ poſſunt opponi in cauſa appellationis, ſicut poterant anteà poſt litem conteſtatam. T. 25. n. 74. F. ibid. Dummodò quis non ſcienter & malicioſe eas omiſerit, ut ſic fatigaret adverſarium, n. 75. & ſeqq. Et quid, ſi exceptio excommunicationis ita malitioſe fuit dilata, n. 76. Judex non illico debet repellere exceptionem peremptoriam propter quamlibet malitiæ ſuſpicionem, n. 77. Malitia differentis opponere exceptionem, quomodo probari poſſit, n. 78.

Exceptiones à quibus opponi poſſit. T. 25. n. 79 & ſeqq. F. 358. Ex opponuntur à Reis, horumque hæredibus, n. 79. Et contra exceptionem Rei, poteſt ab Actore fieri replicatio, n. 80. & ſeq. Exceptiones Reo competentes (niſi fuerint perſonales) poſſunt etiam à Fidejuſſore ipſius opponi, n. 81. Et ſi exceptio legitimè oppoſita per Judicem non admittatur, poteſt appellari, n. 82. Exceptiones ſunt arma, clypei, & loricæ Reorum Ibid. & n. 1. Exceptio reprobatur à Judice non ſolùm verbis, ſeu per ſententiam interlocutoriam, ſed etiam facto, ſeu ultra procedendo, n. 83. Exceptiones modici præjudicii poteſt Judex repellere ex levi præſumptione fraudis, n. 84. Si exceptione non admiſſa appellatur, tunc Judex appellationis ſuper ſola veritate exceptionis cognoſcit, non verò de cauſa principali, n. 87 & 88.

Exceptiones, præſertim requirentes altiorem indaginem, an ſint admittendæ in Judicio ſummario. T. 25. n. 100. & ſeq. F. 360. Exceptio altiorem indaginem requirens, quæ, n. 107. An in judicio ſummariſſimo locum habeant exceptiones. T. 25. n. 111. & 116. ac ſeq. Vide infrà *verſ. Judicium ſummarium, verſ. Judicium ſummariſſimum.*

Exceptio excommunicationis, quo tempore, & qua ratione opponi poſſit, ac debeat. T. 25. n. 119 & ſeqq. F. 363. Ea poteſt à Reo contra Actorem proponi tam ante litis conteſtationem, quàm in qualibet parte Judicii, n. 119. Exceptio excommunicationis repellit Actorem ab agendo, non Reum à defendendo, n. 120. Tamen ut repellat Actorem ab agendo, debent plures obſervari conditiones, & quæ, n. 121. & ſeqq. Si exceptio excommunicationis probetur primùm poſt ſententiam latam, impeditur hujus executio, ſed ſententia valet, n. 124. Solvitur notabilis inſtantia *ex cap. 1. de Reſcript. in 6.* Ibid. Actorem excommunicatum debet Judex ex officio repellere, & qualem, n. 125. Quando excommunicatio opponitur in vim peremptoriæ exceptionis non compellitur opponens eam probare infrà octo dies, n. 126. Reo excipiente de excommunicatione Actoris, non obſtat communionis replicatio, nu. 127. Habens plura Beneficia, contra alium de pluralitate Beneficiorum non excipit, n. 128 & 129.

Exceptio rei judicatæ non competit Reo abſoluto ex eo, quia tempore ſententiæ non poſſidebat, ſi poſt eam poſſidere incipiat. T. 25. n. 130. & n. 131. F. 164. Exceptio rei judicatæ per Judicem Eccleſiaſticum, debet etiam admitti in Foro ſæculari, & econtrà, n. 132. Teſtis, contra quem fit exceptio de crimine iſto probato, repellitur à teſtimonio; de crimine tamen non punitur, n. 133. Dicta de exceptionibus ſervata proportione, locum habet in replicationibus, n. 253. Exceptio rei judicatæ datur reo per ſententiam diffinitivè abſoluto. T. 27. n. 146. F. 402. Secùs, ſi abſolvitur duntaxat ab obſervatione Judicii, n. 147.

Excipiens an de intentione adverſarii confiteri cenſeatur, ita ut, ſi in probatione exceptionis deficiat, condemnandus ſit tanquam confeſſus. T. 25. n. 89. & ſeq. F. 359. Quando Reus purè excipit, non per hoc confitetur intentionem adverſarii, n. 89. Qui excipiendo fatetur, permutationem Eccleſiæ eſſe factam, idcirco fatetur, Eccleſiam illam anteà fuiſſe alterius, & cur, n. 90. Si Reus non purè excipiat, ſed ſimul adjungat confeſſionem, & quidem ſeparatam ab exceptione, tunc ipſe ſibi præjudicat &c. n. 91. Excipiens confitetur factum in exceptione contentum, nu. 92. An, ſi Reus opponat exceptionem peremptoriam, & in ejus probatione deficiat, condemnetur tanquam confeſſus, n. 93. Si Reus eſt certus, quòd Actor non poſſit probare ſuam intentionem, debet negare, non excipere, & cur, n. 94. Quod ſi dubitet, num Actor valeat probare intentionem ſuam poteſt negationem & exceptionem cumulare, & quomodo, n. 95. Poteſt quis uti pluribus exceptionibus, etiam contrariis. T. 25. n. 96. F. 359. Tum ſucceſſivè, n. 97. Tum etiam ſimul, ſaltem disjunctivè, n. 98. Cur Reus pluribus exceptionibus uti poſſit, non verò Actor ſimul inſtituere plures actiones ſuper eadem re, n. 99.

Excommunicatione non datur major pœna in Eccleſia. T. 14. n. 141. F. 159. Ad eam non eſt deveniendum, niſi deficientibus aliis pœnis. Ibid. Excommunicationis exceptio poteſt in quacunque litis parte opponi. T. 25. n. 74. F. 358. Et quid, ſi hæc malitioſe non fuerit propoſita in cauſa principali, ut ſic fatigaretur adverſarius, n. 75 & 76. *Excommunicationis* nomine abſolute poſito, intelligitur excommunicatio major. T. 25. n. 119. F. 363. Vide ſuprà *verſ. Exceptio excommunicationis.* In ſententia excommunicationis debet exprimi cauſa, & cur. T. 27. n. 101. F. 397. Excommunicatio ſecum trahit executionem. T. 28. n. 212. F. 428. Excommunicatio probatur per litteras Judicis Ordinarii. T. 19. n. 71. F. 208.

Excommunicatus, an, & qualiter in Judicio ſtare prohibeatur. T. 1. n. 146. F. 15. Reus contumax poteſt excommunicari. T. 14. n. 140. F. 158. Excommunicatus per annum, redditur ſuſpectus de Hæreſi, n. 142. Papa excommunicatum litteris ſalutans, non per hoc cenſetur eum abſolvere. T. 19. n. 109. F. 211. Etiamſi ſcienter excommunicato ſic participet, niſi aliud exprimat. Ibid. Excommunicatus reputatur inter infames, nec admitti debet ad dicendum teſtimonium. T. 20. n. 43. F. 224. Adeò, ut etiam non admittatur ad teſtificandum contra alium excommunicatum. Ibid. Intelligendo iſtud de excommunicato vitando, n. 44. Et quid de excommunicatis non vitandis? Ibid. Excommunicari poteſt, qui impedire præſumit productionem teſtium. T. 20. n. 431. 432 & 434. F. 263. Excommunicatus, ſi injuſtè condemnetur, appellare poteſt. T. 28. n. 35. F. 413. Imò, & ſuper appellationis articulo Reſcriptum impetrare. Ibid. Excommunicatus, etiamſi appellet ab excommunicatione abſolutè prolata, eadem ligatur. T. 28. n. 212. F. 428. Secùs ſi appelletur ab excommunicatione ſolum comminata, vel lata ſub conditione, n. 214.

Executio ſententiæ, quo tempore, ac ordine ſit facienda. T. 27. n. 160. & ſeqq. F. 403. Vide infra *verſ. ſententia executio.*

Exempla regulam non reſtringunt. T. 6. n. 13. F. 70. Exempla declarant, diſpoſitionem de ſimilibus eſſe intelligendam. T. 28. n. 191. F. 426.

Exemplaria originalium inſtrumentorum, quam vim probandi habeant. T. 22. n. 59. 60. & ſeq. F. 287. Ad ſolemnè exemplationem plures requiruntur conditiones, & quæ, n. 60. His non obſervatis exemplar inſtrumenti regulariter non probat, n. 61. & ſeq. An juxta exemplaria ſolemniter traducta, poſſit fieri nova exemplario, n. 63. & 64. In certis caſibus probat exemplar, abſque illis conditionibus, n. 65 & 66. ac ſeqq. Exemplar ſine dictis conditionibus facit aliquam præſumptionem, ac deperdito Originali ſemiplenam probationem, n. 69.

Expenſæ teſtibus à longè venientibus, qualiter ſint menſurandæ. T. 20. n. 441. & ſeqq. F. 264. Et à quo præſtandæ, n. 438. & ſeqq. Utrùm emolumentorum, quibus teſtis ob abſentiam carere debet ratio ſit habenda, n. 453. Regula eſt, quod victus victori in expenſis ſit condemnandus. T. 27. n. 176 & ſeqq. F. 405. Et hoc tam in cauſis civilibus, quam criminalibus, n. 177. Excepto Reo in cauſa criminali criminaliter intentata. Ibid. Regula hæc fallit, quando victus juſtam cauſam litigandi habuit, n. 178. & ſeq. Vide infrà *v. Victus.* Regula illa, quod victus condemnetur victori in expenſis, fallit in nonnullis aliis caſibus, & quibus, n. 188. & ſeqq. Ut, ſi perſona ſuccumbens in lite ſit valdè honeſta, & magnæ fidei, aut Religioſa, n. 189. Atque in caſu, quo pars ſemiplenè probavit, & Judex ei detulit juramentum neceſſarium, ſicque ipſa vicit, n. 190. Secùs dicendum in juramento judiciali, ſeu à parte parti delato. Ibid. An Judex teneatur victum condemnare in expenſis, etiamſi hæ non ſint petitæ, n. 191. & ſeq. Expenſæ quibus modis cenſeantur petitæ, n. 192. Si hæ non fuerunt petitæ, poteſt quidem Judex ex officio victum in eas condemnare, n. 194. Non tamen tenetur condemnare, nec poſteà expenſas reſarcire de ſuo. Ib.

Expenſarum nomine, quid intelligatur. T. 27. n. 196. F. 407. In taxatione expenſarum judicialium non attenduntur arrhæ, neque annuum ſalarium Advocatis per nonnullos dari ſolitum, n. 197. Expenſæ neceſſariæ, Atque judiciales, ſunt in quadruplici differentia; & quæ, n. 198. & 199. Eſt diſtinguendum inter expenſas contumaciæ, & expenſas victoriæ, n. 200. ac ſeqq. Et quales impenſæ ſub utriſque veniant, n. 201. Advocatus, vel Doctor in propria cauſa conficiens inſtrumenta, nihil eo nomine exigere valet, n. 202. Niſi propter hoc perdiderit aliud lucrum, vel incurrerit damnum perſonale, n. 203. & 204. Aliæ differentiæ inter expenſas contumaciæ, & expenſas victoriæ referuntur, n. 205. & 206. Sententia ſuper expenſis poteſt eſſe incerta; & quomodo, n. 207. Expenſæ qualiter ſint probandæ, n. 208. In cauſa appellationis, utrùm non ſolùm appellans, ſed etiam appellatus, ſi ſuccumbat, in expenſis condemnandus ſit. T. 27. n. 209. & ſeqq. F. 408. Appellans, & denuò victus, indiſtinctè victori condemnandus eſt in expenſis, n. 209. Niſi eum probabilis cauſa excuſet, n. 210. Appellatus, ſuccumbens, pariter condemnatur in expenſis, ſi ex iiſdem Actis in cauſa appellationis ſuccubuit n. 211. & 212. Alias ſecus n. 213. & 214.

# F

FActis in antiquis ſufficiunt leviores probationes. T. 19. num. 66. F. 207. Nec requiritur plena probatio &c. Ibid. Vide ſuprà *verſ. Antiquis.* Factum præſumitur notum in vicino loco; & qualiter. T. 23. n. 208. F. 324. Præſertim, quod eſt notum in remoto, n. 109. Facta ſunt ſui natura. T. 28. n. 176. F. 425. Nec præſumuntur, niſi probentur. Ibid.

Fallacia, Calliditas, & Machinatio differunt, qualiter. T. 14. n. 4. F. 146.

Falſitas circa ſubſtantialia negotii, quæ. T. 22. n. 279. F. 308. Falſitas circa ſubſtantialia negotii, probabilius vitiat inſtrumentum in totum, n. 277. & 278. Si teſtis falſitatem circa ſubſtantialia adjiciat ſuo teſtimonio, dictum ejus reprobatur in totum, n. 278. Secùs, ſi ſolum circa accidentalia, n. 281. Falſitas circa accidentalia non vitiat inſtrumentum, n. 280. Falſitate inſtrumenti probata circa unū punctum ſubſtantiale, tollitur fides ejus in totum. T. 22. n. 310. F. 311.

Fama bona, quid. T. 20. n. 29. F. 223. Fama ut nominis, & Fama ut ſic quid, T. 20. n. 384. F. 258. Fama in bonam partem accepta, quid, n. 385. Propriè loquendo non dicitur, niſi bona ſit, n. 386. Fama mala appellatur *Infamia.* Ibid & n. 29. Fama ut ſit dividitur in famam hominis, & famam inter homines, & quid, 387. 388. Fama an à certo auctore provenire debeat, n. 388. & 389. Fama inter homines eſt duplex; & qualis, n. 390. Fama ſuper facto particulari, poteſt ratione ſuæ originis tripliciter diſtingui. T. 20. n. 391. F. 359. Fama differt à Rumore, & quomodo, n. 392.

Fama ut probet, quæ requirantur. T. 20. n. 393. & ſeqq. F. 359. Fama debet eſſe uniformis ſolida, conſtans, & perfecta, non vaga, levis, aut contraria, n. 393. Fama poteſt probari per duos teſtes, n. 394. Teſtes deponentes, de fama quales eſſe debeant, & qualiter deponere, n. 394. 395. & ſeq. Fama eſt difficilis probationis, n. 399.

Fama quam vim probandi habeat, ſeu, quis ſit effectus ejus. T. 20. n. 400. &

400 & ſeqq. F.260. Fama regulariter plenam non fac. n.400 Utrùm fama faciat ſemiplenam probationem, variant Doctores, n. 401. 402. & 403. Melius iſtud relinquitur arbitrio Judicis, n. 404. Dantur aliqui caſus, in quibus fama plenè probat, n.405. & ſeqq. Ut in factis antiquis, n 406. Et in rebus modici præjudicii, 407. Vel quando cum fama concurrunt alia adminicula, n 408. Item in iis, quæ ſunt difficilis probationis, num. 409. Et quando agitur Remedio *can. Redintegrando*, 3. q. 1. n. 410 Item, quando agitur ad evitandum peccatum, n. 411

*Familiari* nomen latius patet, ac nomen *Domeſtici*. T.20. nu.122. F.232.

Fatalia appellationum, quid. T. 28 n.152. F. 423 Et unde ſic dicuntur, n.153 Generatim ſunt in triplici differentia, n.154. Fatalia inponendæ appellationis, quæ, n 155. Hæc olim fuerunt duo, vel tres dies nunc ſunt decem dies, n 156. Decendium ad appellandum conceſſum, quando currere incipiat, & curiat, n. 157. & ſeq. Fatalia introducendæ ac proſequendæ appellationis, ſunt duplicis generis: videlicet Fatalia legis, n.163 & 164. Et Fatalia hominis, n. 165 & 166 Fatalia legis, introducendæ coram Judice *ad quem* appellationis de Jure Civili ſunt ſex menſes, num. 167. Et quid de Jure Canonico, n. 168.

Fatalia proſequendæ, ac finiendæ appellationis, de Jure ſunt annus, & ex cauſa biennium. T 28. n. 169. F.425 Hoc tempus eſt computandum à die interpoſitæ appellationis, n. 170. Lapſus horum fatalium non obſtat illi, qui propter juſtum impedimentum non proſequitur, vel non finit tunc appellationem, n.171. Enumerantur ſex hujuſmodi juſta impedimenta, n. 172. 173. & ſeqq. Onus probandi tale impedimentum proſequendæ appellationis incumbit appellanti, n. 176. Non ſufficit probare duntaxat impedimentum, niſi etiam probetur, diligentiam in eo removendo adhibitam eſſe, n 177. Stante legitimo impedimento proſequendi appellationem intra annum, conceditur appellanti ſecundus annus ipſo Jure. T.28 n.178. F. ibid. An tunc appellans debeat intra annum proteſtari de impedimento, n. 179. Et an ipſi impedito ſolùm ex parte anni concedatur ſecundus totus ipſo Jure, n. 180. Ulteriùs tempus, puta tertius annus, conceditur legitimè impeditis per reſtitutionem in integrum, n. 181. Si per Judicem ſtetit, quò minùs debito tempore finiatur appellatio tempus Fatalium non currit, n. 182 Fatalia proſequendæ ac finiendæ appellationis hodie non attenduntur in majoribus Tribunalibus, n.183. Appellans à gravamine extrajudiciali adhuc poſt memoratum tempus auditur, ſaltem per Remedium Juris communis, n. 184.

Fatalium à Jure conceſſorum terminus, an & per quem poſſit reſtringi. T.28. n.185. & ſeqq F. 426. Judex *à quo* non poteſt ſtatuere terminum finiendæ appellationis, n. 185. Et ſi hoc fecerit, cenſetur præfixiſſe terminum proſequendæ appellationis, n 186. Poteſt tamen terminum ad proſequendam appellationem conceſſum abbreviare ſecundùm exigentiam negotii &c. n. 187. & 188. Econtra Judex *ad quem* non poteſt iſtum terminum abbreviare, niſi immineat periculum, idque exemplificatur, n. 188. & 190. & n.191. Qualiter in aliis cauſis poſſit Judex *ad quem* Fatalia appellationum finire, n. 192.

Fatalia appellationum poteſt ſibi ipſi reſtringere appellans. T.28. n. 183. F. 426. Utrùm hæc mutuo partium conſenſu poſſint prorogari, num. 194. Quis ſit Judex in cauſa deſertæ appellationis ob lapſum Fatalium, n.195. & 196. Si appellans nunquam comparuit coram Superiore, tunc Judex *à quo* cognoſcit ſuper cauſa deſertæ, vel non deſertæ appellationis, n. 197. Alias de hac cognoſcit Judex *ad quem*, n. 198. Fatalia appellationum tollunt poteſtatem poſtea appellandi, n. 277. & n 152. ac ſeqq.

Feræ animalia quandiu poſſideamus. T.12 n 203. F.116.

Feriæ quid, & unde ſic dicantur. T 9 n 3. & 4. F 84. Feriæ & Dilationes, in quo differant, n.2 Feriarum tres ſunt ſpecies, n.5. Videlicet, Feriæ ſacræ, ſive ſolemnes, n.6. Feriæ ruſticæ, ſeu neceſſariæ, n.7. & 8 & n 9. Ac feriæ repentinæ, & quid, n. 10.

Feriarum ſacrarum obligatio, quæ. T.9. n 11. & ſeqq. F 85. Datur præceptum de Feriis ſacris, ſeu diebus Feſtis obſervandis, n.11. Ecclat poteſtas in Eccleſia inſtituendi Feſta de præcepto, n. 12 Hæc nequeunt indicere Reges, aliique Principes ſæculares, n 13. Qui non poſſunt ſtatuere pœnam violantibus dies Feſtos ab Eccleſia indictos, n. 14. Epiſcopi poſſunt in ſuis Diœceſibus inſtituere Feſta de præcepto, etiam ab Exemptis obſervanda, n.15. Defectu tamen oportet attendere ad Conſtitut. Urbani VIII. n. 12. Dies Feſti, quando incipere debeant, n. 17. & ſeqq. Feriatis diebus, ſeu Feriis ſacris, an, & qualiter ſit prohibitus Mercatus, T.9. n 20. & ſeqq. F.86. Mercatus nomine, quid intelligatur n. 21 Alicubi diebus Feſtis de conſuetudine celebrantur nundinæ n. 22. & 23 Feriatis diebus etiam Placitum eſt prohibitum ac regulariter omnis actus contentioſæ juriſdictionis. T.9. n 26. & ſeqq F 87. Actus tamen juriſdictionis voluntariæ poſſunt fieri diebus Feriatis, n. 29. Feriis ſacris nequit renunciari de conſenſu partium, n. 31. Nec feriis repentinis, n.32 Non obſtante, quod ſimul importent favorem partium, n. 33 Benè tamen Feriis ruſticis; n. 31. & 34. Sive dein partes expreſsè conſentiant, ſive tacite, n. 35.

Feriatis diebus, an, & qualiter ratione neceſſitatis, vel utilitatis, valeat Placitum, ſive Judicium. T.9 n.36. & ſeqq. F 87. Exemplificantur caſus neceſſitatis, ob quam tunc poteſt exerceri Judicium, n. 37. 38. 39. & 40. Ac etiam caſus pietatis, n.41 42. & 43. In cauſis ſummariis, ſeu de plano tractandis, poteſt procedi tempore Feriarum ruſticarum, n 44. & 45. Non item (extra caſum neceſſitatis, aut pietatis) in Feriis ſacris, & repentinis; n 46. Utrùm quolibet tempore, etiam Feriato poſſit offerri libellus, n.47. & ſeqq Aut valeat citatio facta die Feriato ad non Feriatum, n.49. & ſeqq Et econtra citatio facta die non feriato ad Feriatum, n.64. & ſeq Feriatis diebus an poſſit fieri captura, ſeu incarceratio Reorum, n. 73. & ſeqq. Aut poſſit fieri receptio teſtium, eorumque examen, n. 76. & ſeqq. In Feriis obſervandis, an ſit attendendus locus Judicis, aut Rei, vel Actoris, quando in uno eorum loco ſunt Feriæ, & non in altero, n. 80.

Feudalium cauſarum, quis ſit Judex competens, T. 1, n. 118. & ſeq. F. 12. Plures hic diſtinguuntur caſus, n 118 Quando inter Vaſſallos ejuſdem Domini agitur cauſa feudi, hujus cognitio ſpectat ad Dominum, n 119. & 120 Sive [illegible] petitorio, ſive poſſeſſorio, n. 121. Ac procedit etiam in feudis Eccleſiarum, & Clericorum, feudum à Laico habentium, n. 122 & ſeqq Non obſtante privilegio Fori, n. 123 Si Dominus Feudi nolit, vel non poſſit juſtitiam exhibere, tunc devolvitur juriſdictio ejus in [illegible] n.125 Nempe in Judicem ordinarium Rei conveniendi, n 126 Aut in Superiorem Domini feudi, ſi eum habuerit, n. 127 De cauſis feudum non concernentibus Dominus feudi non judicat, ſed Judex ordinarius Rei, n 128. Idem dicendum, quando [illegible] etiam ſuper re feudali cum Vaſſallo [illegible] litem, n.129 Quæ conditiones requiruntur, ut Domino feudi competat juriſdictio in Vaſſallos, n 130 Quis ſit Judex, quando quæſtio feudalis agitatur inter Dominum & Vaſſallum de dominio directo, n. 131 & 132. Vaſſallus negans feudum, cadit à feudo, & quando, n. 133. Si inter Dominum & Vaſſallum oriatur quæſtio circa feudum ſuper dominio utili cognoſcunt Pares Curiæ, n. 134 & ſeqq Quid ſi Dominus feudi non habeat Pares Curiæ, n. 137 Et cubi in horum locum ſucceſſit Judex ordinarius: Ibid. Dominus feudi nequit cognoſcere ſuper crimine Clerici vaſalli, n. 138 Benè tamen ſuper delictis impropriè dictis, quæ poſt ſe Feloniam trahunt, n.139 An Dominus feudi poſſit Clerico feudum auferre ob crimen, de quo per Judicem Eccleſiaſticum eſt condemnatus, n. 140. Etiam injiciendo manus in Clericum vaſallum, qui reſiſtit, nec vult poſſeſſionem feudi relinquere, n. 141. & 142 Quando feudum eſt Eccleſiæ, & an qualiter ob crimen Clerici feudum ipſi auferatur, n. 143. In cauſis feudalibus mulier nequit eſſe teſtis, T 20. n 89. F 229

Fides bona an requiratur ad acquirendam quaſi poſſeſſionem incorporalium. T.11. n.178. & ſeqq. F. 113 Sententia negativa ſtatuitur, & probatur, n. 179. & 180. Bona fides requiritur, ut quis agere poſſit Interdicto de aqua quotidiana, & hujuſmodi, n 182 & ad validitatem actus ex tali quaſi poſſeſſione procedentis, & cur, n. 183. & 184. Bonæ, ſeu malæ fidei poſſeſſor. Vide infrà *verſ. Poſſeſſor*.

Fides bona ad præſcriptionem legitimam omnino requiritur. T. 26. n.57. 58. & ſeq 370 Vide infra *verſ. Præſcriptionem an impediat*. Fides bona in propoſito, quid, n 57 Ex in Foro externo præſumitur, niſi probetur contrarium, n. 57. & 83. Bona, vel mala fides materia præſcriptionum, qualiter probetur. T 26 n 83 & ſeqq. F. 373. Qui allegat malam fidem alterius, eam probare debet, n. 84 Dubitans, num res ſit ſua, nec bonam nec malam fidem habet, n. 64. Bonam fidem, atque præſcriptionem, an impediat error Juris, n 87. & ſeqq Vide infrà *verſ. Juris ignorantia*.

Fides mala Prælati an noceat Eccleſiæ, vel Capitulo habenti fidem, ut præſcribere poſſit. T. 26. n 79. & ſeqq. F 332 Bona, vel mala fides Teſtatoris, aut Prædeceſſoris in Beneficio &c an noſit, vel noceat Hæredi, aut Succeſſori, ut præſcribere valeat, vel non valeat, Remiſſive, n. 82.

Filius familias abſque patris conſenſu Judicio ſtare nequit. T 1. n.147. F.15 Exceptis certis caſibus, n. 148. Filius familias, nequit renunciare S C. Macedoniano, & cur. T 2 n.248. F.46. Pro filiis teſtes eſſe poſſunt parentes & econtrà. T.20. n. 102. & ſeqq. F 231 Filii non ſunt admittendi ad teſtimonium adverſus Parentes ſuos, & econtrà. T.20. n.144 & ſeqq F 234 Filii naſcuntur patriæ [illegible] parentibus, n. 149 Filii adverſus Parentes non cogantur dicere teſtimonium T. 21. n. 29 F.278. Imò nec volentes admittuntur n.29. & 33 Filius præſumitur legitimus, etſi probetur, uxorem tempore conceptionis filii fuiſſe adulteram. T.23 n.85 F.321

Fiſci res uſucapi non poſſunt, & quando ſecus. T 26 n 28 F 362. Contra Fiſcum non procedit uſucapio triennalis. T. 26 n. 169 F. 382. Fiſci privilegiis gaudet Eccleſia, & quomodo, n. 169 & 173.

Fœnematores, cur in cauſis uſurarum cogantur edere libros rationum ſuarum. T 22 n 197. F 300.

Fori nomen quandoque ponitur in maſculino, quandoque neutro genere. T 2 n 2. & ſeqq F 23. Forum competens, quid, n. 5. Si Reus habet multiplicem forum, in electione Actoris, eſt eum, in quo maluerit, foro convenire, n 6. Reus coram incompetente Judice conventus impunè non comparet, opponendo exceptionem declinatoriam fori, n. 7 Exceptio declinatoria fori, quando ſit proponenda, n.7 & 8 Quid ſi de incompetentia fori liquido non conſtet, n. 7 & 10. & ſeqq. Orta quæſtione de competentia fori inter Judicem Eccleſiaſticum, & laicum debet cognoſcere Eccleſiaſticus, n 13. Competentia fori pluribus modis oritur, n. 14 & ſeq. Modi ordinarii, ac ſpeciales & extraordinarii ſeu generales ſortiendi forum, qui n.15.

Forus domicilii eſt verus, & naturalis forus. T. 2. n.24 F. 25 Forus domicilii concurrit cum quolibet alio foro; adeò, ut Reus ibidem poſſit conveniri ſuper rebus, & delictis etiam alibi geſtis, n 25 & ſeq. Judex domicilii poteſt procedere contra ſubditum præſentem ac etiam citare abſentem, quoad omnes effectus, n. 29. & ſeqq. Nec obſtat, quòd unicus exequatur citationem extra ejus territorium; & cur, n 30 Judex domicilii quomodo procedere poſſit contra ſubditum abſentem citatum, & contumacem in comparendo, n. 32 & 33. Utrùm quis forum ſortiatur, & conveniri valeat ratione domicilii originis. T 2. n.34. & ſeqq. F. 26. An ratione quaſi domicilii quis forum ſortiatur, n 36 & ſeqq. Vagabundi ubi forum ſortiuntur, n 44 & 46 Forus domicilii in quibus differat à foro contractus, delicti, & rei, n 60. & n.102 103 & 104.

Forum ratione delicti, an, & qualiter quis ſortiatur. T. 2 num. 47. & ſeqq F 27. Delinquens, ſi adhuc eſt in loco delicti, tam reſpectu perſonæ, quam reſpectu bonorum etiam alibi exiſtentium eſt ſub juriſdictione judicis delicti, n 48. Vide infrà *verſ. Judex delicti*.

Forum ratione contractus, an, & quando quis ſortiatur. T. 2 n. 80. & ſeqq F 30 Regula illa, quòd quis in loco contractus conveniri poſſit plures habet limitationes, n. 83. & ſeqq. Ut, quando inter partes contrahentes aliter conventum eſt, n. 84. In advenis, & viatoribus, n. 85 Dummodò non interveniat ſimul forum domicilii, n. 86. Et ſint veri viatores, non autem vagabundi, n.87. Sive contrahens cum ipſis ſciat, eos ſtatim receſſuros; alias ſecus, n. 88. Limitatur etiam in contractu Dotis, n. 89 Et, quando quis non repeiitur in loco contractus, ſi patiatur bona ſua poſſideri, nu. 90. Judex contractus, an, & quando juriſdictionem habeat reſpectu contrahentium, n. 91. 92. & ſeqq.

Forum ratione rei alicubi ſitæ, an, & quando quis dicatur ſortiri. T. 2. n 98 & ſeqq F. 32. Certum eſt, quòd ratione rei, de qua contenditur, quis ſortiatur forum; n. 98. Sive res ſit mobilis, ſive immobilis, n. 99. & ſeqq. Quid ſi res mobilis alicubi ſit in tranſitu, n. 100 & 101. Forus ratione rei, vel delicti, aut contractus, in quo differat à foro domicilii, n. 60. & n 102 103. & 104

Forum ratione continentiæ cauſarum, an, & qualiter quis ſortiatur. T. 2. n 144. & ſeqq F 36 Quid dicendum de modo extraordinario ſortiendi forum in Curia Romana. T. 2. n.5. & 106. ac ſeqq F. 32. Et per avocationem cauſæ, n. 117. Et per prorogationem juriſdictionis, n.122. Ac ex qualitate cauſarum, n. 143. & ſeq. Cauſæ mixti fori, quæ? T. 2. n. 151. & ſeqq. F. 36. Vide infrà *verſ. Cauſa mixti fori* Forus ratione præventionis, qualiter acquiratur: T. 2 n.165 & ſeqq. F. 38. Vide infrà *verſ. Præventio*. Forus ex *Leg. Diffamari*, qualiter acquiratur. T. 2. n 175 & ſeq. F. 39 Vide infrà *verſ. Lex Diffamari*. Referuntur alii modi extraordinarii ſortiendi forum, n. 183 & ſeq.

Fori privilegium, an, & quo jure competat Clericis. T. 2 n. 186 & ſeq. F 40. Extenſio privilegii Fori ad Regulares, facta eſt authoritate Eccleſiæ, n 198. & 230. Vide ſuprà *verſ. Clericis privilegium Fori, an, & quo jure*.

Fraus, & dolus, alicui patrocinari non debent. T 14. num 16 F. 147. & T 24 n.49 F. 329 Fraudis ſuſpicionem tollit cauſa paris affectionis. T 20. n. 107. F. 231. Præſumptio contraria poteſt tollere præſumptionem fraudis, T. 24. n.96. F 335.

Fructus generatim, qui T. 13 n 104. F 139 Fructuum appellatione in Jure, qui veniat, n 105. Obligatio reſtituendi fructus rei alienæ, qualiter intelligenda, n. 106. Inter fructus continetur collatio Beneficiorum Eccleſiaſticorum, n. 104. Fructus alii ſunt naturales, alii induſtriales, n. 107. & ſeqq. Fructus civiles non conſtituunt tertiam fructuum ſpeciem, ſed reducuntur ad induſtriales, n. 108. Fructus naturales, n. 109. Et fructus induſtriales, qui, num. 110 In dubio quales ſint, Judicis arbitrio eſt diſcutiendum, n. 111. & ſeqq. Lac, & lana in pecoribus, an ſint fructus induſtriales, vel naturales, n. 112. & 113. Fructus percepti, n. 114. Fructus percipiendi, n 115. Fructus conſumpti, qui n 116.

Fructus rei ablatæ una cum ipſa, & omnia damna illata, an, & qualiter teneatur reſtituere ſpoliator. T. 13. num. 117. F. 140. Vide infrà *verſ. Spoliator violentus*. Fructus ex re aliena perceptos tenetur reſtituere poſſeſſor malæ fidei licèt violentus non ſit, n 121. In ò, & eos, qui à Domino percipi potuiſſent, n. 125 Fructus induſtriales ex re aliena perceptos, nondum conſumptos, utrùm bonæ fidei poſſeſſor reſtituere teneatur. T. 13. n. 120 & 127. & ſeqq F. 141. Utrùm is lucretur fructus naturales, n. 235. & ſeq. Vide infrà *verſ. Poſſeſſor bonæ fidei* Fructus bonæ fidei ex re aliena percepti, & jam conſumpti, an debeant reſtitui, quando ex eis poſſeſſor non eſt factus locupletior. T. 13. n. 142. & ſeqq. F 143 Utrum fructus tam naturales, cum induſtriales ante litis conteſtationem conſumptos, teneatur bonæ fidei poſſeſſor reſtituere, quando ex eis factus eſt locupletior, n 147. & ſeqq Vide infrà *verſ. Poſſeſſor bonæ fidei*.

Fructuum ſequeſtratio. Vide infrà *verſ. ſequeſtratio*.

Furioſus non poteſt ſtare in Judicio. T. 1. n. 141. F. 14. Furioſi confeſſio non valet. T. 18 n 20 F. 177.

Furtum connumeratur inter crimina excepta, & quomodo. T 18. n. 103. F. 185. Furtivæ res præſcribi non poſſunt, & in quo ſenſu. T. 26 n.27 F 369.

Fuga poſt patratum ſcelus, facit præſumptionem contra fugientem. T.23. n.104. F. 324. Niſi appareat alia rationabilis cauſa diſcedendi, n.105.

## G

GRavamen per ſententiam diffinitivam irreparabile, exemplificatur. T 28. n.16. F.411.

## H

HAbitatio quid. T.26. n.104. F. 375.

Hæredis, & defuncti perſona, in jure cenſetur eſſe una, & qualiter. T.7. n.32. F.75. Hæredes aliique Succeſſores in quos tranſivit inſtantia, tenetur Jurare de calumnia, non obſtante juramento Prædeceſſoris, n.31 Hæres cenſetur eadem perſona cum defuncto. T 14. n 31. F.148 Actiones perſonales tranſeunt ad hæredem, quæ. Ibid. Actio de dolo an tranſeat in hæredes, num 30. & 31. Actiones illæ, quæ veniunt ex delicto, ad hæredem non tranſeunt, niſi quatenus ad eum perveniunt, ibid. Hæres cenſetur eadem perſona cum defuncto, ac proinde ſcriptura confitentis probat contra ejus hæredem. T.22. n.175 F.298. Pro hærede ſcribentis defuncti, an probat hujus Liber rationum. T. 22. n 206 F 155. Hæres vaſalli cur à principio ſoleat præſtare perſonale juramentum, T.24 n.105. F.336. Obligatio juramenti, an tranſeat ad hæredes, num.102 & ſeqq. Vide infrà *verſ. Juramenti promiſſorii obligatio*

Hæres defuncti tenetur adimplere votum reale defuncti. T.24. n.108. F.336. Idem dicendum de juramento reali Deo facto. Ibid. Pactum tibi factum, extenditur ad hæredem tuum, n. 111. Hæres ſuccedit in univerſum jus defuncti. T.25. n.17. F. 352. Titulus *Pro hærede*, an ſufficiat ad præſcriptionem. T.26. n.131. & ſeqq. F. 378. Poſſeſſio defuncti continuatur in hærede, n. 131. Vide infrà *verſ. Præſcriptio per defunctum*. Hæres ſuccedit in omne jus defuncti. T. 26. n.133. F. ibid. Ac cenſetur eadem perſona cum defuncto. Ibid. Hæres repræſentat perſonam defuncti, n.135 136 & 137.

Hæreſis non eſt crimen mixti fori, ſed merè Eccleſiaſticum. T.2. n. 159 F. 37. Quid poſſint ſæculares Principes reſpectu criminis Hæreſis, ibid. Hæreſis an probetur per teſtes ſingulares ſingularitate adminiculativa. T.20. num. 321. F.251. In examine teſtium ſuper crimine Hæreſis, Præter Notarium, adhibentur aliæ duæ diſcretæ perſonæ. T.21 n.501 F 270.

Homicidium, unde ſic dictum. T.2. n.76. F.30.

Hypotheca rerum ſuarum, etiam ad futuras res producitur T.24. n. 65. F 331 Inter Hypothecam, & Juramentum diſparitas, n. 67.

## I

IDoneitas, ſeu qualitas, alia eſt homini intrinſeca alia extrinſeca. T. 23. n.41. F.318 Prima facie præſumitur quis idoneus, niſi contrarium probetur, & quomodo iſtud ſit intelligendum, n. 40. & 41.

Ignorantia præſumitur in dubio. T 13. n 30. F.131 Ignorantia, qualiter probetur T.20. n.277. F.247 Ignorantia exceptionis ſufficienter probatur per juramentum, & cur. T.26. n.35. F.354 Ignorantia juris an impediat bonam fidem, atque præſcriptionem. T. 26. n 67. 68. & ſeq F. 371. Vide infra *verſ. Juris ignorantia*.

Illatio bona non ſit ex diverſis. T. 12 n. 30 F. 101 Illatio non valet à diverſis. T. 25 n 71 F. 357.

Immunitatem, ſeu exemptionem Clericorum perſonalem eſſe Juris Divini, probatur multipliciter. T.2. n 202 & ſeqq. F 41. Etiam textibus apertis Iuris Canonici, n. 206. & ſeqq. Idipſum probatur de immunitate reali Eccleſiarum, rerumque Eccleſiaſticarum, n. 211. & ſeqq. Immunitas localis, ſeu jus Aſyli, convenit Eccleſiis Jure humano, n. 331 Vide ſupra *verſ. Clericis privilegium fori*.

Impuberes regulariter excluduntur à ferendo teſtimonio in quacunque cauſa. T.20. n.72. F.227. Ac etiam in Teſtamentis; Adeò, ut eorum teſtimonium ſit ipſo jure nullum, n 73 Impubes, quis. Ibid. Poſſunt tamen impuberes eſſe teſtes in Matrimonio, n.74 Atque in cauſis civilibus, ſaltem ad faciendum judicium, n.75 & in criminalibus exceptis, atque revelanda morte Domini, n. 76. Impubes, qui factus eſt pubes, poteſt teſtificari de iis, quæ vidit in ſua impubertate, n 77. Et quantam fidem mereatur teſtimonium. Ibid. in Teſtamentis impubes nequit eſſe teſtis, licèt poſt factum ſit pubes, n 78 Impuberis teſtimonium admittitur in nonnullis caſibus, & qualiter, n 79 incidentia cauſæ prorogat juriſdictionem, & quomodo. T. 10. n.34 Vide infrà *verſ. [illegible] incidens*.

Incontinenti, quando dicatur revocari confeſſio. T 18. n. 77. & 78. F. 182. Incontinenti quando confeſſioni cenſeatur appoſita qualitas, ita ut confeſſio cenſeatur qualificata? T 18 n.115 116 & ſeqq F 187.

Incorporalia aliquando cohærent corporalibus, aliquando non. T 12 n. 144 F.111. Incorporalia traditionem non recipiunt, n 149 & 154. Incorporalium quaſi poſſeſſio, quo modo requiratur, num.143 & ſeqq. Vide infra *verſ. Poſſeſſio, ſeu quaſi poſſeſſio*.

Indefinita locutio æquipollet univerſali, & quando. T 24. n.65. & 66. F.331.

Indicium propriè acceptum, quid? T.23. n.9. F.315 Et quid minus ſemiplena probatione, n.10 Indicium ſumitur quandoque pro plena probatione, ac pro præſumptione juris, & violenta, n 10. Effectus indiciorum, eſt præſumptio n.8 Indiciorum multiplex eſt diviſio. T. 23. n.11. & ſeqq F 315 Indicium plenum, ſeu indubitatum ac certum, n. 12. Indicium ſemiplenum, ſeu indubitatum, n. 13 Indicium proximum, & remotum, n. 14. Indicium leve, grave, & graviſſimum, quid? n.15. Indiciorum alia explicatio, juxta Julium Clarum. n.16 Quæ indicia ſint levia, vel gravia, Judicis arbitrio relinquitur n. 17. Indicia plura ſi ſimul conſtituant ſemiplenam probationem, poteſt deferri juramentum ſuppletorium T 23 n 76 F 322.

Indicia ad capturam, qualia ſufficiant? T 3 n. 93 F 58. Vide ſuprà *v. Citatio realis*. Indicia hodie ſuccedunt loco diffamationis. T. 18. n. 111. F. 186. Indicia, quæ cenſeantur ſufficientia ad inſtituendam inquiſitionem ſpecialem contra aliquem? n 112. & 115. Indicium ſufficiens ad torturam, an ſit nominatio ſocii criminis facta per Reum de ſe confeſſum? n. 133 Indicia legitima, ſeu ad torturam ſufficientia, ſunt plura; & quæ? T. 18. n 339. & ſeqq. F 19 Confeſſio per torturam extorta non præcedentibus legitimis indiciis, nihil probat nu. 138. Plura indicia de ſe inſufficientia, conjunguntur ad effectum torquendi, n 142. Non item ad condemnandum pœna corporali, & cur? Ibid. Quænam indicia ſint ad torturam ſufficientia: Judicis arbitrio relinquitur, n.143. Indicia, quæ ſunt minus, quam ſemiplena probatio, an ſufficiant ad torturam, n.144 Indicium ſufficiens ad inquirendum, & citandum & ad torturam, facit teſtimonium unius. T 20 n 251 F 246.

Indictio debet apponi in inſtrumento publico. T.22. n 21. F 283. Indictionis nomine, quid intelligatur & unde trahant originem, n 22. Modus facillimus inveniendi indictionem cujuslibet anni Ibid.

Individuum in re ſententia lata pro uno, prodeſt alii. T. 27. n. 158. F. 403. In individuis poteſt quis conſequi per ſocium, quod per ſe non poteſt, n. 159.

Infames ſecundum Canones, quinam generatim cenſeantur. T. 20. n 37. & 38 F 224 Quænam perſonæ in ſpecie, cenſeantur infames, n. 38. Infames an, & quando repellantur à ferendo teſtimonio, n.42. 43 & ſeqq. Præſertim loquendo de infamibus infamia facti, num. 49. Dantur plures caſus, in quibus infames infamia juris admittuntur ad teſtimonium. T. 20 n. 50 & ſeqq. F 225 Ut in criminibus exceptis, n.50 Item quando veritas aliter haberi non poteſt, n 51. & 52. Infamibus perſonis qualiter tunc credatur, n.52. Infamis admittitur etiam ad teſtificandum, quando ab una parte ſine [illegible] n. 53. Et ſi tempore dati teſtimonii non reputabatur infamis, n. 54. Valet teſtamentum, ad quod infamis fuit adhibitus, quando tunc communi opinione reputabatur bonæ famæ. Ibid. Vide infra *verſ. Criminoſus*, & infrà *verſ. Teſtis infamis*. Condemnatus de crimine per ſententiam diffinitivam, efficitur infamis; ſecus interlocutoria. T 27. n 32 F. 390 & T. 27. n. 148 F. 402

Infamia, quid. T. 20. n.29. F.223 Æquiparatur morti, n.30 Infamia alia eſt

alia eſt facti, n. 31. Alia juris, n. 32 Infamia facti, an etiam oriatur ex vitâ bonorum, n. 31. Infamia juris infertur dupliciter, videlicet, ipſo facto, n. 32. & 33. & per ſententiam Judicis, & quando, n. 32 & 34. Qualiter utraque infamia repellat teſtem à teſtificando, n 35. Secundum Canones poteſt addi tertium membrum, videlicet Infamia Canonica, n 36. Hæc irrogatur ex quolibet peccato mortali, Ibid. Infamia juris, orta ex crimine occulto, tollitur per pœnitentiam. T. 20. n. 39. F 224. Eaque perfecta licet Sacros Ordines ſuſcipere, n. 40. Secùs dicendum, de infamia orta ex crimine manifeſto, n.40 & 41. Hanc non niſi Princeps auctoritativè tollere poteſt, n 41. & 46. Infamia repellens quempiam à teſtificando, debet attendi pro tempore laci per eum teſtimonii, nec obeſt ſuperveniens, n.47 & 48 Infamia appellatur mala fama T 20 n 386. F. 359.

Infinitas eſt vitanda, & reprobatur à Jure. T. 20. n. 555 F. 275.

Inimici teſtimonium, an, & quando repellatur. T 20. n. 132. & ſeqq. F. 233. Inimicus adverſum eum, cum quo gerit inimicitiam, teſtimonium ferre non poteſt, n. 132. Et jam loquendo in criminibus exceptis, n. 133. Et factis occultis, ac difficilis probationis, n. 134. Intelligendo iſtud de inimicitia gravi quoad cauſas civiles, n. 135. In cauſis tamen criminalibus quælibet inimicitia, etiam levis, teſtem repellit, n. 136. Fallit iſtud in inimico reconciliato; & qualiter, n. 137. In inimico utriuſque partis, n. 138. Teſtis inimicus probat contra producentem, n. 139.

Inimicitia teſtis non præſumitur, ſed eſt probanda ab allegante. T. 20. n. 140. F. 234. Ad eam probandam ſufficiunt conjecturæ, n. 141. Et quales, n 142. & 143.

Injuriam nemo videtur facere, qui utitur jure ſuo. T. 28. n. 34 F. 413. Appellans non facit injuriam Judici *à quo*, n. 33. Actio injuriarum expirat lapſu unius anni. T. 26. n. 178. F. 383. In actione injuriarum Reus condemnatus efficitur infamis, niſi injuria foret minima. T. 27. n. 148. F. 407.

Innovatio privilegiorum, & aliorum inſtrumentorum poteſt fieri, ne vetuſtate corrumpantur. T 30 n. 28. F. 414. Ea tamen jus novum non tribuit, ſed conſervat duntaxat antiquum, n. 29.

Inſpectione oculari fit probatio. T. 19. n. 21. F. 203. Et quæ ad hanc requirantur, n 22 Vide infra *verſ. Ocularis inſpectio*.

Inſtantia, quid, & quando incipiat, ac finiatur. T 1 n. 13. F 2. Et qualiter differat à Proceſſu, n. 13 & 25. & 26 Inſtantia cauſarum, quando finiatur; n. 27. & ſeqq. Perit duobus modis, n. 28. & ſeqq. Referuntur caſus, in quibus perit inſtantia per abſolutionem ab obſervatione Judicii; n. 29. & 30. Inſtantia de Jure Civili perimitur ex lapſu triennii, n. 31. Secùs ſpectato Jure Canonico, n 32. Perempta inſtantia pereunt Acta Judicii. T. 1. num. 186. F. 19. Poſt lapſum biennii, vel triennii, an pereat inſtantia. T 27. n 40. F. 392.

Inſtrumentum non impugnatur per probationem præſumptivam. T. 19. n. 90. F 210.

Inſtrumenta ut à Reo ſibi exhibeantur ad probandam ſuam intentionem, an Actor petere poſſit. T. 19. n. 141. F. 214. Inſtrumenta nova poſſunt produci etiam poſt publicationem atteſtationum. T. 19. n. 149. & 152 F. 216. Diſparitas inter productionem teſtium, & inſtrumentorum, num 153. Inſtrumenta de novo reperta, poſſunt produci poſt concluſionem in cauſa. T. 19 n. 168. F. 217. In inſtrumentis ſæcularium Clerici non poſſunt eſſe teſtes, c. *Quamquam* 14. q. 2. T. 20. n. 228. & ſeqq. F. 243 Inſtrumenta publica, in quibus Notarius atteſtatur de rebus à ſe viſis, vel coram ſe geſtis faciunt probationem probatam. T. 20. n. 275. F. 247 Quid, ſi teſtis aſſerat, ſe non ita dixiſſe, ſicut Notarius ſcripſit, n. 276. Inſtrumentorum appellatione continentur teſtes. T. 21. n. 14. & 15 F. 277. Propriè tamen aliud ſunt inſtrumenta, aliud teſtes, n. 14. Inſtrumenta, vel teſtes adverſario ſubtrahens, ex hoc ſolo cauſam non perdit; oſtendit tamen, quod iniquam foveat cauſam, n. 15. & 16.

Inſtrumentorum nomine large loquendo ea omnia accipiuntur, quibus cauſa inſtrui poteſt. T 22. n 2 F. 281. Inſtrumentum largiſſimè acceptum, comprehendit etiam utenſilia domus, &c. n. 3. Inſtrumentum ſtrictè, quid, n. 4. Aliud eſt publicum, & aliud privatum, n. 5.

Inſtrumentum publicum generatim, quid, & quæ ejus ſpecies, n. 6. Inſtrumentum publicum ſpecialiùs loquendo, quid, n. 7. Inſtrumentum privatum, quid, n 9. Differentia inter inſtrumenta publica, & privata, n. 10. & 12. Inſtrumentum publicum in prima figura, quod n. 10. Probat plenè, etiam abſque aliis adminiculis. Ibid. Niſi quis poſſit illud arguere de falſo, n. 11. Inſtrumenta privata regulariter valent in præjudicium ſcribentium, non verò ad eorum commodum, &c. n. 12. Inſtrumentum omnino privatum, quod, & an aliqua fides eidem ſit adhibenda. T. 22. n. 156 F. 296. Inſtrumentum originaliter privatum habens aliquod ſupplementum, dicitur *Inſtrumentum publicum*. Ibid.

Inſtrumentum authenticum, & non authenticum, quod. T. 22. n. 13. F. 282. Inter inſtrumentum publicum, & authenticum, an ſit differentia, n. 14. & ſeqq. Differunt tanquam ſuperius & inferius, n 14. Frequenter tamen ſumuntur pro ſynonimis, n 14. & 16. Ad inſtrumentum publicum, quæ ſolemnitates requirantur. T. 22. n. 17. & ſeq. F. ibid. Debet illud continere invocationem Divini Nominis, n. 8. Ac in ea apponi annus Dominicæ Incarnationis, n. 19. Item menſis, diei & anni, n. 12. Atque indictio, n 21 & ſeqq. Item nomen Papæ, vel Imperatoris &c. n. 23 An etiam nomen Conſulis, Ibid. In eo debet exprimi locus, & quidem particularis, celebrati contractus, nu. 24. Item nomina teſtium, n. 25. Teſtium tamen ſubſcriptio non requiritur, n. 26. Ad validitatem inſtrumenti publicia plura requiruntur ex parte Notarii, & quæ, n. 27 28. & ſeqq. Dictæ ſolemnitates in publicis inſtrumentis ſunt ſervandæ: & cur, n. 32. Omiſſio ſolemnitatis de conſuetudine requiſitæ, vitiat inſtrumentum. Ibid. Inſtrumenta, quæ habent ſigillum authenticum, plenè probant. T. 22. n 89. F. 289 Inſtrumentum, an aliquando probet abſque appoſito ſigillo, n. 97 & 98. Vide ſuprà *verſ Sigillum*.

Inſtrumentorum productio, quid? T. 22 n 229. F. 303. Et quando fieri poſſit. Ibid Quid agendum, ſi inſtrumentum arguatur falſitatis, n. 230.

Inſtrumentorum editio, quid. T 22. n. 232. F. 303. Inſtrumentum, quibus aliquis in Judicio eſt uſurus, ſunt edenda, n. 234. Et quidem in originali, n. 234. & 235. Originale tamen non tenetur quis relinquere apud Acta, n 236. Inſtrumenta regulariter debent edi citata, & præſente parte adverſa, n. 237. Inſtrumentum quo quis uſurus eſt in Judicio, totum debet legi audiente Judice, & parte adverſa, n 238 & 239 Si tamen ſuper unico tantùm capitulo moveatur quæſtio, ſufficit iſtud edere, ſeu parti ad deſcribendum dare, n. 238. & 240. Inſtrumentorum editiones debent fieri ſine die; ſecùs in editione rationum.

Inſtrumenta ſua, an Reus teneatur edere Actori ad fundandam ejus intentionem. T. 28. n. 234. & ſeq F 304. Si ipſis eſt uſurus in Judicio, tenetur eadem edere. Ibid. Secùs, quando ipſis non eſt uſurus in Judicio, ſaltem regulariter loquendo, n 242. & ſeqq. Actor tamen tenetur edere Reo inſtrumenta ad fundandam hujus exceptionem & cur n. 244 Inſtrumenta communia tenetur Reus edere Actori petenti; &, ſi Judex ea non faciat edi, licitè appellatur. T. 22. n. 245 F ibid. Inſtrumenta pluribus modis dicuntur communia; videlicet, ratione proprietatis, n. 246. Ratione materiæ, n. 247. & 248. Et ex natura negotii, n. 249. Regula illa, *Reus non tenetur Actori propria inſtrumenta edere*, plures patitur limitationes; & quas n. 250. & ſeqq. Reus tenetur edere ſua inſtrumenta Fiſco agenti contra illum, n. 251. Privilegium iſtud extenditur ad Eccleſias, Hoſpitalia, aliaque Loca pia &c. 252.

Inſtrumenta, quibus modis generatim impugnari, & reprobari poſſint. T. 22. n. 256 & ſeqq. F. 305 Poſſunt impugnari juxta omnia quatuor cauſarum genera, n. 256. Impugnaturus inſtrumentum ad quæ attendere debeat, n. 257. & 258. Inſtrumentum à Notario confectum, an valeat extra territorium ejus, à quo conſtitutus fuit, n. 259 & ſeqq Inſtrumenta confecta per Notarium putativum, an valeant, n. 265. & ſeqq. Inſtrumenta confecta per Notarium de crimine Falſi condemnatum, an valeant, ſi fuerunt facta ante ejus condemnationem, n 275. & ſeqq. Vide infrà *verſ Notarius*. Falſitas circa accidentalia non vitiat inſtrumentum, nu. 280. Probatio per teſtes, an ſit validior probatione per inſtrumenta, T. 22. n. 281. & ſeqq. F. 309. Probatio per inſtrumenta eſt extraordinaria & artificialis, n. 285. Fides inſtrumentorum poteſt reprobari, atque eludi depoſitione teſtium, n. 287. Eamdem vim obtinent tam fides inſtrumentorum, quam depoſitiones teſtium, & quomodo, n. 288. & 289. Teſtes plenam fidem faciunt in criminalibus: inſtrumenta verò directè non probant crimen, num. 289. Inſtrumenti valor ſtat eò uſque, donec aliquid probabile contra illud aſſeratur, n. 290. Ubi requiritur ſcriptura ad ſubſtantiam actus, teſtes non ſufficiunt, n. 291. Per teſtes inſtrumentarios qualiter poſſit impugnari, n. 292. & ſeqq. Inſtrumentorum innovatio poteſt fieri, ne vetuſtate corrumpantur. T. 30. n. 28. F. 444.

Inſtrumentum publicum valet, etſi teſtes inſcripti intereà fuerint mortui. T. 22. n. 302. F. 311 Et quid, ſi negetur eſſe genuinum talis Notarii inſtrumentum. Ibid. Ad inſtrumentum impugnandum, quot requirantur teſtes eidem non inſcripti, n. 304. & ſeqq. Inſtrumentum poteſt per teſtes reprobari dupliciter, & quomodo, n. 308. 309 & 310. Probata falſitate inſtrumenti circa unum punctum ſubſtantiale, tollitur fides ejus in totum, n. 310. Inſtrumentum æquivalet duobus teſtibus, & quomodo, n. 312. & 315. Præſumptio, quæ ſtat pro inſtrumento publici Notarii tollitur per contrariam depoſitionem teſtium, n. 314. Et quot teſtes præſertim extranei, ſufficiant ad id reprobandum, num 311. 312 313. & ſeq. Ceſſante omni ſuſpicione ex parte Notarii & inſtrumenti, magis inſtrumento credi debet, quam teſtibus contra illud deponentibus, n. 319. Præſertim, ſi inſtrumentum ſit antiquum. Ibid. Dantur aliqui caſus, in quibus contra inſtrumenta non admittuntur teſtes, qui, n. 320.

Inſtrumenta inter ſe contraria, an probent? T. 32. n. 321. & ſeqq. F. 313. Quando producuntur ab eadem parte, nihil probant, ſed fidem ſibi ad invicem derogant, n. 321. Sive ſint publica, ſive privata, n. 322 Diſparitas inter teſtes, & inſtrumenta quoad hoc, num. 323. Inſtrumenta contraria quando producuntur à diverſis partibus, ſtandum eſt digniori, n 324 Si tamen concordari poſſunt, oportet, ut inter ſe concordentur, num. 325. Alioquin abſolvendus eſt Reus præter quam in cauſa liberali, n. 326.

Inſtrumentum ob factam in eo raſuram, an poſſit reprobari. T. 22. nu. 327. & ſeqq. F. 313 Poteſt id reprobari ob factam in parte ſubſtantiali raſuram: alias ſecùs, n. 327. 328. & 330. Pars ſubſtantialis inſtrumenti, quæ, n. 329. Ob raſuram manu ejuſdem Notarii factam, aut de qua ipſemet atteſtatur &c. non vitiatur inſtrumentum, num. 430.

Inſtrumenti originalis amiſſio poteſt tripliciter fieri. T. 22 n. 331. F. 313. Et quid juris, quando inſtrumentum fuit amiſſum, n. 332. 333. & ſeqq. Tenor inſtrumenti amiſſi poteſt probari per teſtes dupliciter, & quomodo, n. 334. & 335. Et quid, ſi inſtrumentum facto adverſarii, v. g. illud dilacerantis, periit, n. 337. Quid agendum, quando allegatur inſtrumentum, putà, Extravagans Conſtitutio Papæ, de qua dubitatur, an ſit authentica, n 339. Vel Reſcriptum Papæ, quod videtur prava ſuggeſtione obtentum, n. 340.

Inſtrumento æquiparatur præſumptio juris. T. 23. n. 50. F. 319. Ac proinde, ubi Lex requirit probationem per inſtrumentum, ſufficit præſumptio juris, quæ contraria probatione non eliditur. Ibid. Sententia lata ex falſis inſtrumentis, non tranſit in rem judicatam. T 27. num 131. F. 444. Sententia, quæ tranſit in rem judicatam, non reſcinditur prætextu inſtrumentorum de novo repertorum. T. 27. n. 141. & 142. F 401.

Interdicta, alio nomine appellantur *Judicia poſſeſſoria*. T. 12. n 72. F. 104. Interdicta, unde ſic dicantur, n 73. Interdicti nomine non intelligitur hic Cenſura Eccleſiaſtica, n. 74. Interdictum in propoſito, quid, n. 75. Differentiæ inter Interdicta, & Actiones, olim erant plures, n. 76. Hodie in effectu nulla remanet differentia, n. 77.

Interdicta variè dividuntur. T. 12. n. 78. 79. & ſeqq. F 104. Nempe ex parte rerum, quibus competunt. Ibid. Item ab effectu, n. 80. & ſeqq. Interdicta prohibitoria, reſtitutoria, & exhibitoria, quæ, num. 81. Interdicta mixta, quæ, n. 82. Aliæ interdictorum diviſiones, n. 83 & ſeqq.

Interdictum adipiſcendæ poſſeſſionis, quid, & quotuplex. T. 12. n. 84. & ſeqq. F 105. Eſt triplex, n. 85 Interdictum *Quorum bonorum*, unde ſic dicatur, n. 86. Quid, & quale ſit, n. 87. & 88 Interdictum *Quorum legatorum?* num. 89. Et Interdictum Salvianum, quid, num. 90.

Interdictum retinendæ poſſeſſionis, quid. T. 12. n. 191. F 105. Dividitur Interdictum *Uti poſſidetis*, & in Interdictum *Utrobi*, & quid, n. 92. Interdicta hæc, quando locum habeant, n. 93. Quando de poſſeſſione conſtat, dantur alia Remedia retinendæ poſſeſſionis, & & quæ, n. 95.

Interdictum recuperandæ poſſeſſionis, quid. T. 12. n. 95. F. 106. Appellatur interdictum *Unde vi*, Ibid. Interdictum hoc, quibus competat, n. 96. & 97. Interdictum *Unde vi*, pertinet ſolùm ad res immobiles, n. 98. Non verò ad mobiles, n. 99. Niſi acceſſoriè, ſeu niſi exiſterent in re immobili, n 100. Præter Interdictum, *Unde vi* dantur plura Remedia recuperandæ poſſeſſionis, n 101 Quæ tamen non ſunt interdicta, num. 102. In interdicto retinendæ poſſeſſeſſionis; ſeu *Uti poſſidetis*, ſi utraque pars contendat, probareque conetur ſe eſſe in poſſeſſione, quid juris. T. 12. num. 223 & ſeqq. F. 118.

Interdicta duplicia, quæ, T 12. n. 238. F 119. In his fallit Regula illa, *Soli Actori incumbit onus probandi*. Ibid Secundum formam Interdicti, *Uti poſſidetis, ita poſſideatis*, quando Judex pronunciare debeat? n 242. In interdictis duplicibus uterque litigantium probare debet. T. 19. n. 131. F. 213.

Interdictum *Unde vi*, quale. T. 13. n. 7. F 128. Datur ad duo, & quæ, n. 8. Et ad quantum tempus de Jure Civili, & Canonico, num. 9. & 10. Interdictum *Unde vi* ſolùm competit ſpoliato ſua poſſeſſione, n. 11. Et quidem rei immobilis, n 12 Dummodò tempore ſpoliationis verè poſſederit, n. 13. & 14. Colono, Inquilino, vel Procuratore, de poſſeſſione rei immobilis Domini ſui vi dejecto, interdictum *Unde vi* competit Domino, non Colono, &c. n. 15. Limitatur, niſi fuerit conductor fundi &c. ad longum tempus, n. 16. Solvuntur inſtantiæ, n. 17. & 18 Interdictum *Unde vi* competit adverſus eum, qui dejecit, vel ſpoliari juſſit, aut ſpoliationem ratam habuit, n. 19. Et quid clam ordinavit dejectionem, aut de ejus familia vi alterum poſſeſſione ſua dejecit, n. 20. Et qualiter hoc poſtremum procedat, n 21. An contra tertium poſſeſſorem, qui rem ſpolio ablatam ſcienter recepit, detur interdictum *Unde vi*, n. 22. 23. & 24.

Interlocutoria ſententia. Vide infrà *verſ. Sententia interlocutoria*.

Interpretis dicto creditur. T. 20. n. 267. F. 247.

Interrogatoria, quid, & quomodo fiant. T. 18. n. 213 F 198.

Interrogatoria non dantur parti, n. 214. Poſſuntque per Judicem fieri uſque ad prolationem ſententiæ, ibid. Interrogatoria variè differunt à Poſitionibus, n. 215. Et in quibus, n. 216. & 217. Interrogari ſervato juris ordine, quando Reus cenſeatur. T. 18. nu. 156. F. 192, Vide infrà *verſ. Reus an judici*.

Interrogatoria partim generalia, partim ſpecialia ſunt proponenda in examine teſtium. T. 20 n. 508. F 270. Interrogatoria generalia, quæ? n. 509. Interrogatoria ſpecialia, quæ, n. 510. Interrogatoria ſuggeſtiva, quæ, n. 516. Suggeſtio alia aperta, alia palliata, n. 517. Interrogatoria ſuggeſtiva ſunt prohibita, & vitanda, num. 508. Interrogationes teſtium debent fieri in genere, gradatim deſcendendo ad magis ſpecialia, n. 519. Idem procedit in examine Rei ſuper crimine admiſſo, n. 520. Adeò, ut confeſſio Rei ſuper crimine admiſſo, ſufficiat ad condemnandum, n. 521

Inventarium, quid. T 22 n. 136. F. 294.

*Invitus nemo cogitur agere*, quomodo intelligendum. T. 14. n. 80. F. 152.

Invito beneficium non tribuitur. T. 14. n. 54. F. 330.

Iracundiæ calore facta confeſſio, vel accuſatio, an teneat. T. 18. n. 21. & 41 F. 177.

Irritum ipſo jure, & irritandum, in quo differant. T. 26. n. 21. & 22. F. 378

Iter, ut eſt ſervitus ruſtica, quid. T. 26. n 99. F. 375.

Judæi ad teſtificandum in judicio adverſus Chriſtianos admitti non debent. T. 20. n. 152 F. 235. Idemque dicendum de Paganis, Hæreticis, & quibuſcumque Infidelibus, n. 153. Imò de Judæis, aliiſque Infidelibus noviter ad Fidem Catholicam converſis, n. 154. Tamen pro inſtrumentis, contractibus, & teſtamentis iiſdem admittuntur, n. 155. Sicut & in criminibus exceptis, n. 156. Teſtimonium Chriſtianorum indiſtinctè admittitur contra Judæos, n 157.

Judex, unde ſic dicatur. T. 1. n. 10. F. 2. Ad ſolos Judices Eccleſiaſticos pertinet cauſarum ſpiritualium cognitio. T. 1. n. 66. & ſeqq. F. 7. Earumque cognitioni Judex ſæcularis ſe immiſcere prohibetur ſub Cenſuris, n. 67. Vide infra *verſ. Laicus*. Coram Judice Eccleſiaſtico, non coram Laico, debet Clericus de omni crimine convenire. T. 1. num. 83. & ſeqq F. 9 Vide ſuprà *verſ Clericus de omni crimine*. Judex Eccleſiaſticus, quando poſſit Clericum criminoſum tradere Curiæ ſæculari. T 1. n. 107. & ſeq. F 10.

Judex competens in cauſis Feudalibus, quis ſit. T. 1. num. 118 & ſeqq F. 12. Judex Eccleſiaſticus poteſt implorare brachium ſæculare, etiam per Cenſuras. T. 1. n. 190 F. 19. Acta coram Judice Eccleſiaſtico fidem faciunt coram ſæculari, & econtrà, ad hoc, ut unus adjuvet alterum in compeſcendo malos. Ibid. Geſta per Judicem putativum an valeant T. 1. n. 196 & ſeqq. F 19 Valent geſta per Judicem putativum, ſi concurrant certæ conditiones, & quæ, n. 197. ac ſeqq. Acta Judicis intruſi non valent, n. 200 An, & qua ratione ſpectet ad Judicem Eccleſiaſticum cognitio ſuper Clerica tu malefactoris, per Judicem laicum capti, & dicentis ſe eſſe Clericum. T. 2. n. 273. & ſeqq. F. 49.

Judex in propria cauſa nemo eſt. T. 1. n. 204. F. 20. Adeò ut Judex habens ut privatus conſimilem cauſam, poſſit recuſari ut ſuſpectus, n. 205. Regula data fallit in ſupremis Judicibus; ut Papa, Imperatore &c. n. 106. Item in notoria injuria Judici irrogata, & qualiter, n. 207. & ſeqq. Item quando oppoſitum cuipiam conceditur à Lege, idque exemplificatur, n. 210. & 211

Judex, an poſſit cogere partes, ut perſonaliter in Judicio compareant? T 1. n. 212. & ſeqq F. 21. Neque iſtud regulariter fieri, n. 212. & 213. Fallit in certis caſibus, n. 214 & ſeqq. Coram incompetente Judice Reus conventus, impunè non comparet, opponendo exceptionem declinatoriam Fori. T. 2. n 7. & ſeqq. F. 23. In dubio de juriſdictione citantis tenetur citatus venire, ſuamque exceptionem probare, n. 10. Et tunc ipſemet Judex cognoſcit, an ſua ſit juriſdictio, nec ne, n. 11. Non obſtante, quòd nemo ſit Judex in propria cauſa, n. 12. Orta quæſtione de competentia Fori inter Judicem Eccleſiaſticum, & Laicum, debet cognoſcere Eccleſiaſticus; n. 13.

Judex domicilii poteſt procedere contra ſubditum præſentem, ac etiam citare abſentem quoad omnes effectus, T. 2. n. 29 & ſeqq. F. 25. & Quomodo poſſit procedere contra ſubditum abſentem citatum, & contumacem in comparendo, n. 32 & 33. Diſparitas inter Judicem domicilii, & Judicem delicti, quoad poteſtatem citandi abſentes, n. 60. Vide ſuprà *verſ. Forus domicilii*.

Judex delicti, quis. T. 2. n. 40. F. 26. Delinquens, ſi adhuc eſt in loco delicti, tam reſpectu perſonæ, quam reſpectu bonorum, etiam alibi exiſtentium, eſt de juriſdictione Judicis delicti, n. 48. & ſeqq. Quando Judex, in cujus territorio bona condemnati exiſtunt, poſſit exequi ſententiam à Judice delicti prolatam, n 52. Quid, ſi talis ſententia ſit nulla, n. 53 Et quid ſi Judex ejuſmodi debitè requiſitus nolit exequi ſententiam ab altero latam, n. 54 Judex delicti, quid poſſit contra Reum criminoſum non ampliùs exiſtentem in loco delicti, ſed citatione præventum, n. 55. Vel non præventum citatione, n. 56 & ſeqq Citatus à Judice delicti extra territorium non cenſetur contumax, etſi compareat, n. 58. Poteſt tamen ita citari ad effectum adſtringendi bona ejus niſi compareat, n. 59. Diſparitas inter Judicem domicilii, & Judicem delicti, quoad poteſtatem citandi abſentem, n 60. Reus, qui fugit, an ſit remittendus ad locum delicti n. 61. & ſeqq. Quid, ſi delictum in uno territorio ſit inchoatum, & in altero conſummatum, num. 75. & ſeqq. Punitur per Judicem ſæcularem ſuper crimine mixti fori, an poſſit puniri etiam per Eccleſiaſticum; & econtrà? T. 2. n. 163. & 164. F. 37.

Judex contractus, quam juriſdictionem habeat reſpectu contrahentium. T 2 n 91. & ſeqq F 31. Quid, ſi conventus non ampliùs reperiatur in loco contractus, num. 93. & ſeqq. Reus contrahens non habet bona in territorio Judicis contractus, benè tamen alibi? n. 96. In contractibus regulariter non habet locum remiſſio, n. 97.

Judex fatuus eſt, qui ultra petita in Libello judicat, T 3. n. 33. F. 53. Atque appellatur *Stultus*. T. 27. n. 78 F. 395. Judex officium ſuum impertiri non debet, niſi poſtuletur. T. 3. num. 100. F. 59. Non poteſt aliquem declarare contumacem, niſi ad inſtantiam partis, n 100. & ſeqq. Et quando poſſit aliquem condemnare ad contumaciam, n. 102 & 103.

Judex nequit procedere contra contumacem, niſi ad inſtantiam partis, T. 14. n. 66. F. 150. Limitatur hoc num. 67. Judex elapſo termino peremptorio, an poſſit expectare contumacem in aliam horam, vel diem ſequentem, n 68 & ſeqq. Nequit hoc fieri, quando tunc expirat juriſdictio Judicis delegati, n 68. Benè tamen, ſi ejus juriſdictio poſt terminum peremptorium adhuc duret, n. 69. & ſeqq. Non poteſt tunc Judex remittere expenſas, quas pars præſens fecit ob abſentiam alterius, n 73. Judex, etſi poſſit, non tenetur expectare contumacem in diem ſequentem, n. 75. & ſeqq. Non quidquid judicis poteſtati permittitur, juris ſubjicitur neceſſitati. T. 14. n. 76. F. 152. In arbitrariis prodeſt habere Judicem favorabilem. Ibid. Judex ex æquo & bono debet moderari ſuum arbitrium, n. 77.

Judex antequàm contra Reum contumacem procedat, quid agere debeat. T. 14. n. 122 F. 157. Debet Reum anteà declarare contumacem. ibid. Attendendo priùs, an non habeat juſtam cauſam abſentiæ, & aliqualiter expectando, num. 123 Cur non ſit fruſtaneum, quòd Judex in tali caſu expectet? n. 124. & 125. Judex ut poſſit procedere ſive ex officio nobili, ſive ex mercenario, ad faciendam ſequeſtrationem, quæ requirantur? T. 17. n. 35. 36. & ſeqq. F. 174. Vide infra *verſ. Sequeſtrationem ut judex &c.*

Judex poteſt moderari terminum dilationis citatoriæ. T. 8. num. 28 & ſeqq. F. 80. An etiam poſſit minorare, vel prolongare tempus dilationum deliberatoriarum? num. 36 & ſeqq. Judicis arbitrio poſſunt moderari tempora dilationum probatoriarum, n 45 Et dilationum diffinitoriarum, n. 60 Ac etiam dilationum executoriarum, n. 64. Quoties Judex facit actum parti præjudicialem, debet pars contradicere; alias ſibi præjudicat. T. 8. n. 58. F. 82. Judex poſt elapſum prioris dilationis terminum, an poſſit invita parte alium concedere, num. 76.

Judex ſæcularis nequit cognoſcere ſuper quæſtione merè ſpirituali incidente, ne quidem acceſſoriè, ſed hæc erit remittenda ad Judicem Eccleſiaſticum. T. 10. n 31. & ſeq. F. 95. Judex Eccleſiaſticus poteſt mittere inhibitoriam Judici laico, ne procedat ſuper cauſa pendente ab eo, quam ipſe cognoſcit; & tunc ſuſpenditur ejus juriſdictio, n. 36 Quid, ſi non fuerit miſſa inhibitoria? n. 37.

Judex debet cuncta rimari, antequam ferat ſententiam. T. 12. n. 306. F. 127. Poteſtque partes interrogare, ubicunque hoc æquitas ſuadebit, etiam poſt concluſionem in cauſa. Ibid. Nec per concluſionem in cauſa ligantur manus ejus num. 306. & 307. Judex appellationis non poteſt cognoſcere, niſi ſuper ea cauſa, à qua fuit appellatum, n. 309. & 311.

Judici non ſervato juris ordine interroganti, an Reus teneatur fateri veritatem? T. 18. n. 154. & ſeqq. F. 191. Et quid, ſi Judex legitimè interroget? n. 163. & ſeqq. Judex nequit Reum interrogare de occultis criminibus, ſi nulla præceſſit infamia, probatio, vel indicium, n. 157. Neque convictum de uno crimine poteſt interrogare de alio non connexo, n. 158. Alias graviter peccat, n 159. Vide infra *verſ. Reus an judici & verſ. Reus ex præſumptione*.

Judex

Judex non poteſt facere poſitiones. T. 18. nu. 219. F. 199. Cautela judici quoad poſitiones obſervandas, n. 224. Vide infrà *verſ. Poſitiones*. Probationes omnes ſunt Judici arbitrariæ; & in quo ſenſu? T. 9. num. 60. F. 207. Judicis ordinarii litteris eſt ſtandum, donec contrarium probetur. T. 19. num. 71. F. 208. Judici refertur probatio. T. 19. n. 113. F. 212. Poteſt tamen Judex alium deputare ad recipiendos teſtes, aliaſque probationes, n. 114. Quoad Judicem nunquam cenſetur concluſum in cauſa. T. 19. n. 170. F. 217. Poteſtque ſuadente æquitate novas probationes admittere poſt terminum peremptorium, n. 177. Judex ex officio tenetur inquirere de conditione teſtium. T. 20. n. 17. & 19. F. 221. An teſtem inhabilem ex officio teneatur repellere? n. 19. 20. & 21. Vide infrà *verſ. Teſtes minus idonei*. Judex criminoſus non infamis, cur nequeat per exceptionem partis repelli à judicando; benè tamen teſtis criminoſus à teſtificando? T. 20. n. 63. F. 226.

Judex laicus non poteſt è loco ſacro corpus occiſi exhumare, ut conſtet de corpore delicti, inconſulto Epiſcopo. T. 20. n. 172. F. 237. Poteſt tamen Judici laico iſtud concedere Epiſcopus abſque irregularitate. Ibid. Judex laicus non poteſt Clericos cogere ad teſtificandum coram ſe contra Laicos, n. 176. & 177. An id poſſit fieri per Judicem laicum jubente Epiſcopo? n. 178.

Judex debet pro poſſibili dicta teſtium interpretari, ut non contradicant. T. 20. n. 321. F. 252. Judex debet vacillationem teſtis, & cauſam ipſius in Actis ponere n. 319. Vide infrà *verſ. Teſtis contrarius*. Judicis monitio, ut pars adverſa compareat, plus operatur, quam citatio nuntii. T. 20. num. 426. F. 263. Judex, quando ſe vult informare ſuper notorio, vel fama, poteſt recipere teſtes parte non citata, n. 430. Judex ex officio providere debet, ne impediatur productio teſtium, n. 432. Judex cavere debet, ne teſtes à longinquo adductos diutiùs detineat, ſaltem non ultra quindecim dies, n. 440. Judex quænam in perſona teſtium diligenter explorare debeat? T. 20. n. 497. F. 269. Vide infrà *verſ. Teſtium Examen*. Præſumitur pro Judice, quòd juſte proceſſerit. T. 23. n. 88. F. 323.

Judex poteſt juramentum neceſſarium, ſeu ſuppletorium, deferre non tantùm ad petitionem partis, ſed etiam ex officio ſuo. T. 24. n. 165. & ſeqq. F. 343. Etiam poſt concluſionem in cauſa, n. 169. & 170. Debetque uſque ad prolationem ſententiæ cauſa rimari, num. 166. Judex cuinam parti debeat deferre juramentum neceſſarium, ſeu in ſupplementum? num. 191. & ſeqq. In prætigendo, cui parti Judex deferat juramentum, quatuor ſunt conſideranda; & quæ? n. 198. Vide infrà *verſ. Juramentum ſuppletorium*. Judicis arbitrio qualiter relinquatur deferre juramentum neceſſarium? T. 24. num. 209. F. 347.

Judex poteſt exceptiones modici præjudicii repellere ex levi præſumptione fraudis. T. 25. n. 84. F. 359. Non tamen exceptiones legitimè oppoſitas; alias poteſt appellari, n. 82. & ſeqq. Judex poteſt revocare malam ſententiam interlocutoriam de non admittenda exceptione; & poſteà procedere in cauſa principali, etiam nolente parte appellante, num. 85. Judex non debet erubeſcere revocare id, quod malè egit, n. 86. Praxis revocandi gravamen verbis curialibus. Ibid. Si exceptione non admiſſa appelletur, tunc Judex appellationis ſuper ſola veritate exceptionis cognoſcit, non verò de cauſa principali, n. 87. & 88.

Judex poſteaquam ſemel dixit ſententiam diffinitivam, judex eſſe deſinit. T. 27. nu. 34. F. 390. Iſtud intelligendum eſt non ſolùm de Delegato, ſed etiam de Ordinario; & quomodo? n. 35. & ſeqq. Judex ſententiam diffinitivam ſemel validè prolatam revocare nequit; benè tamen interlocutoriam, n. 33. & 34. An poſſit revocare ſententiam diffinitivam, quæ ipſo jure eſt invalida? n. 36. & 37. Vide infrà *verſ. Sententia diffinitiva in quibus differat &c.*

Judex tenetur cauſas matura deliberatione examinare, & ſententiam non præcipitanter ferre. T. 27. n. 41. & ſeqq. F. 391. Judicem oportet uſque ad ſententiam cuncta rimari, n. 45. Et jurgantium controverſias celeri ſententia terminare. Ibid. Judici nunquam concluditur in cauſa, n. 56. Poteſtque is concluſionem in cauſa revocare. Ibid. Judex debet ſententiam diffinitivam ex ſcriptis proferre, & quidem ſedendo pro Tribunali, nu. 59. 61. & ſeqq. Vide infrà *verſ. Sententiæ diffinitivæ requiſita*.

Judicis poteſtas finitur per ſententiam diffinitivam, T. 27. n. 143. F. 401. Judex, præſertim Delegatus, an, & quomodo poſſit exequi ſententiam ſuam? T. 27. n. 167. & ſeqq. F. 404. Poſt ſententiam latam expirat officium Judicis; & quomodo? n. 168. Judex tenetur victum victori condemnare in expenſis. T. 27. n. 176. & ſeqq. F. 405. Alias tenebitur expenſas reſarcire de ſuo, n. 193. & 194. Niſi hæ nullatenus fuerint petitæ, n. 194. & 195. Vide ſuprà *verſ. Expenſæ*. Judices plures ſi concurrant, ſtandum eſt majori parti concordantium in eandem ſententiam. T. 27. nu. 215. F. 409. Si duo Judices contrariis pronuntient, quid agendum? n. 217. & 218.

Judex *à quo*, & Judex *ad quem*, ſeu Judex appellationis, quis? T. 28. nu. 4. F. 410. Appellatione interpoſita non poteſt Judex exequi ſententiam, ſecùs, ſi ſolùm opponatur nullitas, niſi hæc foret notoria, n. 26. Judex ordinarius poteſt reſumere ſententiam ſuam de jure nullam, n. 29. Et quid dicendum de Judice delegato? n. 30. Judex *à quo* deferens appellationi, abdicat à ſe juriſdictionem, & transfert cauſam in ſuperiorem. T. 28. n. 130. F. 421. Secùs, ſi Judex *à quo* non deferat appellationi, dando apoſtolos refutatorios, n. 131. Pendente appellatione ſunt Judicis *à quo* manus ligatæ; & quomodo? n. 147. Judex tenetur debitò tempore exhibere apoſtolos, n. 148. & ſeqq. Et [illegible] tradere apoſtolos non potentis? n. 137. & 138. Vide ſuprà *verſ. Apoſtoli*.

Judex *à quo* non poteſt ſtatuere terminum finiendæ appellationis. T. 28. n. 185. & ſeqq. F. 426. Et quid de Judice *ad quem*? n. 188. & 192. Differentia inter Judicem *à quo*, & Judicem *ad quem*? n. 190. Quid [illegible] Judex in cauſa deſertæ appellationis ob lapſum Fatalium? n. 195. & [illegible] Vide ſuprà v. *Fatalia appellationum*. Judex *à quo* an [illegible] poſſit in cauſa principali, ſi appelletur ſuper incidenti ſolùm? T. 28. n. 223. & ſeqq. F. 430. Quando ſine incidenti illo non poteſt cauſa principalis expediri, nequit Judex *à quo* in ea procedere nu. 224. Alias id [illegible], ceniunt nonnulli, & horum fundamentum, n. 225. Oppoſita ſententia eſt [illegible], n. 226. Solvuntur rationes prioris ſententiæ, n. 227. Judex *à quo* nequit revocare ſententiam diffinitivam validè prolatam, n. 228. Poteſt tamen revocare ſententiam interlocutoriam, vel gravamen, ac deinde in cauſa principali liberè procedere n. 229. Quando appellatum à ſententia diffinitiva, qualiter Judex *ad quem* poſſit, ac debeat cognoſcere de meritis cauſæ? T. 28. n. 230. 231. & ſeqq. F. 431. Et quid, ſi fiat appellatio ab interlocutoria, vel gravamine? n. 234. 235. & ſeqq. Executio ſententiæ in cauſa appellationis an ſpectet ad Judicem *ad quem*, vel *à quo*? n. 238. 239. & ſeqq.

Judex datus ſub clauſula, *Appellatione remota*, poteſt exequi ſuam ſententiam, non obſtante appellatione. T. 28. n. 283. F. 437. Attenet excommunicatio ab eo lata in contumacem poſt appellationem ſuam, n. 284. Judex virtute dictæ clauſulæ non deferens appellationi, minimè peccat, n. 285. Quale remedium competat illi, qui per ſententiam Judicis dati cum clauſula *Appellatione remota*, ſentit ſe injuſtè gravatum? n. 293.

Judicis ſuſpecti recuſatio, quando, & quomodo fieri debeat? T. 29. n. 320. & ſeqq. F. 440. Vide infrà *verſ. Recuſatio judicis*. Judices ipſi tenentur cauſam ſententialiter terminare, [illegible] num. 330. Judex inferior, an poſſit cognoſcere de confirmatione per Papam facta? T. 30. num. 18. & ſeqq. F. 443. An privilegiatus à Papa ſit capax privilegii, poteſt Judex inferior cognoſcere, n. 22. Vide ſuprà *verſ. Confirmatio*.

Judicii nomen varias habet acceptiones. T. 1. n. 2. & 3. F. 2. Ejus definitio per Gloſſam data, quæ? n. 3. & ſeqq. Alia judicii definitio refertur num. 6. Ad conſtituendum judicium requiruntur tres perſonæ principales: & quæ? n. 7. & ſeqq. In judicio ſemper intervenit Actor, vel verè, vel ficte, n. 5. Dantur in judiciis aliæ perſonæ acceſſoriæ, num. 11. Judicium quomodo differat ab Inſtantia, Lite, & Cauſa, n. 12. & ſeqq. Judicium quando cenſeatur inceptum? n. 17. & ſeqq. Judicium ordinarium propriè incipit à litis conteſtatione, n. 17. & 18. Judicium incipit à citatione quoad tres effectus: & quales? n. 20. & ſeqq. Judicium quoad faciendam rem litigioſam, incipit ab oblatione libelli, n. 23. Confeſſio, vel alia res, quando cenſeatur facta in judicio? n. 24. Judicium incipit tum à litis conteſtatione, tum à citatione: ſed diverſimodè, num. 25. Dividitur in tres partes: & quales? n. 26.

Judicium dividitur juxta quatuor cauſarum genera. T. 1. n. 33. & ſeqq. F. 4. Nempe, in ſæculare & Eccleſiaſticum, n. 34. In Civile, n. 35. Criminale, n. 36. Et mixtum, n. 37. In Petitorium, Poſſeſſorium n. 38. In Ordinarium, n. 39. Ac Summarium: & quid? n. 40. Judicium ſummarium in quo conſiſtat? n. 41. & 42. In hoc poſſunt omitti ſolemnitates juris poſitivi: non item in judicio ordinario, n. 43. In ſummario tamen non poſſunt omitti ea, quæ requiruntur de jure naturali, vel gentium, ad cauſæ deciſionem, n. 44. Judicium ſummarium in quibus cauſis locum habeat? n. 41. & 45. ac ſeqq. Inſtituitur in cauſis celerem expeditionem requirentibus n. 45. Et quæ ſint iſtæ? n. 46. & 47. Item in cauſis pauperum, perſonarum miſerabilium &c. & Religioſorum, n. 48. Et ob modicitatem onerum, num. 49. & 50. In cauſis ſummariè tractandis poteſt obſervari Proceſſus ordinarius: & ſub quo rigore? n. 51.

Judicii Civilis quatuor ſunt ſpecies? & quæ? T. 1. n. 52. & ſeqq. F. 5. Judicia univerſalia, horumque ſpecies, quæ? n. 53. & 54. Judicia generalia, n. 55. Horumque differentia ab univerſalibus, n. 56. Judicia ſpecialia, ſeu particularia, n. 57. Et judicia communia? quæ, n. 58. Judicium criminale ſubdividitur in capitale, & non capitale, n. 59. Et in publicum, ac privatum, n. 60. & 61. Judicia publica, ac privata, cur ſic dicantur? n. 61. & 62.

In judicio qui poſſint ſtare ut Actores, vel Rei? T. 1. n. 144. & ſeqq. F. 15. An excommunicatus, n. 146. Filius familias? n. 147. & 148. Furioſus, Prodigus, & Servus? n. 141. An Mulieres? n. 150. & ſeqq. Pupillus? n. 154. & 155. Minorennis? n. 156. & ſeqq. Acta unius judicii, an fidem faciant in alio? T. 1. n. 185. & ſeqq. F. 19. Vide ſuprà v. *Acta judicii*. In judicio tenentur partes litigantes per ſeipſas factum proponere, niſi ſint Indiſcretæ. T. 1. n. 219. & ſeqq. F. 21.

Judiciorum Præparatoria, & Deciſoria, quæ? T. 1. n. 223. & 224. F. 22. In Præparatoriis judiciorum attenduntur conſuetudines Fori, ubi litigatur, n. 225. & 226. Quoad Deciſoria attenduntur conſuetudines, & ſtatuta litigantium, n. 227. & 228. In judiciis ſervanda eſt æqualitas. T. 20. n. 158. F. 235. Et qualiter iſtud ſit intelligendum? n. 159.

Judicii ordinarii fundamentum & baſis, lapiſque angularis, eſt litis conteſtatio. T. 5. n. 3. F. 66. In judicio ſummario tamen non requiritur litis conteſtatio, licèt fieri poſſit, n. 4. In eo vim litis conteſtationis habet primus actus, qui fit, vel cæteroquin fieri ſolet poſt litem conteſtatam. Ibid.

Judicium, ſeu Placitum, an poſſit exerceri diebus Feriatis? T. 9. n. 25. & ſeqq. F. 86. Saltem de conſenſu partium? n. 31. & ſeqq. Aut ratione neceſſitatis, vel pietatis? n. 36. & ſeqq. Vide ſuprà *verſ. Feriæ*.

Judicium poſſeſſorium, quid? T. 12. n. 60. F. 103. Judicium poſſeſſorium eſt triplex; & quale? n. 71. Judicia poſſeſſoria alio nomine appellantur *Interdicta*, n. 72. Vide ſuprà *verſ. Interdicta*. Judicium poſſeſſorium, quod? n. 70. In judicio cauſam poſſeſſoriis & proprietatis cumulare, quid? T. 12. n. 263. F. 122. Et an iſtud fieri poſſit? n. 264. & ſeqq. Sententia lata in judicio poſſeſſorio, an pariat exceptionem Rei judicatæ in poſſeſſorio? n. 269. & 270. Sententia lata in judicio poſſeſſorio abſorbetur per ſententiam illico pro parte adverſa latam in petitorio, quoad effectum principalem; non quoad effectus ſecundarios, n. 271. & 272. & n. 292. & ſeqq. Judicium poſſeſſorium retinendæ, an poſſit aliquando cumulari cum petitorio? n. 276. & 277. & ſeqq. Vide infrà *verſ. Poſſeſſionis cauſa*.

Judiciis in univerſalibus adeſt obligatio reſtituendi quoslibet fructus, per quos poſſeſſor bonæ fidei factus eſt locupletior. T. 13. n. 148. F. 144. An idem dicendum in judiciis particularibus? num. 149. & ſeqq.



ſeqq. Sententia affirmativa eſt communior, & probabilior, num. 123. & ſeqq.

Judicia duplicia, ſeu communia, quæ? T. 12. n. 238. F. 119. & T. 19. n. 130. F. 213. In his utrique parti litigantium incumbit onus probandi, cit. n. 130.

Judicio in ſummario an exceptiones, præſertim requirentes altiorem indaginem, admittendæ ſint? T. 25. n. 100. & ſeqq. F. 361. In hoc non prohibentur fieri exceptiones legitimæ, num. 101. 103. & ſeqq. Exceptiones tamen fruſtratoriæ in eo ſunt repellendæ; & quidem fortiùs, ac in aliis cauſis, num. 101. & 105. Exceptiones dilatoriæ an in judicio ſummario repelli debeant? n. 106. & ſeqq.

Judicium ſummariſſimum, quod. T. 25. n. 111. F. 361. Solet declarari per *Poſſeſſorium retinendæ*, n. 112. Appellatur *Judicium interim*, ſeu *ſummariſſimum poſſeſſorium*. Ibid. Judicium retinendæ poſſeſſionis, duplex, n. 113. & ſeqq. Videlicet, ordinarium, ſeu plenarium, n. 113. Et Poſſeſſorium ſummarium, ſeu potiùs ſummariſſimum; idque declaratur n. 114. Sententia in judicio ſummariſſimo lata, eſt ſolùm interlocutoria: non diffinitiva, n. 115. Secùs dicendum de ſententia lata in Poſſeſſorio ordinario, n. 115. & 116. In judicio ſummariſſimo non admittuntur exceptiones tangentes proprietatem rei num. 116. Nec turbidæ, ſeu requirentes altiorem indaginem: idque variè exemplificatur, n. 118.

Juramenti nomine, quid intelligatur? T. 24. n. 2. F. 325. Appellatur etiam *Jus jurandum*, & *Sacramentum*; cur? Ibid. Juramentum, quid? n. 3. Ejus finis immediatus, eſt confirmatio rei dubiæ. Ibid. Dividitur variè, n. 4. & ſeqq. Juramentum aſſertorium, & promiſſorium, quid? n. 5. Ad juramentum promiſſorium duplex requiritur veritas, n. 6. Juramentum ſimplex, & ſolemne, n. 8. Juramentum per execrationem, & Juramentum per ſimplicem Dei conteſtationem, n. 9. Juramentum extrajudiciale, & judiciale, quid? n. 10.

Juramentum judiciale, qua ratione dividatur. T. 24. n. 11. & ſeqq. F. 326. Prout reſpicit partes litigantes, dividitur in Juramentum calumniæ, malitiæ, & juramentum de veritate dicenda; & quid, n. 11. 12. & ſeqq. Prout reſpicit deciſionem cauſarum, dividitur in juramentum deciſorium, litis, & in juramentum in litem, & quid, n. 15. & 16. Juramentum in litem eſt triplex, n. 17. & ſeqq. Nempe, Juramentum in litem de veritate, n. 17. Juramentum in litem de affectione, n. 18. Et juramentum in litem de intereſſe, & quid, n. 19. Juramentum in litem defertur ſolùm ratione doli, non ratione culpæ, n. 20. Juramentum judiciale aliud eſt Teſtium, aliud Judicis; Advocatorum, Tutoris &c. n. 21.

Juramentum an ſit licitum, præſertim Sacerdotibus ac Religioſis, T. 24. n. 22. & ſeqq. F. 326. Juramentum debitè factum eſt licitum, & actus Religionis, n. 22. Non tamen eſt de genere eorum, quæ per ſe bona ſunt, & frequentanda, n. 23. Conſuetudo incautè jurandi eſt periculoſa, ibid. Ad juramentum, ut ſit licitum, tres requiruntur comites, nempe veritas, judicium, & juſtitia: idque declaratur, n. 24. His concurrentibus licitè juratur, etiam per Sacerdotes & Religioſos, n. 25. Sine juſta cauſa jurare, etiam verum, ad minùs eſt peccatum veniale, n. 26. Sacerdotes in levi cauſa non ſunt compellendi ad jurandum, n. 27. Poſſunt tamen jurare in caſu neceſſitatis, ſicut & Religioſi, ibid. Chriſtus *Matth. cap.* 5. prohibuit jurare per creaturas, n. 28. Si tamen juretur per creaturas, ſervandum eſt juramentum, ibid. Explicatur dictum illud Salvatoris *Matth. cap.* 5. num. 29. & n. præced. & ſeq. Juramentum eſt à malo, & quomodo, n. 30. *Jacob. cap.* 5. non prohibetur juramentum ſimpliciter, ſed voluntas jurandi incautè, & ſine cauſa, n. 31.

Juramentum, quomodo ſint interpretandum. T. 24. n. 22. & ſeqq. F. 326. Juramentum eſt ſtrictè juris, ſtrictèque interpretandum, n. 32. In Foro animæ juramentum interpretatur ſecundùm intentionem jurantis, n. 33. Et ſi de hac non conſtet, interpretatur ſtrictè pro favore jurantis, n. 33. & 34. Favor juramenti, & reverentia ipſi debita, in quo conſiſtat, n. 34. & n. 35. Juramentum præſtitum circa materiam juris, interpretatur ſecundum diſpoſitionem juris communis; idque variè exemplificatur. T. 24. n. 35. & ſeqq. F. 328. Non obſtante juramento de rebus Eccleſiæ non alienandis, poteſt Epiſcopus novam Eccleſiam ædificare, ſi populus ea indigeat, n. 35. Jurans in omni cauſa ſervare ordinem judiciarium, non tenetur hunc ſervare in notoriis, n. 36. Qui jurato promiſit in judicio ſiſti, poteſt ex cauſa illud deſerere, n. 37. Jurans perpetuam reſidentiam, poteſt in caſibus à jure permiſſis abeſſe, n. 38. Qui juravit parere juri, vel mandatis Eccleſiæ, poteſt ob injuſtum gravamen licitè appellare, n. 39. Et qui juravit, conſilium vel ſecretum alterius nulli revelare, tenetur, ſolummodò celare conſilium ipſius honeſtum, non verò malum, & Reipublicæ pernicioſum, n. 40. Juramentum de ſervando ſecreto, v. g. Capituli, Concilii &c. qualiter ſit intelligendum, atque obliget, n. 41. Juramentum generale debet ita intelligi, ſi fieri poteſt, ut non obviet juri, n. 36. Juramentum promiſſorium in materia levi violatum, continet duntaxat peccatum veniale, n. 42. Juramentum Epiſcoporum, Canonicorum, & aliorum ad Dignitates, vel Officia promotorum, item juramentum Capitulorum, Collegiorum, Univerſitatum &c. jurantium ſervare propria Statuta, qualiter ſit interpretandum, n. 43.

Juramentum an ſit interpretandum ſecundum intentionem jurantis, vel illud recipientis. T. 24. n. 44. & ſeqq. F. 329. Juramentum bona fide generaliter præſtitum, interpretatur ſecundum intentionem jurantis, nec extenditur ad incogitata, n. 44. Debetque civili modo intelligi, idque exemplificatur, n. 45. 46. & 47. Si jurans fuit in dolo, tunc juramentum ejus interpretatur, atque obligat juxta intentionem recipientis, n. 48. & 49. Juramentum eſt interpretandum juxta mentem recipientis, quando. T. 18. n. 177. & 178. F. 194.

Juramento promiſſorio, quænam conditiones tacitè ineſſe cenſeantur. T. 24. n. 50. & 51. & ſeqq. F. 329. In juramentum aſſertorio nulla conditio ſubintelligitur, n. 50. In juramento promiſſorio, quamvis abſolutè facto, ſubintelliguntur quædam tacitæ conditiones, nempè, *Si potero*, n. 51. & 52. *Salvo jure*, & *authoritate Superioris*, n. 53. *Si non is ſponsè remiſerit*, *in cujus favorem juratum eſt*, n. 54. & ſeqq. *Si res in eodem ſtatu permanſerint*, n. 57. *Si & altera pars fidem ſervaverit*, n. 58. Juramentum in favorem hominis factum Deus non acceptat, niſi in ordine ad hominem, n. 55. Juramentum dandi certam eleemoſynam pauperibus in genere, an poſſit à paupere aliquo remitti, n. 56.

Juramenti promiſſorii obligatio generatim, quæ ſit. T. 24. n. 69. & ſeqq. F. 332. Omne juramentum promiſſorium debitè factum, parit obligationem obſervandi illud ex virtute Religionis, n. 69. Et ſi deſit intentio jurandi, peccat quis dupliciter, atque obligatur ad illud obſervandum, & quomodo, n. 70. & 71. Juramento de re inhoneſta non obligat, n. 73. Juramento non eſt vinculum iniquitatis ibid. Juramentum de re inhoneſta cenſetur illud, quod ſervari non poteſt abſque peccato mortali, vel veniali, n. 74. Etiam juramento temerarium obſervari non debet, n. 75. Juramentum ſoli Deo factum de opere minùs perfecto aut prorſus indifferente, non obligat. T. 24. num. 76. F. 333. Nihilominus, ut juramentum homini factum obliget, ſufficit, quòd poſſit ſervari abſque diſpendio ſalutis æternæ, n. 77. & ſeqq. Idque exemplificatur in debitoribus jurantibus ſolvere uſuras, n. 71. Vel jurantibus non moleſtare creditorem ſuper pignore, n. 79. Differentia inter juramentum Deo, & homini factum, n. 77. Juramentum homini factum, non poteſt eo non conſentiente commutari in opus melius, benè tamen juramentum Deo factum, n. 80.

Juramenti promiſſorii obligatio an ſit perſonalis, vel potiùs realis, ita ut ad hæredes tranſeat. T. 24. n. 102. & ſeqq. F. 335. Juramentum promiſſorium in utilitatem hominis factum, poteſt conſiderari vel ut per ſe ſtat, vel ut ab altero eſt acceptatum, ſicque involvit rationem pacti, n. 102. Propria juramenti obligatio, ſeu procedens ex virtute Religionis, eſt omnino perſonalis n. 103. & ſeqq. Quid, ſi aliquis pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus, juravit quidpiam præſtare, n. 104. Cur à principio ſoleant præſtare perſonale juramentum Rex, Epiſcopus, Canonicus, & hæres Vaſalli, non obſtante juramento Anteceſſorum, n. 105. Si juramentum eſt confirmatorium promiſſionis ab altero acceptatæ, tunc obligatio inde orta vi pacti tranſit ad hæredes, n. 106. & n. 107. & n. 103. Paritque actionem in utroque Foro, n. 103. & n. 106. Juramentum reale Deo factum tenetur hæres defuncti adimplere, n. 108. Secùs dicendum de juramento debitoris defuncti, qui promiſit ſolvere uſuras, nu. 109. Juramentum ex parte ejus, cui juratur, non eſt perſonale, ſed tranſit ad hæredes, n. 110. Juramentum per vim, aut metum extortum, an obliget. T. 24. n. 121. & n. 101. & 102. F. 335. Juramento an confirmetur contractus de jure invalidi, n. 117. ſeqq. Vide ſuprà *verſ. Contractus per juramentum*. Juramentum in præjudicium tertii, vel boni publici, non confirmat contractum n. 122.

Juramentum ſervandi Statuta, utrùm extendatur ad Statuta in poſterum edenda. T. 24. n. 63. & ſeqq. F. 331. Juramentum ſervandi Statuta edita, non extenditur ad edenda, n. 60. Etiamſi quis promittat vi juramenti anteà præſtiti eadem ſervare, n. 61. Juramentum etiam abſolutè præſtitum ſervandi Statuta, non extenditur ad futura, niſi exprimantur, n. 62. & 63. Vel, niſi poſterius Statutum veniat ad declarationem prioris duntaxat, n. 64. Solvuntur contraria, n. 65. & ſeqq. Diſparitas inter Hypothecam, & Juramentum, n. 67. Juramentum ſervandi Statuta, Capitulationes, aut conſuetudines alicujus Eccleſiæ, vel Communitatis, an, & qualiter obliget, quando in eis aliqua continentur, quæ ſunt illicita, vel vergunt in præjudicium Eccleſiæ, ſeu Dignitatis, ad quam jurans aſſumitur. T. 24. n. 81. & ſeqq. F. 333. Hujuſmodi juramentum obligat ſolùm ad ſervanda licita, n. 81. Juramentum contra utilitatem Eccleſiaſticam ab Epiſcopo ante ſuam electionem præſtitum, non tenet, n. 82. Neque obligat juramentum Regis in præjudicium Regni ſui, n. 83. Juramentum ſervandi Statuta, Capitulationes &c. Si contineant quædam illicita, damnoſa, vel Libertati Eccleſiaſticæ obviantia, eſt illicitum, nec ſervandum, n. 84. Conſtitutio nova Innocentii XII. de Capitulationibus, quas occurrente vacatione Eccleſiarum, vel Monaſteriorum fieri contingit, n. 85. Jurans ſcienter ſervare Statuta, Capitulationes, vel pacta illicita, cenſetur largo modo perjurus num. 86. Et quid, ſi quis generaliter juraſſet talia ſervare, ignorans, ea continere quid illicitum? n. 87.

Juramentum contra Leges Civiles, earumque prohibitionem factum, an obliget. T. 24. n. 88. & ſeqq. F. 334. Quando Lex Civilis obligat ad culpam, vel fundatur principaliter ſuper bono publico, non tenet juramentum contra eam factum, n. 88. 89. 90. Regula eſt, quòd juramentum vergens in præjudicium tertii non obliget; idque exemplificatur, n. 91. & 92. Quando Lex Civilis principaliter fundatur ſuper favore privati, tunc juramentum in contrarium præſtitum valet, & obligat jurantem, n. 93. & ſeqq. Idque exemplificatur in alienatione rerum dotalium juramento firmata, n. 94. Et in juramento, ut filia dote contenta patri non ſuccedat ab inteſtato, nu. 95. Et in pacto non revocandi Teſtamentum, n. 96. Et in juramento mulieris pro altero fide jubentis, n. 97. Solvuntur contraria, n. 98. & 99. Juramentum, per quod tollitur jus privati ſibi publica authoritate conceſſum, valet; ſecùs, ſi tollatur jus commune, n. 98.

Juramentum non eſt exigendum, quando dubitatur veroſimiliter de perjurio. T. 7. num. 52. F. 77. Juramento Actoris ſpoliati probantur illata damna, & intereſſe, ubi de illata ſpoliato violentia conſtat. T. 13. n. 122. F. 141. Requiruntur tamen ad hoc quatuor conditiones; & quæ, n. 123. De æquitate Canonica idem præſtat ſermo ſerioſus, ac juramentum. T. 18. n. 59. F. 180. Juramentum de veritate dicenda ſolet imponi Reo juridicè interrogando. T. 18. n. 164. F. 192. Et quid in cauſis criminalibus, Ibid. Juramentum non tenetur præſtare is, qui intentionem ſuam plenè probavit. T. 19. n. 96. F. 208. Haud obſtante contraria conſuetudine, etiam immemoriali, n. 70. Juramento alicujus non creditur, ſi legitimè probetur contrarium. T. 19. n. 89. F. 210.

Juramentum calumniæ, quid. T. 7. n. 2. F. 72. Vide ſuprà v. *Calumniæ juramentum*. Juramentum malitiæ, quid. T. 7. n. 6. F. 73. Cur non ſit ſuperfluum, nu. 7. Et quomodo differat à Juramentum calumniæ num. 8.

num. 8 Juramentum de veritate, quid, n. 9. Convenit partim cum juramento calumniæ, n. 12. Et partim ab illo differt, & quomodo. n. 13. & 14. Juratus de veritate dicenda non tenetur ſpectato rigore juris reſpondere, niſi quod novit per proprios ſenſus, n. 20. Iſtud de conſuetudine non ſervatur, & cur n. 21.

Juramentum teſtium trahitur ad totum actum depoſitionis. T. 20 n. 421. F. 262. Juramentum ad quartam productionem teſtium requiſitum, cur non ſuperfluat poſt præſtitum juramentum calumniæ. T. 20 n. 449 F. 265. Juramentum teſtium eſt de veritate dicenda, n. 463. De quibus fieri debeat, n. 465 & ſeqq. Juramentum teſtium in quibus caſibus non exigatur, n. 471. & ſeqq. Teſtes ſine juramento recepti, licèt non probent, ne quidem ſemiplenè, faciunt tamen præſumptionem, n. 479 An id poſſit teſtibus remitti, n. 480 & ſeqq. Diſparitas inter juramentum teſtium, & juramentum calumniæ, quod expreſſè remitti nequit, n. 481. Ut remittatur juramentum teſtibus requiritur utriuſque partis conſenſus, n. 482. & 483. An etiam requiratur authoritas Judicis, n. 484. Juramentum teſtibus in certis caſibus remitti nequit, & quibus, n. 485. & ſeqq.

Juramentum teſtium debet eſſe perſonale, ac præſtari tactis Sacroſanctis Evangeliis. T. 20. n. 488. & ſeqq F. 268. De conſuetudine alicubi ſufficit jurare tangendo quaslibet ſacras Scripturas, n. 490. Vide infrà *verſ. Teſtis antequam deponat.* An poſſit cogi ad teſtificandum, qui juramento ſe obſtrinxit ad nihil dicendum, ſeu non teſtificandum. T. 21. n. 43. & ſeqq. F. 280 Præſertim nulla prævia ſui juramenti abſolutione, n. 45. 48. 49. Juramento de non teſtificando, eſt contra bonos mores, ſicque non obligat, n. 44. 46 & ſeqq. Declaratur iſtud in crimine Simoniæ, n. 47. Et conſpirationis ſubditorum contra Prælatum ſuum n. 48. Et in inquiſitione ſuper reformatione Monaſterii, n. 49. Atque in Denunciationibus matrimonialibus, num. 50.

Juramentum illius, qui Librum rationum compoſuit, quòd contenta in eo ſint vera, præbet adminiculum probationis pro eo. T. 22. n. 216. & 217. F. 302 In defunctis tantùm importat mors, quantùm juramentum, n. 218.

Juramentum litis deciſorium, quid; & quando deferendum. T. 24. n. 131. F. 339. Eſt triplex, nempe voluntarium, Judiciale, & neceſſarium, n. 132. & n. 15. Voluntarium, quid, n. 133. Appellatur alio nomine *Juramentum conventionale*, ibid. An ſerviat ad lites in judicio decidendas, n. 134. Et producatur Actio ex eo. Ibid. Juramentum litis deciſorium judiciale, ſeu Juramentum Judiciale ſpecificè ſumptum, quid, n. 135. Iſto delato tenetur pars jurare, aut illud referre, Ibid Dummodò hinc excipiatur actio famoſa, n. 136. *Deferre juramentum*, & *Referre juramentum*, quid, n. 137. Juramentum neceſſarium, quid, & cur ſic dicatur, n. 131. Appellatur etiam *Juramentum ſuppletorium*; & cur, ibid. Differentia inter triplex memoratum juramentum deciſorium litis, n. 139.

Juramenti litis deciſorii effectus, quis ſit. T 24 n. 140 & ſeqq. F. 339. Si præſtetur, ei ſtandum eſt, n. 140. Saltem quandiu de falſitate juramenti aliunde non conſtat, n. 141. Dupliciter poteſt intelligi, juramentum falſo præſtitum; ſcienter videlicet, aut ignoranter. Ibid. Juramento ſibi delato ſcienter falſum jurans, præter peccatum mortale, tenetur in Foro conſcientiæ reſtituere, quidquid inde conſecutus fuit, n. 142. Non obſtante ſententia judiciali pro ipſo lata, & cur, n. 143 Juramentum ſcienter falſo depoſitum, ſi de hoc conſtat, etiam in Foro externo retractandum eſt, n. 144. & 145. Ac Judex eidem inhærens peccaret, ibid. Juramentum neceſſarium, etiam bona fide præſtitum, poteſt retractari, ſi per inſtrumenta de novo reperta probetur falſum, ſecùs dicendum de juramento voluntario, & judiciali. T. 24. n. 146. & ſeqq. F. 340. Et quæ ratio diſparitatis, n. 147. & 152 An juramentum neceſſarium retractetur propter teſtes de novo repertos, ſicut propter inſtrumenta, n. 148. Dantur certi caſus, in quibus juramentum etiam voluntarium ac judiciale, cognita rei veritate retractatur, n. 153 & ſeqq. Juramentum voluntarium, ac judiciale, procedit duntaxat quoad jurantem, & juramentum deferentem; non quoad extraneos, n. 453. Nec procedit in cauſa ultimæ voluntatis, n. 154. Neque in cauſis Matrimonialibus, n. 155. Nec etiam, ubi per confeſſionem partis conſtat de injuſtitia ſententiæ, n. 156. Alia limitatio refertur, n. 157.

Juramentum litis deciſorium ut deferri poſſit, quænam requirantur? T. 24. n. 158. & ſeqq. F. 341. Ad id requiritur in primis, quòd lis ſit dubia, n. 158. Nec eſt deferendum, ubi de veritate negotii aliunde conſtat, n. 159 Nec valet conſuetudo contraria, & cur? ibid. Ad juramentum voluntarium, ſeu conventionale requiruntur, ac ſufficiunt ea, quæ ad tranſactionem, n. 160. Ad juramentum litis deciſorium judiciale requiritur approbatio Judicis, n. 161. Ad juramentum neceſſarium plura requiruntur, & quæ? n. 162 Juramentum litis deciſorium an poſſit deferri etiam per executionem? n. 163. Sic delatum nequit præſtari per Procuratorem, ibid.

Juramentum neceſſarium, ſeu ſuppletorium, quando ſit deferendum? T 19. n. 70 F 208. Juramentum ſuppletorium poteſt admitti poſt concluſionem in cauſa, ſi anteà petitum fuerit. T. 19. n 167. F. 217. Juramentum in ſupplementum nequit deferri teſtibus ſingularibus ſingularitate obſtativa, ſeu adverſativa. T. 20. num. 292. F. 249. Juramentum ſuppletorium poteſt Judex deferre, quando teſtes ſingulares ſingularitate adminiculativa probant factum particulare, n. 306. Juramentum ſuppletorium poteſt deferri, ſi plura indicia ſimul conſtituant ſemiplenam probationem. T. 23. n. 96. F. 322.

Juramentum neceſſarium ſeu ſuppletorium, an, & quando deferri, ac ſuperi poſſit? T. 24 n 164. & ſeqq F 342 Poteſt iſtud Judex deferre non tantùm ad petitionem partis, ſed etiam ex officio, n. 165. 166. & 167. Poteſt pars litigans petere delationem juramenti neceſſarii, dummodò petitio illa concipiatur imperſonaliter, n. 168. Et fiat ante concluſionem in cauſa, n. 169 Judex tamen poteſt iſtud deferre uſque ad prolationem ſententiæ, & qualiter? n. 169. & 170. Ad delationem juramenti neceſſarii requiritur, quòd deficiant aliæ legitimæ probationes T. 24 n 172. F 343 Simulque, ut negotium ſaltem ſemiplenè ſit probatum, n. 171 & 173. Ob ſolam præſumptionem levem non poteſt illud Actori deferri: [illegible] quando illa facit ſemiplenam probationem, n. 174. ac ſeqq. [illegible] per unum teſtem omni exceptione majorem, poteſt ſuppleri præſtitione juramenti neceſſarii: ſecùs, quando is non eſt major omni exceptione, n. 177. Juramentum neceſſarium non defertur, quando contra ſemiplenam probationem urget probatio contraria, per quam debilitatur: ſecùs, ſi non debilitetur, n. 178. & 179. Hinc defertur illud ex depoſitione teſtis reddentis rationem dicti ſui, etiam ſi habeat contra ſe alium teſtem non reddentem rationem, n. 179 Juramentum neceſſarium ut cuipiam deferatur, requiritur etiam legalitas perſonæ. T. 24. n. 180. & ſeq. F. 344. Unde id non defertur Infami, Uſurario, [illegible] &c. n. 181 Benè tamen mulieri, n. 182 Et conſanguineis, [illegible] &c. n. 183. Ulteriùs, ut juramentum ſuppletorium cuipiam deferatur, neceſſe eſt ut ſciat veritatem rei per ſenſum corporeum T 24. n 184. & ſeq. F. 344. Hic illud non defertur Hæredi ſuper facto Defuncti, n. 385. Niſi veriſimiliter præſumatur ſcire factum Defuncti per proprium ſenſum, ibid. Ad delationem juramenti neceſſarii etiam requiritur parvitas materiæ: unde iſtud non eſt deferendum in cauſis arduis, magnique præjudicii, n. 186 & 187. Niſi fuerit plus, quam ſemiplenè probatum, n. 188. Et quid in cauſis criminalibus? n. 189. Poteſt illud etiam deferri in cauſis arduis, quando ſolùm agitur ad declarandam obſcuritatem fundamenti &c. n. 190.

Juramentum neceſſarium, cuinam parti ſit deferendum? T. 24 n. 191. F. 349. Cæteris paribus iſtud Reo potiùs eſt deferendum, n. 191. 192. & ſeqq Juramentum tunc defertur Reo, non ad complendam ſuam probationem, ſed ad purgandum præſumptionem contra ipſum, n. 194. Si Actor ſemiplenè probavit, Reus autem nihil præſtitit, ſuntque ambo æquè legales, tunc juramentum eſt Actori deferendum. n 195 Delationi juramenti neceſſarii quando ſit locus? n. 196 Si omnia ſunt paria ex parte Actoris & Rei. Judicis arbitrio relinquitur, cuinam parti juramentum deferre debeat, n. 197. In præligendo, cui parti Judex deferat juramentum, quatuor ſunt conſiderandа, n. 198. & ſeqq. Videlicet, conditio perſonarum, n. 199 Natura cauſarum, n. 200. Quantitas rerum, n. 201 Et qualitas factorum; & quomodo? n. 202 Ut juramentum in ſupplementum poſſit Actori deferri, decem copulativè requiruntur; & quæ? n. 203.

Juramentum litis deciſorium in quibus cauſis poſſit, vel non poſſit deferri? T. 24 n. 204. & ſeqq. F. 346. Juramentum voluntarium, atque judiciale, poteſt deferri, quacunque actione quis conveniatur, n. 204. Ac præſtitum proficit juranti, dummodo ab adverſario ſibi fuerit delatum, n. 204. & 205. Spontè ad jurandum ſe offerens, reddit ſe ſuſpectum, nu. 205. Juramento præſtito ſtandum eſt quoad litigantes, non quoad extraneos, n. 206 Juſjurandum alterius alteri neque prodeſt, neque obeſt, ibid.

Juramentum neceſſarium, ſeu in ſupplementum probationis, poteſt regulariter deferri in omnibus cauſis. T 24. nu 207. & ſeqq F. 347. Adeò, ut parte petente, & Judice nolente illud deferre, poſſit appellari, n. 208 & 209. Dantur tamen plures caſus, in quibus nequit deferri juramentum neceſſarium, n 210 & ſeqq Sic non poteſt deferri, ubi Lex, vel Statutum requirit probationem evidentiſſimam, aut legitimam, n. 211. Et nequit Actori deferri in cauſis criminalibus criminaliter intentatis, n. 212. Secùs, ubi de crimine agitur civiliter. num. 213. Vel quando pro eo debet imponi ſolùm pœna pecuniaria, n 214 Poteſt in cauſis criminalibus aliquando deferri Reo juramentum in ſui purgationem, n. 215 & 216. In cauſa civili famoſa non defertur juramentum in ſupplementum, n 217. Etiam in cauſa civili non famoſa, ſed tamen ardua, non defertur juramentum in ſupplementum, n 219. & ſeqq. Nec defertur illud in cauſa Feudali, aut Fiſcali: n. 218. Neque in cauſis ſpiritualibus, v. g. Matrimoniali, Monachatus, Beneficiali: nu. 219. An juramentum ſuppletorium poſſit deferri in cauſis ſponſalium: n. 220.

Juramentum litis deciſorium ſi deferatur, an aliquando poſſit recuſari: T 24 n. 221. & ſeqq. F. 349. Juramentum voluntarium liberè poteſt recuſari, adeò, ut non ſit opus illud referre: n. 221. Niſi fortè inter partes jam fuerit conventum, quòd una earum juret: n. 222. Juramentum judiciale poteſt liberè recuſari, donec à judice fuerit approbatum: n 223. & 224. Sed ubi Judex illud approbavit, tenetur pars aut jurare, aut referre, aut ſolvere: n. 223 & 225. Conventus actione famoſa non poteſt juramentum referre: n. 226. A ſententia lata virtute juramenti Judicialis non præſtiti, an poſſit appellari: n. 227.

Juramentum neceſſarium non poteſt recuſari ſine juſta cauſa &c. T. 24. n. 228. & ſeqq. F. 349. Juſtæ cauſæ recuſandi juramentum neceſſarium, vel juramentum judiciale à Judice approbatum, ſunt plures: n. 229. & ſeqq. Poteſt enim illud recuſari ratione probationis factæ, vel non factæ, n. 230 Ratione ignorantiæ, n. 231. Ratione cauſæ, ſeu ob naturam actionis: n. 232 Et perſonæ deferentis, n. 233. Et ex perſona ejus, cui defertur, n. 234. Practica ferendi ſententiam ex juramento, quæ, n. 235. & 236. Utrùm à ſententia vigore juramenti litis deciſorii lata poſſit appellari, diſtinguendi ſunt plures caſus, & qui, n. 237. 238. & ſeqq. Sententia lata prætextu juramenti neceſſarii, falſi tamen poſtea reperti, non tranſit in rem judicatam: T. 27. n. 132. F. 400.

Juriſdictionis prorogatio, quid, & quot modis fiat. T 2. n. 123. & ſeqq. F. 33. Vide infrà *verſ. Prorogatio.* Juriſdictio gravi metu extorta, ipſo jure eſt nulla, n. 137. Juriſdictionis præventio, quid ſit, & qualiter inducatur, T. 2. n. 165. & ſeqq. F. 35. Vide infrà *Præventio juriſdictionis*. Perpetuatio juriſdictionis reſpectu Delegati, inducitur per citationem: T. 3. n. 105. F. 59 Etiamſi nondum ante obitum Delegantis citatio pervenerit ad notitiam citati, n. 106.

Juriſdictionis contentioſæ actus regulariter ſunt invalidi diebus Feriatis, T. 9. num. 26. F. 87. Secus dicendum de actibus juriſdictionis voluntariæ, n. 29. Inter juriſdictionis perpetuationem, & inducendam litis pendentiam diſparitas, quæ? T. 16. num. 8. F. 167. Confeſſio per viam contentioſæ juriſdictionis, & voluntariæ juriſdictionis, quæ? T. 18. num 81. F. 183. Juriſdictio poteſt probari per teſtes ſingulares ſingularitate adminiculativa: T. 20. num. 299. & 303. F. 250. Juriſdictiones non debent confundi, ſed cuilibet ſua juriſdictio conſervari: T. 28 num 85. F. 417.



Juriſpatronatus cauſa non niſi Eccleſiaſtico judicio diffiniri valet: T. 1 n 73 F. 7. Cur Laicus poſſidere poſſit juſpatronatus, non tamen de eo cognoſcere? n. 75. Acceſſoriè poteſt de eo cognoſcere Laicus, num 76. Juſpatronatus probat inſcriptio in antiquis: T. 22. n. 226. F 302.

Juriſtarum [illegible]: *Nego narrata, ut narrantur.* T. 11. n. 22 F. 98.

Juris ignorantia, ſive error, an impediat bonam fidem, atque præſcriptionem: T. 26, n. 67. & ſeqq. F 371. Ignorantia juris clam, etiam inculpata, impedit præſcriptionem, & cur, n. 68. 69. & 70. Limitatur iſtud in certis caſibus, n. 71. & ſeqq. Juris ignorantia non prodeſt acquirere volentibus: ſuum verò petentibus non nocet, n. 74. Juris dubii error non impedit bonæ fidei poſſeſſorem, quò minùs præſcribere poſſit, n. 77. Sicut nec ignorantia facti, num. 78.

Jus Divinum quandoque accipitur pro Jure Canonico: T. 2. n 212 F 42. Juris Civilis, & Juris Prætorii nomine, quid intelligatur, T. 14. n. 21. F. 147. Jura vigilantibus ſubveniunt, non negligentibus. T. 22. n. 323. F. 315 & T. 24 n. 165. F. 342 & T. 26. n. 19. F. 366 Juri publico nequit derogari pactis privatorum. T. 2 n 243. & ſeqq. F 46. Solvitur inſtantia ex S C Vellejano, ac hujuſmodi, n. 245 & ſeqq. Jus publicum tripliciter diſtinguitur, n. 247 *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*, quomodo intelligendum, T. 24 n. 121. & 130 F. 338 Jura incorporalia inhærent oſſibus Dominorum. T. 2. n 51. F 27. Jurium incorporalium poſſeſſio, ſeu quaſi poſſeſſio, qua ratione acquiratur, atque ab uno in alium transferatur? T 12. n. 143. & ſeqq & n 151. & ſeqq F. 119. Vide infrà *verſ. Poſſeſſio, ſeu quaſi Poſſeſſio.*

Jus revocandi domum, quid? T 2. n. 108 F 33. Differt plurimum à jure declinandi Forum. n. 109. Jus revocandi domum ut cuipiam competat, plura requiruntur; & quæ? n. 110. & ſeqq An, qui domum revocat, teneatur cavere de judicio ſiſti, & reverti? n. 115. Jus revocandi domum in curia Romana, communiter non obſervatur, n. 116.

Juſjurandum etiam appellatur juramentum, & cur? T. 24 n 2. F. 325. Vide ſuprà *verſ Juramentum.*

## L

LAc, & Lana in pecoribus, an ſint fructus induſtriales, vel naturales? T. 13. n 112 & 113. F. 140.

Laici cognitioni cauſarum Eccleſiaſticarum, ſeu ſpiritualium ſeſe intromittere nec poſſunt, nec debent. T. 1 n. 66 & ſeqq F 7 Idque ipſis prohibetur ſub Cenſuris, n. 67 Laicus principaliter, nec incidenter poteſt cognoſcere de cauſa ſpirituali, n. 68. Idque neque ex commiſſione Epiſcopi, vel alterius Prælati Papa inferioris, n 69. Neque unà cum Clerico ſibi per Epiſcopum adjuncto, n. 70. Quamvis authoritate Epiſcopi poſſit de cauſa Spirituali compromitti in Clericum, & Laicum ſimul ut in arbitrum; & quæ ratio diſparitatis? n. 71. Poſſunt tamen Laici in cauſis ſpiritualibus adhibere Aſſeſſores, n. 72 Laicus judex, an poſſit cognoſcere de jure patronatus? n. 73. 75. & 76 Aut de jure ſepulturæ in loco ſacro: n. 75 Et cur Laicus poſſit tale jus poſſidere, [illegible] cognoſcere? n. 75. Laicus judex an poſſit ſupplere negligentiam Judicis Eccleſiaſtici in cauſis Clericorum [illegible] n. 82 Laicus nec principaliter, nec incidenter, poteſt Clericum de crimine judicare, & punire &c. T. 1 n. 83. & ſeqq. F 9. Tamen ex commiſſione Papæ poteſt eſſe judex in cauſa criminali Clericorum, n. 87. Clericus coram Judice ſæculari convictus; aut confeſſus, non ideircò poteſt à ſuo Epiſcopo condemnari, & puniri, n. 88. & 99.

Laici poſſunt negotia merè temporalia Eccleſiarum, Perſonarumque Eccleſiaſticarum tractare T. 1 n 77. & ſeqq. F. 8 Non tamen poſſunt habere generalem adminiſtrationem omnium bonorum Eccleſiæ &c n. 79 Nec habere quandam ſuper Clericos præeminentiam: n 77. & 80 Neque poſſunt cognoſcere cauſas merè civiles, quæ contra Eccleſias, vel Clericos intentantur, n. 81. & 82.

Laicus an, & qualiter ex conceſſione Papæ poſſit procedere contra Clericos? T. 2. n. 236 237. & ſeqq. F. 46. [illegible] conſuetudine introduci poſſit, ut Clerici coram Laico, [illegible] Judice ſæculari conveniri poſſint? n 240 & 241.

Laicus [illegible] cum Clerico delinquens, an coram Judice Eccleſiaſtico ſit conveniendus, [illegible]? T 1. n 101. ac ſeqq. F. 10. [illegible] negativa eſt probabilior, n. 103 & 104. Dummodo Eccleſiaſticus in ea parte Laici non præveniat, n. 105. Laicus cum Clerico delinquens nequit declinare Judicium ſæculare, n. 106.

Laicus [illegible] Clericalem vel Monachalem, [illegible] Fori. T 2. n. 262. & ſeqq F 47. Re [illegible] integra [illegible]. Si res non ampliùs ſit integra, variant [illegible], [illegible] diſtinguendum, n. 263 & ſeqq. Laicus criminoſus quando [illegible] in fraudem aſſumpſit [illegible] Clericalem, n. 269. & 270 Requiritur declaratio Judicis Eccleſiaſtici ſuper fraude commiſſa &c. n. 271. & 272 Quid juris, ſi ſuper Clericatu malefactoris, per Judicem Laicum capti, & dicentis, ſe eſſe Clericum, oriatur quæſtio. T 2. n. 273. & ſeqq. F. 49.

Laicis an competat Remedium *Reintegranda* pro recuperandis rebus [illegible], ſicuti Clericis pro rebus Eccleſiaſticis, T 13. n. 33 & ſeqq. F. 131.

Laici an poſſint ferre teſtimonium in judicio contra Clericos, & quando? T. 20. n. 160. & ſeqq F. 236 Laici ſunt Clericis oppidò infeſti, n. 162 Laici in cauſa Criminali Clericorum regulariter teſtimonium [illegible] poſſunt, n 160. & ſeqq Cur Laici poſſint Clericos accuſare [illegible] contra eos teſtimonium dicere, n. 162. Laicus poteſt [illegible] contra Clericum in cauſis civilibus, n. 164. Imò & in criminalibus [illegible], n. 165. Sicut & in crimine notorio, ac probitione [illegible] Et ob defectum teſtium Eccleſiaſticorum, n 167. An adverſus [illegible] Clerici ſint admittendi ad teſtificandum. T 20. n 168. & ſeqq. [illegible] Clericus ratione Ordinis eſt teſtis magis idoneus, quam Laicus, n. 180. & 181. Vide ſuprà *verſ. Clerici an ſint admittendi*

Legatum idem ſi factum fuit Sempronio, & duo ſint Sempronii, quid juris T. 19 n. 81 F 209

Legitimus præſumitur filius, etiamſi probetur, uxorem tempore conceptionis filii fuiſſe adulteram. T 23. n. 85. F. 322.

Lex civilis quandò cenſeatur obligare ad culpam, etiam pro Foro conſcientiæ. T 24. n 89. F 324. Juramentum contra Leges Civiles, earumque prohibitionem factum, an obliget, n 88 90. & ſeq. Vide ſuprà *verſ Juramentum contra Leges Civiles* Lex magis ſubvenit illi, qui facit actum ex neceſſitate, quam ex voluntate. T 24. n. 152. F 341

Lex, *Diffamari C. de Ingenuis & manumiſſ.* quid ſtatuat. T 2 n. 174 F. 38 Et habet locum in diffamatione ſuper omni genere cauſarum, tum criminalium; tum civilium majoris momenti, n 176. Quæ requirantur, ut remedio *Leg. Diffamari* locus ſit, n 177. In judicio ex *Leg. Diffamari*; Judex competens eſt judex *Diffamati*, n. 178. & 179. In cauſis diffamationum duo ex lege interveniunt judicia, unum diffamationis; alterum, actionis principalis, n. 180. In judicio diffamationis. Clericus diffamans nequit conveniri coram Judice laico. Ibid. Si Reus, puta Diffamator, eſt alienæ juriſdictionis, proprius ejus Judex pro executione citationis eſt requirendus, n 181. Hac citatione non obſtante, poteſt Diffamator, ſeu Actor, poſteà convenire Diffamatum, coram quo maluerit ejus Judice, n. 182.

Libellus, quid. T 3. n. 2. F. 50. Debet dari in ſcriptis, n. 3 Et primò Judici, poſteà per hunc Reo: Ibid Debet eſſe brevis, n. 4. Et claram continere intentionem Actoris, & cur, n 5 Redditur quinque modis obſcurus, n 6. Libellus alius Civilis, alius criminalis, n. 7. Solet conſtare tribus partibus, n. 8 Qualiter ſit concipiendus, n. 9 An, & quomodo oporteat in eo exprimere cauſam petendi, n. 10. 14. ac ſeqq. Alioquin Reus non tenetur reſpondere, n 15. Si tamen non excipiat, valet judicium, n. 16. In actione reali ſufficit in libello exprimere cauſam petendi remotam: ſecùs in perſonali, n. 14 & 17. In Libello de Jure Canonico non eſt neceſſarium exprimendum nomen actionis, n. 18. Ac in dubio cenſetur intentata actio præ cæteris utilior Actori, n. 19 An de Jure Civili neceſſe ſit, in libello exprimere nomen actionis, n. 20 Etiam ſecundum Canones admittitur Actor exprimens in libello nomen actionis, n 21 Et quid ſi propoſuit actionem ineptam Ibid. In libello actionum civilium, opus eſt concluſione, n 22. Secùs in actionibus criminalibus, n 23. Concluſio libelli in actionibus civilibus, qualiter facienda, n 24. Solent eidem addi clauſulæ ſalutares, & cur, n 25

Libellus ſemel oblatus Judici, an poſſit mutari, vel emendari T 3. n 26 & ſeqq F 52. *Mutare, & Emendare libellum*, differunt, n. 26 Libellus Judici oblatus poteſt mutari uſque ad litis conteſtationem, n. 27. An etiam [illegible] poſſit mutari, n 28. Poſt litem conteſtatam nequit mutari libellus, n. 29 Niſi refuſis expenſis velit Actor à priori inſtantia recedere, n. 30. Emendare libellum, licitum eſt uſque ad ſententiam, n. 31. Idque declaratur exemplis, n. 32. Actor exprimens in libello certam cauſam, eamque non probans, ſuccumbit, licèt probet aliam, n 33 Quamvis ideircò non prohibeatur, ex cauſa illa nova denuò agere, n. 34. Si Actor certam cauſam in libello non expreſſit, ſufficit probare quamcunque juſtam cauſam, etiam ſupervenientem, num. 36 & 37.

Libelli oblationis effectus, qui. T. 3 n. 38. & ſeqq. F 53 Qualiter ipſa [illegible] præſcriptionem, 39 Actor poſt libellum per Judicem [illegible] obligatur litem proſequi, & quando licitè, n 40. An [illegible] citatione ſit neceſſe, vel ſaltem conſuetum tranſmittere [illegible] libelli; T. 3. n 61 F. 55 Libelli [illegible] poſſit fieri quolibet tempore, etiam feriato, T. [illegible] & 48 F. 59. Secundum [illegible] libelli debet fieri probatio [illegible], T. 19. n. 56 F. [illegible] Debetque ſententia eſſe conformis libello, & quomodo T. 27. [illegible] F. 393. Adeò, ut Judex appellatur *Stultus*, qui ultra petita in libello [illegible] 8. [illegible] 3. n. 33. F. 53. Fallit iſtud in certis caſibus [illegible] 27 [illegible] ſeqq. F. 393.

Liberi, Vide ſuprà *verſ. Filios Familias.*

Libertus non [illegible] teſtem adverſum Patronum ſuum, T. 20. n. 14 F. 234.

Libri [illegible] non habentium ſpecialem Archivum, quam vim probandi habeant, T. [illegible] n. 126 & ſeqq. F. 293. Quos libros Parochus tenetur habere, n. 126. Libri Parochiales de [illegible] Baptiſmo, Matrimonio, vel morte atteſtantes, plenè probant, n. 127. Et qualiter probent libri Parochiales, in quibus annotantur reditus, jura, & bona Eccleſiæ ſuæ, n. 128.

Libri rationum, ac hujuſmodi, in Archivio publico reperti, an plenè probent? T. 22 n. 102 F. 293. Et quæ conditiones ad id requiruntur? n. 103. 105. & ſeqq. Vide infrà *verſ. Scriptura Privata* Quid dicendum de libris ex Archiviis Monaſteriorum, Civitatum &c. extractis? T. 22. n. 114. 115 & 118 & ſeqq F 292 In [illegible] datur plena fides libris Monaſteriorum, Civitatum &c n. 120. Iſtud extenditur ad libros rationum Adminiſtratorum & Mercatorum, n. 120. & n. 208. & ſeqq. Libri antiqui [illegible] probant pro Eccleſia; præſertim quando agitur de [illegible], nu. 121. Idipſum procedit, [illegible] ex libris Monaſterii conſtat de ſolutione decennali [illegible] tunc [illegible] cenſus rectè probatur, n. 122. [illegible] de propinquo dominio, vel poſſeſſione? n. 123. Quando agitur contra Monaſterium, tunc contra illud ex libris [illegible] plena fides inducitur, n. 124. Idem dicendum [illegible] Monaſterii, allegat [illegible], n. 126.

Libri rationum, quid? T. 22. n 135 F 294. A libris rationum [illegible] Inventarium privatum, n. 136.

Libri rationum, [illegible] & à quibus confici ſoleant? T. 22 n 191. F 300. Quam fidem [illegible] rationum? n. 192 & ſeqq. Regulariter non probant, [illegible] pro ſcribente, benè tamen contra [illegible], n. 195. Nec probant pro hærede ſcribentis, etiamſi [illegible] aut Eccleſia,

probata, n. 37. Iſtud procedit in Notorio facti permanentis; ſecus in Notorio facti tranſeuntis, n. 38. Ad Notorium facti permanentis, quid requiratur, n. 39. Notorium quomodo differat à Manifeſto, n. 41. & 42. Explicatur *cap. De hoc De Simonia*, n. 40. & ſeqq. Inſtrumentum inducit notorium, facitque rem manifeſtam, & quare, T. 22. n. 287. F. 309.

Novitii gaudent privilegio Fori Clericorum. T 2 n. 190 F 40 Novitius grave crimen committens, coram Judice Eccleſiaſtico conveniendus eſt, num. 191. Et quid, ſi dimiſſo habitu redeat ad ſæculum, num. 192.

Nullitas ſententiæ. Vide infrà *verſ. oppoſitio nullitatis Sententiæ*

Nullum, Quod nullum eſt, nullum producit effectum. T 22. num. 170. F 38. & T 19. n. 43. F. 205. & T. 27 n. 116. F. 399. & T. 28. n. 212. F. 429. Paria ſunt non eſſe, & nullum eſſe, T. 27. nu. 116. F. 499.

Nundinæ alicubi diebus Feſtis de conſuetudine celebrantur, T. 9. n. 22. F. 88. Conſuetudines tamen hujuſmodi ſunt moderandæ, n. 23.

Nuncio aſſerenti, ſe ex Judicis mandato citare, an ſit credendum, T. 3. n. 52. F. 54. Quid, ſi nuncius affirmet, ſe citaſſe, & Reus neget ſe citatum fuiſſe, n. 53. & 54.

Nuntius, ſi non intromittatur in Civitatem ad faciendam ibi Citationem, quid agere poſſit, T. 3. n. 81. & 82. F. 57. Vide ſuprà *verſ. Citatio, quid*.

O

Oblatio libelli. Vide ſuprà *verſ. Libellus*.

Obligationes ſunt duplicis generis; aliæ ſuapte natura tendunt ad agendum, vel non agendum, T. 26 n. 105. F. 375. Aliæ duntaxat referunt ad patiendum, vel onus ſubeundum, ſi ab altero agatur, vel petatur, n. 106. Hæ poſteriores obligationes, eiſque correſpondentes actiones perſonales, præſcriptione tolluntur ob ſolam negligentiam Actoris, idque variè exemplificatur, n 107. & ſeqq Obligationes illæ, quæ tendunt ad aliquid agendum, vel non agendum, non poſſunt ullo tempore cum mala fide, ſeu, ſcientia juris alieni, præſcriptione extingui, num 111 & ſeqq Debitum pecuniarium an extinguatur per hoc, quod creditor longo tempore id non exigat, n. 112.

Oculari inſpectione fit probatio. T. 19 n. 21. F. 203. Et quæ ad hanc requirantur, n. 22. Probatio per aſpectum, præfertur atteſtationi juratæ in contrarium, T. 19. n. 36. & ſeqq. F. 209 Probatio per ocularem aſpectum eſt omnium optima; n. 91 Et nunquam cenſetur excluſa, n 92 93. Ocularis inſpectio debet fieri citato, & præſente, ſi voluerit adverſario, T. 19 n. 126. F 212. Probatio per ocularem inſpectionem eſt privilegiata in multis, & poteſt ſemper fieri. T. 19. n. 166. F. 217. Etiam poſt concluſionem in cauſa. Ibid.

Officialis jurati dicto creditur in his, quæ pertinent ad ſuum officium T 20 n 271 F 247. Idque exemplificatur in Nuncio publico, num. 272 Ponderatore publico, n. 273 Medico, Architecto, Agrimenſore, & ſimilibus, n. 274

Opinio, eſt alter gradus probationis, T. 19. n 21. F. 203.

Oppoſitio nullitatis ſententiæ, quid, T 18 n. 23 F 411. Hæc ſolet fieri per viam querelæ. ibid. Oppoſitio nullitatis ſententiæ, & Appellatio differunt variè, ſuntque diverſa juris remedia, n. 24 [illegible] que remota appellatione, non cenſetur nullitas ſublata, n. [illegible] Nullitas ſententiæ poteſt opponi uſque ad triginta annos, n. 27. Oppoſitio nullitatis ſententiæ, coram quo Judice ſit facienda, n. 28 & ſeq. [illegible] ex uſu Fori ubique ferme ſolet adiri Superior ſuper nullitate principaliter cognoſcenda, n. 31.

Ordo [illegible], quid. T. 9. n. 3. F. 92 Cur Rubrica, *De Ordine cognitionum*, non ſit ſuperflua, n. 2 Circa Ordinem cognitionum eſt regula, quod illa cauſa prius ſit tractanda, cujus deciſione dependet [illegible] n. 4 Idque exemplificatur, n. 5 & 6. Ac procedit etiam in qualibet exceptione peremptoria, n. 7. & 8. Atque in exceptionibus dilatoriis, n 9. Quæ præcedere debeat, ſi concurrat actio civilis, et criminalis, n. 19. & [illegible] An ſi Reus contra Actorem opponat [illegible] prius debeat tractari cauſa [illegible] n. 28. Quid agendum, ſi cauſa principalis, & incidens ſit tractanda coram diverſis Judicibus, n 31 & ſeqq

P

Pactio privatorum Juri publico nunquam derogatur. T. 2 n. 243. 244. F. 46. Solvuntur inſtantiæ n 245 & ſeqq. Spoliatus non reſtituitur, quando poſt ſpoliationem inivit pactum cum ſpoliatore, quod nolit agere poſſeſſorio recuperandæ, T. 23 n 98. F. 320 Tale pactum ante ſpoliationem initum non valet, benè tamen poſt, & eidem n. 99. Actio [illegible] T. 26. n. 119 F. 377.

Pactum, [illegible] tollitur jus [illegible] ſibi publica auctoritate conceſſum, valet, [illegible] tollatur jus commune. T. 24. n 98. F. 335. Pactum non [illegible] Jure Civili eſt irritum; ſi tamen a [illegible] Vide ſuprà *verſ. Juramentum* [illegible] Pactum [illegible] non transmittitur ad hæredem [illegible] n. T. [illegible] Obligatio juramenti promiſſo [illegible] [illegible] ad hæredem [illegible] & ſeqq. [illegible] de jure [illegible] T. 24. n. 125. & ſeqq. F. 338. Vide ſuprà *verſ. Contractus per Juramentum* [illegible]

Papa eſt Ordinarius Ordinariorum. T. [illegible] n. 106. & 107. F. 3 [illegible] Coram Papa poteſt quilibet conveniri ſuper [illegible] ſpiritualibus. Ibid. Papa poteſt limitare exemptionem Clericorum. T. [illegible] An etiam poſſit omnino tollere privilegium Fori Clericorum, n. 232. & ſeqq. Papa nequit diſſimulare [illegible] inde reſultat decoloratio ſtatus Eccleſiæ univerſalis, T. [illegible] n. 233 F. 33. Nec privilegium Fori Clericorum ex toto tollere, benè tamen in cauſis particularibus, ob rationes urgentes, num. 233. 234. & ſeqq. Vide infrà *verſ. Privilegium Fori*.

Papæ, ſeu Litterarum Apoſtolicarum verba narrativa, quam vim probandi habeant? T 19. n 103. F. 211. Papæ verba narrativa proprium factum narrantis, plenè probant, ſi ſuper illis intentio ejus fundetur n. 104. An contra hæc admittatur probatio in contrarium? n. 105 & n. præced. Iſta procedunt tam in materia favorabili, quàm odioſa, n. 106. Quid, ſi Papæ intentio fundetur ſuper facto alieno, à ſe narrato, nu 107 Quando Papæ intentio ſuper eis non fundatur, tunc verba narrativa Litterarum Apoſtolicarum nihil probant n. 108. & ſeqq. Papa excommunicatum litteris ſalutans, non per hoc cenſetur eum abſolvere, n 109 Etiamſi ſcienter excommunicato participet, niſi aliud exprimat. Ibid Papa in Reſcripto Eccleſiam exemptam appellante, non idcircò hujus exemptio eſt probata. n. 110. Et ſi quempiam ſub titulo cujuslibet Dignitatis nominet &c. non per hoc in Dignitate illa ipſum approbare intelligitur. n. 111

Papa non poteſt tollere Jus Divinum, imò tenetur illud uſque ad animam, & ſanguinem confirmare. T 20 n 256. F 246. Poteſt tamen illud interpretari. ibid. Atque ex certis cauſis ſtatuere, ut credatur uni teſti. ibid. Papæ ſolus teſtimonio creditur, quando depon[it] de facto proprio T. 20 n 278 F. 247. Papa poteſt ferre ſententiam [illegible] quàm ſit petitum. cùm non teneatur ad obſervandum ordinem judiciarium. T 27. n. 81. F. 395. Ad Papam poteſt immediatè appellari in cauſis Eccleſiaſticis. T 28. n. 6 & n. 56 F 410 & 415 Imò & in prima inſtantia lis coram eo inchoari: & cur; n. 6. Excipitur unicus caſus, in quo non appellatur ad Papam n. 58. A Papæ ſententia appellari non poteſt. n. 44. Appellatio à Judice ſæculari ad Papam, de rigore Juris non tenet. T. 28. n 79 & 80. F. 417 Niſi Laici litigantes ſint de temporali juriſdictione Eccl. ſiæ. n. 88. Tamen de conſuetudine ſpeciali poteſt tenere appellatio à Judice ſæculari ad Papam n. 79. & 82

Parentes an poſſint eſſe teſtes pro filiis, & econtrà. T. 20 n [illegible] & ſeq. F 231. Parentis nomine, qui omnes comprehendantur, n. 104. Parentes poſſunt eſſe teſtes in probanda filii ætate; & qualiter, n 106 [illegible] quando agitatur cauſa inter duos filios, n 107 Ac in cauſa matrimoniali filiorum, quando agitur ſuper conſanguinitate &c n 109 Vel contractu matrimoniali, aut ſponſalitio inter æquales inito, n. 110. & 111 De conſenſu partis adverſæ poteſt pater eſſe teſtis pro filio, n. 112 Parentes adverſus liberos ſuos, & econtra, teſtes eſſe non poſſunt. T. 20. n 144. F. 234 Fallit iſtud in cauſis matrimonialibus, quando agitur de impediendo matrimonio per Liberos contrahendo n. 146. Item in criminibus læſæ Majeſtatis, Hæreſis, & aliis [illegible] n. 149. Item, quando utraque pars conſentit; aut ſi veritas aliter haberi non poteſt, n. 151. Parentes, & liberi, non coguntur inviti ad ſuſ[illegible] dicere teſtimonium T. 21. n 20 F 278 Imò nec volentes admittuntur ad teſtificandum contra ſe, n. 29. & 33.

Pares Curiæ, qui. T. 1. num. 135. F. 13 Qualiter ab utraque parte ſint eligendi, nu. 136. Alicubi in horum locum ſucceſſit Judex [illegible] tius, n. 137.

Parochus communiter æſtimatus, qui nunquam fuit ordinatus in Sacerdotem, invalidè abſolvit pœnitentes. T. 1. n 202 F. 19 [illegible] ſi fuerit Sacerdos, n 203 Parochus duos libros habere tenetur, T. 22 n 126 F. 293. Vide ſuprà *verſ. Libri Parochorum*.

Patientia domini, ad acquirendam quaſi poſſeſſionem jurium incorporalium requiſita, hoc ipſo probatur, quod ſciens non reclamaverit, T 12 n. 167. F. 112 Aut reclamaverit quidem, ſed altero reſiſtente poſtmodum taceat, n. 168 Iſtud limitatur n. 169.

Patroni Eccleſiaſtici præſentatio habet vim electionis, T. 16 n. 45. F. 170. Lite pendente inter duos Præſentatos ad Beneficium, Patronus variare poſſit, n. 45 & 46.

Pauper, ſeu teſtis pauper, quis. T 20. n 93 F. 229 Pauperes [illegible] Perſonæ, an à teſtimonio judicio ferendo repellantur, n. 93 & ſeqq. Regula eſt, quòd Pauper, viliſque Perſona non ſit teſtis [illegible] & omni exceptione major, n 94. & 96 Referuntur [illegible] aliorum contrariam Regulam ſtatuentium; ſed defenditur prior Regula, n. 95. & 96. Hæc procedit in cauſis criminalibus, n. 97. [illegible] in civilibus [illegible] & [illegible] præjudicii, n 98. [illegible] ordinis, n. 99. Ac [illegible] ſtrumentis, Ibid [illegible] & [illegible] mittitur Pauper ad teſtimonium, ſi perſona ejus ſit honeſta, & [illegible] quam ſuſpecta, n. 100. Notabilis objectio contra [illegible] ſolutio, n. 101.

Paupertas non eſt de genere malorum, T. 20 n. 100. F. 230.

Peregrinari, ſeu eſſe ſine domicilio, quis dicatur, T. [illegible] & 14. & 43. F 26. Peregrinantes ad Sedem Apoſtolicam, [illegible] hujus protectione. T. 29. n 3 F. 441. Et omnia [illegible] ſunt attentata, revocantur, n. 4 Niſi quis coram [illegible] Judice fuerit citatione præventus, n 5 Statuta de Cle[ricis] [illegible] etiam procedunt in Laicis peregrinantibus ad Sedem Apoſtol[icam] n. 2[illegible]

Perjurus à ſolo Deo punitur; & quando. T. 24 n. 14[illegible] F. 340

Perſonæ egregiæ, domi ſuæ examinari debent [illegible] & ſeqq. F. 270. Inter Perſonas egregias, quæ [illegible]

Perſonæ miſerabiles, Vide ſuprà *verſ. Miſerabiles* [illegible]

Petitorium judicium, an poſſit cumulari cum poſſeſſorio [illegible] dæ, T. 12 n. [illegible] 264 & ſeqq. F. 123. Sententia la[ta] [illegible] an pariat exceptionem [illegible] judicat [illegible] poſſeſſorio [illegible] Petitorium [illegible] etiam cumulari [illegible] poſſeſſori [illegible] 276. & ſeqq. [illegible] n. [illegible] Contrarium, nu 282 [illegible] Quando [illegible] petitorio ſimul, quomodo Judex procedere debeat [illegible] & ſeq. F. 126. Vide infrà *verſ. Poſſeſſorium judici[um]* [illegible] ta ſuper petitorio in executione prævalet ſenten[tiæ] [illegible] ſorio, n. 266 Petitorium judicium ingreſſ[us] [illegible] ſeqq. F. 126. [illegible] ſeſſorium ante conclusionem in cauſa, T. 12. [illegible] Talis regreſſus de [illegible] ad poſſeſſorium, ad [illegible] Poſt concluſionem [illegible] licet [illegible] torio [illegible] poſſeſſorium, n. 305. & ſeqq. [illegible] ex gravi cauſa poſſit [illegible] lem regreſſum concedere, n. 307. Regreſſus à petitorio ad poſſeſſorium, an etiam locum habeat in cauſis Beneficialibus, T. 12. n. 308. & ſeqq. F 127.





Placitum, quid, T. 9. n. 25. F. 86. Eſt prohibitum diebus Feriatis, ac regulariter invalidus omnis actus contentioſæ juriſdictionis, n. 26. & ſeq. Benè tamen actus juriſdictionis voluntariæ poſſunt fieri diebus Feriatis, n. 29. Vide ſuprà *verſ. Feria*

Plus Petitio, quibus modis contingat, T. 11. num. 2. & ſeqq. F. 171. plus petitur quatuor modis; videlicet, Re, n. 2 & 3. Loco, n. 4. Tempore, n. 5 & Cauſa, n. 6 Quæ ſint pœnæ plus petentium in Judicio, n. 7. 8 & ſeqq Induciæ temporis, qua ratione duplicentur Reo in pœnam Actoris plus tempore petentis, n. 9. & 10. Plus petens cauſa, loco, & re, condemnatur in expenſas, nu. 12. An etiam incurrat pœnam tripli, num. 13. & 14. Prædictæ pœnæ locum non habent, ſi probetur, non malitioſè plus petitum fuiſſe, n. 15. Actor plus debito petens, poteſt impunè pœnitere ante litis conteſtationem, num. 16. Reſtituatis tamen adverſario expenſis, ſi quas idcircò fecit, nu. 17 An etiam poſt litem conteſtatam pœnitens evitet pœnas, n. 18. & 19 Actore plus petente, an Reus poſſit ſimpliciter negare totam petitionem, n. 20 & ſeq. Affirmatur; & cur, n. 21. Juriſtarum cauta reſponſio. *Nego narrata, ut narrantur*, n 22.

Pœna pecuniaria eſt levior quavis pœna corporali, T. 11. n. 11. F. 97. Pœnæ plus petentium in judicio, quæ, nu. 7. & ſeqq Vide ſuprà *verſ. Plus petitio*. Pœnam violantibus dies Feſtos ab Eccleſia indictos, poſſunt ſtatuere Principes ſæculares, T. 9. n. 14. F. 94. Pœnæ *l. Si quis in tantam C. Unde vi* locum duntaxat habent poſt ſententiam Judicis, T. 13. n 38. & 64 132. In pœnis infligendis ſemper incipiendum eſt à minore pœna, quantùm fieri poteſt; & creſcente contumacia, creſcere debet & pœna, T. 14. n. 128 F. 158. Pœna Rei contumacis, quæ, n 126. & ſeq. Vide infrà *verſ. Rei contumacis pœna*. Pœna civilis reputatur privatio Beneficii Eccleſiaſtici, T. 18. n. 131. F. 188. Satius eſt impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnari, T. 18 n. 12 F. 176 Re[illegible] poſſit [illegible] pœna extraordinaria ob ſolas vehementes præſump[tiones] [illegible] T. 23. n 70. & ſeqq. F 321. Dicere, quòd quis majore, vel minore pœna ſit afficiendus, eò quòd delictum magis, vel minus fuerit probatum, eſt inconveniens, n. 72.

Pœnitentiæ Sacramentum eſt ſecunda poſt naufragium Tabula, T. 18. n. 136. F. 189.

Populi nomine, qui intelligantur, T. 28 n. 196 F 240.

Poſitiones ad quid ſint inventæ, T. 18. nu. 186. 188. & 196. F. 196. Fiunt plerumque ab Actore, quamvis etiam à Reo fieri poſſunt, n. 187. Poſitio, quid, n. 189. & ſeq. Debet eſſe affirmativa, non negativa, n. 190. Ponens fatetur omne id, quod ponit, Ibid. Poſitio juris, an ſit admittenda, n. 191. Poſitio impertinens, vel pertinens, quæ, n. 192. Utrùm ſit admittenda poſitio impertinens, vel ſtante dubio, an ſit impertinens, n. 193 Clauſula, *Salvo jure impertinentium, & non admittendorum*, quid operetur, n. 194.

Poſitiones exhibentur in ſcriptis, T. 18. n. 195 F. 196. Et quidem prævio juramento, n. 195 & n. 187. & 188 Reus ad poſitiones Actoris reſpondere recuſans, habetur pro confeſſo, n. 197. Idemque dicendum de Actore, ſi recuſet reſpondere ad poſitiones Rei, n. 198. Ut non reſpondens poſitionibus habeatur pro confeſſo, quæ requirantur conditiones, n. 199. & 200. Requiritur ad hoc etiam ſententia declaratoria Judicis, n. 201. An, & quæ ſint cauſæ rationabiles non reſpondendi ad poſitiones ſibi oblatas, T. 18. n. 202. & ſeqq. F. 229 Inter has eſt. ſi poſitio ſit ſuperflua, ſeu impertinens, n 203 Poſitio debet fieri poſitivè, non interrogatoriè, n. 209.

Poſitiones differunt multipliciter ab Articulis, T. 18. n. 211. F. 198. In praxi tamen plerumque inter ſe confunduntur, n. 212. Poſitiones variè differunt ab Interrogatoriis & in quibus, n. 215. & ſeqq. Poſitiones qui poſſint facere, T. 18 n 218 & ſeqq. F. 199 Eas poſſunt facere partes litigantes, etiam Reus, n. 218. & 187. Judex non poteſt facere poſitiones, n. 219. Benè tamen Procurator; & quando, n. 220 & 221.

Poſitio [illegible] quando jam ſunt effectæ de Actis, nequeunt revocari, vel mutari, T. 18 n. 222 F. 199. Benè tamen antea, n. 223. Poſitio quando dicatur eſſe de Actis, n 224 Poſitio erronea poteſt revocari, ſi doceatur de errore, nu. 225. Poteſt etiam revocari incontinenti, n 226 Ac declarari, n. 227. Poſitio etiam ab adverſario negata non poteſt mutari, n 228. Quamvis tunc adverſarius non poſſit uti confeſſione ejus, n. 229 Poſitiones an poſſint fieri ab eo, qui renunciavit probationibus, n. 230 Poſitiones in qua parte judicii poſſint fieri, T. 18 n. 231 F. 200. An poſſint fieri ante litem conteſtatam, n. 231. & 232. Et poſt concluſionem in cauſa, n 233. & ſeqq. Admittuntur tunc pro habendis reſponſionibus tantùm, n. 234. An Reo, antequàm reſpondeat, danda ſit copia poſitionum, T. 18 n 236 & ſeqq. F. 200 Et quid ſervatur alicubi de conſuetudine, n. 237 Stante conſuetudine dandi copiam poſitionum, ea non datur, niſi petatur, n. 238. Utrùm Reo debeat dari terminus ad deliberatè reſpondendum poſitionibus, n. 239. Regula eſt negativa, Ibid Limitatur tamen in certis caſibus, n 240. 241 & 242. Poſitionibus eſt reſpondendum purè ac ſimpliciter, n. 243 Purè & ſimpliciter reſpondere, quid importet, nu. 224 Poſitionibus tenentur reſpondere ipſi Principales, n. 245.

Poſſeſſio, unde ſic dicatur, T. 12. n 2. & ſeqq. F. 98. Poſſeſſio rerum immobilium eſt dignior, quàm mobilium, quæ vilis eſt & abjecta, n. 3. Poſſeſſionis definitio, quæ, n 4 & ſeqq. Poſſeſſionis nomen, quandoque tribuitur ipſis rebus poſſeſſis, n. 5 Poſſeſſio propriè, eſt rerum corporalium; quaſi poſſeſſio, incorporalium, n. 6 *Poſſidere, & Eſſe in poſſeſſione* differunt, n 9 Poſſeſſio ſolo animo acquiri nequit, benè [illegible] acquiſita retinetur, n 10. Quænam poſſideri non poſſint? n. 11. Poſſeſſio temporis immemorialis, eſt inſtar tituli, imò melior titulus de [illegible] mundo, T. 26 n. 134. F. 380.

Poſſeſſionis [illegible] eſt multiplex, T. 12 n. 12. & ſeqq. F. 99. Poſſeſſio juris, ſeu civilis, n. 13. Poſſeſſio facti ſeu naturalis, nu. 14 Poſſeſſio juris & facti, ſimul, quid? n. 15. Qui alieno nomine poſſidet, non poſſidet, n. 16. Et qualiter tunc Dominus retineat poſſeſſionem? Ibid. Poſſeſſio civiliſſima, quæ? n 17. Poſſeſſio juſta, & injuſta, item bonæ, & malæ fidei, quæ? n. 18. Poſſeſſio vacua, ejuſque requiſita, n. 19 Poſſeſſio libera, n. 20. Poſſeſſio non vacua, quæ? n. 21. Poſſeſſio plena? n 22 Poſſeſſio pacifica, quæ? n. 23. Poſſeſſio habens, plus juris, quàm facti, n. 24. Et habens multum juris, & multum facti, declaratur, n. 26.

Poſſeſſio, an, & quomodo differat à Proprietate? T. 12 n. 27. & ſeqq. F. 101 Nihil habet commune cum proprietate? n. 28. & 29 Differt à proprietate quoad propriam eſſentiam ſuam: & quomodo? n. 30. Differt etiam ab ea quoad modum acquirendi, n. 33. Et quoad modum amittendi, & qualiter, n. 34. Differunt etiam quoad effectus, n. 35. & ſeq. Et quia poſſeſſio eſt effectus dominii, ſeu proprietatis, nu 36. In aliquibus tamen dici poteſt, quòd effectus poſſeſſionis ſit dominium, n. 38. Poſſeſſio nihil habet commune cum proprietate, quomodo? T. 12. n. 251. F. 121. Poſſeſſio legitimè continuata requiritur ad præſcriptionem, T. 26 n. 184 F. 384 Non plus præſcriptum, quàm poſſeſſum, Ibid. Vide infrà *verſ. Præſcriptio poſſeſſionis*.

Poſſeſſionis commoda, & privilegia, quæ? T. 12. n. 39. & ſeqq. F. 102. Beati poſſidentes, n. 39 Poſſeſſio relevat ab onere probandi, & transfert iſtud in Actorem, n. 40. Niſi præſumptio ſtet contra poſſeſſorem, n. 41. Aut Actor intentionem ſuam habeat fundatam in Jure, n. 42. Vel uterque contendat, ſe poſſidere, n. 43 In Pari delicto, vel cauſa, melior eſt conditio poſſidendis & cur, n. 44. Idque exemplificatur, n. 45. Fallit hoc in cauſis favorabilibus, n. 46. Ac in Simonia reali, n 47. Poſſeſſio parit præſumptionē bonæ fidei pro poſſidente, n. 48. Niſi appareat de poſſeſſore antiquiori, n. 49. Idem fallit in nonnullis aliis caſibus, n. 50. & ſeqq. Poſſeſſio parit etiam præſumptionem dominii, n. 54. Poſſeſſio illud commodi affert, ut ſi duo habeant cauſam ab eodem domino, melior ſit conditio ejus, qui poſſidet, ſive cui res tradita fuit, n. 55. Fallit hoc in cauſis matrimonialibus, n. 56. Et in Beneficiis Eccleſiaſticis, n. 57. An in nonnullis aliis caſibus, n. 58 Poſſeſſio cauſat uſucapiendi conditionem, n. 59. Poſſeſſio debet exprimi in privilegio, quod tendit in præjudicium tertii poſſidentis, n. 60 Et parit reſtitutionem ſpoliati, n 6. Poſſeſſio bonæ fidei tribuit poſſeſſori jus adminiſtrationis, nu. 62 Et poſſeſſor bonæ fidei lucratur fructus ex re poſſeſſa perceptos, n. 63. Non item poſſeſſor malæ fidei. Poſſidens, nec vi, nec clam, nec precariò, debet à Judice in ſua Poſſeſſione manuteneri, n. 64 Etiam vitioſa poſſeſſio prodeſt adverſus extraneos; etſi non contra Dominium rei, n. 65. Poſſeſſio id commodi tribuit, quòd poſſeſſor invaſus vim vi repellere queat, n. 66.

Poſſeſſio rerum corporalium, quibus modis, qualique apprehenſione acquiratur, & in alium transferatur, T. 12 n. 103 & ſeqq. F. 107. Id generatim fit tribus modis; & quibus, Ibid Quando res antea in nullis bonis extitit, requiritur ad acquirendam poſſeſſionem vera ejus apprehenſio, n. 104. Quando res jam antea in alicujus bonis extitit, ſufficit ficta apprehenſio, ut tertius quis ejus poſſeſſionem acquirat, n. 105. Solo tamen animo nunquam acquiritur poſſeſſio corporalium, n. 105. Haud obſtante, quod ea ſolo animo retineri poſſit, & cur, n. 107. Apprehenſio vera, & apprehenſio ficta, quæ, quibuſque modis contingat, n. 118. & ſeqq. Vide ſuprà *verſ. Apprehenſio*. Quid ſufficiat ad capiendam poſſeſſionem domus, vel fundi, n 108 Per ingreſſum domus comparatur poſſeſſio rerum mobilium in ea contentarum, n. 109. Secus dicendum de theſauro ibidem latente; & quæ diſparitas, n. 110.

Poſſeſſio non acquiritur ſine corporali apprehenſione, quomodo intelligendum, T 12. n. 115. F 108. *Viſu*, ſive aſpectu transfertur rerum poſſeſſio; idque exemplificatur n. 113. & 114. Et quæ ad hoc concurrere debeant, n. 125 *Clavibus* transfertur rerum poſſeſſio; idque exemplificatur, n. 117. Requiritur inter alia ad hoc animus transferendi poſſeſſionem; qui in dubio non præſumitur, n 128. An etiam ad id requiratur, ut traditio clavium fiat in conſpectu rei cujus claves traduntur, n. 119. & ſeqq. Sententia affirmativa recipitur, & declaratur, n. 119. & 124. Dicta de traditione clavium extenduntur ad inveſtituram in Beneficio cum traditione annuli, pilei, &c. n. 125. Atque ad traditionem vectis, n. 126. Poteſt etiam conſuetudine induci actus aliquis, per quem transferatur poſſeſſio rei abſentis, n. 127. *Chartis*, ſeu traditione ſcripturæ, transfertur rerum poſſeſſio, num. 128. Nec opus eſt, ut traditio ſcripturæ fiat in conſpectu rei traditæ, n. 129.

Poſſeſſio transfertur, *rei mutuatæ venditione*, & qualiter hoc intelligendum, T. 12. n. 130. F. 109. Transfertur etiam rerum poſſeſſio ficta apprehenſione, *Mea ſi conducto ſciente*; ſive, *Titulo conſtituti*, n. 131. & ſeqq. Retinens uſumfructum rei, quam alteri donavit &c. cenſetur ejus poſſeſſionem in alterum transferre, n. 133. Per ſolutionem penſionis, factam de conſenſu prioris poſſeſſoris, transfertur poſſeſſio rei in eum, qui recipit penſionem, nu. 134. Signatione rei acquiritur poſſeſſio rerum; ſi fiat venditore conſentiente, n. 135. Et quid dicendum de doliis vini ſignatis, n. 136. Acquiritur poſſeſſio, quando emptor apponit cuſtodiam rei emptæ, venditore conſentiente, n. 137 Atque in hujuſmodi caſibus acquiritur vera rei poſſeſſio, ita ut Notarii de ea poſſint teſtificari, n. 138. & 116. Utrùm lege, ſtatuto, vel conſuetudine poſſint introduci, quòd transferatur, & acquiratur poſſeſſio ſine omni corporali apprehenſione, n. 139 & ſeq. Sententia affirmativa eſt communis, n. 140. & ſeq De Jure naturali requiritur corporalis apprehenſio rerum ad acquirendam harum poſſeſſionem, & quando, n. 139. & 142

Poſſeſſio, ſeu quaſi poſſeſſio rerum incorporalium, qua ratione acquirantur, atque ab uno in alium transferatur, T. 12 n. 143 & ſeq. F. 110.

Quando incorporalia cohærent corporalibus, per horum poſſeſſionem acquiritur etiam illorum quaſi poſſeſſio: idque exemplificatur n 145. & 146. ac ſeqq. Ad acquirendam quaſi poſſeſſionem jurium incorporalium per ſpecimina [illegible], quæ requirantur, n 151. 152. & ſeqq. Quaſi poſſeſſio juris eligendi, acquiritur per electionem ſemel factam ſine proteſtatione aliorum, num. 160. & 161. Dummodò illius confirmatio ſecuta fuerit, num. 153. Quia dicendum de quaſi poſſeſſione juriſdictionis, n. 162. An, & quale exercitium juris requiratur

ratur ad acquirendam quaſi poſſeſſionem jurium incorporalium per ſe ſpectatorum, n. 152. & 155. ac ſeq. An, & quomodo requiratur, probeturque ſcientia & patientia Domini, ſive prioris poſſeſſoris, ad acquirendam quaſi poſſeſſionem jurium incorporalium adipiſcendam requiratur bona fides, n. 178 179. & ſeqq. Poſſeſſione unius rei apprehenſa non cenſetur apprehenſa poſſeſſio alterius rei; & quando, T. 12 n. 148 F. 113.

Poſſeſſio rerum corporalium, an ſolo animo amitti poſſit, T. 12 n. 185. & ſeqq F. 114. Iſtud eſt unum ex difficillimis contrariis, ob apparentem contrarietatem textuum Juris, qui referuntur, n. 185 & 186. Atque concordantur, n. 187. & 188 Referendo, ſimulque probando communiorem Doctorum ſententiam, n. 189 & 190 ac ſeq Poſſeſſio rerum corporalium, præſertim mobilium, qualiter amittatur, n. 193 & ſeqq Poſſeſſio rerum mobilium retinetur, quandiu ipſæ manent ſub noſtra cuſtodia: amittitur, quando eas perdidimus, ut ignoremus, ubi ſint, n. 195 & 196. Et quid, ſi adhibemus diligentiam ad eaſdem recuperandas, n. 196. Poſſeſſio hominis, qualiter retineatur, n. 197. & ſeq. Servus fugitivus non privat dominum poſſeſſione ſui, n. 198. Qui deperdidit rem mobilem, non poteſt contra hujus inventorem uti remediis poſſeſſoriis, n. 199. Poteſt tamen contra hunc agere judicio petitorio, n. 200. Quid, ſi pecora noſtra in ſylva aberraverint, aut gallinæ vel anſeres avolaverint, n. 202. Feræ animalia quamdiu poſſideamus, n. 203.

Poſſeſſio rerum mobilium furtivè ſubtractarum, ac mobilium, violenter ab alio occupatarum, qua ratione amittatur, T. 12. n. 204 & ſeq. F. 116. Eſt diſcrimen inter amiſſionem poſſeſſionis rerum immobilium, & mobilium ab alio injuſtè occupatarum; & quale, n. 204. & 205 An ratio talis diſcriminis, n. 206.

Poſſeſſio rerum amittitur per aquarum inundationem, T. 12. n. 207. F. 116 Iſtud tamen limitatur in pluribus caſibus, n. 208 & ſeq. Non tamen per inundationem amittitur rerum dominium, n. 212 Quaſi poſſeſſio incorporalium, qualiter perdatur, num. 213. & ſeqq. Quaſi poſſeſſio jurium incorporalium, quæ competit ratione Dignitatis, aut loci, hac amiſſo deperditur, n. 213 Limitatur iſtud, n. 214 Amittitur inſuper per hoc, quod quis ſciat tale jus exerceri ab alio, & non contradicat n. 216. & 217 Cur poſſeſſio incorporalium retineatur per ſolam reſiſtentiam, vel proteſtationem; non item corporalium, n. 218.

Poſſeſſio quibus modis generatim probetur, T 12. n 219 & ſeqq F. 117. Ad eam probandam ſufficiunt leviores, ac ſemiplenæ probationes; & quando, n. 220 Qualiter probetur quaſi poſſeſſio incorporalium, puta alicujus Canonicatus, n 221 Et qualiter probetur poſſeſſio incorporalium, num 221 & 222. In Interdicto retinendæ poſſeſſionis quandoque utraque pars vult probare, ſe eſſe in poſſeſſione, n. 223. Et tunc obtinet ille, qui probet ſuam intentionem altero non probante, n 224. Aut qui probat antiquiorem poſſeſſionem, n. 225. & ſeq. *Qui ſemel poſſidet, etiam hodie poſſidere præſumitur*: declaratur, n. 225 Inſtans poſſeſſionem alterius cenſetur injuſtè poſſidere, niſi probet, quod juſtè, n. 227. In dubio præſumitur pro antiquiore poſſeſſore, etiamſi junior habeat titulum, n 228 Cæteris paribus vincit illa pars, cujus poſſeſſio habet titulum, & quidem meliorem, n. 229. In poſſeſſorio retinendæ non eſt neceſſe allegare titulum, & quando, n 230. Data poſſeſſione, & titulo æquali, obtinet illa pars, quæ melioribus utitur rationibus, n 231 Quibus modis meliùs probetur poſſeſſio, n. 232. & ſeqq Quando in Interdicto, *Uti poſſidetis*, quælibet pars æqualiter probat poſſeſſionem, quid agendum, T. 12 n. 239. & ſeqq. F. 119 In cauſis beneficialibus tunc neuter litigantium obtinebit, n. 239 Loquendo tamen de cauſis profanis, quæſtio eſt ardua, quæ reſolvitur, n. 240 & ſeq. Poſſeſſio poteſt probari per teſtes ſingulares ſingularitate adminiculativa, T. 20 n. 299 & 303 F 250

Poſſeſſionis recuperandæ remedia, ſeu remedia ſpoliatorum, quæ, T. 13. n. 2. & ſeq & n 25 & ſeq F 128 Vide ſuprà v. *Condictio, & verſ. Interdictum unde vi*. & infrà v. *Remedia recuperandæ poſſeſſionis*. Sententia lata in poſſeſſorio non admittit appellationem, T. 28. n. 304 F 438 Fallit iſtud in poſſeſſorio magni præjudicii, ſaltè ſpectato Jure Canonico, n 305. Et quid ſpectato Jure Civili, n 306. & 307.

Poſſeſſionis cauſa, an ſit præmittenda cauſæ proprietatis, T 12 n. 246. & ſeqq F. 120. Licitum eſt priùs agere ſuper proprietate, quàm poſſeſſione; ſed non conſultum, n. 246 & 247 Cauſa poſſeſſionis & proprietatis, an coram eodem Judice ſit tractanda, & terminanda, n 248 & ſeqq. Si Delegato abſolutè committitur cauſa, cenſetur utraque commiſſa, n. 249 Judex tum delegatus, tum ordinarius, qui cognoſcit de poſſeſſione, debet etiam cognoſcere de proprietate, n. 248. & 250 Fallit hoc, quando Actor, & Reus, ſunt diverſi Fori, n. 252 & ſeqq Quid, ſi Judex de utraque cauſa, poſſeſſionis nimirum & proprietatis, cognoſcere nequeat, n. 256 Cauſa poſſeſſionis rei ſpiritualis, an poſſit tractari per Judicem ſæcularem, T. 12. n. 257. & ſeqq F. 121. Nequit hoc fieri, quando cauſa illa inſtituitur ſuper proprietate, ſeu jure poſſidendi, aut habet annexam quæſtionem proprietatis, n 258. 259. Benè tamen, quando ſuper ipſa poſſeſſione eſt mera quæſtio facti, n 260. & ſeqq.

Poſſeſſionis, & proprietatis cauſa, an cumulari poſſit, proponendo utramque ſimul in eodem judicio, T. 12 n. 263. & ſeq. F 123. Cumulare cauſam poſſeſſionis & proprietatis, quid, & quot modis contingat, n 263. Orta poſſeſſionis & proprietatis lite, oportet priùs judicare de poſſeſſione; & quando iſtud verificetur, n 266. Sententia lata in petitorio, an pariat exceptionem rei judicatæ in poſſeſſorio, n. 269 & 270 Sententia lata in poſſeſſorio abſorbetur per ſententiam illicò pro parte adverſa latam in petitorio quoad effectum principalem, non quoad effectus ſecundarios, n. 271 & 292. ac ſeqq. Sententia in poſſeſſorio operatur multùm quoad receptionem fructuum, quos ſpoliator interim percepit, n. 274 An ſemper, & in omni materia, cauſa poſſeſſionis & proprietatis poſſit cumulari, ſimulque tractari, n 273. & ſeqq. Spoliatus agens poſſeſſorio recuperandæ, non tenetur Spoliatori reſpondere ante factam ſpolii reſtitutionem, nu. 273. Dummodò excipiat contra Spoliatorem: aliàs ſecùs, nu. 274 Spoliatus, ſi velit, poteſt ſimul agere poſſeſſorio recuperandæ, & petitorio, n. 275. Judicium poſſeſſorium retinendæ, an poſſit aliquando cumulari, ſimulque ab eodem proponi unà cum petitorio, n. 277. & ſeqq. Hæc eſt quæſtio per difficilis; ac referuntur fundamenta ſententiæ negativæ, n. 277. & 278. Affirmativa, loquendo de incorporalibus, ſtatuitur, n. 280. Eſtque probabilius, hoc ipſum aliquando fieri poſſe in rebus corporalibus, n. 281 & ſeqq.

Poſſeſſorio, & petitorio judicio, quando partes ſimul agunt, quomodo procedendum ſit in cauſa, T. 12. nu 287. & ſeqq. F. 125. Poteſt tunc Judex commixtim ſuper utraque cauſa probationes, teſteſque recipere, n. 287. Et poſteà utramque cauſam una ſententia terminare, n 288 Debet tamen priùs diſcuti, & terminari poſſeſſorium, quando dubitatur, quis poſſideat; aut quando ſolùm conſtat de poſſeſſorio, n. 289. Cauſa poſſeſſionis & proprietatis, qualiter una ſententia ſit terminanda, n. 288 & 290. Et quomodo hæc ſententia dicatur una, n. 291. Sententia lata ſuper poſſeſſorio momentaneo non ſuperfluit, ſed prodeſt ad plures effectus; & quales, n. 292. & 293 & ſeqq. Tamen ſententia lata ſuper petitorio, prævalet in executione, & cur, n. 296. Quando conſtat de ſola poſſeſſione, poteſt fieri executio ſuper ipſa, dilato impoſterùm petitorio, n. 297. Eſtque notabilis effectus talis ſententiæ ſuper poſſeſſorio latæ, n. 298. Utrùm ille, qui petitorium judicium ſemel ingreſſus fuit, poſſit regredi ad poſſeſſorium, T. 12. n. 299. & ſeqq. F 126. An talis regreſſus à petitorio ad poſſeſſorium, etiam locum habeat in cauſis Beneficialibus, n. 305. & ſeqq. Vide ſuprà *verſ. Petitorium judicium*.

Poſſeſſor bonæ fidei, & malæ fidei, quis, T. 12. n. 18. F 100. Poſſeſſor bonæ fidei lucratur fructus ex re poſſeſſa perceptos, non ſic poſſeſſor malæ fidei, T 12. n. 63 F. 103. Poſſeſſor invaſus poteſt vim vi repellere, nu. 66. Contra tertium poſſeſſorem, qui rem ſpoliatam ſcienter recepit, an detur Interdictum *Unde vi*, T. 13. n. 22. & ſeq. F. 130. Poſſeſſor lite pendente non debet privari commodo ſuæ poſſeſſionis, T. 16. n 10. F 167. Etiam intelligendo iſtud in cauſis matrimonialibus; & qualiter, n. 11. 12. & 13

Poſſeſſor bonæ fidei, etiam ſine titulo, fructus induſtriales ex re aliena perceptos, facit ſuos, &c. T. 13 n. 126 127 & ſeq. F. 141. Eos tamen adhuc extantes, tenetur Domino ſupervenienti reſtituere, nu. 131 Siquidem dominium illorum fructuum non eſt perfectum, & irrevocabile, n. 132. & 127 Et qua ratione fructus illi ſint reddendi, n. 133. Hæc fructuum reſtitutio non procedit, ſi bonæ fidei poſſeſſor lapſu triennii ipſos ſuſcepit, n 135. Poſſeſſor bonæ fidei cum titulo legitimo, ſaltem colorato, lucratur fructus naturales: aliàs ſecùs, n. 138 & ſeq. Poſſeſſor malæ fidei, licèt violentus non ſit, tenetur reſtituere fructus ex re aliena perceptos, T 13 n. 124. F. 141. Imò & eos, quos à domino percipi potuiſſent, n 125.

Poſſeſſor bonæ fidei an fructus ex re aliena perceptos, & jam conſumptos debeat reſtituere, quando ex eis non eſt factus locupletior, T. 13. num. 142. & ſeqq F. 143 Negativa ſententia probatur de fructibus induſtrialibus, n. 143. Ac etiam naturalibus, num. 144. Quando quis cenſeatur locupletior factus, n. 145 Tenetur tamen reſtituere omnes fructus poſt litem conteſtatam conſumptos, n. 146. Et, ſi fructibus eſt locupletior, tenetur reſtituere fructus naturales ante litem conteſtatam conſumptos, n. 147 Ac in Judiciis quodlibet fructus, n 148 Iſtud in Judiciis particularibus multi Doctores negant, n. 149. Refertur fundamentum hujus ſententiæ, n. 150 Ac inſuper contrariorum, n. 151. Et quinam teneant iſtam ſententiam negativam, n. 152 Affirmativa ſententia eſt communior, n 153. Et hæc [illegible] probatur, num 153. & 154 Ac ſolvuntur rationes in oppoſitum, n. 155

*Poſſidere & Eſſe in poſſeſſione*, differunt, T 12. n 9. F 99 Poſſideri quænam non poſſint, n. 11 Qui alieno nomine poſſidet, non poſſidet; ſed is, cujus nomine poſſidetur, n 16 Poſſidere pariter, quid, n 23. Beati poſſidentes, T 12 n 39 F 102. Poſſidens nec vi, nec clam, nec precariò, debet à Judice in ſua poſſeſſione manuteneri, n 64. Nemo poſſidet piſces in ſtagnis, & feras in ſylvis liberè vagantes, T. 12. n 104. F 107 Is poſſidet, cujus nomine poſſidetur, n. 132 Duo in ſolidum eandem rem, & eodem modo, in ſolidum poſſidere non poſſunt, T. 12 n 193 F. 115. Benè tamen diverſo modo, n 194. Agens petitorio fatetur ſe non poſſidere, T 12 n 279 F 124. Contrà num. 282. & ſeq Aliud eſt *Poſſidere*; aliud *Eſſe in poſſeſſione* T. 15 n 3 F. 160. Decretum primum, & Decretum ſecundum, ſeu miſſio in poſſeſſionem ex primo, & ſecundo Decreto quid, T 15 n. 2 & 4. ac ſeq. F. 160. Vide ſuprà *verſ. Miſſio in poſſeſſionem*. Juſtè poſſidet, qui auctore Prætore poſſidet, T 15 n 51 F. 166 Is poſſidet, cujus nomine poſſidetur, T. 26 n. 188 F. 384

Potentior ex duobus conjunctis, trahit ad ſe minùs potentem, T. 2. n. 77. & 79 F. 30.

Prædium urbanum, & Prædium ruſticum, quid, T. 26 n. 95 F. 374. Prædium dominans, & Prædium ſerviens, quid, Ibid. Vide infrà *verſ. Servitus*.

Prædo ſi ſpolietur, an & quando ſit reſtituendus, T. 13 n. 59 F. 134. Dominus ex intervallo prædonem non notorium ſpolians, [illegible] à prædone conveniri interdicto *Unde vi*, num 69. Facta [illegible] reſtitutione, prædo ille ſimili Interdicto obſtrictus erit Domino, num. 70

Prælatus, præſertim Regularis, an poſſit agere, vel conveniri [illegible] Eccleſiæ, aut Monaſterii abſque conſenſu Capituli, & [illegible] n. 171. & ſeq. F. 17 Bona Eccleſiarum quandoque ſunt [illegible] ter Prælatum & Capitulum, ſeu Conventum; [illegible] n 171 Geſta per ſolum Capitulum poſſunt ratificari [illegible] expedire videris, n. 179 Vide ſuprà *verſ. Capitulum* [illegible] ſeſſio utrùm præjudicet Eccleſiæ, T. 18. n. 82. & ſeq F. [illegible] *verſ. Confeſſio Prælati* Prælatus an poſſit eſſe teſtis [illegible] 20 n. 197. & ſeq F. 240. Vide ſuprà *verſ. Clerici* [illegible] Prælati mala fides, an noceat Eccleſiæ, vel Capitulo [illegible] fidem, ne præſcribere poſſit, T. 26 n 79. & ſeq. F. 372. Prælatus certò ſciens, rem eſſe alienam, tenetur purgare conſcientiam ſuam, reque ſuo domino reſtituere, n 79. Quomodo tunc Prælatus poſſit reſtituere rem alienam, n. 80.





Præparatoria judiciorum, quæ, T. 1. n. 223. F. 22. In Præparatoriis judiciorum attenduntur conſuetudines Fori, ubi litigatur, nu. 225 & 226.

Præſcriptionis nomen in Jure ſumitur dupliciter, T. 26. n 2. & ſeq. F. 365. Nempè generatim, & magis propriè, n. 2. & 3. Ac prout eſt in fieri, & prout in facto eſſe, n. 4 Circa præſcriptionem eſt obſervanda certa phraſis, & formula loquendi; & qualis, n. 5. Præſcriptio an, & in quibus differat ab Uſucapione, num. 8. & ſeqq. Vide infrà *verſ. Uſucapio*.

Præſcriptio, quid, T 26. n. 12. & 13. F. 366 Eſt triplex, 14 Videlicet, Præſcriptio odioſa, n. 15 Præſcriptio merè favorabilis, n. 16. Et præſcriptio mixta; quæ, n. 17. Præſcriptio primitùs eſt introducta per Leges Civiles, poſtmodùm approbata per Canones, n. 18 Et cur fuerit introducta, n. 119 & 120. Præſcriptio eſt juſta, & transfert rerum dominium, nedum in Foro externo, ſed etiam in Foro conſcientiæ, n. 21. & ſeq Conditiones ad præſcriptionem requiſitæ, quæ, n. 24. An ad eam etiam requiratur traditio rei, n. 25.

Præſcriptionem an impediat error Juris, T. 26. n. 67. & ſeq. F. 371. Ad præſcriptionem legitimam requiritur bona fides, n. 58 Et quidem toto illo tempore; quo currit præſcriptio, n. 59. Secùs, ubi poſt præſcriptionem jam completam ſupervenit notitia rei alienæ, n. 60. Spectato Jure Civili olim ad præſcriptionem ſufficiebat bona fides ab initio, n. 61. Iſtud de Jure Canonico eſt correctum, & cur. Ibid. Solvitur inſtantia, n 62 Dubitans, num res ſit ſua, nec ne, an poſſit præſcribere, n. 63. & ſeq. Stante tali dubio nequit inchoari præſcriptio, n. 63 & 64. Quòd ſi dubium poſt præſcriptionem bona fide cœptam ſuperveniat, non interrumpit præſcriptionem, n. 65. & 66 Ad præſcriptionem requiritur bona fides tam theologicè, quàm juridicè, n. 70. Limitatur iſtud in certis caſibus, n 71. & ſeqq. Inculpata ignorantia Juris ſufficit ad triennio præſcribendos fructus ex re alterius perceptos, n. 71. Differentia inter præſcriptionem, & fructuum acquiſitionem, interveniente Juris errore, quæ, n. 72. Vide ſuprà *verſ. Juris ignorantia*.

Præſcriptio immemorialis, quæ, T. 26 n. 122. F. 377 Præſcriptio tanti temporis, cujus initii memoria non extat, eſt minor præſcriptione centenaria, n. 123. Et quomodo ea probetur per teſtes, n 124. Ad præſcriptionem requiritur juſtus titulus, duplici de cauſa, T. 26 nu. 110. 121. 125. 143. F. 377. Primò ad purgandum vitium malæ fidei, quando Jus commune reſiſtit præſcribenti, vel eſt præſumptio contra ipſum, n. 121. Secundò, ut præſcriptio breviori, ſeu ordinario tempore compleatur, n. 123. Ad præſcriptionem ſufficit titulus putativus, ſeu coloratus; nec requiritur verus, n. 126. Et in quo ſenſu, ille dicatur *Juſtus titulus*, Ibid. Vide infrà *verſ. Titulus* An ad omnem prorſus præſcriptionem requiratur titulus, n. 142. & ſeq. Non omnis præſcriptio eſt contra Jus commune, licèt ſit contra jus privatum n 145 In materia præſcriptionis, quoad titulum ad eadem requiſita, non eſt differentia inter Jus Civile, & Canonicum, n. 146. Textus in *cap. 1 de Præſcription. in 6.* procedit, quando Jus commune fortiter reſiſtit præſcribenti, n 147.

Præſcriptio per defunctum bona fide inchoata, & necdum completa, continuatur in ejus hærede; ſicque ad eam ſufficit titulus *Pro hærede*. T. 26. n 131. & ſeqq. F. 378. idque ampliatur ad ſucceſſorem in Beneficio, & ad Legatarium, n. 132 Quando defunctus fuit poſſeſſor malæ fidei, hæres ejus immediatus nunquam præſcribit rem illius, licèt hanc bona fide habeat; & cur, n. 134 135. & ſeqq. Et an ſaltem longiſſimo tempore poſſit præſcribere rem à defuncto mala fide poſſeſſam, n. 137. Hanc hæres mediatus bona fide præſcribit tempore ordinario, n. 138. Idem dicendum de donatario, & emptore, nu. 139. Ac ſucceſſore in Dignitate, Beneficio vel Officio, n. 140. Hæres poteſt rem à defuncto mala fide poſſeſſam benè præſcribere ex alio titulo, quàm hæreditatis, n. 141.

Præſcriptio rerum tum mobilium, tum immobilium, quo tempore contra privatos compleatur, T. 26 n. 148. & ſeq. & n. 155. F. 381. Res immobiles privatorum inter præſentes præſcribuntur decennio; inter abſentes viginti annis, n. 148. & ſeqq. Præſentes, & abſentes, qui in propoſito dicantur, n. 151. & ſeqq. Quid ſi aliquis quibuſdam annis fuit abſens, quibuſdam præſens, n. 153. Quanto tempore præſcribantur jura ſervitutum, n. 156 & ſeqq. Vide infrà *verſ. Servitutum jura*. Quantum temporis requiritur ad præſcribendas res immobiles contra Eccleſias, Monaſteria, Hoſpitalia, aliaque Loca Religioſa, & contra donationes, ad pias cauſas, n. 162 & ſeqq Et an res mobiles Eccleſiarum &c triennii poſſeſſione uſucapiantur, n. 168. 169. & ſeqq. Contra Eccleſiam Romanam currit ſola centenaria præſcriptio, n. 65. Monaſteria quædam, & Ordines ſunt privilegiati, ut majori quàm quadraginta annorum præſcriptione gaudeant, n. 166. Bona privata, & patrimonialia Clericorum, præſcribuntur tempore ordinario, n. 176. Actiones quo tempore extinguantur, ſeu quando præſcribantur contra eas, num. 274. & ſeqq. Vide ſuprà *verſ. Actiones quo tempore*.

Præſcriptio non procedit ſine poſſeſſione, T. 26. n. 184. & ſeqq. F. 384. Non plus præſcriptum, quàm poſſeſſum, Ibid Præſcribens Decimas novalium, n. 185. Etiam in præſcriptione contra ſervitutes, & actiones, requiritur aliqua poſſeſſio; & qualis, n 186 Dicta de poſſeſſione, procedunt etiam de quaſi poſſeſſione, n. 187. Ad præſcriptionem, requiritur talis poſſeſſio, ut quis rem proprio nomine poſſideat, n. 288. Ad eam inchoandam requiritur poſſeſſio naturalis, & civilis ſimul; ad continuandam ſufficit ſola civilis, n. 189. An etiam poſſeſſio civiliſſima ad præſcriptionem, n 190.

Præſcriptio quando dicatur non procedere, T 26. n. 191 F 384 Vel dormire, n 192. Præſcriptio in pluribus caſibus dormit, n. 193. & ſeqq. nimirum, tempore hoſtilitatis, & qualiter, n. 194. Tempore peſtis, & quomodo, n. 195. Præſcriptio adverſus Eccleſiam vacantem dormit, n. 196. Idemque dicendum, ſi Prælatus ſit lapſus in hæreſin; vel ſit excommunicatus, ſuſpenſus, aut captus ab hoſtibus, Ibid. Dormit præſcriptio contra Eccleſiam tempore Prælati dilapidantis, n. 197. Et tempore Schiſmatis contra Romanam Eccleſiam, Ib. Item contra Pupillum durante pupillari ætate, n. 198. Dormit præſcriptio, cum quis de jure agere non poteſt: idque exemplificatur, n. 199. Generaliter non currit præſcriptio contra non valentem agere; & quomodo hæc regula ſit intelligenda, n. 200 & 201.

Præſcriptionem interrumpi, quid, T. 26. n. 202. F. 385. Præſcriptionis interruptio duplex, naturalis, & civilis, quæ, n 203. Differunt in effectu; & qualiter, n. 204 & 205. Quibus modis interrumpatur præſcriptio civiliter, n. 206. & n. ſeqq. Præſcriptio alia merè favorabilis, alia odioſa, alia mixta, Ibid. Præſcriptio merè favorabilis, ut uſucapio, non interrumpitur per litis conteſtationem, n. 207. 209 210. In uſucapione dies ultima incœpta, habetur pro completa: ſecus in aliis præſcriptionibus, n. 208. Præſcriptio mixta interrumpitur per litis conteſtationem, præſcriptio odioſa verò per ſolam citationem: & ratio diſparitatis, n. 211 212. Præſcriptio mixta an interrumpatur per quamcunque litis conteſtationem, vel ulteriùs requiratur animus proſequendi litem, n. 213. 214. Præſcriptio interrumpitur civiliter adeundo Judicem, eique libellum offerendo contra abſentem &c n. 215. Item per ſacrum Oraculum, n. 216. An etiam interrumpatur per denunciationem extra Judicium factam, n 217. Præſcriptionem odioſam interrumpit citatio, T. 3 n. 109. F. 59. Præſcriptiones longi temporis interrumpuntur per litis conteſtationem, T. 5. n. 41. F. 69

Præſcriptio ſemel interrupta, poteſt denuò inchoari, T. 26. nu. 218. F. 387 Etiamſi ſit interrupta civiliter: & qua ratione, n. 219. Beneficium reſtitutionis in integrum competit Eccleſiis minoribus adverſus præſcriptionem contra eas completam, n. 220.

Præſcribere an ſubditi poſſint exceptionem ab obedientia Superioris, aut contra viſitationem ratione hujus debitam, T. 26. n. 49 & ſeqq. F. 369. Nemo poteſt præſcribere contra obedientiam, viſitationem extinctivè, benè tamen tranſlativè: idque declaratur, n. 53 Subditus manens ſubditus, nequit in totum præſcribere exemptionem à reverentia Epiſcopo debita; benè tamen ex parte, n. 55. Abbas exemptus poteſt præſcribere contra Epiſcopum certam Parochiam, n. 56 Præſcribere an poſſit dubitans, num res ſit ſua, nec ne, T. 26. n. 63. & ſeqq F. 371. Vide ſuprà *verſ. Dubitans*. Mala fides Prælati an noceat Eccleſiæ, vel Capitulo habenti bonam fidem, adeò ut iſtud præſcribere nequeat, n. 79 & ſeqq.

Præſcribi, quæ res generatim poſſunt, vel non poſſint, T. 26. n. 26. & ſeqq. F. 367. In Jure dicuntur quædam præſcribi non poſſe, dupliciter; & quomodo, n. 27. & ſeqq. Furtivæ res præſcribi non poſſunt; & in quo ſenſu, n. 27 Fiſcales res uſucapi non poſſunt: & quando ſecus, n. 28 Liber homo uſucapi non poteſt: benè tamen Servus præſcribere libertatem contra Dominum, n. 30. Res publicis uſibus deſtinatæ, v. g. forum, platea, pons, &c. nec in totum, nec in parte præſcribi poſſunt: & cur; n. 31. Res ſacræ, Jura [illegible] nullo tempore à Laicis præſcribi poſſunt, n. 32. Du[illegible] excipiantur Decimæ olim Laicis in feudum conceſſæ [illegible] n. 33 Benè tamen à Clericis, & aliis, perſonis Eccleſiaſticis [illegible] res ſacræ præſcribi, nu. 34. Num etiam Beneficium Eccleſiaſticum quoad titulum præſcribi valeat, n. 35. Res indiviſum communes pluribus, ab aliquo eorum præſcribi non poſſunt, n. 36 Sicut nec Precarium, Commodatum, Pignus &c. n. 37 Præſcribi etiam nequeunt res meræ facultatis, ſeu gratuitæ voluntatis, T 26. n. 38. F. 368. Idque exemplificatur ibid. Ac limitatur, nu 39 Limites Provinciarum, Diœceſium, Parochiarum &c. præſcribi non poſſunt ullo tempore, n. 40 Secus dicendum de limitibus prædiorum, privata auctoritate conſtitutis, n. 41 Ac de limitibus Provinciarum, Diœceſium, Parochiarum, ſi de ipſorum certa ordinatione Eccleſiaſtica non conſtet, n 42. Reſervata Principi in ſignum ſupremi dominii, præſcriptione non tolluntur, n. 43. Contra ætatem pupillarem non currit præſcriptio; unde res pupillaris non poteſt præſcribi, num. 44. Nequit præſcribi fundus dotalis, n 46. Ubi à Lege, aut Canone prohibetur alienatio alicujus rei, an etiam intelligatur prohibita ipſius uſucapio, n. 46. 47. & 48

Præſentatio Patroni Eccleſiaſtici habet vim Electionis, T. 16. n. 46. F. 170.

Præſentia Dei, repletur abſentia litigatoris, T. 14. n. 101. F 154.

Præſumptio una tollit aliam, T. 22 n. 116. F. 290 In delictis ſtat præſumptio contra delinquentem, T 18. n. 125 F. 188 Reus ex præſumptione falſa à Judice interrogatus, an teneatur confiteri propoſitionem veram, ubi iſta confeſſa condemnandus eſt in Foro externo de crimine, aut debito, ad quod reverà in Foro conſcientiæ non tenetur, T. 18. n. 171. & ſeqq. F. 193. In Foro externo eſt procedendum juxta exigentiam præſumptionis, n. 175. præſumptionem inducit teſtimonium unius, T. 20. n. 150. F. 235

Præſumptio, quid, T. 23. n. 2. & 3. ac ſeq. F. 281. Qualiter differat à Conjectura, n. 4. & 5. Præſumere, quandoque accipitur in malam partem, nu. 2. Præſumptiones, quandoque plenè probant, quandoque ſemiplenè, n. 6. An ſunt vera probatio, Ibid Præſumptio cedit veritati, n. 7. Præſumptio eſt effectus Judiciorum, T. 23 n. 8 F. 315 Præſumptio alia eſt probabilis, alia violenta, alia temeraria, Ibid.

Præſumptio eſt multiplex, T 23. n. 18 F. 316. Præſumptio Juris, n. 19. Et Præſumptio hominis, quæ, n. 20 Cur non omnis præſumptio legitima, ſit præſumptio juris, n. 21. Præſumptio naturæ, & Præſumptio facti, quid, & quotuplex, n. 22 23 & ſeqq. Præſumptio juris ſubdividitur, n. 24. Alia eſt Præſumptio juris tantùm, n. 25. Alia Præſumptio juris, & de jure quæ, n. 26 Præſumptio juris, quomodo differat à Fictione juris? Reſpectivè, n 27. Præſumptio hominis eſt triplex, n. 28 Violenta, n. 29. Probabilis, & temeraria, quæ, n. 30. Præſumptio cedit veritati. T. 24 n. 143 F. 340.

Præſumptio hominis, quam vim probandi habeat, T. 23. n. 31. & ſeqq. F. 283. Levis, ſeu temeraria nihil probat, ſed eſt repellenda, n. 31. Probabilis, ſeu rationabilis, relinquitur arbitrio Judicis, ac tantum probat, quantum ei videbitur, n. 32. Præſumptio facit gradum probationis, juxta quod indicia ſtringunt; idque declaratur, n. 32. & 33. Præſumptio hominis, cæteroquin probabilis, ſe ſola probat tantum

ſemiplenè, n.34. Si verò adjuvetur publica fama, vel aliis adminiculis, poteſt etiam facere plenam probationem, n. 35. Præſumptio hominis poteſt illum, qui contrarium aſſerit, gravare onere probationis, ſi Judici videbitur, n. 36. Violenta præſumptio hominis transfert onus probandi in adverſarium, num. 37. Contra eam tamen admittitur probatio in contrarium, num. 38. Alioquin ea ſufficit ad ſententiam, ſaltem in cauſis civilibus non nimirum arduis, n. 37. & 39.

Præſumptio naturæ transfert onus probandi in adverſarium, T. 23. n. 40. 42. & ſeqq. F. 235. Niſi illud naturaliter ineſt, conſtet poſteà eſſe mutatum, n. 43. Et niſi agatur de præjudicio tertii, n. 44. Prima facie præſumitur quis idoneus, niſi aliud in contrarium oſtendatur, n. 40. & 41. Nemo præſumitur malus, niſi probetur malus, n. 42. & num. 83.

Præſumptio juris, quos operetur effectus in materia probationum, T. 23. n. 45. & ſeqq. F. 318. Ubi hæc pro aliquo, tunc ipſe relevatur ab onere probandi, n. 45. Qui habet præſumptionem juris pro ſe, dicitur habere intentionem fundatam, Ibid. Præſumptio juris habetur pro veritate, donec contrarium probetur, n. 45. Eſtque liquidiſſima probatio, niſi contraria probatione elidatur, n. 46. & 48. Ubi requiruntur probationes liquidiſſimæ, ſufficiunt præſumptiones juris contraria probatione non eliſæ, n. 49. Idem dicendum, ubi Lex requirit probationem per inſtrumenta, n. 50.

Præſumptio juris propriè non eſt probatio, ſed probationis relevatio, T. 23. n. 47. F. 319. Contra præſumptionem hominis, & contra præſumptionem juris tantùm, admittitur probatio in contrarium, n. 51. An contra præſumptionem juris, & de jure pariter admittatur probatio in contrarium, num. 51. & 52. Contra eam regulariter non admittitur probatio, num. 52. Idem operatur iſta præſumptio in caſu ficto, quod veritas in caſu vero; & quomodo, Ibid. Fallit iſtud in pluribus caſibus, num. 53. & ſeqq. Sic contra præſumptionem juris, & de jure, admittitur propria confeſſio, num. 54. Probatio per confeſſionem partis, admittitur etiam contra ſententiam, n. 55. Contra præſumptionem juris, & de jure, admittitur probatio indirecta, num. 56. Ac probatio per evidentiam facti, ſeu per notorium, num. 57. Si contra præſumptionem juris & de jure admittatur probatio parte non opponente, ceſſat præſumptio, n. 58. Adverſus eam admittitur probatio per teſtimonium quinque teſtium, num. 59. Idem dicendum de tribus teſtibus multùm legalibus, Ibid. Ex præſumptione tam Juris, quàm hominis, an poſſit ferri ſententia, T. 23. n. 60. & ſeqq. F. 320. Vide infrà *verſ. Sententia, an ex præſumptione*. Reus ob ſolas vehementes præſumptiones in cauſis criminalibus non eſt condemnandus, ſed torquendus &c. n. 70. Quæ diſpoſitio Legum in præſumptione fundatarum? Remiſſivè, num. 70.

Præſumptiones plures, utrùm conjungantur ad faciendam unam plenam, T. 23. n. 73. & ſeqq. F. 321. In cauſis civilibus plures præſumptiones poſſunt conjungi, duæque earum faciunt plenam probationem, n. 75. Dummodò ſeorſim inducant ſemiplenam probationem; alias ſecùs, n. 76. In cauſis tamen criminalibus non ſufficiunt plures præſumptiones ad faciendam plenam probationem, n. 77. Præſumptio una, an, & quando prævaleat alteri, T. 23. n. 78. F. 322. Præſumptio fortior juxta arbitrium Judicis, tollit aliam minùs fortem; idque exemplificatur, n. 78. & 79. Præſumptiones in genere, tolluntur per præſumptiones in ſpecie, n. 80. Præſumptio naturæ prævalet contrariis præſumptionibus, n. 81. Præſumptio honeſtior eſt recipienda, habita potiſſimum ratione perſonæ & dignitatis, n. 88.

Præſumptio veriſimilior, vincit minùs veriſimilem, T. 23. n. 89. F. 323. Præſumptiones pro validitate actus, præferuntur contrariis præſumptionibus, n. 90. Præſumptio illa, quæ facit valere actum, eſt regina aliarum præſumptionum, n. 91. Præſumptio juris prævalet præſumptio hominis, n. 92. Præſumptiones vel maximè tolluntur per probationem in contrarium, n. 93. Præſumptiones hinc inde militantes, ac penitus æquales, invicem ſe colliſunt, n. 94. Præſumptio contraria poteſt tollere præſumptionem ſtatu litis, n. 96. Præſumptiones Juris Civilis plures. Remiſſivè, n. 110. Præſumptio quandò faciat ſemiplenam probationem, Judicis arbitrio relinquitur, T. 24. nu. 176. F. 516. An ob ſolam præſumptionem poſſit deferri juramentum ſuppletorium, n. 174. & 175.

Præſumitur omne maleficium eſſe factum malo animo, niſi probetur contrarium, T. 23. n. 95. & n. 84. F. 323. Ex præteritis præſumitur circa futura, n. 97. & 98. Etiam in malam partem, n. 99. *Semel malus, ſemper præſumitur eſſe malus;* & quomodò, n. 100. Emendatio criminoſi præſumitur, ſi is per triennium ab improbè factis abſtinuerit, Ibid. Ex præteritis præſumitur tripliciter; nempe circa præteritum, circa præſens, & circa futurum, n. 101. Similiter ex præſenti poteſt elici præſumptio tripliciter, n. 102. Præſumitur contra eum, qui ſubterfugit Judicium: & præſumitur pro illo, qui ſe offert Judicio, n. 103. & ſeqq. Qui ex duobus illatis unum duntaxat negat alterum affirmare præſumitur: & quando, n. 106. Præſumitur vicinus ſcire ea, quæ ſunt geſta in vicinia: & qualiter iſtud ſit intelligendum, n. 108. Factum præſumitur notum in vicino loco, quod eſt notum in remoto, n. 109.

Præventio juriſdictionis, ſeu Fori, quid, T. 2. n. 165. F. 38. Contingit tripliciter, n. 166. Inducitur per citationem legitimè interpoſitam, n. 167. Reus legitima citatione præventus ab uno ex pluribus Judicibus, ſortitur Forum coram ipſo, n. 168. & ſeqq. Si tamen non opponitur exceptio præventionis, valent geſta coram alio, n. 169. Ut præventio per citationem inducatur, quænam requirantur, n. 170. & ſeqq. Vide ſuprà *verſ. Citatio legitima*. Præventio inter plures Judices, inducitur per citationem, T. 3. n. 104. F. 59.

Principes ſæculares nequeunt indicere dies Feſtos, T. 9. num. 13. F. 85. Quamvis poſſint ſtatuere pœnam violantibus dies Feſtos ab Eccleſia indictos, n. 14. Principes ſuperiorem non recognoſcentes, an poſſint ex certis cauſis ſtatuere, ut credatur uni teſti, T. 20. n. 256. & 257. F. 246. Principis conceſſio in dubio eſt interpretanda, ut nulli tertio irrogetur præjudicium, T. 30. n. 14. F. 443.

Privati, qui dicantur, T. 2. num. 246. F. 46. Privatorum pactis Juri publico non derogatur, num. 245. & ſeqq. Vide ſuprà *verſ. Pactum*.

Privilegium Fori, & quid, & quo jure competat Clericis? T. 2. n. 186. ac ſeqq. F. 40. Vide ſuprà *verſ. Clerici privilegium fori*. Extenſio privilegii Fori ad perſonas Regulares, facta eſt authoritate Eccleſiæ, n. 198. & 230. Privilegium Fori Clericorum an poſſit tolli, aut immutari à Papa, T. 2. n. 232. & ſeqq. F. 45. Privilegium Reipublicæ Venetæ procedendi contra Clericos, refertur, n. 236. Privilegio Fori nequit Clericus renunciare, n. 212. & ſeqq. Privilegium Fori non eſt beneficium perſonale, ſed toti Collegio Eccleſiaſtico indultum, n. 244. Regula de privilegio Fori Clericorum, plures patitur fallentias: idque exemplificatur, T. 2. n. 250. F. 47. Ad privilegiorum inſpectionem, quot teſtes ſufficere debeant, T. 2. n. 245. F. 46. Privilegia, & hujuſmodi, abſque ſigillo non habent vim probandi, T. 22. n. 97. F. 290. Privilegiorū innovatio poteſt fieri, ne vetuſtate corrumpantur, T. 30. n. 28. F. 444. Ea tamen jus novum tribuit, ſed conſervat duntaxat antiquum, n. 29.

Probatio, ut ſic, quid, T. 19. n. 2. F. 202. Probationis judicialis definitio, quæ, n. 3. & ſeqq. Verſatur circa facta, & quidem incerta, n. 6. & & ſeqq. Probationes differunt ab allegationibus Juris, n. 7. Probatio variè dividitur, T. 19. n. 9. & ſeqq. F. 202. Alia eſt judicialis, & extrajudicialis, n. 9. Alia artificialis, & inartificialis, n. 10. Probatio plena, n. 11. Evidentiſſima, ſeu apertiſſima, n. 12. Clara, n. 13. Præſumptiva, Ibid. Et legitima, quæ, n. 14. Hæc accipitur propriè, & [illegible], Ibid. Ubi requiritur probatio legitima, non ſufficit ſemiplena cum juramento, n. 14. Probatio ſemiplena, n. 15. Et mixta, quæ, n. 16. Appellatione probationis ſimpliciter dictæ, ſolùm venit plena probatio, & cur? n. 17. Probationis ſpecies, quot? n. 18. & ſeqq. Probatio fit per evidentiam rei, n. 19. Per confeſſionem propriam, n. 20. Per aſpectum, ſeu inſpectionem ocularem, n. 21. Et quæ ad hanc requirantur? n. 22. Aliiſque modis, & quibus? n. 23. Non eſt opus, admittere duodecim ſpecies probationum, n. 24. Gradus probationum ſunt quatuor, n. 25. Nempe dubietas, quæ tamen propriè non eſt gradus probationis, n. 26. Suſpicio, n. 27. Opinio, n. 28. & Credulitas, Ibid. Hi probationum gradus probantur ex Jure, n. 29. Credulitas in quo conveniant, & differat à ſententia, n. 30.

Probatio, circa quæ, verſetur, T. 19. n. 36. & ſeqq. F. 205. Ulteriori probatione non indigent manifeſta, n. 37. & ſeqq. Probatio, qualis eſſe debeat? n. 52. & ſeqq. Et debet eſſe clara, & certa, n. 52. Probatio dubia non relevat, n. 53. Etiamſi probans ſit Eccleſia, n. 54. Quinimò probatio dubia interpretatur contra producentem, n. 55. Probationem ſemiplenam facit unus teſtis legitimus, T. 20. n. 252. F. 246. Vide infrà *verſ. Teſtes quot requirantur*.

Probatio dominii, eſt difficilis, T. 12. n. 219. F. 115. Non item probatio poſſeſſionis; & qualiter hæc fiat, n. 220. & ſeqq. Probationes quæ cenſeantur meliores, multùm relinquitur arbitrio Judicis, n. 232. Probatio illa cenſetur melior, quæ fit per teſtes plures, n. 233. Si alii tamen honeſtiores, & magis veriſimilia deponentes: alias ſecùs, n. 234. Vide infrà *verſ. Teſtes affirmativè deponentes*. Regula illa, *Soli Actori incumbit onus probandi*, fallit in Judiciis duplicibus, n. 238. Partibus probare volentibus mos eſt gerendus, T. 12. n. 287. F. 125. Probationes, quando cenſeantur incontinenti factæ, T. 13. n. 90. F. 138. An ab eo, qui renunciavit probationibus, poſſint fieri poſitiones, T. 18. n. 230. & 235. F. 200.

Probatio judicialis debet eſſe facta ſecundùm formam libelli, T. 19. n. 56. F. 206. Hæc regulariter debet eſſe plena, concludens, n. 57. Ac de tali ſunt intelligenda Jura, vel Statuta, dum probationem requirunt, nu. 58. Idemque dicendum, quando cauſa cuipiam committitur terminanda ſub clauſula, *Conſtito*, n. 59. Quando probatio hic & nunc ſit plena & concludens, Judicis arbitrio [illegible], n. 60. Probationes omnes ſunt Judici arbitrariæ, Ibid. Dantur tamen plures caſus, in quibus non requiritur probatio plena; ſed ſufficit ſemiplena, vel alia ex conjecturis deprompta, T. 19. n. 61. & ſeqq. F. 207. Sic probat unius teſtis depoſitio, quando nemini nocet, & alteri prodeſt, n. 62. Actore plenè non probante, ad probandam innocentiam Rei ſufficit præſumptiva, & dubia probatio, nu. 63. Qualis etiam ſufficit ad elidendam præſumptionem contrariam, & excuſandam abſentiam peremptoriè citati, Ibid. Probatio ſemiplena ſufficit in cauſis ſummariis, ubi agitur de rebus modicis, n. 64. Secùs in cauſis gravioribus, n. 65. In factis antiquis non requiritur plena probatio, n. 66. Idemque dicendum, ubi probationes [illegible] haberi nequeunt, n. 67. Et quando Judici committitur cauſa ſub clauſula, ut procedat, *ſola facti veritate inſpecta*, n. 68. Probans plenè conſuam intentionem, non poteſt compelli, ut id pluries [illegible] firmet, n. 69. Haud obſtante contraria conſuetudine, etiam immemoriali, n. 70. Litteris Judicis ordinarii eſt ſtandum, donec contrarium probetur, n. 71. Probatio ſingularum rerum, atque negotiorum in ſpecie, qualis ſit facienda? Remiſſivè, n. 72.

Probationes judiciales debent fieri coram Notario, inter alia acta judicii eas conſcribente, T. 19. n. 117. & ſeqq. F. 212. Et hoc procedit tam in Judicio ordinario, quàm ſummario, Ibid. Exceptis cauſis levioribus, in quibus nulla ſcriptura requiritur, n. 119. [illegible] Et confeſſionem partium, aut teſtes, poſſunt Acta [illegible], n. 115. quid, ſi pars adverſa nihil oppoſuit, nec à ſententia appellavit, n. 73. & Probatio quænam prævaleat in concurſu plurium, T. 19. n. 73. & ſeqq. F. 208. Probationes quandoque fiunt ab utraque parte, Probationes ſi ſint contrariæ, tunc ſe invicem non enervant, n. 74. [illegible] nes contrariæ, quæ, n. 75. Ex probationibus contrariis, clara vincit valet; & minor habetur pro non facta, n. 76. Probatio contrariam, præſumptivam, n. 77. Et plenior abſorbet, ſeu [illegible] minùs plenam, n. 78. Ac, ubi probationes omninò [illegible] ſuperaddi[illegible] quælibet probatio levis, etiam minùs legitima; [illegible] n. 79. Data omni parti, facit prævalere probationem iſtius partis, n. 79. [illegible] omnimoda æqualitate probationum hinc inde ſtantium, tunc probationes contrariæ invicem conquaſſantur, n. 89. & ſeqq. In æqualitate probationum ſavetur Reo, ſeu poſſeſſori, n. 82. Exceptis cauſis favorabilibus: & quæ ſint iſta, n. 83. Probatio per rei veritatem, prævalet probationi per præſumptiones, & conjecturas, n. 84. Sic probatio per duos teſtes, præfertur communi opinioni viciniæ, ac uni teſti cum fama, n. 85. Et probatio per aſpectum, præfertur atteſtationi juratæ in contrarium, n. 86. & ſeqq. Probatio per evidentiam facti, ſeu aſpectum ocularem, eſt omnium optima, n. 91. Et hæc nunquam cenſetur excluſa, etiam Statuto caveatur, non admittendam probationem in contrarium, n. 92. Idem dicendum de exceptionibus ex inſpectione inſtrumenti, &c. n. 93. Ad impugnandum inſtrumentum non admittitur probatio præſumptiva, n. 90. In pari cauſa prævalet probatio, quæ eſt favorabilior, n. 94. Vel cui Lex aſſiſtit, n. 95. Probationes in ſpecie, ſemper prævalent probationibus in genere, n. 96. Ex probationibus per teſtes, quæ cenſeatur melior, num. 97.

Probationes duæ ſemiplenæ, an faciant unam plenam, T. 19. n. 98. & ſeqq. F. 210. Sententia affirmativa ſtatuitur, n. 99. Dummodò duæ illæ probationes ſemiplenæ tendant ad eundem finem; alias ſecùs, n. 100. & 101. Solvuntur contraria, n. 102. Probatio, cui, & coram quibus facienda, T. 19. n. 113. F. 212. Ea eſt facienda Judici non adverſario, n. 113. Poteſt tamen Judex alium deputare ad recipiendos teſtes, aliaſque probationes, n. 114. Probationes ex teſtium depoſitionibus recipi non poſſunt, niſi citato, & præſente, ſi voluerit, adverſario, n. 115. Idemque dicendum de probatione per inſtrumentum, & inſpectionem ocularem, n. 113.

Probationes à quo ſint faciendæ, T. 19. n. 122. & ſeqq. F. 213. Affirmanti incumbit probatio, n. 122. Et regulariter Actori, n. 123. & ſeqq. Regula illa, *Actori incumbit probatio*, patitur plures fallentias, n. 125. Ut, ſi præſumptio juris ſtet pro Actore, n. 126. & 127. Si Reus excipiendo aliquid affirmet, quod ab Actore negatur, tunc Reo incumbit probatio, n. 128. Secùs, quod Reus excipiendo aliquid negat, n. 129. Regula illa fallit etiam in Judicibus duplicibus, n. 130. Et in Interdictis duplicibus, n. 131. Et quando Reus ultrò in ſe recepit onus probandi, n. 132. & 134. & ſeqq.

Probationes an poſſint fieri ante litis conteſtationem, T. 19. n. 142. & ſeqq. F. 214. Regulariter eæ ſunt faciendæ poſt litis conteſtationem, n. 142. Exceptis nonnullis caſibus; & quibus, n. 144. & ſeqq. Probationes elapſo termino ad probandum conceſſo, an poſſint per Judicem admitti altera parte invita, T. 19. n. 171. & ſeqq. F. 217. Loquendo de termino peremptorio per Legem, vel Statutum præfixo ad probandum, nequit id fieri, nu. 171. Niſi probato juſto impedimento, n. 172. Loquendo autem de termino per hominem præfixo, ſi res ſit adhuc integra poteſt illud fieri, n. 173. Idque probatur, n. 174. Secùs, ſi res non ampliùs ſit integra, n. 175. Cautela pro Advocatis quoad propoſitum, n. 176. Solvitur inſtantia, n. 177. Reſtitutio in integrum adverſus omiſſam probationem, an, & qualiter detur Eccleſiis, vel Minori, T. 19. n. 171. & ſeqq. F. 217. Vide infrà *verſ. Reſtitutio in integrum*. Probationum finis, & effectus, quis, T. 19. n. 189. F. 219. Probationis plenæ, & judicialis effectus præcipuus, quis, n. 190. & 192. Semiplenæ probationis non eſt magnus effectus, num. 191. Ea tamen non caret omni effectu; & qualem habeat, n. 193.

Probatio ſemiplena oritur ex depoſitione teſtium ſingularium ſingularitate diverſificativa, T. 20. n. 295. F. 249. Vide infrà *verſ. Teſtes ſingulares*. Probationem ſemiplenam facit pro hærede Liber rationum defuncti, qui fuit vir bonus, T. 22. n. 206. F. 301. Non verò plenam, niſi aliunde adminicula adjuventur, n. 207. Adminicula hujuſmodi quæ ſint, n. 210. & ſeqq. Vide ſuprà *verſ. Liber rationum*. Probatio per ſcripturas, vel litteras antiquas lapidibus inciſas, an, & qualis habeatur, T. 22. n. 221. & ſeqq. F. 302.

Probatio per teſtes, an ſit validior probatione per inſtrumenta, T. 22. n. 282. & ſeqq. F. 309. Probatio, per teſtes, eſt vera & naturalis probatio; per inſtrumenta eſt extraordinaria, & artificialis, nu. 285. Vide ſuprà *verſ. Inſtrumenta quibus modis*, & *verſ. Inſtrumentum publicum valet*.

Probatio per præſumptiones, an ſit vera probatio, T. 23. nu. 6. & 49. F. 315. Probationis gradum facit præſumptio, juxta quod indicia ſtringunt, n. 32. & 33. Probatio liquidiſſima eſt præſumptio juris, niſi contraria probatione elidatur, T. 23. n. 46. 48. & ſeqq. F. 319. An contra eam, præſertim quæ eſt præſumptio juris, & de jure, admittatur probatio in contrarium, n. 51. 52. & ſeqq. Vide ſuprà *verſ. Præſumptio*.

Probatio per confeſſionem partis, admittitur etiam contra ſententiam, T. 23. n. 55. F. 319. Referuntur caſus, in quibus non admittitur probatio, benè tamen confeſſio, T. 18. n. 14. F. 176. Confeſſio propriè non eſt probatio, ſed probationis relevatio, n. 12. & ſeqq. Probatio per evidentiam facti, nunquam cenſetur excluſa, T. 23. n. 57. F. 319. Probatio privilegiata, quæ, T. 24. n. 151. F. 341. Sententia lata per probationes privilegiatas, nunquam tranſit in rem judicatam &c. Ibid. Sententia lata ex probationibus privilegiatis, aut præſumptivis, non tranſit in rem judicatam, T. 27. n. 133. & 134. F. 400.

Probandum generatim, quid ſit, T. 19. n. 31. & ſeqq. F. 204. Generatim illud eſt probandum, quod eſt deductum in judicium, & ab altera parte negatum, n. 31. Si per teſtes probetur aliud, quam eſt deductum in judicio, non valet eorum probatio, n. 32. Illud duntaxat eſt probandum, quod probatum prodeſt probanti, num. 33. & ſeq. Quod non eſt veriſimile, an poſſit admitti ad probandum, num. 35. Manifeſta, ſeu notoria, ulteriori probatione non indigent, n. 37. & ſeqq. Negativa, utrùm quandoque probari poſſit, aut debeat, nu. 43. & ſeqq.

Proceſſus ſummarius, in quo conſiſtat, T. 1. n. 41. 42. & ſeqq. F. 4. Vide ſuprà *verſ. Judicium*.

Procurator invitus poſt litem conteſtatam revocari nequit, &c. T. 5. n. 34. F. 68. Per Procuratorem, an, & qualiter poſſit præſtari juramentum calumniæ, T. 7. nu. 35. & ſeqq. F. 75. Procurator jurans in animam Principalis, vel in animam ſuam, quomodò debeat verba concipere, num. 37. Ad illud requiritur mandatum ſpeciale Principalis jurandi in tali cauſa, n. 39. Dummodò Principalis non longè ſit abſens, puta, ultra mare, n. 39. Procurator ejuſmodi duplex juramentum calumniæ deponere debet; & quale, n. 40. Explicatur ſententia aſſerentium, poſſe juramentum calumniæ præſtari per Procuratorem, habentem generale duntaxat mandatum, n. 41. Procurator novus ab altero conſtitutus, etiam tenetur jurare de calumnia, n. 42. Procuratoris confeſſio utrùm præjudicet Domino, T. 18. n. 90. & ſeq. F. 184. Confeſſio Procuratoris an poſſit revocari, n. 93. & ſeq. Vide ſuprà *verſ. Confeſſio*. Procurator poteſt facere poſitiones, quando ad hoc habet ſpeciale mandatum; alias non, T. 18. n. 220. F. 149. Utrùm ad hoc ex parte Procuratoris requiratur mandatum ſpecialiſſimum, n. 221. Procurator non poteſt eſſe teſtis in cauſa, in qua procurator fuit, T. 20. n. 189. F. 239. Procurator, contra quem fertur ſententia, debet appellare &c. T. 28. n. 161. F. 424. Alias nocet Domino ſuo, n. 162.

Productio teſtium, quando, & qualiter fieri debeat, T. 22. n. 412. & ſeqq. F. 312. Ea regulariter fieri debet citata parte adverſa, n. 418. & ſeqq. Fallit in certis caſibus, n. 422. & ſeqq. Excommunicari poteſt, qui impedire præſumit productionem teſtium, n. 431. 432. & 434. Judex ex officio providere debet, ne impediatur productio teſtium, n. 432. Quid agendum, ſi teſtes producendi, alienæ ſint juriſdictionis, n. 433. & ſeqq. Debet tunc citatio eorum expediri per litteras *Mutui compaſſus*. Ib. His non indiget Epiſcopus in cauſis Eccleſiaſticis, citans teſtes Laicos ſuæ Diœceſis; & cur, n. 434. Quod ſi teſtes perſonaliter venire nequeant, concedenda eſt alteri Judici *Remiſſoria*, n. 435. Vide infrà *verſ. Remiſſoria*. Teſtes è longinquo, cujus ſumptibus ſint producendi, T. 20. n. 438. & ſeqq. F. 264. Vide infrà *verſ. Teſtes quando*.

Productiones teſtium regulariter ſolùm tres fieri poſſunt: quarta verò non niſi cum ſolemnitate Legali admittitur, T. 20. n. 445. F. 264. Solemnitas iſta Legalis declaratur, n. 447. & ſeqq. An per ly, *Productionem* oporteat hic intelligere *Dilationem*, n. 450. Si quarta productio teſtiū fuerit conceſſa ſine ſolemnitate Legali, nemine contradicente, valent atteſtationes, n. 451. Secùs ſi fuerit contradictum, & appellatum, n. 452. Teſtes ſemel producti, an iterum in eadem cauſa produci valeant, n. 453. & ſeqq. Poſt publicationem atteſtationum, & didicita teſtificata, nequit pars ſuper eiſdem articulis reproducere priores teſtes, nec alios producere; & cur, n. 457. Etiamſi didiciſſet teſtificata ſtatim poſt primam, vel ſecundam productione teſtium, n. 458. Demptis certis caſibus, n. 459. In cauſa appellationis, an poſt didicita teſtificata poſſunt priores, vel novi teſtes prodeci, n. 460.

Productio Inſtrumentorum, quid, T. 22. n. 229. F. 303. Et quando fieri poſſit, Ibid. Vide ſuprà *Inſtrumentorum productio*.

Proprietas plena, quæ, T. 12. n. 22. F. 100. Proprietas quomodo differat à poſſeſſione, n. 27. & ſeqq. Nihil habet commune cum poſſeſſione, n. 28. & 29. & 251. F. 101. Vide ſuprà *verſ. Poſſeſſio*. Sententia lata ſuper proprietate rei, abſorbet ſententiam ſuper poſſeſſione latam pro adverſario, T. 12. n. 37. F. 101. Proprietas, & dominium, important propemodùm idem, n. 31. Niſi quod dominium ſit terminus magis amplus, n. 32. Proprietatis effectus, eſt poſſeſſio, n. 36. & ſeqq. Ob notorium defectum proprietatis, ſpoliatus non reſtituitur, & qualiter hoc intelligendum, T. 13. n. 76. 77. & ſeq. F. 136.

Prorogatio juriſdictionis, quid, T. 2. n. 122. F. 34. Et qualiter fiat, n. 123. Fit quatuor præcipuè modis; videlicet, de perſona ad perſonam, n. 124. & 125. De re ad rem, n. 126. De tempore ad tempus, n. 127. Et de loco ad locum, n. 128. Ad prorogationem juriſdictionis requiruntur quatuor conditiones; & quæ, n. 129. & ſeq. Juriſdictio delegata poteſt prorogari quoad accidentalia, n. 134. An Clerici poſſint in ſe prorogare juriſdictionem Judicis non ſui, n. 139. & ſeq. Etiam Laici, n. 140. Prorogatio juriſdictionis hodie in utroque Foro raro admittitur, n. 142.

Proteſtatio contraria facto non relevat, T. 5. n. 11. & 12. F. 67. Proteſtatio non conteſtandi litem, quando locum habeat, n. 13. Vide ſuprà *verſ. Litis conteſtatio*.

Protocollum, quid, T. 22. n. 34. F. 284. Dicitur etiam Liber, in quo originalis ſcriptura Inſtrumentorum continetur, n. 35. Protocollo, ſi omnia requiſita habeat, plena fides adhibetur, num. 39. Adeò, ut in dubio magis ſit ſtandum Protocollo, quàm Inſtrumento inde deſumpto, n. 37. Ad Protocollum, ut plenè probet, quæ requirantur, T. 22. n. 38. & ſeq. F. 285. Notarius Protocollum conficiens, debet eſſe rogatus à partibus, ac per ſe audire negotium &c. n. 39. In Protocollo debent geſta clarè eſſe deſcripta, n. 40. Ad illud requiruntur omnia, quæ debent intervenire in publico Inſtrumento, n. 41. Protocollum an debeat publicari, ſeu prælegi partibus, n. 42. & ſeq. Protocollum Notarii, cui aliqua ex requiſitis deſunt, adhuc ſemiplenam facit probationem, n. 44. Utrùm unus Notarius poſſit in publicam formam redigere Inſtrumentum juxta notas in Protocollo alterius repertas, n. 45. 46. & ſeqq. Notarius Protocollum penes ſe habere debet, n. 53. Protocollum, Nota, & Abbreviatura, idem ſunt, n. 56. Ex ſchedulis penes Notarium defunctum repertis, quando poſſit confici publicum Inſtrumentum, n. 57. 58. & 60.

Provinciæ nomine, quid intelligatur, T. 26. n. 152. F. 381. Præſentes, & abſentes dicuntur qui in eadem, vel diverſis Provinciis habitant, n. 151. & ſeq.

Provocatio, eſt quid generalius appellatione, T. 28. n. 10. F. 420.

Pubes, minor viginti annis, non poteſt eſſe teſtis in cauſis criminalibus, benè tamen in civilibus, T. 20. n. 80. F. 228. Niſi hæ fuerint arduæ, magnique præjudicii, n. 81. Aut cauſæ criminales ſint difficilis probationis &c. n. 82. Pubes major viginti annis, non repellitur à teſtimonio etiam in cauſis criminalibus, n. 83.

Publicatio atteſtationum, quid & qualiter fiat, T. 19. n. 148. & ſeqq. F. 215. Vide ſuprà *verſ. Atteſtationum publicatio*.

Pupillus abſque Tutoris authoritate, non habet legitimam perſonam ſtandi in Judicio, T. 1. n. 154. & ſeq. F. 15. Quid ſi Pupillus ſine interventu Tutoris agere tentavit, & ſententia pro ipſo; vel contra ipſum lata eſt, n. 162. Pupilli regulariter excluduntur à ferendo teſtimonio in quacunque cauſa, T. 20. n. 72. F. 227. Ac etiam in Teſtamentis, n. 73. Contra ætatem pupillarem non currit præſcriptio, T. 26. n. 44. F. 368. Res pupillaris præſcribi non poteſt, Ibid. Vide ſuprà *verſ. Miſerabiles perſonæ*.

Purgatio canonica, qualiter fieri debeat, T.19. n.134. F.214. Si plenè probatur Reum deliquiſſe, non auditur is volens probare ſe non deliquiſſe, mediante purgatione canonica, Ibid. In purgatione canonica plures requiruntur teſtes, quam duo; cur. T.20 n.241 F.145. In purgatione canonica admittuntur teſtes de credulitate, T. 20. n. 353. F.256.

## Q

QUæſtio, quomodo differat à Cauſa, T.1.n.15. F.3 Quæſtio facti, & Quæſtio juris, quæ, n.16 Quæſtio præjudicialis, quæ, T 19. n. 13. & 14 F. 94. Quæſtio præjudicialis debet cognoſci ante aliam, cui præjudicat, n.14 Quæſtio alia eſt præjudicialis reſpectu proponentis, ſeu eligentis, n.15. Alia reſpectu adverſarii, n.16 Et alia reſpectu Proceſſus, & quomodo, n.17. An ſi Reus contra Actorem opponat ſpoliationem; priùs debeat tractari quæſtio, ſeu cauſa ſpolii, n.18. & 19. Sive eam opponat in modum exceptionis, n.19. Sive per viam actionis, reconveniendo videlicet Actorem ſuper ſpoliatione, n.20.
Quæſtio incidens (penultima correpta) & emergens, quid, n.21. Quæſtio incidens (penultima producta) ſumitur tripliciter, n. 22 Qualiter, & quomodo differat ab emergenti, n.23 24. & 25. Super quæſtione incidenti, ac emergenti, quando ſit pronunciandum, n 26. & 27. Et quando non, n.26. 28. & 29. Quid ſi Quæſtio incidens ſit tractanda coram alio Judice, n. 20. & ſeqq. Incidente Quæſtione merè ſpirituali, Judex ſæcularis nequit de ea cognoſcere, ne quidem acceſſoriè, n 31. & 32. & ſeqq.
Qualitas alia eſt homini intrinſeca, alia extrinſeca, T.23. n. 31. F. 317. Vide ſuprà *verſ. Idoneitas*.
Querela eſt recognoſcenda ab eodem Judice, qui ſententiam tulerat, T. 27. n.137. F. 401. Sententia, quæ non tranſit in rem judicatam, lapſu decem dierum non poteſt revocari per viam appellationis, ſed ſolùm per viam querelæ; & quomodo iſtud fiat, nu. 135. 136. & ſeqq.

## R

RAſura ſi in Inſtrumento ſit facta, an propter eam Inſtrumentum poſſit reprobari, T.22. n.327 & ſeqq F. 313.
Rationum Libri. Vide ſuprà *verſ Libri Rationum*.
Reconventio, quid, T.4. n.2 F. 60. Reus conventus non cogitur reconvenire Actorem, n.3. Si tamen vult, tenetur eum reconvenire coram eodem Judice, n. 3 & 4. Nequit Actor quoad reconventionem, ubi ea locum habet, ſe ulla Fori incompetentis exceptione tueri, n.5 Reconventio generatim, in quibus cauſis locum habeat, n.6. & ſeqq. Et non habet locum in cauſis criminalibus criminaliter motis, n. 8. Secùs, ubi merè civiliter proceditur, n. 8. Reconventio etiam non habet locum in cauſis executivis, T 4. n.9 F.61. Nec in cauſa appellationis judicialis: ſecùs extrajudiciali, n. 10. Nec habet locum, ubi qualitas cauſæ eidem repugnat; putà, ſi una cauſa ſit liquida, altera illiquida, nu 11. Vel ubi cauſa conventionis eſt ſummaria, altera ordinaria, n. 12. Quod tamen limitatur, Ibid. Aut, quando Judex, quem Actor adiit, de altera cauſa cognoſcere nequit, n. 13. & 14. *Per* reconventionem extenditur juriſdictio Judicis; & quomodo, n.15. Reconventio non procedit coram Arbitris, n 16. Et quibus, n.17. Nec in Reo excommunicato, n.18. Neque valet reconventio reconventionis, n. 19
Reconventio Clerici coram Judice laico, an fieri poſſit, T.4 n 20. & ſeqq. F 62. Laicus nequit Clericum coram Judice ſæculari reconvenire ſuper cauſa ſpirituali, vel huic annexa, n.21. Neque in cauſa criminali, n.22. Num ſaltem poſſit ipſum reconvenire in cauſa temporali, & civili, n. 23. & ſeqq. Sententia affirmativa eſt communior Doctorum; eaque multipliciter probatur, n. 27 & ſeqq Ponuntur, & ſolvuntur fundamenta ſententiæ negativæ, n. 24 & ſeq ac n.31. & ſeqq. Reconventioni non eſt locus, quando Laicus dolo provocavit Clericum, ipſum damnificando, injuriando &c. 35. & 36. Dantur alii caſus, in quibus Clericus nequit reconveniri coram Judice laico; & qui, n. 37. & ſeqq.
Reconventio, non eſt propriè conventio, T.4. n 31. 32. F 63. Reconventio eſt proponenda ſub ipſo litis exordio, n. 40. & 41 Sive ante ſive immediatè poſt litem conteſtatam, n. 42. Alias pari paſſu cum conventione non ambulat, n.43. & 44. Cauſa reconventionis, & conventionis, eſt ſimul tractanda, n.45. Cum prærogativa tamen Actoris, num 46. Et quomodo utraque cauſa dicatur eadem ſententia terminari, n.47 Quid, ſi feratur ſententia ſuper una tali cauſa, & non ſuper altera, n.48. Reconventionis effectus, qui, n.49 59. & ſeqq
Recuſatio Judicis, à quo in una cauſa fuit appellatum, an, & quando fieri poſſit in alia cauſa, T 28 n 215 216 & 217. & ſeqq F 429. Recuſatio Judicis, quid, T.28 n 316. F.440 Hæc in nonnullis convenit cum appellatione, differt autem ab ea in pluribus, n.317. & 319 Recuſatio, & appellatio æquiparantur, & quomodo, n 318. Recuſatio Judicis ſuſpecti debet fieri ante litem conteſtatam, & intra viginti dies poſt oblatum Libellum, n.320 Niſi nova cauſa recuſandi ſupervenerit, n.321. De Jure canonico poteſt recuſari Judex tam ordinarius, quam delegatus, n. 322. Et quid ſpectato Jure Civili, n 323. Volens recuſare Judicem ſibi ſuſpectum quid agere debeat, n 324. Effectus recuſationis Judicis, quis, n 325 Recuſatio an ita ſuſpendat juriſdictionem Judicis recuſati, ut poſteà geſta ab eo ſint nulla ipſo jure, n.326 & ſeqq. Referuntur diverſæ circa hoc Doctorum ſententiæ, n. 327. & 328.
Redhibitoria actio; quæ, & quo tempore eidem præſcribatur, T. 26. n 182 F. 383.
Regeſtum, ſive extractus Actorum primæ Inſtantiæ, fit ad inſtantiam Partis, ejuſque expenſis, T. 28. n. 245. F. 432.
Regularem Statum ſuſcipiens, an circa anteà geſta gaudeat privilegio Fori, T 2. n 271. & ſeqq F. 48.
Relatio, quid, T 28 n 327. F 440 Relationes de facto propemodum abierunt in deſuetudinem, n 330. Judices ipſi tenentur cauſam ſententialiter terminare, omiſſis relationibus, Ibid
Religioſi, an poſſint agere, & conveniri in Judicio, T.1. n.165. & ſeq. F. 24. Iſtud regulariter non poſſunt ſine licentia ſui Prælati, n. 165. Niſi pro reformatione Monaſterii accuſando Prælatum, n.166. Aut niſi de licentia Prælati exiſtant extra Monaſterium in [illegible] remoto, n 167. Vel niſi habeant beneficium de conſenſu ſui Superioris, n. 168. & 169 Religioſus poteſt agere ſuper juribus ſpiritualibus, quorum eſt capax, n.170. Habens actionem contra Religioſum, an debeat ipſum convenire, vel potius Monaſterium ejus, T.1. n.183. & 184. F.28. Diſtinguitur inter cauſas civiles & criminales, Ibid Religioſi gaudent privilegio Fori, T.2. n.190. & ſeq F.40 Idque authoritate Eccleſiæ, n.198 & 230. Religioſi, qui conqueruntur de ſuis Prælatis, poſſunt ſequeſtrari, ſi opus fuerit, T. 17. n.29. F. 173. Religioſis an ſit licitum juramentum, T.24. n 22 25. & ſeq F. 326.
Remediis poſſeſſoriis nequit uti contra inventorem, qui deperdidit rem mobilem, T.12. n.199. F. 217. Poteſt tamen contra inventorem agere judicio petitorio, n 200 Remedia ſpoliatorum, quæ, T.13. n.2. & 3. ac ſeq. F.128 Vide infrà *verſ. Spoliatorum remedia*. Remedia recuperandæ poſſeſſionis, non dicuntur Interdicta; & cur, n. 25. Remedium *Redintegranda*, declaratur, n.21. & ſeq Circa remedium ſpoliatorum ex *can. Redintegranda* 3. q. 1. aderat diverſitas opinionum; ſicque aliud certum ex *c. Sæpè de Reſtit ſpoliat.* non ſuperfluit, n 37 Vide ſuprà *verſ. Condictio*. Aliud remedium recuperandæ poſſeſſionis habetur ex officio Judicis, eſtque extraordinarium, n. 45. Et quibus competat, n 45 & 46. Remedium extraordinarium non debet tribui habenti ordinarium, niſi illud ſit pinguius, n.47. Remediis ſuperfluis utendum non eſt, T. 13. n. 37. F. 164.
Remiſſio Reorum alicubi delinquentium, & poſteà fugientium, poteſt debitè per litteras requiri, T.2. n 61 F 28 Ac de rigore Juris fieri debet; & cur, n.62. Idque non ſolùm ex urbanitate, ſed etiam ex neceſſitate, n. 63. Requiruntur tamen ad hoc plures conditiones; & quæ, n.64. uſque ad n 69 Remiſſiones Reorum de facto rarius practicantur, vel non niſi ſub litteris Reverſalibus; & cur, num. 70. Ut Judex poſſit remiſſionem Rei facere, debet (juxta aliquos) in ipſum juriſdictionem habere, n.71 Oppoſita ſententia probatur, n. 72. Et reſolvuntur rationes prioris ſententiæ, n.73 Remiſſio regulariter non habet locum in Contractibus, T. 2. n 97. F.32.
Remiſſoria eſt alteri à Judice concedenda, quando teſtes perſonaliter venire non poſſunt; & quando, T. 20. n. 435. & ſeqq. F. 364
Replicatio eſt contraria Exceptioni, & huic Duplicatio, Triplicatio &c. T.25. n.6. F. 351. Replicatio poteſt ab Actore fieri contra exceptionem Rei, & contra illam Duplicatio, Triplicatio &c. T.25 n.[illegible] F.358 Replicatio, eſt quaſi Exceptionis exceptio, T.25 n 134. F. 364. Dicta de Exceptionibus, ſervata proportione, locum habent in Replicationibus, Ibid Vide ſuprà *verſ Exceptio*.
Rerum corporalium poſſeſſio, quibus generatim modis, utpote apprehenſione acquiratur? T.12. n 102 & ſeq. F.106 Et quid dicendum de acquiſitione, & in alium tranſlatione quaſi poſſeſſionis rerum incorporalium, n.142 & ſeqq Amiſſio poſſeſſionis rerum tum corporalium, tum incorporalium, qualiter fiat, T.12. n 185 F 114 Vide ſuprà *verſ Poſſeſſio*. Rem mobilem qui perdidit, non poteſt contra hujus inventorem uti remediis poſſeſſoriis, T.12 n 199 F.115. Poteſt tamen contra hunc agere judicio petitorio, n. 200
Res ſpiritualis, quæ? T.1. n.65. F.7. Rerum ſpiritualium cognitio ad ſolum Judicem Eccleſiaſticum pertinet, n.64 66 & ſeqq. Ratione rei alicubi ſitæ, an, & quando quis dicatur ſortiri Forum, T 2. n.98 & ſeqq F 106. Et quid de rebus mobilibus, n 99 & 100
Res quænam generatim præſcribi poſſint, vel non poſſint, T 26. n.26. 27. & ſeqq F 367. Vide ſuprà *verſ Præſcribi quæ*. Res mobiles, & immobiles, quæ, T 24 n.149. F 381 Nomine immobilium veniunt etiam Beneficia, Cenſus, Redditus, Juſpatronatus, [illegible], & actiones ad immobilia, n.150 Res mobiles, & immobiles privatorum, quo tempore præſcribantur, nu. 148. & ſeqq & quantum temporis requiratur ad præſcribendum res immobiles contra Eccleſias, n. 162 163. & ſeq Et an res mobiles eorum triennio uſucapiantur, n 168. & ſeq Vide ſuprà *verſ Præſcriptio rerum*
Res inter alios acta, aliis non nocet, T. 27 n. 149. 150 & ſeqq F. 402. Ac regulariter etiam non prodeſt aliis, n 152. Regula iſta plures patitur limitationes; & quas, n 153 & 154. & ſeqq.
*Res judicata pro veritate accipitur*, quomodo intelligendum, T. 1. n.195. F.20. & T.3. n 35 F 53. Exceptio rei judicatæ non competit Reo abſoluto ex eo, quia tempore latæ ſententiæ non poſſidebat, ſi poſt eam poſſidere incipiat. T.25 n 130. & 131 F 364. Exceptio rei judicatæ per Judicem Eccleſiaſticum, debet etiam admitti in Foro ſæculari; & econtra, n 132 Res judicata, & ſententia, ſunt valde affinia, T 27 n.2 F. 388 Datur tamen inter eos aliqua differentia, & quæ, n. 3. & 4. Sententia in quo ſenſu dicatur tranſire in rem judicatam, nu. 5. Sententia ante lapſum decendii dicitur Res judicata, largè ſolùm & impropriè, poſteà verò propriè, ac litteraliter, n 2 & 5 Res judicata poteſt dupliciter accipi, largè & ſpecificè, & quid ſit, T.27 n 105 & 106 F 398 Quo tempore ſententia dicatur tranſire in rem judicatam, n 105 107 & ſeq. Sententia tranſiens in rem judicatam, habet pro ſe præſumptionem juris & de jure, n. 109. Vide infrà *verſ. Sententia quo tempore &c.*
Res litigioſa, quæ, T.16. n.23. F.168. Ad eam requiritur, ut moveatur quæſtio ſuper ejus dominio, vel quaſi dominio, n.24. Et non tantum de aliquo onere ipſius, n.25 Nec ſolummodo ſuper ejus poſſeſſione, n.26 Quamviſtunc ipſa poſſeſſio fit litigioſa, n 27 Res efficitur litigioſa non ſolùm per litis conteſtationem, ſed jam antea, n. 28 Et quantum ad hoc correctum eſt Jus antiquum, n. 29 Non tamen rem facit litigioſam ſimplex interdictio, ne vendatur, n.30. Ut actio fiat litigioſa, requiritur litis conteſtatio, n. 31. Res litigioſa ſi alienetur, oportet eam reſtitui, n.37. Aut, ſi reſtitui non poſſit alia æquivalens in ejus locum ac Jus ſubrogari, n 38 & ſeqq. Quæ poſteà alienari, vel oppignorari non poteſt; n. 39. Debetque eſſe libera ab onere, ſicut erat res indebitè alienata, n 40 Quæ ſint pœnæ, quando neuter, vel uterque contrahentium ſcivit, rem eſſe litigioſam, n.60. & 52. Difficile eſt in alienante reperiri ignorantiam rei litigioſæ, n. 51 Et quid, ſi ſolus emptor ignoravit, rem eſſe litigioſam, n 53 Dicta de ſcienter, vel ignoranter vendente, autemente rem litigioſam, procedunt in quolibet contractu, n. 54. Rem litigioſam ſcienter Sacris dedicans, punitur in duplum, n. 55. Vide ſuprà *verſ lite pendente*.
Reſcriptum lite pendente impetratum, cenſetur ſubreptitium non facta mentione de ea, T.16. nu. 14. F 167. Reſcriptum poſt cauſam Delegatis commiſſam impetratum, poteſt nullitatis argui tum ex vitio ſubreptionis, tum ex vitio attentati poſt litis pendentiam n.15. Reſcriptum Papæ ſi videatur prava ſuggeſtione obtentum, quid agendum, T. 22. n. 340. F. 314.
Reſidentiam perpetuam jurans, poteſt in caſibus à Jure permiſſis abeſſe, T. 24. n 38 F. 319.
Reſpondere, an, & quando quis teneatur juxta mentem interrogantis? T 18. n.178. F 195. Reus à Judice interrogatus, an teneatur reſpondere fatendo veritatem, T 18. n.154. & ſeqq. F 192. Vide infra *verſ. Reus an judici &c.* Reſpondere purè & ſimpliciter poſitionibus, quid importet, T.18. n 242 F.201. Paria ſunt, non reſpondere, & obſcurè reſpondere, n. 243. Poſitionibus reſpondere tenentur ipſi Principales &c. n.245 Vide ſuprà *verſ Poſitiones*.
Reſtitutionis in integrum poſtulatio ab Eccleſia contra Laicum facta, recenſetur inter cauſas mixti fori, T.2. n. 153 F. 36. Reſtitutio in integrum adverſus omiſſas probationes, an, & qualiter competat Eccleſiæ, vel Minori, T 19. n 178 & ſeq F 218 An reſtituatur etiam contra aliam Eccleſiam, vel Minorem, n.179. An pariter poſſit reſtitui ad productionem teſtium poſt publicationem atteſtationum, n.180 & 181. Quæ conditiones ad reſtitutionem in integrum propter omiſſas probationes requirantur, n.182 & ſeq An ſit neceſſe probare læſionem, n. 183. & 184. Utrum Eccleſia, vel Minor adverſus omiſſas probationes in una eademque cauſa ſæpiùs in integrum reſtitui poſſit, n 185 & ſeqq.
Reſtituuntur in integrum Minorennes, & quandoque Majorennes, ex propria confeſſione graviter læſi, T.18 n.81 F. 183. Beneficium reſtitutionis in integrum competit Eccleſiis, Minoribus &c. adverſus præſcriptionem contra eos completam, T. 26. n.220 F. 287.
Reſtrictio mentalis, quæ, T 18 n 182 F 195 Referuntur tres propoſitiones Innoc. XI quibus damnantur reſtrictiones mentales, n. 179.
Reviſorium, unde traxerit originem, T.28 n.18. F 411. Reviſores, qui, T 28 n 48 F. 414 Hodie uſus ſupplicandi propemodum ab Aulis receſſit, & in ejus locum ſucceſſit Reviſio, Ibid. Reviſio hujuſmodi, quæ habeat ſpecialia, n 49 Et quomodo differat à Supplicatione, & Appellatione? Ibid.
Reus unde ſic dicatur, T. 1. nu. 9 F 2. Reus ſi habeat multiplicem Forum, in electione Actoris eſt, eum in quo maluerit Foro convenire, T 2. n 6 F 23 Reus coram incompetente Judice conventus, impunè non comparet, opponendo exceptionem declinatoriam Fori, n 7. & ſeqq Vide ſuprà *verſ Forum*. Reus, qui fugit, an ſit remittendus ad locum delicti, T.2. n 61 F.28. Vide ſuprà *v. Remiſſio Reorum*. Si ſuper Clericatu Rei, ſeu malefactoris per Judicem laicum capti, & dicentis, ſe eſſe Clericum, oriatur quæſtio, an, & qualiter cognitio hujus cauſæ ſpectet ad Judicem Eccleſiaſticum, T. 2 n.273. & ſeq F 49. Reo invito, non debet quis intrare domum ejus ad eum citandum, T 3. n.8 F 51. Vide ſuprà *verſ Citatio*. Reus conventus non cogitur reconvenire Actorem; ſi tamen vult, tenetur eum reconvenire coram eodem Judice, T. 4 n. 3 & 4 F. 60 Vide ſuprà *verſ Reconventio*. Reus an Actore plus petente poſſit ſimpliciter negare totam petitionem T. 11 n. 20. & ſeq F. 97.
Reus contumaciter abſens, quomodo ſit citandus? T 13 n.81. & ſeq. F. 177. Contra Reum contumaciter abſentem non poteſt procedi, lite needum conteſtata; & cur, num 88. & ſeq. Benè tamen contra Actorem contumacem abſentem, num 84. Major eſt contumacia Actoris, quam Rei, n 88 Magis præſumitur contra Actorem, quam contra Reum contumaciter abſentem, n 89 Rei, in Jure appellantur *Fugientes*; & cur Ibid Cur non ſtatim ad inſtantiam Rei fiat Proceſſus ſuper cauſa principali, Actore contumaciter abſente, ſicque nihil probante, nu 90. & ſeqq. *Actore non probante Reus abſolvitur*, quomodo intelligendum, n 91 Reo contra Actorem contumaciter abſentem, competunt quatuor Juris remedia; & quæ, T.14 n 92 & ſeq F.154. In arbitrio Rei eſt, unum ex dictis remediis contra Actorem contumacem eligere, n. 106.
Reus in prima citatione contumax, ſecundò & tertiò citandus eſt. T. 14 n.107 & ſeq F.155 Reus, qui tantùm fuit contumax in prima citatione, non item in ſecunda vel tertia, an debeat condemnari Actori in expenſis, n.112 & ſeq Affirmativa ſententia eſt vera, n. 113 & 114. An ſi Reus ad primam citationem dixerit, ſe nolle comparere, adhuc ſit citandus, n.115 & ſeq. Affirmatur, ſi extra Judicium ita reſponderit: ſecùs, ſi in Judicio, n 115 116. & ſeq & n.123. Quid agendum cum Reo extra Judicium reſpondente, ſe nolle comparere, n 119. Præſertim, ſi in termino citationis non comparuerit, n.120. Et quid, ſi in judicio ita reſponderit, n 121 Judex, antequam procedat ad infligendas Reo abſenti pœnas, debet eum declarare contumacem, num. 122. Attendendo priùs, an non habeat juſtam cauſam abſentiæ, & aliqualiter expectando, nu 123 Si reus citatus veniat intra terminum prorogatum citationis, vel poſtea, quid procedendum, 125.
Rei contumacis pœnæ ſunt plures; & quæ. T 14 n. 126 & ſeqq. F. 157. Has non incurrit, qui ſolùm citatur, ut veniat, ſi ſua intereſſe putaverit, n 127 Reus contumax, & poſteà veniens, non auditur, niſi refuſis Actori expenſis, & præſtita cautione de judicio ſiſti, n 129 Ob Rei contumaciam mittitur Actor ex primo Decreto in poſſeſſionem rei petitæ, n. 130 Ac poſt annum Actor conſtituitur verus rei petitæ poſſeſſor, n 131. Ob rei contumaciam poteſt quandoque Judex ſequeſtrare fructus rei petitæ, n.132 Sed non niſi concurrentibus certis circumſtantiis, n.133
Reus contumax poteſt mulctari à Judice, T.14. n.134. F.158. Etiam altera parte non petente, n.135 Hæc mulcta eſt arbitraria, n 136. Et habet locum duntaxat in vero contumace, non autem in fictè contumace, n 137. Et an tunc Reus debeat de novo citari; n 138. Reus contumax poteſt realiter citari, n.139 Ac excommunicari, n 140. & ſeqq.
Reus contumax habetur pro præſenti in ſui præjudicium, T.14. n.143. F 158 Hinc poteſt Judex contra eum procedere per miſſionem in poſſeſſionem bonorum ejus &c n 144 Et, ſi lis jam erat conteſtata, procedere uſque ad ſententiam diffinitivam &c. n.145. Ratione contumaciæ Rei, an & quando detur Actori vera poſſeſſio rei petitæ, n.145 & 146 Reus contumax perdit beneficium appellandi, n.145. Intelligendo iſtud de Reo contumace in non veniendo: ſecùs in non exhibendo; & cur, n.148. Item de Reo verè contumace, & non tantùm fictè, n.149 Alia Rei contumacis pœna, eſt litis damnum; & quomodo, n.150 & 151 Pœna Rei contumacis in non reſpondendo, vel obſcurè reſpondendo, quæ, num. 152. & 153. Aliæ contumacium pœnæ, num 154.
Reus antequam ex propria confeſſione condemnetur ad mortem, debet conſtare de corpore delicti. T. 18 n. 65 F 181 In criminalibus ad excludendam appellationem plures requiſunt, quod Reus ſimul & confeſſus, & convictus, ſit n. 66. Ponitur verior ſententia aliorum, n.70. Reus quibus modis cenſeatur eſſe convictus, n 69.
Reus de ſe confeſſus, an poſſit interrogari de ſociis criminis, T. 18 n. 96. F. 185 Reus de ſe confeſſus poteſt interrogari de ſociis in delictis occultis & difficilis probationis, n 106 Ad quid valeat confeſſio, ſeu nominatio ſocii criminis, per Reum de ſe confeſſum facta, n. 107. & ſeq. Confeſſio Rei per torturam extorta, an probet, T. 18. num 137. & ſeq. F. 189. Vide ſuprà *verſ. Confeſſio per torturam*. Reus tortus, qualiter cenſeatur perſiſtere in confeſſione, T. 18. n. 348 F 190. Vide infra *verſ. Tortura*. Confeſſio criminis, emanata ſub ſpe impunitatis, an ſufficiat ad condemnandum Reum, n. 159. & ſeqq.
Reus, an Judici non ſervato Juris ordine interroganti, teneatur fateri veritatem, T.18 n. 154 & ſeqq. F 192 Poteſt Reus tunc Judicis interrogationem artificio eludere, non autem mentiri, n. 155. Ut Reus cenſeatur interrogari ſervato Juris ordine, quid requiratur, n. 156. & ſeqq. Reum nequit Judex interrogare de occultis criminibus, ſi nulla præceſſit infamia &c. n. 57. & ſeqq Reus dubitans, an juridicè interrogetur, an tum teneatur confiteri veritatem, T 18. n. 160 & ſeqq F 192 An, & ſub qua obligatione, Judici legitimè interroganti Reus teneatur fateri veritatem, n.163 & ſeqq. Reo juridicè interrogando ſolet anteà imponi juramentum de veritate dicenda, n.164 Et quid in cauſis criminalibus, Ibid. An Reus in cauſis criminalibus gravioribus, vel capitalibus juridicè interrogatus, ſub gravi obligatione teneatur fateri veritatem, n. 167.
Reus juridicè interrogatus peccat mortaliter, ſi non fateatur veritatem, T 18 n 163 & 167. & ſeqq F 193 Nec durante ſua prava intentione hanc negandi, poteſt ſacramentaliter abſolvi, n. 168. Iſtud non debet videri nimis durum; & quomodo intelligendum, n 169. & 170. An Reus, qui negavit, teneatur ſe offerre Judici ad fatendam veritatem, n. 169. & 170.
Reus ex præſumptione falſa à Judice interrogatus, an teneatur confiteri propoſitionem veram, ubi iſta confeſſa condemnandus eſt in Foro externo de crimine, aut debito, ad quod tamen verò in Foro conſcientiæ non tenetur T 18 n 171. & ſeqq. F 193. Status Quæſtionis declaratur exemplis, n.171 & 172 Quantum attinet ad Forum conſcientiæ, probabilis eſt ſententia negativa, n. 172. & ſeqq Eaque pluribus probatur, nu. 173 & 174. In Foro tamen externo eſt procedendum juxta exigentiam præſumptionis, n. 175. Solvuntur objectiones, n. 176 & ſeqq.
Reus non habet in ſua poteſtate, quando conveniatur, T. 19 num. 124 F 213 Si præſumptio juris ſtet pro Actore, tunc onus probandi transfertur in Reum, num. 126 & 127. Idem contingit in nonnullis aliis caſibus; & quibus, num. 128. & ſeqq Quid juris, ſi Reus ſponte in ſe ſuſcipiat onus probandi, nu. 133 & ſeqq. Si plenè probatur Reum deliquiſſe, non auditur Reus volens probare, ſe non deliquiſſe, mediante purgatione canonica, num 134 Secùs, ſi indirectè per teſtes ad probare velit, num. 135. Reus ſuſcipiens in ſe onus probandi, eſt audiendus, num. 136. & 137 Quid commodi reportare poſſit Reus, ſuſcipiens in ſe onus probandi, num 138. Etiamſi Reus ſe aſtrinxiſſet ad probandum, & deficeret in probatione, non debet condemnari, ſi nec Actor probaverit, n.139. Dummodò Reus ad id ſe non obligaret ſub amiſſione cauſæ, num. 140. Ad Rei defenſionem, ſeu probandam ejus innocentiam, admittuntur teſtes criminoſi, T 20. num 67. F 226. Item Domeſtici Conſanguinei, n 125. Ad probandam Rei innocentiam ſufficit præſumptiva, & dubia probatio, ſi Actor plenè non probet, T. 19. n 63 F 207.
Rei examen ſuper crimine admiſſo debet fieri in genere, gradatim deſcendendo ad magis ſpecialia, T.20 num. 520. F 271. Rei confeſſio per ſuggeſtionem extorta, non ſufficit ad condemnandum, &c. num. 316.
Reus inſtrumenta ſua debet edere Actori, quando ipſis eſt uſurus in Judicio; & qualiter, T 22 n.234 & ſeqq. F 304. Secùs, ſi ipſis in Judicio non eſt uſurus, n 242 & ſeqq Quamvis teneatur reſpondere ad poſitiones Actoris: & quæ diſparitas, num 243. Actor tenetur edere Reo inſtrumenta ad fundandam hujus exceptionem: & cur, n 244. Reus excipiendo fit actor; & quomodo, Ibid. Inſtrumenta communia tenetur Reus edere Actori petenti &c. n.245. & ſeqq. Regula illa, *Reus non tenetur Actori ſua propria inſtrumenta edere*, plures patitur limitationes; & quas, n. 250 Reus tenetur edere ſua inſtrumenta Fiſco agenti contra illum, n. 251 Privilegium iſtud extenditur ad Eccleſias, aliaque Loca pia; [illegible] ad cauſam Matrimonialem, &c num. 252. Quando Actor [illegible] ſententia.

tentiam ſuam in Jure fundatam, tenetur Reus conventus edere privilegium in oppoſitum, n. 254.

Reus ob ſolas vehementes præſumptiones in cauſis criminalibus non eſt condemnandus, ſed torquendus, &c. T.23. n 70 F 321. an tali Reo pœna extraordinaria poſſit injungi, n 71. & ſeqq. Dicere, quod quis majore, vel minore pœna ſit afficiendus, eò quòd delictum magis vel minus fuerit approbatum, eſt inconveniens, num 72. Poteſt tamen Reo propter ipſa indicia, quæ de ſe mala ſunt, pœna extraordinaria imponi, n. 73.

Reus excipiendo fit actor, T. 25. n. 24 F. 353. Sed actor neceſſarius, n 99. Reus tenetur probare ſuam exceptionem intra terminum à Judice præfigendum, nu. 23 24. & ſeqq Vide ſuprà *verſ. Exceptio*. Reo per ſententiam diffinitivè abſoluto, datur exceptio rei judicatæ &c T 27. n 146. F.402 Secùs ſi abſolvatur duntaxat ab obſervatione Judicii, nu. 147. Reus in actione injuriarum condemnatus, efficitur infamis; niſi injuria foret minima, n. 148. Reus convictus in judicio, ſimulque confeſſus, appellare prohibetur, T. 18. n. 67. 68. & 70. F. 182. & T. 28. n. 297 F. 438. Vide ſuprà *verſ. Appellare*, & *verſ. Appellatio*.

Romanæ in Curia poteſt quilibet tum Clericus, tum Laicus, ſuper cauſis ſpiritualibus conveniri, T. 2. n. 106. F 32. Solvitur inſtantia ex Concilio Tridentino, n. 107.

*Rubro* quando generalius eſt *Nigrum*, T. 15. n. 1. F. 160.

Rumor, quid; & quomodo differat à Fama, T. 20. n. 392. F. 259.

Ruſticus equo uti non debet: & ſi utatur, expenſæ idcircò factæ, non ſunt ei tanquam teſti reficiendæ, T. 20. n 442. F. 264.

S

SAcerdos ſigillo Confeſſionis in primis tenetur, T. 18. n. 132. F 189. Ipſi Confeſſionem revelanti, nullo modo creditur, Ibid. Sacerdotibus an ſit licitum juramentum, T. 24. n. 22. & ſeqq F. 326. Sacerdotes in levi cauſa non ſunt compellendi ad jurandum, n. 27

Sacramentum, etiam appellatur Juramentum. T 24 n 2. F. 325. Vide ſuprà *verſ. Juramentum*.

Schedulam Confeſſionis inventam ſcienter legens peccat, T. 18. n. 135. F. 189. Nec poteſt Judex de peccatis in ea ſcriptis inquirere, n. 135. & 136.

Scholares, ex privilegio ſortiuntur Forum coram ſuo Rectore; cur, & quomodo, T 2. n. 184. F. 39. Scholares poſſunt appellare ad Superiorem, omiſſo medio, T. 28. n. 66. F. 416.

Scientia, & patientia prioris Domini, requiritur ad adipiſcendam quaſi poſſeſſionem jurium incorporalium contra eum, T. 12. n 163. 164. & ſeqq. F. 112. Scientia ejuſmodi, unde colligatur, n. 165. Scire, quid dicamur, Ibid. Scientia non poteſt ſtare cum credulitate, T 20. num. 345. F 255. Scientia de illis, quæ ſunt facti, unde capiatur, Ibid. Teſtes de ſcientia, qui, num. 342. Vide infrà *verſ. Teſtes de ſcientia*.

Scriptura ſemper loquitur, T 22. num. 173. F. 298. Scriptura privata grave delictum exprimens, ſtante confeſſione cujuſpiam, quod ſua manu fuerit conſcripta jocoſe ſolùm &c. an præjudicet confitenti, T. 18. n. 128. 129 & ſeqq. F. 188. Scriptura juvat ad probationem actus, licèt ad ejus ſubſtantiam non ſemper requiratur, T. 22. n. 1. F. 281. Scriptura authentica, quæ, n. 13 14. & 15. Vide ſuprà *verſ. Inſtrumentum*. Ubi ſcriptura eſt de ſubſtantia actus, non valet, quidquid ſcribitur, niſi completè ſcribatur, T. 22. n. 43 F. 285. Ubi requiritur ſcriptura ad ſubſtantiam actus, teſtes non ſufficiunt, T. 22. n. 291. F. 310. Scripturam ſigillans, videtur fateri omnia contenta in ea, T. 22. num. 99. F. 290. Scriptura etiam privata, plenè probat contra ſigillantem, n. 100. Conſuetudo Provinciarum multùm operatur quoad hoc, ut credatur alicui ſcripturæ, vel non, n. 101. Vide infrà *verſ. Sigillum*.

Scripturæ privatæ, Libriquo Rationum, concurrentibus certis conditionibus deſumptæ ex publico Archivio, plenè probant, T 22 n. 102. F. 291. Conditiones ad id requiſitæ, ſunt quatuor; & quæ n. 103. 105. & ſeqq. Scripturæ privatæ repertæ in publico Archivio, an fidem faciant duntaxat intra territorium Domini ſui, vel etiam extra illud, num. 108. Sententia docens, tales ſcripturas probare ubique locorum, ſuadetur; videturque probabilior, n. 109. 110. & ſeqq Quid dicendum de libris, & ſcripturis depromptis ex Archiviis Monaſteriorum, Civitatum, & Perſonarum Illuſtrium, n. 114 & ſeqq. Vide ſuprà *verſ. Libri*.

Scripturæ privatæ, quæ, T. 22. n. 129 & ſeqq. F. 294 Triplex eſt earum ſpecies; videlicet, Apochæ, Libri rationum, & Epiſtolæ, n. 130. & ſeqq. Scriptura privata tibi tantùm facta, quæ, num. 131. Hæc regulariter non probat in commodum ſcribentium, Ibid. Adeò, ut etiam rationes Defuncti ad probationem ſibi debitæ quantitatis ſolæ non ſufficiant, n 139. Scriptura privata alteri tantùm facta, quæ, n. 140. Hæc regulariter plenè probat contra ſcribentem, Ibid. Scriptura privata tibi & alteri facta, quæ, n. 141 Scriptura privata, alia eſt authentica, alia non authentica, quæ, n. 142.

Scripturæ privatæ pluribus modis authentizantur, ita ut plenam fidem faciant, T 22. n. 143 & ſeqq. F. 295. Videlicet, per ſubſcriptionem propriæ manus, ac trium teſtium viventium, n. 144. & 145. Per appoſitionem ſigilli authentici majoris Magiſtratus &c. n 146. Idem dicendum, quando ſcriptura cæteroquin privata, cum debitis ſolemnitatibus eſt ſubſcripta, & ſigillata à publico Notario: ſecùs, ſi eam confecit non ut Notarius, n. 147. Authenticantur quoque ſcripturæ originaliter privatæ, per ſubſcriptionem partium non negatam, n 148. Per ſubſequentem Judicis examinationem, & approbationem, n 149. Per deputationem Loci, ſeu ratione publici Archivii, n. 150. Et ex longa temporis obſervatione, n. 152. Scriptura privata in Archivio publico fideliter cuſtodita, plenè probat; & quando, n. 151. Scriptura cenſetur authentica, quæ confecta eſt ſecundùm morem & conſuetudinem Regionis; & cur, n. 153 Stante conſuetudine illa, vel Statuto loci, datur ſcripturæ illi fides ubique locorum, n. 154. Statutum exiſtens in Curia Mercatorum, ut ſcripturæ Mercatoris adhibeatur fides, debet ſervari in quolibet Foro, n. 155. Scriptura privata habens aliquod tale ſupplementum, dicitur Inſtrumentum publicum, n. 156.

Scriptura privata, v. g. Apocha, vel Epiſtola, quando negatur eſſe illius, contra quem producitur, quid juris, T. 22 n. 157 & ſeqq. F. 296. Ea nihil probat, donec per producentem oſtendatur oppoſitum, n. 158. & 159 Scripturam privatam manu cujuſpiam fuiſſe ſcriptam &c. poteſt imprimis probari per appoſitum ſigillum, n. 160. & 161 Idipſum poteſt probari per teſtes: quot ad id requirantur, vel ſufficiant, num. 162. & ſeqq Item per comparationem Litterarum, ſeu ſcripturarum; & qualiter, nu. 165. 166 & ſeqq. Scripturam manu alicujus eſſe ſubſcriptam, idem eſt, ac ſi propria manu ſcripta fuiſſet, num. 160. Scriptura ejuſdem hominis ſolet mutari, num. 166.

Scriptura privata confeſſata, an, & qualiter probet tum contra ſcribentem, tum contra tertium, T. 22. n. 170. F. 297. Regula eſt, quòd ſcriptura privata, v. g. Apocha confeſſata, plenè probet contra ſcribentem, n. 70 & ſeqq. Scriptura privata confeſſata, puta, de pecunia mutuò recepta, alicubi habet paratam executionem, n 172. Diſparitas inter confeſſionem extrajudicialem, & ſcripturam privatam, n. 173 Scriptura privata confeſſata non præjudicat tertio, num. 174. Probat tantùm contra ſcribentem, n. 175. Probat etiam contra ſuos Succeſſores & tertios, qui habent cauſam ab illo ſcribente, nu. 176. Dummodò recognitio ſcripturæ ſuæ facta ſit ante ceſſionem illius cauſæ, Ibid. Recognitio propriæ ſcripturæ non trahitur retrò ad tempus factæ ſcripturæ, niſi contra recognoſcentem, n. 177. & 178. Scriptura privata in antiquis inducit ſemiplenam probationem contra tertium, n. 278.

Scriptura privata, an in omni prorſus caſu plenè probet contra ſcribentem, T. 22 num. 179. & ſeqq F. 298. Negatur iſtud de ſcriptura privata, v. gr. cautione, quæ continet debitum, ſed non cauſam debiti, n. 180. Secùs, ſi in ea exprimatur cauſa debiti, n. 181. Nec probat ſcriptura privata contra ſcribentem, quando intra biennium opponitur per Debitorem exceptio non numeratæ pecuniæ, n. 182. & 184. Aut exceptio non numeratæ dotis, n. 183 Confeſſio qualificata, quod ſcriptura privata fuerit manu ſua ſcripta jocoſe ſolùm, an præjudicet confitenti. Remiſſivè, n. 185.

Scripturæ privatæ regulariter non probant in commodum ſcribentium, T 22 n. 186. & ſeqq. F. 299 Fallit hoc, quando ſcriptura cæteroquin privata, eſt ſubſcripta à partibus, & tribus teſtibus adhuc viventibus, ipſamque recognoſcunt, n 187. Et quid, ſi teſtes jam forent mortui, nu. 188. & 189. Paria ſunt, totum ſcribere: vel tantùm ſubſcribere, nu. 189 Scriptura privata plenè probat pro ſcribente, quando aliunde eſt authorizata, num. 190 Item de conſenſu, ſeu conventione partium, n. 191. Seu, quando fuit producta, & contra eam pars adverſa nihil oppoſuit, n. 192. Epiſtola acceptata, & recepta abſque eo, quod quis ei expreſſe contradicat, probat contra acceptantem pro ſcribente, n. 193.

Sculpturæ, ſeu Litteræ antiquæ lapidibus inciſæ, quid probent. T. 22. nu. 221. & ſeqq F 302. Per eas poſſunt probari facta antiqua, & qualiter, n. 221. & 222. Probatio ducta ab Armis ſculptis, vel depictis in Monumentis, Capellis &c. attenditur, n. 223. Lapides, ſeu Columnæ terminorum, probant confinia, n 225 Inſcriptio in antiquis probat juſpatronatus, n. 226. Ubi agitur de magno præjudicio, Sculpturæ, ſeu Litteræ antiquæ marmoribus inciſæ ſolùm probant ſemiplenè, niſi aliis adminiculis adjuventur, n. 227. & 228.

*Semel malus, ſemper præſumitur eſſe malus*; & quomodo, T. 22. n. 100. F. 324.

Senex, quis cenſeatur, T. 6. n. 8. 9 & 10. F. 70.

Sententia lata in petitorio, an pariat exceptionem rei judicatæ in poſſeſſorio, T. 12. n. 269 & 270 F 123. Sententia lata in poſſeſſorio, abſorbetur per ſententiam illicò pro parte adverſa latam in petitorio quoad effectum principalem, non quoad effectus ſecundarios, n. 172. & n. 292. & ſeqq Sententia in poſſeſſorio operatur [illegible] quoad receptionem fructuum, quos ſpoliator interim perceperat, n. 292. Sententia lata ſuper poſſeſſorio momentaneo non ſuperfluit, ſed prodeſt ad plures effectus, & quales, T. 12. n. 292. 293. & ſeqq. F. 126. Tamen ſententia lata ſuper petitorio prævalet in executione, & cur, n. 296. Sententia lata ſuper poſſeſſorio & petitorio ſimul, quomodo dicatur una, n. 291.

Sententia interlocutoria videtur eſſe terminus peremptorius citationis, T. 14. n. 74. F. 151. Sententia interlocutoria tranſit in rem judicatam quoad partes, non quoad Judicem. Ibid. Confeſſio judicialis in cauſis civilibus habet vim ſententiæ, ac rei judicatæ. T. 18. n. 64. F. 181. Secùs in criminalibus, & cur, n. 65. Sententia diffinitiva contra confeſſum in Judicio, an ferri debeat. T 18. nu. 71. & ſeqq. F. 182. In cauſis criminalibus hæc omnino requiritur, n. 72. Et quid in cauſis civilibus? n 73. & ſeqq. Sententias contrarias ſi duo Arbitri, vel duo Judices delegati dederunt, quid juris? T. 19. n. 81. F. 209. Sententia lata per dicta teſtium de credulitate, nunquam tranſit in rem judicatam. T. 20. n. 344. F. 255. Contra ſententiam admittitur probatio per confeſſionem partis, T. 23. n. 53. F. 319.

Sententia ex præſumptione juris poteſt ferri, niſi hæc contraria probatione elidatur, T. 23. n 60 F. 320. Et quid dicendum de præſumptione hominis? n. 61. & 62. Utrùm etiam in cauſis criminalibus poſſit ex præſumptionibus ferri ſententia? n. 63. & ſeqq. Sententia lata retractari non poteſt propter Inſtrumenta de novo reperta: & quando ſecùs? T. 24. nu. 149 & 150. F. 340. Sententia lata per probationes privilegiatas, nunquam tranſit in rem judicatam, n. 151.

Sententiæ nullitas, atque inde conſurgens exceptio ipſius, poteſt oriri multipliciter, T. 25. n 67. F. 357. Exceptio nullitatis ſententiæ poteſt opponi poſt ſententiam, n. 66. 68 & ſeqq. Exceptio nullitatis ſententiæ regulariter non impedit executionem ipſius, n. 70 & ſeqq. Vide ſuprà *verſ. Exceptiones peremptoriæ*. Sententia in ſummariſſimo Judicio lata, eſt ſolùm interlocutoria, non diffinitiva. T. 25. num. 115. F. 352. Nec affert perpetuum, ſed modicum duntaxat præju-



præjudicium. Ibid. Secùs dicendum de ſententia lata in Poſſeſſorio ordinario, n. 113.

Sententia, & Res judicata, ſunt valdè affinia. T. 27. n. 2. F. 388. Datur tamen inter eas aliqua differentia, n. 3. & 4. Sententia poteſt ſumi dupliciter; & in quo ſenſu dicatur tranſire in rem judicatam? n 5. Sententia ante lapſum decendii dicitur Res judicata largè ſolùm, & impropriè; poſteà verò propriè, ac irrevocabiliter, n. 2. & 5. Sententia dicitur à *Sentiendo*; ſicque plura ſignificat, n. 6.

Sententia dividitur in diffinitivam, & interlocutoriam, T. 27. n. 7. F. 388 Interlocutoria tamen non eſt propriè ſententia; & cur? Ibid. Sententia diffinitiva, quid? n. 9. & ſeqq Sententia Arbitri, non eſt propriè ſententia, n. 10. Sententia diffinitiva differt à ſententia abſolutoria ab obſervatione judicii, & quomodo? n. 11.

Sententia interlocutoria, quæ? T. 27. num. 12. & ſeqq. F. 389. Quilibet Juſſus Judicis faciens ad cauſam, an ſit ſententia interlocutoria? n. 13. & ſeqq. Sententia interlocutoria dicitur ab *inter*, & *loqui*, nu. 14. Quod à Judice præcipitur ante principium, vel poſt finem cauſæ, dicitur *Sententia quaſi interlocutoria*. Ibid. Iſtud eſt notandum propter Statuta loquentia de Sententiis interlocutoriis, n. 15. In Statutis verba debent propriè, & ſtrictè intelligi. Ibid. Sententia interlocutoria dividitur in merè interlocutoriam, & in eam, quæ habet vim diffinitivæ, n. 16. Sententia interlocutoria habens vim diffinitivæ, quæ? num. 17. Appellatur etiam mixta, ſeu quaſi media Ibid.

Sententiam interlocutoriam habere vim diffinitivæ, unde cognoſci poſſit? T. 27 n. 18 & ſeqq. F. 389. Talis eſt ea, poſtquam non ſperatur alia ferenda ſententia in eadem inſtantia, n. 18. Item, per quam diffinitur unus articulus cauſæ principalis, n. 19. Aut per quam expirat officium Judicis, n. 20. Vel, qua quis pronunciat, ſeſe eſſe Judicem competentem, n 21. Sive, per quam admittitur, vel rejicitur exceptio peremptoria, num. 22. Et quæ continet aliquid dari, vel fieri à parte, nu. 23. Sententia interlocutoria habens vim diffinitivæ, an debeat regulari ſecundum naturam diffinitivæ? num. 24. & 25.

Sententia diffinitiva, in quibus differat à merè interlocutoria, T. 27. n. 26 & ſeqq F. 391. Earum differentiæ ſunt plures, commodè tamen reducuntur ad tres principales, n. 26. Differunt enim reſpectu rei controverſæ, & quomodo, n. 27. Differunt quoad ordinem judiciarium multipliciter; idque declaratur inductione, n. 28. 29 & 30. Differunt variè quoad effectus, n. 31 & ſeqq Condemnatus de crimine per ſententiam diffinitivam, efficitur infamis: ſecùs de interlocutoria, n. 32 Sententia diffinitiva ſemel validè prolata, à Judice revocari nequit: benè tamen interlocutoria, n. 33 34. & ſeqq. Et quæ ratio diſparitatis, n. 34 Judex, poſtquam ſemel dixit ſententiam diffinitivam, judex eſſe deſinit, n 34. & 35 Judex ordinarius nequit revocare ſententiam diffinitivam, quæ exiſtit valida, licèt forſan ſit iniqua, poteſt tamen revocare ſententiam ſuam, quæ ipſo jure eſt invalida, n. 36. Idem dicendum de Delegato ad univerſitatem cauſarum. Ibid. Sed Delegatus ad cauſam particularem, nequit revocare ſententiam diffinitivam, etiam invalidam, & quæ ratio diſparitatis, n. 37. A ſententia diffinitiva poteſt regulariter appellari, non ab interlocutoria, n. 38.

Sententia quando à Judice proferenda ſit. T 27. n. 39. & ſeqq. F. 391. Ea eſt ferenda intra tempus à Jure præſcriptum, & quale illud ſit, n 39. & 40. Poſt lapſum biennii, vel triennii, an pereat inſtantia, n. 40. Judex tenetur cauſas matura deliberatione examinare, & ſententiam non præcipitanter ferre, n 41. Sententia lata à Judice ignaro de meritis cauſæ, eſt ipſo jure nulla, n. 42 Ad ſententiam diffinitivam debent præcedere termini ſubſtantiales, n. 43. Atque admitti probationes neceſſariæ. Ibid Sententia non eſt ferenda, quando cauſa adhuc eſt dubia, licèt tempus datum ad ſententiam jam ſit in fine, & quid tunc agendum, n. 44 Judicem oportet uſque ad ſententiam conſtringi, n. 45. & jurgantium controverſias celeri ſententia terminare. Ibid. Ad diffinitivam ſententiam tunc demum eſt deveniendum, quando ab utraque parte concluſum eſt in cauſa, n. 46 & ſeqq Intelligendo iſtud in Judicio ordinario, ſecùs in ſummario, n. 47.

Sententiæ diffinitivæ requiſita, quæ, T 27. n. 57. & ſeqq. F 393. Et quo loco, & modo, ea ſit proferenda, Ibid. Ad eam requiritur comprimis citatio partium, n. 58 Item, ut ſit redacta in ſcripturam, atque à Judice ex ſcriptis proferatur, & cur, n. 59. Epiſcopi tamen, & Perſonæ Illuſtres, poſſunt ſententiam per alium recitare, n. 60. Sententia diffinitiva debet proferri à Judice ſedente, n. 61. Et quidem ſedente pro Tribunali, n. 62. & 63. Eſtque ferenda de die, & quidem non feriato, n. 64 Quid, ſi feratur de nocte. Ibid. Solemnitates hujuſmodi adeò requiruntur, ut ipſis non obſervatis ſententia diffinitiva regulariter ipſo jure ſit nulla, n. 65. Secùs dicendum de ſententia interlocutoria, n. 66. Et de ſententia lata in Judicio ſummario, n. 67. Atque in aliis certis caſibus, in quibus fallit data Regula, n. 68. Conſuetudo locorum, ſeu ſtylus ſingulorum Tribunalium in propoſito attendi debet; n. 69

Sententia judicialis debet eſſe Juri conformis: alioquin ipſo jure foret nulla; idque exemplificatur, T. 27. n. 70 & ſeqq. F. 394. Sententia dicitur nulla novem modis; & quibus, n. 72. Valet ſententia, quæ præter errorem Juris continet aliam rationem, qua juſtificari poteſt, n. 77. Sententia contra Jus obſcurum, ſive dubium non eſt ipſo jure invalida, n. 74. Regula illa, quod ſententia debeat eſſe juri conformis &c. intelligitur de jure conſtitutionis, non de jure litigatoris, n. 75 & 76. Sententia lata contra jus conſtitutionis, & Sententia lata contra jus litigatoris, quæ, n 76

Sententia debet eſſe conformis Libello, T. 27. n. 77 & ſeqq. F. 395. Judex appellatur *Stultus*, qui ultra petita in Libello judicat, n. 78. Sententia debet eſſe conformis Libello in tribus; & quibus, n. 79. Regula hæc patitur plures fallentias, n. 80. & ſeqq. Fallit enim in Papa, Imperatore, aliiſque ſupremis Principibus &c. n 81. Fallit etiam in cauſis, in quibus proceditur ſola facti veritate inſpecta, nu. 82. Fallit inſuper propter magnam conformitatem, ſeu connexionem quam res petita in Libello habet cum alia re; idque exemplificatur, nu. 83. Regula illa procedit ſolum in cauſis civilibus, ſecùs in criminalibus, n. 84. Fallit quoque ſi partes conſentiant, n. 85. Atque in cauſa Matrimonii carnalis, vel ſpiritualis, & in aliis caſibus concernentibus periculum animæ, n. 86.

Sententia judicialis debet eſſe certa, T. 27. n. 87. & ſeqq. F. 395 Adeò ut ſententia incerta ſit ipſo jure nulla, n 88. Etiamſi petitio Libelli fuiſſet de quantitate incerta, n 89. Regula hæc procedit in Judiciis particularibus: ſecus in univerſalibus, n 90. Fallit etiam in illis caſibus, in quibus Judex nequit ferre certam ſententiam; puta in alternativis, vel quando dubium eſt, an res petita adhuc exiſtat, n. 91. Sententia ſuper expenſis litis poteſt eſſe incerta; & quomodo. T 27. n. 207. F. 408.

Sententia judicialis, an poſſit ferri ſub conditione, vel ſic lata teneat, T. 27. n. 92. & ſeqq. F. 396. Non valet, ſi proferatur ſub conditione extrinſeca, n. 92. & 93. An valeat ſententia lata ſub conditione intrinſeca, nu. 93. & 94. Quid dicendum de praxi Tribunalium, abſolventium Reum ſub conditione: *Niſi actor meliùs ſuam intentionem probaverit*, n. 95 Conſuetudo ferendi ſententiam ſub tali conditione, videtur rationabilis, n. 96.

Sententia diffinitiva debet continere abſolutionem; vel condemnationem, T. 27. num. 97. F. 396. Non tamen cauſam ipſius, regulariter loquendo, n. 98. & 99. Immò fatuum eſt, in ſententia exprimere cauſam ejus: & cur, n 98. In certis tamen caſibus debet in ſententia exprimi cauſa ipſius: ut in cauſa appellationis, num. 100. Et in ſententia excommunicationis, n. 101 Et in aliis quatuor caſibus; & quibus, n. 108. In memoratis caſibus debet cauſa in ſententia exprimi duntaxat propter certos effectus, n. 103. Idem poteſt contingere in nonnullis aliis caſibus, n. 104.

Sententia quo tempore dicatur tranſire in rem judicatam, T. 27. n. 107. & ſeqq F. 398. Præcipuus ſententiæ diffinitivæ effectus, eſt ut regulariter poſt decendium, ſi ab ea non appellatur, tranſeat in rem judicatam; & cur, n. 107. & 108. Sententia tranſiens in rem judicatam, habet pro ſe præſumptionem juris & de jure, n. 109 Eſtque tantæ authoritatis ut de ente faciat non ens, & de falſo verum, & de albo nigrum n. 106. Sententia non ſolùm diffinitiva, verum etiam interlocutoria, poſt decendium tranſit in rem judicatam, n 112. Tranſit etiam ſententia in rem judicatam, quando appellatio fuit deſerta, n. 113 Dantur plures caſus, in quibus ſententia poſt decendium non tranſit in rem judicatam. T. 27. n 114. & ſeqq F. 398. Sic ſententia lata contra jus conſtitutionis non tranſit in rem judicatam, n 115 & 116. Sententia à non ſuo Judice lata, vel pretio empta, aut lata ex probationibus à Jure reprobatis, non tranſit in rem judicatam, n. 117. Sententia lata in cauſis Matrimonialibus non tranſit in rem judicatam: & quando? n. 118. 119 & 120 Quid dicendum de ſententia lata contra valorem, vel pro valore Sponſalium? n. 121 & 122. Nulla ſententia tranſit in rem judicatam, cujus obſervantia nutrit peccatum per partes non remiſſibile, n. 125. In cauſis criminalibus, an, & in quo ſenſu ſententia non tranſeat in rem judicatam, nu 126. & 107. Sententia, quam victor fatetur iniquam, debet retractari, neque cenſetur tranſire in rem judicatam. T. 27. num. 128. F. 400. Neque tranſit in rem judicatam ſententia, quando per evidentiam facti conſtat de ejus iniquitate, n. 129. Idem dicendum de ſententia lata ex errore, vel cauſa falſa, aut non concludente, quando hæc in ſententia fuit expreſſa, n. 130. Item de ſententia lata, ex falſis inſtrumentis, vel teſtimoniis teſtium corruptorum, dum probatur, Judicem in ſententia ferenda eiſdem uſum fuiſſe, n. 131. Iſtud ampliatur ad ſententiam latam prætextu juramenti neceſſarii, falſi tamen poſteà reperti, n. 132. Et ad ſententiam latam ex probationibus privilegiatis, aut præſumptivis &c n. 123 Et ad ſententias latas ex conſilio Doctorum, aut judicio peritorum in arte ſua &c n 133.

Sententia, quæ non tranſit in rem judicatam, qualiter ſit revocanda. T. 27. num 135 & ſeqq. F 400. Ea poſt lapſum decem dierum non poteſt revocari per viam appellationis, ſed ſolum per viam querelæ, n. 135 Et quomodo iſtud fiat, n. 136 & 138 Notabilis differentia inter appellationem, & inter Querelam, in cauſis non tranſeuntibus in rem judicatam, n. 137. & 138.

Sententiæ diffinitivæ effectus alii, qui, T. 27. n. 139. & ſeqq. F. 401. Sententia, quæ tranſiit in rem judicatam, facit jus inter partes, n. 130. Non verò reſpectu aliorum, n 140. Per eam finiuntur lites, adeò, ut non reſcindatur prætextu Inſtrumentorum de novo repertorum, n. 141. & 142. Per ſententiam diffinitivam finitur poteſtas Judicis, n. 143. Eaque juſtè lata, debet à Superiore confirmari, n. 144. Sententia lata pro Actore, præbet ipſi actionem in factum &c. n. 145. Reo per ſententiam diffinitivè abſoluto datur exceptio rei judicatæ &c. n. 146. Secùs, ſi tantùm abſolvatur ab obſervatione Judicii, n 147. Sententia diffinitiva in actione injuriarum habet alium effectum, nempè, quod condemnatus de crimine notetur infamia, niſi injuria foret minima, n. 148.

Sententia inter aliquos lata, an, & quando noceat, vel proſit aliis. T. 27. n. 149 & ſeqq F 402. Regula eſt, quod ſententia inter aliquos lata, aliis non præjudicet; idque exemplificatur, n. 149 150 & 151. Sententia inter aliquos lata, regulariter etiam non prodeſt aliis, n. 152 Regula hæc patitur plures limitationes, n. 153 & ſeqq. Sic ſententia inter aliquos lata nocet, ſive prodeſt aliis quoad præſumptionem, ſi tangit jus abſentium: licèt non quoad plenum præjudicium, n 154. Ampliatur iſtud ad duos notabiles caſus, n. 156. Regula iſta fallit in cauſis connexis; idque declaratur, n. 157 Fallit etiam in re individua, & pluribus communi, quod exemplificatur, n. 158. Item in re communi cum Pupillo, n. 159. In individuis poteſt quis conſequi per ſocium, quod per ſe non poteſt. Ibid.

Sententiæ executio, quo tempore, ac ordine ſit facienda, T. 27. n. 160. & ſeqq. F 403 In actionibus, ſeu cauſis civilibus, ſententia lata non illicò eſt executioni mandanda, ſed expectandum [illegible] per decem dies, n. 160 Et quid in criminalibus, n. 161 & 162 Si ſpoponderit Reus, ſe velle parere ſententiæ, ſtatim iſta in actione reali eſt executioni mandanda, n. 163. In actione perſonali regulariter conceditur quadrime-

drimeſtre ad ſolvendum, n. 164. Statim ſolvere debens, non tenetur illicò cum ſacco adire. Ibid. Quadrimeſtre illud ex cauſa juſta poteſt arctari, vel prolongari, non tamen ſine cauſa, n. 165. Executio ſententiæ in debitis perſonalibus, quo ordine in bonis fieri debeat, n. 166. Ipſa plerumque ſpectat ad Judicem, qui ſententiam tulit, dummodò is ſit Judex ordinarius, n. 167. Quid, ſi bona Rei condemnati ſint in alieno territorio. Ibid. Poſt ſententiam latam expirat officium Judicis, & quomodo, n. 168. Sententiam ſuam an poſſit exequi Judex delegatus, T. 27 num. 169. 170. & ſeqq. F. 404. Executionem ſententiæ inter alios latæ poteſt impedire tertius interveniens pro ſuo intereſſe, atque appellans, n. 173. Dummodò probet de ſuo jure, n. 174. A ſententia inter alios lata appellari non poteſt, niſi ex juſta cauſa: idque exemplificatur, n. 175.

Sententia à pluribus lata tenet, ſi plures Judices concordant, T. 27. n. 215. F. 409. Ex tribus arbitris ſtatur ſententiæ duorum concordantium, n. 216. Et quid ſi duo Judices contraria pronuncient, n. 217. & 218. An duo Arbitri contrarias ferant ſententias, n. 219.

Sententia diffinitiva differt ab interlocutoria quoad modum appellandi ab eo, & quomodo, T. 28. n. 23. 24. & ſeqq. F. 411. Vide ſuprà *verſ. Appellatio judicialis*. A ſententia interlocutoria de facto non licet appellare, niſi habeat vim diffinitivæ, vel niſi gravamen per diffinitivam irreparabile afferat, n. 26. Gravamen per ſententiam diffinitivam irreparabile, exemplificatur. Ibid. Sententia interlocutoria habens vim diffinitivæ, regulatur ſecundum naturam diffinitivæ. T. 28. n. 102. F. 419. Sententiæ in cauſa appellationis executio, an ſpectet ad Judicem *ad quem* vel *à quo*, T. 28. n. 238. F. 431. Communior ſententia tenet eam ſpectare ad Judicem *ad quem* n. 238. & 239. Limitatur hoc, quando Judex *à quo* de lit Apoſtolos refutatorios, & appellatio pronunciatur frivola, n. 240. Et quid obſervetur in Curia Romana, n. 241. Limitatur etiam, quando ſententia tranſiit in rem judicatam, non præſentata Superiori appellatione inter legitima tempora, nu. 242. Et quando appellatio fuit deſerta per lapſum Fatalium, ad ejus proſecutionem ſtatutorum, n. 243.

Sententia lata in poſſeſſorio, non admittit appellationem, T. 28. nu. 304. F. 438. Et quid in poſſeſſorio magni præjudicii, num. 305. Ab eadem ſententia, & ſuper eodem articulo, non licet eidem ter appellare, n. 312. Secùs ſuper diverſis articulis, etiam ejuſdem cauſæ, n. 313. Et quid, ſi modo una, modo altera pars ſuccumbat, & appellet, n. 314.

Separata. In ſeparatis ex uno ad aliud non infertur, T. 2. n. 182. F. 39.

Sepulturæ in loco ſacro cauſam, ſolus Judex Eccleſiaſticus cognoſcit. T. 1. n. 74. & ſeqq. F. 7.

Sequeſter, T. 17. n. 5. F. 171. An officium ſuum deponere valeat, n. 8. Utrùm in ſequeſtrum tranſeat poſſeſſio rei ſequeſtratæ, T. 17. n. 42. & ſeqq. F. 174.

Sequeſtrare fructus rei petitæ ob contumaciam Rei, poteſt quandóque Judex. T. 14. nu. 131. F. 158. Sed non niſi concurrentibus certis circumſtantiis, n. 133.

Sequeſtratio, quid, T. 17. n. 2. & ſeqq. F. 171. Et qualiter differat à Depoſitione, n. 3. & 5. Datur tum de re mobili, tum de immobili, n. 4. Sequeſtratio eſt duplex, voluntaria videlicet, & neceſſaria; & quid, n. 6. Sequeſtratio prior, qualiter cenſeatur voluntaria, n. 7. Dicitur etiam conventionalis. Ibid. Sequeſtratio neceſſaria, quot modis fiat, n. 16. Fit vel officio Judicis, vel ad inſtantiam partis, n. 10. & 11. Sequeſtratio de re non litigioſa, ex duplici cauſa fieri ſolet, & qualis, n. 12. Et quibus modis ſequeſtratio fiat de re litigioſa, n. 13. An, & in quibus caſibus permittatur fieri, T. 17. n. 14. & ſeq. F. 172. Sequeſtratio voluntaria eſt permiſſa, n. 14. Neceſſaria regulariter eſt prohibita, & cur, n. 15. & 16. In pluribus tamen caſibus etiam ſequeſtratio neceſſaria eſt permiſſa, n. 17. & ſeqq. Nempe, quando Reus diſſipat fructus, quos conſervare debet, n. 18. Quando petitur res mobilis, & perſona eſt ſuſpecta, ne fugiat cum ea, n. 19. & ſeqq. Item, ſi timetur de dilapidatione, n. 22. Item in re dotali, & accedente juſta cauſa, num. 24. Et quando appellatur ab Executore ſententiæ diffinitivæ modum excedente, n. 24. Et ſi quis de poſſeſſione ſervitutis proclamat in libertatem, n. 25. Et ſi colonus neget locationem, n. 26. Item fit ſequeſtratio, ſi pendente lite ſuper valore Matrimonii, ex parte mulieris timeatur de ſævitia viri, n. 27. Vel ſi timetur, ne Sponſæ de cujus matrimonio agitur violentia inferatur, aut ipſa conſummatur, nu. 28. Vel ſervi conquerantur de tyrannide Dominorum ſuorum, aut Religioſi de ſuis Prælatis, n. 29. Et quando aliquid dicitur ablatum illi, qui eſt de familia Judicis, n. 30. Fit quandoque ſequeſtratio fructuum rei petitæ, ob contumaciam Rei, Fit etiam ſequeſtratio Beneficii, & fructuum ejus, quando contra ejus poſſeſſorem apud Sedem Apoſtolicam fuit promulgata una ſententia diffinitiva &c. n. 32. Fitque ſequeſtratio ob timorem ſcandali, n. 33. Et ne perdatur occaſio vendendi rem litigioſam, quæ ſervari nequit, n. 34.

Sequeſtrationem ut Judex facere poſſit, quæ requirantur, T. 17. n. 35. & ſeqq. F. 173. Ad eam faciendam, ut Judex ex officio nobili procedat, requiritur publica cauſa, n. 34. & 35. Ut ex officio mercenario, potiſſimum requiruntur quatuor, & quæ, n. 36. 37. & 38. Remedium Juris evitandi ſequeſtrationem in caſibus memoratis regulariter eſt cautio ſufficiens de reſtituenda re litigioſa, n. 39. & ſeqq. In ſequeſtratione an poſſeſſio rei ſequeſtratæ tranſeat in ſequeſtrum, n. 42. & ſeqq. Sermo ſerioſus de æquitate Canonica idem præſtat, ac juramentum, T. 18. n. 59. F. 180.

Servi, ſeu Mancipia, prohibentur ſimpliciter eſſe teſtes in judicio, T. 20. n. 69. F. 227. Niſi in defectum aliarum probationum, ac in exceptis criminibus, n. 70. Servi tamen adſcriptitii, & originarii, ſunt homines liberi, nec excluduntur à ferendo teſtimonio, n. 71. Valet teſtamentum, ad quod ſervus adhibitus fuit, quando tunc communi opinione reputabatur liber, T. 20. n. 54. F. 226.

Servitutis nomen dupliciter accipitur, pro ſubjectione nimirum, & pro jure, T. 26. n. 89. F. 373. Servitus ut jus, quid, n. 90. Dividitur in perſonalem, realem, & mixtam, n. 91. Servitus perſonalis, & realis, quid, n. 92. & 93. Servitus realis alia eſt ruſtica, alia urbana, n. 94. Servitus realis urbana duplex eſt, affirmativa, & negativa, n. 96. Servitutes urbanæ affirmativæ, quæ? n. 96. & 97. Servitutes urbanæ negativæ, quæ? n. 98. Servitus realis ruſtica etiam duplex eſt, nominata, & innominata, n. 99. Nominata eſt quadruplex, nempe Iter, Actus, Via, & Aquæductus, & quid? Ibid. Servitus ruſtica innominata, quæ, & qualis? n. 100. Servitus realis alia continua, alia quaſi continua, & alia diſcontinua, quæ? n. 101. Servitus mixta eſt triplex, videlicet Uſusfructus, Uſus, & Habitatio; & quid? n. 102. 103. & 104.

Servitutibus, aliiſque obligationibus, an præſcribi valeat non obſtante mala fide, ſeu ſcientia juris alieni. T. 26. n. 105. & ſeqq. F. 375. Servitutes ruſticæ amittuntur per ſolum non uſum, n. 109. & 110. Et ſecùs fit in Servitutibus urbanis, juxta notabilem differentiam inter ipſas, n. 110. Servitutibus urbanis negativis præſcribi nequit, niſi per factum contrarium, n. 113.

Servitutum jura quanto tempore præſcribantur, aut mediante alterius præſcriptione amittantur, T. 26. num. 156. & ſeqq. F. 381. Servitus merè perſonalis nullo tempore præſcribitur, benè tamen libertas hominis, nu. 156. Servitus mixta, num. 157. Et ſervitus realis, quo tempore præſcribatur cum titulo, num. 158. Et quo tempore præſcribatur ſine titulo Servitus realis continua, vel quaſi continua, num. 159. Et quo diſcontinua, num. 160. Servitutes mixtæ, ſicut & ſervitutes reales tum ruſticæ, tum urbanæ, quo modo, & tempore amittantur, num. 161. Ad conſtituendam in prædio vicini ſervitutem non ſufficit taciturnitas, niſi acceſſerit præſcriptio. T. 12. n. 172. F. 113. In præſcriptione contra ſervitutes, actiones &c. requiritur aliqua poſſeſſio; & qualis. T. 26. n. 186. & 187. F. 384.

Sigillum, quid, T. 22. n. 70. F. 288. Dividitur in authenticum, & non authenticum, n. 71. Quatuor detrahunt fidei Sigilli; & quæ, num. 72. & ſeqq. Sigilli falſitas arguitur ex eo, quia non congruit in ſculpturis Dignitati ſigillantis, nu. 72. Sigillo alieno, an, & qua ratione quis uti poſſit, num. 73. Sigillum ſolitum Magiſtratus, & ad talia negotia deſtinatum, debet adhiberi: alioquin redditur ſuſpectum, num. 74. Sigillum eſt ſuſpectum, quando ejus litteræ non ſunt legibiles, num. 75. Aut patitur enormem fracturam, vel per glutinum novæ ceræ ſigillum eſt chartæ connexum, arbitrio Judicis, nu. 76.

Sigillum publicum, quid, T. 22. n. 77. F. 288. Sæpiùs confunditur cum Sigillo authentico, num. 78. Sigillum privatum, quid, num. 79. Ratione finis multiplex eſt diviſio Sigilli, n. 80. Sigillum, in Jure etiam vocatur *Annulus*, n. 85.

Sigillum, an, & qualem vim probandi habeat, T. 22. num. 81. & ſeqq. F. 289. Sigillum de ſe nihil probat, niſi concurrant aliæ conditiones, n. 81. Harum potiſſimum ſunt tres, num. 82. & ſeqq. Nempe, ut litteris exprimatur, cujus ſit, num. 83. Unde ſigillans cum re non habente characteres, v. gr. cum corrigia, nihil agit, num. 84. Ut ſigillum probet, debet apparere, à quo fuerit appoſitum, n. 86. Et qua de cauſa appoſitum ſit, n. 87. An etiam requiratur ſubſcriptio apponentis, n. 88. Inſtrumenta, quæ habent ſigillum authenticum, plenè probant, num. 89. Differentia inter Sigillum authenticum, publicum, & privatum, n. 90.

Sigillum an probet, etiamſi nulla intervenerit ſubſcriptio ſigillantis, T. 22. num. 91. & ſeqq. F. 289. In Teſtamentis, aliiſque caſibus magni præjudicii, requiritur ſubſcriptio, nec ſufficit ſola appoſitio ſigilli, num. 94. Secùs dicendum de negotiis modici præjudicii, num. 93. 95. & ſeqq. Ad evitandas diſputationes optimum eſt, etiam addere ſubſcriptionem, num. 95. Cur magis credatur ſigillo, quam dicto unius teſtis, num. 96. An abſque appoſito ſigillo aliquando probet Inſtrumentum, T. 22. num. 97. & ſeqq. F. 290. Abſque ſigillo non probant Teſtamenta, Privilegia, & hujuſmodi, num. 97. Extra hoſce caſus regulariter ſigillum in Inſtrumentis ad ſubſtantiam actus non adhibetur, ſed ad faciliorem ejus probationem, n. 98. & 99. Sigillans ſcripturam, videtur fateri omnia contenta in ea, n. 99. Scriptura etiam privata, plenè probat contra ſigillantem, nu. 100. Conſuetudo Provinciarum multùm operatur quoad hoc, num. 101. Per appoſitionem Sigilli authentici majoris Magiſtratus &c. authentizatur Scriptura, quæ originaliter eſt privata, T. 22. num. 146. F. 295. Et quid, ſi ea fuit ſigillata à publico Notario, num. 147. Per ſigillum appenſum poteſt probari Apocham v. g. manu cujuſpiam fuiſſe ſcriptam, vel ſubſcriptam, T. 22. nu. 160. F. 296. Dummodò dolus in appoſitione ſigilli non videatur interveniſſe, n. 161.

Simonia non eſt crimen mixti Fori, ſed merè Eccleſiaſticum, T. 1. num. 160. F. 37. Simoniæ crimen eſt exceptum, & comparatur crimini læſæ Majeſtatis: & quando, T. 18. n. 102. F. 185.

Singularitas teſtium poteſt induci ſecundum omnia decem Prædicamenta, T. 20. n. 284. F. 248. Singularitas teſtium eſt triplex; nempe ſingularitas obſtativa, ſeu adverſativa, nu. 285. & 286. Singularitas adminiculativa, nu. 287. Singularitas diverſificativa; & quid, n. 288. Vide infrà *verſ. Teſtes ſingulares*.

Socii criminis nominatio, per Reum de ſe confeſſum facta, ad quid valeat, T. 18. n. 107. 108. & ſeqq. F. 186. De ſe confeſſi, an poſſint interrogari de ſociis criminum, eorumque confeſſio adverſus eos admitti, num. 96. 97. & ſeqq. In delictis occultis poteſt Reus de ſe confeſſus interrogari de ſociis criminum, nu. 106. Ac etiam in criminibus exceptis, nu. 98. & ſeqq. Nominatio ſocii criminis aperit viam Judici ad inquirendum duntaxat generaliter, n. 108. & 109. Non verò contra nominatum in ſpecie, niſi concurrant alia indicia. Fallit in criminibus exceptis, nu. 110. Nominatio ſocii criminis facta per Reum de ſe confeſſum, non eſt ſufficiens indicium ad torturam &c. n. 113. In individuis poteſt quis conſequi per ſocium, quod per ſe non poteſt. T. 27. n. 139. F. 403.

Sodomiæ nefandi criminis actio, an quinquennali præſcriptione extinguatur, T. 6. n. 180. F. 383.

Solvere ſtatim debens, non tenetur illicò cum ſacco adire. T. 27. n. 162. F. 403.

Spoliator violentus an rem ablatam, fructuſque ejus, & damna illata reſtituere teneatur; & qualiter, T. 13. num. 117. & ſeqq. F. 140. Tenetur reſtituere rem ablatam, & omnes fructus ejus, n. 117. Etiam



Etiam illos, quos prior poſſeſſor percipere potuiſſet, n. 118. & 119. Teneturque damna illata plenariè reſarcire, n. 120. Et antequam audiatur ſuper proprietate, præmiſſa omnia ſpoliata ad obolum reſtituere, num. 121. Si conſtet de violentia per ſpoliatorem illata, damna & intereſſe probantur per Actoris ſpoliati juramentum, nu. 122. & ſeqq.

Spoliatus agens poſſeſſorio recuperandæ, non tenetur ſpoliatori reſpondere ſuper proprietate ante factam ſpolii reſtitutionem. T. 12. num. 273. F. 123. Dummodò excipiat contra ſpoliatorem; alias ſecùs, n. 274. Spoliatus, ſi velit, poteſt ſimul agere poſſeſſorio recuperandæ, & petitorio, n. 275. Spoliatorum remedia, quot, T. 13. n. 2. F. 145. Eorum præcipua enumerantur, n. 3. & ſeq. Remedium ſpoliatorum ex Condictione Triticaria, n. 4. Et ex Condictione incerti, n. 5. Et ex Condictione indebiti, declaratur, n. 6. Vide ſuprà *verſ. Conditio, & verſ. Interdictum*.

Spoliatus ante omnia eſt reſtituendus, T. 13. nu. 48. F. 133. Adeò, ut non obſtet exceptio proprietatis, n. 49. Nec etiam exceptio criminis, num. 50. Dummodò iſtud perſonam ſpoliati non reddat inhabilem ad agendum: ut excommunicatio, nu. 51. Vel miſſio in Bannum, n. 52. Nec ob crimen ejuſmodi quis ipſo Jure privatus exiſtat tam re, quàm poſſeſſione ipſius, numer. 53. Ut ſpoliatus ante omnia ſit reſtituendus, quid probare debeat, nu. 54. Regula illa, *Spoliatus &c.* contra quos procedat, nu. 55. & ſeqq. Spoliatus petens reſtitutionem, non tenetur allegato titulo præhabitam poſſeſſionem juſtificare, num. 56. Reſtituitur etiam contra Minores, & Pupillos, num. 57. Imò & contra Eccleſiam, num. 58. Prædo etiam eſt reſtituendus, ſi ſpolietur & quando, num. 59. & ſeqq. Spoliatus poteſt ſpoliantem vi repellere, ac eundem incontinenti rurſus ſpoliare, non autem ex intervallo, n. 67. & ſeqq. Ly *incontinenti*, quid importet, n. 68.

*Spoliatus ante omnia eſt reſtituendus*, Regula hæc fallit in nonnullis caſibus, T. 13. nu. 71. & ſeqq. F. 136. Ut ſi ſpoliatus in hoc conſentiat, num. 72. Sive expreſsè, ſive tacitè, nu. 73. Et tunc non poteſt Judex ex officio ſupplere reſtitutionem, nu. 74. Niſi immineat periculum animarum, nu. 75. Spoliatus non reſtituitur ob notorium defectum proprietatis & qualiter hoc intelligendum, n. 76. & 77. ac ſeqq. Reſtitutio ſpoliati non habet locum ob reſiſtentiam Juris communis, niſi doceat de titulo. T. 13. nu. 80. & ſeqq. F. 137. Et alioquin præſumitur uſurpando poſſeſſionem inváſiſſe, n. 84. Si Jus commune reſiſtat quidem ſpoliato, non autem faveat ſpoliatori, tunc admittenda eſt, ejus reſtitutio, n. 83. Et hoc procedit non ſolum in cauſis ſpiritualibus, ſed etiam temporalibus, nu. 84. Limitatur tamen in cauſis Beneficialibus, nu. 85. & 86. Reſtitutio ſpoliati, an ſit facienda non obſtante periculo animæ, ſcandalo, vel damno irreparabili, nu. 87. & ſeqq. Utrum propter renunciationem dominii ceſſet reſtitutio ſpoliati, nu. 93. & ſeqq. An dentur alii caſus, in quibus fallit regula de reſtitutione ſpoliatorum ante omnia facienda; & qui, n. 98. & ſeqq. Spoliatus non reſtituitur, & quando poſt ſpoliationem inivit pactum cum ſpoliatore, quod nolit agere poſſeſſorio recuperandæ. n. 98. & 99. Item, ſi poſt ſpoliationem ſpontè juravit non agere poſſeſſorio recuperandæ, num. 100. & 101. Item ob exceptionem excommunicationis, vel alterius criminis reddentis perſonam ſpoliati inhabilem ad agendum &c. n. 102. & n. 50. 51. ac ſeqq.

Statuta Capituli, Collegii, Univerſitatis &c. ſervare jurans, qualiter obligetur. T. 24. n. 40. 41. 42. F. 382. Juramentum ſervandi Statuta, utrùm extendatur ad Statuta impoſterum edenda. T. 24. n. 60. & ſeqq. F. 330. Vide ſuprà *verſ. Juramentum ſervandi ſtatuta*. Jurans ſcienter ſervare Statuta illicita, cenſetur largo modo perjurus. T. 24. n. 86. F. 394. Et quid, ſi quis ita juret ignoranter, num. 87. In Statutis verba debent propriè & ſtrictè intelligi. T. 27. n. 15. F. 389.

Subditi appellatione, in dubio venit duntaxat ſubditus ratione domicilii. T. 2. n. 26. F. 25. & n. 100. Subditus ratione delicti, contractus &c. largè quis appellatur. n. 27. Subditi, an poſſint præſcribere exemptionem ab obedientia Superioris, vel contra viſitationem & procurationem ratione hujus debitam? T. 26. n. 49. & ſeqq. F. 369.

Subgrundia, quid, T. 26. n. 96. F. 374.

Subornationis teſtium timor magis urget poſt publicationem atteſtationum, quam antea, T. 20. n. 461. F. 266.

Subſcribere, & totum ſcribere, paria ſunt. T. 22. n. 189. F. 299.

Suggeſtivæ interrogatoria, quæ? T. 20. num. 516. F. 271. Sunt prohibita, & vitanda, n. 518. & ſeqq. Suggeſtio alia aperta, alia palliata, quid, num. 517.

Superfluum admittere eſt ſecurius, quam neceſſarium omittere. T. 18. n. 193. F. 196.

Supplicatio propriè dicta, quid, T. 28. num. 18. F. 411. Supplicatio largè accepta, quæ, n. 19. & 20. Supplicare quilibet poteſt, quandocumque remota ſit appellatio, num. 20. Ubi poteſt appellari, non debet ſupplicari. Ibid. In dubio tamen poteſt intentari utrumque remedium. Ibid. Supplicatio differt in pluribus ab Appellatione, & in quibus, n. 21. & 22. Hodie uſus ſupplicandi propemodùm ab Aulis receſſit, & in ejus locum ſucceſſit Reviſio, n. 48. Vide ſupra *verſ. Reviſorium*.

Suſpecta perſona, ne fugiat cum re mobili petita in Judicio, quæ cenſeatur, T. 17. n. 20. & 21. F. 172.

Suſpicio facit gradum aliquem probationis, T. 19. num. 27. F. 204. Ex ſuſpicionibus non debet aliquem condemnari. Ibid.

Syngrapha, quid? T. 22. n. 134. F. 294.

## T

TAcens, an in re oneroſa habeatur pro conſentiente, T. 12. n. 170. 171. & ſeqq. F. 113. In materia concupiſcibili tacens habetur pro conſentiente, num. 177. Tacere peccatum fratris non eſt peccatum, ſed meritorium, & quando, T. 21. num. 22. F. 278. *Qui tacet, conſentire videtur*, & quando, T. 23. n. 107. F. 324.

Taciturnitas vicini non ſufficit ad conſtituendam in ejus prædio ſervitutem, niſi acceſſerit præſcriptio, T. 12. num. 172. F. 113. Taciturnitas an habeatur pro conſenſu, n. 170. & ſeqq. Ubi agitur de obligatione perſonali, taciturnitas non habetur pro conſenſu, num. 173. & 177. Fallit hoc in pluribus caſibus, & quibus, n. 174. 175. 176.

Tempus antiquum, quod dicatur, T. 20. num. 366. F. 257. Referuntur variæ circa hoc Doctorum ſententiæ. Ibid. Tempus immemoriale, quod, T. 26. num. 122. & 123. F. 378. Tempus longum, quod cenſeatur in Jure, T. 26. num. 148. F. 380. Quantum temporis requiratur ad præſcriptionem rerum tum mobilium, tum immobilium, contra privatos, n. 148. & ſeqq. Quantum temporis requiratur ad præſcribenda immobiles res contra Eccleſias, Monaſteria, Hoſpitalia, aliaque Loca Religioſa, n. 162. & ſeqq. Utrum Eccleſiarum res mobiles triennio uſucapiantur, n. 168. 169. & ſeqq. Quo tempore extinguantur actiones, ſeu præſcribatur contra eas, num. 174. & ſeqq. Tempus omne currit de momento in momentum, ubi aliud à Jure non exprimitur, T. 27. n. 111. F. 398. Tempus decem dierum conceſſum ad appellandum, quando incipiat currere, n. 110. & ſeqq. Decendium iſtud currit de momento in momentum ab hora latæ ſententiæ, n. 111.

Teſtamentum valet, ad quod Servus, vel Infamis fuit adhibitus, quando tunc communi opinione reputabatur liber, vel bonæ famæ, T. 20. num. 54. F. 226. In Teſtamentis nequit eſſe teſtis Pupillus, vel Impubes, T. 20. n. 72. & 73. F. 227. Licèt poſteà factus ſit pubes num. 78. In Teſtamento de Jure Civili requiruntur ſeptem teſtes, & quinque in Codicillo, T. 20. num. 246. F. 245. Conſuetudo adhibendi ſeptem teſtes in Teſtamento, qualiter dicatur aliena in Lege Divina, nu. 240. Notarius, vel alius ad ſcribendum Teſtamentum alienum vocatus, nequit ſibi adſcribere hæreditatem, aut legatum, ſub pœna falſi, &c. T. 22. nu. 33. F. 284. In Teſtamentis, aliiſque caſibus magni præjudicii, requiritur ſubſcriptio teſtium, nec ſufficit ſola appoſitio ſigilli &c. T. 22. n. 94. F. 290. Teſtamenta, Privilegia, & hujuſmodi, abſque ſigillo non habent vim probandi, n. 97. Si defunctus in ultima voluntate ſibi quid deberi ſignificaverit, non probat, T. 22. n. 139. F. 295. Teſtamenta, à quibus quibuſque præſentibus ſint aperienda, T. 22. n. 231. F. 303. Pactum non revocandi Teſtamentum, Jure Civili eſt irritum: ſi tamen acceſſerit juramentum, obligat, T. 24. n. 96. F. 335.

*Teſtes lite non conteſtata non debere recipi*, eſt regula, T. 6. n. 1. F. 69. In certis tamen caſibus poſſunt teſtes ante litem conteſtatam recipi, num. 4. & ſeqq. Et quæ generatim ad hoc requirantur, num. 5. Poſſunt teſtes recipi ante litem conteſtatam in Judiciis ſummariis, n. 6. Item, ſi adſit periculum, ne teſtimonii facultas pereat: ut ſi timeatur de teſtium morte, vel abſentia diuturna, num. 7. Tale periculum Judicis arbitrio relinquitur diſcernendum, n. 8. & 10. Quid de Senibus ſeptuagenariis, Ibid. Ac de illis, qui ſunt quinquagintaquinque annorum, n. 8. & 9. Aut vexatur infirmitatibus, n. 10. Etiam ob alias conſimiles cauſas poſſunt teſtes recipi, lite non conteſtata, num. 11. Ut ſi timendum ſit, ne ob moram longiorem teſtes obliviſcantur rerum geſtarum, num. 12. Teſtibus ſic receptis ante litem conteſtatam, tenetur Actor intra annum convenire adverſarium, aut talem receptionem teſtium denunciare, nu. 14. Alioquin atteſtationes teſtium ſunt invalidæ; & quomodo, n. 15. Poſſunt teſtes recipi ante litem conteſtatam in caſu contumaciæ Rei, eſtque periculum in mora, nu. 16. Quid, ſi ipſemet Actor contumaciter ſe abſentet, num. 18. Item, quando ad inſtantiam partis fit receptio teſtium ad perpetuam rei memoriam, num. 19. & 20. Et quando agitur per viam Inquiſitionis ſuper aliquibus exceſſibus, n. 21. & 22. In cauſis criminalibus criminaliter intentatis nunquam recipiuntur teſtes ante litem conteſtatam pro inſtituenda futura accuſatione, n. 24. & 26. Secùs, quando agitur de crimine ſolùm civiliter, num. 26.

Teſtium receptio ad juramentum, eſt actus judicialis, T. 9. num. 76. F. 91. Et nequit validè fieri diebus Feriatis. Ibid. Niſi aliud neceſſitas, vel pietas ſuadeat: quod exemplificatur, n. 77. An teſtes poſſint examinari, eorumque depoſitio judicialiter recipi diebus Feriatis, ſi antea præſtiterunt juramentum, n. 78. & 79. Ponitur ſententia negativa. Ibid. Sententia affirmativa eſt in praxi recepta; ejuſque ratio, n. 79.

Teſtes affirmativè deponentes, præferuntur, aliis negativè deponentibus, T. 12. num. 235. F. 119. Prohibitio illa cenſetur ſufficiens, quæ fit per teſtes plures, ſimulque honeſtiores, ac magis veriſimilia deponentes, n. 233. & 234. Et qui meliorem rationem ſcientiæ aſſignant, num. 236. Et quorum dicta conſonant Juri communi, nu. 237. Si per teſtes probatur aliud, quam eſt deductum in judicium, non valet eorum dictum, T. 19. n. 32. F. 204. Unius teſtis depoſitio probat, quando nemini nocet, & alteri prodeſt. T. 19. n. 62. F. 207. Ex probationibus per teſtes, quæ cenſeatur melior? T. 19. n. 97. F. 210. Probatio per duos teſtes, præfertur communi opinioni Viciniæ, ac uni Teſti cum fama, n. 85. Probationes ex teſtium depoſitionibus recipi non poſſunt niſi citato, & præſente, ſi voluerit adverſario. T. 19. n. 115. F. 212.

Teſtes producere poſt publicationem atteſtationum regulariter non licet, T. 19. num. 149. F. 215. Saltem ſuper eiſdem articulis, vel directè contrariis, alias ſecùs, num. 150. & 151. Poſſunt tamen tunc nova Inſtrumenta produci, nu. 149. & 152. Diſparitas inter productionem Teſtium, & Inſtrumentorum, num. 153. Dantur complures caſus, in quibus poſt publicationem atteſtationum poſſunt ſuper iiſdem articulis teſtes produci; quorum duodecim enumerantur, num. 154. 157. & ſeqq. Teſtes de novo reperti, poſſunt produci poſt concluſionem in cauſa, num. 168.

Teſtes, & Atteſtationes, quid. T. 20. num. 2. F. 220. Ex parte teſtium, quid generatim requiratur, num. 3. & ſeqq. Teſtes non ſunt examinandi, niſi jejuni, de honeſtate, nu. 4. In teſtibus ſex ſunt conſideranda; nempe conditio, ſexus, vita, n. 5. Item ætas, dignitas, & fortuna, num. 6.

Teſtis idoneus, quis? T. 20. n. 7. F. 220. Vocatur etiam *Teſtis legitimus*

timus & *Teſtis integer*, n. 8 Omnes cenſentur teſtes idonei, niſi expreſſe per Leges reprobentur, n. 9. Teſtis idoneus, an ſit idem, ac Teſtis omni exceptione major, n. 10 & 11.

Teſtes minus idonei, qui, T. 20. num 12. F 221. Vocantur etiam *Teſtes inhabiles*, Ibid. Teſtes reprobantur vel ex vitio perſonæ, vel ex dictis ſuis, num. 13. Exceptiones contra teſtes, quotuplicis generis ſint, & quando proponendæ? num. 14 & num. 539. Vitium perſonæ in Teſtibus oritur vel ex natura rei, vel ex Juris diſpoſitione, num 15 Eorum, qui ex Juris diſpoſitione ſunt Teſtes minus idonei, diverſa ſunt genera, & quæ? nu 16. Inhabilitates teſtium aliæ poſſunt per partes remitti, aliæ non: & ipſarum exempla, n. 17. 18. & 21 Judex tenetur inquirere de conditione teſtium, num. 19. Poteſtque ex officio repellere teſtem, quem novit inhabilem inhabilitate per partes non remiſſibili, nu 20. Alias inhabilem nequit repellere, niſi ad inſtantiam partis; & cur? num 21. Teſtis à Judice interrogatus, an ſit criminoſus, vel aliunde inhabilis ad teſtificandum, an teneatur reſpondere? T 20. nu. 22 & ſeqq. F. 222. Tenetur teſtis reſpondere de illis, quæ ipſum reddunt inhabilem ad teſtificandum, ſimulque crimen ipſius non detegunt, n. 24 Alias ſecùs, num. 25. & 26. Si tamen reſponderit de concernentibus ſuam turpitudinem, creditur ipſi, n. 27. Et quid, ſi hanc quis confiteatur, ne cogatur ferre teſtimonium, num. 28. Teſtes inhabiles quandoque admittuntur, non quantum ad probationem, ſed quantùm ad præſumptionem faciendam, T. 20. n. 76. & 79. F 228

Teſtis infamis, quis? T. 20 num. 30. F 223. Infames, quinam cenſeantur, n. 37 38. & ſeqq. An, & quando infames repellantur à ferendo teſtimonio, num. 42 & ſeqq. Infames infamia juris non admittuntur ad teſtificandum, tam in cauſis criminalibus, quam civilibus, n. 42. Poſſuntque ex officio Judicis, etiam parte non opponente, repelli à ferendo teſtimonio, n 45. Etiamſi ſint de crimine emendati, nu 46. Infamia repellens quempiam à teſtificando, pro quo tempore attendi debeat, n 47. & 48. Infames infamia facti an, & quando excludantur à ferendo teſtimonio, n. 49.

Teſtis criminoſus, an, & quando, ſit repellendus à ferendo teſtimonio? T. 20. num 55. & ſeqq. F. 226 Præſertim in cauſis criminalibus criminaliter motis? n. 61. & ſeqq. In his requiruntur teſtes carentes omni ſuſpicione, & macula, n. 61. & 62 Cur Judex criminoſus non infamis, nequeat per exceptionem partis repelli à judicando; benè tamen teſtis criminoſus à teſtificando, n 63. Ad repellendum teſtem criminoſum non ſufficit objicere crimen in genere, n. 66. Vide ſuprà *verſ. Criminoſus*.

Teſtes in judicio, an poſſint eſſe Servi? T. 20. num. 69. & ſeqq. F. 227. Saltem Adſcriptitii, & Originarii, num 71. Teſtes an poſſint eſſe Pupilli, & Impuberes, num. 72. & ſeqq. Vide ſuprà *verſ. Servi & verſ. Pupilli & verſ. Impuberes* Pubes minor tamen viginti annis, non poteſt eſſe teſtis in cauſis criminalibus, benè tamen in civilibus, n. 80. & ſeqq. Pubes major viginti annis, non repellitur à teſtimonio, etiam in cauſis criminalibus, nu 83. Vide ſuprà *verſ. Pubes* Mulier, an poſſit eſſe teſtis, nec ne, n. 84. & ſeqq. Vide ſuprà *verſ. Mulier* Pauperes, vileſque perſonæ, an repellantur à teſtimonio in judicio ferendo, n. 94. & ſeqq Vide ſuprà *verſ. Pauper* Teſtes, an poſſint eſſe Parentes pro Filiis; & econtra, T. 20 nu. 102. & ſeqq. F 231. Teſtes, utrùm poſſint eſſe Conjuges, Conſanguinei, & Affines adinvicem, n. 113 & ſeqq Teſtes idonei an ſint Domeſtici nec ne, n. 120. & ſeqq. Vide ſuprà *verſ. Domeſtici*. Teſtis inimicus, an, & quandò ſit repellendus, T. 20. n 132. & ſeqq. F. 233 Vide ſuprà *verſ. Inimicus* Teſtes in judicio an poſſint eſſe parentes adverſus Liberos ſuos; & econtra, T. 20. n. 144. & ſeqq. F. 234 Vide ſuprà *verſ. Parentes*.

Teſtes, an, & quando poſſint eſſe Laici adverſus Clericos, T 20. n. 160. & ſeqq. F 236. Vide ſuprà *verſ. Laici*. Teſtes adverſus Laicos, an, & quando poſſint eſſe Clerici, n 168. & ſeqq. Teſtes in Inſtrumentis ſæcularium non poſſunt eſſe Clerici *can. Quamquam* 14 q. 2. & quomodo iſtud intelligendum, n. 183 & ſeqq. Teſtis magis idoneus eſt Clericus, quàm Laicus; ſaltem regulariter, n. 180. & 181. Vide ſuprà *verſ. Clerici an ſit admittendi*.

Teſtis an quis eſſe poſſit in cauſa propria, ſeu ex qua commodum ſuum dependet. T. 20. nu. 186 & ſeqq F. 239. Regula eſt, *Nullus idoneus teſtis in re ſua intelligitur*, n. 186. Teſtis debet carere omni ſuſpicione falſitatis. Ib. Teſtis in propria cauſa non eſt idoneus, etiamſi deponat in mortis articulo, num 187. Aut in ultima voluntate debitam ſibi pecuniam ſignificaverit. Ibid. Teſtis etiam ille eſt idoneus, qui habet intereſſe in cauſa, n. 188. Advocatus, Procurator &c. nequit eſſe teſtis in cauſa, cui patrocinium geſſit, n. 189. Neque illi, qui habent ſimile negotium huic, ad quod teſtes inducuntur, n. 190 Ad faciendam videlicet plenam probationem: ſecùs ad aliqualem præſumptionem, n 191. Regula illa limitatur, ſi teſtis cum juramento proteſtetur, ſe nolle commodum ſentire ex ſua depoſitione &c. n. 192. Eſt in teſtibus multum legalibus, n. 193. Ac in cauſis modici emolumenti, num. 194. Et ubi teſtis deponit de facto proprio, ad utilitatem aliorum tantùm, n. 195. Item in Inſtrumentis &c n. 196.

Teſtes in cauſa propria Eccleſiæ, an poſſint eſſe Clerici, vel Prælatus ejuſdem Eccleſiæ, T. 20 nu. 197. & ſeqq F. 240. Vide ſuprà *verſ. Clerici an poſſint &c.* Teſtes in cauſa Univerſitatis, v. g. Civitatis Oppidi &c an poſſint eſſe illi, qui ſunt membra illius Univerſitatis n. 211 & ſeqq Teſtes de Univerſitate poſſunt repelli in cauſis illis, ubi commodum inde reſultans, tangit ſingulos de Univerſitate: ut in lite ſuper nemore, vel paſcuis, &c. num 219. Vel quando agitur de prædio, aut vinea, cujus proprietas eſt Univerſitatis, uſusfructus autem ſingulorum, n. 220. Aut quando lite perdita, in ſingulos de Univerſitate venit imponenda certa Collecta, nu. 221. Idem dicendum in cauſis civilibus arduis, & magni præjudicii, n. 222. Teſtes de Univerſitate cum ſint generaliter [illegible] admittendi ad teſtificandum in negotiis Eccleſiæ, vel Univerſitatis ſuæ; aut tantùm in defectum aliarum probationum? T 20 nu. 223 & ſeqq. F. 242 Quando admittuntur in ſubſidium, plenè probant, n. 228. Alias non ſunt omni exceptione majores, n. 229. Teſtibus de Univerſitate, minùs creditur in concurſu aliorum teſtium ipſis contradicentium, n 230.

Teſtes quot requirantur ad legitimam probationem, T. 20. n. 231. & ſeqq. F 244 Regula eſt, ad legitimam probationem requiri, & ſufficere duos teſtes, num. 231 Et quidem in qualibet cauſa, tam profana quam Eccleſiaſtica, imò & in criminali, n. 232. Dummodò illi duo teſtes ſint omni exceptione majores, num. 233. Teſtium numerus non poteſt ſupplere ipſorum defectum in cauſis civilibus, n. 234. Secùs in cauſis criminalibus, & civilibus arduis, nu. 235. Dantur nihilominus certæ cauſæ, in quibus plures, quàm duo teſtes requiruntur, & quæ, T 20 n 236 & ſeqq F 245. Dictum illud, *In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum*, proponitur, ac declaratur n. 237. 238 & 239 Conſuetudo adhibendi ſeptem teſtes in Teſtamento, qualiter dicatur eſſe aliena à Lege Divina? n. 240 In purgatione Canonica plures requiruntur teſtes, & cur? n. 241 In cauſa Divortii ob impotentiam viri, ſeptem requiruntur teſtes, n 242. Ad condemnationem Epiſcopi Cardinalis requiruntur ſeptuaginta teſtes: iſtud tamen non obſervatur in Practica, n. 243 & 244. De jure Civili in Teſtamentis requiruntur ſeptem teſtes, & quinque in Codicillis, num. 246.

Teſtis unus, quantumvis legitimus, regulariter non probat, neque ſufficit ad deciſionem cauſarum, T. 20. n 247 & ſeq. F. 245. In quacunque Dignitate is ſit conſtitutus, n 248 Idque procedit etiam de Jure Divino, n. 249. Teſtimonium unius non caret omni effectu, n. 250. Quia inducit præſumptionem, Ibid. Et facit indicium ſufficiens ad inquirendum, & citandum, & ad torturam, n 251. Teſtis unus legitimus facit ſemiplenam probationem, T. 20. n 252 F 246 An in nullo prorſus caſu ſufficiat teſtimonium unius ad plenam probationem, ſeu terminationem cauſarum, n. 253 & ſeqq. Papa ex certis cauſis poteſt ſtatuere, ut credatur uni teſti, nu. 256. An hoc ipſum poſſint ſtatuere alii Principes, Superiorem non recognoſcentes, nu. 257. Et quid de conſuetudine particulari locorum, Ibid. Teſti uni plenè creditur, quando non agitur de alterius præjudicio, n. 258. Puta, quod aliquis ſit baptizatus, ordinatus, & Eccleſia conſecrata &c num 259 Dummodò probatio, v g. Clericatus, nemini præjudicet: alias ſecùs, n. 260 Teſtis unus ſufficienter probat, quod moriturus dederit ſigna pœnitentiæ, ſicque poſſit abſolvi, nu 261. Sufficit etiam teſtis unus, quando agitur de impediendo peccato &c. n 262 Ac in denunciatione inhabilitatis ad Ordines, vel Beneficium obtinendum: ſecùs, ſi Beneficium cuipiam jam fuiſſet collatum, n. 263 Creditur, dicto unius teſtis de conſenſu partium, n 264. Aut quando Teſtator ita præcepit, n 265. Item ad probandam innocentiam, inquiſiti, denunciati &c. quod limitatur, n 266 Idem dicendum in cauſis, in quibus nullo modo, aut difficulter plures teſtes haberi poſſunt, n 267 Sic creditur dicto Interpretis. Ibid. Et quando agitur de indiciis, ſeu declaratione mentis diſponentis, n. 268 Teſtis unus, atteſtans in individuo de mente alterius, facit indicium, Ibid. Teſtis unus probat concurrente ſimul fama, arbitrio tamen Judicis, n. 269 & n. 404. Vel quando accedit juramentum ſuppletorium perſonæ principalis, aut concurrunt alia adminicula, n. 270. Officialis jurati teſtimonio creditur in his, quæ pertinent ad ſuum officium, n. 271 Idque exemplificatur in Nuntio publico, n. 272 Ponderatore publico, n. 273. Medico, Architecto, Agrimenſore, & ſimilibus, n. 274. Statur Notarii publici teſtimonio de geſtis à ſe ipſo, n 275. Teſtis unus ſufficit in probanda veriſimili de cauſa ignorantiæ, n 277. Teſtimonio ſolius Papæ creditur, quando deponit de facto proprio, n. 278. Idem dicendum de Imperatore, & Rege, n. 279. Cardinali aſſerenti, ſe eſſe Legatum Papæ, creditur. Ibid. Teſtis unicus ſufficit in cauſis levioribus, n. 289. Sicut & ad leviores pœnas delinquentibus imponendas; idque exemplificatur, n 261.

Teſtes ſingulares, qui, & quotuplicis generis ſint? T. 20. n 282. F. 248. Teſtes alii vocantur *Teſtes conteſtes*, alii *Teſtes ſingulares*; & qui ſint n. 282 & 283. Teſtium ſingularitas poteſt induci ſecundum omnia decem Prædicamenta, n. 284. Et eſt triplex, n. 285. & ſeqq. Regula eſt, quod teſtes ſingulares non probant, T 20 n 289. & ſeqq. F 249 Teſtes ſingulares tantùm probant mille, quantùm unus n. 289. Regula hæc vel maximè procedit in teſtibus ſingularibus ſingularitate obſtativa, ſeu adverſativa, n 291. Neque iſtis deferri juramentum in ſupplementum, n 292. Melius eſt, habere unum teſtem, quam plures ſingulares ſingularitate obſtativa, nu. 291. 292. 293. Teſtes ſingulares ſingularitate diverſificativa, plenè non probant, nu. 294 Quamvis ſinguli eorum probent tantùm, quantum unus, n. 294. 295. Sicque ex eorum depoſitione oritur ſemiplena probatio, quidquid nonnulli contradicant, n. 295. 296.

Teſtes ſingulares ſingularitate adminiculativa, an probent. T 20 num. 297. & ſeqq. F 249. Probant in cauſis civilibus idem factum genericum; ſeu ſucceſſivum, & hujus ratio, n. 297. & 298 Idque declaratur exemplis, n. 299. & 300. Poſſeſſio, juriſdictio, & ſimilia, poſſunt probari per teſtes ſingulares ſingularitate adminiculativa. Ibid. 303 Jura indiſtinctè dicentia, quòd teſtes ſingulares non probant, procedunt in teſtibus ſingularibus ſingularitate obſtativa, & diverſificativa, non adminiculativa, n. 301 Solvitur inſtantia, n. 302 [illegible] Teſtes ſingulares, ſingularitate adminiculativa, factum particulare, ſeu actum ſpecialem, & individuum non probant, n. 304 [illegible] plena exinde conſurgat præſumptio, & aliquando plus quam ſemiplena probatio, n. 305. Unde Judex poteſt moveri ad deferendum juramentum ſuppletorium, n 306 Imò quandoque ad indubitanter credendum & ferendam ſententiam. Ibid. In cauſis criminalibus non probant teſtes ſingulares ſingularitate adminiculativa; etſi faciant præſumptionem contra Reum &c n. 307. & 308. Teſtes ſingulares, ſingularitate adminiculativa probare Uſuram tenent non pauci Doctores, n. 309. Sententia oppoſita videtur tenenda, n. 310 Idem dicendum de probatione Hæreſis, nu. 312 Ad [illegible] tiones pœnitentium in Confeſſionali, admittuntur teſtes ſingulares, ſed non probant ſine aliis præſumptionibus & indiciis, n. 312.

Teſtis contrarius, quis, T. 20. n. 313. F 253 Teſtis varius, ſeu vacillans, quis, n. 314. Et quomodo differat à contrario, n. 315. Teſtis vacillans, quis, n. 316. Si deponeret verè dubitando, fidem non meretur, n 317. Et quid ſi deponat titubando, timendo, ſudando, num. 318. Judex debet vacillationem teſtis, & cauſam ipſius in Actis ponere, n 319. Et ad deprehendendam ejuſmodi contrarietatem, varietatem, & vacillationem, teſtes perſonaliter revocare, n 320 Si teſtes videantur inter ſe contrarii, tunc pro poſſibili debet Judex eorum dicta interpretari, ut non contradicant, &c. n. 321. Teſtium dicta benignè ſunt interpretanda, ne perjurii reatu notentur. Ibid. Teſtes duo ex una parte producti, & ſibi manifeſtè contradicentes, nihil probant, ſed ſi multi fuerint valet teſtimonium plurium concordantium, etſi debilitetur, n. 322 Quid agendum, ſi duo teſtes conteſtes allegent tertium, qui negat, ſe interfuiſſe, aut aliquid ſcire, n. 323. *Magis credendum eſt duobus teſtibus affirmantibus, quam centum negantibus*; idque declaratur. Ibid. Teſtibus ex utraque parte productis, & manifeſtè contrariis, qui ſint præferendi, n. 324 & 325.

Teſtis ſibi ipſi contrarius, nihil probat, T. 20. n. 326 F 253 Niſi forſan incontinenti correxerit prius dictum, nam tunc ſtatur poſteriori dicto n. 326. & 327. Teſtis in Judicio contraria deponens, eſt competenter puniendus, & qualiter, n. 328. Niſi per errorem, ſive ignorantiam id acciderit, n. 329. Et quid, ſi unum dixit in judicio, & aliud extra judicium. Ibid Quando teſtis in diverſis judiciis, vel diverſis inſtantiis ejuſdem judicii contraria deponit, ſtatur primæ ejus depoſitioni juratæ, n 330. Niſi ex intervallo dictum ſuum corrigat, allegando errorem facti, eumque probando, n. 331. Aut niſi poſterius dictum judiciale teſtis illius ſit magis veriſimile, vel adminiculatum aliis conjecturis, n. 332 Fallit etiam in cauſa Hæreſis, n. 333. Et quando teſtis depoſuit primum dictum ſine juramento, & poſterius contrarium cum juramento [illegible] fuit unum in judicio, & contrarium ejus dicat extra [illegible] ſtandum eſt dicto judiciali, niſi contrarium [illegible] probetur, nu. 335. & 336. Solvuntur notabiles objectiones contra hoc, nu. 337. 338. 339 Prima teſtis depoſitio jurata judicialis, debilitatur per ſecundam [illegible] contrariam, arbitrio Judicis, n 340. Idem [illegible] quando teſtis extra judicium, reſponderit [illegible] judicio, n 341. Inter teſtes inter ſe contradicentes [illegible] contraria, eſt diſparitas. T. 22. n. 323. [illegible]

Teſtes de ſcientia [illegible] n. 342. F. 255. Teſtes tenentur reddere cauſam [illegible] ſui, n 343 Teſtes de credulitate [illegible] non dicuntur teſtes. Ibid. & n ſeq. Sententia [illegible] dicta teſtium de credulitate, nunquam tranſit in rem judicatam, num 344 Teſtes ex auditu auditus, ſive Teſtes de auditu alieno, qui, n. 346 Non dicuntur verè, ac propriè teſtes, & cur, n. 347. Teſtes de credulitate utrùm ſint admittendi, & aliquid probent, T. 20 n. 348. & ſeqq. F. 255. Regula eſt, quod teſtes de credulitate non probant, n. 348 Fallit hæc in pluribus caſibus; ut quando credulitas eſt proxima ſenſui, n 349 [illegible] ſive quando teſtis ſufficientem reddit rationem credulitatis ſuæ, [illegible] Item fallit in iis, quæ ſunt difficilis probationis, n. 352 Admittuntur quoque teſtes de credulitate ad probandam hominis innocentiam, n. 353 Sicut & in purgatione Canonica. Ibid. Teſtes deponentes per verbum Credo [illegible] peritis artis, probant, ut medici, [illegible] Niſi debeant deponere de rebus ſenſu corporeo perceptibilibus. Ibid. Teſtes de credulitate probant contra producentem, n 355. Sicut & confeſſio de credulitate probat contra confitentem n. 357. Teſtis primò deponens de veritate, & poſteà dicens, ſe illud credere, probat, n. 357. Teſtes de credulitate faciunt indicium efficaciſſimum, & quando, n 358 Teſtimonium de credulitate admittitur in omnibus illis caſibus, in quibus admittitur teſtimonium de auditu alieno, n. 359.

Teſtes de auditu alieno; ſive ex auditu, an, & in quibus caſibus probent, T. 20. n. 360. & ſeq F. 256. Regula eſt, quod teſtimonium de auditu alieno non valeat, n 360 Etiamſi fama concurrat, ſine aliis tamen adminiculis, n 361. Dictum unius facilè ſequitur multitudo. Ibid Idque vel maximè procedit in delictis, n. 362 Notabilis caſus quoad propoſitum refertur, n 363 Teſtimonium de auditu proprio quoad res auditu perceptibiles, valet, n. 364. Teſtes etiam de auditu alieno, probant in pluribus caſibus; nempe in Factis antiquis, n 364. & 365. Probant etiam contra producentem, n. 367. Et quando agitur ad defenſionem Rei, n. 368. Ac in aliis cauſis, in quibus modica ſcientia fidem facit. Ibid. Atque in illis, quæ ſunt difficilis probationis, n. 369. Teſtes de auditu alieno faciunt præſumptionem, n. 370. Imò accedentibus aliis adminiculis etiam plenam probationem, n. 371. Iſta procedunt, quando illi, à quibus teſtis audivit, jam ſunt mortui, vel ſaltem longè abſentes: alias ſecùs, n. 372. Per teſtes ex auditu alieno olim probatur conſanguinitas, etiam contra valorem matrimonii, n. 373. Et quid hodie ſit obſervandum, n. 374. & ſeqq.

Teſtes deponentes de fama, quot, & quales eſſe debeant. T. 20 n. 394. F. 259. Teſtes deponentes de fama debent deponere, quod ita audiverint dici à majori parte populi; & quomodo, n. 395. & 396 Populi nomine, quid hic intelligatur, n. 396. Teſtes de fama tenentur exprimere certas perſonas ſaltem duas, à quibus audiverunt, n. 397. Ac reddere cauſam ſcientiæ, & dicti ſui, n. 398.

Teſtes quando, & qualiter ſint producendi, T. 20. n 412. & ſeqq. F. 261. Teſtes regulariter ſunt producendi poſt litem conteſtatam, exceptis certis caſibus, n. 412 & 413 & T. 6. n 14. & ſeq F. 70 Teſtes ſunt producendi tempore per Judicem deſignando, vel citandi à Judice ad inſtantiam partis, T. 20. n. 224. F. 262. Teſtis ultroneus cenſetur ſuſpectus, & non probat, parte contra eum excipiente, n. 415. & 417. Si tamen deponat in præſentia partis, valet dictum ejus nemine reclamante, n. 416. Productio, & receptio teſtium, regulariter debet fieri citata parte adverſa, alias non probant, n. 418 & 419. Debet etiam citatio illa ſcribi inter Acta judicii, n 420. In quo ſenſu [illegible] debeat audire teſtes, [illegible] cap. 2. *de Teſtib.* nu. 421. Dantur tamen plures caſus, in quibus teſtes poſſunt recipi parte alterâ non citatâ, n 422. 423. & ſeqq. Excommunicari poteſt, qui impedire præſumit productionem teſtium, T 20. n. 431. 432. & 434. ac ſeqq. Et quid dicendum de Litteris *Mutui compaſſus*, nu. 433. & 434 Quod ſi teſtes perſonaliter venire nequeant, concedenda eſt alteri Judici *Remiſſoria*, & quando, n 435 & ſeqq. Depoſitiones teſtium à Judice Remiſſoriam accipiente, qualiter tranſmittendæ ſint alteri Judici, nu 434 & 435 Cujus ſumptibus teſtes è longinquo ſint producendi, T 20. n. 438. F 264 Expenſæ teſtibus de longinquo venientibus debitæ, qualiter ſint menſurandæ, n. 439. 441. & ſeqq. Utrùm emolumentorum, quibus teſtis ob abſentiam carere debet ratio ſit habenda, n. 443 Teſtium productiones quot fieri poſſint, nu. 445 & ſeqq An teſtes ſemel producti, iterùm in eadem cauſa produci valeant, n. 453 & ſeq. Vide ſuprà *verſ. Productio teſtium*. Timor ſubornationis teſtium magis urget poſt publicationem atteſtationum, quam anteà, n. 461.

Teſtis antequam deponat, debet jurare; alioquin non probat, T. 20. n. 463 F. 266 Quinque capitula ſecundum Gloſſam ſunt juranda per teſtes, nempe, quod dicent totam veritatem, n 465. Nullam interſerendo falſitatem, n 465 Et quod dicent veritatem pro utraque parte, n 467. Et quidem omnem veritatem, ſive interrogati, ſive non, n 468. Et quod non pretio, nec amore, nec timore, teſtimonium ferant, n. 469. Alii ſextò requirunt, quòd teſtes jurent ſecreto tenere dictum ſuum, n. 480. Dantur nihilominus aliqui caſus, in quibus probant teſtes non jurati, n 471. & ſeq. Ut, quando Judex ſuper notorio recipit informationes, n 472 Item in probatione conſuetudinis populi, n. 473. Et generaliter quando teſtes recipiuntur pro informatione ſolius Judicis, n 474. Unde Executor Litterarum Apoſtolicarum cum clauſula, *Si idoneum eum inveneris*, poteſt recipere informationes à teſtibus non juratis, n. 475. De conſuetudine multis in Provinciis Perſonæ Illuſtres ſine juramento teſtificantur &c. n. 477. Conſuetudo illa non valet, quæ generaliter omnibus teſtibus creditur ſine juramento, num 478. Teſtes ſine juramento recepti, licèt non probent, ne quidem ſemiplenè, faciunt tamen præſumptionem, n. 479. Non teſtimoniis, ſed teſtibus judicandum eſt, n 487. Teſtibus, an & quando poſſit remitti juramentum, n. 480 Quæ forma juramentum teſtium ſit præſtandum, n. 488. & ſeqq. Spectato rigore Juris, qui non habet manus nequit teſtimonium judiciale dicere, n 489. Epiſcopus receptus in teſtem, qualiter juret, n 491 Teſtes prius debent jurare, quam deponere, alias non valet teſtimonium, n. 492. & 493 Teſtis debet jurare præſente adverſario &c. n. 494. Vide ſuprà *verſ. Juramentum Teſtium*.

Teſtium examen, à quo, coram quibus, & ubi ſit inſtituendum, T. 20. n. 497 & ſeq F. 269 Teſtes ſunt examinandi ab ipſomet Judice; & cur, nu. 497. Qui tamen ex cauſa poteſt examen teſtium alteri committere, num 498 Teſtes ſunt examinandi ſecretò, & ſingillatim, n. 499 Etſi per hoc non excludatur præſentia Notarii, eorum depoſitiones conſcribentis, nu. 500. In examine teſtium ſuper crimine Hæreſis, præter Notarium adhibentur aliæ duæ diſcretæ perſonæ, n. 501. Conſultum eſt, ut idem fiat in aliis cauſis multùm arduis, Ibid. Examinatio teſtium regulariter fit in loco Judicii, n. 502. Quamvis etiam extra judicium, & ubique locorum fieri poſſit, n 503. Perſonæ egregiæ domi ſuæ examinari debent, n. 504. & ſeqq. Et quæ ſint tales Perſonæ egregiæ, n 505. Idem dicendum de teſtibus valetudinariis, ſenibus, fœminis &c n 506 Sacerdotes, aliæque perſonæ Eccleſiaſticæ, ſi producuntur in teſtes, coram ſæculari Judice non jurant, neque deponunt coram eo, ſed coram Epiſcopo, num. 507.

Teſtes de quibus ſint interrogandi, ſeu examinandi, T. 20 n. 508. & ſeqq. F 270 Teſtis tenetur reddere cauſam ſuæ ſcientiæ, ſi interrogetur, n 511. Secùs ſi non interrogatur, n 512 Teſtes ſunt examinandi de ſingulis circumſtantiis; putà, de perſonis, loco, & tempore, n. 513. De viſu, & auditu, n. 514 De ſcientia, & credulitate, &c. n 515 Teſtes interrogari per ſuggeſtionem, quid, num. 516. & 517. Illud eſt prohibitum, & vitandum, n 518. Teſtium interrogationes debent fieri in genere, gradatim deſcendendo ad magis ſpecialia, n 519 Vide ſuprà *verſ. Interrogatoria*.

Teſtes extra articulum deponentes, nullam fidem faciunt, T 20. num. 536. F. 273. Materia de teſtibus multùm eſt arbitraria, n. 546 Teſtibus, quæ exceptiones poſſint opponi, n. 534. & ſeqq Vide ſuprà *verſ. Exceptiones*. Teſtes, aut dicta eorum, à quo poſſint, vel non poſſint reprobari? T. 20 n. 547. & ſeqq F 274 Non poſſum reprobare teſtem, quem induxi pro me, niſi nova cauſa ſupervenerit, ne quidem in alio Judicio, n. 437. 543. & ſeqq Poſſum tamen reprobare dicta teſtis à me producti, quando ſunt ſibi contraria, n. 552.

Teſtes probatorii, reprobatorii, & Teſtes reprobatorii reprobatoriorum qui? T 20. nu. 553. F. 275. Teſtes probatorii poſſunt reprobari per alios teſtes reprobatorios; & hi rurſus mediantibus aliis, ſive per teſtes reprobatorios reprobatoriorum, ſed non ultra, n. 554. Poſſunt tamen teſtes reprobatorii reprobatoriorum, reprobari per Inſtrumenta, n. 556 Modus reprobationis teſtium probatoriorum, & reprobatoriorum obſervandus, in quo conſiſtat, n. 557. & ſeqq. Non ſufficit dicere in genere, v. g. quòd teſtis ſit criminoſus, ſed oportet crimen ſuccinctè exprimere: cur, n. 557.

Teſtes auctoritate publica ſunt citandi, vocato etiam adverſario. T. 21. n. 2. F. 276. Si teſtes legitimè citati venire, aut teſtificari nolunt, per Judicem compelli poſſunt, n. 3. & ſeqq. Officium teſtium eſt publicum, vel quaſi publicum, n. 4. Teſtes non illico compellendi ſunt ſed debet præcedere monitio, n. 6 Niſi eorum teſtimonium mox à principio ſit neceſſarium, n. 7. Teſtes admoniti, & teſtificari recuſantes, compellendi ſunt pro qualitate Fori, n 8. Nempe, de Jure Canonico per cenſuras Eccleſiaſticas, n 9. Et de Jure Civili pignora capiendo, vel mulctam imponendo, n. 10. Quâ pœna puniatur ille, qui ſubtrahit teſtes à teſtificando? T. 21 num. 11. & ſeqq. F 277 Talis poteſt excommunicari, num. 11. Et punitur pœna extraordinaria, tanquam contemptor Judicis, n. 12 An etiam puniatur pœna Falſi, num. 13. & 14.

Teſtes continentur appellatione Inſtrumentorum, T. 21. n. 13. & 14. F. 277. Propriè tamen aliud ſunt Inſtrumenta, aliud Teſtes, n. 14.

Subtra-

Subtrahentes adverſario inſtrumenta, vel teſtes, ex hoc ſolo cauſa non perdit: oſtendit tamen, quòd iniquam foveat cauſam, n. 15. & 16 Certum eſt, quòd in cauſis civilibus teſtes poſſint compelli ad teſtificandum, niſi reperiantur expreſſè privilegiati, n. 17. Utrum etiam in cauſis criminalibus cognoſcendi ſint teſtes, num. 18 19 & ſeqq. Teſtes non ſunt cogendi, quando agitur de probando crimine occulto, num. 22 Vel quando ex tali depoſitione grave periculum, v. g. capitalis inimicitiæ, imminet teſti, num. 23 In certis caſibus etiam de Jure Canonico, coguntur teſtes ferre teſtimonium in cauſis criminalibus; & quibus, n. 24. 25. & ſeqq. Quænam ſint Perſonæ privilegiatæ, ita ut non poſſint cogi ad ferendum teſtimonium, T. 21. n. 29. 30. & ſeqq. F. 279. Utrum Clericus poſſit compelli ad ferendum teſtimonium contra ſuam Eccleſiam, n. 38 & ſeqq. An poſſit cogi ad teſtificandum, qui juramento ſe obſtrinxit ad nihil dicendum, num. 43. 44. & ſeqq.
Teſtium nomina, qui interfuerunt actui, ſunt Inſtrumento publico inſcribendi, T. 22. n. 25. F. 283 Teſtium tamen ſubſcriptio non requiritur, n. 26. Per teſtes poteſt probari, ſcripturam alicujus manu, vel voluntate eſſe conſcriptam, T. 22. n. 162. & ſeqq. F. 296. Si teſtes deponant ſuper contractu, ſeu de contentis in ſcriptura, tunc ſufficiunt duo teſtes pro ejus probatione, n. 164. Bonum eſt argumentum à Teſte ad notarium publicum, & econtra, T. 22. n. 266 F. 307. Datur tamen aliqua diſparitas inter teſtem, & Notarium, n. 273. Si teſtis falſitatem circa ſubſtantialia adjiciat ſuo teſtimonio, dictum ejus reprobatur in totum, num. 278. Secus, ſi circa accidentalia duntaxat, num 281.
Teſtes inſtrumentarii, & extranei, qui, T. 22. n. 293. F. 310 Probatio per teſtes, ſimpliciter loquendo, eſt dignior [illegible] probatione per inſtrumenta, n. 282 & 283 & ſeqq. Probatio per [illegible] eſt vera & naturalis, n. 285. Teſtium depoſitione poteſt elidi fides Inſtrumentorum, n. 286. & ſeqq. Teſtes plenam fidem faciunt, etiam in criminalibus, n. 289. Per teſtes inſtrumentarios, qualiter poſſit Inſtrumentum impugnari, n. 292 & ſeqq. Vide ſuprà *verſ. Inſtrumenta, quibus modis*, & *verſ. Inſtrumentum publicum*. Teſtium abſentia, qualiter probari poſſit, T. 22. n. 295 F. 310 Magis creditur duobus teſtibus affirmantibus, quam mille [illegible] negantibus; & cur, n. 298 Duobus teſtibus æquivalet Inſtrumentum; & quomodo, n. 312 & 315. Teſtes Inſtrumento inſcripti, quando probent, num. 316 Valet teſtimonium teſtium, qui recordantur celebrari, v. g. contractus, non tamen anni, menſis, aut diei, quo is factus eſt, n. 301. Inter teſtes magis credendum eſt teſtibus deponentibus de bonitate, quam aliter aſſerentibus, T. 23. n. 82 F 322 Teſtis, contra quem fit exceptio de crimine, iſto probato repellitur à teſtimonio, de crimine tamen non punitur, T. 20. n 546 F 274.
Teſtificata didicita, quando dicantur, T 20 n. 254 & ſeq. F. 246. Non cenſetur didiciſſe teſtificata, cui teſtes revelarent, quid dixerint, aut dicturi ſint, n. 455 Secus, quando Judex prælegit partibus teſtium depoſitiones, vel quis eas ſubtraxit, n. 456. Poſt didicita teſtificata nequit pars ſuper eiſdem articulis reproducere priores teſtes, nec alios producere, & cur, n. 457. Etiamſi didiciſſet teſtificata ſtatim poſt primam, vel ſecundam productionem teſtium, n. 458. Dempris certis caſibus, n. 459 In cauſa appellationis, an poſt didicita teſtificata poſſint priores, vel novi teſtes produci, n. 460 & ſeqq.
Theſaurus in fundo latens non poſſidetur, donec apprehendatur, T. 12. n. 110 F. 107.
Titulus juſtus, an, & cur requiratur ad præſcriptionem, T. 26 nu. 120. 121. 133. & 153. F. 377. 378 Vide ſuprà *verſ. Præſcriptio immemorialis*. Titulus ejuſmodi, quid, n 127. Et quotuplex ſit, n. 128. Titulus *Pro ſoluto*, & Titulus *Pro ſuo*, dicuntur generales, alii ſpeciales, n. 129. Titulus *Pro herede*, quando ſufficiat ad præſcriptionem, T 26. n. 131 & ſeq. Vide ſuprà *verſ. Præſcriptio per defunctum*. Ad omnem protſus præſcriptionem requiritur Titulus, n. 142. & ſeqq. Poſſeſſio temporalis immemorialis eſt inſtar tituli, imò melior titulus de toto Mundo, n. 144.
Tortura. Ad torturam non eſt ſufficiens indicium, nominatio ſocii criminis facta per Reum de ſe confeſſum, T. 18 n. 123 F. 186. Confeſſio per torturam expreſſa, ut præjudicet, continentis, quæ requirantur, T. 18 n. 137 F 189. Indicia legitima, ſeu ad torturam ſufficientia, quæ, n 139 & ſeqq Vide ſuprà *verſ. Indicium*. Tortura non eſt infligenda ante aſſignatas Reo defenſiones cum copia indiciorum &c. n. 143. Utrùm ad torturam ſufficiant indicia, quæ ſunt minus quam ſemiplena probatio, n. 144 Ad torturam [illegible] non eſt deveniendum, niſi in ſubſidium, ſeu quando delictum aliter probari non poteſt, num. 145. Fallit [illegible] in nonnullis caſibus, nu 146. Ut confeſſio facta in tortura probet, requiritur, quòd tortus perſiſtat in confeſſione, n. 147. Tortus qualiter cenſeatur perſiſtere in confeſſione, n. 148.
Traditio habetur ex ſignatione rei, T. 12. n. 135. F. 109. Et quid dicendum de dolio vini ſignato, nu. 138. Quando opponitur cuſtodia rei venditore conſentiente, cenſetur illa tradita, n. 137.
Tranſumpta originalium inſtrumentorum, quam vim probandi habeant, T. 22. n 59. F. 287. Vide ſuprà *verſ. Exemplaria*.
Tributum [illegible] ſolvunt Eccleſiæ, & Clerici, T 2 n. 227. & 228. F. 44.
Turpitudinem propriam detegere nemo debet cogi, & quomodo iſtud ſit intelligendum, T. 18. n 164 & 204 F. 197. Turpitudinem propriam allegans, non auditur: & quomodo, T. 24. n. 72 F. 332.

## V

Vagabundi qui, T. 2. n 44 F 26 Vagabundus, an ſit, qui pergit ad locum, in quo domicilium eſt collocaturus, n. 45 Vagabundi ſortiuntur Forum, ubi reperiuntur, n 46
Verba narrativa, & enunciativa quæ, T 19. n. 103. F. 211 Quam vim probandi habeant verba narrativa Litterarum Apoſtolicarum, num. 103. 104. & ſeqq. Vide ſuprà *verſ. Papa verba narrativa*. Quid dicendum de verbis narrativis Imperatoris, Regis &c n. 112 Verba teſtium benignè ſunt interpretanda, ne perjurii reatu notentur, T. 20. n 321. F 252.
Via, ut ſervitus ruſtica, quid, T. 26. n. 99. F. 375.
Vicinus præſumitur ſcire ea, quæ ſunt geſta in vicinia, & qualiter, T. 23. n. 108. F 324 Factum præſumitur notum in ſecundo loco, quod eſt notum in remoto, n. 109.
Victus non appellans, verè non conſentit in ſententiam, ſed [illegible] neque Victor ſciens ſententiam injuſtam, poteſt rem ſibi adjudicatam tuta conſcientia retinere, T 27 n. 108 F 398. Victum [illegible] ſit Victori condemnandus in expenſis, T. 27. n. 176 & ſeqq. F. 405. Regula eſt, quod Victus Victori in expenſis ſit condemnandus, n. 176. Et hoc tam in cauſis civilibus, quam criminalibus; excepto Reo in cauſa criminali criminaliter intentata, n. 177. Fallit dicta Regula, quando Victus habuit juſtam cauſam litigandi, n. 178. [illegible] Is cenſeatur habuiſſe juſtam cauſam litigandi, nu 179 [illegible] Solum juramentum calumniæ antea præſtitum, [illegible] Victum à condemnatione expenſarum, num 183. Quid, ſi Victus in una parte judicii habuit juſtam cauſam litigandi, [illegible] n. 184 In dubio non cenſetur Victus habuiſſe juſtam cauſam litigandi, num. 185 Si Judex videat, Victum non eſſe condemnandum in expenſis, debet iſtud declarare in ſententia, n 186. An [illegible] tur in ſententia exprimere cauſam illam litigandi, nu. 187. Regula illa, quod Victus condemnetur Victori in expenſis, fallit in nonnullis caſibus, & quibus, n. 188. & ſeqq. Vide ſuprà *verſ. Expenſa*.
Vidua. Vide ſuprà *verſ. Miſerabiles perſonæ*.
Violentia per ſpoliatorem illata ubi probatur, tunc damna & intereſſe probantur per Actoris juramentum, & qualiter. T. 13. num. 123. F. 141.
Virginitas, qualiter probetur, T 19 n. 86 87. & 88 F 210.
Viſu, ſive aſpectu, transfertur rerum poſſeſſio; & quomodo, T. 12 n. 113. & ſeqq. F. 108. Vide ſuprà *verſ. Oculari inſpectione &c.*
Vitio litigioſi dicuntur laborare attentata lite pendente, T. 16 F. 169. Poteſtque Actor ſuſpenſo Petitorio, tranſire ad vitium litigioſi, num 41.
Univerſitatis ſæcularis, v. g. Civitatis, Oppidi &c membra [illegible] eſſe teſtes in cauſa dictæ Univerſitatis, T. 20. [illegible] Univerſitatis ſunt, non ſingulorum [illegible] Quando agitur de donatione vel legato facto cuidam [illegible] etiam ſæculari, poſſunt eſſe teſtes, qui ſunt de illa Univerſitate, n. 214. Idem dicendum de probatione confinium, nu 215 [illegible] batione conſuetudinis non ſolvendi decimas, gabellas &c nu 216. Solvuntur rationes in oppoſitum, n 217 & 218
Uſucapio, quid, T. 26 n 6 & 7. & 13. F. 266. Uſucapio, & Præſcriptio, an differant, n 8. & ſeqq Uſucapio, juxta quoſdam, rebus tantùm corporalibus convenit: Præſcriptio generaliorem habet ſignificationem, nu. 9 Præſcriptio triennalis ſolet dici Uſucapio: Præſcriptio longi, vel longiſſimi temporis præſcriptio, non uſucapio, n 10 Uſucapio eſt in rebus mobilibus, Præſcriptio in immobilibus, n. 11. Hæ tamen differentiæ non ſemper [illegible] ſervantur [illegible] Uſucapio in rebus mobilibus non facilè procedit, T. 26 n. 15. F. 381. Res vitioſæ, ſeu furtivæ, non poſſunt triennio uſucapi, Ibid. Uſucapio triennalis quomodo interrumpatur. T. 26. n 20. & ſeqq. F 386 In Uſucapione dies ultima incepta, habetur pro completa: ſecùs in aliis Præſcriptionibus, n. 208.
Voluntas coacta, eſt voluntas, T 24. n. 101. F 335 Lex magis favet illi, qui facit actum ex neceſſitate, quam ex voluntate, T. 24. n 152. F 341. & n 241.
Votum reale tenetur adimplere hæres defuncti, ſecùs dicendum de voto perſonali, T. 24 n. 108 F 336.
*Vox unius, vox nullius*. T 20 n. 248 F 245. Idque declaratur, n. 248. 249 & ſeqq.
*Uſque* Hæc dictio ſtat excluſivè, T. 9 n 64 & 67 F. 91.
Uſura, an probetur per teſtes ſingulares ſingularitate adminiculativa. T. 20. n. 309 & 310 F. 251. In cauſis uſurarum cur fœneratores cogantur edere Libros rationum uſurarum, T. 22. nu. 191. F. [illegible] Uſuras ſolvere qui juravit, tenetur ad earum ſolutionem, [illegible] ſolutas repetere poſſit, T 24 n 78 & 79. F 333.
Uſusfructus, quid, T. 26 n. 101 F 375. Uſus, quid, & quomodo differat ab Uſufructu, num. 103
Uxor, an poſſit eſſe teſtis pro Marito; & econtrà. T. 20. n. [illegible] F. 231.

F I N I S.